J. M. J.

EX LIBRIS

A. POUGET DE S^T^- ANDRÉ

PRESBYTERI


PARISH LIBRARY
LIBRARY
CALIF.

THEOLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICE CONFLATUS,

PLURIMIS ANNOTANTIBUS PRESBYTERIS AD DOCENDOS LEVITAS PASCENDOSVE POPULOS ALTE POSITIS,

ALMA COLLEGE LIBRARY ST. JOSEPH'S CHURCH, Alma, California SAN JOSE

ACCURANTE J. P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

ALMA COLLEGE LIBRARY ST. JOSEPH'S CHURCH, Alma, California SAN JOSE CALIF.

TOMUS SEXTUS.

DE SYMBOLO. — DE ANTIQUIS FORMULIS FIDEI. — DE FIDE. — DE PRÆCEPTIS FIDEI ET VITIIS OPPOSITIS. — DE PROPOSITIONIBUS DOGMATICIS ET MORALIBUS AB ECCLESIA DAMNATIS. — *EXPOSITION DE LA DOCTRINE CATHOLIQUE.* — ANALYSIS FIDEI DIVINÆ. — REGULA FIDEI CATHOLICÆ. — *DE LA FOI DES ENFANTS ET DES ADULTES IGNORANTS.* — DE SCHISMATE IN GENERE ET IN SPECIE. — DE TOLERANTIA. — DE PROPOSITIONIBUS DAMNATIS CIRCA FIDEM. — DE SPIRITU PHILOSOPHICO.

ALMA COLLEGE 230.8 LIBRARY M588 Alma, California

28 VOLUMINA : 138 FRANCIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1841

1832

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

NATALIS ALEXANDER.
De Symbolo.

IDEM.
De Symbolo Apostolorum, utrùm illud Apostoli condiderint, Dissertatio.

MADRISIUS.
De Symbolo fidei Dissertatio.

LAZERUS.
De antiquis Formulis Fidei, earumque usu, Exercitatio.

KILBER.
De Fide.

PATUZZI.
De præceptis fidei, et de vitiis fidei oppositis.

CARBONEANO.
De Propositionibus moralibus et dogmaticis ab Ecclesiâ damnatis.

BOSSUET.
Exposition de la doctrine de l'Église catholique.

HOLDEN.
Divinæ fidei Analysis, seu de fidei christianæ resolutione.

CHRISMANN.
Regula fidei catholicæ, et collectio dogmatum credendorum.

LEFRANC DE POMPIGNAN.
Controverse pacifique sur la foi des enfants et des adultes ignorants.

HOLDEN.
De Schismate in genere.

LIEBERMANN.
Synopsis historica de schismate Græcorum, Moscovitarum, novatorum seculi XVI præcursorum, Protestantium.

IDEM.
De Judaismo, de Mahumetismo, de Gentilismo.

EDITORES.
De Constitutione Cleri, dictâ *civili*. — De Concordato Pii VII cum Napoleone. — De Sectâ dictâ *petite Église*.

PERRONE.
Utrum hæretici et schismatici sint de Christi ovibus; de Protestantismo; utrùm extra catholicam Ecclesiam detur salus; de tolerantiâ.

DUVOISIN. — MUZZARELLI.
De la tolérance.

VIVA.
Damnatæ theses contra fidem.

VALSECCHI.
De spiritu philosophico.

INDEX RERUM.

EX TYPIS CATHOLICIS MIGNE,
In vico dicto : MONTROUGE,
Juxta portam Inferni Parisiorum,
Gallicè : PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER DE PARIS.




MONITUM.

Nôrunt omnes in rebus ad religionem pertinentibus quasdam esse veritates quarum cognitio non omnibus æquè necessaria est; sunt è contra quàm plurimæ quas nemini licet ignorare, hùcque revocantur mysteria in Symbolo comprehensa. Has equidem veritates haud pauci theologi tractatibus scientiâ plus minùsve commendandis attigerunt; at Symbolum modo practico evolvere, singulosque ipsius articulos et verbum quasi pro verbo explicare, nemini ferè unquàm præcipuus laboris finis extitit. Quantùm verò momenti res illa habeat, per se satis omnibus patet. Istud igitur adeò necessarium opus præsertim sibi assumpsit Natalis Alexander, ideòque theologicam Symboli expositionem omninò prædicandam edidit, quam in hoc sexto volumine, in quo de *fide* per totum agetur, subjiciendam curavimus, ne aliquid hâc in parte maximè desiderandum omitteretur. Nostris enim plerisque lectoribus, quibus animarum cura delata est, non id solùm muneris incumbit, ut pro seipsis sacrarum rerum scientiam adipiscantur, verùm etiam ut populos à Deo sibi commissos salutis viam edoceant. Quamobrem non sine aliquâ mentis oblectatione ipsis, pro datâ occasione, opus planè practicum, omnimodâque doctrinâ refertum catechismum offerimus, ex quo, tanquàm ex arce omni instructâ præsidio, præclaram sermonum seriem circa res inprimis cognoscendas credendasque depromere pastor facilè poterit. Nec nos latet quædam jam alibi tractata in hâc Symboli elucidatione passim recurrere; nobis verò veniam eò faciliùs dabunt *Subscriptores-Parochi*, quòd Natalis Alexander, in rebus etiam maximè vulgaribus, singulari quodam ingenii acumine præditus, aliorum argumenta novis ipse rationibus corroborandi arte potissimùm excelluit, indeque omnia circa partem dogmaticam scitu necessaria dabuntur. Nec propterea moralis disciplinæ partes negligemus, nec quod ad praxim omnibus et singulis ubique necessarium est: in decursu enim nostri hujus momentosi operis *Oratio Dominica*, *Angelica Salutatio*, *Mandata Dei* simul *et Ecclesiæ*, *actus humani*, *peccata*, *virtutes*, etc., theologico more vicissim explicata venient.

NATALIS ALEXANDRI VITA.

Natalis Alexander, natus Rothomagi 1639, Dominicanus anno 1655, philosophiæ theologiæque vicissim professor in suo ordine, doctor Sorbonæ 1675, et provincialis 1706, obiit Lutetiæ anno 1724, ætatis 86. Oculorum jampridem præ nimiis laboribus hebetium postremis vitæ annis usum omninò amiserat. Parisiensis theologiæ facultas exsequias ejus cohonestavit. Natalem Alexandrum Benedictus XIII *magistrum suum* appellabat, quamvis aliquot ejus operibus ab Inquisitione Romanâ inusta fuerit censuræ nota, quam à se repulit modesto quietoque simul necnon valido et digno responso. Anno 1704 famoso *casui conscientiæ* nomen suum apposuit; postquàm verò Castro Heraldi exulâsset, repudiatis opinionibus revocatus est. Præcipua inter ejus opera numerantur: *Historia ecclesiastica veteris et novi Testamenti*; quod opus notis plurimùm emendavit illustravitque Constantinus Roncaglia. Præsertim nomen habent numerosæ quibus exornatur dissertationes. *Theologia dogmatica et moralis*, laudanda, etsi latiùs fusa. Quamvis sententiis theologorum ordinis sui adhæreret, æquum et moderatum adversantibus sese præstabat. Latinum sermonem facili stylo tractavit et suavi jucundâque dictione; quanquàm verò non semper castigata scripserit, nihil barbariem quorumdam scholasticorum sapit. *Commentaria in Evangelia et Epistolas S. Pauli*; *Apologia Dominicanorum missionariorum in imperio Sinensi*.

Extitêre forsan theologi Natali Alexandro præstantiores; nullius autem fama latiùs nec universaliùs unquàm diffusa est. Hâc verò singulari laude ipsius nomen celebrandum inter omnes venit, quòd Patrum studiis exercitissimus, loca ex iis ubertim deprompta fœtibus propriis feliciter necnon apposite semper accommodavit, adeò ut textus alienos, pro citandi peritiâ, quasi suos ipse fecerit. Hinc natum apud theologos illud de nostro auctore, sicut et de præstantissimo Bossuetio effatum, quòd quemadmodùm pro Bossuetio sacra Scriptura, ita pro Natali Alexandro SS. Patrum scripta tanquàm elaborata videantur.

DE SYMBOLO FIDEI.

ARTICULUS PRIMUS.

QUID ET QUOTUPLEX SIT SYMBOLUM FIDEI, ET QUOT EJUS ARTICULI.

I. *Symbolum*, vox origine Græca, vel plurium rerum in commune collationem significat, vel signum aut tesseram militarem, quâ veri milites ab aliis discernuntur. Apud Catholicos sumitur pro regulâ fidei, sive summa capitum fidei, quæ omnibus credenda proponuntur. Conveniens enim fuit primaria præcipuaque fidei capita in unum breviter colligi, ut faciliùs omnibus proponi ac memoriæ mandari possent ; deinde ut fideles ab infidelibus per ejusdem fidei regulæ professionem internoscerentur. Deus ipse breviter proponit hominibus quæ ab iis credenda et agenda sunt : quia imperatoria hæc brevitas rerum omnium Domino convenit. *Divina*, inquit Lactantius, lib. 3 Instit. cap. 1, *tradita sunt breviter ac nudè. Nec decebat aliter, ut cùm Deus ad hominem loqueretur, argumentis assereret suas voces, tanquàm fides ei non haberetur; sed ut oportuit est locutus, quasi rerum omnium maximus Judex, cujus non est argumentari, sed pronuntiare verum.* Unde S. Augustinus Sermone 213, aliàs de Tempore 119 : *Symbolum*, inquit, *est breviter complexa regula fidei, ut mentem instruat nec oneret memoriam; paucis verbis dicitur, unde multùm acquiratur.*

II. Triplex vulgò distinguitur Symbolum, scilicet Apostolicum, Constantinopolitanum, quod et Nicænum appellatur, et Symbolum S. Athanasii. Primum catechumenis tradebatur olim, illudque certo die ante baptismum reddere seu memoriter recitare tenebantur competentes. Alterum illud est quod in Missâ recitatur. Tertium, quod in Primæ officio dominicis diebus dicitur, et incipit his verbis : *Quicumque vult salvus esse.*

Symbolum Apostolicum dicitur, non solùm quia doctrinam et fidem Apostolicam continet, sed quia ab Apostolis traditum est, non litteris quidem, sed vivâ voce. Ut enim ait S. Hieronymus epistolâ 61, *symbolum fidei et spei nostræ ab Apostolis traditum, non scribitur in chartâ, sed in tabulis cordis carnalibus.* Et S. Petrus Chrysologus, Sermone 62 : *Symbolum fidei solâ fide firmatur : non litteræ, sed spiritui creditur, et mandatur cordi, non chartæ.* Cùm igitur Apostoli mandatum à Domino accepissent, ut pro ipso legatione fungentes in universum mundum proficiscerentur, atque omni creaturæ Evangelium prædicarent, christianæ fidei formulam componendam censuerunt, et iis qui obedirent Evangelio tradendam, ut scilicet idipsum omnes sentirent ac dicerent, neque ulla essent inter eos schismata, quos ad fidei unitatem vocâssent; sed essent perfecti in eodem sensu et in eâdem sententiâ. Hæc autem fidei regula et professio ab Apostolis tradita Symbolum appella est : sive quia ex variis sententiis, quas singuli in commune contulerunt, conflata est, ut quibusdam auctoribus placuit ; sive quia eâ veluti notâ et tesserâ usi sint Apostoli, quâ desertores, et subintroductos falsos fratres, qui Evangelium adulterabant, ab iis qui Christi militiæ sacramento se obligarent, facilè possent internoscere, ut loquitur concilii Tridentini Catechismus. (Tertullianus lib. de Præscrip. hæret. cap. 37 ; S. Ambrosius Epist. ad Siricium ; Rufinus in Præfat. Exposit. Symboli ; Cœlestinus, 1 Epist. ad Nestorium ; Concil. Eph. in Relatione ad Theodosium imp. de Nestorii depositione ; S. Leo epist. 13 ad Pulcheriam ; S. Isidorus lib. 2 de Eccles. Offic. c. 22.)

III. *Symbolum Constantinopolitanum* editum est in concilio generali Constantinopolitano I, anno Christi 381, à Patribus centum quinquaginta. Expositio et auctarium est ejus quod in concilio Nicæno I, anno 325, à Patribus centum decem et octo conditum fuerat. Quamobrem et *Nicænum* appellatum est. Nam cùm Nicænum concilium in Symbolo suo dixisset, Deum *omnium visibilium et invisibilium factorem;* Constantinopolitana synodus posuit, *Factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium.* Addidit etiam confessioni divinitatis Filii : *Natum ante omnia secula.* Item post hæc verba Nicæni Symboli, *Et incarnatus est*, addidit : *De Spiritu sancto, ex Mariâ Virgine.* Item post hæc verba : *Ascendit in cœlos*, addidit, *Sedet ad dexteram Patris.* Adjecit et illud : *Cujus regni non erit finis.* Item post hæc verba : *Et in Spiritum sanctum*, adjunxit : *Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum : qui locutus est per Prophetas.* Addidit denique confessionem unius sanctæ, catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ ; unius baptismatis in remissionem peccatorum ; resurrectionis mortuorum, et vitæ futuri seculi. Post multa secula addidit Ecclesia articulo de Spiritu sancto : *Qui ex Patre Filio que procedit*, cùm in Symbolo Constantinopolitano solùm haberetur : *Ex Patre procedentem.* Quâ in re nihil commissum est contra decreta concilii Ephesini et Chalcedonensis, prohibentia ne quid adderetur Symbolo : prohibuerant enim duntaxat ne quid contrarium adderetur, sive ne alia diversaque fides conderetur ; non verò ne adderetur aliquid per modum expositionis, quod fecerat Ecclesia in concilio Constantinopolitano. Quamobrem et jure suo usa est, cùm ob emergentem errorem contra processionem Spiritûs sancti à Patre et Filio, addidit particulam, *Filioque*, quâ verba illa Constantinopolitani Symboli, *Ex Patre procedentem*, magis explicantur. Fides namque progressu temporis non mutatur, sed

exponitur et illustratur : sicut in corporum incrementis, quamvis augeantur hominum membra, eadem tamen sunt juvenum membra, quæ erant lactentium ; una eademque Petri juvenis et senis natura, una eademque persona est. Et si quid ævi maturioris ætate accedit, jam in semine prosertum fuerat ; ut nihil novum postea proferatur in senibus, quod non in pueris jam antè latitaverit. « Ita etiam, inquit Vincentius « Lirinensis, Commonit. 1, c. 28 et 29, christianæ Re- « ligionis dogma sequatur has decet profectuum leges, « ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, su- « blimetur ætate, incorruptum tamen illibatumque per- « maneat... Quodcumque igitur in hâc Ecclesiâ, Dei « agriculturâ, fide Patrum satum est, hoc idem filio- « rum industriâ decet excolatur et observetur, hoc « idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et « perficiatur. Fas est etenim ut prisca illa cœlestis phi- « losophiæ dogmata processu temporis excurentur, li- « mentur, poliantur. Sed nefas est ut commutentur, « nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet « evidentiam, lucem, distinctionem : sed retineant ne- « cesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. »

IV. Symbolum quod *S. Athanasii* dicitur, à concilio Augustodunensi anno Christi 670 commendatum est, canone quo presbyterum, diaconum, subdiaconum, vel clericum ab episcopo damnari statuit, qui *Symbolum, quod sancto inspirante Spiritu Apostoli tradiderunt, et fidem S. Athanasii præsulis irreprehensibiliter non recensuerit.* Dicitur *Symbolum S. Athanasii*, quia summam fidei continet, cujus S. Athanasius assertor fuit et vindex.

V. Symbolum Apostolorum submissâ voce dicitur in officio divino ; Symbolum verò Constantinopolitanum altâ voce recitatur vel canitur in missarum solemniis. Hujus disciplinæ morisque rationem S. Thomas tradit 2-2, quæstione 1, articulo 9, in responsione ad sextam objectionem. *Quia*, inquit, *Symbolum Patrum est declarativum Symboli Apostolorum, et etiam fuit conditum fide jam manifestatâ, et Ecclesiâ pacem habente, propter hoc publicè in Missâ cantatur : Symbolum autem Apostolorum, quod tempore persecutionis editum fuit fide nondùm publicatâ, occultè dicitur in primâ et in completorio, quasi contra tenebras errorum præteritorum et futurorum.*

VI. Symbolum fidei in duodecim capita dividitur, quæ, similitudine quâdam à Patribus nostris frequenter usurpatâ, articulos appellamus. Ut enim corporis membra articulis distinguuntur, ita etiam in hâc fidei confessione quidquid distinctè et separatim ab alio nobis credendum proponitur, rectè et appositè articulum dicimus. De his S. Leo Epistolâ 27, aliàs 13 ad Pulcheriam Augustam, cap. 4, scribit Eutychen, qui duas in Christo naturas negabat, stultissimè incessere ausum esse, *quòd Dominus noster in Ecclesiâ neminem sexûs utriusque voluit ignorare. Siquidem ipsa Catholici Symboli brevis et aperta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari.*

Duodenarii istius articulorum numeri convenientem rationem tradit S. Thomas 2-2, quæstione 1, articulo 8. Illa, inquit, per se pertinent ad fidem, quorum visione in vitâ æternâ perfruemur, et per quæ ducimur ad vitam æternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet arcanum divinitatis Christi, cujus visio nos beatos facit, et mysterium humanitatis Christi, per quem ad gloriam filiorum Dei accessum habemus. Unde Joannis 17 dicitur : *Hæc est vita æterna : ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Eorum igitur quæ credenda sunt, quædam pertinent ad majestatem divinitatis ; quædam verò ad mysterium humanitatis Christi. Circa majestatem Divinitatis, tria nobis credenda proponuntur : primò quidem unitas Dei, quæ primo articulo ; secundò trinitas personarum, quæ tribus articulis proponitur, quorum primus etiam personam Patris, secundus personam Filii, tertius personam Spiritûs sancti spectat ; tertiò proponuntur nobis opera divinitatis propria, quorum primum pertinet ad naturam, scilicet creatio ; alterum ad gratiam, scilicet hominis sanctificatio ; tertium ad gloriam, scilicet beatificatio. Creationem articulo primo profitemur : quæ sanctificationis opus spectant, articulo nono, quo sanctam Ecclesiam catholicam et sanctorum communionem ; et articulo decimo, quo remissionem peccatorum credere nos contestamur : quæ opus gloriæ sive beatificationis spectant, articulo undecimo, de Resurrectione carnis, et duodecimo, de vitâ æternâ, continentur. Sex itaque articuli Symboli pertinent ad Dei majestatem, operaque ipsi propria. Sex verò reliqui ad humanitatem Christi, seu Verbi incarnati mysterium, œconomiam et dispensationem. Et quidem conceptionem illius articulus tertius ; quartus verò passionem ejus, mortem atque sepulturam ; quintus, descensum ad inferos, et resurrectionem ; sextus, admirabilem in cœlos ascensionem ; septimus futurum adventum ad judicium vivorum et mortuorum hominum complectitur.

ARTICULUS II.

Quo primus apostolici Symboli articulus explicatur : CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM, CREATOREM CŒLI ET TERRÆ.

Istius articulus sensus est : Certò credo, et sine ullâ dubitatione profiteor Deum Patrem, primam scilicet sacrosanctæ et individuæ Trinitatis personam, qui suâ omnipotenti virtute, et omnia quæ cœli et terræ ambitu continentur, visibilia et invisibilia, ac proinde angelos ipsos, ex nihilo condidit, et condita conservat, providentiâque suâ regit. Neque solùm eum corde credo, et ore confiteor ; verùm summo studio ac pietate ad illum, veluti summum et perfectissimum bonum contendo. Sed quoniam magna mysteria in singulis ferè verbis latent, ea diligentiùs explicanda sunt, ut ad divinæ majestatis gloriam contemplandum fidelis populus cum timore et tremore promoveatur.

§ I. *Quæ sit vis istius verbi :* CREDO?

Credendi vox non significat hoc loco putare, existi-

mare, opinari, sed certissimè assentiri. *Credo* igitur idem est, ac sine ullâ dubitatione assentior Deo mysteria sua revelanti. Quamvis obscura illa mihi sint, quamvis sensuum perceptionem, rationisque comprehensionem superent meæ, ipsis tamen assentior firmitudine certè majori, quàm iis quæ sensibus ipsis usurpo, aut humanâ ratione cognosco. *In captivitatem redigo intellectum in obsequium Christi*, secundùm Apostoli mandatum, 2 Corinth. 10. Sed et sine curiositate prorsùs ullâ, vel inquirendi studio certissimè teneo universa, quæ Deus hominibus revelavit, et per Ecclesiam suam credenda proponit. Divina mysteria judiciaque scrutari Deus prohibet, Proverb. 25 : *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à glorià.* Sapientiæ 1 : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum : perversæ enim cogitationes separant à Deo.* Ecclesiastici 3 : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis.... Plurima super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum. Cor durum habebit malè in novissimo : et qui amat periculum in illo peribit.* Ad Romanos 11 : *Tu fide stas : noli altum sapere, sed time.* 2 ad Corinthios 10 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei.* Fasces igitur fidei summitte, imperiosa ratio. Deus locutus est, nihil inquiras ulteriùs. Si arrogantis et impudentis hominis est, gravi ac sapienti viro aliquid affirmanti fidem non habere, sed præterea urgere, ut quod dixerit, rationibus aut testibus probetur. Quantæ temeritatis ac stultitiæ est, Dei voces audientem, cœlestis ac salutaris doctrinæ rationes requirere? Hinc S. Ambrosius lib. 1 de Abraham, cap. 3, ait, Abrahamo, qui credidit Christum sibi per susceptionem corporis hæredem futurum, quod significatur his Christi verbis, *Abraham diem meum vidit, et gavisus est*, ideò reputatum esse ad justitiam, quia rationem non quæsivit, sed promptissimâ fide credidit. *Bonum est ut rationem præveniat fides; ne tanquàm ab homine, ita à Domino Deo nostro rationem videamur exigere. Etenim quàm indignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus?* Auctoritate, non ratione in rebus Religionis duci hominis animum necesse est. Sapientum auctoritate regi insipientes oportet. Quis Deo sapientior, qui ipsa sapientia est? Quis insipientior homine? Deo itaque subjicienda humana mens est, quo uno duce perduci potest ad rerum divinarum captumque rationis superantium cognitionem. *Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes*, Reg. 2. « Versabatur humana mens *non veritate certior, sed consuetudine securior*, in rebus humanis, inquit S. Augustinus, lib. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. 7. At ubi ad divina perventum est, avertit sese, intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reverberatur luce veritatis, et ad familiaritatem tenebrarum suarum, non electione, sed fatigatione convertitur. Quàm hìc formidandum est, quàm tremendum, ne majorem inde concipiat anima imbecillitatem, ubi quietem fessa conquirit. Ergo refugere in tenebrosa cupientibus per dispensationem ineffabilis sapientiæ nobis illa opacitas auctoritatis occurrat, et mirabilibus rerum, vocibusque librorum veluti signis temperatioribus veritatis, umbrisque blandiatur. » Ad lucem divinorum mysteriorum oculi rationis humanæ excutiunt : auris Deo revelanti accommodanda est, ut illorum cognitionem assequamur, quia *fides ex auditu*, Rom. 10. Centurio *videns quòd Jesus sic clamans expirâsset, ait : Verè hic homo Filius Dei erat*, Marc. 13. Si credidisset oculis suis, nihil nisi humanum in Jesu conspexisset. Videbat enim corpus flagellis laceratum, caput spineâ coronâ perfossum, faciem sputis et sanguine deformem. At auditu Deum esse cognovit. « Ex voce agnovit Filium Dei, et non ex facie. Auditus invenit, quod non visus; oculum species fefellit, auri veritas se infudit. Oculus pronuntiabat infirmum, oculus fœdum, oculus miserum, oculus morte turpissimâ condemnatum : auri Dei Filius, auri formosus innotuit. Erat ille centurio incircumcisus, sed non aure, qui ad unam exspirantis vocem sub tot infirmitatis indiciis Dominum majestatis agnovit : ideòque non despexit quod vidit, quia credidit quod non vidit. Non autem credidit ex eo quod vidit, sed ex eo procul dubio quod audivit, quia fides ex auditu. Dignum quippe fuerat per superiores oculorum fenestras veritatem intrare ad animam : sed hoc nobis, ô anima, servatur in posterum, cùm videbimus facie ad faciem. Nunc autem unde irrepsit morbus, inde remedium intret, et per eadem sequatur vestigia vita mortem, tenebras lux; venenum serpentis, antidotum veritatis : et sanet oculum qui turbatus est, ut serenus videat, quem turbatus non potest. Auris prima mortis janua, prima aperiatur et vitæ; auditus qui tulit, reparet visum : quoniam nisi crediderimus, non intelligemus. Ergo auditus ad meritum, visus ad præmium. Undo Propheta, Psal. 5 : *Auditui meo*, inquit, *dabis gaudium et lætitiam*, quòd fidelis retributio auditionis beata visio sit, et beatæ meritum visionis fidelis auditio. *Beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matth. 5. Porrò fide oportet mundari oculum qui videat Deum, quemadmodùm habes : *Fiat mundans corda eorum*, Act. 15...., Et ut scias Spiritum sanctum hunc in animæ spirituali profectu ordinem observare, ut videlicet priùs formet auditum, quàm lætificet visum : *Audi*, inquit, *filia, et vide.* Quid intendis oculum? Aurem para. Videre desideras Christum? Oportet te priùs audire eum, audire de eo, ut dicas cùm videris : *Sicut audivimus, sic vidimus.* » Verba sunt S. Bernardi Sermone 28 in Cantica. Et ante ipsum S. Augustinus tractatu 29 in Joannem : « Intelligere vis? Crede. Deus enim per Prophetam dixit : *Nisi credideritis, non intelligetis....*

« Isai. 7, 9, secundùm Septuag. Intellectus enim mercès est fidei. Ergo noli quærere ut credas, sed crede « ut intelligas. »

Et libro de Agone christiano, cap. 13 : « Fides, inquit, est prima quæ subjugat animam Deo, deinde « præcepta vivendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, et nutritur charitas, et lucere incipit quod « antea tantummodò credebatur. Cùm enim cognitio « et actio beatum hominem faciant; sicut in cognitio « ne cavendus est error, sic in actione cavenda est « nequitia. Errat autem quisquis putat veritatem se « posse cognoscere, cùm adhuc nequiter vivat. Nequitia est autem mundum istum diligere; et ea « quæ nascuntur et transeunt pro magno habere, et « ea concupiscere, et pro his laborare ut acquirantur; « et lætari cùm abundaverint, et tristari cùm pereunt. « Talis vita non potèst puram illam et sinceram et « incommutabilem videre veritatem, et inhærere illi, « et in æternum jam non moveri. Itaque priùs quàm « mens nostra purgetur, debemus credere quod intelligere nondùm valemus; quoniam verissimè dictum « est per prophetam : *Nisi credideritis, non intelligetis.* »

Rationem ne quæras ad credendum mysteriis, aut factis admirabilibus, ubi *tota ratio facti est potentia facientis*, ut loquitur S. Augustinus Epist. 137. aliàs 3. *Demus Deum aliquid posse quod nos fateamur investigare non posse.* In rebus Religionis curiositas reos facit, non peritos. Cùm Deus aliquid revelat, jubet, aut se facturum spondet, credendum ac parendum est, non disquirendus rerum faciendarum modus, aut factarum rerum exploranda ratio. Mittuntur à Moyse exploratores, qui terram Chanaan considerarent, Numer. 13; referunt ad ducem suum telluris fertilitatem : *Venimus*, inquit, *in terram, ad quam misisti nos quæ reverà fluit lacte et melle.* Verùm cùm Caleb ipsos ad expugnandam terram hortaretur, inclamârunt : *Terra ista devorat habitatores suos.* Propterea que ipsos morte repentinâ percussos fuisse, Scriptura sacra refert, Numer. 14. Cur, quæso, tam severè puniti sunt exploratores illi? Ob suam curiositatem, si S. Joannem Chrysostomum Homilià 2 in Epistolam ad Romanos audiamus. *Quia*, inquit, *victoriæ modum disquisière, omnes nullo bello, nullâ instructâ acie perierunt. Vides quanta incredulitatis pernicies.* Rahab meretrix servatur incolumis in obsidione urbis Jericho, Josue 2, cur perdita servatur, tot verò innoxii homines, tot virgines ferro Hebræorum pereunt? *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis*, inquit Apostolus ad Hebræos 11, servata est ab excidio suæ urbis, quia non curiosè inquisivit quomodò Hebræi urbem munitissimam expugnare possent, sed absque hæsitatione credidit victores futuros, qui Deum sui exercitûs ducem ac præsidem haberent : *Novi*, inquit, *quòd Dominus tradiderit vobis terram. Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cœlo sursùm, et in terrâ deorsùm.* Non interiit unà cum incredulis, inquit S. Joannes Chrysostomus eâdem Homilià. Neque enim secum ipsa dixit : Qui poterunt hi, cùm sint captivi, fugiti', exules, nos urbis, mœnium ac turrium dominos sui suam victos potestatem cogere? *Quandoquidem si hæc secum elocuta fuisset, et seipsam, et illos unà perdidisset.* Scilicet : *Extremum supplicium curiosis propositum est.* Obmutescat igitur humana ratio, nihilque sibi juris esse noverit in divinis mysteriis indagandis. « Qui fidem quærit, rationem non quærit. Quid Athe« nis, et Hierosolymis? Quid academiæ, et Ecclesiæ? « Nostra institutio de porticu Salomonis est, quæ mo« net Deum in simplicitate cordis esse quærendum. « inquit Tertullianus libro de Præscriptionibus Hære« ticorum, cap. 7. Nobis curiositate opus non est « post Christum Jesum, nec inquisitione post Evange« lium. » Et cap. 14 : « Fides in regulâ posita est... Ce« dat curiositas fidei, cedat gloria saluti... Adversùs « regulam nihil scire, omnia scire est. » Eâ de re planè persuasus, scrutari nolim mysteria, sed ea firmissimè *credo*. Hæc scilicet scrutari, temeritas est; credere, pietas; nôsse, vita æterna.

Verùm cùm dico, *Credo*, non solùm intimum declaro meæ mentis assensum, qui interior fidei actus est, sed summâ alacritate fidem ipsam palam profiteor, eo spiritu animatus, quo Propheta dixit, Psal. 115 : *Credidi propter quod locutus sum.* Siquidem, *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ut ait Apostolus, Rom. 10. Occasione igitur datâ cum illo dicamus : *Non erubesco Evangelium : virtus enim Dei est in salutem omni credenti.*

§ II. In Deum.

Inprimis Deum esse Christianus credit : *Accedentem* enim *ad Deum oportet credere quia est*, ad Heb. 2, 6 Suadet quidem ratio Deum esse; ex effectibus id demonstrat philosophia, creaturæ namque omnes Creatorem prædicant, et ex iis primam rerum omnium causam naturalis luminis ductu cognoscere possumus. Unde Sapientiæ 13, dicitur : *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex... A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri..... Iterùm autem nec his debet ignosci. Si enim tantùm potuerunt scire, ut possent æstimare seculum, quandò hujus Dominum non facilius invenerunt?* Hinc Apostolus ad Romanos 1, *inexcusabiles* pronuntiat eos, qui ad Dei notitiam ratione non perducuntur, aut qui cognito per rationem Deo, eum non colunt, nec ipsi gratias agunt. *Revelatur*, inquit, *ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitiâ detinent : quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas : ita ut sint inexcusabiles, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Et Actorum 14 apud Lycaonas verba faciens : *Annuntiantes*, inquit, *vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in ei sunt... Et quidem non sine testimonio semetipsum reli-*

quit, benè faciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitiâ corda nostra. Sicut ergo « ùm videmus amplam ac populosam civitatem, in quâ immensa hominum, ætate, conditione, fortunis, moribusque disparium multitudo collecta est, qui rectè atque ordine vivunt inter se, summâ pace et concordiâ; statim cogitamus principem aliquem esse, qui hanc tranquillitatem publicæ pacis administret, etsi nondùm oculis eum nostris aspexerimus. Et cùm in corpore membrorum inter se concordiam videmus, et unumquodque citra dissensionem munere suo et officio fungi, ex eo prorsùs intelligimus, animam in illo inesse corpore, quæ hæc omnia moderetur, quamvis oculis ea non sit exposita : sic ex hujus universitatis ordine atque concentu, principem et administratorem necesse est intelligi Deum. (S. Athanasius Oratione contra gentes.)

Nec solùm ex rerum creatarum vestigiis ad Dei notitiam provehi mens humana potest, sicut provecti sunt gentiles plerique omnes philosophi : sed maximè ex ipsius animæ rationalis naturâ, secundùm quam ad imaginem Dei conditi sumus. Unde et Propheta, ait : *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* Hinc S. Gregorius Magnus Homiliâ 17 in Ezechielem « Sæpè, inquit, volumus omnipotentis Dei naturam « invisibilem considerare, sed nequaquàm valemus, « atque ipsis difficultatibus fatigata anima ad semetipsam redit, sibique de seipsâ gradùs ascensionem « facit : ut primùm semetipsam, si valet, consideret, « et tunc illam naturam, quæ super ipsam est, in « quantum potuerit, investiget. » Ex animæ, inquam, testimonio Deum esse perspicuè intelligitur, quæ veritate ex ipso naturæ sensu erumpente, Deum nominat. « Deus magnus, Deus bonus, et quòd Deus deberit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur « illum : Deus videt, « Deo commendo, et Deus mihi « redcet. O testimonium animæ naturaliter christianæ! exclamat Tertullianus, Apol. c. 17. Denique « hæc pronuntians, non ad capitolium, sed ad cœlum « respicit : novit enim sedem Dei vivi; ab illo et inde « descendit. » Igitur : « Hæc est summa delicti, non « tentium recognoscere, quem ignorare non possunt. » Unde et S. Augustinus tractatu 106 in Joannem, ait : « Quòd Deus dicitur universæ creaturæ, etiam omnibus gentibus antequàm in Christum crederent, non « omni modo esse potuit hoc nomen ignotum. Hæc « est enim vis veræ Divinitatis, ut rationali creaturæ « jam ratione utenti, non omninò ac penitùs possit « abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura « nimiùm depravata est, universum genus humanum « Deum mundi hujus fatetur auctorem. In hoc ergo « quòd fecit hunc mundum cœlo terràque conspicuum, « et antequàm imbuerentur fide Christi, notus omnibus gentibus Deus. In hoc autem quòd non est injuriis suis cum diis falsis colendus, notus in Judæâ « Deus. In hoc verò quòd Pater est hujus Christi, per « quem tollit peccatum mundi, hoc nomen ejus priùs « occultum omnibus, nunc manifestavit eis quos dedit « ei Pater de mundo. »

Utinam nulli sint, de quibus videatur prædixisse Propheta, Psal. 13 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Quamvis enim impii id palam dicere non audeant, tamen, « dùm amant hoc seculum, et non « amant Deum, ipsæ sunt affectiones quæ corrumpunt « animam, et sic excæcant, ut possit etiam dicere imprudens in corde suo : *Non est Deus;* » inquit S. Augustinus in illum psalmum. Unde subdit Propheta : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Ita pravis cupiditatibus suis obsequuntur, ita in vitiorum genus omne sunt effusi, ac si Deum nullum agnoscerent. *Confitentur se nôsse Deum, factis autem negant : cùm sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.* Ad Titum 1.

Quamvis autem Deum esse ratio suadeat, multò tamen certiorem, multòque perfectiorem Dei notitiam fidei lumine consequimur, quæ nulli obnoxia est errori, cùm secularis philosophia multis admixta sit erroribus, si fidei consortio sit destituta. Diuturno præterea tempore, longoque studio est opus ut philosophus quis evadat : nullo autem labore, nullâ temporis prolixitate, ut quis fiat fidelis. Scitè igitur S. Thomas, 1-2, quæstione 2, articulo 4, ait : *Necessarium esse homini accipere per modum fidei, non solùm ea quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt.* Idque triplicem ob causam : Primò quidem, *ut citiùs homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat.* Scientia enim quæ Deum esse probat, et ejus perfectiones demonstrat, ultimò hominibus addiscenda proponitur, aliarumque disciplinarum adminiculo indiget. « Et sic nonnisi post multum tempus vitæ suæ « homo ad Dei cognitionem perveniret. » Secundò, « ut cognitio Dei sit communior. Multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes, « et necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter « torporem addiscendi : qui omninò Dei cognitione « fraudarentur, nisi proponerentur eis divina per modum fidei. » Tertiò, « propter certitudinem. Ratio « enim humana in rebus divinis est multùm deficiens. « Cujus signum est : quia philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes, in multis « erraverunt, et sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo « esset indubitata et certa cognitio apud homines de « Deo, oportuit quòd divina eis per modum fidei tra« derentur, quasi à Deo dicta, qui mentiri non po« test. » Maximè igitur gratiæ Deo agendæ sunt, qui, cùm *lucem habitet inaccessibilem* (1 Tim. 6, Rom. 5), voluit tamen ut *accessum* ad eum per *fidem* haberemus, et de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum. (1 Petri 2.)

§. III. *Quid sit discriminis inter* CREDERE DEO, CREDERE DEUM, ET CREDERE IN DEUM?

Theologi, S. Augustino duce, hæc tria sic distinguunt, ut *credere Deo*, sit credere vera esse quæ Deus loquitur; *credere Deum*, sit credere quòd ipse sit Deus (quorum utrumque malis etiam commune est);

credere autem *in Deum*, sit credendo Deum amare, sive in ipsum tendere per fidem, non qualemcumque, sed *quæ per charitatem operatur*, ut ait Apostolus, Gal. 5. De quâ scriptum est : *Justus ex fide vivit*, Rom. 1; et : *Corde creditur ad justitiam*, Rom. 10. Non mente solâ, sed corde; non cognitione sterili, sed amorem Dei pariente. Et : *Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei*, Hebr. 10, 22. Fides namque sine charitate et observantiâ divinorum mandatorum non est plena fides, sed imperfecta. Fides, ut ipsum quidem nomen indicat, inde dicta est : *Quia fit quod dicitur*. Hinc Sapiens ait : *Qui credit Deo, attendit mandatis*. Hinc de eo qui Dei mandatum non servat, suorum curam, ac salutem negligens, Apostolus ait, 1 Tim. 5, 8 : *Si quis suorum, et maximè domesticorum curam non habet fidem negavit, et est infideli deterior*.

Hoc discrimen adstruit S. Augustinus, tractatu 29 in Joannem : « Quis nesciat, inquit, hoc esse facere « voluntatem Dei, operari opus ejus, id est, quod illi « placet? Ipse autem Dominus apertè alio loco dicit : « *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit*, « ut credatis in eum, non ut credatis ei. Sed si cre- « ditis in eum, creditis ei : non autem continuò qui « credit ei, credit in eum. Nam et dæmones credebant « ei, et non credebant in eum. Rursùs etiam de Apo- « stolis ipsius possumus dicere, credimus Paulo; sed « non, credimus in Paulum : credimus Petro; sed non, « credimus in Petrum. *Credenti enim in eum qui justi- « ficat impium, deputatur fides ejus ad justitiam*, Rom. « 4, 5. Quid est ergo credere in eum? Credendo « amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et « ejus membris incorporari. Ipsa est ergo fides quam « de nobis exigit Deus : et non invenit quod exigat, « nisi donaverit quod inveniat. Quæ fides, nisi quam « definivit alio loco Apostolus plenissimè dicens, Gal. « 5 : *Neque circumcisio aliquid valet, neque prœputium, « sed fides quæ per dilectionem operatur?* »

§ IV. *Unus tantùm Deus, credendus est.*

I. Deum intelligimus id quo majus, melius aut excellentius, nec esse, nec cogitari potest, summum hominis bonum, quod summè ac primitùs esse rectissimè dicitur. Unde à Mose interrogatus quis esset, respondit : *Ego sum, qui sum*; et : *Sic dices filiis Israel, qui est misit me ad vos*, Exod. 3, 14. Hinc et S. Joannes Apocalypsis 1 scribit : *Gratia vobis ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est*. Solus scilicet Deus à seipso est, nec aliunde principium habet; cætera verò omnia ejus sunt beneficio, eoque manum subtrahente in nihilum redigerentur. Unde Isaiæ 40, 15 et 17, dicitur : *Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt : ecce insulæ quasi pulvis exiguus... Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. Cui ergo similem fecistis Deum?* « *Esse* (inquit S. Augustinus Sermone 7, aliàs 6, ex « Carthusiæ manuscriptis edito) nomen est incommu- « tabilitatis. Omnia enim quæ mutantur, desinunt esse « quod erant, et incipiunt esse quod non erant. Esse « verum, esse sincerum, esse germanum non habet, « nisi qui non mutatur. Ille habet esse cui dicitur « Psalm. 107 : Mutabis ea et mutabuntur. Tu autem « idem ipse es... Cùm ergo sit hoc nomen æternitatis, « plus est quòd dignatus est habere nomen misericordiæ. « Exod. 3, 15 : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et « Deus Jacob*. Illud in se, hoc ad nos. Si enim hoc solùm « esse vellet quod est in se, quid essemus nos? *Ego « sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*. Erige « spem : Sic sum quod sum : sic sum ipsum esse, ut « nolim hominibus deesse. »

II. Ex eo porrò quòd Deus sit summum esse, summum magnum, summum bonum, unum etiam Deum esse, non plures Deos, confitendum est. « Nam cùm « Deo summam bonitatem et perfectionem tribuamus, « fieri non potest ut id quod summum atque absolutis- « simum est, inveniatur in pluribus. Quòd si cui ali- « quid ad summum deest, eo ipso imperfectus est, « quare nec Dei natura illi convenit, » inquit concilii Tridentini Catechismus. Hinc Tertullianus libro 1 contra Marcionem, cap. 3 : « Deus, inquit, si non unus « est, non est, quia digniùs credimus non esse, quod- « cumque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem « ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus. « Quantùm humana conditio de Deo definire potest, id « definio, quod et omnium conscientia agnoscet, Deum « Summum esse Magnum, in æternitate constitutum, « innatum, infectum, sine initio, sine fine... Quæ erit « jam conditio ipsius Summi Magni? Nempè ut nihil « illi adæquetur, id est, ut non sit aliud Summum « Magnum... Ergo unicum sit necesse est, quòd fuerit « Summum Magnum, par non habendo, ne non sit « Summum Magnum. » Legatur S. Cyprianus libro de Idolorum vanitate.

Atque hoc multis sacrarum litterarum locis comprobatur. Deuteron. 6, 4 : *Audi, Israel : Dominus Deus noster, Dominus unus est*. Et cap. 32 : *Videte quòd ego sum solus, et non sit alius Deus præter me*. Exod. 20, 3 : *Non habebis Deos alienos coram me*. Isaiæ 40, 44, 48 : *Ego primus et novissimus, et absque me non est Deus*. Ad Ephes. 4, 5 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia in omnibus nobis*. His autem Scripturæ sacræ testimoniis non gentiles duntaxat, sed illi etiam hæretici refelluntur, qui præter bonum auctoremque bonorum omnium Deum, malum alterum statuebant rerum aspectabilium conditorem quales erant Marcionitæ ac Manichæi.

Neque verò movere nos debet, quòd interdùm sacræ litteræ Dei nomen creatis etiam rebus imponunt. Nam quòd Prophetas et Judices Deos appellârunt, non gentium more factum est, quæ sibi plures Deos stultè et impiè finxerunt, sed quâdam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam functionem vel virtutem, quæ Dei munere illis concessa est. Hoc sensu scriptum est Exod. 22, 28 : *Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices*. Psal. 81, 1 : *Deus stetit in synagogâ deorum : in medio autem deos dijudicat*. 1 ad Corinthios 8 : *Scimus quia nihil est idolum in mundo et quòd nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi*

sunt qui dicantur dii sive in cœlo, sive in terrâ (siquidem sunt dii multi, et domini multi). Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Deum igitur naturâ, substantiâ, essentiâ unum Christiana fides credit et profitetur, quemadmodùm ad confirmandam veritatem in Symbolo Nicæni et Constantinopolitani concilii expressum est: CREDO *in unum Deum.*

Sed heu! vitam non instituunt secundùm fidem quam profitentur, qui vitiis suis et cupiditatibus serviunt, tametsi nullam mundi hujus aspectabilis partem, nullum simulacrum venerentur. *Serviunt enim cupiditati, triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi.* Aut carnalibus gaudiis subditi sunt, aut potentiam vanam fovent, aut aliquo spectaculo delectati insaniunt. *Ita nescientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem expectent. His autem rebus quibus quisque beatus vult effici, serviat necesse est. Nam quocumque duxerint, sequitur, et quisquis ea visus fuerit auferre posse metuitur;* inquit S. Augustinus libro de verâ Religione, cap. 38. Tria illa notata sunt 1 Joannis 2 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.*

§ V. *Quid de divinis perfectionibus doceat fides?*

I. Deum esse id quo nihil melius, aut excellentius inveniri, aut cogitari potest, fides Christiana docet, imò et ipsa ratio; adeòque perfectiones omnes complecti, nullius extra se boni indigum, ut ait Propheta, Psal. 15, 1 : *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Indeficientis esse naturæ ac permanentis constat ex Psal. 101 : *Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Summum esse ipsius imperium, non omnia quæ sunt in creaturis bona ipsius majestati accepta referri. 1 Paralipom. 29, 2 : *Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria; et tibi laus : cuncta enim quæ in cœlo sunt, in terrâ, tua sunt. Tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes. Tuæ divitiæ, et tua est gloria : tu dominaris omnium, in manu tuâ virtus et potentia, in manu tuâ magnitudo et imperium omnium... Tua sunt omnia, et quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi.* Ipsum *dare omnibus vitam, et inspirationem, et omnia,* ait Apostolus Act. 17.

Dei simplicitas.

II. Docet fides christiana Deum esse corporis, omnisque materialis concretionis et figuræ expertem : Joan. 4 : *Spiritus est Deus.* Quibus verbis refellitur insanus Anthropomorphitarum error, qui Deo corporea membra, formamque humanam tribuebant. Cùm igitur Deo corporea membra, et sensuum organa factionesque Scriptura sacra tribuit, figuratæ locutiones sunt. Nam et cùm oculi ipsi adscribuntur, quòd omnia cognoscat ac videat exprimitur; cùm aures, quòd omnia audiat significatur; cùm manus, quòd omnis creaturæ sit auctor, et omnia operetur; cùm brachium, quòd nulla natura contra robur ipsius ac potentiam repugnare possit; cùm pedes, quòd impleat omnia, nec fit quidquam ubi non sit Deus. Neque enim sunt ei, aut membra, aut membrorum officia necessaria, ad cujus solum etiam tacitum arbitrium et serviunt, et adsunt omnia. Exulat à Deo omne compositionis genus. Dicimus magnum, bonum, justum et innumera talia, sed hæc omnia unum in Deo sunt: alioquin Deo aliquid melius cogitari posset. Nam « vero judicio « natura simplex multiplici antefertur.... Tam non habet Deus hoc et illud, quàm non hæc et illa. Est *qui* « *est,* non quæ est. Purus, simplex, integer, perfectus, « constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis tra- « hens in se, nihil ex se deponens in eis, non habens « quod ad numerum dividat, non quæ colligat ad unum « Unum quippe est, sed non unitum. Non partibus con- « stat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non « formis substat, ut omne quod factum est, » inquit S. Bernardus, libro 5 de Consideratione, cap. 7. Denique Deo « non est alia substantia ut sit, et alia potestas « ut possit; non aliud illi est sententia quâ scit, aliud « essentia quâ est, quia id quod habet est. » Simplex igitur natura est. Non sic mens humana, cui non hoc est esse quod nôsse : potest enim esse nec nôsse, ut loquitur S. Augustinus tractatibus 20 et 99 in Joannem.

Deus immutabilis.

III. Deum esse immutabilem, fides pariter docet, Scripturæ sacræ auctoritate freta, Numerorum 23 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Psalmo 101 : *Tu autem idem ipse es; et anni tui non deficient.* Malachiæ 3 : *Ego Dominus, et non mutor.* Sapientiæ 7 : *Et cùm sit una, omnia potest, et in se permanens, omnia innovat.* Jacobi 1 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Quem *Patrem luminum,* hoc est, fontem auctoremque lucis, ac velut solem esse significaverat, eum nullâ vicissitudine infuscari docet, nullâ interpositâ nube obscuritatem pati. « Ipsa enim mutabilitas umbra « est, quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per ali- « quas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo « mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vi- « cissitudinis intercidit, » inquit S. Gregorius libro 12 Moralium, cap. 17. Nec in melius proficere, nec in deterius deficere potest; non proficere, quia perfectissimus; non deficere, quia æternus est. Atque hæc est naturæ divinæ dos propria. Solus, inquam, Deus immutabile bonum est : « Ea verò quæ fecit, bona « quidem sunt, quod ab illo : verumtamen mutabilia, « quòd non de illo, sed de nihilo facta sunt, » inquit S. Augustinus libro 12 de Civitate Dei, cap. 1. Non mutatur Deus, cùm aliquid in tempore creare incipit, quia « ad opus novum, non novum, sed sempiternum « adhibet consilium, non aliter afficitur cùm vacat, « aliter cùm operatur. » Nulla in ejus vacatione cogitanda est ignavia, desidia, inertia : sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria. « Novit quiescens « agere, et agens quiescere. In illo non alteram præ- « cedentem altera subsequens mutavit aut abstulit « voluntatem; sed una eademque sempiternâ et immu-

« tabili voluntate res quas condidit, et ut priùs non « essent, egit quamdiù non fuerunt : et ut posteriùs « essent, quando esse cœperunt. » Ita S. Augustinus ibidem cap. 17.

Nec verò rectè colligeretur mutabilem esse Deum, quia Scriptura sacra quosdam animi motus Deo tribuit, iram, pœnitentiam, etc. ; figuratæ namque locutiones sunt, et ex humanis motibus translata vocabula. Iræ nomine vindictam Dei, quæ sine perturbatione fit, et justissima est, sive ejus judicium, quo pœnas irrogat peccato, Scriptura significat. Pœnitentiæ verò nomine voluntatem mutandi aliquid in opere suo, sed immutabilem ipsam ac æternam, dolorisque et commotionis expertem. « Cùm pœnitere dicitur, inquit S. « Augustinus libro 2 ad Simplicianum, quæst. 2, vult « non esse aliquid sicut fecerat ut esset. Sed tamen et « cùm ita esset, ita debebat ; et cùm ita esse jam non « sinitur, jam non debet ita esse, perpetuo quodam « et tranquillo æquitatis judicio, quo Deus cuncta « mutabilia incommutabili voluntate disponit. » Sic quia conjugis castitatem zelando viri custodire consueverunt, illam Dei providentiam per quam præcipitur et agitur ne anima corrumpatur, et falsis diis adhærens quodam modo fornicetur, scriptores sacri zelum Dei appellaverunt. Legatur et S. Gregorius libro 20 Moralium, cap. 23.

Deus æternus.

IV. Quia immutabilis Deus, æternus est, initio et fine carens, secundùm illud Jeremiæ : *Tu autem, Domine, in æternum permanebis, solium tuum in generationem et generationem.* Et Psal. 89 : *Mille anni ante oculos tuos tanquàm dies hesterna quæ præteriit.* Anni Dei æternitas est. Æternitas ipsa Dei substantia est. Anni ejus dies unus, et dies ejus non quotidie, sed hodie ; quia hodiernus non cedit crastino, neque succedit hesterno. Idcò coæternum genuit, cui dixit : *Ego hodie genui te.* Ista quoque Dei propria dos est. Unde Tertullianus, lib. contra Hermogenem, cap. 4, præclarè ait : « Quis alius Dei census quàm æternitas ? Quis « alius æternitatis status, quàm semper fuisse, et fu- « turum esse, ex prærogativâ nullius initii et nullius « finis ? » Si quæ ergo creatæ res æternæ dicantur familiari Scripturæ loquendi more, æternitatis nomen pro diuturnâ duratione, longoque tempore accipitur.

Deus immortalis.

V. Æternitatis divinæ conditio est immortalitas, quæ Deo peculiari quàdam ac propriâ ratione convenit, cujus particeps esse creatura nulla potest. Unde Apostolus 1 ad Timotheum 6, ait : *Qui solus habet immortalitatem.* Hanc enim à seipso habet, nec eam debet alteri, qui auferre possit, si velit. Angeli autem, et hominum animæ sic immortalitatem obtinent, ut ex Dei nutu et arbitrio pendeat, à quo possunt in nihilum redigi. Omnis certè mutatio, mors quædam est. Angeli ergo, quorum aliqui peccaverunt, et dæmones facti sunt ; alii peccare potuerunt : et anima humana, quæ, si justè vivebat, et peccat, moritur justitiæ ; si peccatrix erat, et justificatur, moritur peccato (ut alias ejus mutationes taceam), non sunt immortales ut Deus, etsi nunquàm sint perituri. (S. August. lib. 3 contra Maximinum Arianum, cap. 12.)

Deus immensus. — Ubique est.

VI. Immensum esse Deum, nullo loco definiri, substantiâ, virtute, præsentiâque suâ omnia complere, omnibus operibus suis totum et indivisum inesse, fides Christiana docet. Deuteronomii 4 : *Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse sit Deus in cœlo sursùm, et in terrâ deorsùm.* Psalmo 138 : *Quò ibo à Spiritu tuo, et quò à facie tuâ fugiam ? Si ascendero in cœlum, tu illic es ; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris : etenim illùc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.* Job 11 : *Excelsior cœlo est, et quid facies ? Profundior inferno, et unde cognosces ? Longior terrâ mensura ejus, et latior mari.* 3 Regum 8 : *Si enim cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt,* inquit Salomon, *quantò magis Domus hæc quam ædificavi ?* Isaiæ 66 : *Hæc dicit Dominus : Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi, et quis est iste locus quietis meæ ?* Jeremiæ 23 : *Si occultabitur vir in absconditis ; et ego non videbo eum, dicit Dominus ? Numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus ?* Sapientiæ 1 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Actorum denique 7, S. Paulus apud Areopagitas de Deo disserens : *Quamvis,* inquit, *non longè sit ab unoquoque nostrùm. In ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* Est igitur Deus ubique, totus in seipso. *Ubique*, quia nusquàm est absens ; *totus*, quia non solùm universitati, sed cuilibet parti rerum præsens est ; *in seipso*, quia non continetur ab eis quibus est præsens, tanquàm sine eis esse non possit, ut explicat S. Augustinus Epistolâ 188, aliàs 57 ad Dardanum. Denique implet cœlum et terram *præsente potentiâ, non indigente naturâ*, ut loquitur idem S. doctor libro 7 de Civitate Dei, cap. 30.

Cùm ergo dicitur in Scripturis, Deum *descendisse* (Genes. 11 et 18) ut videret, figurata locutio est. Non enim potest descendere, nisi qui de loco in locum moveri potest. Deus autem cùm ubique præstò sit, nullo pacto migrare de loco in locum potest. Ad formam igitur judiciorum humanorum hæc sunt exponenda, ut significent Deum præsentem judicaturum et animadversurum *Dei* scilicet *sapientia cùm descensura esset usque ad corpus humanum, priùs usque ad humana verba descendit*, ait S. Augustinus libro *contra Adimantum*, cap. 13. Vel *descendere dicitur, cùm aliquid facit in terrâ, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum, præsentiam quodammodò ejus ostendat.* Vel *dicitur descendisse, quia descenderunt angeli ejus, in quibus habitat ;* inquit idem Augustinus libro 16 de Civitate *Dei*, cap. 5. Aliàs de cœlis descendisse dicitur Deus, affectu misericordiæ, et ratione novi effectûs, cujus admirabilitas Deum singulari quodam et ineffabili modo præsentem ostendit ; sive ob novum præsentiæ modum, quo in creaturâ existere incipit absque ullâ sui mutatione, sed cum ipsius creaturæ mutatione in melius, sive perfectione.

Sic Filius Dei *descendit de cœlis, et incarnatus est.* Sic intelligitur illud Isaiæ 64 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes.* Sic Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in Christum descendisse dicitur, cùm baptizaretur in Jordane, et super Apostolos in igneis linguis.

Et cùm dicit Deus, Isai. 66 : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum ;* et Christus orare nos docet, dicentes : *Pater noster, qui es in cœlis ;* id non ita intelligendum est, quasi Deus cœlo circumscriptus sit, sed ita loquitur Scriptura, ut Dei sublimitas incomparabilis ac magnificentia hoc dicendi modo significetur ; et quia in cœlis gratiæ suæ gloriæque divitias magis expromit, seque ipsum suamque divinam majestatem ac essentiam angelis et sanctis animabus intuendam præbet ac fruendam.

Deus igitur est intra omnia, extra omnia, ultra omnia. Ut se indicaret interiorem esse et superiorem omnibus, cœlum sibi sedem esse ait. Ut verò se ostenderet omnia circumdare, cœlum metiri palmo, et terram se asserit pugillo concludere. *Ipse est interior et exterior : ipse inferior et superior : regendo superior, portando inferior : replendo interior, circumdando exterior. Sicque est intùs ut portet ; sic circumdat ut penetret ; sic præsidet ut portet ; sic portat ut præsideat ;* inquit Gregorius Magnus, Homil. 17 in Ezechielem.

Ne verò curiosiùs inquiras ubi erat Deus ante mundum. Præter ipsum nihil erat : ergo in se ipso erat. Unde et Tertullianus libro adversùs Praxeam, cap. 5 : *Ante omnia,* inquit, *Deus erat solus, ipse sibi et mundus, et locus, et omnia.*

Scientia Dei infinita.

VII. Deum intelligentem esse ac scientem, singulas res omnes cognoscere, nihil prorsùs illi esse ignotum, fides christiana docet. Quod sacræ litteræ passim prædicant. Genesis 1 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valdè bona.* Qui quidem intuitus Dei perfectam rei cujusque notitiam et approbationem significat. Job 28 : *Tempus posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, et umbram mortis... Sapientia ubi invenitur, et quis est locus intelligentiæ ?... Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius. Ipse enim fines mundi intuetur ; et omnia quæ sub cœlo sunt respicit.* Et cap. 42 : *Respondens Job Domino, dixit : Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio.* 1 Regum 2 : *Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes.* Psal. 49 : *Meæ sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in montibus, et boves. Cognovi omnia volatilia cœli,* etc. Psal. 137 : *Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta à longè cognoscit.* Psal. 138 : *Domine, probàsti me, et cognovisti me ; tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam et funiculum meum investigàsti : et omnes vias meas prævidisti.... Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua.* Proverbiorum 15 : *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.* Ecclesiastici 23 : *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, et dicens : Quis me videt ? Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me : quem vereor ? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum : et non cognovit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequàm crearentur, omnia sunt agnita ; sic et post perfectum* (1) *respicit omnia.* Ad Romanos 11 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* Ex quibus omnibus impietatis convincuntur hujusmodi voces : *Quomodò scit Deus ? Et si est scientia in excelso ?*

Ea quæ non sunt, vocat Deus tanquàm ea quæ sunt, et fecit quæ futura sunt, ut Scriptura et Patres loquuntur. Futura scit potiùs quàm præscit : ipsi quippe præsentia sunt universa in æternitate et sapientiâ ejus, omnium artifice. « Quomodò est præscius, « inquit S. Gregorius libro 20 Moralium, cap. 23, dùm « nulla nisi quæ futura sunt, præsciantur ? Et scimus « quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præ- « terita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura « non veniunt : quippe quia omne quod nobis fuit et « erit, in ejus prospectu præstò est ; et omne quod « præsens est, scire potest potiùs quàm præscire. » Et paulò post : « Quia ea quæ nobis futura sunt vi- « det, quæ tamen ipsi semper præstò sunt, præscius « dicitur, quamvis nequaquàm futurum prævideat, « quod præsens videt. Nam et quæque sunt, non ab « æternitate ejus ideò videntur quia sunt, sed ideò « sunt quia videntur.... In illo enim nec præterita, nec « futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immu- « tabiliter durant, et quæ in seipsis simul existere non « possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo « præterit quod transit : quia in æternitate ejus modo « quodam incomprehensibili cuncta volumina seculo- « rum transeuntia manent, currentia stant. »

Præscientia Dei non officit humanæ libertati.

Quamvis porrò Deus necessariò prævideat omnia quæ nos liberè agimus, etiam peccata nostra, non est consequens ut necessariò illa fiant. Libertatem necessitate perimi : *Ad mercendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non sufficere libertatem à coactione, sed requiri libertatem à necessitate ;* dogma fidei est, contra Jansenianam hæresim à summis pontificibus Innocentio X et Alexandro VII finitum, declaratum, firmatum. Nullum proinde meritorium opus, nullum peccatum esset, si necessariò evenirent quæ à Deo prævisa sunt ac præscita, sive etiam (quod de bonis duntaxat dici potest) definita ac prædestinata. « Quamobrem, inquit « S. Augustinus, non propterea nihil est in nostrâ vo- « luntate, quia Deus præscivit quid futurum esset in « nostrâ voluntate. Non enim qui hoc præscivit, nihil « præscivit. Porrò si ille qui præscivit quid futurum « esset in nostrâ voluntate, non utique nihil, sed ali-

(1) Id est, postquàm perfecta sunt.

« quid præscivit; profectò et illo præsciente est ali-
« quid in nostrâ voluntate. Quocirca nullo modo cogi-
« mur, aut retentâ præscientiâ Dei tollere voluntatis
« arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum
« (quod nefas est) negare præscium futurorum : sed
« utrumque amplectimur, utrumque fideliter et vera-
« citer confitemur ; illud ut benè credamus ; hôc ut
« benè vivamus. Malè autem vivitur, si de Deo non
« benè creditur. Unde absit à nobis ejus negare præ-
« scientiam ut liberi esse velimus, quo adjuvante su-
« mus liberi, vel erimus. Proinde non frustra sunt le-
« ges, objurgationes, exhortationes, laudes et vitupe-
« rationes : quia et ipsas futuras esse præscivit, et
« valent plurimùm, quantùm eas valituras esse præ-
« scivit; et preces valent ad ea impetranda quæ se
« precantibus concessurum esse præscivit : et justè
« præmia bonis factis, et peccatis supplicia constituta
« sunt. Neque enim ideò peccat homo, quia Deus il-
« lum peccaturum esse præscivit : imò ideò non dubi-
« tatur ipsum peccare, cùm peccat, quia ille cujus
« præscientia falli non potest, non fatum, non fortu-
« nam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse
« præscivit. Qui si nolit, utique non peccat : sed si
« peccare noluerit, hoc etiam ille præscivit. » Hæc S. Augustinus libro 5 de Civitate Dei, cap. 10. « Non
« est ergo consequens, ut si Deo certus est ordo om-
« nium causarum, ideò nihil sit in nostræ voluntatis
« arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in causa-
« rum ordine sunt, qui certus est Deo ejusque præ-
« scientiâ continetur ; quoniam et humanæ voluntates
« humanorum operum causæ sunt. Atque ita qui om-
« nes rerum causas præscivit, profectò in eis causis
« etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas
« nostrorum operum causas esse præscivit, » inquit S. Augustinus, cap. præcedenti.

Deus summum bonum.

VIII. Deum summum esse bonum, ejus naturam bonitatem esse, ab ipso cætera esse bona, fides docet. Quo sensu Christus Lucæ 10 ait : *Nemo bonus nisi solus Deus.* Multa porrò sunt infinitæ bonitatis ejus indicia. Primùm, quòd cùm solus esset ex omni æternitate, seque contentus uno, immensâ bonorum copiâ, deliciisque omnibus affluens, ac perpetuâ nunquàm interruptæ felicitatis possessione dives, alia præter se creare voluerit, ac præsertim angelos et homines, quibuscum bonitatem suam communicaret.

Secundum est, quòd eadem illa à se producta fovet ac conservat, præsertim ea quæ ratione intelligentiâque prædita sunt; etiam peccatores adversùs Creatorem et benefactorem suum perduelles et ingratos : quibus et beneficia generalia naturæ ordinem spectantia ex æquo dispensat : *Solem enim suum oriri facit super bonos et malos ; et pluit super justos et injustos*, Matth. 5. Et gratiæ dona singulis omnibus offert : Et « suâ gratiâ semel justificatos non deserit,
« nisi priùs ab his deseratur. » Concil. Trid. Sess. 6, c. 11.

Tertium summæ bonitatis indicium est, quòd ex hominibus eâdem perditionis massâ involutis quosdam ab æterno elegerit ac prædestinaverit ad gloriam suam. Quam divinæ beneficentiæ in humanum genus largitatem commendat Apostolus ad Romanos 9 : *Cùm nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali... Non ex operibus, sed ex vocante dictum est..... Jacob dilexi..... Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui..... Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit. Quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Et ad Ephesios 1 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.* Quò etiam referri potest illud Jeremiæ 31 : *In charitate perpetuâ dilexi te, ideò attraxi te, miserans tui.* Et illud Joannis 4 : *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*

Quartum summæ bonitatis argumentum est, quòd non solùm ad unum commoditatis genus prodest iis quibus se communicat, sed ad omnes opportunitates valet, sine ullâ personæ, loci, aut temporis exceptione. Unde sanctus Bernardus Sermone 5 de Assumptione beatæ Virginis : *Omnia*, inquit, *sunt nobis in Deo, et est Deus omnia in nobis.*

Deus summè misericors et justus.

IX. Ex summâ Dei bonitate misericordia infinita sequitur. Summè misericordem, sed et summè justum fides docet. Psalmo 24 : *Omnes viæ Domini misericordia et veritas.* Psalmo 31 : *Diligit misericordiam et judicium : Misericordiâ Domini plena est terra.* Ps. 35 : *Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes..... Judicia tua abyssus multa.* Psal. 58 : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* Psal. 22 : *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Psalm. 83 : *misericordiam et veritatem diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dominus.* Psal. 102 : *Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.* Psalm. 47 : *Justitiâ plena est dextera tua.* 2 ad Corinth. 1 : *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.* Psal. 118 : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* Ad Romanos 11 : *An divitias bonitatis ejus et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus : iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam : iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.* Jacobi 2 : *Judicium sine misericordiâ, illi qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem misericordia judicium.* Quamvis autem justitia ejus infinita sit, sicut et misericordia, magis tamen misericordiam exercet suam, quàm justitiam. Psalmo 144 : *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Nam et « in damnatione reproborum apparet misericordia ;
« non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter alle-
« vians, dùm punit citra condignum, » inquit san-

ctus Thomas, 1 p., quæst. 21, articulo 4. Id est, quamvis æternæ sint et gravissimæ damnatorum pœnæ, minores tamen sunt quàm mereantur, spectatis illorum in Dei majestatem ac bonitatem infinitam offensis et injuriis.

Justitia in Deo ita misericordiæ conjugata est, ut miserendo justus, puniendo sit misericors, ut docet S. Hilarius in Psalmum 144, ad illum versum : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitiâ tuâ exultabunt.* Sic enim habet : « Dei justitia justitiæ non coæquatur humanæ. Neque enim naturæ legi « subdita est per quam lex est statuta naturæ : ut necessitatem non habeat bona non esse, cùm justa sit. « Habet Dei justitia miserandi voluntatem. Neque tamen per miserandi voluntatem ita erit à se demutata « ne justitia sit..... Hoc in Deo præcipuum, hoc in « Potente laudandum, non cœlum fecisse, quia potens « est; non terram fundâsse, quia virtus est; non anum astris temperâsse, quia sapiens est; non hominem animâsse, quia vita est; non mare in accessus ac decessus movisse, quia spiritus est; sed misericordem esse, qui justus est; sed miserantem esse, « qui rex est; sed dissimulantem esse, qui Deus est. »

Deus neminem deserit, reprobat et damnat sine malis meritis.

X. Id verò inter divinæ misericordiæ et justitiæ opera, inter gratiarum profusiones et irrogationes pœnarum discriminis interest, quòd nulla sit divinæ in nos misericordiæ ratio, præter ejus voluntatem ac infinitam bonitatem; justitiæ autem in nos exercendæ occasionem ac materiam semper illi præbeamus. Quo fit ut nullum misericordiæ ejus, gratiæque meritum quærendum sit; nam si esset ex meritis, non esset gratia : sed obdurationis, reprobationis, damnationis meritum semper existat in iis qui obdurantur, deseruntur, reprobantur à Deo. Fides enim catholica docet « Deum de suo optimum, de nostro justum, « ut loquitur Tertullianus l. de Resur. carnis, c. 14; » nisi enim homo deliquisset, optimum solummodò Deum nôsset, ex naturæ proprietate : at nunc etiam justum eum patitur ex causæ necessitate. » Hinc S. Augustinus libro 3 contra Julianum, cap 18 : *Bonus est Deus*, inquit, *justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Justus autem non esset, si nulli obnoxiam peccato imaginem suam vitâ privaret æternâ; aut verum justum ad regnum suum non admitteret. *Jacob* quidem *dilexit* Deus, *Esau odio habuit, antequàm quidquam boni vel mali egissent*, ut ait Apostolus. Verùm « quid « dilùgebat in Jacob, antequàm natus fecisset aliquid « boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? E « quid oderat in Esaü, antequàm natus fecisset aliquid « mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat; neque in « isto odisset naturam quam bonam ipse fecerat, » inquit S. Augustinus Epistolâ 194, aliàs 105 ad Sixtum. *Cujus vult Deus miseretur, et quem vult indurat*, inquit Apostolus, Rom. 9. *Numquid tamen est iniquitas apud Deum? Absit.* Nam, ut ibidem S. Augustinus docet, « quæri« mus meritum obdurationis, et invenimus. Merito « namque peccati universa massa damnata est; nec « obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non im« pertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur : at potiùs ut non « impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Quæri« mus autem meritum misericordiæ, nec invenimus, « quia nullum est, ne gratia evacuetur, si non gratis « donatur, sed meritis reddatur. » In eâdem massâ damnationis omnes homines erant involuti, propter originale peccatum quod ex Adam contraxerunt : et etiamsi nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare justitiam : sed aliquos liberavit misericors Deus, pluribus non liberatis, atque in damnatione justissimâ derelictis, ut ostenderetur quid meruisset universa conspersio, et quò etiam istos debitum Dei judicium duceret, nisi ejus indebita misericordia subveniret. Quid igitur obmurmuras et quereris? *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : quid me finxisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eâdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* inquit Apostolus, Rom. 9. *Quòd si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Potuit Deus absque injustitiæ labe, ex eâdem massâ, utique meritò rectèque damnatâ, facere aliud vas in honorem indebitum propter misericordiæ gratiam, aliud in contumeliam debitam propter iræ justitiam, et ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, sic ostendens quid eis largiatur, cùm id supplicium recipient vasa iræ, quod pariter omnibus debebatur. « Miseretur ergo Deus magnâ bo« nitate, obdurat nullâ iniquitate; ut nec liberatus de « suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis me« ritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos dis« cernit à perditis, quos in unam perditionis con« creverat massam ab origine ducta causa commu« nis, » inquit S. Augustinus, Enchiridii cap. 99. « Sa« tis sit igitur Christiano ex fide adhuc viventi, nôsse « vel credere quòd neminem Deus liberet nisi gratuitâ « misericordiâ per Dominum nostrum Jesum Christum, « et neminem damnet nisi æquissimâ veritate per « eumdem Dominum nostrum Jesum Christum. Cur « autem illum potiùs quàm illum liberet aut non liberet, « scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum « profundum; verumtamen caveat præcipitium. Num« quid enim est iniquitas apud Deum? Absit. Sed in« scrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ « ejus. » Verba sunt S. Augustini in Epistolâ ad Sixtum.

Impia certè ac feralis Calvini sententia est, qui Deum solâ suâ voluntate, sine ullâ prævisione peccati, certos homines ad æternam damnationem ordinâsse, et ad peccatum incitare : imò necessitate compellere asserit. Quam hæresim et S. Proper in Responsione

ad objectionem tertiam Vincentianam ita refellit : « Omnium quidem hominum Deus creator est, sed « nemo ab eo ideò creatus est, ut periret : quia alia « est causa nascendi, alia pereundi. Ut enim nascan- « tur homines, Conditoris est beneficium ; ut autem « pereant, prævaricationis est meritum. »

Eadem hæresis prædamnata est à consilio Arausicano II et Valentino III, ex tribus Galliæ provinciis, Lugdunensi, Viennensi et Arelatensi congregato anno Christi 855, canone 3 : « Fidenter, inquit, fatemur prædestina- « tionem electorum ad vitam et prædestinationem impio- « rum ad mortem. In electione tamen salvandorum mise- « ricordiam Dei præcedere meritum bonum. In damna- « tione autem periturorum meritum malum præcedere « justum Dei judicium. Prædestinatione autem Deum ea « tantùm statuisse, quæ ipse vel gratuitâ misericordiâ, « vel justo judicio facturus erat....In malis verò ipsorum « malitiam præscisse, quia ex ipsis est ; non prædes- « stinàsse, quia ex illo non est. Pœnam sanè malum « meritum eorum sequentem, uti Deum, qui omnia « prospicit, præscivisse et prædestinàsse, quia justus « est apud quem, ut S. Augustinus ait, de omnibus « omninò rebus tam fixa sententia, quàm certa præ- « scientia.... Verùm aliquos ad malum prædestinatos « esse divinâ potestate, videlicet ut quasi aliud esse « non possint, non solùm non credimus ; sed etiam « si sunt, qui tantùm mali credere velint, cum omni « detestatione, sicut Arausica synodus, illis anathema « dicimus. »

Valentini concilii sensui consonat Carisiacense cap. 1, cujus hæc sunt verba : « Deus bonus et justus ele- « git ex eâdem massâ perditionis, secundùm præscien- « tiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vi- « tam, et vitam illis prædestinavit æternam. Cæteros « autem, quos justitiæ judicio in massâ perditionis « reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent « prædestinavit : pœnam autem illis, quia justus est, « prædestinavit æternam. »

Ex divinis perfectionibus nonnulla colliguntur documenta ad morum informationem.

I. Ex his quæ de divinis perfectionibus dicta sunt, multa colligi possunt ad morum informationem. Deus perfectissimus est ; nos summoperè imperfecti : igitur eniti debemus ad perfectionum imitationem divinarum, et ad Dei nostri similitudinem, quantùm quidem creaturæ cum ejus gratiâ fas est, in nobis exprimendam, quemadmodùm jubet Christus Dominus Matth. 5 : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Nam « Religionis summa est, imitari « quem colis, » inquit, S. Augustinus lib. 8 de Civitate Dei, cap. 17. Hinc illud Plotini philosophi Platonici, à S. Augustino laudatum libro 9 de Civitate Dei, cap. 17 : « Fugiendum est ad charissimam patriam, et « ibi Pater, et ibi omnia. Quæ igitur classis aut fuga ? « Similem Deo fieri. Si ergo, inquit S. Augustinus, « quantò similior, tantò fit quisque propinquior, nulla « est ab illo alia longinquitas quàm ejus dissimilitudo. « Incorporali verò illi æterno et incommutabili tantò est « anima hominis dissimilior, quantò rerum tempora- « lium mutabiliumque cupidior. » Atque in illâ divinarum perfectionum imitatione semper proficiendum est, angelorum instar, qui per scalam mysticam Jacob descendebant et ascendebant, nullus stabat, et quiescebat ; quia in viâ christianæ perfectionis non progredi, regredi est. Unde Apostolus ad Philippenses, 3 : *Unum quidem*, inquit, *quæ quidem retrò sunt obli viscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu : non quòd jam acceperim, aut perfectus sim.* Et tamen paulò post ait : *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Aliter *ergo hìc non potes esse perfectus, nisi scias hìc te non esse posse perfectum. Hæc ergo erit perfectio tua, sic te quædam transilisse, ut ad quædam properes ; sic quædam te transilisse, ut restet aliud ad quod omnibus transactis transiliendum est. Hæc tuta fides est. Nam quisquis se jam pervenisse putat, in alto se ponit ut cadat.* Verba sunt S. Augustini, Enarratione in psalmum 38.

II. Deus incorporeus est, ac simplicissimus : ipsum *in spiritu* adoremus *et veritate.* A terrenis et corporeis rebus abstrahamur, secundùm carnem ne ambulemus, sed secundùm Spiritum, et interiorem hominem, qui de die in diem renovatur ad imaginem ejus qui fecit illum. *Spiritu ambulate*, inquit Apostolus, Galat. 5, *et desideria carnis non perficietis. Si Spiritu vivimus Spiritu et ambulemus.* Ergo, inquit S. Ambrosius, sermone 4, in Psalmum 118, secundùm voluntatem Dei ambulemus, ut Deo inhærere dicamur, cui si adhæreamus, unus cum ipso spiritus efficimur. Nam *qui adhæret Domino, unus spiritus est*, ut ait Apostolus. At verò, inquit S. Ambrosius, *qui secundùm corporis appetentiam vivit, caro est : qui secundùm præcepta Dei, Spiritus est*, uni, simplicissimoque Deo servientes, simplicitatem sectemur, ob quam sanctus Job meruit commendari : *Erat vir simplex.* In mente, corde, ore, opere nostro simplicitas eluceat. In mente per veritatem, in corde per charitatem, in ore per sermonis ingenuitatem, in opere per veram et minimè fucatam justitiam. Christi verbis pareamus : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ*, Matth. 10; et : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*, Matth. 6. Cordis duplicitatem fugiamus : *Væ* enim *duplici corde, et peccatori terram ingredienti duabus viis*, Eccli. 2. Sit sermo noster : *Est, est, Non, non*, Matth. 5 ; ab hypocrisi longè abhorreamus, quod vitium in Pharisæis toties, et tam acriter insectatus est Christus, *Væ* illis sæpiùs ingeminans, Matth. 23. *Væ vobis! Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum. Væ vobis! Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitiâ. Sic et vos aforis quidem paretis hominibus justi ; intùs autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.* Nos simplices esse Christus jubet. « Quomodò autem « eris simplex ? Si te non mundo implicaveris, sed ex

« mundo explicaveris : explicando enim te simplex « eris, » inquit S. Augustinus Tract. 23 in Joannem.

III. Deus immutabilis est : ejus immutabilitatem honoremus boni propositi firmitate, constantiâ voluntatis in ejus mandatorum observantiâ et in ejus amore. Ne mutemur nisi in melius : peccatores ne imitemur, quorum character est levitas, instabilitas, inconstantia. Nam *homo sanctus in sapientiâ manet sicut sol : stultus sicut luna mutatur.... Præcordia fatui quasi rota carri : et quasi axis versatilis cogitatio illius,* Eccli. 27, 33. Ne similes simus nubibus, quæ ab omni vento circumferuntur, aut arundini vento agitatæ. Cum Prophetâ dicamus, Psal. 61 : *Nonne Deo subjecta erit anima mea? Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus : Susceptor meus, non movebor ampliùs.* In Dei contemplatione et amore defixi, beatarum mentium immutabilitatem jam in hâc mortali vitâ æmulemur, de quâ S Augustinus lib. 12 Confessionum : *Quoniam tu Deus diligenti te quantùm præcipis, ostendes ei te, et sufficis ei. Et ideò non declinat à te, nec ad se.*

IV. Deus æternus est. Jungamus cor nostrum æternitati Dei ; temporalia et peritura bona parvipendamus, ad æterna et invisibilia suspiremus et tendamus. *Animus enim nullo modo sanus existimandus est, qui non temporalibus æterna præponit,* inquit S. Augustinus in Epist. ad Probam. Curramus alacriter in viâ mandatorum Dei, nullis tribulationibus ab eo separemur, aut ab incœpto cursu retardemur, aut deficiamus. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis : non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna sunt,* inquit Apostolus 2 ad Corinthios 4. Ascendant cogitationes nostræ supra tempus : æterna meditemur, ut dicere possimus cum Prophetâ, Psal. 76 : *Cogitavi dies antiquos et annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Qui sunt anni æterni ? Magna cogitatio, quæ vult magnum silentium. « Ab omni forinsecùs strepitu, ab omni re- « rum humanarum tumultu intùs requiescat, qui co- « gitare vult annos istos æternos, » inquit S. Augustinus, Enarrat. in Psalm. 76. Illi sunt anni qui stant, qui non venientibus et abeuntibus diebus peraguntur, de quibus alio loco Scriptura dicit Deo, Psal. 101 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Ad Deum æternum confugiamus, siquidem propter ipsum conditi sumus. Dicamus cum Prophetâ, Psal. 89 : *Domine, refugium factus es nobis.... Priùs quàm montes fierent, aut formaretur terra et orbis, à seculo et usque in seculum tu es Deus.* Quæ verba S. Augustinus expendens, ait : « Æternitas facta est nobis refugium ; « ut in eâ mansuri, ad eam de hâc temporis mutabili- « tate fugiamus. Sed quoniam cùm hìc sumus, in « magnis et multis tentationibus vivimus, quibus « ne avertamur ab isto refugio metuendum est : in- « tueamur quid consequenter poscat oratio hominis « Dei : *Ne avertas hominem in humilitatem ;* id est, « ne à tuis æternis atque sublimibus homo aversus « temporalia concupiscat, sapiatque terrena. Et hoc « à Deo poscit, quod Deus ipse præcepit. »

V. *Regi seculorum immortali et invisibili, soli Deo honorem et gloriam* dantes (1 Tim. 1), vitemus (quod in nostrâ potestate cum ejus gratiâ positum est) mortem peccati : « Sicut enim vita corporis anima ; sic « vita animæ Deus. Quomodò si anima deserat, mori- « tur corpus, sic anima moritur si deserat Deus, » inquit S. Augustinus Enarratione in Psal. 78. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur,* inquit Dominus per Prophetam. Quòd si à Deo per mortale peccatum separemur, nos manet *secunda mors* et æterna, de quâ Christus ait : *Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* De quâ S. Augustinus libro 6 de Civitate Dei, cap. ultimo, scribit : « Si anima in pœnis « vivit æternis, quibus et ipsi spiritus cruciabuntur « immundi, mors illa potiùs æterna dicenda est quàm « vita. Nulla quippe major et pejor est mors, quàm « ubi non moritur mors. Sed quòd animæ natura, per « id quòd immortalis creata est, sine qualicumque « vita esse non potest ; summa mors ejus est alienatio « à vitâ Dei in æternitate supplicii. »

VI. Deus ubique est, et omnia novit : Debemus igitur omnia opera nostra agere, cogitationes omnes et intentiones dirigere quasi sub oculis Dei, supremi judicis ac testis, cujus oculis nihil est absconditum, qui falli aut circumveniri non potest : *Omnia enim nuda sunt et aperta oculis ejus,* ad Hebræos 4. Deum præsentem semper cogitemus, ut peccatum vitemus, ut in virtute confirmemur, secundùm illud Prophetæ oraculum Psalmo 15 : *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Et Psalmo 104 : *Quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper.* « Quæ est « facies Domini, nisi præsentia Dei ? inquit S. Augusti- « nus. Deus sine fine quærendus, quia sine fine aman- « dus. Dicimus enim etiam præsenti alicui : Non te « quæro : Id est, non te diligo. Ac per hoc qui dili- « gitur, etiam præsens quæritur, dùm charitate per- « petuâ ne fiat absens agitur. Proinde quem quisque « diligit, etiam cùm videt, sine fastidio semper vult « esse præsentem, hoc est, semper quærit esse « præsentem. Et nimirùm, hoc est, *quærite faciem « ejus semper :* ut non huic inquisitioni, quâ signi- « ficatur amor, finem præstet inventio ; sed amore « crescente inquisitio crescat inventi. » Deum præsentem intueri, et velut sub ejus oculis omnia opera sua facere, angelicæ vitæ imitatio est. *Angeli* enim *semper vident faciem Patris, qui in cœlis est,* Matth. 18. Contra verò, oblivio Dei causa est cur homines in omne peccatorum genus prolabantur. Unde Psalmo 9 dicitur : *Non est Deus in conspectu ejus ; inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Hinc inter scelera Jerusalem oblivio Dei recensetur Ezech. 22 : *Meique oblita es, ait Dominus Deus.* Nec mirum : « Memoria enim « Dei excludit cuncta flagitia, » inquit S. Hieronymus in hunc locum. Certè quando peccamus, si cogitaremus Deum videre et esse præsentem, nunquàm

quod ei displicét faceremus. Si oculos à Deo non avertas oculos ipse suos super te benignus firmabit, quemadmodùm Psalmo 31. Scriptum est : *Firmabo super te oculos meos.* Id est, S. Augustino interprete : « Non « à te auferam oculos meos, quia et tu non auferes à « me oculos tuos. Jam justificatus, jam post remissio- « nem peccatorum leva oculos tuos ad Deum. Pu- « truerat enim cor tuum cùm esset in terrâ. Non gra- « tis audis : *Sursùm cor*, ne putreat. Ergo et tu leva « jam oculos tuos semper in Deum, ut firmet super te « oculos suos... Oculos tuos in illum erige, et non ti- « mebis ne in laqueum incurras. Audi alium psal- « mum (Psal. 24) : *Oculi mei semper ad Dominum, « quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* » Ideò Abrahamo dixit Deus, Genes. 17 : *Ambula coram me, et esto perfectus;* quia compendiaria ad christianam perfectionem via, est perennis memoria Dei, et majestatis ejus ubique præsentis consideratio. Hinc S. Gregorius Nazianzenus Oratione 33 : « Nec tam « sæpè, inquit, spiritum ducere, quàm Dei meminisse « debemus.» Et S. Basilius in Regulis fusiùs disputatis, interrogatione 5 : « Omni, inquit, custodiâ custo- « diendum cor nostrum, neque patiendum ut assidua « de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur. Agen- « dum ut ex perpetuâ ac purissimâ recordatione im- « pressam in animis nostris piam de Deo cogitatio- « nem, veluti indelebile aliquod sigillum circumfera- « mus. Siquidem hæc est ratio per quam erga Deum « acquiri charitas consuevit. Quæ simul cùm ad fa- « cienda Dei mandata nos excitet, tum vicissim quoque « ab iisdem ipsa ad perpetuitatem stabilis conserve- « tur. »

Cùm ubique sit Deus, non tamen in omnibus habitat, sed in iis tantùm qui templum illius sunt per gratiam sanctificantem et charitatem, de quibus ait Christus Dominus, Joh. 14 : *Si quis diligit me, sermones meos servabit : et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et Apostolus : *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Unde fatendum est, inquit S. Augustinus Epistolâ 187, aliàs 57, ad Dardanum, « ubique esse Deum per Divinitatis præsentiam, sed « non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc « enim habitationem, ubi procul dubio gratia dilectio- « nis ejus agnoscitur, non dicimus : Pater noster qui « es ubique, cùm et hoc verum sit, sed : *Pater noster, « qui es in cœlis ;* ut templum ejus potiùs in oratione « commemoremus, quod et nos ipsi esse debemus, et « in quantum sumus, in tantum ad ejus societatem et « adoptionis familiam pertinemus. Si enim populus « Dei nondùm factus æqualis angelis ejus adhuc in istâ « peregrinatione dicitur templum ejus, quantò magis « est templum ejus in cœlis, ubi est populus angelo- « rum, quibus aggregandi et coæquandi sumus, cùm « finità peregratione quod promissum est sumpseri- « mus? » Totis ergo studiis ac viribus ejus gratiâ adjutis enitamur ut simus templum Dei, in quo ipse habitet, templum illud mundemus, ornemus, Deoque consecratum ab omni pollutione peccati servemus. Qui justus est, justificetur adhuc; qui sanctus, sanctificetur adhuc, ut in eo Deus magis habitet, quia etiam in quibus habitat, non æqualiter habitet, inquit S. Augustinus. « Unde enim in omnibus sanctis « sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantiùs habendo « habitatorem Deum? » Præ omnibus verò caveamus, ne ab illo peccando recedamus, et longè abeamus. « Hi enim ab eo longè esse dicuntur, qui peccando « dissimillimi facti sunt; et hi ei propinquare, qui « ejus similitudinem piè vivendo recipiunt. Sicut rectè « dicuntur oculi tantò esse ab hâc luce longiùs, quantò « fuerint cæciores. Propinquare autem luci meritò « perhibentur oculi, qui sanitatis accessu aciem reci- « piendo proficiunt. » Denique Deus aliter in nobis, et nos aliter in Deo habitamus. « Habitas in Deo, sed « ut contineris; habitat in te Deus, sed ut te conti- « neat, ne cadas. Ne sic te putes domum Dei fieri, « quomodò domus tua portat carnem tuam. Si sub- « trahat se domus in quâ es, cadis : si autem tu te « subtrahas, non cadit. Deus integer est, cùm eum « deseris, integer cùm ad illum redieris, » inquit S. Augustinus tractatu 8 in Epistolam S. Joannis.

VI. Deus summè bonus est, et omnis boni bonum, modoque singulari et eximio bonum nostrum. Ipsi ergo adhærere, ipsum appetere, qui replet in bonis desiderium nostrum, ipsum diligere præ omnibus et super omnia debemus. Dicamus igitur cum Prophetâ, Psal. 72 : *Mihi adhærere Deo bonum est.* Nam « inde « necesse est ut fiat homo beatus, unde fit bonus, » inquit S. Augustinus Epistolâ 130, aliàs 121. Dicat ergo Epicureus : *Mihi frui carne bonum est;* Stoicus dicat : *Mihi frui meâ mente* ac virtute *bonum est;* Christianus dicet : *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Hoc est totum bonum. Dicat Epicureus : *Beatus est, cujus est in fructu voluptas carnis ejus.* Dicat Stoicus : Imò *beatus cujus est in fructu virtus animæ ejus.* Christianus dicet : *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.*

VII. Deus misericors est, et justus. Misericordiam ejus laudemus, dicentes cum prophetâ, Psalm. 102 : *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Gratias ei agamus immortales, quia *misericordiæ* ejus munus est, *quòd non sumus consumpti, Thren.* 3, 22, quia *sicut miseretur Pater filiorum, sic misertus est nostrî : secundùm altitudinem cœli à terrâ, corroboravit misericordiam suam super timentes se; et quantùm distat ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Ad ipsam confugiamus semper nobis necessariam, cum Prophetâ pœnitente orantes,* Psalm. 50 : *Miserere meî, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam : et secundùm multitudinem miserationaum turum dele iniquitatem meam.... Adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Inclamemus : *Deus meus misericordia mea*, cujus *miserationes super omnia opera ejus*, gratias tibi ago, quia *eruisti animam meam ex inferno inferiori. Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitàsset in inferno anima mea. Miserere meî, Deus, miserere meî, quoniam in te confidit anima mea.* Deus cujus *misericordia superexaltat judicium, non intres in*

judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. De misericordiâ Domini ne desperemus unquàm, quia infinita est, eique proprium est misereri semper; sed nec abutamur, ne de illâ præsumamus, ne *divitias bonitatis ejus et longanimitatis* contemnamus, *secundùm duritiam* nostram, *et impœnitens cor thesaurisantes* nobis *iram in die iræ et justi judicii Dei.* Ut verò misericordiam Dei impetremus, misericordiam ipsius imitemur, erogando eleemosynas, injurias condonando. *Estote misericordes,* inquit Christus Jac. 2, *sicut et pater vester misericors est.... Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Denique, inquit Jacobus Apostolus, *judicium sine misericordiâ illi qui non facit misericordiam.* Deum misericordem diligamus; justum timeamus; imò justitiam ipsam timendo diligamus, quæ, ut ait Tertullianus libro 2 contra Marcionem, cap. 15, « plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, et Patrem, et Dominum : Patrem, clementiâ; Dominum, disciplinâ : Patrem, potestate blandâ; Dominum, severâ : Patrem, diligendum piè; Dominum, timendum necessariè : diligendum, quia malit misericordiam quàm sacrificium; et timendum, quia nolit peccatum : diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris quàm mortem; et timendum, quia nolit peccatores sui jam non pœnitentes. Ideò lex utrumque definit : *Diliges Deum*, et, *Timebis Deum.* Aliud obsecutori proposuit, aliud exorbitatori. »

§ VI. *Deum unum in essentiâ, trinum in personis, fides catholica confitetur.*

Summæ Dei unitati et simplicitati personarum Trinitas non officit. Utrumque credendum, non subtiliùs exquirendum est. Unitatem in essentiâ, substantiâ, naturâ, deitate; distinctionem et trinitatem in personis fides catholica tradit. Tres personas subsistentes, suisque proprietatibus distinctas, non tria duntaxat nomina, aut tres energias sive operationes, contra Noeti, Praxeæ et Sabelii hæreses, Scriptura sacra docet. Psal. 32 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Nomine Domini intelligitur Pater, prima Trinitatis personna, cui creatio rerum tribuitur, quamvis sit indivisum trium Personarum opus. Verbum Domini Filius est, secunda Trinitatis persona, per quem omnia facta sunt. Spiritus oris Dei, est Spiritus sanctus, tertia Trinitatis persona, cui perfectio divinorum operum singulari quâdam ratione tribuitur. Joannis 1 : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.... Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.... Et verbum caro factum est.* Verbum erat *in principio*, antequàm res ulla creata esset; et Verbum erat Deus per quem rerum universitas condita est : igitur una est Verbi sive Filii et Patris essentia, potestas una, vis una, operatio una. *Verbum erat apud Deum :* est igitur Persona subsistens, à Patre distincta : nemo enim apud semetipsum esse congruè dicitur. *Et verbum caro factum est*, non Pater. Distincta igitur est à Patre persona. Joannis 14, mysterium Trinitatis disertis verbis Christus docet : *Si cognovissetis me, et Patrem meum cognovissetis... Philippe, qui videt me, videt et Patrem... Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?... Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* Se à Patre et Paracleto, id est, Spiritu sancto, Personâ distinctum, aliumque significat; sed unum essentiâ et deitate, ex quâ agnosci poterat. Distinctionem realem Personarum confirmant verba Christi, Joannis 8 : *Solus non sum, sed et ego, et qui misit me Pater. Et in lege vestrâ scriptum est; quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso : et testimonium perhibet de me qui misit me Pater.* Legis enim suffragium dicentis : *In ore duorum vel trium stare omne verbum*, instituto suo haud rectè accommodaret, nisi persona esset à Patre distincta. Idem probat missio; nemo enim mittit seipsum : alius igitur à Patre est, quem misit Pater. Idem mysterium docet forma baptismatis à Christo tradita, Matth. ultimo : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Pater, Filius, et Spiritus sanctus, tres personæ sunt : in eorum verò nomine, non in nominibus baptizari jubentur homines, quo significatur unitas essentiæ. Idem docet S. Joannes epist. 1, cap. 5 : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.* Tres qui testimonium dant, Personæ sunt distinctæ : unum verò sunt, quod essentiæ significat unitatem. Unum sunt, non unus; tres sunt, non tamen triplex, sed trinus et unus Deus : trinus Personis, unus essentiâ. Quæ quidem essentia et natura divina non minor in singulis est Personis, quàm in omnibus, nec major in omnibus quàm in singulis; sed tanta in solo Patre vel in solo Filio, quanta in Patre simul et Filio; et tanta in solo Spiritu sancto, quanta simul in Patre, et Filio, et Spiritu sancto. Una summa res est, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres simul Personæ, ac singulatim quælibet earumdem. Cùm autem in his adorandis Personis non sit majus aut minus, non prius aut posterius, sed coæternæ sibi sint, et coæquales, suis tantummodò proprietatibus personalibus distinctæ intelliguntur. Pater siquidem ingenitus est, Filius à Patre ante omnia secula genitus, Spiritus sanctus à Patre et Filio procedit. Pater, Filius et Spiritus relativa sunt nomina. Relativum porrò dicitur, quod ad aliud cognoscendum referimus, ut dùm unum nominavimus, alium necessariò intelligamus ac demonstremus. Substantiæ verò nomen unum est, scilicet Deus. Relationis ergo nomina propria singulæ personæ retinent, substantiæ verò nomen unum communiter possident. Quod à SS. Patribus frequenter repetitum principium, cùm de sacrosanctâ Trinitate sermonem fecerunt, concilium Toletanum XI his verbis declaravit : *In relativis Personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrosque refertur : quæ cùm relative tres Personæ dicantur, una tamen naturalis substantia creditur.* Tum paucis interpositis : *In relatione Personarum numerus cernitur, in Divinitatis verò substantiâ quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solâ*

numerum insinuant, quòd ad invicem sunt, et in hoc numero carent, quòd in se sunt. Quamobrem Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; sed tamen non tres Dii, sed unus est Deus. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus : non tamen tres Domini, sed unus est Dominus. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus; non tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Sic igitur trium personarum eamdem essentiam, eamdem substantiam, eamdem naturam, perfectiones easdem, eamdem omnipotentiam, immensitatem, æternitatem, mentem, scientiam, voluntatem eamdem confitemur : ut in confessione veræ sempiternæque Deitatis, et in personis proprietas, et in essentiâ unitas, et in majestate æqualitas à nobis credatur et adoretur.

Id aliquâ similitudine populo Christiano explicari utcumque potest. « Nam cùm de fonte interrogati, non « possimus dicere quòd ipse sit fluvius; nec de fluvio « interrogati, possimus eum fontem vocare; et rursùm « potionem quæ de fonte vel fluvio est, nec fluvium « possimus appellare, nec fontem; tamen in hâc tri- « nitate aquam nominamus, et cùm de singulis quæri- « tur, singillatim aquam respondemus. Nam si quæro « utrùm aqua in fonte sit, respondetur aqua, et si « quæramus utrùm aqua sit in fluvio, nihil aliud re- « spondetur; et in illâ potione non poterit esse alia « responsio; nec tamen eas tres aquas, sed unam di- « cimus. Cavendum tamen est ne quisquam ineffabi- « lem divinæ Majestatis substantiam sicut fontem istum « visibilem atque corporeum, vel fluvium, vel potio- « nem cogitet. In his enim aqua illa, quæ nunc in fonte « est, exit in fluvium, nec in se manet, et cùm de flu- « vio vel de fonte in potionem transit, non ibi perma- « net, unde sumitur. Itaque fieri potest ut eadem aqua « nunc ad fontis appellationem pertineat, nunc ad « fluvii, nunc ad potionis : cùm in illâ Trinitate non « possit fieri ut Pater aliquando sit Filius, aliquando « Spiritus sanctus. Sicut in arbore non est radix nisi « radix, nec robur est aliud quàm robur, nec ramos « nisi ramos possumus dicere : non enim quod dici- « tur radix, id potest dici robur et rami; nec lignum « quod pertinet ad radicem, potest aliquo transitu « nunc in radice esse, nunc in robore, nunc in ramis, « sed tantummodò in radice : cùm illa regula nominis « maneat, ut radix lignum sit, et robur lignum, et « rami lignum; nec tamen tria ligna dicantur, sed « unum. Aut si hæc habent aliquam dissimilitudinem, « ut possint non absurdè tria ligna dici, propter fir- « mitatis diversitatem, illud certè omnes concedunt, « si ex uno fonte tria pocula impleantur, posse dici « tria pocula, tres autem aquas non posse dici, sed « omninò unam aquam; quanquàm de singulis poculis « interrogatus, in quolibet horum aquam esse respon- « deas. » S. August., lib. de Fide et Symbolo, c. 9.

Quamvis autem nonnulla sint in creaturis corporeis sacrosanctæ Trinitatis vestigia, in solis tamen creaturis intelligentibus, angelo nimirùm et homine, ad imaginem Dei conditis, ejus imago est, in memoriâ scilicet, intelligentiâ et voluntate; quæ cùm tres sint facultates, sive operationes, non sunt tamen tres vitæ, sed una vita; nec tres mentes, sed una mens; consequenter nec tres substantiæ sunt, sed una substantia. Rursùs mens seipsam novit ac diligit. Se cogitando et intelligendo notitiam parit intrà se manentem, seu verbum interiùs, quam veluti prolem dicendo intùs gignimus, quæ nascendo non recedit à mente. Inde verò oritur amor, quo mens seipsam cognitam amat. Hæc imago quædam, quamvis incomparabiliter impar, divinæ *Trinitatis* est. « Ipsa mens, et notitia ejus, quod « est proles ejus ac de se ipsâ Verbum ejus, et amor « tertius : et hæc tria unum atque una substantia. Nec « minor proles, dùm tantam se novit mens, quanta « est : nec minor amor, dùm tantùm se diligit quan- « tùm novit, et quanta est; » inquit S. Augustinus, libro 9 de Trinitate, cap. 12. Verùm expressior est in mente imago Dei, eo quo meminit, intelligit, et diligit Deum, ut docet S. Augustinus, libro 14, cap. 12 : « Hæc, inquit, trinitas mentis, non propterea Dei est « imago, quia suî meminit mens, et intelligit, ac dili- « git se; sed quia potest etiam meminisse, et intelli- « gere et amare à quo facta est. Quod cùm facit, sa- « piens ipsa fit. Si autem non facit, etiam cùm suî « meminit, seseque intelligit ac diligit, stulta est. » Verùm cùm in omnibus quæ proferuntur, et proferri possunt ad explicandum utcumque Trinitatis adorandæ mysterium, infinita sit disparitas ac dissimilitudo, nec ad illius cognitionem solâ ratione duce pervenire possimus, oremus Deum assiduè ac ferventer, ut qui ipso revelante id credimus, aliquando in æterna tabernacula recepti videamus quæ tanta sit Dei Patris fœcunditas, ut se ipsum intuens atque intelligens, parem et æqualem sibi Filium gignat : quomodò duorum idem planè et par charitatis amor, qui Spiritus sanctus est, à Patre et Filio procedens, Genitorem et Genitum æterno atque indissolubili vinculo inter se connectat, atque ita divinæ Trinitatis una sit essentia, et trium personarum perfecta distinctio. *Existimabam* enim *ut cognoscerem hoc; labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei*, Ps. 72.

Imago sanctissimæ Trinitatis in nobis reformanda.

Oremus interim et operam demus, ut sanctæ Trinitatis imago in nobis per peccatum et cupiditates seculares deformata, reformetur per Dei gratiam, à quo formata est. *Renovamini*, inquit Apostolus Ephes. 4, *spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ, et sanctitate veritatis.* Peccando justitiam et sanctitatem veritatis homo amisit; propter quod hæc imago deformis et decolor facta est : hanc recipit, cùm reformatur et renovatur. « Sanè ista « renovatio non momento uno fit ipsius conversionis, « sicut momento uno fit illa in baptismo renovatio re- « missione omnium peccatorum : neque enim vel unum « quantulumcumque remanet quod non remittatur. Sed « quemadmodùm aliud est carere febribus, aliud ab in- « firmitate quæ febribus facta est, revalescere, itemque « aliud infixum telum de corpore demere, aliud vulnus « quod eo factum est secundâ curatione sanare; ita pri « ma curatio est causam removere languoris, quod per

« omnium fit remissionem peccatorum ; secunda ipsum « sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in « renovatione hujus imaginis. Quæ duo demonstran- « tur in Psalmo 102, ubi legitur : *Qui propitius fit omni- « bus iniquitatibus tuis*, quod fit in baptismo. Deinde « sequitur : *Qui sanat omnes languores tuos*, quod fit « quotidianis accessibus, cùm hæc imago renovatur. « De quâ re Apostolus apertissimè locutus est, 2 Cor. « 4, dicens : *Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed « interior renovatur de die in diem.* In agnitione igitur « Dei, justitiâque et sanctitate veritatis, qui de die in « diem proficiendo renovatur, transfert amorem à tem- « poralibus ad æterna, à visibilibus ad intelligibilia, à « carnalibus ad spiritalia ; atque ab istis cupiditatem « frenare atque minuere, illisque se charitate diligen- « ter alligare insistit. In hâc autem imagine tunc per- « fecta erit Dei similitudo, cùm perfecta erit visio. Unde « Apostolus, 2 ad Corinthios 3, ait : *Nos autem reve- « latâ facie gloriam Domini speculantes, in eamdem « imaginem transformamur, de claritate in claritatem tan- « quàm à Domini Spiritu.* » Hæc S. Augustinus, libro 15 de Trinitate, capp. 16 et 17.

Præclarè ac piè omninò de Trinitatis imagine in nobis reformandâ S. Bernardus disserit, sermone 45. Beata illa et sempiterna Trinitas, inquit, animam ra- tionalem ad imaginem et similitudinem suam condi- dit, memoriâ, ratione, et voluntate instructam : « ut « manens in illo, participatione ejus esset beata ; aver- « sa ab illo, quòcumque se conferret, esset misera. « Sed hæc trinitas creata elegit potiùs per motum pro- « priæ voluntatis cadere, quàm ex gratiâ Conditoris per « liberum arbitrium stare. Cecidit ergo per suggestio- « nem, delectationem, consensum, ab illâ summâ et « pulchrâ Trinitate, scilicet potentiâ, sapientiâ, puri- « tate, in quamdam contrariam et fœdam trinitatem, « scilicet infirmitatem, cæcitatem, immunditiam. Me- « moria enim facta est impotens et infirma, ratio im- « prudens et tenebrosa, voluntas impura. Porrò me- « moria, quæ simplicis Divinitatis potentiam stans « cogitabat, ab illâ cadens et velut supra saxa cor- « ruens, in tres partes contracta dissiliit, scilicet in co- « gitationes affectuosas, onerosas, otiosas. Affectuosas « voco illas in quibus ipsa afficitur, ut in curis rerum « necessariarum, edendi, bibendi, cæterarumque si- « milium ; onerosas, ut in exterioribus administratio- « nibus et occupationibus duris : otiosas, quibus nec « afficitur, nec oneratur, et tamen ab æternorum con- « templatione per illa distenditur, ut si cogitet, verbi « gratiâ, equum currentem aut avem volantem. Ratio- « nis quoque triplex casus est : siquidem ejus erat dis- « cernere inter bonum et malum, verum et falsum, « commodum et incommodum : in quibus discernen- « dis tantâ modò caligine cæcatur, ut sæpè in contra- « rium ducat judicium, recipiens malum pro bono, « falsum pro vero, noxium pro commodo, et è con- « verso. Nunquàm verò in his falleretur, si nunquàm « lumine, à quo creata est, privaretur. Sed quia et ipsa « inde cecidit, procul dubio nihil aliud quàm tenebras « suæ cæcitatis invenit... Sequitur voluntas, cujus « ruina similiter tripartita est. Quæ enim summæ be- « nignitati et puritati inhærere, et eam solam diligere « debuit, per propriam iniquitatem à supernis in hæc « infima lapsa, per concupiscentiam carnis, et concu- « piscentiam oculorum, et ambitionem seculi, terrena « dilexit. Quid hoc infelicius casu potest æstimari, ubi « pereunte memoriâ, ratione, voluntate, tota animæ « substantia perimitur ?

« Verùmtamen hunc tam gravem, tam tenebrosum, « tam sordidum lapsum nostræ naturæ reparavit illa « beata Trinitas, memor misericordiæ suæ, immemor « culpæ nostræ. Venit ergo à Patre missus Dei Filius, « et dedit Fidem. Post Filium missus est Spiritus « sanctus, et dedit docuitque charitatem. Itaque per « hæc duo, id est, Fidem et Charitatem, facta est spes « redeundi ad Patrem. Et hæc est trinitas, scilicet Fi- « des, Spes, Charitas, per quam velut per tridentem « reduxit de limo profundi ad amissam beatitudinem illa « incommutabilis et beata trinitas mutabilem, lapsam et « miseram trinitatem. Et fides quidem illuminavit ra- « tionem ; spes erexit memoriam ; charitas verò purga- « vit voluntatem. Cùm ergo venit Deus Filius et factus « est homo, qui erat Deus, tanquàm medicus bonus « dedit præcepta, quibus observatis reformaretur sa- « lus amissa. Ut verò præceptis faceret fidem, exhibuit « signa : ut eorumdem præceptorum persuaderet uti- « litatem, promisit beatitudinem. Est igitur fides alia « præceptorum, alia signorum, alia promissorum : id « est, quâ credimus in Deum, quâ credimus Deum, « quâ credimus Deo. Peræ fidem preceptorum credi- « mus in Deum ; credere autem in Deum, est in « eum sperare et eum diligere. Per fidem signorum « credimus Deum, qui talia potest, et omnia pot- « est. Per fidem promissorum credimus Deo, qui « quidquid promittit, veraciter complet. Similiter « quoque spes triplex est, et procedit de prædictâ tri- « plici fide. Nam de fide præceptorum oritur spes ve- « niæ ; de fide signorum, spes gratiæ ; de fide promis- « sorum, spes gloriæ. Charitas itidem ternario numero « colligitur, *de corde puro, et de conscientiâ bonâ, et « fide non fictâ*, 1 Tim. 1. Puritatem debemus proxi- « mo, conscientiam nobis, fidem Deo. Puritas autem « est, ut quidquid agitur, aut ad utilitatem proximi, « aut ad honorem fiat Dei. Maximè autem exhibenda « est proximo, quia Deo manifesti sumus. Proximo au- « tem non possumus, nisi in quantum illi cor nostrum « aperimus. Conscientiam bonam faciunt in nobis duo, « pœnitentia et continentia : quando scilicet per pœ- « nitentiam peccata commissa punimus, et per conti- « nentiam deinceps punienda non committimus : et « hanc debemus nobis. Post hæc superest fides non « ficta, quæ Deo vigilanter exhibenda est, ut nec prop- « ter proximum, cui nos impendimus charitatem, of- « fendamus Deum ; nec propter conscientiam, quam « per pœnitentiam et continentiam in humilitate custo- « dire volumus, minùs exequamur mandatorum Dei « obedientiam : et hæc est fides non ficta. Non ficta « autem ponitur ad differentiam mortuæ fidei, et « fictæ. Mortua fides est, quæ sine operibus est. Fides

« fictà, quæ ad tempus credit, et in tempore tentationis « recedit. »

§. VII. Patrem. — *Quo sensu nomen Patris hìc sumatur ?*

Nomen *Pater* dupliciter accipi potest in divinis : vel quatenùs convenit Deo respectu creaturarum, vel quatenùs convenit uni Personæ respectu alterius. Primo modo, commune tribus adorandæ Trinitatis personis nomen est, non minùs quàm creatoris, provisoris atque rectoris rerum omnium creatarum. Quemadmodùm enim eum à quo familia propagata est, cujusque consilio et imperio regitur, patrem vocamus, sic ductâ ex humanis rebus similitudine, Deum quem omnium rerum opificem et rectorem agnoscimus, et credimus, Patrem appellamus. Quo etiam nomine sacræ litteræ usæ sunt, cùm de Deo loquentes, universorum creationem, potestatem, admirabilemque providentiam ei tribuendam indicarent, Deuteronomii 32 : *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* Malachiæ 2 : *Numquid non Pater unus omnium nostrùm? Numquid non Deus unus creavit nos?* Matth. 6 : *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi;* Lucæ 6 : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Singulari verò ratione Deus Pater Christianorum dicitur, qui non acceperunt *Spiritum servitutis in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater. Hanc enim charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, et simus. Quòd si filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, qui est primogenitus in multis fratribus. Propter quam causam non confunditur fratres nos vocare, dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.*

Secundo sensu, *Pater* nomen est primæ Personæ sanctissimæ Trinitatis, prout usurpatur Psalmo 88 : *Ipse invocabit me : Pater meus es tu,* Matth. 16 : *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est,* Matth. 28 : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*; et pluribus aliis in locis. Patrem porrò primam personam dicimus, non quòd in Trinitate sit prius aut posterius, majus aut minus, sed quòd principium sit sine principio, et *fons totius Deitatis*, quam duabus aliis personis communicat, à nullo verò alio accipit. Unde *ingenitus* etiam meritò vocatur Patribus et ab Ecclesiâ : quod nomen eo sensu usurpatum, character est et nota primæ Personæ, ad ejus notitiam conducens : unde et ejus notio à theologis vocatur. Quamvis autem tres Personæ sint unus Deus, interdùm tamen Patri nomen *Dei* singulari ratione tribuitur, propterea quòd *totius Deitatis principium Pater est*, ut loquitur S. Augustinus, libro 4 de Trinitate, cap. 20. Filius enim et Spiritus sanctus, licet eamdem habeant cum Patre Deitatem, Filius tamen illam habet à Patre, Spiritus sanctus à Patre et Filio ; Pater autem à nullo communicatam habet, cùm sit expers principii. Hoc sensu Christus ait, Joannis 17 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Et 1 ad Corinthios 8 : *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.*

Præterea, solus Deus verus appellatur Pater, non ad aliarum Personarum divinarum exclusionem, sed ad exclusionem creaturarum, sive eorum qui falsò ab ethnicis putabantur dii, et pro diis colebantur. Quemadmodùm igitur non sequitur, Patrem non esse lucem veram, quia de Christo scriptum est, Joan. 1 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ;* ita non sequitur Filium non esse verum Deum, licèt Pater dicatur solus verus Deus.

Tertiò, sic intelligendam Christi sententiam Patres docent : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum, solum esse verum Deum.* Sicut etiam Apostolus non excludit Patrem ab appellatione unius Domini, quamvis Filius ab ipso dicatur *unus Dominus ;* ita Filium non excludit ab appellatione unius Dei, quamvis Pater dicatur *unus Deus.* Nec Pater igitur à dominationis jure, nec Filius à veræ Deitatis communione, hoc Apostoli loco secernitur. Eodem sensu Ecclesia sanctitatem, dominationem, magnitudinem infinitam soli Filio tribuit in Hymno angelico, ad exclusionem scilicet rerum omnium creatarum, non ad exclusionem Patris et Spiritûs sancti, dicens : *Tu solus sanctus ; tu solus Dominus ; tu solus Altissimus, Jesu Christe.* Unde subdit : *Cum sancto Spiritu, in glorià Dei Patris.* S. Athanas., Orat. 4 cont. Arianos; S. Gregor. Naz., Orat. 36, S. Cyrillus, lib. 11 in Joan., c. 5.; S. Ambros., lib. 5 de Fide, c. 1; S. August., lib. 3 cont. Maxim. Arian. et tract. 35 in Joannem.

Vocabulum *Patris* primæ in Trinitate Personæ peculiarem notionem et proprietatem personalem indicat. Primariò autem Deus Pater est, qui sine initio et fine Pater est, semper habens Filium ex se genitum. A Deo igitur in hominum genus usus istius nominis proprietasque descendit, ut docet Apostolus ad Ephes. 3 : *Ex quo,* inquit, *omnis paternitas in cœlo, et in terrâ nominatur.* Convenit etiam primæ Trinitatis Personæ peculiari modo Principii nomen, respectu Filii et Spiritûs sancti, quamvis et Filio tribuatur respectu rerum creatarum, quæ in ipso tanquàm in Verbo, sapientiâ, ideâ, et arte Patris ex æterno continebantur, et per ipsum in tempore conditæ sunt. *Pater Principium est, non de Principio ; Filius Principium de Principio ; sed utrumque simul non duo, sed unum Principium,* ut loquitur S. Augustinus, libro 3 contra Maximinum, cap. 17. Dicitur etiam Pater æternus auctor Filii, ratione originis, quà Filius ab ipso est. Hinc S. Augustinus, sermone 71, aliàs 11 de Verbis Domini, cap. 12 : « Insinuatur nobis, inquit, in Patre auctori- « tas, in Filio nativitas, in Spiritu sancto Patris Filii- « que communitas, in tribus æqualitas..... Est ergo « Pater Filio veritati origo verax, et Filius de veraci « Patre orta veritas : et Spiritus sanctus à Patre bono « et Filio bono effusa bonitas : omnium est autem non « impar divinitas, nec separabilis unitas. »

Deum esse rerum omnium creatarum Patrem diximus, ratione creationis, conservationis, providentiæ,

gubernationis. Hoc nomine ipsi honorem, amorem, obsequium debemus, Malachiæ 6 : *Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum.* Deus est, et Pater est : *Deus potestate, Pater bonitate. Quàm felices sumus, qui Dominum nostrum Patrem invenimus!* inquit S. Augustinus, sermone 213.

Singulari ratione Deum esse Christianorum Patrem diximus, ratione spiritualis adoptionis. Unde Christus naturâ Dei Filius coæternus, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, Joan. 1. Per gratiam Baptismatis regenerati sumus, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit et Virginem. Si ab illâ primâ adoptionis gratiâ infeliciter excidimus, potest in nobis divina illa adoptio per pœnitentiam reparari. Operante Deo, cooperantibus nobis, amissa gratia restauratur per Dominum nostrum Jesum Christum, quâ rursùs efficimur *divinæ consortes naturæ*. Ad Patrem igitur redeamus, cum filio prodigo dicentes : *Surgam, et ibo ad Patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te*, Lucæ 15. Quâ spe, quâ fiduciâ, quâ confidentiâ? inquit S. Petrus Chrysologus, sermone 11. « Quâ spe? Illâ quâ Pater est. Ego perdidi quod erat « filii : ille quod patris est non amisit. Apud patrem « non intercedit extraneus; intùs est in patris pectore « ipse qui intervenit et exorat affectus. Urgentur patris « viscera iterùm filium genitura per veniam. Ibo ad « patrem reus : sed pater viso filio cooperuit mox reatum ; dissimulat judicem, qui magis vult implere gestorem, et sententiam citò vertit in veniam, qui redire cupit filium, non perire. » Quàm felices nos existimaremus, si regis amici essemus; sed nunc Dei amici erimus, si velimus; nec amici tantùm, sed filii. Si hanc dignitatem felicitatemque non assequamur, per nos stabit : *nisi homini placuerit, Deus non erit.* Quod alio sensu à Tertulliano dictum est in Apologetico. Verùm ut filii Dei simus, desinamus necesse est esse filios hujus seculi, cessemus vivere secundùm carnem et sanguinem, secundùm hominem. Vivamus secundùm Spiritum, secundùm Deum. Sed heu! Christiani plerique secundùm hominem vivere malunt; ut de ipsis meritò dicatur, quod aliâ occasione de imperatoribus ethnicis dixit Minucius Felix in Octavio : *Optant in homine perseverare, fieri se deos metuunt.*

Diximus *Patris* nomen proprium esse primæ Personæ sanctissimæ Trinitatis. Flectamus igitur genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ipsum adorantes, ipsum glorificantes, ipsi gratias agentes. Ad ipsum omnes penè orationes suas dirigit Ecclesia : « Sed tamen omnis oratio fidei nostræ, quamvis ad unam ex « Trinitate Personam dirigi videatur, totius in eâ Trinitatis honorificentiâ continetur. Ille enim qui ait, « Joan. 15 : *Qui me odit, et Patrem meum odit;* et de « quo B. Joannes ait 1 Epist., 5 : *Qui diligit Genitorem, « diligit eum qui natus est ex eo;* sicut communiter cum « Patre vel odio habetur vel diligitur, ita cùm Pater « exoratur, simul cum eo cognoscitur à fidelibus exorari. Et quoniam unus est Patris et Filii Spiritus, « necesse est ut dùm invocatur Pater aut Filius, in « Patre et Filio etiam ille qui unus est utriusque Spiritus invocetur. Unus est autem Jesus Christus unigenitus Dei Patris Filius, cujus nomine concludimus « omnem orationem, quam destinamus ad Patrem; « nec tamen sine sancti Spiritûs nomine, ut ostendamus totam nos humiliter poscere Trinitatem. Non « enim omni Trinitati dicimus : *Per Dominum nostrum « Jesum Christum Filium, tuum*, sed soli Patri, cujus est « unigenitus Filius Dominus noster Jesus Christus. Ad « hoc autem nomen Jesu Christi et Spiritûs Sancti, « cùm Patrem oramus, adjungimus, ut quicquid poscimus, à totâ nos Trinitate postulare monstremus. » Et certè cùm una sit operatio Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, tres illæ adorandæ Personæ sunt unus orationis finis, siquidem sunt unum operationis principium, ab iisque simul et indivisè exspectatur orationis effectus. « Certum est itaque secundùm veræ fidei « regulam, in quâ sanctæ Trinitatis una substantia « creditur, nullam separationem Patris et Filii fieri, « sive Pater, sive Filius à Fidelibus invocetur. Ab illis « autem nec Patrem invocari, nec Filium, qui in invocatione quæ offertur Patri, non credunt cum Patre Filium naturaliter invocari. Hoc enim habet naturalis unitas Trinitatis, ut inseparabiliter cuncta illis « tribus personis exhibeantur sanctæ Religionis obsequia, in quibus una est inseparabilis incommutabilisque natura. In orationibus quippe quas una vera « Ecclesia fundit ad Deum, et naturæ servatur unitas, « et Personarum discretio custoditur : ut cùm ad Patrem dirigitur oratio, qui est origo Filii et Spiritûs « sancti, unam esse naturam Trinitatis appareat, commemoratione verò Filii et Spiritûs sancti, Trinitatem « veram ipse finis orationis ostendat. Sic Sabellii atque « Arii perfidia vincitur, dùm in ipsis quoque orationibus et precibus, tam unius naturæ quàm trium Personarum veritas à Catholicis sacerdotibus prædicatur. » Verba sunt S. Fulgentii, libro 9 contra Fabianum. Ibidemque docet, non soli Patri, sed toti simul sanctæ Trinitati sacrificium offerri. « Sive enim in « oratione, sive in sacrificio, nullam facit fides vera « discretionem muneris, quia non est in Trinitate diversitas potestatis. »

§ VIII. Omnipotentem. — *De omnipotentiâ Dei.*

Cùm multis nominibus Dei summam vim et immensam majestatem sacræ litteræ explicent, ut ostendant quantâ religione et pietate colendus sit, illi omnipotentiam frequentissimè tribuunt. Ipse enim de se ait, Genesis 17 : *Ego Dominus omnipotens.* Et rursùs cùm Jacob filios ad Joseph mitteret, ita illis precatus est, Genes. 43 : *Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem.* Deinde verò in Apocalypsi scriptum est : *Dominus Deus, qui est, qui erat, et qui venturus est omnipotens.* Et cap. 16, *dies magnus omnipotentis Dei* appellatur. Idem significat Scriptura, cùm nihil Deo impossibile, vel etiam difficile esse ait, Ge-

nesis 18 : *Numquid Deo est quidquam difficile?* Job 42 : *Scio quia omnia potes.* Matth. 19 : *Apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Marci 14 : *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt.* Lucæ 1 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Omnipotentis autem nomine intelligimus, Deum omnia posse, et in omnia potestatem ac dominatum exercere : ita ut nihil sit, nihil cogitatione fingi possit, quod Deus efficere nequeat, aut quod illius providentiæ, potestati, et imperio non subdatur. Non solùm igitur hæc, quæ, tametsi maxima sunt, aliquo tamen modo in cogitationem nostram cadunt, efficiendi potestatem habet Deus, nimirùm ut omnia ad nihilum recidant, atque ut plures mundi ex nihilo repente existant, verùm etiam multò majora in illius potestate sita sunt, quæ humanæ menti et intelligentiæ suspicari non licet. Multa enim Deum posse, quæ non vult, etsi nihil velit quod non possit, Scriptura Sacra docet. Potest Deus *de lapidibus suscitare filios Abrahæ.* Facere potest ut *per foramen acûs* camelus transeat. Potuit Pater æternus mittere duodecim legiones angelorum pro Christo pugnaturas. Potuit uno momento totam pluviam immittere, quam quadraginta diluvii diebus immisit. Potuit simul et semel gentes exterminare à terrâ quam dedit filiis Israel, quod tamen paulatim fieri voluit. Potuit Verbum caro non fieri, hominemque non liberare, si plus eum severitas ac justitia, quàm clementia delectaret. Potuit alio modo liberare; potuit aliunde carnem quàm ex feminâ assumere; potuit suscitare Judam, sicut suscitavit Lazarum : et alia sexcenta possunt occurrere quæ facere Deus potuit, et potest, quæ tamen facta non sunt, nec fient. Quo ex principio colligit S. Augustinus, libro de Spiritu et Litterâ, cap. 1, fieri posse ut homo sine peccato sit, quamvis nullus homo præter Christum fuerit sine peccato. Addamus et beatam Virginem Deiparam, de quâ, cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini, nullam S. Augustinus ipse vult fieri mentionem. Potest igitur Deus omne quod possibile est absolutè, sive quod contradictionem non habet. Quæ autem contradictionem habent, ea fieri non possunt, quamvis Deus omnia possit : si enim ea Deus posset facere, posset nihil, adeòque non esset omnipotens. Talia sunt, triangulum esse absque tribus angulis, montem sine valle, lapidem ambulare, avem intelligere et sapientem esse, factum non esse quod factum est, et alia id genus. Neque etiam, cùm omnia Deus possit, mentiri tamen aut fallere, aut falli, aut peccare, aut interire, aut ignorare aliquid potest : hæc enim in eam naturam cadunt, cujus imperfecta actio est; Deus verò, cujus perfectissima semper est actio, ideò hæc non posse dicitur, quia posse ea, infirmitatis est, non omnipotentis virtutis et majestatis. Unde Apostolus, 2 ad Timotheum 2, de Deo scribit : *Seipsum negare non potest;* et alibi : *Impossibile est mentiri Deum.* Ideò omnipotens est, quia ista non potest, ut explicat S. Augustinus sermone de Symbolo ad Catechumenos, item sermone 213, aliàs de Tempore, 119. « Omnipotens est ad facienda majora et mi« nora : Omnipotens est ad facienda cœlestia et ter« restria : Omnipotens est ad facienda spiritalia et « corporalia, visibilia et invisibilia; *magnus in ma« gnis, nec parvus in minimis.* Postremò omnipotens « est ad facienda omnia quæ facere voluerit... » Non potest mori, non potest peccare, non potest falli. « Tanta non potest; quæ si posset, non esset omnipo« tens. » Et, sermone 214 : « Ne quis me temerè « dixisse arbitretur, aliquid Omnipotentem non posse, « hoc et beatus Apostolus dixit : *Si non credimus, ille « qui fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Sed « quia non vult, non potest, quia et velle non potest. « Non enim potest justitia velle facere quod injustum « est, aut sapientia velle quod stultum est, aut ve« ritas velle quod falsum est. Unde admonemur « Deum omnipotentem, non hoc solùm quod ait « Apostolus, *Negare seipsum non potest*, sed multa non « posse. Deus omnipotens non potest mori, non po« test mutari, non potest falli, non potest miser fieri, non « potest vinci. Ac per hoc non solùm ostendit veritas « omnipotentem esse, quòd ista non possit; sed etiam « cogit veritas omnipotentem non esse qui hæc possit. « Volens enim est Deus quidquid est : æternus ergo, « et immutabilis, et verax, et beatus, et insuperabilis « volens est. Si ergo potest esse quod non vult, omni« potens non est : est autem omnipotens; ergo quid« quid vult potest. Et ideò quod non vult esse non po« test; qui propterea dicitur omnipotens, quoniam « quidquid vult potest. De quo et Psalmus dicit : *Om« nia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo et in ter« râ, in mari et in omnibus abyssis.* »

Cæterùm nihil ab Omnipotente potest non fieri, etiam eorum quæ à communi naturæ lege abhorrere videntur. « Nec enim ista cùm fiunt, contra naturam « fiunt, nisi nobis, quibus aliter naturæ cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura, quod fece« rit, » inquit S. Augustinus, libro 6 de Genesi ad Litteram, cap. 15. Et libro 21 de Civitate Dei, cap. 8, portenta contra naturam fieri negat, quia secundùm voluntatem Dei fiunt. « Quomodò est contra naturam, « inquit, quod Dei fit voluntate : cùm voluntas tanti « utique Conditoris conditæ rei cujusque natura sit? « Portentum ergo fit non contra naturam, sed contra « quàm est nota natura. » In eo igitur vis omnipotentiæ divinæ posita est, quòd *universâ creaturâ suâ* Deus *utitur ut ei placet*, ut loquitur idem Pater, libro 26 contra Faustum, cap. 5. Hinc S. Ambrosius, libro 2 in Hexaemron, cap. 3 : « Sermo Dei, inquit, virtus natu« ræ est. » Et beatus Petrus Damiani, Opusculo 36, cap. 11 : « Ipsa quippe rerum natura, inquit, habet « naturam suam Dei voluntatem, ut sicut illius leges « quælibet creata conservant, sic illa cùm jubetur, sui « juris oblita, divinæ voluntati reverenter obediat. »

Cùm porrò *Patrem omnipotentem* profitemur, nemo ita errare debet, ut Filio etiam et Spiritui sancto communem non esse omnipotentiam arbitretur. Æque enim ipsis augustum hoc nomen convenit; nec tamen sunt tres omnipotentes, sed unus omnipotens : neque

verò sic ista de Patre dicuntur, ut ab illo aliena sint, qui dixit : *Ego et Pater unum sumus*, Joan. 10. Et de quo Apostolus ait : *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, Philipp. 2. Quomodò igitur non erit omnipotens Filius, *per quem facta sunt omnia ?* Joan. 1. Cùm etiam sit *Virtus et Sapientia Dei*, 1 Cor. 1, de quâ scriptum est, quòd *cùm sit una, omnia potest*, Sap. 7. Sed tamen præcipuâ quâdam ratione omnipotentiam tribuimus Patri, quia omnis originis fons est, et principium non de principio. Ita etiam Filio, qui æternum Patris Verbum est, sapientiam ; ita Spiritui sancto, qui utriusque amor est, bonitatem tribuimus : quamvis hæc et alia hujusmodi nomina communiter in tribus Personis ex catholicæ fidei regulâ dicantur.

§ IX. *Dei voluntas efficacissima est, semperque impletur, si absoluta sit, nullâque ex conditione suspendi velit quem intendit effectum.*

In hoc enim maximè sita vis est omnipotentiæ Dei, ut possit efficere quidquid vult, nec voluntati ejus quisquam resistere, aut illius effectum impedire possit, vel illius beneplacitum frustrari. Quod sacræ litteræ sæpè disertisque verbis docent, Psalmo 113 : *Omnia quæcumque voluit, fecit ;* Ecclesiastis 8 : *Omne quod voluerit, faciet ; et sermo illius potestate plenus est;* Isaiæ 14 : *Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare ? Et manus ejus extenta, et quis avertet eam ?* Et cap. 46 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet;* Esther 13 : *Domine, Domine, rex omnipotens, in ditione enim tuâ cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel ;* Danielis 4 : *Juxta voluntatem suam facit tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ : et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei : Quare fecisti ?* Ad Romanos 9 : *Voluntati ejus quis resistet ?*

Id confirmat S. Augustinus in Enchiridio, cap. 94, ubi loquens de cognitione Sanctorum in vitâ æternâ, ait : « Tunc in clarissimâ sapientiæ luce videbitur, « quod nunc piorum fides habet, antequàm manifestâ « cognitione videatur, quàm certa, immutabilis, effi- « cacissima sit voluntas Dei ; quàm multa possit, et « non velit, nihil autem velit quod non possit, quàm- « que sit verum quod in Psalmo 113 canitur : *Deus « autem noster in cœlo sursùm, in cœlo et in terrâ om- « nia quæcumque voluit fecit.* Quod utique non est ve- « rum, si aliqua voluit, et non fecit, et, quod est indi- « gnius, idcò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat « Omnipotens, voluntas hominis impedivit. Non ergo « fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo « ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est Deum « facere benè, etiam sinendo fieri quæcumque fiunt « malè. Non enim hoc nisi justo judicio sinit : et pro- « fectò bonum est omne quod justum est. Quamvis « ergo ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non « sint bona, tamen ut non solùm bona, sed etiam sint « et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut « essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab Om- « nipotente bono, cui procul dubio quàm facile est « quod vult facere, tam facile quod non vult esse non « sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum no- « stræ confessionis initium, quâ nos in Deum Patrem « omnipotentem credere confitemur. Neque enim ob « aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam « quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam crea- « turæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. »

Et capite centesimo, ait, « miro et ineffabili modo « non fieri præter ejus voluntatem, quod etiam contra « ejus fit voluntatem. Quia non fieret, si non sineret : « nec utique nolens sinit, sed volens ; nec sineret bo- « nus fieri malè, nisi Omnipotens et de malo posset « facere benè. » Et cap. 102 : « Sed quantælibet sint « voluntates vel angelorum, vel hominum, vel bono- « rum, vel malorum, vel illud quod Deus, vel aliud « volentes quàm Deus, Omnipotentis voluntas semper « invicta est. » Et libro 12 de Civitate Dei, cap. 2 : « Multa, inquit, fiunt à malis quidem contra voluntа- « tem Dei : sed tantæ est ille sapientiæ tantæque vir- « tutis, ut in eos exitus sive fines, quos bonos et ju- « stos ipse præscivit, tendant omnia quæ voluntati « ejus videntur adversa. Ac per hoc cùm Deus mutare « dicitur voluntatem, ut quibus lenis erat, verbi gra- « tiâ, reddatur iratus, illi potiùs quàm ipse mutantur, « et eum quodammodò mutatum in his quæ patiun- « tur inveniunt : sicut mutatur sol oculis sauciatis, « et asper quodammodò ex miti et ex delectabili « molestus efficitur, cùm ipse apud seipsum maneat « idem qui fuit. Dicitur etiam voluntas Dei, quam fa- « cit in cordibus obedientium mandatis ejus, de quâ « dicit Apostolus, Philipp. 2 : *Deus est qui operatur in « vobis et velle* ..... Secundùm hanc ergo voluntatem, « quâ Deum velle dicimus quod alios efficit velle, à qui- « bus futura nesciuntur, multa vult nec facit. Multa enim « volunt fieri sancti ejus ab illo inspiratâ sanctâ vo- « luntate, nec fiunt ; sicut orant pro quibusdam piè « sanctèque, et quod orant non facit, cùm ipse in eis « hanc orandi voluntatem sancto Spiritu suo fecerit. « Ac per hoc quandò secundùm Deum volunt et orant « sancti, ut quisque sit salvus, possumus illo modo « locutionis dicere : Vult Deus et non facit, ut ipsum « dicamus velle, qui ut velint isti facit. » Sed hæc non est Dei voluntas propriè dicta, sive interior actio Dei volentis aliquid fieri : signum est externum duntaxat divinæ voluntatis, non ejus beneplacitum. Signa illa externa, quæ Deum aliquid velle significant, quinque vulgò numerantur à theologis : *Præceptum, prohibitio, consilium, permissio, operatio.* Quæ hoc modo velle dicitur Deus, non semper fiunt, quia sæpè aliud fieri vult, quàm quod extrinsecùs indicat, etsi ad illud ipsum, quod præcipit, exequendum navare operam suam hominem velit, aut pro suo virili abstinere à malo quod prohibet. Sic Abrahamo filium suum immolare jussit, quod reipsà fieri nolebat : sed cùm interior illa Dei voluntas sancto Patriarchæ ignota esset, solùmque nôsset externum indicium quo se Deus id velle significabat, quæ suarum erant partium præstare debuit, quia Deus voluit ut præstaret, paratamque ad mactandum fi

lium voluntatem exhibere:, atque ad exequendum Dei mandatum se accingeret. Pergit S. Augustinus: « Secundùm illam verò voluntatem suam, quæ cum « ejus præscientiâ sempiterna est, profectò in cœlo « et in terrâ omnia quæcumque voluit, non solùm « præterita vel præsentia, sed etiam futura jam fecit. « Verùm antequàm veniat tempus quo voluit ut fie- « ret, quod ante tempora universa præscivit atque « disposuit, dicimus: Fiet quando Deus voluerit. Si « autem non solùm tempus quo futurum est, verùm « etiam utrùm futurum sit ignoramus, dicimus: « Fiet, si Deus voluerit: non quia Deus novam « voluntatem, quam non habuit, tunc habebit; sed « quia id quod ex æternitate in ejus immutabili præ- « paratum est voluntate, tunc erit. »

§ X. *Cur omnes homines non salventur, cùm Deus omnium salutem velit, si voluntas ejus semper impletur?*

Obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus fieri jubet Apostolus, 1 ad Timotheum 2, quia, *hoc bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Tres istius loci expositiones S. Augustinus affert, quartam SS. Joannes Chrysostomus, Joannes Damascenus, et Thomas. Primam expositionem S. Augustinus tradit in Enchiridio, cap. 103, ubi ait: « Cùm « audimus et in sacris litteris legimus, quòd velit om- « nes homines salvos fieri, non tamen ideò debemus « omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare, « sed ita intelligere quod scriptum est: *Qui omnes ho- « mines vult salvos fieri*, tanquàm diceretur, nullum « hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit, « non quòd nullus sit hominum nisi quem salvum « fieri velit; sed quòd nullus fiat, nisi quem velit, « et ideò sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri « si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, « ut hoc diceret. Sic enim intelligimus et quod in « Evangelio scriptum est: *Qui illuminat omnem homi- « nem*: non quia nullus est hominum qui non illumi- « netur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. » Eadem expositio habetur libro 4 contra Julianum, cap. 8, libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. 8 et epistolà 217, aliàs 107, ad Vitalem.

Expositionem alteram tradit in eodem Enchiridii loco: « Aut certè dictum est: *Qui omnes homines vult « salvos fieri*, non quòd nullus hominum esset quem « salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum fa- « cere noluit apud eos quos dicit acturos fuisse pœ- « nitentiam si fecisset; sed ut *omnes homines* omne « genus humanum intelligamus per quascumque diffe- « rentias distributum, reges, privatos, nobiles, igno- « biles, doctos, indoctos, divites, pauperes, mediocres, « mares, feminas... Isto locutionis modo et Dominus « usus est in Evangelio, ubi ait Pharisæis, Luc. 11: « *Decimatis mentham et rutam et omne olus*. Neque enim « Pharisæi, et quæcumque aliena, et omnium per « omnes terras alienigenarum omnia olera decima- « bant. Sicut ergo hìc *omne olus*, omne olerum genus, « ita et illic *omnes homines* omnium hominum genus « intelligere possumus; et quocumque alio modo in- « telligi potest, dùm tamen credere non cogamur ali- « quid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque « non esse: qui sine ullis ambiguitatibus, *si in cœlo « et in terrâ*, sicut eum veritas cantat, *omnia quæcum- « que voluit, fecit*, profectò facere noluit quodcum- « que non fecit. » Eadem expositio habetur libro de Correptione et Gratiâ, cap. 14.

Tertiam expositionem tradit libro de Correptione et Gratiâ, cap 15: « Quia ergo nos qui salvi futuri « sint nescientes, omnes, quibus prædicamus hanc « pacem, salvos fieri velle Deus jubet, et ipse in no- « bis hoc operatur, diffundendo istam charitatem in « cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est « nobis: potest etiam sic intelligi, quòd *omnes homi- « nes Deus vult salvos fieri*, 1 Tim, 2, quoniam nos « facit velle, sicut: *Misit Spiritum Filii sui clamantem: « Abba, Pater* (Gal. 4.), id est, nos clamare facientem. De « ipso quippe Spiritu alio loco dicit: *Accepimus Spiritum « adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater*, Rom. « 8. Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, « qui efficit ut clamemus. Si ergo clamantem Spiritum « rectè dixit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus, « rectè etiam volentem Deum, à quo efficitur ut ve- « limus. »

Ex tribus his expositionibus colligitur, voluntatem quâ Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, absolutam non esse, quia salutis effectum suspendi vult in adultis hominibus ex eorum voluntate, id est, vult eos salutem consequi si velint mandatis suis parere et benè operari; quamvis eorum qui volunt, « præparetur voluntas à Domino, « et tantùm adjuvetur munere charitatis ut possint, « eâ possibilitate quæ sanctis cum effectu provenit. » Hinc S. Augustinus. Enchiridii cap. 94, ait: « Nec « utique Deus injustè noluit salvos fieri, cùm possent « salvi esse si vellent. » Hinc Dominus in Evangelio compellans impiam civitatem, ait, Matth. 23: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Quod non ita intelligendum est, quasi Dei voluntas superata sit hominum voluntate, et infirmissimis nolendo impedientibus, non potuerit facere Potentissimus quod volebat; sed potiùs *Jerusalem filios suos ab ipso colligi noluit, sed eâ quoque nolente filios ejus collegit ipse quos voluit: quia in cœlo et in terrâ non quæcumque voluit et fecit, quædam verò voluit et non fecit, sed omnia quæcumque voluit fecit. Quis porrò tam impiè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed cùm facit, per misericordiam facit; cùm autem non facit, per judicium non facit, quoniam cujus vult miseretur, et quem vult indurat*, Rom. 9. Voluntate igitur absolutâ solos prædestinatos Deus vult salvos fieri:

omnes homines salvos fieri non vult eodem modo; unde mirum non est quòd hæc ejus voluntas non impleatur, quia non est voluntas absoluta respectu omnium. Ideò autem respectu reproborum absoluta non est, quia vel originali peccato, ut parvuli, vel iis quæ propriâ voluntate addituri sunt, ut adultæ ætatis homines, indigni sunt æternæ salutis beneficio, quod electis solâ misericordiâ præparat, reprobis justo judicio denegat.

Quartam loci hujus Apostolici expositionem tradunt S. Joannes Chrysostomus, homilià 1 in Epistolam ad Ephesios, et S. Joannes Damascenus libro 1 de Fide orthodoxâ, cap 29, Deum scilicet velle omnium salutem voluntate primâ, quam et *antecedentem* vocant; non voluntate secundâ, quam et *consequentem* appellant. Hâc enim voluntate vult electos duntaxat salvos fieri. Joannis Damasceni verba magis expressa subjicio : « Illud quoque nos ne fugiat « Deum ut bonitate præstantem, primariè quidem omnes homines salvari, ac regni sui compotes esse « velle. Neque enim supplicii ac cruciatûs causâ, verùm ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, nos « effinxit. Ut justum autem iis quoque qui peccant, « pœnam inferri nihilominùs velle. Ac prius illud « antecedens voluntas, seu beneplacitum dicitur, ex « ipso manans; secundum autem consequens voluntas atque permissio, à nostro vitio ortum ducens. « Scilicet Deus de suo optimus, de nostro justus, ut « Tertullianus ait; » quatenùs de suo bonus, vult omnes homines salvare; quatenùs de nostro justus, vult iniquos in peccatis permanentes damnare. Hoc est quod theologi de scholâ dicunt, S. Joannem Damascenum secuti, velle Deum omnium hominum salutem voluntate primâ et antecedente, non voluntate secundâ, et consequente. Voluntas prima, est quâ Deus ex sese vult aliquid sine ullâ consideratione circumstantium rerum; secunda, quâ ex certis circumstantiis vult aliquid, quod alioquin nollet, Hæc autem distinctio voluntatis divinæ ex ipsâ internâ Dei volentis operatione non petitur, quæ simplicissima est, nec prius et posterius admittit, sed ex parte rerum volitarum. Quod hunc in modum explicat perspicuè S. Thomas, 1 p., quæst. 19, art. 6 : « Unumquodque secundùm quòd bonum est, « sic est volitum à Deo. Aliquid autem potest esse « in primâ sui consideratione, secundùm quòd absolutè consideratur, bonum vel malum. Quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ « est consequens consideratio ejus, è contrario se « habet. Sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum, secundùm absolutam « considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem, quòd sit homicida, vel vivens in periculum « multitudinis, sic bonum est eum occidi, et malum « est eum vivere. Unde potest dici quòd judex justus « antecedenter vult omnem hominem vivere; sed « consequenter vult homicidam suspendi. Similiter « Deus antecedenter vult omnem hominem salvari; « sed consequenter vult quosdam damnari, secundùm exigentiam suæ justitiæ. Neque tamen id quod « antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed « secundùm quid : quia voluntas comparatur ad « res secundùm quòd in seipsis sunt : in seipsis « autem sunt in particulari (id est quatenùs « omnibus circumstantium rerum et adjunctarum conditionibus sunt circumvestitæ). Unde simpliciter « volumus aliquid, secundùm quòd volumus illud, « consideratis omnibus circumstantiis particularibus, « quod est consequenter velle. Unde potest dici, quòd « judex justus simpliciter vult homicidam suspendi, « sed secundùm quid vellet eum vivere (id est, secundùm considerationem aliquam, certumve aliquem intuitum); scilicet in quantum est homo. « Unde magis potest dici velleitas, quàm absoluta « voluntas. Et sic patet, quòd quidquid Deus simpliciter vult, fit, licet illud, quod antecedenter vult, « non fiat. » Velleitatem S. Thomas vocat, si cum voluntate consequente et absolutâ comparetur; sed tamen vera est et sincera voluntas, ac *beneplacitum* in Deo existens. Sic enim antecedentem illam voluntatem vocant S. Joannes Chrysostomus loco supra citato, et S. Thomas in libro Sententiarum.

Voluntatem illam divinam salutis omnium hominum approbat et explicat egregiè Ecclesia Lugdunensis, libro de tribus Epistolis, cap. 12 : *Secundùm piun quorumdam Patrum piorum sensum*, inquit, *Deus omnes homines vult salvos fieri bonitate Creatoris, quâ creaturam suam benè à se conditam perire non vult; idipsum iterùm non vult judicis æquitate, quâ eamdem creaturam suam, vel originali, vel etiam actuali peccato nequiter inquinatam et vitiatam impunitam esse non sinit. In tantum enim neminem vult perire, nec voluntas ejus alicui causa perditionis existit, ut per prophetam etiam juret et dicat :* Vivo ego, dicit Dominus quia nolo mortem impii, sed ut revertatur à viâ suâ impiâ, et vivat; *et tamen ipse, qui non vult mortem impii, perseverantem in impietate suâ impium procul dubio punit, ita in uno atque eodem homine et bonitatem et severitatem suam ostendens; bonitatem, quâ non vult eum perire; severitatem, quâ perseverantem in iniquitate non vult impunitum relinquere. Si ergo hoc quod de uno homine diximus, de universo genere hominum pereuntium similiter intelligatur, potest forsitan non absurdè dici, quòd Deus omnes homines salvos fieri velit bonitate Creatoris; et tamen eos quos indignos salute judicaverit, justâ judicis severitate non salvet.*

Id unum cavendum, ne dicamus, aut sentiamus, Deum exspectare eorum quos vult salvos fieri, voluntatem, ut ipsi libero arbitrio suo incipiant velle salvari, et tunc divinâ bonitate salventur; ut initium salutis eorum sit ex ipsis, perfectio autem ejusdem salutis ex Deo. Hic enim error Semipelagianorum est, ab Apostolo damnatus, ad Romanos 2 scribente : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* A concilio Arausicano 2, canone 4, confixus his verbis : *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritûs infusionem et operationem in nobis fieri*

confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti : Præparatur voluntas à Domino ; *et Apostolo salubriter prædicanti :* Deus *est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bonâ voluntate.* Hunc sensum meritò rejicit Ecclesia Lugdunensis, quòd Pelagianæ pravitati faveat, quæ salutem hominis non ex Dei dono, sed ex libero ipsius hominis arbitrio esse asserit. *Quod autem*, inquit, *ibi simpliciter intelligitur, Deum omnes homines velle salvos fieri, bonitate scilicet Creatoris, ita, ut putamus, fideliter potest recipi, si hanc voluntatem bonitatis suæ erga salutem non credatur humanâ obsistente voluntate implere non posse, sed obsistente humanâ iniquitate implere nolle.*

Cavendum etiam ne generali tantùm et indiscretâ voluntate Deum velle omnium hominum salutem asseramus, ita ut salus Prædestinatorum nullo modo in peculiarem Dei voluntatem, seu æternum vocationis propositum, quo discreti sunt à reprobis, sed in humanæ naturæ liberique arbitrii initiales quosdam conatus refundatur. Hic enim Semipelagianorum error est, ut constat ex Epistolis Prosperi et Hilarii ad S. Augustinum, et ex S. Prospero in Carmine de Ingratis :

Cùm sine delectu seu lex seu gratia Christi
Omnem hominem salvare velit, Dominique vocantis
Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate suâ proprioque venire vigore,
Sitque salus dignis salvari ex fonte volendi.

Et ex S. Fulgentio, libro de Incarnatione et Gratiâ, cap. 29. Illud verò Apostolicum, inquit, ubi dicitur « de Deo : *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad* « *agnitionem veritatis venire*, 1 Tim. 2, non sicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, sicut in « vasis misericordiæ, sic et in vasis iræ accipiendam « existimant, minùs considerantes veracissimam « Scripturæ sententiam, quæ divinæ commendans « omnipotentiam voluntatis : *Omnia*, inquit, psalm. 113, « *quæcumque voluit, fecit.* Quomodò igitur omnia quæ « vult facit, si volens hominem salvum fieri, cujus « salus nonnisi à bonâ incipit voluntate, ipsum velle « non in homine Deus inchoat, sed ut ab homine na« scatur exspectat ? »

Hoc autem errore seposito et damnato, quem ut everteret S. Augustinus æternum divinæ voluntatis propositum erga electos prædicavit, in ejusque efficacià commendandà maximè insistens, tres priores duntaxat apostolicæ sententiæ, quà Deum velle omnes homines salvos fieri docet, expositiones tradidit, alteri expositioni præjudicatum nolens, modò sana et catholica esset ; hoc, inquam, Semipelagianorum errore damnato, sentiendum est, Deum velle omnium hominum salutem, non solùm *bonitate Creatoris*, ut loquitur Lugdunensis Ecclesia, verùm etiam *bonitate Redemptoris*, quâ sanguinis Christi pretium pro omnibus omninò hominibus sufficienter ab ipso mediatore Dei et hominum Christo Jesu Deo oblatum est, Evangeliique prædicatio, et sacramenta, qui sunt *fontes Salvatoris*, omnibus communiter exposita sunt, ac præterea gratiæ etiam interiores sufficientes ad salutem ex hoc inexhausto divinæ bonitatis fonte jugiter et ubertim scaturientes, omnibus et singulis hominibus conferuntur, vel offeruntur. Hinc Apostolus, 1 ad Timoth. 2, inde probat Deum velle omnes homines salvos fieri, quòd pro ipsis mortuus sit Christus : *Omnes homines*, inquit, *vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Hinc S. Thomas docet voluntatis antecedentis quâ Deus vult omnium hominum salutem, effectum esse « ordinem na« turæ in finem salutis, et omnia communiter ho« minibus proposita, tam naturalia, quàm gra« tuita. »

§ XI. *Vis efficacissima divinæ gratiæ ex Dei omnipotentiâ derivatur. Quid de gratiâ credendum.*

Divinæ gratiæ vim efficacissimam sacræ Litteræ innumeris in locis prædicant, quibus Deus nos ad se convertere dicitur, cor et labia aperire, auferre cor lapideum, et cor carneum, facere ut in præceptis ejus ambulemus, cor regis habere in manu suâ et, quòcumque voluerit, illud vertere, operari in nobis velle et perficere ; sine Christo nihil nos posse facere, et ad ipsum venire neminem, nisi Pater æternus traxerit eum ; Psalmo 84 : *Converte nos, Deus, salutaris noster.* Jeremiæ 31 : *Converte me, et convertar....., Postquàm enim convertisti me, egi pœnitentiam.* Threnorum ultimo : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Ezechielis 36 : *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri : et auferam cor lapideum de carne vestrâ, et dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri ; et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini.* Proverb. 21 : *Cor regis in manu Domini ; quòcumque voluerit, inclinabit illud.* Psalmo 50 : *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* 2 Machab. 1 : *Deus det vobis cor omnibus ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno, et animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege suâ, et in præceptis suis.* Et, Actorum 16, de Lydiâ purpurariâ dicitur : *Cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.* Joannis 6 : *Nemo potest venire ad me*, inquit Christus, *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et Joannis 15 : *Sine me nihil potestis facere.* Ad Romanos 9 : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.... O homo, tu quis es qui respondeas Deo ?.... Quid adhuc queritur ? Voluntati enim ejus quis resistit ?* 1 ad Corinthios 4 : *Quis te discernit ? Quid autem habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis ?* Ad Philippenses 2 : *Deus est qui operatur in vobis velle et perficere pro bonâ voluntate.*

Idem confirmat Ecclesia, cui *legem credendi, lex statuit supplicandi*, ut Cœlestinus 1 loquitur, cùm Deum orat, ut *nostras etiam rebelles ad se compellat propitius voluntates ; ut largiatur nobis spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius et agendi ; ut inserat cordibus nostris sui amoris affectum ; ut faciat amare*

quod præcipit; ut *dirigat corda nostra suæ miserationis operatione, quia ipsi sine ipso placere non possumus;* ut *piis Ecclesiæ suæ precibus adsit auctor ipse pietatis, præstetque ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.*

Vim efficacissimam divinæ gratiæ ex divinâ omnipotentiâ derivatam plurimis in locis confirmant SS. Patres, præsertim SS. Augustinus, Prosper, et Fulgentius. Unus aut alter duntaxat S. Augustini locus in præsenti sufficiat. Libro de Correptione et Gratiâ, cap. 8, sic habet : « An audebis dicere, etiam rogante « Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, « si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam « usque in finem perseverare noluisset? Quasi aliud « Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Christus ro- « gâsset ut vellet. Nam quis ignorat tunc fuisse peri- « turam fidem Petri, si ea quâ fidelis erat, voluntas « ipsa deficeret; et permansuram, si eadem voluntas « maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino, « ideò pro illo Christi non posset esse inanis oratio. « Quando rogavit ergo ne fides ejus deficeret, quid « aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, « fortissimam, invictissimam, perseverantissimam vo- « luntatem? » Tum colligit vim illam efficacissimam divinæ gratiæ non officere hominis libertati : « Ecce « quemadmodùm secundùm gratiam Dei, non contra « eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe « humana non libertate consequitur gratiam, sed gra- « tiâ potiùs libertatem, et ut perseveret delectabilem « perpetuitatem, et insuperabilem fortitudinem. »

Et cap. 12 de Dono perseverantiæ electorum sic loquitur : « Tantùm quippe accenditur Spiritu sancto « voluntas eorum, ut ideò possint, quia sic volunt, « ideò sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam « si in tantâ infirmitate vitæ hujus ipsis relinqueretur « voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseve- « rare non possent, manerent si vellent, nec Deus in « eis operaretur ut vellent; inter tot et tantas ten- « tationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumbe- « ret, et ideò perseverare non possent, quia defi- « cientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent « infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est « igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gra- « tiâ indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur; et « ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque « adversitate aliquâ vinceretur. » Et cap. 14 asserit « Deum habere humanorum cordium quò placet in- « clinandorum omnipotentissimam potestatem. » Et paulò post ait Israelitas ex animo et bonâ voluntate constituisse regem David : « Et tamen, inquit, hoc in « eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit « operatur... Ac per hoc Dominus omnipotens, qui « erat cum illo, adduxit istos ut eum regem consti- « tuerent. Et quomodò adduxit? Numquid corporali- « bus ullis vinculis alligavit? Intùs egit, corda tenuit, « corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse « in illis operatus est, traxit. Si ergo cùm voluerit re- « ges in terrâ Deus constituere, magis habet in pote- « state voluntates hominum, quàm ipsi suas, quis alius « facit ut salubris sit correptio, et fiat in correpti « corde correctio, ut cœlesti constituatur in regno? » Et paulò ante in eodem capite : « Cùm autem homines « per correptionem in viam justitiæ seu veniunt seu « revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salu- « tem, nisi ille qui quolibet plantante atque rigante, « et quolibet in agris vel arbusculis operante, dat in- « crementum Deus, cui volenti salvum facere nullum « hominum resistit arbitrium? Sic enim velle seu nolle « in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam vo- « luntatem non impediat, nec superet potestatem. » Et libro de Gestis Pelagii, cap. 4 : « Procul dubio, in- « quit, plus est agi quàm regi; qui enim regitur, ali- « quid agit, et à Deo regitur ut rectè agat; qui autem « agitur, agere aliquid vix ipse intelligitur; et tamen « tantùm præstat voluntatibus nostris gratia Salvato- « ris, ut non dubitet Apostolus dicere, Rom. 8 : *Quot- « quot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Nec ali- « quid in nobis libera voluntas meliùs agere potest, « quàm ut illi se agendam commendet, qui malè agere « non potest; et hoc cùm fecerit, ab illo se ut faceret « adjutam esse non dubitet, cui dicitur in Psalm. 58 : « *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* » Idem libro 1 ad Bonifacium, cap. 29 : « Credimus, inquit, « tunc à Sanctis quos persequebatur, non inaniter « oratum esse pro Saulo, ut ad fidem quam vastabat, « voluntas ejus converteretur. Et illius quidem con- « versio desuper facta, manifesto etiam miraculo ap- « paruit; quàm multi inimici Christi quotidiè subitò « Dei occultâ gratiâ trahuntur ad Christum! Quod « verbum si non ex Evangelio posuissem, quanta de « me propter hoc iste dixisset, cùm etiam nunc oblu- « ctetur non mihi, sed illi qui clamat : *Nemo potest « venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum?* « Non enim ait, *duxerit*, ut illic aliquo modo intelli- « gamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si jam « volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intùs in « ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, « quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut vo- « lentes ex nolentibus fiant. » Libro de Gratiâ et li- bero Arbitrio, cap. 16 : « Certum est nos velle cùm « volumus; sed ille facit ut velimus bonum, de quo « dictum est, Proverb. 8, secundùm Septuaginta : « *Præparatur voluntas à Domino;* de quo dictum est, « Psal. 36 : *A Domino gressus hominis dirigentur, et « viam ejus volet;* de quo dictum est, Philipp. 2 : *Deus « est qui operatur in vobis et velle.* Certum est nos fa- « cere, cùm facimus; sed ille facit ut faciamus, præ- « bendo vires efficacissimas voluntati. » Et cap. 20 : « Scriptura divina, si diligenter inspiciatur, ostendit « non solùm bonas hominum voluntates quas ipse fa- « cit ex malis, et à se factas bonas in actus bonos et « in æternam dirigit vitam, verùm etiam illas quæ « conservant seculi creaturam, ita esse in Dei pote- « tate, ut eas quò voluerit, quando voluerit, faciat in- « clinari. » Et cap. 21 : « Agit enim Omnipotens in « cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, « ut per eos agat quod per eos agere ipse voluerit, qui

« omninò injustè aliquid velle non novit. » Libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 8 : « Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divinà largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur. » In Enchiridio ad Laurentium, cap. 32 : « Si rectè dictum est : *Non volentis hominis, sed miserentis est Dei*, quia id voluntas hominis sola non implet; cur non et è contrario rectè dicitur : Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus Christianus dicere audebit : Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat, restat ut propterea rectè dictum intelligatur : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam. »

Ex his omnibus perspicuum est, divinæ gratiæ vim efficacissimam ex omnipotentiâ divinâ derivari, in eamque refundi oportere. Id agnoscimus, cùm Deum omnipotentem in Symbolo fidei nostræ profitemur. In quo verò posita sit efficacia gratiæ, sive quomodò sit efficax, in Seminariis disceptandum non putamus, sed scholasticorum contentionibus quæstionem istam relinquendam. De gratiâ efficaci, quæ necessaria est ut agamus, et à gratiâ sufficienti distinctâ, quæ necessaria est ut possimus in ordine supernaturali, et cui sæpè resistitur, cùm efficaci gratiæ nunquàm resistatur, ea nôsse sufficiat, quæ catholica fides docet, atque S. Augustinus, cujus de gratiâ doctrinam probavit Ecclesia, secundùm eam tenendum esse ac propugnandum scripsit.

De gratiâ quid credendum? — Gratia non datur secundùm merita.

I. Credendum est inprimis *gratiam Dei secundùm merita nostra non dari* (S. August. epistolâ 217, aliàs 107, ad Vitalem); quod de gratiâ prorsùs omni, habituali sive sanctificante, et actuali; sufficiente, et efficaci; præveniente, atque excitante, adjuvante, et subsequente; operante, et cooperante, intelligendum est. *Si enim gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*, Rom. 11, 6. Attamen *ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici*, inquit S. Augustinus, epistolâ 186, aliàs 106.

Gratia ad singulos actus datur.

II. Credendum est, *gratiam Dei ad singulos actus dari* (S. August. epist. 107), sive ad singulos actus esse necessariam, proindeque Deum semper orandum ut « deducat nos in semitam mandatorum suorum, ut perficiat gressus nostros in semitis suis, ut non moveantur vestigia nostra, ut in adjutorium nostrum intendat; ut aptet nos in omni bono, ut faciamus ejus voluntatem; ut dirigat corda nostra in charitate; ut suâ nos gratiâ semper et præveniat et sequatur; ut actiones nostras aspirando præveniat, et adjuvando prosequatur, ut cuncta nostra oratio ab ipso incipiat et per illum cœpta finiatur; ut ejus auxiliis abstrahamur à noxiis et ad salutaria dirigamur. » Divini enim muneris est, cùm et rectè cogitamus, siquidem *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est*, ut ait Apostolus, 2 Cor. 3; et : *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum ut operemur, operatur.* Quamvis enim multa sint in homine bona quæ facit homo, *nullum tamen bonum est quod non præstet Deus ut faciat homo*, concil. Arausic. c. 9 et 20.

Gratia ad conversionem peccatoris necessaria.

III. Credendum est gratiam Dei ad conversionem peccatoris esse omninò necessariam, ut proinde prophetæ verbis orandum sit, Thren. ultimo : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Natura enim humana, etiamsi in illâ integritate, in quâ condita est, permaneret, « nullo modo seipsam Creatore suo non « adjuvante servaret. Cùm ergo sine Dei gratiâ salu- « tem non possit custodire quam accepit, quomodò « sine Dei gratiâ potest reparare, quam perdidit? » (S. August. epist. 186, aliàs 106.) Nullus ergo miser de quantàcumque miseriâ liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur, ut dicit Psalmista : *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ;* et : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* Unde sacra synodus Tridentina, sess. 6, c. 1, eos anathemate ferit, qui dixerint *hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, absque divinâ per Jesum Christum gratiâ posse justificari coram Deo.* A te deficere potes, infelix homo, tu teipsum reficere non potes; *ille reficit, qui te fecit*, inquit S. Augustinus; et : *Nemo de suo habet nisi mendacium et peccatum*, inquit Arausicana synodus II.

Gratia necessaria ad vincendas tentationes.

IV. Credendum est, ad vincendas tentationes et peccata vitanda necessariam esse Christi gratiam, per quem Deus *dat nobis victoriam*, qui *conterit Satanam sub pedibus nostris*, 1 Cor. 15; qui *rogavit pro Petro ut non deficeret fides ejus*, ad Rom. ult.; qui dixit : *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem*, Luc. 22; ut proinde, gravìùs præsertim tentationibus pulsati, orare debeamus cum Prophetâ, Psal. 17 : *Quoniam in te eripiar à tentatione... Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Orare debemus, ut faciat, *cum tentatione proventum, ut possimus sustinere*, Psal 26. Gratia igitur Christi non solùm valet ad remissionem peccatorum, quæ jam commissa sunt, *sed etiam ad adjutorium, ut non committantur.* Pelagianos secùs sentientes anathemate confixit synodus Carthaginensis, canone 3. Atque istud discrimen est inter medicum hominem, et cœlestem supremumque animarum medicum Deum, ut S. Augustinus explicat, libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 26 : « Medicus homo, cùm sanaverit hominem, jam de « cætero sustentandum elementis et alimentis corpo- « ralibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat « atque persistat, Deo dimittit, qui præbet ista in « carne viventibus, cujus etiam erant illa, quæ dùm « curaret, adhibebat... Ipse autem Deus, cùm per Me- « diatorem Dei et hominum hominem Jesum Chri- « stum, spiritualiter sanat ægrum vel vivificat mor-

« tuum., id est, justificat impium, et cùm ad perfectam « sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiam- « que perduxerit, non deserit nisi deseratur, ut piè « semper justèque vivatur. Sicut enim oculus corporis « etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus « non potest cernere, sic et homo etiam perfectissimè « justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitùs ad- « juvetur, rectè non potest vivere. Sanat ergo Deus, « non solùm ut deleat quod peccavimus, sed ut præ- « stet etiam ne peccemus. » Aliqua quidem vitant peccata, et aliquibus tentationibus resistunt peccatores ipsi, imò etiam ethnici, sed ea non vitant, nec iis resistunt ut par est, amore scilicet Dei, sed amore laudis et gloriæ, vel aliâ cupiditate, et *vitiis occultis*, nec omnia vitant, nec gravibus tentationibus diùque resistunt, sed *aliquas cupiditates ideò vincunt, ut alias expleant, quarum granditate vincuntur*; et : *In vulnera vulnere surgant. Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per Mediatorem Dei et hominum Jesum Christum.* S. August. lib. 21 de Civ. Dei, c. 16, et lib de Continentiâ, c. 12; S. Prosper, Carm. de Ingratis.

Gratia necessaria ad Deum super omnia diligendum.

V. Credendum est, gratiam Dei omninò necessariam esse ad Deum super omnia diligendum : siquidem *gratia Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Utrumque igitur est *Dei donum, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus.* Prorsùs « donum Dei est diligere Deum; « ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit; « displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde « placeremus. » Quamobrem « secundùm sanctarum « Scripturarum sententias, antiquorum Patrum defini- « tiones prædicare debemus, et credere quòd, per « peccatum primi hominis, ita inclinatum et attenua- « tum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea « aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere « in Deum, aut operari propter Deum quod bonum « est possit, nisi gratia eum aut misericordia divina « prævenerit. » Arausicani concilii II verba sunt. Idemque confirmat concilium Tridentinum, sessione 6, canone 3. Hinc Ecclesia publicis in precibus Deo supplicat, ut amorem sui fidelibus inspiret : « Da « populis tuis id amare quod præcipis... Sancti no- « minis tui timorem pariter et amorem fac nos ha- « bere perp tuum.... Infunde cordibus nostris tui « amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia « diligentes, promissiones tuas, quæ omne deside- « rium superant, consequamur; Deus virtutum, cujus « est totum quod est optimum, insere pectoribus no- « stris amorem tui nominis... Da nobis fidei, spei et « charitatis augmentum, et ut mereamur assequi quod « promittis, fac nos amare quod præcipis. »

Gratia necessaria ad servanda Dei mandata.

VI. Credendum est, Christi gratiam ad servanda legis divinæ mandata esse omninò necessariam; nec per illam solùm nobis revelari et aperiri intelligentiam mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, sed *per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus.* Credendum est necessariam esse, ut divina mandata simpliciter implere possimus, ac vitam æternam promereri, non autem *ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam; tanquàm etiam si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illâ implere divina mandata.* Qui secùs sentiebant Pelagiani hæretici, damnati sunt et anathemate perculsi, canonibus 4 et 5 concilii Africani, qui Milevitani nomine vulgò proferuntur, quos Tridentinum concilium renovavit, sessione 6, canone 2 : « Lex igitur data est, ut gratia « quæreretur; gratia data est, ut lex impleretur. Lex « data est ut monstraret homini infirmitatem, et quæ- « reret demonstrata infirmitas Salvatorem. Ad hoc « potiùs valet legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, « ut fiat mandati prævaricatio. *Ubi enim non est lex*, « ait Apostolus, Rom. 4, *nec prævaricatio.* Et : *Con- « cupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non con- « cupisces*, Rom. 7. Ac per hoc usque adeò aliud est « lex, aliud gratia, ut lex non solùm nihil prosit, « verùm etiam plurimùm obsit, nisi adjuvet gratia; « et hæc ostendatur legis utilitas, quoniam quos « facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gra- « tiam liberandos, et ut concupiscentias malas supe- « rent, adjuvandos. Jubet enim magis quàm juvat; « docet morbum esse, non sanat; imò ab eâ potiùs « quod non sanatur augetur, ut attentiùs et sollicitiùs « gratiæ medicina quæratur. » *Quia littera occidit*, 2 Cor. « 3, *Spiritus autem vivificat*, inquit S. Augustinus, lib. « de Gratiâ Christi, cap. 81. »

Quod autem ait Apostolus, Rom. 2 : *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*, vel de gentibus ad Christum conversis ejusque fide imbutis intelligendum est, nec ibi natura opponitur gratiæ, sed legi scriptæ, quæ data est Judæis, naturaque cogitanda est, per gratiam Christi reparata. *Non per naturam negata est gratia, sed per gratiam reparata natura*, ut explicat S. Augustinus, lib. de Spiritu et litterâ, cap. 26 et 27; vel si de gentibus à Christi fide alienis etiam exponatur, intelligendum est illas absque gratiâ Christi omnia legis præcepta non implere, sed aliqua duntaxat facultiora, qualia sunt, honorare parentes, colere amicitiam, justam ferre sententiam; et hæc quidem quoad substantiam operis duntaxat, non quoad modum, scilicet ex charitate, et (ut uno verbo multa complectar) *sicut oportet*, ad justificationem et vitam æternam consequendam, ut loquuntur concilia Arausicanum II et Tridentinum. *Necessaria est gratia adjuvantis, ut impleatur præceptum jubentis*, inquit S. Augustinus alio in loco. Et : *Mandatis Dei rectis et arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens ejus adjuvet charitas.*

Quamobrem gratiam ad implenda Dei mandata ab ipso cum Ecclesiâ ferventissimis precibus postulemus : « Dirigere et sanctificare digneris hodiè corda « et opera nostra in lege tuâ, et in operibus manda-

« lorum tuorum... Præsta, ut quæ tibi sunt placita, « et dictis exequamur, et factis... Mentes nostras be- « nignus illustra, ut videre possimus quæ agenda « sunt, et quæ recta sunt agere valeamus..... Perfice « ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante « impleamus. » Oremus et cum S. Augustino, lib. 10 Confess., cap. 29, dicentes : *Domine, da quod jubes, et jube quod vis.*

Gratia necessaria ad initium boni operis et fidei.

VII. Credendum est, gratiam non solùm ad consummationem, sed etiam ad initium boni operis, et ad ipsum initium fidei esse omninò necessariam, quia *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, 2 Cor. 6; *cujus sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*, Ephes. 2; et Joan. 6 : *Nemo* ad Christum *venire potest, nisi Pater traxerit eum, et nisi fuerit ei datum à Patre.* Orandus igitur est, ut *qui cœpit in nobis opus bonum, perficiat usque in diem Christi Jesu*, Philip. 1. Fidem etiam totam quanta est esse donum Dei Apostolus prædicat ad Ephesios scribens : *Gratiâ salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Tandem non posset verè dici homini : *Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* si fidei, aut boni operis initium ex seipso haberet. Quamobrem Semipelagianam hæresim concilium Arausicanum II confixit, canone 3, cujus hæc sunt verba : « Si quis ad invocationem « humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem « ipsam gratiam facere ut invocetur à nobis, contra- « dicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti : « INVENTUS *sum à non quærentibus me; palam apparui « his qui me non interrogabant,* » Isaiæ 65 ; Rom 10.

Et Canone 5 : « Si quis sicut augmentum, ita etiam « initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in « eum credimus qui justificat impium....., non per « gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs « sancti corrigentem voluntatem nostram ab infideli- « tate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed natu- « raliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus « adversarius approbatur. » Idem etiam fidei dogma canonibus 6 et 7, confirmatur. « Ut igitur perve- « niatur ad adjutorium Dei, ad Deum non curritur « sine adjutorio Dei, qui non solùm posse nostrum « donavit, atque adjuvat, sed etiam velle operatur in « nobis : non quia nos non volumus, aut non agimus, « sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid « boni, nec agimus. Quamvis enim bona voluntas ho- « minis multa Dei dona præcedat, non tamen omnia : « quæ autem non præcedit ipsa, in eis est et ipsa. « Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis, et : *Mi- « sericordia ejus præveniet me;* et : *Misericordia ejus « sequetur me :* Nolentem prævenit ut velit; volentem « subsequitur, ne frustra velit. » S. Augustinus, lib. de Gratiâ Christi, c. 23, et 25; Enchirid. cap. 32; Psalm. 58. Assiduis quidem precibus à Deo postulanda gratia est; sed, ut ait S. Prosper, carmine de Ingratis, c. 25 :

Hæc ut cujusque studio affectuque petatur,
Ipsa agit, et cunctis dux est venientibus ad se,
Perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.

Nec frustra nos adhortatur Scriptura sacra ut Deum quæramus, ut ad januam misericordiæ illius pulsemus, ut ad eum convertamur et redeamus. Debemus enim quærere, pulsare, ad Deum converti, et redire, idque cum Dei gratiâ possumus, *quâ ut non adjuventur* homines, *in ipsis causa est, non in Deo;* ut S. Augustinus docet, lib. 2 de peccat. Meritis et Remiss., c. 17. Ad peccandum namque non adjuvamur à Deo; justa autem agere, vel justitiæ præceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur à Deo. « Sicut « enim corporis oculus non adjuvatur à luce, ut ab « eâdem luce clausus aversusve discedat, ut autem vi- « deat, adjuvatur ab eâ, neque hoc omninò nisi illa « adjuverit, potest; ita Deus, qui lux est hominis in- « terioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non « secundùm nostram, sed secundùm ejus justitiam « boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimur, « nostrum est.... Conversos ergo Deus adjuvat, aver- « sos deserit. Sed etiam ut convertamur, ipse adju- « vat : quod certè oculis corporis lux ista non præ- « stat. Cùm ergo nobis jubet dicens, Zach. 1 : *Con- « vertimini ad me, et convertar ad vos;* nosque illi dici- « mus, Psalm. 79 : *Deus virtutum, converte nos;* quid « aliud dicimus, quàm : Da quod jubes? Cùm jubet di- « cendo, Ps. 118 : *Intelligite insipientes in populo* ; et nos « illi dicimus, Eccli. 8 : *Da mihi intellectum ut discam « mandata tua;* quid aliud dicimus, quàm : Da quod « jubes? Cùm jubet dicendo, Sap. 8 : *Post concupi- « scentias tuas non eas;* nosque dicimus, Isaiæ 56 : « *Scimus quia nemo potest esse continens, nisi Deus det;* « quid aliud dicimus, quàm : Da quod jubes? Cùm ju- « bet dicendo : *Facite justitiam;* nosque dicimus, Psal. « 118, 12 : *Doce me justificationes tuas*, quid aliud di- « cimus, quàm : Da quod jubes? » ibid. c. 5. Quærentes itaque Dominum, dùm inveniri potest, firmissimè credamus, quòd « nunquàm redire potest ovis errans, « nisi fuerit boni Pastoris inquisitione prævenita, et « humeris reportata. Propterea Pastor bonus venit quæ- « rere et salvam facere ovem perditam, quæ Pastorem « suum quærere non potest priusquàm ab eo quæra- « tur; sed à quærente prævenitur ut quærat. Pastor « autem frustra eam quæreret, si quæsita Pastorem « ipsa quærere non posset. Sed hoc ei quærenti Pa- « storis bonitas donat, ut etiam ipsa quærendi Pasto- « ris habeat voluntatem. Quæritur autem ut quærat, « quando illuminatur ut credat, » inquit S. Fulgentius, lib. de Incarn. et Grat. c. 22

Singularis gratia ad perseverandum necessaria.

VIII. Credendum est, singularis gratiæ donum ad perseverandum necessarium esse. Eos enim duntaxat in justitiâ stare, quos Deus omnipotenti voluntate suâ statuit, Apostolus significat, dicens, Rom. 14 : *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo suo autem dit : stabit autem; potens est enim Deus statuere illum* Idem perfectionem boni operis, id est, perseveran-

tiam in justitia, *usque in diem Christi Jesu* (Philipp. 1), gratiæ tribuit. Cui consentiens S. Petrus scribit : *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam gloriam suam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque,* 1 Petr. 5. Donum illud singulare David à Deo rogabat dicens, Psal. 16 : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Illud sibi, populoque suo adprecabatur his verbis, 2 Paralip. 29 : *Domine Deus, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in veneratione nem tui mens ista permaneat.* Illud pro Electis suis Christus à Patre postulavit, Joan. 17 : *Pater sancte,* inquit, *serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi... Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.* Eò denique Oratio Dominica penè tota collineat, ut perseverantiæ donum à Deo efflagitemus, ut S. Cyprianus ostendit, tractatu de oratione Dominicâ. Dogma istud fidei S. Augustinus adversùs Pelagianos et Semipelagianos passim confirmat libro de Correptione et Gratiâ et libro de Dono perseverantiæ. Concilium Arausicanum 2, canone 10, declarat, « adjutorium « Dei etiam renatis ac sanctis semper esse implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono « possint opere perdurare. » Concilium denique Tridentinum, sessione 6, canone 22, anathemate percellit eos qui dixerint, « hominem justificatum vel sine speciali auxilio Dei in acceptâ justitiâ perseverare posse, vel cum eo non posse. » Igitur « magnum illud « usque in finem perseverantiæ donum, » quod nemo se certò habiturum *absolutâ infallibili certitudine* nósse potest absque speciali revelatione, ut eadem sacra synodus docet, canone 16, à Deo continuis ferventissimisque precibus postulemus, quia etsi illud non possimus absolutè promereri, possumus tamen *suppliciter emereri*, hoc est, possumus impetrare. Deum oremus, inquit S. August., lib. de Dono. Persev. c. 6, ut « det « nobis perseverantem in suâ voluntate famulatum; « ut faciat nos suis semper obedire mandatis; ut nunquàm nos à se separari permittat. *Cum metu et tremore salutem nostram operemur*, Philipp. 2. *Qui se « existimat stare, videat ne cadat*, 1 Cor. 10. *Maneamus in Christo, ut maneat Christus in nobis*, Joan. 15. « *Fideles simus usque ad mortem, et dabit nobis coronam « vitæ*, » Apoc. 2. Nulla erit excusatio nostra, si non perseveremus, quia nobis verè dicitur : *Perseverares si velles*, quamvis bona voluntas ex Dei munere sit, à quo præparatur. Ratum denique sit, donum perseverantiæ non negari nisi ob peccatum. « Quibus deest tale adjutorium, pœna peccati est, inquit S. Augustinus, « lib. de Correptione et Gratiâ, cap. 7 et 11; Deus « enim suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi « priùs ab eis deseratur, » ut S. Augustinus passim « docet, et concilium Tridentinum, sessione 6, cap. 11. « Et Deus, nisi illius gratiæ defuerimus, sicut cœpit « opus bonum, ita perficiet, operans velle et perfice « re, » inquit idem concilium, cap. 13. « Verumtamen « qui se existimant stare, videant ne cadant, et cum « timore ac tremore salutem suam operentur in labo « ribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et « oblationibus, in jejuniis et castitate. Formidare enim « debent, scientes quòd in spem gloriæ, et nondùm in « gloriam renati sunt, de pugnâ quæ superest cum « carne, cum mundo, cum diabolo, in quâ victores esse « non possunt, nisi cum Dei gratiâ Apostolo obtempe « rent dicenti, Rom. 8 : *Debitores sumus non carni, ut « secundùm carnem vivamus; si enim secundùm carnem « vixeritis, moriemini : si autem Spiritu facta carnis « mortificaveritis, vivetis.* »

Vis omnis merendi bonis operibus ex gratiâ Christi est.

IX. Credendum est vim omnem merendi operibus justorum ex Christi gratiâ inesse. « Christus enim Jesus tanquàm caput in membra, et tanquàm vitis in « palmites, in justificatos jugiter virtutem influit; quæ « virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine quâ nullo pacto Deo « grata et meritoria esse possent. » Nemo igitur in seipso glorietur, sed in Domino, cujus tanta est erga « omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, « quæ sunt ipsius dona, » ut loquitur concilium Tridentinum, sessione 6, cap. 16, post Celestinum I, pontificem maximum. Bonis operibus Justos vitam æternam promereri credendum est, secundùm illud Apostoli, 1 Cor. 15 : *Stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* Et, 2 Cor. 4 : *Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Item, 2 Tim. 4 : *De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die, justus Judex : non solùm autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.* Et : *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Quamobrem concilium Tridentinum, sessione 6, canone 26, eos anathemate meritò ferit, qui dixerint, « justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare et sperare « æternam retributionem à Deo, per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si benè agendo, et « divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint. Sed quamvis debeatur merces bonis « operibus, si fiant, gratia tamen, quæ non debetur, « præcedit ut fiant. Hinc *gratia Dei vita æterna* ab « Apostolo dicitur, non quòd meritis non detur, sed « quia data sunt et ipsa merita quibus datur. Non « enim nobis parata sunt per nostram sufficientiam, « sed in nobis facta per gratiam. *Cui* ergo *redderet coronam justus Judex, si non donâsset gratiam misericors Pater?* Quomodò esset ista corona justitiæ, nisi « præcessisset gratia quæ justificat impium? *Quomodò « ista debita redderetur, nisi priùs illa gratuita donaretur?* Denique *cùm Deus coronat merita nostra, non « aliud coronat quàm munera sua;* de quo scriptum « est, Psal. 102 : *Qui coronat te in misericordiâ et miserationibus.* Concil. Arausic. 2, c. 18. S. August. lib « de Grat. et Lib. Arb. cap. 6, et epist. 194, aliàs 105, « ad Sixtum. »

Liberum arbitrium gratiæ cooperatur.

X. Credendum nihilominùs est, liberum arbitrium

à Deo motum et excitatum ad opera bona, cum Dei gratiâ et ex ipsâ gratiâ agere, non autem merè passivè se habere, aut moveri velut inanime quoddam: quæ hæresis est damnata à concilio Tridentino, sessione 6, canone 4. *Qui* enim *Spiritu Dei aguntur*, Rom. 8, ita aguntur ut agant, et cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant. « Spiritus Dei qui te agit, agenti « adjutor est tibi; ipsum nomen adjutoris præscribit « tibi, quia et tu ipse aliquid agis. Agnosce quid pos- « cas, agnosce quid confitearis quando dicis, Psal. « 26 : *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Adju- « torem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, si « ab illo nihil agatur. *Scimus*, inquit idem Aposto- « lus, Rom. 8, *quia diligentibus Deum omnia coope- « rantur in bonum.* Si non esses operator, ille non es- « set cooperator. Cùm igitur auditis : *Quotquot Spi- « ritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, nolite vos demitte- « re. Neque enim templum suum sic de vobis ædificat « Deus quasi de lapidibus qui non habent motum suum, « levantur, ab structore ponuntur. Non sic sunt lapi- « des vivi : *Et vos tanquàm lapides vivi coædificamini « in templum Dei.* Ducimini, sed currite et vos, Ephes. « 2 : *Ducimini, sed sequimini ; quia cùm secuti fueritis, « verum erit illud, quia sine illo nihil facere potestis,* » (S. August. Sermon. 156, aliàs 13, de verbis Apostoli.)

Gratia efficax et sanctificans non dantur omnibus.

XI. Credendum est, gratiam efficacem, et gratiam quæ justificat impium, gratiam fidei, gratiam regenerationis, gratiam seu donum perseverantiæ usque in finem, « non omnibus hominibus dari; eis quibus da- « tur, misericordiâ Dei gratuitâ dari; eis quibus non « datur, justo Dei judicio non dari, » ut loquitur S. Augustinus, epist. 217, aliàs 107.

Gratia efficax libertati non officit.

XII. Credendum est gratiæ vim efficacissimam ex divinâ omnipotentiâ, et divinæ voluntatis infinitâ virtute promanantem, humanæ libertati nullatenùs officere, cùm homo excitanti, moventi atque adjuvanti gratiæ liberè cooperetur, illamque *abjicere*, et *dissentire possit, si velit*, ut à concilio Tridentino, sessione 6, cap. 6, et canone 4, definitum est. *Voluntas* ergo *libera tantò erit liberior, quantò sanior : tantò autem sanior, quantò divinæ misericordiæ gratiæque subjectior ; libertas enim sine gratiâ, non est libertas, sed contumacia*, inquit S. Augustinus, epistolâ 157, aliàs 89. Omnipotentissimæ Dei voluntatis, gratiæque efficacis, vim ex illâ inseparabilem habentis, concordiam cum hominis libertate S. Anselmus confirmat, libro de Concordiâ Præscientiæ et Prædestinationis, cap. 3 : « Quoniam, inquit, quod « Deus vult, non potest non esse; cùm vult hominis « voluntatem nullâ cogi vel prohiberi necessitate ad « volendum; tunc necesse est voluntatem esse libe- « ram et esse quod vult. » Sanè divinæ omnipotentiæ et voluntatis vis efficacissima, *attingens à fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter*, non solùm omnia opera nostra in nobis operatur, sed etiam modum eorum, ut quæ ex gratiâ præveniente sunt à voluntate liberâ, tam liberè fiant, quàm si essent à solâ voluntate. siquidem « Deus magis habet in potestate « suâ hominum voluntates, quàm ipsi suas, » ut S. Augustinus docet. Propterea, Deus voluntatem excitans, in càque operans, ut ipsa cooperetur, trahit ipsam *amore et voluptate*, facitque ut « magis delectet « quod præcipit, quàm delectat quod impedit. » *Dominus dat benignitatem* sive *suavitatem* gratiæ suæ, et *terra* cordis nostri *dat fructum suum*. Facit ut *spiritalis boni delectatione* agamus. Quis verò libertatem lædi putet, cùm voluntas agit amando, et agendo delectatur? Cùm « sub gratiâ sanante, juvante, delectante, « implet legem, quæ non est ei pondus, sed decus, nec « timenti tormentum, sed amanti ornamentum? » ut loquitur S. Augustinus, sermone 33.

Etsi verò *non volentis neque currentis, sed miserentis sit Dei*, ut ait Apostolus, etsi gratia

Ipsa suum consummet opus, cui tempus agendi
Semper adest... Nec moribus illi
Fit mora, nec causis anceps suspenditur ullis,
Nec quod sola potest curâ officiove ministri
Exsequitur, famulisve vicem committit agendi,

ut ait S. Prosper in carmine de Ingratis, Deus tamen gratiam suam ita contemperat illis quos efficaciter vocat, movet, excitat ad bonum, ut illis congrua sit. Unde quamvis Deus multos vocet, « eorum tamen mi- « seretur, quos ita vocat, quo modo eis vocari aptum « est ut sequantur. Falsum est autem si quis dicit : « Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque cur- « rentis est hominis; quia nullius Deus frustra misere- « tur; et non potest effectus misericordiæ Dei esse in « hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si ho- « mo nolit. Cujus autem miseretur, sic eum vocat, « quomodò scit congruere, ut vocantem non respuat. » Non quidem explorando, aut expectando consensum voluntatis, sed efficiendo et contemperando gratiam, quo modo illis quos vocat, aptum est ut moveantur, et intelligant et sequantur. Illi ergo sequuntur vocationem, *qui ei capiendæ reperiuntur idonei ;* non quia seipsos idoneos reddunt, quibus verè dicitur : *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti?* Sed quia præparatur eorum voluntas à Domino, qui *ad fidem mentem applicat, voluntatemque conjungit*, ut loquitur S. Augustinus, lib. 1 ad Simplicianum, quæstione 2. Amorem justitiæ inspirat, voluntatesque flectit ac movet, ut rex omnipotens et optimus, imperio quidem efficaci, sed suavi, liberi arbitrii jure servato; non ut tyrannus cogit, aut durâ et ineluctabili necessitate compellit et constringit. Congrua certè est gratia quælibet efficax eâ congruitate, quam Dei voluntas omnipotens facit. Quid enim congruentius, aut quid jucundius infirmis gratiâ quâ sanantur, vel pigris gratiâ quâ excitantur, vel volentibus gratiâ quâ juvantur? « Quis ani- « mo complectitur aliquid quod eum non delectat? » Verùm « quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum « delectare possit, vel delectet cùm occurrerit? Cùm « ergo nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, « inspiratur hoc et præbetur gratiâ Dei, non nutu nos- « tro et industriâ, aut operum meritis comparatur : « quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii,

« ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur. » Verba sunt S. Augustini, loco mox indicato.

Itaque « auxilio et munere Dei non aufertur liberum « arbitrium, sed liberatur; ut de tenebroso lucidum, « de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente « sit providum, » inquit Cœlestinus I, sive alius auctor Collectionis sententiarum de Gratiâ et Libero Arbitrio, ejus epistolæ ad Gallos Episcopos adjunctarum. Et ut ait S. Prosper in Responsione ad Capitula Gallorum, cap. 13 : « Arbitrium hominis gratia Dei non « abolet, sed adolet; et ab errore in viam revocat ac « reducit, ut quod suâ libertate erat pravum, Spiritu « Dei agente sit rectum. »

Totum Deo tribuendum.

XIII. Denique quamvis liberum arbitrium per gratiam à Deo excitatum, motum, adjutum, ipsi cooperetur, totum tamen Deo tribuendum est : non Deo ex parte, et homini ex parte, sed *humilis sit et devota confessio, et detur totum* Deo, ut sæpè repetit S. Augustinus. Cùm enim *nemo habeat de suo nisi mendacium et peccatum*, ut docet Arausicana synodus 2, *in nullo gloriandum est, quando nostrum nihil sit.* Quam S. Cypriani, lib. 3 Testim. ad Quirinum, sententiam S. Augustinus contra gratiæ hostes protulit. Quidquid sumus, Dei misericordiâ sumus; quidquid ex nobis sumus, mali sumus. Quidquid boni habet homo, non habet nisi ab illo qui omne bonum nostrum est. « Non « partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum « singula opere individuo peragunt, inquit S. Ber- « nardus, lib. de Grat. et Lib. Arb. c. 14, totum « quidem hoc, et totum illa; sed ut totum in illo, « sic totum ex illâ. Igitur qui rectè sapiunt, tri- « plicem confitentur operationem : non quidem li- « beri arbitrii, sed divinæ gratiæ in ipso, sive de ipso. « Prima, creatio; secunda, reformatio; tertia est con- « summatio. Primò namque in Christo creati in liber- « tatem voluntatis, secundò reformamur per Christum « in Spiritum libertatis, cum Christo deinde consum- « mandi in statum æternitatis..... Cùm igitur consum- « matio fieri habeat de nobis, sive etiam in nobis, non « autem à nobis; creatio verò facta sit et sine nobis; « sola quæ nobiscum quodammodò fit propter consen- « sum voluntarium nostrum, in merita nobis repu- « tabitur reformatio. » Sed « Deus auctor est meriti, « qui et voluntatem applicat operi, et opus applicat « voluntati. » Agnoscamus igitur infirmitatem et impotentiam nostram : quidquid boni cogitamus, dicimus, operamur, ad Deum auctorem referamus, à quo est omne bonum et datum optimum. « Ipsa est « enim gratia beneficii Dei prima, redigere nos ad « confessionem infirmitatis, ut quidquid boni possu- « mus, quicquid potentes sumus, in illo simus, ut qui « gloriatur, in Domino glorietur, » inquit S. Augustinus. Enarratione in Psalmum 38. Cùm enim Deus operetur in nobis velle et operari pro bonâ voluntate, « hæc sanctis causa est tremendi atque metuendi, ne « ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, « et remaneant in infirmitate naturæ, » inquit S. Leo, sermone 8 de Epiphaniâ.

§ XII. *Fidei in Deum omnipotentem utilitas.*

Nulla res, inquit concilii Tridentini Catechismus, tam ad fidem et spem nostram confirmandam valet, quàm si fixum in animis nostris teneamus nihil non fieri à Deo posse. Quidquid enim deinceps credere oporteat, quamvis magnum et admirabile sit, rerumque ordinem ac modum superet, illi tamen facilè humana ratio, postquàm Dei omnipotentis notitiam perceperit, sine ullâ hæsitatione assentitur; quin potiùs quò majora sint, quæ divina oracula doceant, eò libentiùs fidem eis habendam esse existimat. Planè credendum est Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.

Præterea, si boni aliquid exspectandum sit, nunquàm animus rei magnitudine, quam exoptat, frangitur; sed erigit sese atque confirmat, sæpè illud cogitans, nihil esse quod ab omnipotenti Deo effici non possit. Hâc igitur fide præcipuè munitos nos esse oportet, vel cùm admiranda aliqua opera ad proximorum usum et utilitatem edenda sunt, vel cùm à Deo precibus impetrare aliquid volumus. Alterum enim ipse Dominus docuit, Matth. 17 : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illùc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis.* De altero S. Jacobus scribit, Epistolæ Catholicæ cap. 1 : *Si quis vestrùm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino.* Fides igitur impetrat, quod lex imperat. « Si « fides deficit, oratio perit. Quis enim orat quod non « credit? Unde et Apostolus, cùm ad orandum exhor- « taretur, ait, Rom. 10 : *Omnis quicumque invocaverit « nomen Domini, salvus erit.* Et ut ostenderet fidem « fontem esse orationis, nec posse ire rivum ubi caput « aquæ siccatur, adjunxit : *Quomodò autem invocabunt « in quem non crediderunt?* Ergo ut oremus, credamus; « et ut ipsa non deficiat fides quâ oramus, oremus. « Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat « firmitatem, » S. August. Serm. 115, aliàs 36, de Verbis Domini. Sed præsertim spem in misericordiam Dei erigit fides, quâ ipsum omnipotentem credimus. S. August., Serm. 213, aliàs de Tempore 119 : « Cre- « damus ergo in eum, et omnia nobis de ipsius mise- « ricordiâ promittamus, quia omnipotens est : ideò in « Deum Patrem omnipotentem credimus. Nemo dicat : « Non mihi potest dimittere peccata. Quomodò non « potest omnipotens? Sed dicis : Ego multùm peccavi. « Et ego, dico : Sed ille omnipotens est. Et tu : Ego « talia peccata commisi, unde liberari et mundari non « possum. Respondeo : Sed ille omnipotens est. Videte « quid ei cantetis in Psalmo 102 : *Benedic, anima mea, « Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus : qui « propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes « infirmitates tuas.* Ad hoc nobis est ejus omnipotentia « necessaria. »

Præterea, hæc fides ad omnem animi modestiam et humilitatem nos instituit. Unde Princeps Aposto-

lorum, Epist. 1, cap. 5 : *Humiliamini*, inquit, *sub potenti manu Dei*, qui nimirùm *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Monet insuper, non esse trepidandum ubi nulla est timendi ratio, sed unum Deum timendum esse, Regem regum, et Dominum dominantium, in cujus potestate nos ipsi et omnia nostra posita sint. Unde Salvator noster Lucæ 12 : *Ostendam vobis*, inquit, *quem timeatis : Timete eum qui postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.*

Utimur denique hâc fide ad immensa erga nos Dei beneficia cognoscenda et celebranda. Nam qui Deum omnipotentem cogitat, tam ingrato animo esse non potest, quin sæpiùs exclamet : *Fecit mihi magna, qui potens est*, Luc. 1.

§ XIII. Creatorem cœli et terræ.

I. Creationis opus admirabile personæ Patris eâdem ratione tribuitur, quâ omnipotentia, quamvis commune sit tribus personis adorandæ Trinitatis, cujus inseparabilis est operatio. Nam et *per Verbum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, Joan. 1. Et : *Quæcumque Pater fecerit, hæc et Filius similiter facit*, Joan. 5. Quod etiam de Spiritu sancto Propheta prædicat, dicens Psal. 32 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Sed creatio tribuitur Patri, et de illo Christus ait, Joan. 14 : *Pater in me manens ipse facit opera*, « quòd ab illo sit « etiam origo operum, à quo est existentia cooperan- « tium personarum; quia et Filius de illo natus est, « et Spiritus sanctus principaliter de illo procedit, de « quo natus est Filius, et cum quo illi communis est « idem Spiritus. Cùm igitur ait Dominus, Joan. 15 : « *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit*, non ad « Filium et Spiritum sanctum retulit, quasi non sint « illis operibus cooperati, sed ad homines à quibus « leguntur multa facta miracula, et tamen à nullo quæ « Filius fecit. Et quod ait Apostolus de Spiritu sancto, « 1 Cor. 12 : *Omnia autem hæc operatur unus atque* « *idem Spiritus*, non ideò dictum est, quasi non ei « cooperetur Pater et Filius, sed quia in his operatio- « nibus non sunt multi, sed unus Spiritus, et in di- « versis suis operationibus non est à se ipse diversus. » Sic Patrem dixisse credimus : *Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi*, Matth. 17. Et tamen huic miraculo vocis de cœlo sonantis cooperatos esse Patrem et Filium agnoscimus. Eodem modo cùm rectissimè dicamus, non Patrem, nec Spiritum sanctum super mare ambulàsse; illud tamen opus tanti miraculi, Patrem et Spiritum sanctum cooperatos esse quis abnuat? Sic et solum Filium verè dicimus suscepisse carnem, non Patrem aut Spiritum sanctum; et tamen hanc incarnationem ad solum Filium pertinentem quisquis negat cooperatum Patrem aut Spiritum sanctum, non rectè sapit. Item dicimus, nec Patrem, nec Filium, sed solum Spiritum sanctum, et in columbæ specie, et in linguis velut igneis apparuisse, et dedisse pronuntiare illis in quos venerat, multis et variis linguis magnalia Dei; à quo tamen miraculo ad Spiritum sanctum pertinente, cooperationem Patris et Verbi unigeniti separare non possumus. « Ita singulorum « quoque in Trinitate opera Trinitas operatur, uni- « cuique operanti cooperantibus duobus, conveniente « in tribus agendi concordiâ, non in uno deficiente « efficaciâ peragendi, » inquit S. Augustinus sermone 71, aliàs 11, de Verbis Domini, cap. 16.

II. Creatorem cœli et terræ profitemur Deum, quia mundum qui est cœli terræque compages, ex nihilo condidit, non ex materiâ aliquâ sibi coæternâ, quam ipse non fecerit, idque nullâ vi aut necessitate coactus, sed suâ sponte et voluntate. Neque verò ulla alia fuit causa, quæ Deum ad opus creationis impelleret, nisi ut bonitatem suam cum rebus quæ ab ipso essent effectæ, communicaret. Nullius enim rei indiget, qui per se beatissimus est. *Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, inquit Propheta, Psal. 15. Quemadmodùm autem solâ suæ bonitatis propensione mundum condidit, ita non exemplum aliquod aut formam extra se positam imitatus est in creatione rerum; sed rerum omnium creandarum rationes intelligibiles, vivas, æternas, incommutabiles, seu præformatas et descriptas in mente suâ, in arte suâ; in Verbo suo imagines atque exemplaria, quæ in ipsâ arte divinâ unum sunt, intuitus, ac veluti imitatus, summâ sapientiâ et infinitâ virtute, quæ ipsius propria est, rerum universitatem in principio procreavit. *Ipse* enim *dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt*, Psal. 32. S. August. lib. Quæst. octoginta trium, quæst. 46, et lib. 12 de Civit. Dei, cap. 20. De ideis illis seu exemplaribus rerum in mente supremi artificis Dei, seu in Verbo divino existentibus, illud S. Joannis 1 oraculum : *Quod factum est in ipso vita erat*, S. Augustinus interpretatur, Tractatu 1 in Joannem : « Facta est terra, inquit, sed ipsa terra quæ « facta est, non est vita : est autem in ipsâ sapientiâ « spiritaliter ratio quædam, quâ terra facta est, hæc « vita est... Faber facit arcam. Primò in arte habet « arcam : si enim in arte arcam non haberet, unde « illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte, « ut non ipsa arca sit, quæ videtur oculis. In arte in- « visibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta « est in opere, numquid destitit esse in arte? Et illa « in opere facta est, et illa manet quæ in arte est : « nam potest illa arca putrescere, et iterùm ex illâ « quæ in arte est alia fabricari. Attendite ergo arcam « in arte, et arcam in opere. Arca in opere non est « vita, arca in arte vita est : quia vivit anima artificis, « ubi sunt ista omnia antequàm proferantur. Sic ergo « quia sapientia Dei per quam facta sunt omnia, se- « cundùm artem continet omnia, antequàm fabricet « omnia; hinc quæ fiunt per ipsam artem non conti- « nuò vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo « est. Terram vides, est in arte terra. Cœlum vides, « est in arte cœlum. Solem et lunam vides, sunt et « ista in arte; sed foris corpora sunt, in arte vita « sunt. »

Quamvis porrò Deus creaturas plurimas ex aliis condiderit atque etiammùm producat, illarum nihilo-

minùs Creator propriè verèque appellatur, tum quia materiam, quâ constant, ex nihilo produxit in primâ rerum molitione; tum quia, quod homines spectat, illorum animas è nihilo quotidiè creat, et creando corporibus infundit; tum quia in rerum quotidianâ productione per causas secundas, quibuscum efficiendi vim causæque dignitatem communicat, materiâ non indiget circa quam agit, et ex quâ formas educit, nec ab eâ ullo modo dependet ejus operatio. Hinc eamdem actionem quâ homo gignitur, S. Augustinus creationem vocat, quatenùs à Deo est, generationem verò quatenùs ab homine est. Sic enim libro 4 contra Julianum, cap. 8 : *Qui nondùm*, inquit, *sicut parvuli utuntur voluntatis arbitrio, eo volente regenerantur, quo creante generantur.* Et libro 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 1 : *Ex maribus et feminis Deus homines creat.* Tum libro 2 de Animâ et ejus origine, cap. 3 : *Creatura omnis*, inquit, *ex Deo, sed creante vel ex nihilo, vel ex aliquo, non autem gignente vel producente de seipso.* Et alibi : *Nascuntur homines homine generante, Deo creante, veccato inficiente, diabolo possidente.*

Cœli et terræ creatorem credere nos profitemur Deum, his nominibus intelligentes et significantes quicquid cœlum et terra complectuntur. Nam præter cœlos, quos *opera digitorum* ejùs Propheta appellavit Psal. 8, lucem etiam splendoremque solis, lunæque, et cæterorum syderum ornatum addidit, ut diem ac noctem dividerent, essentque in signa, et tempora, et dies, et annos. In cœlo etiam spiritualem naturam, scilicet angelos innumerabiles ex nihilo creavit Deus, qui ipsi ministrarent et assisterent. Hinc de Filio Dei Apostolus ad Colossenses scribens, cap. 1, ait : *Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terrâ, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates : omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.* Terram porrò super stabilitatem suam fundatam Deus verbo suo jussit in medio mundi consistere, effecitque ut ascenderent montes et descenderent campi in locum quem fundavit eis : ac ne aquarum vis illam inundaret, terminum posuit quem non transgredientur, neque convertentur operire terram. Deinde non solùm arboribus, omnique arborum et florum varietate convestivit atque ornavit, sed innumeris etiam animantium generibus, quemadmodùm antea aquas et aerem, ita etiam terras complevit. Postremò ex limo terræ condidit hominem, *Dei manu pro matrice usum*, ut Basilius Seleuciensis loquitur; et *insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est in animam viventem*, Gen. 2. Hæc omnia cœli et terræ verbis intelligenda sunt, quæ Propheta hâc sententiâ expressit, Psal. 88 : *Tu sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ, et plenitudinem ejus tu fundàsti.* Et multò breviùs Nicæni concilii Patres additis Symbolo duobus illis verbis, *visibilium et invisibilium*, significaverunt. Quæcumque enim rerum universitate comprehenduntur, ea vel sub sensum cadunt, et visibilia dicuntur; vel mente et intelligentiâ percipi à nobis possunt, quæ invisibilium nomine significantur. Id autem additum contra Manichæorum hæresim, qui Deum optimum maximum carnis conditorem corporumque negabant, sed mali principii esse dicebant opificium, et duas animas in homine esse asserebant, unam bonam à bono Deo, alteram malam ab adverso principio. Hæc autem omnia Deus non ab æterno, sed in principio temporis creavit, ut declaravit Ecclesia in concilio Lateranensi IV, sub Innocentio III, canone 1 : « Unum, inquit, universorum principium, Creator omnium visibilium et invisibilium, « spiritualium et corporalium : quia sua omnipotenti « virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo « condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. »

§ XIV. *Quid de angelis fides doceat? — Angeli puri spiritus sunt.*

I. Angelos spiritus esse fides docet. Psalmo enim 103 scriptum est : *Qui facis angelos tuos spiritus*; et ab Apostolo, Hebr. 1 : *Administratorii spiritus* appellantur. Incorporei sunt, immortales, invisibiles; pinguntur tamen et sculptis imaginibus ut homines repræsentantur, quia in humanâ formâ ad tempus assumptâ hominibus apparuerunt, cùm ad eos missi sunt à Deo. Magno illos esse numero certum est; id enim sacræ litteræ nos docent, Danielis 8 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia asistebani ei.* Et Apocalypsis 5 : *Et erat numerus eorum millia millium.* Quanta sit eorum multitudo, pro certo non habetur : infinitum non esse certum est. Scientiâ eminenti præditos esse Scriptura sacra testatur, 2 Regum 14 : *Tu, Domine mi rex, sapiens es sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* Cogitationes tamen hominum minimè noverunt, quia hujusmodi cognitio Dei propria est, qui *scrutatur renes et corda*, qui *finxit sigillatim corda eorum, et intelligit omnia opera eorum, et novit abscondita cordis*, Psalmis 7, 32 et 43. De quo et 3 Regum, c. 8, Salomon ait : *Tu nôsti solus cor omnium filiorum hominum.* De quo et Apostolus ad Hebræos 4 : *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ ac Spiritûs, compagum quoque ac modullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* Hinc Apostoli orantes dixerunt, Act. 1 : *Tu, Domine, qui corda nôsti omnium*, etc. Potentes sunt, magnâque vi pollent, ut S. rex David significat his verbis : *Potentes virtute, facientes verbum illius.* Quamobrem sæpè in sacris litteris *virtutes* et *exercitus Domini* appellantur. Pernicitatis sunt incredibilis, et minimo temporis spatio ad quælibet locorum intervalla raptim feruntur, et eo quidem modo, quem ne abumbrare quidem cogitando possumus, nedùm oratione aut argumentis assequi. Hinc Tertullianus Apologetici, cap. 22, de Angelis ait : *Omnis Spiritus ales, hoc est, angeli et dæmones. Igitur momento ubique sunt. Totus orbis illis locus unus est. Quid*

ubi geratur tam facilè sciunt, quàm enuntiant. Hinc alis instructi pinguntur angeli, quibus et sanctorum spirituum fervor et velocitas ad Dei mandata exequenda abumbratur, maximèque ad orationes nostras *ambitioso famulatu ac ministerio* ad Deum pervehendas, ut loquitur S. Hilarius; nec preces tantùm, sed et cætera pietatis opera. Quò spectat illa scalæ Jacob cœlitùs repræsentatæ expositio, et per eam ascendentium ac descendentium infatigabili alternatione angelorum. Unde Alcimus Avitus, Fragmento 6 in Epistolam ad Philippenses ait : « Scalæ gradus sunt supplicationes « humanæ, quibus quisque pro viribus in divinas au- « res, precum qualitate mittatur. Ascendunt autem per « eos angeli, cùm vota nostra in cœlum porrigunt. « Descendunt, cùm de cœlis obtenta transmittunt. « Assistunt hi precibus nostris, non pennarum flatu, « sed donorum spiritu, quorum volâsse, voluisse est. » De tantâ beatitudine, unde nos modo peregrinamur, « attendunt nos peregrinos, et miserantur nos, et jussu « Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriam com- « munem aliquando redeamus, et ibi cum illis fonte « Dominico veritatis et æternitatis aliquando sature- « mur, » inquit S. Augustinus Enarratione in Psalmum 62.

Angeli in gratiâ conditi.

II. Cùm gratiâ conditos angelos omnes colligitur ex eo quòd sacræ litteræ de diabolo testantur, *quòd in veritate non stetit*, et ex iis quæ ab Ezechiele de diabolo figuratè dicta sub personâ regis Tyri, Patres plerique et universa theologorum schola interpretantur : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, et perfectus decore, in deliciis Paradisi Dei fuisti : Omnis lapis pretiosus operimentum tuum... Aurum opus decoris tui... Tu Cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulâsti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Deus igitur angelos « cum bonâ vo- « luntate, id est, cum amore casto, quo illi adhære- « rent, creavit, simul eis condens naturam, et largiens « gratiam, » ut loquitur S. Augustinus libro 12 de Civitate Dei, cap. 9 : « Si enim boni angeli fuerunt « priùs sine bonâ voluntate, eamque in seipsis Deo « non operante fecerunt ; ergo meliores à se ipsis, « quàm ab illo facti sunt? Absit. Quid enim erant sine « bonâ voluntate nisi mali? Aut si propterea non mali, « quia nec mala voluntas eis inerat, certè nondùm « tales, nondùm tam boni, quàm esse cum bonâ vo- « luntate cœperunt. Aut si non potuerunt seipsos fa- « cere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo me- « lius quidquam facit ; profectò et bonam voluntatem « quâ meliores essent, nisi operante adjutorio Creato- « ris habere non possent... Confitendum igitur est cum « debitâ laude Creatoris, non ad solos sanctos homines « pertinere, verùm etiam de sanctis Angelis posse « dici, quòd charitas diffusa sit in eis per Spiritum « sanctum, qui datus est eis ; nec tantùm hominum, « sed primitùs præcipuèque angelorum bonum esse « quod scriptum est, Psal. 72 : *Mihi adhærere Deo « bonum est.* »

Sanctorum angelorum pugna cum malis. Quodnam istorum peccatum?

III. Tria duntaxat sanctorum angelorum nomina ex Scripturâ sacrâ novimus, *Michaelis*, *Raphaelis*, *Gabrielis*, Dan. 10 et 12, Judæ vers. 9. Prælium magnum in cœlo factum S. Joannes Apocalypsis 12, commemorat : *Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone* (id est, cum angelorum perduellium principe, cui *Lucifero et Belzebud* nomen) ; *et draco pugnabat, et angeli ejus, et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem ; et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus : quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Michael, cujus nomen significat, *Quis ut Deus?* Ejusque sancti commilitones Deo subjecti, gratiasque pro acceptis donis divinæ majestati referentes, humilitate diabolum vicerunt et angelos ejus, steteruntque per liberum arbitrium, gratiâ tamen ampliori adjutum. Cæteri per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt. « Istis malâ voluntate cadentibus, illis ampliùs ad- « juti, ad eam beatitudinem unde se nunquàm casuros « certissimi fierent, pervenerunt, » inquit S. Augustinus lib. de Corrept. et Gratiâ, c. 10 ; lib. 12 de Civit. Dei c. 9. « Proinde causa beatitudinis bonorum angelorum ea « est, quòd ei adhæserint qui summè est. Cùm verò « causa miseriæ malorum angelorum quæritur, ea « meritò occurrit, quòd ab eo qui summè est aversi, « ad seipsos conversi sunt, qui non summè sunt : et « hoc vitium quid aliud quàm superbia nuncupatur? « *Initium* quippe *omnis peccati superbia*, Eccli. 10. No- « luerunt ergo ad illum custodire fortitudinem suam : « et qui magis essent, si ei qui summè est adhærerent ; « se illi præferendo, id quod minus est prætulerunt. » Verba sunt S. Augustini libro 12 de Civitate Dei, cap. 6.

Illud superbiæ diabolicæ crimen dilucidè S. Gregorius Magnus explicat libro 34 Moralium, cap. 17 : « Ei, inquit, à quo conditus fuerat, subesse despexit. « Ita enim Deus super omnia est, ut ipse sub nullo « sit : Leviathan verò iste ejus celsitudinis culmen « aspiciens, jus perversæ libertatis appetiit, ut et « præesset cæteris, et nulli subesset dicens, Isai. 14 : « *Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero « Altissimo.* Cujus eo ipso similitudinem perdidit, quo « esse ei superbè similis in celsitudine concupivit. Qui « enim charitatem ejus imitari debuit subditus, ambiit « ejus celsitudinem, et hoc quod imitari poterat, « amisit elatus. Celsus nimirùm esset, si ei qui vera- « citer celsus est, inhærere voluisset. Celsus esset, « si participatione veræ celsitudinis contentus fuisset. « Sed dùm privatam celsitudinem superbè appetiit, « jure perdidit participatam. Relicto enim eo, cui de- « buit inhærere, principio, suum sibi appetiit quodam- « modò esse principium. Relicto eo qui verè illi suffi- « cere poterat, se sibi sufficere posse judicavit ; et

« tantò magis intra se cecidit, quantò magis se contra « gloriam sui Conditoris erexit. » Superbiam proprium primumque diaboli peccatum fuisse perspicuè significat Apostolus 1 ad Timotheum 3, cùm neophytum ad episcopatum provehi vetat, *ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Superbiam casumque diaboli invidia felicitatis humanæ secuta est : quâ *invidiâ mors intravit in mundum.*

Mali angeli in infernum detrusi.

IV. Superbiæ igitur merito ex altissimis cœli sedibus deturbati dæmones, in infernum detrusi sunt, æternas defectionis suæ pœnas luituri. De quibus S. Petrus, 2 Epistolæ suæ cap. 2, scribit : *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Et S. Judas Apostolus in Epistolâ suâ canonicâ : *Angelos verò,* inquit, *qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Dæmones igitur omnes in tartara sunt præcipitati, ibidem *igne æterno* cruciandi, *qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Non tamen inferis sic addicti sunt et affixi dæmones, ut inde tanquàm è carcere nunquàm exeant ante ultimum judicii diem. Nam constat plurimos permittente Deo per aera discurrere, ibique sedem suam constituere ad hominum exercitationem et infestationem. Unde à S. Paulo, Ephes. 2, diabolus vocatur *Princeps potestatis aeris hujus;* cui scilicet subjecti sunt et obsequuntur dæmones qui in aere degunt. Et apud S. Lucam 8, iidem illi, cùm se ex obsessis corporibus exturbandos viderent à Christo, *rogaverunt illum ne imperaret illis ut in abyssum irent;* quo nomine tartara inferosque designant. Qui verò in aere isto caliginoso versantur, quamvis actu non alligentur igne tartareo, tamen ex hoc ipso quòd sciunt illam alligationem sibi deberi, seque sempiternis ignibus destinatos, non minuitur illorum pœna, sicut nec gloria beatorum angelorum, qui è cœlo ad nos descendunt. Unde venerabilis Beda de dæmonibus ait, in cap. 1 Epist. S. Jacobi : « Suarum secum ferunt semper tormenta flammarum, instar febricitantis; qui « etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apricis, « fervorem tamen vel frigus insiti sibi languoris evitare non potest. »

Varii beatorum angelorum ordines.

V. Varia esse beatorum angelorum nomina, quibus certi gradus et ordines illorum designantur, certò colligitur ex Prophetis, Isai. 6, Ezech. 9 et 10; Apostolo, Eph. 1, 21, Coloss. 1, 16, et SS. Patribus. Quot sint hierarchiæ vel ordines sanctorum illorum spirituum, et quid inter se distent, quamvis fides non doceat, seque ignorare S. Augustinus fateatur; recepta tamen sententia est, et SS. Dionysii, Gregorii Magni, Maximi, Isidori, Bernardi et Thomæ auctoritate fulta, novem esse angelorum choros sive ordines, scilicet *Seraphim, Cherubim, Thronos; Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangelos et Angelos.* (S. August. lib. contra Priscill. et Origen. cap. 10, et in Enchir. c. 58; Dionys. lib. de Cœlest. Hierarch.; Greg. Hom. 34 in Evang.; Isid. 6, Orig. Ber. lib. 5 de Consid., et serm. 19 in Cant.) *Seraphim* ab igneo charitatis ardore appellantur; *Cherubim* à multitudine scientiæ; *Throni,* ob celsitudinem, et quòd in eis Deus sedeat, singularique modo requiescat; *Dominationes,* quòd mirâ potentiâ præemineant, eisque cæteri ordines inferiores ad obediendum subjecti sint; *Virtutes,* ob firmitatem et vigorem, et quòd per eos signa et miracula frequentiùs fiant; *Potestates,* quia hoc potentiùs cæteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni dæmones subjecti sint, eorumque potestate comprimantur, ne hominibus tantùm noceant quantùm volunt; *Principatus,* quòd inferioribus ordinibus ad explenda divina ministeria præsint; *Archangeli,* qui mysteriorum divinorum conscii, nonnisi maxima nuntiant, et angelis præsunt; *Angeli,* qui minima. Angeli commune nomen est, non naturæ, sed officii. Singulos verò beatorum spirituum ordines Deum Christumque proprio sibi amore diligere, S. Bernardus ostendit, sermone 19 in Cantica.

Angelus custos cuique homini à Deo præpositus.

VI. *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis,* ut tradit Apostolus ad Hebræos scribens, cap. 1. Suum cuique homini à Deo præpositum angelum custodem, maximè verò fidelibus, Patres summo consensu docent, Christianumque istud dogma certò colligitur ex verbis Christi, Matth. 18 : *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Et ex Actorum 12 ubi scriptum est, S. Petro, postquàm ex carcere liberatus est, ostium pulsante, dixisse qui domi tunc erant : *Angelus ejus est.* Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis ad sui custodiam angelum deputatum. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis,* Psal. 90. « Fide cognoscimus an« gelos *ascendentes et descendentes,* Joan. 1. Ascendunt « per contemplationem Dei, descendunt per compas« sionem tui, ut custodiant te in omnibus viis tuis. « Ascendunt ad vultum ejus, descendunt ad nutum « ejus; quoniam *angelis suis mandavit de te.* Quantam « tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre « devotionem, conferre fiduciam? *Reverentiam pro « præsentiâ, devotionem pro benevolentiâ, fiduciam pro « custodiâ.* Cautè ambula, ut videlicet cui adsunt an« geli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. « In quovis diversorio, in quovis angulo, angelo tuo « reverentiam habe, » S. Bernard. serm. 11 et 12, in Psal. 90. Nè audeas illo præsente, quod vidente homine non auderes. Gratias Deo agamus, qui angelis suis mandavit ut custodiant nos, ut protegant, ut prosint, ut dæmonum infestationes et tentationes comprimant, ut pia nobis consilia suggerant, ut preces nostras offerant Deo, ab eoque vicissim beneficia nobis reportent, ut nobis in periculis quibusque opem afferant. Soli Deo honor et gloria, qui ipsis mandavit

ut custodiant nos in omnibus viis nostris. Verùm et beatis illis spiritibus qui ei ex tantâ charitate obediunt, ne simus ingrati, redamemus eos; honoremus eos quantùm possumus, quantùm debemus. « Totus tamen « ei reddatur et amor, et honor noster, à quo tam « ipsis quàm nobis est totum, unde honorare possu- « mus vel amare, unde amari honorarive meremur. « In Deo diligamus angelos ejus, tanquàm futuros ali- « quando cohæredes nostros, interim verò actores et « tutores à Patre præpositos nobis. Nunc enim filii Dei « sumus, et nondùm apparuit quid erimus, eò quòd « adhùc parvuli sub tutoribus et actoribus simus, tan- « quàm nihil interim differentes à servis. Cæterùm « etsi parvuli simus, et tam magna nobis et periculosa « restet via, quid tamen sub tantis custodibus timea- « mus? Nec superari, nec seduci, minùs autem sedu- « cere possunt. *Fideles sunt, prudentes sunt, potentes « sunt*, quid trepidamus? Tantùm sequamur eos, ad- « hæreamus eis, et in protectione Dei cœli commore- « mur. *Angelorum, si meruerimus, candidati*, ut loquitur Tertullianus, id est, ejusdem beatitudinis consortes aliquando futuri, ad unam cum illis civitatem Dei pertinentes, angelicè vivamus, *amore casto*, sicut beati illli spiritus, Deo adhæreamus, castitatem mentis et corporis servemus. Per continentiam sit nobis *angelificata caro*, ut Tertulliani verbis utar. Sic enim *de familiâ angelicâ deputabimur*. Simus, ut beatæ illæ mentes, à terrenis corporeisque rebus secreti, ad divina obsequia prompti ac ferventes, in Deum Christumque prospicere desiderantes, faciem Patris, quam in cœlis vident, hìc fidei oculis aspicientes, Deumque semper habentes præsentem. Huic assistamus jugiter, et ministremus. Humiles simus, et Deo grati; si quam excellentiam Dei dono habemus, sive nobilitatis, sive formæ, sive ingenii, sive scientiæ, sive virtutis, ejus amore ac voluptate capti ne nobis nimiùm placeamus, ne intumescamus, sed ad Deum referamus quidquid boni habemus, scientes quòd *superbia ex angelis dæmones fecit : humilitas homines sanctis angelis similes reddit*, ut ait Julianus Pomerius libro 3 de Vitâ contemplativâ, cap. 3. Denique animæ nostræ curam geramus, sicut nostri curam gerunt Deus et angeli ejus. Non dormit neque dormitat qui custodit Israel. « Nos « autem aut non attendimus, aut minùs attendimus re- « verentiam præsidentis, protegentis custodiam, bene- « ficia largientis, ingrati gratiæ, imò tam multiplicibus « gratiis, quibus prævenit nos, et subvenit nobis. Et « nunc quidem per seipsum implet splendoribus ani- « mas nostras, nunc per angelos visitat, nunc per ho- « mines instruit, nunc etiam consolatur et erudit per « Scripturas. Quid nos soli nobis non adsumus? Quid « soli negligimus nosmetipsos? An ideò dissimulandum « nobis, quia undique subvenitur nobis? Imò verò « propterea studiosiùs vigilandum. Neque enim tam « magna pro nobis in cœlo et in terrâ sollicitudo ge- « reretur, si non magna nobis incumbere necessitas « videretur : non tam multiplex nobis custodia, nisi « ob multiplices insidias, poneretur. » S. Bernard. in serm. 11 in Ps. 90.

§ XV. *De hominis creatione. — Homo creatus immortalis.*

1. Hominem propter se, ut cætera hominis gratiâ Deus ex limo terræ, postremum omnium operum suorum condidit. Hujus excellentiam demonstrat ipsa procreandi ratio aliter atque in aliis instituta. Nam ad aliorum productionem solo usus imperio, *dixit et facta sunt, mandavit, et creata sunt*, Psal. 32. Ubi ad creationem hominis ventum est, consultationem adhibet, ac de eo credendo veluti deliberat. Quod Tertullianus, libro 2 contra Marcionem, cap. 4, eleganter expressit : « Quis dignus, inquit, incolere opera « Dei, quàm ipsius imago et similitudo? Eam quoque « bonitas, et quidem operantior operata est, non im- « periali verbo, sed familiari manu, etiam verbo « blandiente præmisso : *Faciamus hominem ad ima- « ginem et similitudinem nostram*. Bonitas dixit, bonitas « finxit hominem de limo. » Res scilicet cæteræ materiâ constantes, minores erant ac inferiores homine, propter quem fiebant, et cui mox à Deo addictæ sunt. « Meritò igitur, ut famula jussu et imperio, et « sola vocali potestate universa processerant. Contra « homo, ut dominus eorum, in hoc ipso à Deo ex- « structus est, ut dominus esse posset, dùm fit à Do- « mino, » inquit Tertullianus libro de Resurrectione carnis, cap. 5. Eum autem sic corpore constitutum effinxit, ut non quidem naturæ ipsius vi, sed divino beneficio immortalis esset ac impassibilis. « Creavit, « inquam, Deus hominem interminabilem, et ad « imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidiâ au- « tem diaboli mors intravit in orbem terrarum, ut « habetur Sapientiæ 2. » Et Apostolus disertè docet, mortem humano generi pœnæ loco inflictam esse, propter peccatum primi hominis : *Per unum hominem*, inquit, *peccatum in hunc mundum intravit : et per peccatum mors ; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, Rom. 5. Et postea : *Corpus mortuum est propter peccatum; spiritus verò vivit propter justificationem*. Hinc in Africanâ synodo jure optimo damnatus est Pelagianorum error, asserentium « Adam primum hominem mortalem factum, « ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur « in corpore, hoc est, de corpore exiret; non peccati « merito, sed necessitate naturæ, can. 1, ex iis qui « sub Milevitanæ synodi nomine sunt editi. » Eumdemque errorem damnavit concilium Tridentinum sessione 5, canone primo : « Corpus igitur Adami ante « peccatum, et mortale secundùm aliam, et immor- « tale secundùm aliam causam dici poterat : id est, « mortale, quia poterat mori; immortale, quia pote- « rat non mori. Aliud est enim non posse mori; sicut « quasdam naturas immortales creavit Deus. Aliud « est autem posse non mori, secundùm quem modum « primus creatus est homo immortalis : quod ei præ- « stabatur de ligno vitæ, non de constitutione na- « turæ... Mortalis ergo erat conditione corporis ani- « malis, immortalis autem beneficio Conditoris. » Verba sunt S. Augustini libro 6 de Genesi ad litteram, cap. 15.

Homo ad imaginem Dei conditus. In quo sita sit divinæ imaginis ratio.

II. Quod autem ad animam pertinet naturâ suâ spiritualem, ac proinde immortalem, ad imaginem et similitudinem suam Deus hominem creavit : *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Cujus imaginis ratio in mente potissimùm posita est, quâ Deum ipsum potest cognoscere, necnon in voluntate et libero arbitrio, quo ipsum potest amare, et ad illius similitudinem virtutum coloribus in sese exprimendam, tendere et eniti. Datum est homini liberum arbitrium, quo mereri posset vel demereri, sicque beatitudinis capax esset, vel miseriæ. Quod enim sui liberum non est, quo pacto ei bonum vel malum imputatur? « Excusat nempe utrumque necessitas. Porrò ubi necessitas est, libertas non est : « ubi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec « judicium ; » inquit S. Bernardus libro de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 2. « Hinc est quòd insanis, infantibus, itemque dormientibus, nihil quod faciunt « vel bonum, vel malum imputatur : quia nimirùm « sicut suæ non sunt compotes rationis, sic nec usum « retinent propriæ voluntatis, ac per hoc nec judicium « libertatis. Cùm igitur voluntas nil liberum habeat « nisi se, meritò non judicatur nisi ex se. Siquidem « nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec « inquietus appetitus, nec sensus obtusus, nec vita « languens, reum per se statuunt hominem sicut nec « contraria innocentem : quia hæc necessariè ac « præter voluntatem posse provenire probantur. Sola « ergo voluntas, quoniam pro sui ingenita libertate, aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo « consentire, nullâ vi, nullâ cogitur necessitate; non « immeritò justam vel injustam, beatitudine seu miseriâ dignam ac capacem creaturam constituit; « prout scilicet justitiæ injustitiæque consenserit. S. « Bernardi. lib. de Grat. et lib. Arbit. c. 3. » Hic S. Bernardi locus hæreseos Jansenianæ caput illud refellit à duobus pontificibus damnatum, et ab universâ rejectum Ecclesiâ : « Ad merendum, vel demerendum « in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à ne« cessitate, sed sufficit libertas à coactione. » Triplex autem est libertas, scilicet, libertas à peccato, à miseriâ, et à necessitate. De primâ intelligendus est Apostolus, cùm ait, 2 Cor. 3 : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Et illud, Rom. 6 : *Cùm enim servi essetis peccato, liberi fuistis justitiæ. Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* De secundâ loquitur idem Apostolus, cùm ait, Rom. 8 : *Et ipsa creatura liberabitur, à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* De tertiâ intelligitur insignis ille Ecclesiastici 15 locus : *Deus ab initio constituit hominem : et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te... Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris porrige manum tuam.* Cùm igitur triplex sit nobis proposita libertas, à peccato, à miseriâ, à necessitate : « Hanc ultimo loco positam contuli: « nobis in conditione naturæ; » inquit S. Bernardus. « In primam restauramur à gratiâ, media nobis reser« vatur in Patriâ. » Prima libertas naturæ, secunda libertas Gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ dici potest. « Primò nempe in liberam voluntatem ac voluntariam « libertatem conditi sumus, nobilis Deo creatura. Se« cundò reformamur in innocentiam, nova in Christo « creatura. Tertiò sublimamur in gloriam, perfecta « in spiritu creatura. Prima ergo libertas habet mul« tùm honoris, secunda plurimùm etiam virtutis; « novissima cumulum jucunditatis. Ex primâ quippe « præstamus cæteris animantibus; in secundâ car« nem; per tertiam mortem subjicimus. »

Primus homo in gratiâ et justitiâ originali creatus.

III. Accidentia quædam ornamenta et complementa divinæ similitudinis in homine erant gratia et justitia originalis, in quâ Deus hominem condidit, omnes motus animi atque appetitiones ita in eo temperans, ut rationis imperio nunquàm non parerent : necnon dominium in cætera omnia animantia. *Fecit* ergo *Deus hominem rectum*, Eccles. 7. Et *vestivit illum virtute*, Eccli. 17, atque *in sanctitate et justitiâ* constituit, ut docet sacra synodus Tridentina, sessione 5, canone 1. Quin et præter gratiam sanctificantem, præveniente et adjuvante actuali gratiâ donatus est, sine quâ in eo bono, quo factus fuerat rectus, perseverare non posset; verùm gratiâ medicinali integrâ naturâ opus non habuit, quâ in isto naturæ lapsæ statu indigemus. Gratiam habuit, et quidem « magnam, « sed disparem; inquit S. Augustinus lib. de Corrept. et Grat. c. 11. Ille in bonis erat, quæ de « bonitate sui Conditoris acceperat... Sancti verò in « hâc vitâ, ad quos pertinet hæc liberationis gratia, « in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum : *Libera « nos à malo*, Matth. 6. Ille in bonis Christi morte non « eguit; istos à reatu et hæreditario et proprio illius « agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio quod implorant isti, cùm dicunt : *Video « aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis « meæ, et captivantem me in lege peccati. Infelix ego « homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* « Quoniam in eis caro concupiscit adversùs spiritum, « et spiritus adversùs carnem, atque in tali certamine « laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vin« cendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille « verò nullâ tali rixâ de seipso adversùs seipsum « tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco suâ « secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim « lætiore nunc, verumtamen potentiore gratiâ indi« gent isti... *Istam gratiam non habuit homo primus, « quâ nunquàm vellet esse malus; sed sanè habuit, in « quâ si permanere vellet, nunquàm malus esset, et sine « quâ etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, « sed eam tamen per liberum arbitrium desere posset.* « Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine suâ gratiâ, quam « reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum

« arbitrium ad malum sufficit; ad bonum autem parùm « est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quod ad- « jutorium si homo ille per liberum non deseruisset « arbitrium, semper esset bonus; sed deseruit, et « desertus est. » Nam etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, « non tamen justitiæ reti- « nendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participa- « tione immutabilis boni divinum adjutorium præbe- « retur. Sicut enim mori est in hominis potestate, « cùm velit; ad vitam verò tenendam voluntas non « satis est, si adjutoria sive alimentorum, sive quo- « rumcumque tutaminum desint; sic homo in Para- « diso ad se occidendum, relinquendo justitiam, ido- « neus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur « vita justitiæ, parùm erat velle, nisi ille qui eum « fecerat, adjuvaret; » inquit S. Augustinus in Enchiridio, cap. 106.

Primævi statûs illius felicitatem describit idem S. Augustinus, libro 14 de Civitate Dei, cap. 26 : « Vi- « vebat, inquit, homo in Paradiso sicut volebat, quam- « diù hoc volebat, quod Deus jusserat : vivebat fruens « Deo, ex quo bono erat bonus : vivebat sine ullâ ege- « state; ita vivere semper habens in potestate. Cibus « aderat, ne esuriret : lignum vitæ, ne illum senecta « dissolveret : nihil corruptionis in corpore, vel ex « corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. « Nullus intrinsecùs morbus, nullus ictus metuebatur « extrinsecùs. Summa in carne sanitas; in animâ totâ « tranquillitas. Sicut in Paradiso nullus æstus aut fri- « gus : sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel « timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil « omninò triste, nihil inaniter lætum : gaudium verum « perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex « corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ; « atque inter se conjugum fida ex honesto amore so- « cietas, concors mentis corporisque vigilia, et man- « dati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat « otiosum, non somnus premebat invitum. » Erat in illo statu « devitatio tranquilla peccati, quâ manente « nullum omninò malum, quod contristaret irrue- « bat, » cap. 10.

Primi hominis lapsus.

IV. Ab hoc felici statu cecidit homo, violando præceptum, quo illi prohibuerat Deus ne de fructu arboris boni et mali comederet. Malus non erat secundùm se fructus ille, non arbor mala, quam Deus creaverat. Augustinus c. 12 : « Sed obedientia commendata est « in præcepto, quæ virtus in creaturâ rationali mater « quodam modo est omnium custosque virtutum : « quandoquidem ita facta est, ut ei subditam esse sit « utile; perniciosum autem suam, non ejus à quo crea- « ta est, facere voluntatem. Hoc itaque de uno cibi « genere edendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, « tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad « memoriâ retinendum, ubi præsertim nondùm volun- « tati cupiditas resistebat, quod de pœnâ transgressio- « nis postea subsecutum est, tantò majore injustitiâ « violatum est, quantò faciliore posset observantiâ « custodiri. » Vitium porrò quo homo interiùs depravatus est, ut in apertam inobedientiam laberetur, su perbia fuit. « Non enim ad malum opus perveniretur « nisi præcessisset mala voluntas. Porrò malæ volun « tatis initium quod potuit esse nisi superbia? *nitium* « enim *omnis peccati superbia*, Eccli. 10. Quid est au- « tem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? « Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui animus « debet inhærere principio, sibi quodammodo fieri « atque esse principium. Hoc fit, cùm sibi nimis pla- « cet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono incommu « tabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm « ipse sibi, quamvis et in illo peccato uno plures pec- « cati species possint intelligi. Nam et superbia est « illic, quia homo in suâ potiùs esse quàm in Dei po- « testate dilexit; et sacrilegium, quia Deo non credi- « dit; et homicidium, quia se præcipitavit in mortem; « et fornicatio spiritalis, quia integritas mentis huma- « næ serpentinâ suasione corrupta est; et furtum, « quia cibus prohibitus usurpatus est, et avaritia, quia « plus quàm illi sufficere debuit, appetivit; » inquit S. Augustinus in Enchiridio, cap. 45... Sic à Creatore suo deficiens Adamus in summam illam incidit calamitatem, ut sanctitatem et justitiam, in quâ constitutus fuerat, amitteret, totusque per illam prævaricationis offensam, secundùm corpus et animam, in deterius commutaretur. Propterea verò peccatum, et peccati pœna in eo uno non constitit, sed ex eo tanquàm ex capite in omnem posteritatem propagatum est, ut explicat ac definit Tridentina synodus, sessione 5, canonibus primo et secundo. Quâ de re aliàs agemus.

Deus hominem extra statum gratiæ et justitiæ originalis creare potuit.

V. Eò porrò majores gratias Deo habere debuit homo, cum illâ integritate, justitiâ, sanctitate, sapientiâ, summâque boni agendi, et peccati vitandi facilitate conditus; quòd in alio statu, et sine eximiis illis dotibus ac donis Deus illum creare potuit. « Quamvis « enim ignorantia et difficultas essent hominis pri- « mordia naturalia; nec sic culpandus Deus, sed lau- « dandus esset, » inquit S. Augustinus libro 1 Retractationum, cap. 9. Hinc summi pontifices Pius V, Gregorius XIII, Urbanus VIII et Innocentius X, has Michaelis Baii propositiones damnârunt : « 22. Huma- « næ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium di- « vinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditio- « nis. — 27. Integritas conditionis non fuit indebita « naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus condi- « tio. — 33. Deus non potuit ab initio talem creare « hominem, qualis nunc nascitur. »

Rejicienda igitur et Jansenii Yprensis episcopi doctrina, qui prædamnatas Baii propositiones temerè propugnavit, statum naturæ puræ impossibilem esse contendens, id est, statum in quo homo sine gratiâ et justitiâ originali conditus esset, ignorantiæ, miseriis hujus mortalis vitæ, ipsique morti obnoxius. Gratis à Deo collata fuisse primo homini illa dona, quis verà

Catholicus negare possit? Erant igitur indebita : alioqui *gratia jam non esset gratia.* Si indebita, creari sine illis potuit, si Deo ita placuisset.

Quamvis autem in præsenti naturæ lapsæ statu, ex cujus hypothesi S. Augustinus contra Pelagianos pugnat, ignorantia, concupiscentia, et mors sint filiæ et pœnæ peccati, characterem tamen illum deformitatis non habuissent in illo statu, quem, secundùm Ecclesiæ doctrinam, possibilem asserimus; sed naturales defectus fuissent, ex hominis conditione consecuti, eò quòd ex nihilo conditus esset, corpore constans animali, sentiente, et ex contrariis qualitatibus composito. Quamvis porrò concupiscentia perduellis, quæ est effectus peccati, et cùm ei ad illicita consentitur, peccatorum mater multorum, malum sit quatenùs legi mentis repugnat, quatenùs vulnus est ex originali peccato relictum; et sub eâ ratione à Deo esse non possit : malum tamen non est, quatenùs naturæ sentientis appetitus est, et propensio ad privatum bonum sensibile, quod rationi et legi mentis necessariò et per se contrarium non esse, nemo cordatus non videt. Itaque in illo *naturæ puræ*, ut vocant, possibili statu, fuisset homo cum concupiscentiâ, id est, cum appetitu sentiente conditus; sed perduellis illa et refractaria legi mentis non fuisset, facilèque cum auxilio Creatoris, tunc homini secundùm naturæ legem viventi non de futuro, potuisset intra fines rationis moderatricis imperio præscriptos contineri.

Potuisset etiam homo in illo statu ad beatitudinem pervenire, non quidem supernaturalem, quæ Dei visio est (propter hanc quippe conditus in illâ hypothesi non fuisset), sed naturalem; Dei scilicet ut auctoris naturæ cognitionem et amorem, naturæ compoti rationis consentaneum. Quo quidem amore gentiles ipsi philosophi prosequendum esse Deum agnoverunt, quorum hâc in parte sententiam laudat S. Augustinus libro 8 de Civitate Dei, cap. 8 et 9 : « Ipsum verum ac « summum bonum, inquit, Plato dicit Deum. Undo « vult esse philosophum amatorem Dei; ut quoniam « philosophia ad beatam vitam tendit, fruens Deo sit « beatus quicumque Deum amaverit. Quicumque igitur « philosophi de Deo summo et vero ista senserunt, « quod et rerum creatarum sit effector, et lumen co- « gnoscendarum, et bonum agendarum. Quòd ab illo « nobis sit principium naturæ, et veritas doctrinæ, et « felicitas vitæ, eos omnes cæteris anteponimus, eos- « que nobis propinquiores fatemur. » Hinc summi pontifices Pius V et Gregorius XIII, illam Baii propositionem damnârunt : « Distinctio duplicis amoris, « naturalis nempe quo Deus amatur ut auctor naturæ, « et gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est « et commentitia; et ad illudendum sacris litteris, et « plurimis veterum testimoniis excogitata. »

Fructus ex hominis creatione colligendi.

VI. Ex his quæ hucusque de hominis creatione dicta sunt, nonnulla colligenda sunt ad morum informationem. Primò Deo nos ob creationis beneficium gratias immortales agere debere, cùm nos bonitate suâ omnipotenti produxerit è nihilo, infinitis creaturis possibilibus in eo relictis. Secundò, quòd nos ad imaginem et similitudinem suam condiderit. Cavere proinde debemus, ne Creatori nostro simus ingrati, et existentiâ, vitâ, ratione, libertate, corpore, animæque et corporis facultatibus, in ejus offensam et injuriam abutamur, cui totum debemus quod sumus. Omnia propter nos condidit, nos propter ipsum, ut eum colamus, ipsique serviamus : cæteris itaque rebus creatis uti debemus, ex ejus munere, velut adminiculis ut in ipsum tendamus; illo verò uno frui, qui finis ultimus noster est, summumque bonum nostrum, hoc nomine præ omnibus et super omnia diligendum. « Quid amas, ut Deum non ames? Ama, si « potes, aliquid quod ille non fecit. Circumspice uni- « versam creaturam, vide utrùm alicubi cupiditatis « visco tenearis, et à diligendo Creatore impediaris, « nisi eâ re quam creavit ipse quem negligis. Quare « autem amas ista, nisi quia pulchra sunt? Possunt « esse tam pulchra quàm ille à quo facta sunt? Mira- « ris hæc, quia illum non vides : sed per ea quæ mi- « raris, ama quem non vides. Interroga creaturam; « si à seipsâ est, remane in illâ; si autem ab illo « est, non ob aliud perniciosa est amatori, nisi quia « præponitur Creatori. » Verba sunt S. Augustini in psalmum 79. Sed nec seipsum nimiùm amet homo, ne in se hæreat, ne sibi nimiùm placeat, ne superbiâ elatus à Creatore suo deficiat, ut defecit Adamus. « Relicto enim Deo esse in semetipso, hoc est, sibi « placere, non jam nihil esse est, sed nihilò propin- « quare. Bonum est enim sursùm habere cor : non « tamen ad seipsum, quod est superbiæ; sed ad Do- « minum, quod est obedientiæ, quæ nisi humilium « non potest esse; » inquit S. Augustinus, libro 14 de Civitate Dei, cap. 15.

Cavendum ne qui sumus conditi ut dominemur omnibus animantibus, pravis cupiditatibus serviamus. « Arbitrium voluntati tunc verè liberum est, cùm « vitiis peccatisque non servit, » inquit S. Augustinus, lib. 14 de Civitate Dei, cap. 11. « Superior ani- « ma quàm corpus; superior quàm anima Deus. Præ- « stat aliquid inferiori, præstatur illi à superiore... « Serviat Domino suo, ne conculcetur à servo suo. « Participatione Dei fit beata. Non participatione san- « ctæ animæ fit beata infirma anima, nec participa- « tione angeli fit beata sancta anima; sed si quærit « beata esse infirma anima, quærat unde beata sit « sancta anima. Non enim beatus efficeris ex angelo « tu; sed unde Angelus, inde et tu; » inquit S. Augustinus tractatu 23 in Joannem. Vigilandum est, ne diabolus *divinæ imaginis prædo*, ut Tertullianus loquitur, ejus lineamenta in nobis oblitteret, seu potiùs ne oblitteremus nos ipsi tentationibus illius consentientes, ut consensit primus homo. Cautos nos reddat Adami casus, ne de viribus nostris præsumamus. « Deum contempsit, serpenti credidit, et quod acce- « perat perdidit. Si tunc ille homo non fuit cautus, « nunc homo caveat vel expertus. Odit Deus præ- « sumptores de viribus suis. Quid enim valeat libe-

« rum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demon- « stratum est. Ad malùm sufficit sibi, ad bonum non- « nisi adjuvetur à Deo... non ergo glorietur humana « natura de se, sed in eo glorietur qui fecit se, » inquit S. Augustinus libro de Cantico Novo, cap. 8. Deo nos egere humiliter confiteamur, qui ex nobis nihil sumus, ejus divinæ Majestati de perceptis donis gratias agamus, ejus auxilium pro donorum acceptorum conservatione invocemus, ad ipsum devotè confugiamus, cum serpentis antiqui tentationibus pulsamur. Primus enim homo lapsus est, quia hæc officia non implevit, ut docet Gelasius I, pontifex maximus, libro contra Pelagianam hæresim. « Illa primæ con- « ditionis integritas, inquit, dùm ita de se fidit, tan- « quàm eo qui considerat non egeret, nec de perce- « ptis agit gratias, quod nusquàm fecisse memoratur; « nec de conservandis quæ sumpserat poscit auxi- « lium, nec ad eum etiam pulsata tentatoris accessu « devota concurrit et confugit, suæque se credit inter « prospera voluntati, facilè sine præsidio Creatoris, « patuit deceptoris insidiis. » Ne verò despondeamus animum, quamvis à felici illo statu exciderimus in Adamo, in quo ille conditus fuerat, infirmique simus, et difficultatem boni agendi patiamur, quia *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia*. Tale quippe erat « adjutorium primi hominis, quod desereret cùm « vellet, et in quo permaneret si vellet, non quo fie- « ret ut vellet. Hæc prima est gratia quæ data est « primo Adam; sed hâc potentior est in secundo Adam. « Prima est enim quâ fit ut habeat homo justitiam si « velit; secunda ergo plus potest, quâ etiam fit ut « velit, et tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut « carnis voluntatem contraria concupiscentem vo- « luntate spiritus vincat. » Hæc præstat « ut cum om- « nibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur « hic mundus. » Verba sunt S. Augustini libro de Correptione et Gratiâ, cap. 11 et 12.

Hanc gratiam à Deo cum humilitate et fervore postulemus : pœnitentiam agamus pro peccatis quæ propriâ commisimus voluntate, sicut egit Adamus pro delicto suo, quo se ipsum posterosque suos omnes miseros fecerat. *Venite adoremus, et procidamus; ploremus ante Dominum, qui fecit nos : quia ipse est Dominus Deus noster : et nos populus pascuæ ejus, et oves manûs ejus.* Adoremus Creatorem nostrum, et ante ipsum procidamus : *Non enim fecit et deserit : non enim curavit facere, et non curat custodire*, Psal. 94. « Plo- « remus ante Dominum qui nos fecit; quia non plo- « ravimus quando nos fecit, et tamen fecit. Non enim « homo qui non erat, promeruit ut esset. » Qui ergo fecit antequàm rogaretur, non deserit cùm rogatur. Utique exaudit quos fecit; utique non potest non curare quos fecit; » inquit S. Augustinus Sermone 26, aliàs de Verbis Apostoli 11. Ipsâ primi peccati pœnâ erudiamur, eamque convertamus in Pœnitentiæ sacrificium. Quanquàm enim justa vindicta sit peccati, quòd corpus hominis imbecillum factum sit et morti destinatum, « plus tamen clementiæ Domini quàm « severitatis ostendit. Ita enim nobis suadetur à cor- « poris voluptatibus ad æternam essentiam veritatis « amorem nostrum oportere converti. Et est justitiæ « pulchritudo, cum benignitatis gratiâ concordans, « ut quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti « sumus, amaritudine pœnarum erudiamur. Nam ita « etiam nostra supplicia divina Providentia moderata « est, ut et in hoc corpore tam corruptibili ad justi- « tiam tendere liceret, et depositâ omni superbiâ uni « Deo vero collum subdere, nihil de seipso fidere, illi « uni se regendum tuendumque committere. Ita ipso « duce, homo bonæ voluntatis molestias hujus vitæ « in usum fortitudinis vertit. » Verba sunt S. Augustini libri de verâ Religione, cap. 15.

§ XVI. *Deus omnium conservator ac rector est. Providentia illius vindicatur.*

1. Deum ita Creatorem atque effectorem omnium esse, ut perfecto absolutoque opere suo manum omnipotentem non subtrahat, fides christiana docet : quia nisi conditis rebus perpetua ejus providentia adesset, atque eâdem vi quâ ab initio constitutæ sunt, illas conservaret, statim ad nihilum reciderent, quemadmodùm psalmo 103, scriptum est : *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem turbabuntur : Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.* Et Sapientiæ 11 : *Quomodò autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Aut quod à te vocatum non esset, conservaretur?* Hinc Scriptura sacra jugi Dei operationi omnia tribuit. Quare ab Apostolo dictum est, cùm Atheniensibus Deum annuntiaret quem ignorabant, Act. 17 : *Hic cœli et terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia : fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, quærere Deum, si fortè attrectent eum aut inveniant, quamvis non longè sit ab unoquoque nostrûm. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* Et ad Hebræos 1 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Item ad Colossenses 1 : *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt : et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Quod Christus ipse in Evangelio disertis verbis docet, Matth. 6 : *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini... Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?... Considerate lilia agri quomodò crescunt; non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos, modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur! Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.* Quæ probant Deum generali providentiâ res omnes à se conditas, ac præcipuè homines, et inter illos maximè

fideles conservare, fovere ac regere. Et Matth. 10 : *Nonne duo passeres asse vœneunt : et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus meliores estis vos.* Verbum ergo quod dixit Deus, Gen. 1 : *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram,* non desinit operari, et ad finem usque seculi operabitur. Unde Christus ait, Joan. 5 : *Pater meus usque modò operatur, et ego operor.* Providentissimam illam Dei de rebus omnibus à se conditis curam David mirificè inculcat : *Omnia*, inquit, *à te exspectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent... Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno,* Psal. 144 et Psal. 146 : *Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam. Qui producit in montibus fœnum et herbam servituti hominum. Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Et Psal. 99 : *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, et non ipsi nos : populus ejus, et oves pascuæ ejus.* Quæ omnia evidenter ostendunt, nos non nasci, vivere, ali, aut operari casu, aut nostris tantùm viribus seu providentiâ, sed Deo dante, vivificante, conservante, providente, regente.

Id confirmat S. Augustinus libro 4 de Genesi ad litteram, cap. 12 : « Creatoris, inquit, potentia, et « omnipotentis atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ; quæ virtus ab eis quæ « creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul « et illorum cessaret species, omnisque motus concideret. Neque enim sicut structor ædium cùm fabricaverit, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi « stare poterit, si ei Deus regimen suî subtraxerit. « Proinde et quod Dominus ait : *Pater meus usque « modò operatur*, continuationem quamdam operis « ejus, quo universam creaturam continet atque administrat, ostendit. Et quod scriptum est de sapientiâ ejus : *Pertingit à fine usque ad finem fortiter, et « disponit omnia suaviter*, Sap. 8; de quâ item scriptum est, quòd motus ejus agilior celeriorquè sit « omnibus motibus : satis apparet rectè intuentibus, « hunc ipsum incomparabilem et ineffabilem, etsi « possit intelligi, stabilem motum suum, rebus eum « præbere suaviter disponendis; quo utique subtracto, « si ab hâc operatione cessaverit, eas continuò perituras. » Tum ex illis verbis Apostoli : *In illo vivimus, movemur, et sumus*, colligit, « ne uno quidem « die cessâsse Deum ab opere regendi quæ creavit, « ne motus suos naturales quibus aguntur atque vegetantur ut omninò naturæ sint, et in eo quòd sunt « pro suo quæque genere maneant, illicò amitterent, « et esse aliquid omninò desinerent, si eis subtraheretur motus ille sapientiæ Dei, quo disponit omnia « suaviter. »

Non solùm autem Deus universa quæ sunt, Providentiâ suâ tuetur atque administrat, inquit concilii Tridentini Catechismus, « verùm etiam quæ moven« tur, et agunt aliquid, intimâ virtute ad motum at« que actionem ita impellit, ut quamvis secundarum « causarum efficientiam non impediat, præveniat « tamen, cùm ejus occultissima vis ad singula perti« neat, » et quemadmodùm Sapiens testatur, *attingat à fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter.*

Quæ Catechismi doctrina S. Augustino consonat libro de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 20 : « Scriptura « divina, inquit, si diligenter inspiciatur, ostendit non « solùm bonas hominum voluntates, quas ipse facit « ex malis, et à se factas bonas in actus bonos et in « æternam dirigit vitam, verùm etiam illas quæ con« servant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, « ut eas quò voluerit, quando voluerit, faciat incli« nari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad « pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat, « occultissimo quidem judicio, sed sine ullâ dubita« tione justissimo. » Et cap. 21 : « Agit enim Omni« potens in cordibus hominum etiam motum volun« tatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere « ipse voluerit, qui omninò injustè aliquid velle non « novit. »

Providentiæ divinæ argumenta.

II. Divinam in res omnes Providentiam demonstrant primò cœlestium orbium ac syderum in conficiendis motibus varietas admirabiliter æquabilis; diurnæ et annuæ solis conversiones, dierum ac noctium, et anniversariarum tempestatum constantes vicissitudines. Secundò, rerum contrariarum et mutabilium in mutuâ conflictione conservatio. Tertiò, stirpium et animantium rata et perpetua propagatio. Quartò, brutorum animantium instinctus, solertia et industria in vitâ tuendâ, in procurando pabulo, in quærendis aut fabricandis latibulis ac nidis, in evitandis periculis, in persequendis et captandis aliis. Quintò, vita et gesta sanctorum hominum, præsertim martyrum. Sextò, varia vitæ communis exempla, et experientia quotidianorum eventuum. Nam multa quæ temerè primùm ac fortuitò facta videbantur, tam opportunè ad aliarum rerum occasionem incidunt, quas maximè cupiebamus, vel quæ publicè aut privatim commodæ sunt; ut non casu accidisse, cùm evenerint; sed superiore aliquâ ratione moderante ordinatim dispositæ videantur. De his argumentis legi possunt Theodoretus, Orationibus decem de Providentiâ; Nemesius christianus philosophus, libro de Naturâ hominis; S. Joannes Chrysostomus, in libris de Providentiâ; S. Ambrosius, libro 5 et 6 Hexameron; Salvianus, in libris de Gubernatione Dei, et Ludovici Granatensis eruditus piusque Catechismus.

Non summa tantùm et præstantissima divina Providentia curat, sed etiam infima quæque et abjecta, non solùm universim, sed singulatim, quamvis peculiarem illam curam, paternamque benevolentiam, quam exhibet homini, brutis non exhibeat, sive, « eam« dem irrationabilium quàm rationabilium providen-

« tian non habeat, » ut loquitur S. Hieronymus in cap. 1 Habacuc.

Mala divinæ Providentiæ non repugnant; neque ipsa peccata.

III. Divinæ verò Providentiæ non repugnant, quæ in mundo conspiciuntur mala. Nam quod spectat ea quæ naturæ vel pœnæ mala dicuntur, qualia sunt quotidiana vitæ hujus incommoda, et quæ corporibus cladem ac perniciem afferunt, aut ad peccatores puniendos ordinantur, ea magnas utilitates habent, et divinam Providentiam mirum in modum commendant. Ut enim præclarè scribit S. Paulinus, epistolâ 38 : « Omnia Dei facta pulcherrima sunt; et non est malum, « quod bonum habet auctorem : qui cuncta per mundum nostris usibus præparavit, et nostris utilitatibus agit; et ita istius universitatis opus condidit, ut « alia ad serviendum, alia ad exercendum, alia ad « dominandum creaverit. Itaque corporeis, animalibusque naturis homines ratione dominamur. Sed ne « ipsâ potestatis nostræ licentiâ resolvamur, utiliter « exercemur adversis aut spiritibus dæmonum, aut « difficultatibus negotiorum, aut ipsorum sæpè elementorum motibus, videlicet ut exagitati, curis prudentiæ, et metu Divinitatis acuamur. »

Ipsa verò peccata Deus non efficit quidem, sed permittit, ut ex eis bona eliciat, scilicet vel electorum suorum qui in illa quandoque prolabuntur, humilitatem majorem, pœnitentiam ferventiorem, cautiorem vigilantiam, suæque misericordiæ in illos commendationem : vel justitiæ suæ manifestationem in reprobis; vel alias, quas novit utilitates. Quid diabolo nequius? Et de illius nequitiâ quanta bona fecit Deus? Non funderetur pro salute nostrâ sanguis Redemptoris, nisi per nequitiam desertoris. *Melius enim judicavit Deus de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere*, S. August. in Enchir. c. 27. Ex Adami peccato Filii sui Incarnationem elicuit. Magnus enim de cœlo descendit medicus, quia magnus in terris jacebat ægrotus. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla est causa medicinæ. Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. *Non veni*, inquit, *vocare justos, sed peccatores. Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.* Si homo non perisset, Filius hominis non venisset. Perierat homo, venit Deus homo, et inventus est homo. Si homo, ad imaginem et similitudinem Dei factus, in suæ naturæ honore mansisset, nec diaboli fraude deceptus, à lege sibi positâ per concupiscentiam deviâsset, Creator mundi creatura non fieret. (S. August. Serm. 175, aliàs 9, de Verbis Apostoli et Serm. 174, aliàs 8, de Verbis Apostoli. S. Leo Serm. 3 de Pentec.) Ex angelorum malorum ruinâ, hominum exaltatio in eorum locum ordinante Deo provisa est, ut S. Augustinus expicat, Enchiridii cap. 29 : « Placuit itaque, inquit, « universitatis Creatori atque moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo angelorum Deum deserendo « perierat, ea quæ perierat in perpetuâ perditione remaneret : quæ autem cum Deo illâ deserente perstiterat, de suâ certissimè cognitâ semper futurâ « felicitate gauderet : alia verò creatura rationalis quæ « in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis et originalibus et propriis tota perierat, ex ejus « parte, reparato quod angelicæ societati ruina illa « diabolica minuerat, suppleretur. Hoc enim sanctis « promissum est, quòd erunt æquales angelis Dei. » Quemadmodùm ergo in cantando interpositiones silentii certis moderatisque intervallis, quamvis vocum privationes sint, benè tamen ordinantur ab iis qui cantare sciunt, et suavitati cantûs aliquid conferant : et umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, ac non specie, sed ordine placent; sic in rerum universitate mala bonis permixta, à Deoque ordinata, ipsius mundi pulchritudinem, summamque Dei sapientiam et providentiam commendant. « Neque enim « Deus omnipotens, cùm summè bonus sit, ullo modo « sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque « adeò esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et « de malo, inquit S. Augustinus, Enchiridii cap. 11. « Non ideò igitur, quia videntur perversæ res humanæ, « videatur nobis non esse gubernationem rerum humanarum. Omnes enim homines in locis suis ordinantur : sed unicuique videtur quia ordinem non « habent. Tu tantùm vide quid velis esse : nam quomodò volueris esse, novit artifex ubi te ponat. Pictorem attende. Ponuntur ante illum varii colores, « et novit ubi ponat quemque colorem. Certè peccator « niger color esse voluit : ideò nescit ordo artificis « ubi eum ponat? Quanta ordinat de nigro colore, « quanta ornamenta facit pictor? Tu vide quid velis « esse : non cures ubi te ordinet qui non novit errare, scit ubi te ponat. Sic enim per leges istas « mundi videmus hoc fieri. Effractor esse voluit nescio quis : novit lux judicis ubi illum ponat, ordinat illum optimè. Ille quidem malè vixit, sed non « malè ordinavit lex. Ex effractore erit metallicus (1) « de opere metallici quanta opera construuntur? Illius pœnâ damnati, ornamenta sunt civitatis. Sic « ergo Deus novit ubi te ponat. Noli putare quia turbas « consilium Dei, si perversus esse volueris. Qui creare « te noverat, ordinare te non novit? Bonum est tibi « ut illùc coneris, ut bono loco ponaris. Quid dictum « est de Judâ ab Apostolo? *Abiit in locum suum*, Act. « 1; operante utique divinâ Providentiâ, quia per « malam voluntatem malus esse voluit, non autem « Deus malum ordinando fecit. Sed quia ipse malus peccator esse voluit, ecit quod voluit, sed passus est quod noluit. In eo quòd fecit quod voluit, « peccatum ejus deprehenditur : in eo quòd passus « est quod noluit, ordo Dei laudatur. » Ita S. Augustinus Sermone 125, aliàs 15, ex editis a P. Sirmondo.

Divinæ Providentiæ non repugnant prosperitates impiorum, et adversæ res justorum.

IV. Nec etiam pugnat cum divinâ Providentiâ, quòd et bonis malè, et malis benè sæpiùs eveniat :

(1) Id est, ad metalla damnatus, vel ad secanda marmora.

quâ re perculsus David ait, Psal. 72 : *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia zetavi super iniquos, pacem peccatorum videns*, etc. Nam rationes suas habet divina Provid ntia gravissimas quidem, æquissimas, ac penitùs adorandas, ob quas viros bonos ac sanctos plerùmque rebus adversis jactari patitur : vel ut eorum variis exercita casibus, ac probata virtus, illustrior existat, ut in Job, Tobiâ, aliisque contigit; vel ut ingens aliquod commodum inde oriatur, quemadmodùm nefarium Judæorum facinus ideò permisit, ut ex eo Christi mors, et totius humani generis salus ac vita sequeretur; vel ut privatim illis ipsis, qui adversa tolerant, salutis sit perpessio. Sic enim Apostolus, ne tot bonorum successibus insolesceret, à stimulo carnis, angelo Satanæ vexatus est. Denique variis calamitatibus boni jactantur, ut peccatorum maculas quotidianas eluant, ut à mundi, qui adeò amarus est, præsentisque vitæ amore abstracti, Deo magis adhæreant, et ad æternam patriam ferventiùs suspirent; ut momentaneum hoc et leve tribulationis æternum gloriæ pondus in eis operetur. Improborum autem pœna est, quæ felicitas existimatur. Prosperis rebus superbiunt magis, Deique obliti, in peccatis obdurescunt, propter quæ suppliciis æternis destinantur. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.... Quia in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris adducetur*, Jerem. 21 et 12. Congregat *eos Deus quasi gregem ad victimam, et sanctificat eos in die occisionis.* Tandem psalmis 32, 33, 36 : *Oculi Domini super timentes eum, ut eruat à morte animas eorum, et alat eos in fame... Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terrâ memoriam eorum..... Quoniam Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos; in æternum conservabuntur; injusti punientur, et semen impiorum peribit. Justi autem hæreditabunt terram, et inhabitabunt in seculum seculi super eam... Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus : nec damnabit eum cùm judicabitur illi. Exspecta Dominum, et custodi vias ejus; et exaltabit te, ut hæreditate capias terram : cùm pereris, peccatores videbis. Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat; et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus... Salus autem justorum à Domino : et Protector eorum in tempore tribulationis Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos, et eruet eos à peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.*

Argumentum istud præclarè tractat S. Augustinus, libro 1 de Civitate Dei, cap. 8 ; « Placuit, inquit, divinæ « Providentiæ præparare in posterum bona Justis, qui- « bus non fruentur injusti, et mala impiis, quibus non « excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona et mala « utrisque voluit esse communia : ut nec bona cupidiùs « appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; nec « mala turpiter evitentur, quibus et boni plerùmque « afficiuntur. Interest autem plurimùm qualis sit usus, « vel earum rerum quæ prosperæ, vel earum quæ di- « cuntur adversæ. Nam bonus temporalibus nec bonis « extollitur, nec malis frangitur : malus autem ideò hu- « jusce modi infelicitate punitur, quia felicitate cor- « rumpitur. Ostendit tamen Deus sæpè etiam in his « tribuendis evidentiùs operationem suam. Nam si nunc « omne peccatum manifesta plecteret pœna, nihil ul- « timo judicio servari putaretur : rursùs si nullum pec- « catum puniret apertè Divinitas, nulla esse Providen- « tia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si « non eas Deus quibusdam petentibus evidentissimâ « largitate concederet, non ad eum ista pertinere di- « ceremus; itemque si omnibus eas petentibus daret, « nonnisi propter talia præmia serviendum illi esse ar- « bitraremur; nec pios nos faceret talis servitus, sed « potiùs cupidos et avaros. Hæc cùm ita sint, quicum- « que boni et mali pariter afflicti sunt, non ideò ipsi « distincti non sunt, quia distinctum non est quod utri- « que perpessi sunt. Manet enim dissimilitudo pas- « sorum etiam in similitudine passionum, et licet « sub eodem tormento, non est idem virtus et vi- « tium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea « fumat; et sub eâdem tribulâ stipulæ comminuuntur, « frumenta purgantur; nec ideò cum oleo amurca con- « funditur, quia eodem preli pondere exprimuntur : « ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, « eliquat; malos damnat, vastat, exterminat. Unde in « eâdem afflictione mali Deum detestantur atque blas- « phemant; boni autem precantur et laudant. Tantùm « interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam « pari motu exagitatum et exhalat horribiliter cœnum, « et suaviter fragrat unguentum. » Et cap. 9, bonos cum malis pariter flagellari ait, ut id ipsis valeat ad profectum. Primò, quia ipsa peccata considerantes, quibus indignatus Deus publicas calamitates immittit, quamvis longè absint à facinorosis, flagitiosis atque impiis, tamen non usque adeò se à delictis deputant alienos, ut nec temporalia pro eis mala perpeti se judicent dignos. Secundò, quia malos docere, admonere, aliquando etiam objurgare, et corripere negligunt, vel cùm eos timent offendere, vel cùm inimicitias devitant, ne impediant et noceant in istis temporalibus rebus, sive quas adipisci adhuc appetit cupiditas, sive quas amittere formidat infirmitas. « Jure igitur istam « vitam, quando divinitùs affliguntur cum eis amaram « sentiunt, cujus amando dulcedinem peccantibus eis « amari esse noluerunt. » Tertiò habent aliam causam boni quare temporalibus affligantur malis, qualem habuit Job : *Ut sibi ipse humanus animus sit probatus et cognitus, quantâ virtute pietatis gratis Deum diligat.*

Legatur ejusdem sancti doctoris Enarratio in Psalmum 36, sermone 3; item Enarratio in Psalmum 136, ad illum versum : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dùm recordaremur tui, Sion.* Legatur et S. Ambrosius, libro 1 de Officiis, cap. 12, 15 et 16. Item S. Gregorius libro 18 Moralium, cap. 13, et libro 21, cap. 4. Ex quibus locis multa ad morum informationem colligi possunt, ut doceantur Christiani quo animo in rebus prosperis et adversis esse debeant.

Ne igitur adversùs divinam Providentiam obmurmurés, *sicut quidam murmuraverunt, et perierunt ab ex-*

terminatore, 1 Cor. 10 ut .nnitaris *super baculum arundineum confractum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam*, Isai. 36. Nam *maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et à Domino recedit cor ejus. Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus*, Jerem. 17. Quamobrem *jacta in Dominum curam tuam, et ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem justo*, Psal. 54. Ad Christi mandatum attende : *Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt... Quærite ergo primùm regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis*, Matth. 6. Summâ in Patris nostri cœlestis providentiam animatus fiduciâ, omnes vitæ tuæ eventus, teque ipsum illius dispositioni committas, dicens : *Ego autem in te speravi, Domine; dixi : Deus meus es tu : in manibus tuis sortes meæ*, Psal. 30. Tutiùs illi quàm humanis consiliis, industriæ, favori, negotiorum tuorum exitum committes: quanquàm humana media in negotiis humanis non sint negligenda. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum*, inquit Apostolorum princeps, *quoniam ipsi cura est de vobis*, 1 Petr. 5 et 2, calamitates et adversitates à Deo immissas, persecutiones atque vexationes per homines illatas, divinæ Providentiæ favores existimate: *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè. Quæ enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si benè facientes patienter sustinetis; hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus... Nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat : sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus super vos requiescit. Nemo autem vestrùm patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat : glorificet autem Deum in isto nomine... Itaque et hi qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis*, 1 Petri, 4. Profiteamur denique nos à divinâ Providentiâ pendere totos in omnibus eventibus, vulgari etiam loquendi modo : Christianus ille sit; fati, fortunæque profanum nomen longè sit ab ore nostro. Jacobi Apostoli salubre monitum sectemur, c. 4 : *Ecce nunc qui dicitis : Hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus : qui ignoratis, quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit, et : Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.*

§ XVII. *Peculiari quâdam ac præcipuâ Providentiâ Deus electos suos regit.—Quid de prædestinatione sentiendum?*

I. Cùm prædestinatio sit *præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*, ut *S. Augustinus* definit libro *de Dono perseverantiæ*, cap. 14, seriem illam beneficiorum, in quibus et vita æterna sive gloria ut omnium præstantissimum, cæterorumque finis continetur, certissimè confert Deus, iis *qui secundùm propositum vocati sunt sancti*, et *prædestinati* sunt *ad vitam æternam*, Rom. 8, et Act. 13, prout ordinavit ante mundi constitutionem, et ex omni æternitate. Nam *quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit*, Rom. 8. Iis *omnia cooperantur in bonum*, ordinante ac regente Deo. Illis solà Dei miserentis voluntate, non solùm gratia, sed vita æterna præparata est : quod duorum geminorum Jacob et Esaü exemplo seu typo proposito declarat Apostolus, Rom. 9 : *Cùm*, inquit, *nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori : sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esaü autem odio habui. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit : Miserebor cujus misereor : et misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, etc. « Jacob scilicet, ac electos omnes, quorum velut typus à Spiritu sancto proponitur, *dilexit per misericordiam gratuitam*; Esaü autem, et reprobum quemvis *odio habuit per judicium debitum* : quod cùm deberetur ambobus, in altero alter cognovit, non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quòd in eâdem causâ idem supplicium non incurrit; sed de divinæ gratiæ largitate : solà enim gratiâ redemptos discernit à perditis, quos in unam perditionis massam concreverat ab origine ducta causa communis; » inquit S. Augustinus in *Enchiridio*, cap. 98 et 99. Ex futuris verò operibus electos asserere, Semipelagianus error est, et Apostolo repugnat, qui, cùm dicere posset : Non ex præsentibus, sed ex futuris operibus, id tamen non ait, sed absolutè : *Non ex operibus, ut gratiam commendaret.* Hæc *electio est, quæ non invenit eligendos, sed facit.* De quâ Apostolus ad Ephesios 1, scribit : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Non ergo quia futuri eramus sancti, sed ut essemus : « ideò quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans ut tales « per gratiam ejus essemus. » Hæc electio est, de quâ Christus ait, Joannis 15 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Elegit fideles, sed ut sint, non quia jam erant. Hinc Apostolus Jacobus ait : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se?* « Eligendo ergo facit divites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippe in

« cis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit ; » inquit S. Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. 17 et 18.

Gratuitæ prædestinationis exemplum illustre in Sancto Sanctorum Jesu Christo habemus, *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis*, ut ait Apostolus, Rom. 1. Atque ex eo probat S. Augustinus sanctorum prædestinationem et electionem secundùm propositum, non in eorum merita, sed in solam Dei misericordiam esse refundendam, lib. de Prædest. sanct., c. 15 : « Est etiam præclarissimum lumen Prædestinationis et gratiæ, ipse « Salvator, ipse Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus : qui ut hoc esset, quibus tandem suis, « vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura « humana quæ in illo est comparavit? Respondeatur, « quæso : Ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem Personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit? quid egit ante, quid credidit, quid « petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? » Et infra : « Sicut ergo prædestinatus est « ille unus, ut caput nostrum esset ; ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana « hìc merita conticescant, quæ perierunt per Adam; « et regnet Dei gratia per Jesum Christum Dominum « nostrum, unicum Dei Filium, unum Dominum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis « illius generationis invenerit, ipse in nobis membris « ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis « inquirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione « peccati, de Spiritu et Virgine nasceretur. Sic et nobis ut ex aquâ et Spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum; et « si nos ad lavacrum regenerationis fides duxit, non « ideò putare debemus priores nos dedisse aliquid, ut « retribueretur nobis regeneratio salutaris. Ille quippe « nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in « quem credimus Christum ; ille facit in nobis principium fidei et perfectionem in Jesum, qui fecit hominem principem fidei, et perfectorem Jesum. »

Æterna electio sine meritis, salus ex meritis.

II. Verùm qui sanctos elegit ab æterno sine meritis, dat illis unde coronentur ex meritis. Adultos enim absque bonis operibus non salvari, et hæc vitam æternam mereri, dogma fidei est. Quamobrem Christus in supremo judicio electos suos in regni æterni possessionem mittens ait, Matth. 25 : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitu« tione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manduca« re, » etc. Et Apostolus, 2 Tim. 4, gloriam æternam, vocat coronam justitiæ, meritis repositam : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus Judex.* Id confirmatur ex comparationibus quas instituit Apostolus vitæ æternæ cum bravio et cum deposito. Sicut enim in stadio currentibus, et in agone contendentibus corona corruptibilis datur, ut cursûs victoriæque præmium, ita currentibus in viâ mandatorum Dei, et contra salutis hostes dimicantibus, incorrupta corona tribuitur ut præmium victoriæ; hoc tamen cum discrimine, quòd Agonothetes homo currendi vincendique vires, et cursum ipsum atque victoriam currentibus et pugilibus non donat; utrumque verò dat electis suis agonothetes Deus, quia *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, Rom. 9; et 1 Cor. 15 : *Dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Hæc autem comparatio habetur ad Corinthios 9 : *Nescitis*, inquit, *quòd ii qui in studio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Idem probat comparatio depositi, quod ex justitiâ redditur ei, qui ipsum credidit fidei alterius. *Scio cui credidi*, inquit Apostolus, 2 ad Timotheum 1, *et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Itaque bona opera et passiones quas pro Christi nomine ac glorià perferimus, apud Deum deponuntur, qui in novissimo die pro his præmium æternum retribuet.

Ipsa tamen merita et gratiæ quibus comparantur, ex gratuitâ Dei prædestinatione velut ex fonte deri vantur. Unde Apostolus ad Romanos scribens ait, c. 6 : *Stipendium peccati mors est, gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.* Cùm dixisset : *Stipendium peccati mors*, cur non addidit : Stipendium justitiæ vita æterna, siquidem merito justitiæ tanquàm stipendium redditur, unde etiam merces plurimis sanctarum scripturârum locis appellatur? Respondet S. Augustinus, epistolâ 194, aliàs 105, ad Sixtum, Apostolum eo loquendi modo usum non esse, sed vitam æternam Dei gratiam vocâsse, ut elationem reprimeret. « Audito, « inquit, quòd *stipendium peccati sit mors*, quid te dis« ponis extollere, et contrariam morti vitam æternam « tanquàm debitum stipendium flagitare? Cui debetur « vita æterna, vera justitia est. Si autem vera justitia « est, ex te non est, *desursùm est, descendens à Patre « luminum.* Ut haberes eam, si tamen habes eam, « profectò accepisti. *Quid enim habes quod non accepisti?* Quapropter, ô homo, si accepturus es vitam « æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi » gratia est, cui gratia est et ipsa justitia. Tibi enim « tanquàm debita redderetur, si ex te tibi esset justi« tia cui debetur. Nunc verò de plenitudine ejus accepi« mus non solùm gratiam, quâ nunc justè in laboribus « usque in finem vivimus, sed etiam gratiam pro hâc « gratiâ, ut in requie postea sine fine vivamus. Hoc « nihil salubrius fides credit, quia nihil verius intel« lectus invenit. » Igitur *cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quàm munera sua.* Et, ut ait auctor librorum de Vocatione gentium, inter opera S. Prosperi, cap. 2 : « Datur unicuique sine merito, un« de tendat ad meritum. Et datur ante ullum laborem, « unde quisque mercedem accipiat secundùm labo« rem. » Quamobrem Propheta ait, Psalm. 55 *Pro*

nihilo, Domine *salvos facies illos;* id est, « gratis datâ « gratiâ tuâ, inquit S. Augustinus, Enarrat. in illum « Psalm. Quid enim ille latro attulerat ad crucem? De « fauce in judicium, de judicio in lignum, de ligno in « Paradisum. Credidit, propter quod locutus est. Sed « et ipsam fidem quis donavit, nisi qui juxta pepen- « dit? » Hinc etiam Apostolus ait, Ephes. 2 : *Creati in Christo Jesu in operibus bonis quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*, ut significet Deum bona opera in nobis operari nullis nostris meritis præcedentibus, sicut mundum produxit ex nihilo, id est, nullâ præexistente materiâ. Quærit S. Augustinus cur Apostolus præmiserit : *Non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Sed audi, inquit, et intellige : *Non ex operibus* dictum, *tanquàm tuis ex te ipso tibi existentibus, sed tanquàm his in quibus te Deus fixit, id est, formavit et creavit; non eâ creatione quâ homines facti sumus, sed eâ de quâ ille dicebat, qui utique jam homo erat* : Cor mundum crea in me, Deus, Psalm. 50; *et de quâ dicit Apostolus* 2 Cor. 5 : « Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera « transierunt; ecce facta sunt omnia nova; omnia au- « tem ex Deo. » *Fingimur ergo, id est, formamur et creamur in operibus bonis, quæ non præparavimus nos, sed præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Itaque si vita bona nostra nihil aliud est quàm Dei gratia, sine dubio et vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est; et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodò gratiâ est; hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratiâ est pro gratiâ, tanquàm merces pro justitiâ; ut verum sit, quoniam verum est, quia reddet unicuique Deus secundùm opera ejus*, Apoc. 22. Hinc Joan. 1, de Christo Domino dicitur : *Ex plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratiâ.* Hæc S. Augustinus, lib. de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 8 : *Qui ergo secundùm propositum vocati sunt, electi sunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum suorum, quia gratiâ illis est omne meritum*, ait idem S. August., lib. de Corr. et Grat., cap. 7.

Deus qui fecit quæ futura sunt, mansiones in domo Patris sui electis suis præparavit et præparat, nec alias, sed quas præparavit, has præparat. « Quas « præparavit prædestinando, præparat operando. Jam « ergo sunt in prædestinatione. » Unde Christus ait Joan. 14 : *Si quo minùs dixissem vobis, quia vado parare vobis locum;* id est, *prædestinabo.* Jàm enim ibi sunt mansiones illæ, et non est opus aliquam sic præparare. Sed quia « nondùm sunt in operatione, » subdit : *Et si abiero et præparavero vobis locum, iterùm venio, et accipiam vos ad meipsum.* Parat autem quodammodò mansiones, mansionibus parando mansores. Hæc autem præparatio fit per merita; sed merita sine meriti prorsùs ullius intuitu data sunt et prædestinata, cùm gratiæ misericordiæque divinæ dona sunt. Atque ita per merita Deus nos præparat ad gloriam, sed nullâ meritorum habitâ ratione, nos prædestinavit ad gratiam, non tantùm ad temporalem, quâ essemus sancti, sed æternam, quâ essemus beati. *Gratia* enim *Dei vita æterna;* quam Deus rependens meritis, dat *gratiam pro gratiâ.* Hinc S. Augustinus, tractatu 68 in Joannem, mox prolata Christi Domini verba explicare pergens, ait : « Sed quid est quod ut præpararet « abiit, cùm profectò nos ipsos præpararet, quod non « faciet si reliquerit? Agnosco, Domine, ut possum : « nimirùm illud significas, quia ut parentur istæ mân- « siones, vivere debet justus ex fide. Qui enim à Do- « mino peregrinatur, opus habet ex fide vivere, quia « per hanc ad speciem contemplandam paratur. « Matth. 5 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum « videbunt.* Et Act. 15 : *Fide mundat corda eorum.* « Fides autem, quâ eorum, qui Deum visuri sunt, « corda mundantur, quod non videt credit : nam si « vides, non est fides. Credenti colligitur meritum, « videnti redditur præmium. Eat ergo Dominus, et « paret locum; eat ne videatur, lateat ut credatur. « Tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur. Credi- « tus desideretur, ut desideratus habeatur : desiderium « dilectionis, præparatio est mansionis. Ita, Domine, « para quod paras; nos enim tibi paras, et te nobis « paras, quoniam locum paras, et tibi in nobis, et in « te nobis. Tu autem dixisti Joan. 15 : *Manete in me, « et ego in vobis;* quantùm quisque fuerit particeps « tui, alius minùs, alius ampliùs, hæc erit diversitas « præmiorum pro diversitate meritorum; hæc erit « multitudo mansionum, pro disparitate mansorum; « sed tamen omnium in æternitate vivorum, et sine « fine beatorum. Quid est quòd vadis? Quid est quòd « venis? Si benè te intelligo, nec unde vadis, nec unde « venis recedis : vadis latendo, venis apparendo, sed « nisi maneas regendo, ut proficiamus benè vivendo; « quomodò parabitur locus, ubi possimus manere « perfruendo? »

Quamvis certa prædestinatio sit, sua tamen cuique salus cum metu et sollicitudine procuranda est.

III. *Cognovit* porrò *Dominus qui sunt ejus;* scit quos elegerit, et ex illis quos dedit illi Pater, non perdit quemquam, nec oves ejus quisquam de manu ejus rapiet, ut ipse ait Joannis 10 : *Oves meæ vocem meam audiunt : et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu meâ... Et nemo potest rapere de manu Patris mei.* « Quicumque « enim ab originali damnatione, seu perditionis massâ « quæ facta est per primum Adam, istâ divinæ gratiæ « largitate discreti sunt, non est dubium quòd et pro- « curatur eis audiendum Evangelium, et cùm audiunt, « credunt, et in fide quæ per dilectionem operatur, « usque in finem perseverant; et si quando exorbi- « tant, correpti emendantur, et quidam eorum, etsi « ab hominibus non corripiantur, in viam quam reli- « querant, redeunt; et nonnulli, acceptâ gratiâ, in « quâlibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeri- « tate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, « qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui et elegit « eos in Filio suo, ante constitutionem mundi per « electionem gratiæ. Talibus Deus diligentibus eum « omnia cooperatur in bonum; usque adeò prorsùs

« omnia, ut etiam si qui eorum deviant et exorbitant, « etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, « quia in humiliores redeunt atque doctiores. Horum « si quisquam perit, fallitur Deus, sed nemo eorum « perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam « perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum « perit, quia nullâ re vincitur Deus, » inquit S. Augustinus lib. de Correptione et Gratiâ, capp. 7 et 9.

Sed quamvis eorum qui prædestinati sunt in regnum Dei, ita certus sit numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis, rectè tamen et ipsis prædestinatis dicitur Philipp. 2 : *Cum metu et tremore vestram salutem operamini;* et Apoc. 3 : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam;* « quasi eos « perseveraturos habeatur incertum; nec aliter hæc « audire debent, quibus expedit non altùm sapere, « sed timere. Quis enim ex multitudine fidelium, « quamdiù in hâc mortalitate vivitur, in numero præ- « destinatorum se esse præsumat? Istud ergo secre- « tum esse vult Deus, ne fortè quis extollatur, sed « omnes etiam qui benè currunt timeant, dùm occul- « tum est qui perveniant. Præsumptio enim in isto « tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmi- « tas, ut superbiam possit generare securitas, » ut loquitur S. Augustinus. Rectè etiam dicitur omnibus, 2 Petri : 1 *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* certam, inquam, non Deo, qui electos suos usque in finem perseveraturos certissimè novit, quia ipsis perseverantiam dare ab æterno decrevit; sed vobis certam, non quidem *absolutâ et infallibili certitudine*, sed morali, quæ maximam fiduciam et firmissimam spem cum timore et tremore conjungit. Moralis autem ista certitudo ex signis quibusdam habetur, non quidem omninò certis, sed probabilibus prædestinationis, qualia sunt 1° auditio religiosa verbi Dei, eo animo ut observetur et executioni mandetur; *qui enim ex Deo est, verba Dei audit*, Joan. 8; 2° misericordia sive in pauperibus sublevandis, sive in dimittendis injuriis : *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Matth. 5; 3° patientia in adversis, et persecutio propter justitiam; unde malo diviti dicitur, Luc. 16 : *Fili, recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris;* et *beati* prædicantur, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam;* et 2 Cor. 4 : *Momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus in nobis operatur;* 4° bonæ vitæ decursus; unde S. Augustinus, lib. de Dono perseverantiæ, c. 22, sic populo prædicandam ait prædestinationem : « *Sic currite ut* « *comprehendatis*, 1 Cor. 9 atque in ipso cursuvestro, « ita vos esse præcognitos noveritis, ut legitimè cur- « reretis. Si autem adhuc in peccatorum damnabilium « delectatione remoramini, *apprehendite saluberri-* « *mam disciplinam*, quod tamen cùm feceritis, *nolite* « *extolli quasi de operibus vestris*, aut gloriari *quasi hoc* « *non acceperitis; Deus est enim qui operatur in vobis et* « *velle et perficere pro bonâ voluntate*, Philipp. 2; et : *A* « *Domino gressus vestri diriguntur, ut viam ejus velitis*, « Psalm. 36. De ipso autem cursu vestro bono re- « ctoque condiscite vos ad prædestinationem divinæ « gratiæ pertinere. Vos itaque etiam ipsam obediendi « perseverantiam à Patre luminum, à quo descendit « omne datum optimum et omne donum perfectum, « sperare debetis, et quotidianis orationibus poscere « atque hoc faciendo confidere, non vos esse à præ- « destinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut « faciatis, ipse largitur. Absit autem à vobis, ideò « desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso « habere jubemini, non in vobis. *Maledictus* enim « *omnis qui spem habet in homine*, Jerem. 17; et « Psal. 117 : *Bonum est confidere in Domino, quàm* « *confidere in homine*, quia *beati omnes qui confidunt* « *in eum.* Hanc spem tenentes, *servite Domino in* « *timore, et exultate ei cum tremore*, Psal. 2; quo- « niam de vitâ æternâ, quam filiis promissionis pro- « misit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo « potest esse securus, nisi consummata fuerit ista « vita, quæ *tentatio est super terram;* sed faciet nos « perseverare in se usque in ejus vitæ finem, cui quo- « tidiè dicimus, Matth. 6 : *Ne nos inducas in tentatio-* « *nem.* » Credamus cum Abraham, quia *quæ promisit* Deus *potens est et facere*, Rom. 4. Mirum quòd homines infirmitati suæ se committere malint, quàm firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis, de meipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuane tibi voluntas de teipso certa est, nèc times : *Qui videtur stare, videat ne cadat?* 1 Cor. 10. Cùm igitur utraque incerta sit, « cur non homo firmiori quàm infirmiori fidem « suam, spem, charitatemque committit? » inquit S. Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 11.

Quoniam verò *multi sunt vocati, pauci electi*, Matth. 7, sine intermissione oremus, vigilemus, bonum operemur non deficientes. Deo ferventer, humiliter, perseveranter supplicemus cum Ecclesiâ, *ut nos ab æternâ damnatione eripi, et in electorum suorum jubeat grege numerari.* Vigilemus, ne intremus in tentationem. In eum spem nostram conjiciamus, qui *maxima et pretiosa nobis promissa donavit; ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ; fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Curam omnem subinferentes, ministremus in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientiâ abstinentiam, in abstinentiâ patientiam, in patientiâ pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem*, 2 Petri 1. Quamvis ergo quod statuit Deus, nullâ possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii devotio relaxatur, « cùm implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus « effectus, ut per laborem operum, per instantiam sup- « plicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa « meritorum; et qui bona gesserint, non solùm se- « cundùm propositum Dei, sed etiam secundùm sua « merita coronentur. Ob hoc enim in remotissimo ab « humanâ cognitione secreto præfinitio hujus electio- « nis abscondita est. Et de nullo ante ipsius finem « pronuntiari potest, quòd in electorum glorià sit fu-

« turus, ut perseverantem humilitatem utilis metus « servet; et qui stat, videat ne cadat, » inquit auctor librorum de Vocatione omnium Gentium, libro 2, cap. 26.

« Contra istam prædestinationem, quam secundùm « Scripturas sanctas defendimus, nemo nisi errando « disputare potest, » ait S. August. lib. de Dono Persev. c. 19. Frustra ergo quis objiceret : Aut è numero sum electorum, aut non sum; si ex illo sum numero, fieri non potest ut à salute excidam : decretum enim illud Dei efficax et immutabile deficere non potest; si non sum, nullo meo conatu salutem adipisci potero. Quicquid agam igitur, ad salutem perveniam, si à Deo sim electus; in damnationem verò præceps ruam, si sim reprobus. Frustra, inquam, hæc objiciuntur. Prædestinationis enim executio nostræ pendet ex meritis et pietatis officiis, per quæ et propter quæ Deus sempiternæ felicitatis præmia se nobis collaturum ab æterno decrevit; quamvis ratio primaria quâ impulsus est ad eam nobis destinandam felicitatem et gloriam non sint merita nostra, sed una illius misericordia et bonitas. Bona autem illa opera, quæ in divinâ prædestinatione ut media ad illius consummationem à Deo præordinata, utque gratiæ ejus munera nobis ad hunc finem data involvuntur, electorum liberrimâ cooperatione ponenda sunt, ipsa etiam perseverantia. Unde sicut falsò et ineptè diceret agricola : Quidquid agam, nihilominùs terra fructum dabit, messemque afferet uberrimam, si Deus ita decreverit; vel non afferet, si futuram sterilitatem prænoverit atque decreverit Deus, quia voluntas ejus deficere, aut præscientia falli non potest : quid igitur necesse est ut laborem, ut terram excolam, ut seminem? Et stultè diceret architectus : Domus hæc stabit, si Deus ita decreverit; sin verò, certissimè corruet : quid ergo refert super quod fundamentum ædificem, utrùm in arenâ, an super firmam petram? An ex selectis et affabrè dolatis lignis, sectisque ac politis lapidibus, vel ex fœno et stipulis exstruam? Ita inepta et vulgaris illa humani sensûs, et animalis hominis, non percipientis ea quæ Dei sunt, objectio; falsumque est nos ad æternam felicitatem perventuros quidquid agamus, si ex electorum numero simus, aut ab eâ defecturos, si ex reproborum numero. *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*, inquit Apostolus, 1 Cor. 2. Deus seminat in cordibus nostris verbum suum, gratiam suam, et per Spiritûs sancti subministrationem dat incrementum, ut fructum afferat; sed nihilominùs seminare nos debemus bona opera, ut tempore messis manipulos cum exultatione feramus, in horreo cœlestis patris familiàs recondendos. *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne suâ, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes*, Galat. 6. Meminerimus quòd *terra sæpè venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima; cujus consummatio in combustionem*, Hebr. 6. Ædificemus domum spiritualem, non super arenam, sed super firmam petram, super fundamentum solidum et inconcussum, quod est Christus Jesus; superædificemus *aurum, argentum, lapides pretiosos*, 1 Cor. 3, id est, opera bona, opera virtutum, ex charitate, et propter Deum. *Si cujus* enim *opus manserit, mercedem accipiet.* Vitam ita sanctè instituamus, ut cor nostrum nos non reprehendat, quia et bonæ conscientiæ testimonium probabile quoddam prædestinationis signum est. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum : et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram eo facimus.... Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo; et in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis*, 1 Joan. 3. Tunc enim *ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur*, Rom. 8. Operam demus ne excidamus ab hæreditate. Faciamus quod in nobis est, ut Dei mandata impleamus, cum ejus gratiâ, quæ nunquàm nobis, nisi culpâ nostrâ, deest, nunquàm negatur, nisi *in pœnam præcedentis peccati;* quoniam *Deus non deserit, nisi deseratur;* et : *Nisi fecerimus casum*, ipse *à nobis non facit occasum*, ut loquitur S. Augustinus.

In nullo gloriandum.

IV. Certum habeamus, *in nullo gloriandum* esse, *quando nostrum nihil sit*, quæ S. Cypriani sententia est, lib. 3, ad Quirinum, c. 4; *non esse in potestate nostrâ cor nostrum, et nostras cogitationes*, quod S. Ambrosii, lib. de Fugâ seculi, c. 1, dictum est, à S. Augustino laudatum; quia *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est*, quod oraculum est Apostoli, Rom. 11; falli non posse Dei præscientiam, nec mutari prædestinationem, quia *sine pœnitentiâ sunt dona et vocatio Dei*, Jacob. 1. Deo tamen obediamus, qui *voluntariè genuit nos Verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus;* bonum operemur, in bonis operibus perseveremus : castitatem namque, charitatem, pietatem, perseverantiam usque in finem, et omnem obedientiam quâ obeditur Deo, Dei dona esse, nemo Christianus diffiteri potest, proindeque ab ipso prædestinata : præscivit scilicet quæ fuerat ipse facturus; in suâ autem præscientiâ opera sua futura disponere, id omninò, nec aliud quidquam est prædestinare. « Sicut « (ergo) ille quem castum futurum esse præscivit « (Deus), quamvis id incertum habeat, non ideò non « agit ut castus sit; ita ille quem castum futurum præ« destinavit, quamvis id incertum habeat, non ideò « non agit ut castus sit, quoniam Dei dono se audit « futurum esse quod erit; imò etiam gaudet ejus cha« ritas, nec inflatur, tanquàm id non acceperit. Non « solùm ergo prædicatione prædestinationis ab hoc « opere non impeditur, verùm et ad hoc adjuvatur, ut « cùm gloriatur, in Domino glorietur. Quod autem

« dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, hoc de « charitate, de perseverantiâ, et ne pergam per sin- « gula, hoc de omni obedientiâ quâ obeditur Deo, ve- « racissimè dici potest. » Ita S. Augustinus, libro de Dono perseverantiæ, cap. 17. Prædestinationis nostræ exitum sanctorum precibus, ac præcipuè sanctissimæ Virginis Mariæ Dei Matris, erga quam sincera pietas et devotio, cum vitæ Christianæ integritate conjuncta, prædestinationis etiam signum est, commendemus. Quamvis enim obtineri nequaquàm possint quæ prædestinata non fuerunt, tamen « ea quæ sancti viri « orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus « obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni præ- « destinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut « ad hoc electi pio labore perveniant, quatenùs postu- « lando mereantur accipere quod eis omnipotens Deus « ante secula disposuit donare. » Verba sunt S. Gregorii Magni, libro 1 Dialogorum, cap. 8.

Fides, gratia sanctificans, et charitas, plerisque reprobis à Deo tribuuntur.

V. Certum habeamus præterea, fidem et justitiam, sive gratiam sanctificantem et charitatem plerisque reprobis à Deo tribui, de quibus S. Joannes, 1 Epist. 2, ait : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Id est : « *Non erant filii, etiam quando erant in professione et « nomine filiorum : non quia justitiam simulaverunt, « sed quia in eâ non permanserunt.* Neque enim ait : « Nam si fuissent ex nobis, veram, non fictam justitiam « tenuissent utique nobiscum, sed : *Si fuissent ex « nobis, permansissent utique nobiscum.* In bono illos « volebat procul dubio manere. Erant itaque in bono, « sed quia in eo non permanserunt, id est, usque in « finem non perseveraverunt, *non erant*, inquit, *ex « nobis*, et quando erant nobiscum; hoc est, non erant « ex numero filiorum, et quando erant in fide filiorum; « quoniam qui verè filii sunt, præsciti et prædestinati « sunt conformes imagini Filii ejus, et secundùm pro- « positum vocati sunt ut electi essent. *Non enim perit « filius promissionis, sed filius perditionis.* Fuerunt « ergo isti ex multitudine vocatorum, ex electorum autem paucitate non fuerunt. Justi ergo illi tempo- « rales, cùm piè vivunt, dicuntur, filii Dei : sed quo- « niam victuri sunt impiè, et in eâdem impietate mo- « rituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei. Sunt « enim filii Dei, qui nondùm sunt nobis, et sunt jam « Deo, de quibus ait Evangelista Joannes, c. 11 : « *Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantùm « pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congrega- « ret in unum;* quòd utique credendo futuri erant per « Evangelii prædicationem, et tamen antequàm esset « factum, *jam filii Dei erant in memoriali Patris sui « inconcussâ stabilitate conscripti. Et sunt rursùs qui- « dam qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter « gratiam dicuntur à nobis, nec sunt tamen Deo.* » Ita S. Augustinus, libro de Correptione et Gratiâ, cap. 9. Qui vel unus locus, ne multa alia testimonia congeram, demonstrat, fidem et justitiam plerisque reprobis à Deo tribui. Quod fidei dogma contra Calvini hæresim sacra synodus Tridentina definivit, sessione 6, canone 17.

Fides et justitia possunt amitti.

Nec minùs certum est, fidem et justitiam semel acceptam in hominum cordibus extingui posse, ac reverà extingui in iis qui à justitiâ suâ conversi, faciunt iniquitatem, de quibus scriptum est, Ezech. 18 et 33 : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur;* et, quòd *prolapsi sunt*, Hebr. 6, cùm semel essent illuminati, gustâssent etiam donum cœleste, et participes facti essent Spiritûs sancti; qui denique non perseverant usque in finem. Quod fidei catholicæ dogma S. Augustinus, libro præsertim de Dono perseverantiæ confirmat, capp. 8 et 9, asserens tam eos qui non perseverant, quàm qui perseverant in justitiâ, vocatos fuisse, vocantem secutos, ex impiis justificatos, et per lavacrum regenerationis æquè renovatos. Idem confirmant S. Prosper in Responsione ad objectiones Vincentianas, capp. 12, 13, 15, et in Responsione ad Capitula Gallorum, capp. 2, 3 et 7, et S. Bernardus sermone 54 in Cantica. Unde Calvinianum dogma de inamissibili justitiâ, velut hæreticum à concilio Tridentino meritò damnatum est, sessione 7, canone 26.

Nec verò Calviniano dogmati patrocinium quæri potest ex illis verbis S. Joannis, 1 Epist. c. 3 : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* His enim verbis solùm significatur, mortalium peccatorum perpetrationem cum statu ac dignitate filiorum Dei cohærere non posse; non autem quòd cum personâ filiorum Dei conjungi non possint, sive ab iis qui filii Dei sunt committi, ita tamen ut illa committendo à statu filiorum Dei excidant. Hic loquendi modus similis est illis propositionibus, quæ vulgò in ore hominum versantur : Honesta et pudica femina sermonibus ad stuprum allicientibus aures non accommodat; fidelis subditus cum hostibus regis sui fœdus non init; judex integer muneribus aut gratiâ non corrumpitur; princeps optimus ad insontes opprimendos potestate non abutitur suâ. Hæ namque propositiones enuntiant atque indicant id quod hujusmodi personis convenit secundùm dotes quæ ipsis tribuuntur; sed non inde sequitur mulierem pudicam labi non posse; subditum fidelem non posse deficere à fide et officio erga principem; judicem integerrimum non posse ab integritate dimoveri precibus potentissimis, commodis aut minis; principem optimum, qualis erat David, non posse eò abripi cupiditatis æstu, ut occidat insontem. Sic itaque omnis qui ex Deo natus est, peccatum non facit, sed nec facere potest, quamdiù divinæ illius nativitatis spiritum sequitur; sed tamen, si officium negligat suum, et dæmonis tentationibus consensum præbeat, in mortale peccatum prolabi poterit, quo à statu filiorum Dei excidat. Omnis igitur qui natus est ex Deo, non peccat, quatenùs ex Deo natus est, et non potest peccare, quatenùs est filius Dei; sed peccare potest, quatenùs filius est Adami. « Ergo duas nativi- « tates attendite. Duo sunt homines, sed unus ipso-

« rum homo homo, alter ipsorum homo Deus. Per « hominem hominem, peccatores sumus, per homi- « nem Deum justificamur; nativitas illa dejecit ad « mortem, ista nativitas erexit ad vitam; nativitas illa « trahit secum peccatum, nativitas ista liberat à pec- « cato : in hoc enim venit Christus homo, ut solveret « peccata hominum. *Omnis qui in ipso manet non pec- « cat.* In quantum in ipso manet, in tantum non pec- « cat. » Verba sunt S. Augustini, tractatu 4 in Epi- stolam primam S. Joannis.

Nemo absque singulari Dei revelatione de suâ prædestinatione certus esse potest.

VI. Æquè certum est, neminem, citra singularem Dei revelationem, de suâ prædestinatione certum esse posse, ut sacra synodus Tridentina contra Calvini errorem definivit, sessione 6 canone 16; quapropter timere debemus, quamdiù in hâc vitâ sumus, *quæ tentatio est super terram. Cum metu igitur et tremore vestram salutem operamini*, inquit Apostolus. Timeant sibi justi; « quid enim sunt hodiè, sciunt; « quid cras futuri sint, nesciunt... Qui injustus est, « conversus poterit justus esse; quomodò et justus « aversus poterit injustus esse. Itaque nec de te præ- « sumas, nec de illo desperes. » S. August. Enarrat. in psalm. 51. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, Matthæi 25 : « Quia vocati sumus, novimus; si sumus ele- « cti, nescimus. Tantò ergo necesse est ut unusquis- « que nostrûm in humilitate se deprimat, quantò si « sit electus ignorat. » S. Gregorius Magnus, hom. 38

Perditio reproborum ex ipsis est, non ex Deo.

VII. Certum est denique, perditionem reproborum ex ipsis esse, Deum ipsos in peccatum non impellere, sed permittere tantùm ut cadant; damnationis pœnam illis non decernere nisi propter culpam, in quam liberâ suâ voluntate casuri sunt. *Numquid*, inquit, *voluntatis meæ est mors impii, et non ut convertatur à viis suis et vivat?... Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus : revertimini et vivite*, Ezech. 18. *perditio tua ex te, Israel*; *tantummodò in me auxilium tuum* Osee 13; *sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis*, Matth. 18. Et tamen in illâ puerorum turbâ, quæ tunc oblata est Christo Domino, neminem nisi prædestinatum fuisse, minùs verisimile est. Deus *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*, inquit Apostolus, 1 Tim. 2. Idipsum SS. Patres confirmant. S. Hieronymus, in cap. 63 Isaiæ : « Vo- « luit Deus salvare cupientes, et provocavit ad salu- « tem, ut voluntas haberet præmium; sed illi credere « noluerunt, etc. Nec statim in culpâ est, si plures « credere noluerunt; sed voluntas venientis hæc fuit, « ut omnes crederent et salvarentur. » Et in cap. 18 Ezechielis, ad illa verba : *Numquid voluntatis meæ est mors impii, et non ut convertatur à viis suis?* ait : « Ergo « Domini voluntatis est, omnes salvos fieri. Ubi au- « tem Dei videtur severa et truculenta sententia, non « homines, sed peccata condemnat. » S. Paulinus, epistolâ 2 : « Omnem, quantùm in ipso est, hominem « salvum fieri vult, qui fecit omnes. » S. Ambrosius, lib. 2 de Caïn et Abel, cap. 3 : « Redemptor ideò « omnibus opem sanitatis detulit, ut quicumque perie- « rit, mortis suæ causas sibi adscribat, qui curari no- « luit, cùm remedium haberet, quo posset evadere; « Christi autem manifesta in omnes prædicetur mise- « ricordia, eò quòd ii qui pereunt, suâ pereant negli- « gentiâ; qui autem salvantur, secundùm Christi sen- « tentiam liberentur, *qui omnes vult salvos fieri, et in « agnitionem veritatis venire.* » Et in Enarratione Psalmi 118 : « Bonitas Dei in omnes est, severitas in « paucos. In eos quidem qui ceciderunt, severitatem; « in te autem bonitatem. Si enim non cecidissent, ute- « rentur et ipsi bonitate Dei. »

S. Augustinus, libro de Spiritu et litterâ, cap. 33 : « *Vult Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem « veritatis venire*, non sic tamen ut eis adimat liberum « arbitrium, quo vel benè vel malè utentes justissimè « judicentur. Quod cùm fit, infideles contra voluntа- « tem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt; « nec ideò tamen eam vincunt, verùm se ipsos frau- « dant magno et summo bono, malisque pœnalibus « implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, « cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita « voluntas Dei semper invicta est; vinceretur autem, « si non inveniret quid de contemptoribus faceret, « aut ullo modo possent evadere quod de talibus ille « constituit. Qui enim dicit, verbi gratiâ : Volo ut hi « omnes servi mei operentur in vineâ, et post labo- « rem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum « hoc noluerit, in pistrino semper molat; videtur qui- « dem quicumque contempserit, contra voluntatem « Domini sui facere; sed tunc eam vincet, si et pis- « trinum contemnens effugerit; quod nullo modo fieri « potest sub Dei potestate. Unde scriptum est, Psal. 61 : « *Semel locutus est Deus : Duo hæc audivi, quia potestas « Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes « unicuique juxta opera sua.* Ille igitur reus erit ad « damnationem sub potestate ejus, qui contempserit ad « credendum misericordiam ejus. Quisquis autem cre- « diderit, eique se à peccatis omnibus absolvendum, « et ab omnibus vitiis sanandum, et calore ac lumine « ejus accendendum illuminandumque commiserit, « habebit ex ejus gratiâ opera bona, ex quibus etiam « secundùm corpus à mortis corruptione redimatur, « coronetur, bonisque satietur, non temporalibus, sed « æternis, supra quàm petimus et intelligimus. » S. Au gustino concinit S. Prosper in Responsione ad objec- tiones Vincentianas, object. 2 : « Sincerissimè, inquit, « credendum atque profitendum est, Deum velle ut « omnes homines salvi fiant, siquidem Apostolus, cu- « jus ista sententia est, sollicitissimè præcipit, quod « in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, ut Deo pro « omnibus hominibus supplicetur; ex quibus quòd « multi pereunt, pereuntium est meritum; quòd multi « salvantur, salvantis est donum. Ut enim reus dam- « netur, inculpabilis Dei justitia est; ut autem reus « justificetur, ineffabilis Dei gratia est. » His adde egregium S. Isidori Pelusiotæ locum, libro 2, epistolâ

270 : « Etenim modis omnibus salvari vult eos qui in « vitio volutantur, et ad eos allegat qui remedium « adhibeant, non ignorans quidem fore ut illi morbo « intereant; sed ut omnem eis excusationem eripiat. « Nam etsi ab insaniâ non resipiscant isti, hoc tamen « inde fructûs consequitur, quòd suas ipse partes sit « executus. »

ARTICULUS III.

Quo Symboli Apostolici articulus alter explicatur : ET IN JESUM CHRISTUM FILIUM EJUS UNICUM DOMINUM NOSTRUM.

§ 1. *Quàm necessaria sit et utilis hujus articuli fides.*

Quanta sit hujus articuli credendi necessitas, et quæ ex illius fide utilitas in hominum genus derivetur, illud Christi Domini oraculum declarat, Joan. 17 : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum ;* idem ostendit beatitudinis præconium, quod à Christo Salvatore principi Apostolorum tributum est, cùm ipsum *Filium Dei vivi* confessus esset, Matth. 16 : *Beatus es, Simon Bariona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Idem confirmat testimonium illud S. Joannis, 1 Epist. c. 5 et 6 : *Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo... Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est... Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei ?... Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum : quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam ; qui non habet Filium, vitam non habet.* Hoc fundamentum firmissimum est nostræ salutis ac redemptionis. Hoc certum propriumque fidei catholicæ fundamentum. Ut enim ait Apostolus, 1 Cor. 3, *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Hoc fundamentum fidei nostræ : *Unus Deus; unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus,* 1 Tim. 2. « Nam neque « per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et ho- « minum, hominem Jesum Christum, nisi esset et « Deus. Sed cùm factus est Adam, homo scilicet re- « ctus, mediatore opus non erat. Cùm verò genus hu- « manum peccata longè separaverunt à Deo, per « mediatorem qui solus sine peccato natus est, vixit, « occisus est, reconciliari nos oportebat Deo, usque ad « carnis resurrectionem in vitam æternam, ut humana « superbia per humilitatem Dei argueretur ac sanare- « tur, et demonstraretur homini quàm longè à Deo « recesserat, cùm per incarnatum Deum revocaretur, « et exemplum obedientiæ per hominem Deum contu- « maci homini præberetur; et Unigenito suscipiente « formam servi, quæ nihil ante meruerat, fons gratiæ « panderetur, et carnis etiam resurrectio redemptis « promissa in ipso Redemptore præmonstraretur; et « per eamdem naturam, quam se decepisse lætabatur « diabolus vinceretur; nec tamen homo gloriaretur, « ne iterùm superbia nasceretur, » inquit S. August. in Enchirid. c. 108. « In causâ (igitur) duorum homi- « num, quorum per unum venumdati sumus sub pec- « cato, per alterum redimimur à peccatis ; per unum « præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur « ad vitam; quorum ille nos in se perdidit faciendo « voluntatem suam, non ejus à quo factus est; iste nos « in se salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, « sed ejus à quo missus est; in horum, inquam, duo- « rum hominum causâ propriè fides christiana con- « sistit. Quoniam *non est aliud nomen sub cœlo datum « hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* Act. 4; « *et in illo definivit Deus fidem omnibus, suscitans il- « lum à mortuis,* ibid. 17. » Itaque sine fide incarnationis, et mortis, et resurrectionis Christi, nec antiquos jus- « tos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari, et « Dei gratiâ justificari, veritas christiana non dubitat; « sive in eis justis quos sacra Scriptura commemorat, « sive in eis justis, quos quidem illa non commemo- « rat, sed tamen fuisse credendi sunt vel ante dilu- « vium, vel inde usque ad legem datam, vel ipsius « legis tempore, non solùm in filiis Israel, sicut fue- « runt prophetæ, sed etiam extra eumdem populum, « sicut fuit Job. Et ipsorum enim corda eâdem mun- « dabantur mediatoris fide, et diffundebatur in eis « charitas per Spiritum sanctum, qui ubi vult spirat, « non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens, » ut docet idem S. Augustinus, libro de Peccato originali, cap. 24. Justi illi veteres sub lege non erant, sed sub gratiâ ; eâdem quippe fide et ipsi mundabantur, quâ et nos. Unde Apostolus dicit, 2 Cor. 4 : *Habentes eumdem Spiritum fidei, secundùm quod scriptum est : Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus, propter quod et loquimur.* Ex ipsâ fide de ipso dicebatur, Psal. 18 : *Et ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam ; à summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat à calore ejus.* Ex fide ipsâ ipsi dicebatur, Psal. 44 : *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi ; virga directionis, virga regni tui ; dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem ; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Ex ipsâ fide dicebatur, Isai. 7 : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel,* id est, *Nobiscum Deus.* « Eodem spiritu fidei hæc ab illis fu- « tura videbantur, quo à nobis facta creduntur. Ne- « que enim qui nobis ista fideli dilectione prophetare « potuerunt, eorum ipsi participes non fuerunt. » Unde S. Petrus ait, Act. 15 : *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus ? sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodùm et illi.* Igitur et illi per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvi facti sunt, non per legem Moysi, per quam non sanatio, sed cognitio facta est peccati. *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata à lege et Prophetis. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt in eum,* Rom. 3. « Si ergo nunc manifestata est, etiam tunc

« erat, sed occulta. Cujus occultationem significabat « templi velum, quod est ad ejus significandam reve- « lationem Christo moriente conscissum. Et tunc ergo « ista gratia unius mediatoris Dei et hominum homi- « nis Christi Jesu erat, in populo Dei; sed tanquàm « in vellere pluvia, quam non debitam, sed voluntà- « riam segregat Deus hæreditati suæ, inerat latens; « nunc autem velut siccato illo vellere, hoc est, Ju- « daico populo reprobato, in omnibus gentibus tan- « quàm in areâ cernitur patens. Hinc Apostolus ait, « 1 Cor. 15 : *Per hominem mors, et per hominem re-* « *surrectio mortuorum; et sicut in Adam omnes moriun-* « *tur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Illi ergo anti- « qui justi ideò in resurrectionem vitæ æternæ venturi « sunt, quia in Christo vivificabuntur; ideò in Christo « vivificabuntur, quia ad corpus pertinent Christi; « ideò pertinent ad corpus Christi, quia et ipsis caput « est Christus; ideò et ipsis caput est Christus, quia « unus mediator est Dei et hominum homo Christus « Jesus. Mediator autem illis non fuisset, nisi in ejus « resurrectionem per ejus gratiam credidissent. Et hoc « quomodò fieret, si eum in carne venturum esse ne- « scissent, neque ex hâc fide justè pièque vixissent? « Nam si propterea illis non profuit incarnatio Christi, « quia nondùm facta erat; nec nobis prodest judicium « Christi de vivis et mortuis, quia nondùm factum est. « Si autem nos per hujus nondùm facti, sed futuri ju- « dicii fidem stabimus ad dexteram Christi, profectò « illi, per incarnationis ejus tunc nondùm factæ, sed « futuræ fidem, membra sunt Christi. » Sic ratiocinatur S. Augustinus, lib. de Peccato originali, cap. 26.

Spem futuræ per Christum redemptionis, cujus fides ad salutem consequendam necessaria est semperque fuit, Deus ab initio mundi præmonstravit, cùm proprium diabolo damnum, quod ex liberatione hominum facturus erat, his verbis denuntiavit, Gen. 3 : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Eamdem promissionem deinceps confirmavit, iis præsertim hominibus, quibus singularis benevolentiæ signa præbere voluit; inter cæteros verò patriarchæ Abrahæ, eo præsertim tempore quo Dei mandato obediens filium suum unigenitum immolare voluit. *Quia*, inquit, Gen. 22, *fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris; possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Quo Deus significavit oraculo, ex progenie Abrahæ futurum, qui omnibus ab immani Satanæ tyrannide liberatis salutem afferret... Illum autem Dei Filium natum ex semine Abrahæ secundùm carnem fore necesse erat. Nullis enim angelorum aut hominum viribus à lapsu suo sublevari et reparari poterat hominum genus. Quamobrem opus erat ut Dei Filii infinita virtus, assumptâ carnis nostræ imbecillitate, infinitam peccati vim et exuberantem malitiam copiosâ redemptione tolleret, infinitam injuriam divinæ majestati illatam infinito pretio, et superabundanti satisfactione compensaret, nosque Deo reconciliaret in sanguine suo. Quòd autem natus ex semine Abrahæ Dei Filius id præstiterit, declarat S. Petrus, Actorum 3, dicens Judæis : *Vos estis filii prophetarum et testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primùm Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque à viâ suâ.* Hinc Dominus Jesus de Abraham dixit, Joan. 8 : *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit et gavisus est.* Si diem suum voluit suum tempus intelligi, testimonium profectò perhibuit Abrahæ quòd fide incarnationis ejus fuerit imbutus. Secundùm hanc enim habet tempus; divinitas verò ejus omne tempus excedit, quia per illam universa facta sunt tempora. Propter hoc et servum suum manu sub femore suo positâ jurare voluit, quòd uxorem ex mulieribus Chananæis filio suo Isaac non esset accepturus, prænoscens carnem in quâ venturus erat Deus cœli, de illo femore propagari. Cujus carnis et sanguinis, quando ipsum Abraham benedixit, Melchisedech etiam testimonium christianis fidelibus notissimum protulit, ut tantò post Christo diceretur in Psalmis, quòd nondùm factum, sed adhuc futurum, eadem tamen ipsa et patrum quæ nostra est, fides una cantabat : *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Non ita multò post Dominus promissi Abrahamo facti memoriam renovavit, sancito cum Jacob ejus nepote fœdere, quando in somnis vidit scalam stantem super terram, cujus cacumen cœlos tangebat, angelos quoque Dei per eam ascendentes et descendentes, audivit etiam Dominum innixum scalæ dicentem sibi, Gen. 28 : *Terram, in quâ dormis, tibi dabo et semini tuo, eritque semen tuum quasi pulvis terræ. Dilataberis ad orientem, et occidentem, et septentrionem, et meridiem, et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ.* Constitutâ denique Judæorum, qui ex genere Abrahami erant, republicâ, insignes figuræ Christi venturi populo Dei exhibitæ sunt, et multis apertissimisque prophetiis Filii Dei incarnatio et nativitas ex Virgine, miracula, doctrina, mores, consuetudo, passio, mors, resurrectio, cæteraque ejus mysteria prænuntiata sunt, scilicet Psalmo 11, vers. 6, 7, 8; Psalm. 21, vers. 17, 18, 19; Psalmo 44, vers. 7 et 8; Psalmo 109 toto; Isaiæ cap. 7, vers. 14; cap. 8, vers. 2, 3 et 4; cap. 9, vers. 6; cap. 11, vers. 1, 2, 3, 4 et 5, et toto cap. 53; Jeremiæ 23, vers. 5, et cap. 30, vers. 8 et 9; cap. 31, vers. 22; cap. 33, vers. 15 et 16; Danielis 7, vers. 13 et 14, et cap. 9, vers. 24, 25, 26 et 27; præter alia plurima prophetarum oracula, quæ à viris eruditis adnotata sunt, et cum novi Testamenti locis, quibus eorum exitus et consummatio continetur, diligenter collata, præsertim à doctissimo Abrincensium episcopo, Petro Daniele Huetio, in Demonstratione evangelicâ, propositione 9 (1). Quæ quidem ita mani-

(1) Hanc totam propositionem legere est supra, nostri Scripturæ sacræ *Cursûs* vol. 2.

festa sunt, ut si futuri et præteriti temporis tollatur diversitas, nihil jam inter prophetarum vaticinia et Apostolorum prædicationem, nihil inter veterum patriarcharum fidem et nostram interesse videamus, ut ait concilii Tridentini Catechismus. Typi seu figuræ tam illustres, vaticinia tam perspicua Filii Dei incarnationem cæteraque mysteria præcesserunt ad conciliandam fidem. Filii Dei incarnatio et nativitas ex Virgine « paraturam desiderabat ut crederetur, inquit « Tertullianus, lib. adversùs Judæos, et sacramentum « passionis ejus figurari in prædicationibus oportue- « rat; quantòque credibile, tantò magis scandalum « futurum, si nudè prædicaretur. Quantòque magni- « ficum, tantò magis obumbrandum, ut difficultas in- « tellectûs gratiam Dei quæreret. » Quamobrem Daniel, cap. 9, in adventu ipsius implendam visionem et prophetiam prædixit, *quoniam ipse est signaculum omnium prophetarum, adimplens omnia quæ retrò de eo prophetæ nuntiaverant.*

§ II. Et in Jesum. — *De nomine Jesu.*

I. Mediator noster Deus simul et homo, non per hoc mediator est, quòd est æqualis Patri; per hoc enim quantùm Pater, tantùm et ipse distat à nobis; et quomodò erit mediatio, ubi eadem distantia est? « Per hoc ergo mediator, per quod homo; « inferior Patre per quod nobis propinquior; su- « perior nobis, per quod Patri propinquior; quod aper- « tiùs ita dicitur : Inferior Patre, quia in formâ servi; « superior nobis, quia sine labe peccati; » ut ait S. Augustinus Lib. de Peccato orig. c. 28. Per humanam igitur naturam Christus mediatoris exercuit officia, satisfecit Patri, sacrificium obtulit, rogavit, passus est ac mortuus, quamvis actiones illæ et officia quibus functus est, dignationem et æstimationem infinitam non ex humanæ conditionis modulo, sed ex adjunctâ divinitate consecuta sint. Verùm tamen ipsam mediatoris personam ex duabus naturis constare oportuit, Deumque simul esse et hominem, ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in utroque similis hominibus, longè esset à Deo, aut in utroque Deo similis longè esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. S. August. lib. 9 de Civit Dei, cap. 15 : « Mediatorem (igitur) inter nos et Deum, et mortalitatem oportuit habere transeuntem, et beatitudinem permanentem, ut per id quod transit, concrueret morituris, et ad id quod permanet transferret ex mortuis. » Proprium mediatoris Dei et hominum, qui Deus et homo est, nomen est Jesus, quod *Salvatorem* significat, non quidem fortuitò, aut hominum judicio ac voluntate, sed Dei consilio et præcepto illi impositum. Angelus enim Mariæ Matri conceptionis ejus mysterium annuntians, ait, Luc. 1 : *Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum;* ac deinde Josepho Virginis sponso non solùm ut eo nomine Puerum appellaret, præcepit, sed etiam rationem nominis consiliumque Dei illud imponentis declaravit his verbis, Matth. 1 : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* De adorando illo nomine, Habacuc cap. 3, prænuntiatum est : *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.* Id nomen Christo impositum est octavo die, cùm circumcisus est, Luc. 2. « Circumcisio veritatem sus- « ceptæ probat humanitatis, et nomen quod est super « omne nomen gloriam indicat majestatis. Circum- « ciditur tanquàm verus Abrahæ filius; Jesus vo- « catur tanquàm verus Filius Dei. Neque enim ad « instar priorum meus iste Jesus, nomen vacuum « aut inane portat. Non est in eo magni nominis « umbra sed veritas, » inquit S. Bernardus, sermone 1 in Circumcisione Domini. Jesus appellatus est filius Nave, qui Moysi successit, et populum à Moyse ex Ægypto liberatum, in terram promissionis, quod ipsi Moysi negatum fuerat, deduxit. Eodem etiam nomine Josedech sacerdotis filius appellatus est, eodem et filius Sirach. Sed longè potiori juri hoc nomen Salvatori nostro impositum est, qui non uni alicui populo, sed universis omnium ætatum hominibus, non quidem fame, aut Ægyptiaco vel Babylonico dominatu oppressis, sed in umbrâ mortis sedentibus et durissimis peccati et diaboli vinculis obstrictis, lucem, libertatem et salutem dederit, qui eos è mundi erroribus evocatos ad cœlestis regni hæreditatem provexerit, eisque cœlum reseraverit. *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* In illis velut typis adumbratus est Christus Dominus, qui de se ipso verè dixit : *Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet.* Josue, sive *Jesus filius Nave* successit defuncto Mosi; Jesus, abrogatâ Mosis lege, novam condidit; *finis* enim *legis Christus ad justitiam omni credenti*, Act. 4. Moses ad Chanaanitidis terræ fines Hebræos deduxit; in terram ipsam introducere non potuit, quod præstitit Josue. Lex Mosis nomine significata justificare et salvare non potuit homines, quod præstitit fides et gratia Christi Jesu. *Scientes* inquit Apostolus, Rom. 10, *quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis.* Chanaanitidis terræ compotes Hebræos, Jordane trajecto, fecit Josue; in patriam cœlestem ablutos nos baptismi aquis inducit Jesus. Duodecim lapides de Jordanis alveo sublatos ad posteritatis memoriam in castris statui jubet Josue, atque alios item duodecim in ipso Jordanis alveo; Jesus duodecim elegit Apostolos, quorum principi derivatum à petrâ nomen imposuit, ipsos verò fundamentum mysticæ suæ domûs, id est, Ecclesiæ, constituit. Secundæ circumcisionis Hebræis administer fuit Josue; in Jesu circumcisi sumus *circumcisione non manu factâ*

in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, Coloss. 2; *circumcisione cordis in spiritu, non litterâ*, Rom. 2. Hinc Tertullianus, libro adversùs Judæos, cap. 9, scribit : « Quia Jesus Christus se- « cundum populum, quod sumus nos, nationes in « seculi deserto commorantes antea, introducturus « esset in terram repromissionis, melle et lacte « manantem, id est, in vitæ æternæ possessionem, « quâ nihil dulcius; idque non per Mosem, id est, non « per legis disciplinam, sed per Jesum, id est, per « novæ legis gratiam provenire habebat circumcisis « nobis petrinâ acie, id est, Christi præceptis (Pe- « tra enim Christus multis modis et figuris prædicatus « est), ideò is vir qui in hujus sacramenti imaginem « parabatur, etiam nominis Dominici inauguratus est « figurâ, ut Jesus nominaretur. » Josue bellator fuit, bellator et Jesus, cujus ex ore gladius anceps exibat, de quo dictum est, Apoc. 1, 16, et c. 19, 12 et seq., et Psal. 44 : *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime... Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis.* Josue fuit *magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel*, Eccli. 46. De Christo Salvatore nostro ait angelus Virgini Mariæ : *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* Nomen ejus magnum; humiliationis enim ipsius, quæ maxima fuit, præmium est. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in glorià est Dei Patris*, Philipp. 2. Ad salutem omnium hominum venit Christus, eo nomine maximus. 1 Tim. 1 : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Hinc S. Augustinus passim ex nomine Jesu argumentum petit contra Pelagianos peccatum originale negantes, quòd et parvulis Christus sit Jesus, id est, Salvator. Sic in fine libri 2 de Nuptiis et Concupiscentiâ : « Concedat, inquit, Jesum etiam parvulis esse « Jesum, et, ut per eum facta omnia fatetur per id « quod est Verbum Deus, ita etiam parvulos ab eo « salvos fieri fateatur per id quod est Jesus, si vult « catholicus esse christianus. Sic enim scriptum est « in Evangelio : *Et vocabunt nomen ejus Jesum; ipse « enim salvum faciet populum suum à peccatis ea- « eorum.* In quo populo sunt utique et parvuli; sunt « ergo et in parvulis peccata originalia, propter quæ « Jesus, id est, Salvator possit esse et ipsorum. » Josue expugnavit insurgentes hostes populi Dei; Christus Salvator noster *vicit mundum, et exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso, et per mortem destruxit eum qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum.* Hinc Josue adversùs Amalecitas pugnante, Moses totâ die expansis manibus orabat : « quia illic ubi nomen « Jesu dimicabat, dimicaturi quandoque adversùs « diabolum, crucis habitus quoque erat necessarius, « per quam Jesus victoriam esset relaturus. » Verba sunt Tertulliani, libro adversùs Judæos, cap. 10.

Jesum filium Josedech Christi Salvatoris typum etiam fuisse meritò diximus : pontifex enim uterque fuit; utrique adversatus est Satanas. Ille Judæorum è captivitate Babylonis in patriam redeuntium dux fuit; hujus ductu homines mundi captivitate liberati ad cœlestem patriam perveniunt. Ille vestibus sordidis indutus est; hic peccata nostra tulit, infirmum corpus induit, supplicii demùm ignominiâ, sputis, sanguineque suo fœdatum. Ille vestimentis sordidis exutus, noxisque purgatus, novas vestes ac mundas induit, eique cidaris imposita est; Christus, mundo, morte, peccato ac diabolo victis, veste immortalitatis assumptâ, susceptoque diademate triumphans in cœlum ascendit. Jesu Josedech filio ait Deus : *Judicabis domum meam, et custodies atria mea;* Christum vivorum et mortuorum judicem Deus constituit, totiusque Ecclesiæ custodem præposuit, sponsum, ac dominum. Ille in templo reparando socius fuit Zorobabelis; hic Ecclesiam Dei vivi templum ædificavit. *Jesus filius Sirach doctrinam sapientiæ et disciplinæ scripsit* in libro Ecclesiastici, et *renovavit sapientiam in corde suo;* Christus Salvator noster *Dei Virtus et Dei Sapientia, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, factus est nobis sapientia à Deo.* De quo Siracides ipse, cap. 1 Ecclesiastici, scripsit : *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna*, etc. Et, cap. 24 : *Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur, et in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur, et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sanctâ admirabitur, et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur, dicens : Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam*, etc.

Non igitur sola magni nominis umbra, sed veritas in Christo Jesu fuit, cujus nomen admirabile, amabile, suave, potens, malignis spiritibus tremendum est. Nomen Jesu tribuit Sacramentis virtutem remittendi peccata, conferendi gratiam, salutem operandi. Nomen Jesu genus omne miraculorum operatur, dæmones expellit, vincit, profligat. Serpentium morsus et haustus veneni nomine Jesu sanatos fuisse, Judæi ipsi Thalmudistæ referunt in lib. de Sabbato, c. 14. In nomine Jesu à Deo impetramus quicquid petimus, si, ut oportet, petamus. Sic orationes suas concludit Ecclesia : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.* Nomen Jesu velut oleum effusum, inquit S. Bernardus, sermone 15 in Cantica, « lucet, pascit, et « ungit : lucet prædicatum, pascit recogitatum, invo- « catum lenit et ungit. Unde in toto orbe tanta et tam « subita fidei lux, nisi de prædicato Jesu? Nonne in « hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile « lumen suum, quibus illuminatis, et in lumine ipso

videntibus lumen dicat meritò Paulus, Ephes. 5: « *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino?* « Hoc nomen coram gentibus, et regibus, et filiis « Israel, portare jussus est idem Apostolus, Act. 9; « et portabat nomen tanquàm lumen, et illuminabat « patriam, et clamabat ubique: *Nox præcessit, dies « autem appropinquavit; abjiciamus ergo opera tenebra- « rum, et induamur arma lucis, sicut in die honestè am- « bulemus*, Rom. 13. Nec tantùm lux est nomen Jesu, « sed et cibus. An non toties confortaris, quoties re- « cordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? « Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, « vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet « affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non « oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale « conditur. *Jesus mel in ore, in aure melos, in corde ju- « bilus.* Sed est et medicina. Tristatur aliquis vestrûm? « Veniat in cor Jesus, et inde saliat in os, et ecce ad « exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, re- « dit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper « ad laqueum mortis desperando? Nonne si invocet « nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui « aliquando stetit ante faciem salutaris nominis, du- « ritia cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor « acediæ? Cui fons fortè siccatus lacrymarum, invo- « cato Jesu, non continuò erupit uberior, fluxit suavior? « Cui in periculis palpitanti et trepidanti, invocatum « nomen virtutis non statim fiduciam præstitit, depulit « metum? Cui in dubiis æstuanti et fluctuanti, non « subitò ad invocationem clari nominis emicuit certi- « tudo? Cui in adversis diffidenti jamjamque deficienti, « si nomen adjutorii, sonuit, defuit fortitudo? Nimi- « rùm morbi et languores animæ isti sunt, illud me- « dicina. Denique et probare licet: *Invoca me in die « tribulationis, eruam te, et honorificabis me*, Psal. 49. « Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem « sedat, sanat livoris vulnus, extinguit libidinis flam- « mam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris « fugat pruriginem. Siquidem cùm nomino Jesum, « hominem mihi propono mitem et humilem corde, « benignum, sobrium, castum, misericordem, et « omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, « eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me « et exemplo sanet, et roboret adjutorio. Hæc omnia « simul mihi sonant, cùm insonuerit Jesus... Semper « tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in « Jesum et sensus dirigantur et actus. Denique et in- « vitaris, Cant. 8: *Pone me ut signaculum super cor « tuum, super brachium tuum.* Habes unde et brachio « medearis et cordi. Habes in nomine Jesu, unde actus « tuos vel pravos corrigas, vel minùs perfectos adim- « pleas; itemque unde tuos sensus aut serves, ne « corrumpantur; aut si corrumpantur, sanes. »

Omnia præterea nomina, quæ prædicta sunt Filio Dei divinitùs imponenda, ad unum hoc Jesu nomen referuntur. Cùm enim salutem, quam nobis daturus erat, aliquâ ex parte attingerent, hoc ipsum universæ salutis humanæ vim rationemque complexum est, inquit concilii Tridentini catechismus. Quod antea S. Bernardus piè et eleganter exposuerat, sermone 2 in Circumcisione Domini: « Exultavit Isaias, ut videret « diem hunc, et vidit, et gavisus est. Et loquebatur « gratulabundus et laudans Deum, cap. 9: *Puer natus « est nobis, et factus est principatus super humerum « ejus; et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, « Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Magna « quidem nomina; sed ubi est nomen quod est super « omne nomen, nomen Jesu, in quo omne genu flec- « tatur? Fortè in his omnibus unum illud invenies, sed « expressum quodammodò et effusum. Nempe ipsum « est de quo Sponsa in Cantico amoris, c. 1: *Oleum*, « inquit, *effusum nomen tuum.* Habes ergo unum in « his omnibus appellationibus Jesum. Nec omninò aut « vocari posset, aut esse Salvator, si fortè quippiam « horum defuisset. Numquid non verè *Admirabilem* « eum singuli sumus experti, in mutatione utique vo- « luntatum nostrarum? Hoc nempe est salvationis nos- « træ principium, cùm incipimus respuere quod dilige- « bamus, dolere unde lætabamur, amplecti quod time- « bamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contem- « nebamus. *Amirabilis* planè qui hæc operatur mirabilia. « Sed nihilominùs et *Consiliarium* sese exhibeat necesse « est in electione pœnitentiæ, et vitæ ordinatione, ne « fortè sit nobis absque scientiâ zelus, et voluntati bonæ « prudentia desit. Sanè opus est ut *Deum* quoque pro- « bemus, in remissione videlicet priorum delictorum, « quia nec sine hâc salus nobis constare potest; et « nemo potest dimittere peccata nisi solus Deus. Ve- « rùm ne id quidem sufficit ad salutem, nisi *fortem* « quoque experiamur in expugnando impugnantes nos, « ne ab eisdem rursùs concupiscentiis superemur, et « fiant novissima nostra pejora prioribus. Videturne « jam aliquid deesse Salvatori? Planè deesset quod « maximum est, nisi et *Pater* esset *futuri seculi*, ut « per eum scilicet in immortalitatem resurgeremus, « qui per præsentis seculi patrem generamur ad mor- « tem. Neque hoc satis, si non etiam *Princeps pacis* « Patri nos reconciliaret, cui traditurus est regnum, « ne fortè sicut filii perditionis utique, non salutis, « resurrecturi videremur ad pœnam. Multiplicabitur « sanè ejus imperium, ut meritò Salvator dicatur « etiam pro multitudine salvandorum; *et pacis non « erit finis*, ut veram noveris esse salutem, quæ non « possit timere defectum. » Hæc S. Bernardus. Summâ igitur animi devotione veneremur et invocemus *nomen novum quod os Domini nominavit*, Isai. 62. Fidem, spem, charitatem in Salvatorem excitet, accendat, augeatque in cordibus nostris nomen salutis, cujus officium statim adimplevit Christus cùm illud accepit, sanguinem suum fundere incipiens sub cultrô circumcisionis, ut has sanguinis sui primitias Deo Patri offerret velut arrham et pignus totius pretii, quod in cruce persoluturus erat, pro omnium hominum maximèque fidelium redemptione, totum sanguinem fundens. Nomen, quod secundùm S. Chrysost. hom. 4 in Matth., *mille continet thesauros bonorum*, quod angeli reverentur, quo audito dæmones contremiscunt, eô majori veneratione et amore prosequamur, quò pro-

pter nos et propter nostram salutem descendit de cœlis, et noster, non angelorum *Jesus*, id est, Salvator appellatus est. *Non* enim *angelos, sed semen Abrahæ apprehendit*, Hebr. 2. Demus igitur operam ne sit nobis inutile culpâ nostrâ nomen Jesu, ne judicem experiamur, quem nolumus habere Salvatorem. Invocemus nomen *Jesu*, quod *quicumque*, ut par est, *invocaverit, salvus erit*, 1 Cor. 12. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto;* sed *si dicit factis, non solis verbis.* Possunt enim dicere, *Dominus Jesus*, hæretici, et qui in peccatis mortalibus jacent, de quibus tamen ait Christus: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Dicit et de quibusdam Apostolus, ad Tit. 1 : *Confitentur se nôsse Deum, factis autem negant.* Quemadmodùm negatur factis, « sic « dicitur factis. Hoc modo dicendi : *Nemo dicit*, « *Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*, » inquit S. Augustinus sermone 270, aliàs 20, ex editis à P. Sirmondo.

§ III. CHRISTUM. — *Cur nomini Jesu Christi nomen addatur? Christus, Propheta, Sacerdos et Rex.*

Jesûs nomini CHRISTI etiam nomen additum est, quod *unctum* significat, et officii est ac honoris. Ungebantur enim olim prophetæ, sacerdotes et reges. Cùm porrò Jesus salvator noster in mundum venit, prophetæ atque doctoris, sacerdotis ac regis partes et officia suscepit, idcòque *Christus* dictus est, unctus scilicet ad illorum munerum functiones, non quidem alicujus mortalis operâ, sed cœlestis Patris virtute; non terreno unguento, sed spirituali oleo, scilicet Spiritûs sancti plenitudine, gratiæque et omnium donorum uberrimâ in sanctissimam ejus animam effusione. Quod præclarè David ostendit, his eum verbis compellans, Psalm. 44 : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Idem etiam demonstravit Isaias ex ipsius Redemptoris personâ loquens, cap. 61 : *Spiritus*, inquit, *Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me*, etc. Quod oraculum in se impletum Christus testatur Lucæ 4, ac proinde verus est *Messias* (idem enim Hebræis hoc nomen significat quod Græcis, *Christus*); verus, inquam, Messias est, promissus à prophetis. Unde cæcus Judæorum populus frustra alium exspectat.

1° Itaque Jesus Christus summus Propheta et Magister fuit, qui nos Dei voluntatem docuit, à quo terrarum orbis Patris cœlestis cognitionem accepit. De quo Moyses Israelitico populo prædixit, Deuteron. 18: *Prophetam de gente tuâ, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Et infra ibid. : *Et ait Dominus mihi : Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; et ponam verba mea in ore ejus, loquenturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Hinc Judæis ait Christus, Joan. 5 : *Si crederetis Moysi, crederetis fortasan et mihi; de me enim ille scripsit.* De illo Dominus ait, Isai 55 : *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* De illo Isaias ait, c. 30 : *Et non faciet avolare à te ultra doctorem tuum; et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Ideò se missum ait, *ut testimonium perhibeat veritati*, Joan. 18. Quotquot exstiterunt prophetæ, ejus discipuli fuerunt, atque ob illam præcipuè causam missi, ut Prophetam hunc, qui ad salvandos omnes venturus erat, prænuntiarent. Tria verò præcipuè docuit: primò, fidem et cultum unius verique Dei; secundò, ejus præmium, quod est regnum cœlorum; tertiò, viam quâ ad illud pervenitur.

Gentes inprimis docuit verum Dei cultum, et eâ de causâ se illum misisse testatur Deus Pater, ut gentes ab idololatriæ tenebris ad lucem fidei ac salutem transferret. Isai. 42 : *Dedi te*, inquit, *in fœdus populi, in lucem gentium; ut aperires oculos cæcorum*; et cap. 49 : *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Ipse etiam Christus testatur se in mundum venisse, ut, diabolo ejecto, Deus ab omnibus agnosceretur et coleretur, tum Pater, tum ejus Filius unicus. *Ego veni*, inquit, *ut vitam habeant, et abundantius habeant*, etc. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum... Ego te clarificavi super terram; opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam*, etc. *Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi*, Joan. 17. Hinc S. Augustinus, libro de verâ Religione, cap. 55, ait : « Quod ergo colit summus angelus, id colendum « est etiam ab homine ultimo, quia ipsa hominis na- « tura id non colendo facta est ultima. Non enim « aliunde sapiens angelus, aliunde homo, aliunde ille « verax, aliunde homo; sed ab unâ incommutabili « sapientiâ et veritate. Nam idipsum actum est tem- « porali dispensatione ad salutem nostram, ut natu- « ram humanam ipsa Dei virtus et Dei sapientia in- « commutabilis, et consubstantialis Patri, et coæterna « suscipere dignaretur, per quam nos doceret id esse « homini colendum, quod ab omni creaturâ intellec- « tuali et rationali colendum est. »

Docuit præterea Christus quis sit et ubi quærendus finis ultimus noster, veraque ac sempiterna felicitas. Eam non in hâc vitâ quærere, sed in futurâ sperare jussit, ac *regnum cœlorum* appellavit. Docuit denique viam quâ ad illud tenditur ac pervenitur, illo præsertim mirabili sermone quem in monte ad discipulos habuit, omnia præcepta quibus vita christiana informatur, exponente. Hinc S. Augustinus, epistolâ 137, ad Volusianum, ostendit in Christo venisse hominibus *magisterium et adjutorium ad capessendam sempiternam salutem.* Non verbis autem duntaxat, sed vitâ atque factis doctrinam salutis expressit ad humani generis imitationem. Quâ de re eleganter S. Augustinus, libro 7 de Trinitate, cap. 3 : « Nos autem, inquit, ni- « tentes imitamur manentem, et sequimur stantem, « et in ipso ambulantes tendimus ad ipsum, quia fa- « ctus est nobis via temporalis per humilitatem, quæ

« mansio nobis æterna est per divinitatem. Quoniam « quippe spiritibus mundis intellectualibus, qui super- « biâ non lapsi sunt, in formâ Dei et Deo æqualis et « Deus præbet exemplum, ut se idem exemplum re- « deundi etiam lapso præberet homini, qui propter « immunditiam peccatorum pœnamque mortalitatis « Deum videre non poterat, semetipsum exinanivit, « non mutando divinitatem suam, sed nostram muta- « bilitatem assumendo, et formam servi accipiens « venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo « erat, quia mundus per eum factus est, ut exemplum « sursùm videntibus Deum, exemplum deorsùm mi- « rantibus hominem, exemplum sanis ad permanen- « dum, exemplum infirmis ad convalescendum, exem- « plum morituris ad non timendum, exemplum mor- « tuis ad resurgendum esset, in omnibus ipse prima- « tum tenens. Quia enim homo ad beatitudinem sequi « non debebat nisi Deum, et sentire non poterat « Deum; sequendo Deum hominem factum seque- « retur simul, et quem sentire poterat, et quem « sequi debebat. » Quod et alibi breviori sententiâ exprimit, si tamen ipsius est sermo 371, aliàs de Diversis 52 : « Homo sequendus non erat, qui videri « poterat; Deus sequendus erat, qui videri non po- « terat. Ut ergo exhiberetur homini et qui ab homine « videretur, et quem homo sequeretur, Deus factus « est homo. »

Summam doctrinæ Christi accurato compendio S. Augustinus explicat libro de verâ Religione, cap. 16 : « Satellites, inquit, voluptatis, divitias perniciosè « populi appetebant, pauper esse voluit; honoribus et « imperiis inhiabant, rex fieri noluit; carnales filios « magnum bonum putabant, tale conjugium prolem- « que contempsit. Contumelias superbissimè horre- « bant, omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias « intolerabiles esse arbitrabantur : quæ major injuria « quàm justum innocentemque damnari? Dolores cor- « poris exsecrabantur, flagellatus atque cruciatus est. « Mori metuebant, morte mulctatus est. Ignominio- « sissimum mortis genus crucem putabant, crucifixus « est, omnia quæ habere cupientes non rectè vivebа- « mus, carendo vilefecit; omnia quæ vitare cupientes « à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit. « Non enim ullum peccatum committi potest, nisi aut « dùm appetuntur ea quæ ille contempsit, aut fugiun- « tur quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris « per hominem quem suscipere dignatus est, disci- « plina morum fuit. »

2° Secunda dignitas ad cujus exercendas functiones Jesus Salvator noster spirituali oleo, scilicet plenitudine Spiritûs sancti unctus fuit, est sacerdotium. Sacerdos enim fuit, non quidem ex ordine Aaron, ex quo in veteri lege Leviticæ tribûs sacerdotes exstiterunt; verùm ex illo de quo David propheta cecinit Psal. 109 : *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech;* cujus rei argumentum Apostolus ad Hebræos scribens, cap. 7, accuratè persecutus est. Quæ quidem sacerdotis dignitas ipsi ab æterno non convenit, ut Deo, sed in tempore, ut homini, sive secundùm humanam naturam, ab ipsâ statim incarnatione. Sacerdotio suo functus est, cùm *in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ,* 1 Hebr. 5 ; cùm in cruce velut altari *tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (Ephes. 5), ipse sacerdos et victima ; et sic *per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ*, Hebr. 9, scilicet *in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei, pro nobis* semper interpellans. Christus enim Jesus « orat pro no- « bis, et orat in nobis, et oratur à nobis. Orat pro nobis, « ut sacerdos noster; orat in nobis, ut caput nostrum; « oratur à nobis, ut Deus noster. Agnoscamus ergo in « illo voces nostras, et voces ejus in nobis, » inquit Augustinus Enarratione in Psalmum 85. Illum Tertullianus, lib. 4 contra Marcionem, c. 9, appositè et eleganter *catholicum Patris sacerdotem* appellat, id est, generalem, vel quia solus oblationum, donorum, ac sacrificiorum genera omnia Deo et Patri offert; vel quia unus omnibus sufficit, ut et pro universis hominibus illa offerat, et omnes per illum offerant sacrificia et orationes suas, cujus unius interventu ac merito Deo placent ac probantur. *Oramus* scilicet *ad illum, per illum, in illo,* ut loquitur S. Augustinus. Sacerdotii denique sui officium in hoc etiam exequitur, quòd per vicarios sacerdotes in catholicâ Ecclesiâ ritu simili cum Melchisedech *verissimum et singulare,* sed *incruentum sacrificium* corporis et sanguinis sui, toto orbe terrarum offerre non definit, S. August. lib. de Spiritu et Litterâ, cap. 2.

3° Unctus est insuper Jesus ut Rex justitiæ et pacis, ob idque Christus est appellatus. Regiæ namque Christi dignitati Scriptura sacra passim suffragatur. Psalmo 2 : *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, montem sanctum ejus.* Item : *Postula à mè, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Psalmo 71 : *Deus, judicium tuum Regi da*, etc. Jeremiæ 23 : *Et regnabit Rex, et sapiens erit.* Zachariæ 9 : *Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem; ecce Rex tuus veniet tibi Justus et Salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.* Angelus etiam ejus Incarnationem Virgini Matri annuntians, Regem declarat Luc. 1 : *Regnabit,* inquit, *in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Rex Judæorum et Rex Israel passim appellatur; et ubi de extremo judicio agit, ac de sententiâ ab se pronuntiandâ, se Regem esse significat : *Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt*, etc., Matth. 25. Regnum porrò Christi spirituale est et æternum, non terrenum ac temporale; nec hæreditario aut humano jure illi obtigit, tametsi genus à clarissimis regibus duceret; *Regnum meum,* inquit Joan. 18, *non est de hoc mundo.* Sed Rex fuit, secundùm concil. Trid. Catech., propterea quòd Deus in illum hominem contulit quicquid potestatis, amplitudinis, dignitatis hominis natura capere posset. Illi igitur totius mundi regnum tradidit, eique omnia, quod jam fieri cœptum est, plenè perfectèque in die judicii subjicientur. 1 Cor. 15 : *Cùm tradiderit re-*

gnum Deo et Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors; omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cùm autem dicat : Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia. Cùm autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Quæ quidem non eò spectant, ut Christus regià potestate exuere se debeat post generalem omnium hominum resurrectionem, sed quòd hostibus omnibus debellatis, Ecclesiam suam, id est, electos omnes Deo Patri offeret, seque ipsum secundùm naturam assumptam, cum corpore suo mystico illi in æternum subjectum profitebitur, ingentem illam et ineffabilem gloriam regni, cujus non erit finis, et cujus felicitas paxque sempiterna erit, non sibi tribuens, sed Patri acceptam referens : *Ut sit Deus omnia in omnibus*, id est, ut innotescat Deum auctorem esse omnium bonorum, tam ipsius Christi hominis, quàm totius regni ejus, id est, omnium electorum, ex quibus solis tunc regnum ejus constabit; ac propterea solus Deus in omnibus glorificetur et laudetur in secula seculorum.

Regnum igitur Christi in terris inchoatur, in cœlo perficitur. Ac regis quidem officia admirabili providentià suæ præstat Ecclesiæ. Ipse eam regit, ipse ab hostium impetu atque insidiis tuetur; ipse ei leges præscribit observatione facillimas atque suavissimas : *Jugum* enim ejus *suave est, et onus leve.* Mandata ejus *non* sunt *sarcinæ onerati, sed alæ volaturi;* ipse non solùm sanctitatem et justitiam largitur, verùm etiam ad perseverandum facultatem et vires præbet. Rex idem est et Sacerdos, et ad utramque functionem à Deo unctus : *Rex pugnavit pro nobis; sacerdos obtulit se pro nobis*, inquit S. Augustinus Enarratione in Psalmum 149. Quamvis autem hujus regni finibus tam boni quàm mali contineantur, atque adeò omnes homines jure ad illud pertineant, ii tamen præ cæteris regiam ejus bonitatem et beneficentiam experiuntur, qui ex ejus præceptis integram atque innocentem vitam agunt. *Quod est enim ejus Regnum, nisi credentes in eum?* inquit S. Augustinus tractatu 115 in Joannem. A Christo dicimur Christiani, id est, uncti, per doctrinam illius illuminati, per sacerdotium et sacrificium à peccatis expiati, per regiam potestatem contra tentationes invicti. Quamvis *data* sit illi *omnis potestas in cœlo et in terrâ*, Matth. 28, charitate magis quàm auctoritate nos regit : nostris consulit utilitatibus, non suis, cùm bonorum nostrorum non egeat : nobis dominatur, ut nos ad æternam felicitatem perducat; totum se nobis impendit; *pertransit benefaciendo, et sanando omnes*, Act. 10; legem immaculatam, convertentem animas tradit, adjutoria præbet ad illam implendam efficacissima; illam implet, qui cœlestem illum Regem amat. Nullum aliud tributum exigit, nisi amoris; Rex est sapientissimus, et *faciens judicium et justitiam in terrâ*, Jerem. 23; vitam suam pro subditis omnibus, etiam perduellibus exponit, et proposito gaudio pro illis crucem sustinet. Ipsorum inimicos profligat, et Satanam sub eorum pedibus conterit *Rex virtutum*, *Dominus fortis et potens in prælio, Rex gloriæ*, Psal. 23. Incomparabili mansuetudine ipsos regit, pastorem illis potiùs se exhibens, quàm regem; facilem omnibus ad se præbet aditum; omnes invitat, omnes absque personarum et conditionum discrimine complectitur, fovet et tuetur, *omnibus æqualis, omnibus Rex*, inquit Tertullianus. Totus nobis datus, totus nostros expensus in usus, nos fratres suos vocare dignatur, ad mensam suam admittit, in consortium regni sui nos vocat, imò nos Deo *regnum et sacerdotes* facit. Christo igitur Deo ac Regi nostro in omnibus obediamus, qui et Rex noster est jure nativitatis, et jure victoriæ, et jure electionis, siquidem in Baptismo illum elegimus, nosque illius imperio ac dominationi in perpetuum addiximus. Illi fideliter serviamus, cui servire, regnare est; ne ipsius offendendo majestatem dicamus factis, sin minùs verbis : *Nolumus hunc regnare super nos*, Luc. 19. Rex omnis terræ Deus, sit rex cordis nostri. Nihil in nobis ejus imperio reluctetur; ne tumultuentur cupiditates; ordinata sint omnia, et in summâ pace, quæ tranquillitas ordinis est, pareant principi pacis. Regnum Dei sit intra nos, non ad tempus, sed in æternum. Judæis ne similes simus, qui Regem Christum recusaverunt, et regem Cæsarem elegerunt. S. August. Enarrat. in Psal. 55 : « Est quidem et Cæ- « sar rex homo hominibus ad humana, sed alius Rex « est ad divina; alius rex ad vitam temporalem, « alius ad æternam. rex terrenus sub Rege cœlesti, « Rex cœlestis super omnia. Non ergo illi, quia dixe- « runt se habere regem Cæsarem, peccaverunt, sed « quia Regem Christum habere noluerunt. Et modò « multi Christum Regem in cœlo sedentem, et ubique « regnantem habere nolunt. » Ex illorum numero ne simus. Illi dicamus ex animo : *Tu es ipse Rex meus, et Deus meus*, Psal. 43, et Psal. 144 : *Exaltabo te, Deus meus Rex, et benedicam nomini tuo in seculum seculi.* Diabolo gloriæ illius, nostræque salutis inimico fortes in fide resistamus; in hoc enim uncti sumus à Christo, ut contra diabolum luctemur, nec pacem cum illo unquàm habeamus. *Ideò nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit*, inquit S. Augustinus tract. 33 in Joannem. Immaculatam vitam agamus, quia Christi corpus sumus, imò Christus ipse, per unctionem inhabitantis in nobis Spiritûs ejus. « Inde autem appa- « ret, inquit S. Augustinus Enarratione in Psal. 26, « Christi corpus non esse, quia omnes ungimur, et om- « nes in illo et Christi, et Christus sumus, quia quo- « dammodò totus Christus caput et corpus est. » Denique, « sicut reges triumphorum suorum titulis « nuncupantur, inquit S. Petrus Chrysologus, sermone « 57, et subjectarum gentium nominibus conquirunt « numerosissima cognomenta, ita Christus honorum « suorum titulis nuncupatur; à chrismate enim voca- « tus est Christus, qui divinitatis unguentum aridis « jam mortalium membris pius Mediator infudit. Et ut « à chrismate Christus, sic Jesus vocatus est à salute; « qui ob hoc nos divino infudit unguento, ut ægris cer- « tam salutem, perditis perpetuam redderet sanitatem. »

§ IV. Filium ejus unicum. — Christus *verus Deus, Deique Filius est.* — *Duæ in Christo naturæ.*

His verbis profitemur Jesum Christum Filium Dei esse, et verum Deum, sicuti Pater est, qui eum ab æterno genuit; non eo modo quo illi dicti sunt dii, ad quos sermo Dei factus est, et quo Moses dictus est *Deus Pharaonis*, sed naturâ eâdem et essentiâ quæ Patris est et Spiritûs sancti. Illum, inquam, sanctissimæ Trinitatis secundam personam, aliis duabus omninò æqualem confitemur, unius essentiæ, sapientiæ, voluntatis et potestatis cum Patre, ipsique consubstantialem et coæternum, ut Nicæni concilii Patres in suo Symbolo explicatiùs tradiderunt, contra hæresim Arii presbyteri Alexandrini, qui Filium Dei aliquando non fuisse, et ex iis quæ non sunt factum esse, et alterius esse substantiæ ac essentiæ, quàm Patrem, creatum denique, impiè ac pertinaciter asserebat. Contra hanc igitur hæresim credere nos profitemur, secundùm Symbolum Nicænum, *in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.* Filii porrò divinitas, sive Patris et Filii consubstantialitas, omnimodaque et perfecta æqualitas, multis Scripturæ sacræ oraculis apertè probantur contra veteres et novos Arianos, sive Socinianos; tum istis præsertim novi Testamenti, Matth. 16 : *Respondens Simon Petrus, dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Joannis 1 : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.... Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Joannis 10 : *Oves meæ vocem meam audiunt.... Et ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu meâ. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est; et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.* Non dixit : *Ego et Pater unus sumus*, quod personarum unitatem significaret, sed, *unum sumus*, quod significat unitatem essentiæ. Si verò solâ unitate concordiæ et affectûs unum essent, quemadmodùm fideles dicuntur cor unum et anima una, quod dedit ei Pater, majus omnibus non esset : sola enim divinitas est, quâ nihil est, aut esse potest majus, vel cogitari : nec æqualis omninò et eadem Patris et Filii potestas esset, quod tamen significant hæc Christi Domini verba : *Et non rapiet eas quisquam de manu meâ; et nemo potest rapere de manu Patris mei.* Jam verò potestas et essentia in Deo non distinguuntur; quicquid enim est in Deo, Deus est. Atque hoc sensu Christi verba Judæi intellexerunt, ipseque sic intelligenda confirmavit. *Responderunt ei Judæi.... Tu homo cum sis, facis teipsum Deum... Respondit eis Jesus... : Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* Joannis 14 : *Creditis in Deum, et in me credite... Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis, et amodò cognoscetis eum, et vidistis eum. Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me videt et Patrem.* Joannis 16 : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Joannis 20 : *Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum hùc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus et Deus meus.* Actuum 20 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Quibus verbis significatur Jesum Christum, qui Ecclesiam sanguine suo acquisivit, esse verum Deum. Ad Romanos 9 : *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Ad Galatas 1 : *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem.* Non est igitur Christus purus homo, sed Deus homo, Deique Filius, *qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, ut sit idem Apostolus ad Philippenses scribens, cap. 2; et ad Colossenses 1 : *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terrâ, visibilia et invisibilia... Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes; et omnia in ipso constant.* Ad Hebræos 1 : *Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et secula; qui cùm sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis; tantò melior angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu, ego hodiè genui te? Et rursùm : Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium? Et cùm iterùm introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit : Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis; ad Filium autem : Thronus tuus, Deus, in seculum seculi; virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exultationis, præ participibus tuis. Et tu, in principio, Domine, terram fundâsti, et opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* 1 Joannis 5 : *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna.* Apocalypsis 1 : *Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens.* Loquitur autem

idem ipse qui venturus est in nubibus, quem videbit omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et super quem plangent omnes tribus terræ, Jesus Christus judex vivorum et mortuorum, de quo et cap. 4 dicitur : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.*

Sed cùm Jesum Christum Filium Dei, et à Patre genitum esse dicimus vel audimus, nihil terrenum aut mortale de illius generatione cogitandum est; nec Filium minorem Patre, nec Patrem antiquiorem Filio aut absque Filio aliquando fuisse; sed Filium coæternum Patri; generationem mutationis omnis et corruptionis expertem; non substantiæ divinæ partem, cùm divina substantia simplicissima sit, indivisibilis, immutabilis; sed totam essentiam divinam, ac perfectiones omnes quas complectitur, absque divisione Filio communicatas æternâ illâ generatione credere debemus. Cujus quidem divinæ generationis mysterium ratione percipere, atque perfectè intelligere nullo modo possumus, ut cum prophetâ Isaiâ, cap. 53, potiùs exclamandum sit : « Generationem ejus quis enarrabit? Nefas est nescire quòd natus sit Dei Filius, « sed non licet discutere quemadmodùm natus sit; « credere convenit, non perscrutari. Perfecta scientia « est sic Deum scire, ut licet inenarrabilem, tamen « non ignorabilem scias, » inquit S. Hilarius, lib. 2 de Trinit. « Credendus est, intelligendus est, adorandus est, et his officiis eloquendus est. » Et S. Athanasius Oratione 3 contra Arianos : « Indecorum est, « ait, quærere quomodò ex Deo Verbum existat, aut « quomodò sit Dei splendor, aut quomodò generet « Deus, et quis sit modus generationis Dei. Insanus « enim sit, qui talia audeat, cùm inexplicabilem rem, « ac divinæ naturæ propriam, solique ipsi et ejus Filio « cognitam oratione suâ declarare conetur. »

Ex omnibus autem quæ ad indicandum modum rationemque æternæ generationis similitudines afferuntur, illa propiùs ad rem videtur accedere, quæ ab animi nostri cogitatione sumitur. Quamobrem S. Joannes Filium Dei *Verbum* appellat. Ut enim mens nostra seipsàm quodammodò intelligens sùi effingit imaginem, quam theologi verbum dixerunt, ita Deus (quantùm tamen divinis humana conferri possunt), seipsum intelligens, Verbum æternum generat, *quod est de his omnibus quæ sunt in seipso*, ut loquitur S. Augustinus, lib. 15 de Trinit. cap. 14. Verbum illud non est sonus transiens, aut exterior locutio; non est verbum prolatitium, sed interiori locutione sive cognitione perfectissimâ, et perfectissimè assimilatrice, hoc est, divinâ genitum, in quo nihilominùs aut ampliùs est quàm in ipso Patre, ejus imago subsistens, in eo manens, eique per omnia æqualis. « Verbum autem Patris ideò « dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut « ergo verbis nostris id agimus, cùm verum loquimur, « ut noster animus innotescat audienti, et quidquid « secretum in corde gerimus, per signa hujusmodi ad « alterius cognitionem proferatur, sic illa Sapientia « quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit dignis animis secretissimus Pater, Verbum « ejus convenientissimè nominatur. Inter animum autem nostrum et verba nostra, quibus eumdem animum ostendere conamur, plurimùm distat. Nos « quippe non gignimus sonantia verba, sed facimus; « quibus faciendis materia subjacet corpus. Plurimùm « autem interest inter animum et corpus. Deus verò « cùm Verbum genuit, id quod est ipse genuit; neque « de nihilo, neque de aliquâ jam factâ conditàque materiâ, sed de seipso id quod est ipse. Hoc enim et « nos conamur cùm loquimur..... Quid enim aliud « molimur, nisi animum ipsum nostrum, si fieri potest, cognoscendum et perspiciendum animo auditoris inferre; ut in nobis ipsi quidem maneamus, nec « recedamus à nobis, et tamen tale indicium, quo fiat « in altero nostra notitia, proferamus; ut quantùm facultas conceditur, quasi alter animus ab animo, per « quem se indicet, proferatur? Id facimus conantes et « verbis, et ipso sono vocis, et vultu, et gestu corporis, tot scilicet machinamentis id quod intus est demonstrare cupientes, quia tale aliquid proferre non « possumus, et ideò non potest loquentis animus penitùs innotescere; unde etiam mendaciis locus patet. « Deus autem Pater, qui verissimè se indicare animis « cognituris et voluit et potuit, hoc ad seipsum indicandum genuit, quod est ipse qui genuit. » Sic explicat S. Augustinus, libro de Fide et Symbolo, cap. 3.

Coæternum Patri Filium credimus, eamque coæternitatem similitudinibus quibusdam explicamus, quibus tamen fides nostra non nititur. Prima petitur ex igne et luce, appositè quidem, quia Filius Dei *candor est lucis æternæ*. Ignis lucem fundit, lux ab igne funditur. Splendor de igne, non ignis de splendore existit. splendor igni coævus est. Da sempiternum ignem, et do sempiternum splendorem. Candor de luce gignitur, et tamen gignenti coæternus est candor. Semper lux, semper candor ejus. Genuit candorem suum, sed nunquàm fuit sine candore suo. Cùm ergo videas splendorem igni esse coævum, persuasum habe Deum generare Filium sibi coæternum. Altera similitudo petitur ex virgulto super aquam orto, et ejus imagine in aquâ apparente, non minùs appositè, quia Filius *speculum est sine maculâ Dei majestatis, et imago bonitatis illius*. Imago hominis intuentis speculum, de speculo existit, mox ut aspector exstiterit; et cùm quisque vel transit, vel stat super aquam, videt ibi imaginem suam. Ponamus ergo aliquid natum super aquam, velut virgultum aut herbam, nonne cum imagine suâ nascitur? Mox ut incipit existere, incipit cum illo existere imago ejus; non præcedit nascendo imaginem suam, sed nascitur cum imagine suâ, et tamen imago ab illo, non illud ab imagine. Itaque et generans, et quod genitum est, simul esse cœperunt. Ergo coæva sunt. Si semper virgultum, semper et imago de virgulto. Potest ergo semper esse generans, et semper cum illo quod de illo natum est. Hinc intellige coæternum Filium natum æterno Patri. Verùm cùm in similitudinibus aliatis sit inæqualitas, et splendor minùs luceat quàm ignis, et imago virgulti minùs sit existens quàm vir-

gultum ipsum, jungamus duo similitudinum genera, ut Patris et Filii æqualitatem simul et coæternitatem exponamus. Homo hominem generat, equus equum, et pecus pecudem. Ad eamdem substantiam generant ista, sed non ad idem tempus. Diversa sunt tempore, sed non sunt diversa naturâ. Quid ergo laudamus in istâ nativitate? Certè æqualitatem naturæ. Quid autem deest? Æqualitas temporis. Teneamus hìc unum quod laudatur, id est, æqualitatem naturæ. In illo autem genere similitudinum quod dedimus, de splendore ignis et de imagine virgulti, æqualitatem naturæ non invenis, invenis coævitatem. Conjunge quæ laudas. In creaturis enim deest aliquid quod laudas, in Creatore deesse nihil potest, quia quod invenis in creaturâ, à Creatore artifice processit. Quid ergo in coævis? Nonne hoc Deo dandum, quod ibi laudas? Quod autem deest, non tribuendum majestati, in quâ nullus defectus est. Tribue ergo illi ex isto genere similitudinum pro coævitate coæternitatem, ut coæternus sit natus cum eo à quo natus sit. De alio autem similitudinum genere, quid ibi laudas? Æqualitatem naturæ. Jam propter illam distinctionem dederas Filio Dei coæternitatem; da propter istam, æqualitatem, et perfecta est nativitas ejusdem substantiæ. Hæc S. Augustini expositio est sermone 117, aliàs 38, de Verbis Domini, et sermone 118, aliàs 13, ex editis à P. Sirmondo.

Quia porrò Jesum Christum non solùm verum Deum, sed et verum hominem, genitum quidem, ut Deum ante omnium seculorum ætates ex Patre; ut hominem autem natum in tempore ex matre Mariâ Virgine, credendum fides proponit, *eumdem consubstantialem Patri secundùm divinitatem; eumdem consubstantialem nobis secundùm humanitatem; ex duabus et in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter subsistentem*, ut concilium Chalcedonense contra Eutychianam hæresim credendum definivit. Hinc sequitur, ut eorum quæ de Christo Jesu in Scripturis sacris dicuntur, quædam ad divinam, alia ad humanam naturam sint referenda. Nam de se secundùm formam Dei dixit : *Ego et Pater unum sumus*, idemque de seipso dixit secundùm formam servi : *Pater major me est*, secundùm quem modum etiam seipso minor est Filius, qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Neque enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in quâ erat æqualis Patri. Non itaque immeritò Scriptura utrumque dicit, et æqualem Patri Filium, et Patrem majorem Filio. Illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam servi sine ullâ confusione intelligitur. Et hanc nobis regulam per omnes sacras Scripturas dissolvendæ hujus quæstionis Apostolus tradit, ad Philippenses, cap. 2, ubi manifestiùs istam distinctionem commendat. Ait enim : *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Est ergo Dei Filius Deo Patri naturâ æqualis, habitu minor. In formâ enim servi quam accepit, minor est Patre; in formâ autem Dei, in quâ erat etiam ante quàm hanc accepisset, æqualis est Patri. Secundùm formam Dei, *omnia per ipsum facta sunt*, Joan. 1; secundùm formam servi, ipse *factus* est *ex muliere, factus sub lege*, Gal. 4. Secundùm formam Dei, *ipse et Pater unum sunt*, Joan. 10; secundùm formam servi, *non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui eum misit*, Joan. 5. Secundùm formam Dei, *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso*, ibid.; secundùm formam servi, *tristis est anima ejus usque ad mortem*, Matth. 26; et ibid. : *Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat à me calix iste.* Secundùm formam Dei, *ipse est verus Deus, et vita æterna*, 1 Joan. 5; secundùm formam servi, *factus* est *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philipp. 2. Secundùm formam Dei, omnia quæ habet Pater, ipsius sunt : *Et omnia mea tua sunt*, inquit, *et mea tua*, Joan. 16; secundùm formam servi ait, Joan. 17 : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me;* et : *De die illo, vel horâ nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*, Marc. 13. « Hoc enim nescit, « quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat, « ut tunc discipulis indicaret; sicut dictum est ad « Abraham : *Nunc cognovi quòd timeas Deum*, id est : « Nunc feci ut cognosceres, quia et ipse sibi in illâ « tentatione probatus innotuit. Nam et illud utique « dicturus erat discipulis tempore opportunò, de quo « futuro tanquàm præterito loquens, ait : *Jam non dicam vos servos, sed amicos.... Quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota vobis feci.....* Eo scilicet genere locutionis nescire quisque dicitur quod occultat, quo dicitur fossa cæca quæ occulta est. *Neque enim aliquo genere loquuntur Scripturæ, quod in consuetudine humanâ non inveniatur; quia utique hominibus loquuntur.* » Secundùm formam Dei dictum est Proverb. 8 : *Ante omnes colles genuit me*, id est, ante omnes altitudines creaturarum; et Psal. 109 : *Ante luciferum genui te*, id est, ante omnia tempora et temporalia; secundùm formam autem servi dictum est Prov. 8 : *Dominus possedit me*, vel (ut habet alia versio) *creavit me in principio viarum suarum;* quia secundùm formam Dei dixit Joan. 14 : *Ego sum Veritas;* et secundùm formam servi : *Ego sum via.* « Quia enim « ipse primogenitus à mortuis iter fecit Ecclesiæ suæ « ad regnum Dei, ad vitam æternam, cui caput est ad « immortalitatem etiam corporis, ideò creatus est in « principio viarum Dei in opera ejus. » Secundùm formam Dei, *principium est quod et loquitur nobis*, Joan. 8; secundùm autem formam servi, *sponsus procedens de thalamo suo*, Psal. 18. Secundùm formam Dei, *primogenitus omnis creaturæ, et ipse ante omnes est, et omnia in illo constant*, Coloss. 1; secundùm formam servi, *ipse est caput corporis Ecclesiæ*, 1 Cor. 1. Secundùm formam Dei, *Dominus est gloriæ*, Matth. 20; secundùm formam servi, satagentibus discipulis de glorificatione suâ respondit : *Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, id est : « Non est hu « manæ potestatis hoc dare; ut per illud intelligatur « hoc dare, per quod Deus æqualis est Patri. *Non es*

« meum, inquit, *dare*, id est, non humanâ potestate « ista do, *sed quibus paratum est à Patre meo*, Joan. « 16. Sed jam tu intellige, quia si omnia quæ habet « Pater mea sunt, et hoc utique meum est, et cum « Patre ista paravi. » Eodem sensu et hæ Christi Domini sententiæ intelligendæ sunt : *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.... Et si quis audierit verba mea, et non custodierit : ego non judico eum. Non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, aut quid loquar.* « Id est, qui in « me credit, non in hoc quod videt credit, ne sit spes « nostra in creaturâ; sed in illo qui suscepit creatu- « ram, in quâ humanis oculis appareret, ac sic ad se « æqualem Patri contemplandum per fidem corda « mundaret. Ideòque ad Patrem referens intentionem « credentium, et dicens : *Non in me credit, sed in eum « qui me misit*, non utique se à Patre, id est, ab illo « qui eum misit, voluit separari; sed ut sic in eum « crederetur, quomodò in Patrem, cui est æqualis. « Quod apertè alio loco dicit : *Creditis in Deum, et in « me credite;* id est, sicut creditis in Deum, sic et « in me, quia ego et Pater unus Deus. Ait etiam : *Ego « non judicabo*, cùm ipse judicaturus sit vivos et mor- « tuos; sed quia non ex potestate humanâ, propterea « recurrens ad deitatem, sursùm erigit corda homi- « num, propter quæ sublevanda descendit. Itaque « utrumque dici potest, et : Filius hominis judicabit, « et : Filius hominis non judicabit, quia Filius homi- « nis judicabit, ut verum sit quod ait Matth. 25 : *Cùm « venerit Filius hominis, tunc congregabuntur ante eum « omnes gentes;* et Filius hominis non judicabit, ut ve- « rum sit quod ait Joan. 12 : *Ego non judicabo;* et « Joan. 8 : *Ego gloriam meam non quæro; est qui quæ- « rat et judicet.* Nam secundùm id quod in judicio non « forma Dei, sed forma Filii hominis apparebit, nec « ipse Pater judicabit. Secundùm hoc enim dictum « est : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium « dedit Filio.* Denique quod ait Joan. 5 : *Ego ex me- « ipso non sum locutus*, si ad formam Dei referatur, sic « intelligendum est : Ego non ex me natus sum. Si « enim Verbum Patris loquitur, seipsum loquitur, quia « ipse est Verbum Patris. Plerumque etiam ait : *De- « dit mihi Pater;* in quo vult intelligi quòd eum ge- « nuerit Pater, non ut tanquàm jam existenti et non « habenti dederit aliquid; sed seipsum dedisse ut ha- « beret, genuisse est ut esset. » Ita Scripturarum loca, quæ Ariani in suæ patrocinium hæresis detorquebant, unâ serie S. Augustinus explicat libro 1 de Trinitate, cap. 7, 11 et 12.

Sed et aliam regulam tradit initio libri 2, ad intelligendas Scripturæ sacræ de Filio locutiones necessariam. « Quædam, inquit, ita ponuntur in Scripturis de « Patre et Filio, ut indicent unitatem æqualitatem- « que substantiæ, sicuti est, Joan. 10 : *Ego et Pater « unum sumus;* et Philipp. 2 : *Cùm in formâ Dei esset, « non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo;* et « quæcumque talia sunt. Quædam verò ita, ut mino- « rem ostendant Filium propter formam servi, id est, « propter assumptam creaturam mutabilis humanæque « substantiæ, sicuti est quod ait Joan. 14 : *Quoniam « Pater major me est;* et Joan. 5 : *Pater non judicat « quemquam, sed omne judicium dedit Filio, et potesta « tem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* « Quædam porrò ita, ut nec minor, nec æqualis tunc « ostendatur, sed tantùm quod de Patre sit intimetur, « ut est illud ibid. : *Sicut Pater habet vitam in semet- « ipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso;* et il- « lud : *Neque enim potest Filius à se facere quidquam, « nisi quod viderit Patrem facientem.* Hæc enim ideò « dicta sunt, quia incommutabilis est vita Filii sicut « Patris, et tamen de Patre est; et inseparabilis est « operatio Patris et Filii, sed tamen ita operari Filio « de illo est, de quo ipse est, id est, de Patre; et ita « videt Filius Patrem, ut quo eum videt, hoc ipso sit « Filius. Non enim aliud illi est esse de Patre, id est, « nasci de Patre, quàm videre Patrem; aut aliud vi- « dere operantem, quàm pariter operari. Sed ideò non « à se, quia non est à se. Et ideò quæ viderit Patrem « facientem, hæc eadem facit et Filius similiter, quia « de Patre est. Neque enim alia similiter, sicut pictor « alias tabulas pingit, quemadmodùm alias ab alio pi- « ctas videt; nec eadem dissimiliter, sicut corpus « easdem litteras exprimit, quas animus cogitavit; « sed, *quæcumque*, inquit, *hæc eadem et Filius similiter « facit.* Et *hæc eadem* dixit, et *similiter;* ac per hoc « inseparabilis et par est operatio Patri et Filio, sed « à Patre est Filio. Ideò non potest Filius à se facere « quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. His « igitur, et similibus locis, non Filium Patre minorem, « sed de Patre esse Scripturæ significant; his *non « inæqualitas, sed nativitas ejus ostenditur.* »

Sicut Pater et Filius in adorandâ Trinitate sunt unum unitate substantiæ, ita Christiani inter se unum esse debent unitate affectûs et concordiâ animorum, quod fit per charitatem, ut in illis impleatur quod Christus Patrem rogavit, Joannis 17 : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos..... Non pro eis autem rogo tantùm, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint..... Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus... Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Illam enim unitatem Christus discipulis suis apprecatur, quam homines consequi possunt; at cùm Christus unum sit cum Patre et essentiâ et concordiâ, solam concordiæ unitatem homines consequi possunt; solam igitur unitatem concordiæ illis apprecatur. Sicut cùm ait : *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, illos ad infinitam et divinam sanctimoniam non adhortatur, sed ad eam, ad quam homines aspirare possunt, divinæ sanctimoniæ imitationem. Cùm ergo *multi unum corpus* simus *in Christo*, unoque ejus Spiritu vegetari debeamus, ita debemus esse cha-

ritate conjuncti, ut omnium nostrûm, sicut primorum Christianorum sit *anima una et cor unum*. Eò autem major inter nos erit animorum unitas, quò major erit charitas; eò major charitas, quò minùs regnabit iniquitas.

Hanc Christi pro electis suis Patrem rogantis sententiam præclarè S. Augustinus explicat libro 4 de Trinitate, cap. 9, ubi observat « ipsum non dixisse : « Ego et ipsi unum, quamvis per id quod Ecclesiæ « caput est et corpus ejus, Ecclesia possit dicere : Ego « et ipsi, non unum, sed unus, quia caput et corpus « unus est Christus; sed divinitatem suam consubstantialem Patri ostendens (propter quod et alio loco « dicit : *Ego et Pater unum sumus*), in suo genere, « hoc est, in ejusdem naturæ consubstantiali paritate, vult esse suos unum, sed in ipso; quia in se « ipsis non possent, dissociati ab invicem per diversas voluntates et cupiditates et immunditias peccatorum; unde mundantur per Mediatorem, ut sint « in illo unum; non tantùm per eamdem naturam, « quâ omnes ex hominibus mortalibus æquales angelis fiunt, sed etiam per eamdem in eamdem beatitudinem conspirantem concordissimam voluntatem, « in unum spiritum quodam modo igne charitatis conflatam. Ad hoc enim valet quod ait : *Ut sint unum, « sicut et nos unum sumus*; ut quemadmodum Pater et « Filius, non tantùm æqualitate substantiæ, sed etiam « voluntate unum sunt, ita et il inter quos et Deum « Mediator est Filius, non tantùm per id quod ejusdem « naturæ sunt, sed etiam per eamdem dilectionis so« cietatem unum sint. »

Per charitatem autem unum esse fideles inter se non possunt, nisi sint unum cum Deo, eâdem illâ charitate, quâ *qui Deo adhæret, unus spiritus est;* et : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Sic mutuam illam et ineffabilem divinarum Personarum immanentiam, quâ Pater in Filio, et Filius in Patre est, sic admirabilem illam et adorandam unitatem, quâ unum sunt, æmulamur. Hinc S. Hilarius in Psalmum 122 : « Cœlestis est, inquit, secundus Adam, « qui Verbum caro factum est... In hoc ergo Verbo « Deus tanquàm in cœlo habitat, in eo scilicet quod « ex se ac suum est, manens, per eum in eis quoque « qui cœlestes sunt, habitans, sicut ipse ad Patrem « ait : *Ut omnes unum sint, sicut ego in illis, et tu in me.* « Ergo, si qui in Adam limus fuimus, nunc cœlestes « sumus in Christo, et Christus habitator est nostri; « per habitantem Christum in nobis, etiam ille quoque « habitator est nostri, cui est habitans Christus in nobis habitatio? » Hinc et S. Bernardus sermone 71 in Cantica ; « Nunc, inquit, cùm et ipse in Patre, et Pater in ipso sit, non est quo claudicet unitas, sed verè perfectèque unum sunt ipse et Pater. Sic igitur anima, cui adhærere Deo bonum est, non ante se exi« stimet ipsi perfectè unitam, nisi cùm et illum in se, « et se in illo manentem persenserit. Non quia vel « tunc unum dicatur cum Deo, sicut unum sunt Pater « et Filius; quamvis qui adhæret Deo unus spiritus « est... Quid ergo dicit Filius? *Ego in Patre, et Pater « in me est, et unum sumus;* dicit homo : Ego in « Deo, et Deus in me est, unus spiritus sumus. »

Sed et alium modum adinvenit bonitas Dei, quo nos et cum ipso, et cum fratribus unum efficeret, sacram scilicet Eucharistiæ communionem. Quomodò enim non cum Deo, et cum fratribus unum sumus, qui eodem Christi corpore pascimur, eodem Spiritu sanctificamur? Quâ de re præclarè S. Cyrillus libro 11 in Joannem : « Ut ad unitatem, inquit, cum Deo et inter « nos contenderemus, atque nos unà commisceremur, « licet corporibus et animis alii ab aliis differamus, « rationem quamdam excogitavit Unigenitus per con« venientem sibi sapientiam et consilium Patris. Uno « enim corpore, suo nimirùm, fideles omnes benedi« cens, per mysticam communionem cùm eos sibi, « tum etiam inter se corporales efficit. Quis enim eos « qui per illud unum sanctum corpus ad unitatem cum « Christo conjuncti sunt, à naturali inter se unione re« moverit?... De unione verò spiritali dicemus rursùs, « nos omnes accepto uno et eodem Spiritu, sancto ni« mirùm, commisceri quodammodò et inter nos et « cum Deo. Licet enim multi simus, et in unoquoque « nostrûm Christus Spiritum Patris ac suum inhabitare « faciat, unus tamen est et indivisibilis, qui spiritus in« vicem distinctos quatenùs singulariter subsistunt, « in unitatem colligit per se ipsum, et omnes velut « unum quid cerni facit in se ipso. Quemadmodùm « enim sanctæ carnis virtus concorporales reddit eos in « quibus est, eodem modo unus in omnibus indivisibilis « inhabitans Dei Spiritus, ad unitatem spiritalem omnes « cogit..... *Ego in eis, et tu in me, ut sint consumma« ti in unum.* Est enim nobis Filius, corporaliter quidem ut homo, nobiscum commixtus et unitus per « eulogiam mysticam; spiritualiter autem ut Deus sui « Spiritûs virtute et gratiâ, spiritum qui in nobis est « instaurans ad novitatem vitæ, et divinæ suæ naturæ « consortes faciens..... Consummati ergo sumus in « unitatem cum Deo ac Patre, Christo mediante. Sus« cipiendo quippe in nobis et corporaliter et spiritaliter « eum qui naturâ et verè Filius est, qui substantialem « cum eo habet unionem, supremæ naturæ participes « et consortes facti glorificati sumus. »

Christus una persona est, et Filius unicus Patris æterni, ac Beatæ Mariæ Virginis.

Duplicem Christi nativitatem agnoscimus et confitemur, unam ex Deo Patre ante omnia secula, alteram ex Mariâ Virgine Matre in plenitudine temporis; adeòque et duas naturas, divinam et humanam; Christum tamen Filium unicum Patris : eumdemque Filium unicum Virginis Matris. Una enim persona est, in quam divina et humana natura conveniunt. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo. « Agit utraque « forma cum alterius communione, quod proprium « est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne « exequente quod carnis est. Unum horum coruscat « miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum « ab æqualitate Paternæ gloriæ non recedit, ita caro « naturam nostri generis non relinquit. Unus enim « idemque est verè Dei Filius, et verè hominis Filius. »

ita S. Leo Epist. 24, aliàs 10, ad Flavianum. Et ibid. : « Idem est in formâ Dei, qui formam susce- « pit servi. Idem est incorporeus manens, et corpus « assumens. Idem in suâ virtute inviolabilis, et in « nostrâ infirmitate passibilis. Idem à paterno non di- « visus throno, et ab impiis crucifixus in ligno. Idem « super cœlorum altitudines victor mortis ascendens, « et usque ad consummationem seculi universam Ec- « clesiam non relinquens. » Nam *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, Joan. 1, et Christus vocatus est *Filius Dei*, Luc. 1, ut angelus prænuntiavit, et cùm baptizatus in Jordane, audita est vox Patris dicentis, Luc. 3 : *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Et 1 Cor. 2, Judæi *Dominum gloriæ crucifixerunt ; et qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*, Ephes. 4. Denique Scripturæ sacræ passim Jesum Christum tanquàm unum et eumdem adjungunt et annumerant Patri : *Unus Deus Pater, ex quo omnia*, inquit Apostolus 1 Cor. 8, *et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*, etc. Non igitur *secundùm gratiam* duntaxat, vel *secundùm operationem*, vel *secundùm dignitatem*, vel *secundùm æqualitatem honoris*, vel *secundùm auctoritatem, aut relationem, aut affectum*, seu *virtutem* aut *bonam voluntatem*, ut loquuntur S. Cyrillus, anathem. 3, et synodus V, collat. 8, can. 4, Deus homini in Christo copulatus est et confœderatus. Non morali duntaxat consociatione una persona est, qualis est amicorum unio, qualis est sponsi et sponsæ consociatio, qualis est justorum ad Deum adhæsio, ratione cujus *qui adhæret Deo, unus spiritus est ;* qualis ex auctoritatis et potestatis divinæ ad miracula facienda communicatione quàdam consurgit, propter quam Moyses *Deus Pharaonis* constitutus dicitur ; sed unione physicâ, hypostaticâ, personali, natura divina et humana in Christo unitæ sunt et adstrictæ. Verbum caro factum est, non carnis hospes ; Deus homo factus, non hominis habitator ; non meri hominis sanguine redempti sumus, quòd redemptioni nostræ impar pretium exstitisset ; sed hominis Dei, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis. Doctrinâ utimur S. Cyrilli dial. *Quòd unus sit Christus.* Vivifica non fuisset Christi caro, si exteriori duntaxat contubernio seu morali fœdere consociata illi fuisset deitas, non medullitùs et substantialiter inserta Verbi vita. Duæ igitur naturæ, divina et humana, *citra confusionem, conversionem, et divisionem* se intimè permeantes, *unitæ sunt in uno Filio Salvatore nostro Jesu Christo*, ut loquitur concilium Chalcedonense actione 5. Et quemadmodùm ex animæ rationalis et corporis mutuâ inexistentiâ una hominis persona concrescit, ita ex intimâ immeatione et pervasione utriusque naturæ in Christo, sive ex eo quòd natura humana divinæ conserta sit, ab illâque ut à nobiliori et potentiori sustentetur, una est persona Christi. Unde in symbolo, quod S. Athanasii nomine inscriptum canit Ecclesia, dicitur : *Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.* Et S. Augustinus epistolâ 137, aliàs 3, ad *Volusianum*, cap. 3, personam Christi mixturam esse Dei et hominis asserit, sicut hominis persona mixtura est animæ et corporis ; neque tamen hìc mixtionis nomen intelligendum secundùm consuetudinem corporum, eo modo quo duo liquores ita permiscentur ut neuter servet integritatem suam, sed eo modo quo lux incorrupta permiscetur aeri. Naturam enim divinam et humanam ita se permeare, ut integræ, incorruptæ, indivisæ, inconfusæ permaneant, ex iisque fiat una persona Christi, sicut ex animâ et corpore fit una persona hominis. « Ver- « bum, inquit, in principio, per quod facta sunt tem- « pora, tempus elegit quo susciperet carnem, non « tempori cessit ut verteretur in carnem. Homo quip- « pe Deo accessit, non Deus à se recessit. Sic autem « quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodò Deus « homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi, « cùm hoc semel fieri oportuerit ; quasi rationem « ipsi reddant de re quæ quotidiè fit, quomodò mi- « sceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis. « Nam sicut in unitate personæ anima unitur corpori, « ut homo sit, ita in unitate personæ Deus unitur « homini, ut Christus sit. In illâ ergo personâ mix- « tura est animæ et corporis ; in hâc personâ mixtura « est Dei et hominis ; si tamen recedat auditor à con- « suetudine corporum, quâ solent duo liquores ita « commisceri, ut neuter servet integritatem suam ; « quanquàm et in ipsis corporibus aeri lux incorrupta « misceatur. Ergo persona hominis mixtura est ani- « mæ et corporis ; persona autem Christi mixtura est « Dei et hominis. Cùm enim Verbum Dei permixtum « est animæ habenti corpus, simul et animam su- « scepit, et corpus. Illud quotidiè fit ad procreandos « homines ; hoc semel factum est ad liberandos ho- « mines. » Non sic tamen assumpta est à Verbo divino humana natura, ut priùs creata postmodùm assumeretur, sed ut ipsâ assumptione creatur.

Unicam esse Christi Jesu personam in duabus naturis subsistentem Ephesina synodus generalis, sub Cœlestino I, pontifice Maximo, congregata definivit, damnatâ Nestorii episcopi Constantinopolitani hæresi, duas in Christo hypostases sive personas asserentis. Istud fidei catholicæ dogma confirmant duæ eloquendæ Incarnationis formulæ, quasi tesseræ quædam fidei à Patribus usurpatæ. Prima his verbis exprimitur : *Una est natura Dei Verbi incarnata.* Hâc enim propositione significatur in Christo unicam esse personam, scilicet Verbum divinum, sive Filium Dei ; naturas verò duas, scilicet naturam divinam, quæ Verbo sive Filio cum Patre et Spiritu sancto communis est, ac in tribus illis adorandis personis omninò eadem, et naturam humanam, seu naturam carnis assumptæ. Illud enim S. Joannis oraculum : *Et Verbum caro factum est*, naturam integram hominis assumptam à Verbo divino significat, figuratâ locutione in Scripturis non infrequenti, quâ pars pro toto sumitur, ut Genes. 6 : *Omnis caro corruperat viam suam*, id est, omnis homo ; Psal. 77, 39 : *Et recordatus est quia caro sunt ;* Psal. 144 : *Laudationem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomini sancto ejus ;* Luc. 3 : *Et videbit omnis caro*

salutare Dei ; Rom. 3 : *Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro,* id est, omnis homo; 1 Corinth. 1 : *Infirma mundi elegit Deus,* etc.; *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* « Hæc igitur sententia, « *Verbum caro factum est,* non hoc significat, quòd in « carnem sit Dei natura mutata, sed quòd à Verbo « in unitatem personæ sit caro suscepta ; in cujus uti- « que nomine homo totus accipitur, » inquit S. Leo sermone 26, sive 7 in Nativitate Domini. Verbum autem carnem factum potiùs quàm hominem, consultò scripsit S. Joannes, suggerente Spiritu sancto, ut Filii Dei humiliationem summam, sive exinanitionem luculentiùs exprimeret quòd infirmitatem nostræ naturæ assumpserit. Hanc porrò eloquendæ Incarnationis formulam : *Una Verbi natura incarnata,* usurpant S. Cyrillus Alexandrinus epistolâ ad Successum, in libro ad reginas, et ad anathematismum 8, contra Orientales, et S. Athanasii auctoritate confirmat; Petrus Diaconus libro de Incarnatione et Gratiâ, cap. 2, Gelasius libro de duabus Naturis ; Ephremius patriarcha Antiochenus, et Eulogius episcopus Alexandrinus in Bibliothecâ Photii, cod. 29 et 230.

Altera loquendi formula ab Ecclesiâ consecrata, quæ in Christo unicam esse Verbi personam in duabus naturis subsistentem confirmat, hæc est : *Christus est una de Trinitate persona ; unus de Trinitate crucifixus est carne.* Quam quidem propositionem approbant S. Proclus Epistolâ ad Armenos; S. Fulgentius libro de Incarnatione et Gratiâ, cap. 10; quinta synodus canone 10; Joannes Secundus, pontifex maximus epistolâ 3 ad Senatores; Facundus Hermianensis libro 1, cap. 3; Ferrandus Carthaginiensis Ecclesiæ diaconus in Epistolâ ad Anatolium S. R. E. Diaconum. « Salvâ igitur « proprietate utriusque naturæ, et in unam coeunte « personam, suscepta est à majestate humilitas, à « virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, ut quod « nostris remediis congruebat unus atque idem Dei « hominumque Mediator et mori ex uno, et resurgere « posset ex altero, » inquit S. Leo sermone 1 in Nativitate Christi.

§ VI. — *Christus homo non est Filius adoptivus Dei, sed naturalis.*

Eâdem quâ credimus fide Christum esse Filium Dei unicum, pariter credendum est Filium adoptivum Dei non esse, sed naturalem. Adoptio namque extraneæ personæ electio, liberaque assumptio est ad hæreditatem. At Christus homo non est persona extranea, sed verus propriusque Dei Filius, naturâ et æternâ generatione, non voluntate et electione, secunda persona sanctissimæ Trinitatis. Unicum porrò esse Dei Filium verum et proprium in utràque naturâ subsistentem, Scripturæ sacræ probant oracula. Lucæ 1 : *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur... Ideòque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Non ait angelus, adoptivus vocabitur (id est, erit) filius Dei, sed absolutè, Filius Dei. Joannis 1 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti à Patre.* Non scripsit duorum filiorum, quorum unus genitus sit, alter adoptivus, sed Unigeniti. Item : *Deum nemo vidit unquàm ; Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Joannis 3 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Qui autem pro salute mundi à Patre datus, homo Deus est Christus Jesus. Joannis 9, hominem qui fuerat cæcus à nativitate, cuique visum restituerat in templo sibi obvium Salvator interrogavit : *Tu credis in Filium Dei ?* Et respondente illo : *Quis est, Domine, ut credam in eum ?* Dixit ei Jesus : *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.* At ille ait : *Credo, Domine : et procidens adoravit eum.* Quin etiam Pater cœlestis semel iterùmque hominem illum, quem coram mortales intuebantur, Filium esse suum testatus est, Matth. 3 : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et Lucæ 9 : *Hic est Filius meus dilectus,* id est, interprete S. Leone, sermone 94, sive homiliâ de Transfiguratione : « Hic est Filius meus, non adoptivus, sed pro- « prius ; non aliunde creatus, sed ex me genitus ; nec « de aliâ naturâ mihi factus comparabilis, sed de meâ « essentiâ mihi natus æqualis. » Ad hæc, S. Petrus interroganti Christo, quem se esse crederent, utique cum ipsis ambulantem et pro homine se gerentem, ex cœlestis Patris instinctu respondit Matth. 16 : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Præterea S. Paulus ad Romanos scribens, cap. 8, proprium Dei Filium appellat, qui pro nobis morti traditus est. *Qui proprio,* inquit, *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit ?* Et cap. 1 Epistolæ ad Hebræos, Filium quem Deus misit in mundum, per quem novissimè locutus est, quem constituit hæredem universorum, eumdem esse profitetur, per quem fecit et secula, et qui splendor est gloriæ Patris, et figura substantiæ ejus. Hunc denique S. Joannes verum Dei Filium ac Deum nominat, Epist. 1, cap. 5 : Et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna. Quæ sanè filiis Dei adoptivis minimè conveniunt.

Idem confirmant concilium Nicænum et Constantinopolitanum in Symbolo quo Ecclesia *unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum* profitetur, *qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est, et homo factus est.* Item Adrianus I, pontifex maximus, et Francofordiensis synodus ex variis provinciis congregata, cui legati ejus interfuerunt, in quâ Felix et Elipandus, Hispani episcopi, damnati sunt, quòd Christum adoptivum Dei Filium assererent. Legi potest synodi Francofordiensis Epistola ad episcopos Hispaniæ ; Paulini item Aquileiensis episcopi liber Sacrosyllabus, et libri tres contra Felicem ; Etherii episcopi, et Beati presbyteri, Hispanorum, libri duo contra Elipandum ; Alcuini libri adversùs Felicem et Elipandum, necnon Agobardi Lugdunensis episcopi adversùs eamdem hæresim editi, quam Scripturæ sacræ et veterum Patrum consentientibus testimoniis, et validis rationibus refellunt.

Neque verò Christum filium esse adoptivum Dei colligere licet ex eo quòd S. Augustinus gratiâ Filium Dei esse Christum doceat quatenùs homo est, libro de

Prædestinatione Sanctorum, cap. 15, et alibi. Loquitur enim de gratiâ unionis, quâ naturæ humanæ, nullis ejus meritis præcedentibus præstitum est ut Verbo Patri coæterno personaliter conjuncta sit, in eoque subsistat, et eâdem cum ipso adoratione colatur; non de gratiâ adoptionis, quæ cum naturali filietate pugnat. *Eâ gratiâ fit ab initio fidei suæ homo quicumque christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus.* Gratiam utrobique S. Augustinus prædicat, quia nec in homine Christo merita præcesserunt ulla quibus natura humana in personæ divinæ unitatem assumeretur, nec ulla præcedunt in nobis ut Christiani simus; sed non gratiam ejusdem generis. Nam gratiâ humanæ naturæ communicatâ, quæ est ipsa persona Verbi divini illam assumens, sibique conserens et copulans, hic homo Filius Dei naturalis veraciter et propriè dicitur, *ne non Trinitas, sed quaternitas credatur;* nos verò gratia regenerationis filios duntaxat adoptivos efficit. Ratio discriminis est, quia Christo *non ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater* enim *diligit Filium et omnia dedit in manu ejus,* ut dicitur Joannis 3. Pater diligit Joannem, et non dedit omnia in manu ejus; diligit Petrum, et non dedit omnia in manu ejus : « Pa- « ter diligit Filium, quo modo unicum, non quo modo « adoptatum; itaque omnia dedit in manu ejus. Quid « est omnia? Ut tantus sit Filius, quantus est Pater. « Ad æqualitatem enim sibi genuit eum, » ait S. Augustinus tract. 14 in Joannem. Hinc Christus quotics de Deo ut suo nostroque Patre sermonem fecit, sibi aliter, nobisque aliter Patrem esse significavit. *Ascendo,* inquit, *ad Patrem meum, et Patrem vestrum.* Non ait : Ascendo ad Patrem nostrum. « *Cui dicimus, Pa-* « *ter noster,* nisi Patri Christi? inquit idem S. Augu- « stinus ibid. tract. 21. Qui ergo Patri Christi dicit, « Pater noster, quid dicit Christo, nisi frater noster? « Non tamen sicut Christi Pater, ita et Pater noster. « Nunquàm enim Christus ita nos sibi conjunxit, ut « nullam distinctionem faceret inter nos et se. Ille « enim Filius æqualis Patri, Patrique coæternus; nos « autem facti per Filium, adoptati per Unicum. Pro- « inde nunquàm auditum est de ore Domini nostri « Jesu Christi cùm ad discipulos loqueretur, dixisse « illum de Deo summo Patre suo : PATER NOSTER, sed « aut Pater meus dixit, aut Pater vester... Unum nos « vult esse in se, unum autem Patrem et se. »

Ex eo autem quòd Filius Dei naturalis sit Christus, et secundùm generationem divinam unicus, per ipsum in tempore natum ex Virgine donavit nos adoptionis gratiâ Pater cœlestis. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus,* inquit S. Joannes, c. 1. *Magna benevolentia, magna misericordia,* ait S. Augustinus tractatu 2 in Joannem. *Unicus natus est, et noluit manere unus. Multi homines cùm filios non habuerint, peractâ ætate adoptant sibi, et voluntate faciunt quod naturâ non potuerunt. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet de illo magis, quia omnia solus possessurus est; et non habebit qui cum eo dividat hæreditatem, ne pauperior remaneat. Non sic Deus : unicum eumdem ipsum quem genuerat, et per quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille enim venit Unigenitus solvere peccata, quibus peccatis implicabamur, ne adoptaret nos propter impedimentum eorum; quos sibi fratres facere volebat, ipse solvit, et fecit cohæredes. Sic enim dicit Apostolus, Gal. 4* : Si autem filius, et hæres per Deum. *Et iterùm, Rom.* 8 : Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Non timuit ille habere cohæredes, quia hæreditas ejus non fit angusta, si multi possederint. Illi ipsi certè eo possidente fiunt hæreditas ipsius, et ipse vicissim fit hæreditas ipsorum. Audi quomodò ipsi fiunt hæreditas ipsius :* Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodiè genui te; postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, *Psal.* 2 : *ille quomodo fit hæreditas eorum? Dicit in Psalmo* 15 : Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei. *Et nos et illum possideamus, et ipse nos possideat : ille nos possideat ut Dominus; nos illum possideamus sicut salutem, nos possideamus sicut lucem. Quid ergo dedit his qui receperunt illum?* Dedit potestatem filios Dei fieri. Hi non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Ut autem homines nascerentur ex Deo, primò ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus, et Christus natus ex hominibus. Non quæsivit quidem nisi Matrem in terrâ, quia jam Patrem habebat in cœlo; natus ex Deo, per quem efficeremur, et natus ex feminâ, per quem reficeremur; noli ergo mirari, ô homo, quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex Deo secundùm Verbum ejus. Priùs ipsius Verbum nasci voluit ex homine, ut tu securus nascereris ex Deo, et diceres tibi : Non sine causâ Deus nasci ex homine voluit, nisi quia alicujus momenti me existimavit, ut immortalem me faceret, et pro me mortaliter nasceretur.* Dei ergo filii adoptivi per Christum facti, fratres ab illo non solùm dicimur, sed et fratrum loco habemur, ut unà cum eo paternæ hæreditatis gloriam adipiscamur, si tamen ea quæ ab illo præcipiuntur, impleamus. Unicus enim similis nascendo, nos similes Deum diligendo et rectè vivendo. Quæ similitudo in nobis perficietur, cùm *videbimus eum sicut est;* fratres ergo Christi sumus, in quantùm gratiâ filii Dei sumus, cujus ille naturâ filius unicus est. Unde ab Apostolo, Rom. 8, vocatur *Primogenitus in multis fratribus.* Hæc gratia dignitasque fraternitatis Christi angelis minimè convenit, qui Christo consubstantiales et concorporales non sunt, cùm corporis expertes sint, nec eorum naturam Dei Filius assumpserit. Nobis verò de Christo dicere licet : *Caro nostra, et frater noster est,* Genes. 37. Ex Adamo enim, quantum ad substantiam corporis, tam Christus est, quàm nos sumus. *Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens,* Psal. 17 : *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te.... Et iterùm,* Isai. 8 : *Ecce ego, et pueri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrue-*

et eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.... Nusquàm enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, et repropitiaret delicta populi, inquit Apostolus cap. 2 Epist. ad Hebræos. Hinc homines justi cum homine Christo unus fiunt Christus, ut S. Augustinus colligit ex illis Apostoli verbis : *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum est corpus; ita et Christus.* Non dixit : « Ita et « Christi, id est, corpus Christi, vel membra Christi; « sed : *Ita et Christus,* unum christum appellans caput « et corpus. » Observatio est S. Augustini libro 1 de peccatorum Meritis et Remiss. cap. 31.

§ VII. Dominum nostrum. — *Cur Christus Dominus noster appelletur? An servus aliquâ ratione dici possit?*

Eorum quæ de Christo in sacris Litteris dicuntur, quædam ipsi conveniunt, juxta doctrinam concilii Tridentini Catech., ut Deus est, alia, ut homo, quoniam à diversis naturis diversas earum proprietates accepit. Igitur verè dicimus Christum esse omnipotentem, æternum, immensum, quod à divinâ naturâ habet. Rursùs verè de illo dicimus, passum, mortuum esse, resurrexisse, quæ secundùm naturam humanam ei conveniunt. Verùm præter hæc quædam alia utrique naturæ congruunt, ut *Domini nostri* appellatio. Nam quemadmodùm ipse æternus Deus est, ut Pater, ita etiam omnium rerum æquè Dominus est, et unus quidem cum Patre Dominus. Sed multis etiam rationibus, ut homo est, Dominus noster optimo jure appellatur. Primò, quia est Redemptor noster, morteque suâ nos à peccatis et à diaboli servitute liberavit, sibique vindicavit. Unde Apostolus ad Philippenses 2 scribit : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in glorià est Dei Patris.* Ipseque Christus de se post resurrectionem ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ.* Et quamvis pro nobis mortuus non esset, nihilominùs tamen Dominus omnium diceretur ob unitatem personæ, quæ duas naturas, divinam et humanam admirabiliter conjunctas sustentat et complectitur. Verùm cùm sit rerum omnium conditarum Dominus, præcipuè tamen fidelium, qui illi serviunt et summo animi studio obsequuntur, Dominus est, ideò nos credere profitemur *in Jesum Christum Dominum nostrum*, quibus verbis admonemur quotquot in Christo per Baptismum renati sumus, quotquot habemus redemptionem per sanguinem ejus, ut totos nos ei dedicemus,, qui nos à diaboli servitute liberavit, sibique peculium et populum acquisitionis fecit. Nam cùm essemus servi peccati, ob idque justitiâ Dei in potestatem diaboli traditum esset genus humanum, clementissimus Dominus nostri misertus, nos ab ejus tyrannide eripuit, justitiâ magis quàm potentiâ contra illum usus. Solâ, inquam, auctoritate nos imperio ac juri *principis hujus mundi*, cujus ultrò nos servituti addixeramus, Christus non eripuit, sed justitiâ, mortem patiendo pro nobis, ut SS. Patres docent, præsertimque S. Augustinus libro 13 de Trinitate, cap. 12 et 13 : « Modus iste, in- « quit, quo traditus est homo in diaboli potestatem « non ita debet intelligi, tanquàm hoc Deus fecerit, « aut fieri jusserit; sed quòd tantùm permiserit, justò « tamen. Illo enim deserente peccantem, peccati au- « ctor illicò invasit. Nec ita sanè Deus deseruit crea- « turam suam, ut non se illi exhiberet Deum creantem et vivificantem, et inter pœnalia mala etiam « bona multa præstantem. Non enim continuit in irâ « suâ miserationes suas. Nec hominem à lege suæ « potestatis amisit, quando in diaboli potestate esse « permisit, quia nec ipse diabolus à potestate Omnipo- « tentis alienus est, sicut neque à bonitate... Si ergo « commissio peccatorum per iram Dei justam homi- « nem subdidit diabolo, profectò remissio peccatorum « per reconciliationem Dei benignam eruit hominem « à diabolo. Non autem diabolus potentiâ Dei, sed « justitiâ superandus fuit. Nam quid Omnipotente « potentius? Aut cujus creaturæ potestas potestati « Creatoris comparari potest? Sed cùm diabolus vitio « perversitatis suæ factus sit amator potentiæ, et de- « sertor oppugnatorque justitiæ..., placuit Deo, ut « propter eruendum hominem de diaboli potestate, « non potentiâ diabolus, sed justitiâ vinceretur, atque « ita et homines imitantes Christum justitiâ quærerent « diabolum vincere, non potentiâ... Quæ est igitur « justitia quâ victus est diabolus? Quæ, nisi justitia « Jesu Christi? Et quomodò victus est? Quia cùm « in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum « tamen. Et utique justum est ut debitores quos tene- « bat, liberi dimittantur, in eum credentes quem sine « ullo debito occidit. Hoc est quòd justificari dicimur « in Christi sanguine. Sic quippe in remissionem pec- « catorum nostrorum innocens sanguis ille fusus est. » Sic destructo principis tenebrarum imperio, à crudelissimo illo tyranno dominium in se transtulit Christus, nosque suavissimo jugo suo subdidit, ut qui diabolo et mundo nos renuntiare, et Jesu Christo totos nos tradere in Baptismo declaravimus, non jam ex mundi et diaboli legibus ac moribus, sed ex Christi Domini ac Redemptoris nostri institutis ac præceptis vivamus. Suavissima vox est dicentis, Joan. 13 : *Vos vocatis me, Magister et Domine, et benè dicitis; sum etenim.* Sed vide quid reposcat : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita et vos faciatis.* Æquum igitur est nos ipsos non secùs ac mancipia Redemptori nostro ac Domino in perpetuum addicere et conservare. *Non estis vestri*, inquit Apostolus 1 Cor. 6; *empti enim estis pretio magno*, scilicet pretioso sanguine Agni immaculati. Quamobrem liberati à peccato, servi autem facti Deo, ne nos diaboli servituti iterùm subjicianus, sed Christo Domino fideliter serviamus. Gratias immortales agamus amantissimo Servatori, tametsi qui nos in potestate suâ et dominatu velut

servos sanguine suo redemptos habeat, eâ tamen charitate complectitur, ut non servos vocet, sed amicos, sed fratres. Sed et ministrum agere inter discipulos suos dignatus est. *Ego*, inquit Luc. 22, *in medio vestrùm sum, sicut qui ministrat.*

Verùm hæc vocabula non æqualitatis, sed similitudinis, cognationis et charitatis sunt. Nam quod ad humanam naturam attinet, habitu quidem inventus est ut homo, receptis in se omnibus incommodis quæ naturæ veritatem comitantur, ut exsolveret quod commeruerамus; sed interim gratiâ et veritate semper plenus, nempe in quo *inhabitavit omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, expers omnis peccati, et ad peccandum proclivitatis, erroris, ignorantiæ, et omnium quæ divinæ personæ infinitæ dignitati et sanctitati non congruunt. Unde quamvis *formam servi* Filius Dei susceperit, Philipp. 2, id est, naturam, cui suâpte essentiâ convenit subjectio et servitus, quia creata est; eoque nomine servus ab Isaiâ nuncupetur, ubi ait, cap. 49: *Et nunc, dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi*, Patrique suo sujectus fuerit, ad opera etiam et munia servorum ex charitate se demittens, et factus sit *obediens usque ad mortem*, non tamen conditione servus est, quod servitutis genus originem habet ex peccato, ut illius pœna. Conditionalis enim illa servitus dignitati Filii Dei repugnat. Nam qui ita servus est, eâdem cum eo cui subjectus est, conditione non censetur, nec jus habet ad hæreditatem. Hinc Apostolus, Hebr. 1, Christum cum angelis conferens, in eo discrimen inter illos constituit, quòd servi sint et ministri Dei, ille verò Dei Filius: *Tantò melior*, inquit, *angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu; ego hodiè genui te? et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis*, etc. Rursùs Christum cum Mose comparans, illum isto longè præstantiorem esse ex eo probat, quòd Moses famulus, Christus Filius. Hebr. 3: *Et Moses quidem fidelis erat in totâ domo ejus tanquàm famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erunt; Christus verò tanquàm Filius in domo suâ.* Servilis itaque conditio cum Filio Dei pugnat. Christus autem homo reverà Dei Filius est; repugnat igitur ut conditione servus appelletur.

Id confirmat S. Augustinus à concilio Francofordiensi in epistolâ Synodicâ citatus: *Dominus noster*, inquit, *etiam in formâ servi non servus, sed in formâ etiam servi Dominus fuit.* Et tractatu 3 in Joannem, ad illa verba: *Lex per Mosem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, ait: *Per servum lex data est, reos fecit; per imperatorem indulgentia data est, reos liberavit. Lex per Mosem data est; non sibi aliquid ampliùs servus assignet, quàm quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium tanquàm fidelis in domo, sed tamen servus, agere secundùm legem potest, solvere à reatu legis non potest.* Idem confirmat S. Leo sermone 2 in Nativitate Domini, cap. 3: *Assumpta est*, inquit, *de Matre Domini natura, non culpa. Creata est forma servi sine conditione servili, quia novus homo sic contemperatus est veteri, ut et veritatem susciperet generis, et vitium excluderet vetustatis.* Præterea, cùm Felix Urgellitanus et Elipandus Toletanus, episcopi Hispani, Christum non solùm Filium Dei adoptivum, sed et *servum conditionalem* assererent, utrumque errorem egregiè ac luculenter editis contra illos libris confutârunt Paulinus Aquileiensis episcopus, et Alcuinus; damnârunt Adrianus I, pontifex maximus, in Epistolâ ad episcopos Hispaniæ, et concilium Francofordiense in epistolâ Synodicâ. Prophetæ quidem servum nominârunt, sed in umbris veteris Testamenti, dùm per servos adumbrabatur: *Sed postquàm cessavit umbra veritatis, et ipsa in promptu manifestata est veritas, quæ sub allegoricâ sylvâ latebat, nusquàm eum à Patre servum vocatum legimus, sed Filium, et dilectum, et suum; nec Filium dominum eum suum appellâsse, sed Patrem*, inquit Adrianus I. Et si Propheta eum servum nominavit, *non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientiâ, quâ factus est Patri obediens usque ad mortem*, ait synodus Francofordiensis. Et Filio enim proprio, dùm ex amoris redundantiâ servorum obit munia, Patrique famulatur, utcumque servi nomen adjicitur, sed ejus ingenuitati id minimè officit.... Non enim servum, sed genuinum se filium esse significat, qui amore patris ad servilia usque munera inclinatur, Filium voluntas, servum necessitas urget ad obsequium. At Christus non necessitate, sed voluntate et charitatis pondere indeclinabili ad obediendum agebatur. Igitur *divinæ dispensationis sacramento* servus à Prophetâ nominatus est, scilicet *non conditione debitæ servitutis, sed implendæ paternæ voluntatis in salute humanâ voluntariâ obedientiâ* (inquit Paulinus Aquileiensis, lib. 4). *Nam in Christo quidquid gestum est, totum voluntatis fuit, non necessitatis*, qui, Apostolo teste, *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Alia est enim voluntaria humilitas, alia servilis necessitas.* Tradidit quidem Filium in mortem pro nobis *Pater*, sed et ipse Filius *dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Ait quidem ipse: *Diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; sed et de eo Isaias ait: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Scriptum quidem erat in capite libri ut Dei voluntatem faceret; sed et ipse accinit: *Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei. Sic Deus* quidem *dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; sed et ipse Filius, quamvis *rapinam non arbitratus esset se æqualem Deo*, tamen suâ sponte summâque libertate *exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Absit ergo ut conditionis necessitate servus dicatur Christus, qui nos à servitute liberavit, quem Scriptura sacra Dominum, etiam ut homo est, prædicat. *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum*, inquit Apostolus 1 Cor. 8. Nullus Evangelistarum, nemo Apostolorum Christum servum appellat, sed Dominum et Salvatorem. Nam Thomas explorans vestigia vulnerum, exclamavit dicens: *Dominus meus, et Deus meus!* Petrus ait: *Domine, tu mihi lavas pedes!* Discipuli omnes: *Domine, adauge nobis fidem.* Paulus eum semper Dominum confitetur.

Dominum Jesum, et *Jesum Christum Dominum nostrum* semper vocat, sed nec ipse Christus Patrem unquàm Dominum suum appellavit. Ait quidem : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ ;* sed interpunctione, ipsisque verbis docuit, *illum et Patrem suum, et rerum creatarum esse Dominum*, ut observat S. Athanasius oratione 3 contra Arianos. Et quamvis Deum suum Patrem appellet, dicens : *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum*; tamen sicut aliâ ratione sibi ac nobis Patrem esse significat, ita aliâ ratione sibi ac nobis Deum. Pater nobis est, non ut Filio suo naturali, sed ut servis per ejus gratiam adoptatis : et Deus illi est, non ut nobis. Scilicet nobis Deus est tanquàm mancipiis suis imperans : illi Deus est, tanquàm Filio humiliter obsequenti paternâ auctoritate eminens. *Non enim* (Christus) *necessitate velut servus aliquis obedivit ; sed seipsum suâ sponte pro nobis obtulit*, ait Theodoretus in cap. 5 Epistolæ ad Ephesios.

Christum itaque ut Dominum nostrum veneremur et adoremus; gratias ipsi agamus, quòd nos à diaboli dominatu et servitute ereptos, ac in libertatem gloriæ filiorum Dei vocatos, suo imperio addixerit. Illi pareamus, non servili animo, sed liberali; non ut servi sub lege, sed ut liberi sub gratiâ constituti; non timore premente compulsi, sed charitate suolevante excitati. *Qui liber vocatus est, servus est Christi. Quid est autem servum esse Christi? Sapientiæ, justitiæ, veritatis, et omnium omninò virtutum, quæ Christus est.... Atque utinam hoc saltem obtineri possit in vitâ mortalium, ut servus quis Christi ex integro sit, non carni, non sanguini, non vanæ gloriæ, non cupiditati, non avaritiæ, non iracundiæ, non invidiæ, sed soli Christo, id est, omnibus simul virtutibus serviat.* Verba sunt *Origenis* in cap. 1 Epistolæ ad *Romanos*. Christo sincerâ animi devotione dicamus : *Tuus sum ego, salvum me fac.* « Non potest dicere Christo : *Tuus sum*, qui suis cupiditatibus servit; plures enim dominos habet. Venit libido, et dicit : Meus es, quia ea quæ sunt corporis concupiscis : in illius adolescentulæ amore te mihi vendisti, in illius concubitu meretricis pretium pro te annumeravi. Venit avaritia, et dicit : argentum et aurum quod habes, servitutis tuæ pretium est; possessio quam tenes, juris tui emptio, venditio libertatis tuæ est. Venit luxuria, et dicit : Meus es; unius diei convivium, pretium tuæ vitæ est; ille sumptus epularum, tui capitis licitatio, tui est summa contractûs, et quod pejus est, caro emptus es, vilior cibo es tuo; pretiosior est unius diei mensa tua, quàm totius temporis vita. Inter calices te redemi, inter epulas acquisivi. Venit ambitio, et dicit tibi : Planè meus es. Nescis quòd ideò imperare aliis te feci, ut mihi ipsi servires? Nescis quòd idcò potestatem in te contuli; ut meæ te subjicerem potestati? An ignoras ipsi Domino Salvatori dictum esse ab hujus mundi principe, cùm ei ostendisset omnia regna mundi, Matth. 4 : *Hæc omnia dabo tibi, si procidens adoraveris me?* Ante ergo ipse subjicitur, qui alios vult habere subjectos. Veniunt omnia vitia, et dicunt : Meus es. Quem tanti competunt, quàm vile mancipium est! Quomodò ergo tu qui hujusmodi es, potes Christo dicere : *Tuus sum!* Respondebit tibi ille : *Non quicumque dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum ;* non quicumque dicit mihi : *Tuus sum*, meus est. *Meus planè es, si vocem non redarguat conscientia, si sermonem tuum animus aut opera non refutent. Ego non nego meum esse eum qui ipse se non neget, aut certè si pro me seipsum sibi abneget. Nolo habere servulum pluribus dominis servientem. Nam quomodò meus est, si mihi dicat verbo :* Tuus sum, *et operibus neget, et factis se diabolo adjudicet et obstringat? Non est meus, quem libido succendit ; quia mea est castitas. Non est meus, quem cura spoliandi minores exagitat ; quia mea integritas est. Non est meus, quem ira mobilis inquietat ; quia mea tranquillitas est. Non est meus, vini crapulâ temulentus in lucem, ambitione gloriæ secularis ebrius, qui in periculum non possit sobriæ moderationis servare vestigium. Pax sum ego, litigare non novi. Quid mihi ad eum de quo veniat diabolus et dicat : Meus est. Nam mihi sua colla curvavit, mea in illo plura reperio : Nomen sibi tuum vendicat, et meum munus? Non est ergo Christi, nisi qui est alienus à crimine : non est Christi, nisi qui votest se Christi semper servulum demonstrare.* Nam si quis mutabilis est, ut ego aut mœrore mutor, aut indignatione, venit ira, et dicet : Meus est; ante horam meus erat; spero quòd iterum meus fiat. Venit tristitia, et dicit : Meus est; ante horam in meâ possessione fuit, in meo jure; erigere animum præ mœrore non poterat, nec oculos levare; et si triste aliquid acciderit, ad me illicò revertetur? Quis ergo est Dei, nisi qui potest dicere : *Nihil mihi conscius sum?* 1 Cor. 4. Ideò dicebat Paulus Apostolus Jesu Christi, quia nulli alii obnoxius tenebatur. Ego autem nunc Dei mei sum, nunc tristitiæ, nunc iracundiæ, nunc verbi otiosi; et ideò qui plures dominos habet, non potest uni dicere : Domine Jesu, *Tuus sum*. Rectè ergo Propheta David dixit : *Tuus sum*, qui semper in Domino mansit. Et quâ ratione dixerit : *Tuus sum*, addidit : *Justificationes tuas exquisivi*. Hoc est, nihil aliorum quæsivi, sed id solùm quod tuum est desideravi. Alii quærunt monilia pretiosa, ego solas justificationes tuas quasi quædam serta justitiæ; alii domum ad domum, villam ad villam jungunt, quasi soli habitare possint in terrâ hâc : *Mihi in tuis justificationibus omne patrimonium est.* Nescio possidere nisi quod tui juris est. In tuis eloquiis spiritalis mihi cura refulsit argenti. *Mihi portio Deus est* : Tuus sum ego, quia pars mihi hæreditatis non in auro, non in argento est, sed in Christo Jesu. » Hæc S. Ambrosius Sermone 12 in psalmum 118.

ARTICULUS IV.

Quo Symboli articulus 3 explicatur : Qui conceptus est de Spiritu sancto; natus ex Maria Virgine.

1. Hujus articuli sensus est, nos credere et confiteri eum ipsum Jesum Christum unicum Dominum nostrum, Dei Filium, cùm pro nobis humanam carnem suscepit in utero Virginis, non ex virili semine, ut alii homines, sed supra omnem ordinem naturæ, Spiritûs

sancti virtute conceptum esse; ita ut eadem persona Deus permanens, quod ex æternitate erat, homo fieret, quod ante non erat, citra ullam sui mutationem. Quod S. Augustinus sermone 187, aliàs de Tempore 27, egregiâ similitudine explicat. « Neque enim, inquit, quando membra humana suscepit, opera divina deseruit : nec attingere à fine usque ad finem fortiter, et disponere omnia suaviter destitit; quando infirmitate carnis indutus, virginali utero receptus est, non inclusus; ut nec angelis subtraheretur sapientiæ cibus, et nos gustaremus quàm suavis est Dominus. Quid hoc miramur de verbo Dei, cùm sermo iste quem promimus ita liber sensibus influat, ut eum et recipiat et non includat auditor? Nam nisi reciperetur, neminem intrurat : si includeretur, ad alios non veniret. Et utique sermo iste verbis syllabisque dividitur : nec tamen ex eo tanquàm ex cibo ventris singulas particulas tollitis; sed omnes totum auditis, totum singuli capitis. Nec timemus dùm loquimur, ne totum audiendo unus absumat, nec alter possit habere quod sumat; sed ita vos attentos esse volumus, nullius aurem mentemque fraudantes, ut et totum singuli audiatis, et totum ad audiendum cæteris relinquatis. Neque hoc fit alternis temporibus, ut cùm sermo qui dicitur ad te prius intraverit, exeat à te, ut ad alium possit intrare : sed simul ad omnes venit, et totus ad singulos pervenit. Et si totus memoriâ teneri valuisset, sicut ad totum audiendum omnes venistis, ita cum toto singuli rediretis, quantò magis Dei Verbum per quod facta sunt omnia, et quod in se manens innovat omnia, quod nec locis concluditur, nec temporibus tenditur, nec morulis brevibus longisque variatur, nec vocibus texitur, nec silentio terminatur; quantò magis hoc tantùm et tale Verbum potuit Matris uterum, assumpto corpore fœcundare, et de sinu Patris non emigrare? Hinc ad oculos humanos exire, inde mentes angelicas illustrare? Nemo ergo credat Dei Filium conversum et commutatum esse in hominis Filium : sed potiùs credamus et non consumptâ divinâ, et perfectè assumptâ humanâ substantiâ, manentem Dei Filium, factum hominis Filium. Neque enim quia dictum est : *Deus erat Verbum, et Verbum caro factum est,* sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus : quando in ipsâ carne quod Verbum caro factum est, Emmanuel natum est, *Nobiscum Deus.* Sicut verbum quod corde gestamus, fit vox cùm id ore proferimus, non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro ista in quâ procedat assumitur, ut et intùs maneat quod intelligatur, et foris sonet quod audiatur : hoc idem tamen profertur in sono, quod antè sonuerat in silentio; atque ita verbum cùm fit vox, non mutatur in vocem, sed manens in mentis luce, et assumptâ carnis voce procedit ad audientem, et non deserit cogitantem. Non cùm ipsa vox in silentio cogitatur, quæ vel Græcæ est, vel Latinæ, vel linguæ alterius cujuslibet; sed cùm ante omnem linguarum diversitatem res ipsa quæ dicenda est, adhuc in cubili cordis quodammodò nuda est intelligenti, quæ ut inde procedat loquentis voce vestitur. Verumtamen utrumque hoc, et quod cogitatur intelligendo, et quod sonat loquendo, mutabile atque dissimile est : neque illud manebit, cùm oblitus fueris, neque hoc cùm silueris : Verbum autem Domini manet in æternum, et incommutabiliter manet. »

§ I. *Quid his verbis significetur :* Qui conceptus est?

His verbis significatur Filium Dei hominem factum, non assumendo corpus à Deo creatum, aut ex quâvis substantiâ formatum, sed in utero Virginis Matris, ex purissimo illius sanguine compactum. Unde Apostolus ait, Gal. 4 : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.*

I. Detestandi ergo sunt Manichæi hæretici, et Marcionitæ, qui Dominum nostrum Jesum Christum veram carnem assumpsisse negant, sed in eo inane duntaxat corporis simulacrum agnoscunt : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Et, *quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.* Atque ipsemet Christus discipulis post resurrectionem suam conspicuum se præbens : *Palpate,* inquit, *et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet.* Nisi vera sit Christi caro, vita ejus qui veritas est nihil aliud fuisset quàm mendacii cujusdam prolixa contextio, cùm carnem omnibus dictis gestisque prætulerit. Inanis fuerit et ludificatoria redemptio nostra, si vera caro non sit, per quam et in quâ Christus salutem nostram operatus est. Sine verâ carne nec verè passus est, nec verè resurrexit; atque ita spes nostra omnis intercipitur, et evertitur totum Dei opus, et christiani nominis fructus. Nisi veram carnem assumpsisset, homo, et hominis filius, quod nomen toties sibi tribuit, non esset. Nisi vera sit Christi caro, nec eâ, nec per eam ipsâ deitate pascimur in sacramento Eucharistiæ, neque corpora nostra sunt membra Christi. Ut enim ait S. Augustinus, Sermone 161, aliàs 18, de Verbis Apostoli : « Si Dominus noster Jesus Christus tantummodò animam humanam susciperet, membra ejus non essent nisi animæ nostræ : quia verò corpus suscepit, per quod etiam caput est nobis, qui ex animâ et corpore constamus, profectò illius membra sunt et corpora nostra. » Frustra verò carnis, et conceptionis in utero muliebri immunditias exaggerabant Manichæi et Marcionitæ, ut veram Christi carnem veramque conceptionem in utero Virginis jure negare viderentur, 1 Cor. 1. *Quod* enim *stultum est Dei, sapientius est hominibus;* et : *Omnia munda mundis,* Tit. 1. Et si radii solis per cloacarum fœtores diffusi, nullâ tamen contaminatione sordescunt, cùm visibilis lux visibilibus sordibus sit naturâ conjunctior : « Quantò minùs poterat pollui Verbum Dei, non corporeum neque visibile, de femineo corpore, ubi humanam carnem suscepit cum animâ et spiritu, quibus intervenientibus habitat Majestas Verbi ab humani corporis fragilitate secretius? Unde manifestum est nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana

« maculata est. Non enim cùm regit corpus atque « vivificat, sed cùm ejus bona mortalia concupiscit, de « corpore anima maculatur, » inquit S. Augustinus, lib. de Fide et Symbolo, cap. 4. Mendacio certè contaminaretur potiùs Deus, simulatam carnem ludificandis hominum oculis exhibens, quàm veræ carnis assumptione. Unde Tertullianus, lib. 3 contra Marcionem : « Nulla, inquit, substantia digna est quam « Deus induat. Quodcumque induerit, ipse dignum « facit, sine mendacio tamen. Et ideò quale est ut de- « decus existimàrit veritatem potiùs quàm mendacium « carnis! » Et lib. de Carne Christi : « Quid dimidias « mendacio Christum? Totus veritas fuit. Maluit, « crede, nasci, quàm ex aliquâ se parte mentiri. »

II. Detestandus pariter Apollinaristarum hæreticorum error, qui carnem à Filio Dei non in tempore assumptam, sed ab æterno concretam fuisse, asserebant : ex quo consequens erat, carnem consubstantialem esse Dei Filio, Patrem consubstantialem esse carni ; incarnationem verbi, Mariæque puerperium, necessaria non fuisse, impassibile suâpte naturâ non fuisse Verbum divinum. Quæ errorum monstra ex Apollinaris hæresi consequi ostendunt, ac refellunt S. Athanasius Epistolâ ad Epictetum, S. Gregorius Nazianzenus Oratione 4, S. Ambrosius, libro de Incarnatione, cap. 6 ; Theodoretus dialogo 3, qui inscribitur *Impatibilis*.

III. Execranda pariter Valentini impietas, qui Christum è cœlo detulisse carnem, et per Mariæ Virginis uterum, velut aquam per fistulam transisse docuit, nihilque ex eâ sumpsisse. Quam hæresim refellunt luculentè S. Irenæus, libro 3, cap. 32, et Tertullianus, libro de Carne Christi, cap. 15, 20, 21, 22. Valentini errori cognatus Apellis error, qui Filium Dei, cùm è cœlo descendit, sideream sibi carnem et aeream contexuisse commentus est. In sui patrocinium erroris hæretici illi detorquebant verba Christi, Joannis 3 : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Et cap. 6 : *Ego sum Panis vivus, qui de cœlo descendi.* Et verba Apostoli 1 ad Corinthios, cap. 15 : *Primus homo de terrâ terrenus ; secundus homo de cœlo cœlestis.* Sed hæc testimonia solùm indicant Christum è cœlis descendisse ratione personæ et naturæ divinæ, non ratione corporis assumpti : quod quidem *cœleste* dici potest, et *Panis de cœlo*, ratione virtutis quâ formatum in utero Virginis fuit (compactum siquidem est obumbrante et operante Spiritu sancto) : non verò ratione substantiæ. Quod præclarè S. Hilarius explicat libro 10 de Trinitate. Carnem certè nostræ congenerem et substantialem Christum habuisse ac gessisse corpus ex carne, ossibus, sanguine, membrorumque omnium integritate compositum, Scripturæ probant omnes quæ Dei Filium factum hominem asserunt, ut illud Joannis 8 : *Nunc me quæritis interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum ;* et quæ ipsum *in utero conceptum*, esurivisse, sitivisse, fatigatum ex itinere fuisse, passum, cruci suffixum, sanguinem fudisse, mortuum, *per omnia fratribus similatum* testantur. Hæc enim corpori cœlesti, carnique sidereæ non conveniunt. Veram certè carnem ex muliere natam, non è cœlo allatam, non ex sideribus aut æthere decerptam indicant S. Paulus Rom. 1, de Filio Dei loquens : *Qui factus est ei*, inquit, *ex semine David secundùm carnem*, et S. Joannes Epist. 1, scribens : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est.* Corpus nostris corporibus consubstantiale indigitat Christus Eucharistiæ sacramentum instituens, cùm ait : *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Plura dabit dissertationis nostræ 15 in historiam ecclesiasticam seculi 2 articulus secundus.

Non minùs detestandus est Apollinaris error alter, qui naturam hominis in Christò semiplenam putavit, hoc est, animâ carentem, cujus vicem supplere corpori dicebat Verbum ipsum incarnatum. Deinde verò animam in Christo agnoscens, quâ vivimus et sentimus, ac communia cæteris nobiscum animantibus officia præstamus, partem illius detraxit, quâ rationales sumus, sive mentem. Hoc erroris portentum Scripturæ sacræ testimonia refellunt, inprimis illud Christi Domini, Matth. 26 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Illud item Joannis 19 : *Et animam meam pono pro ovibus meis.* Et : *Ego ponam animam meam, ut iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me ; sed ego ponam eam à meipso ; et potestatem habeo iterùm sumendi eam.* Tum illud Actorum 2 usurpatum ab Apostolo Petro de Psalmo 15 : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Quibus verbis animam pariter et corpus Redemptoris nostri significat, quorum hoc in tumulo reconditum à corruptione vindicari ; illam in inferno diutiùs non detineri postulat. Sed et ratio catholico dogmati suffragatur. Christus enim Deus est et homo perfectus, consubstantialis Patri secundùm divinitatem, consubstantialis nobis secundùm humanitatem, ut Scripturæ, Patres, concilia, Ecclesiæ symbola docent : perfectus autem et verus homo non est, si vel anima carni, vel animæ ipsi mens humana defuerit. Certè Christum inter nos ac Deum Mediatorem ac sequestrem, ejusdem cum Deo, ejusdem et nobiscum substantiæ esse oportebat. Non esset autem ejusdem cum hominibus substantiæ, si parte aliquâ hominem componente careret. Unde S. Fulgentius libro 1 ad Trasimundum, cap. 15, hominem Jesum Christum mediatorem Dei et hominum nuncupatum ait, « quia « idem Deus totam in se suscepit naturam hominis ; « et idem homo totam in se habet substantiam deita- « tis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus à « Deo ; inter Deum irascentem hominemque peccan- « tem talis utique mediatoris debuit intervenire per- « sona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum « verumque in se Deum de Deo natum haberet ; et ad « reconciliandum hominem Deo, totum verumque in « se de homine natum hominem contineret. » Denique cùm peccati labes et calamitas hominem totum infecisset atque pervasisset, si pars hominis ulla naturæ

à Filio Dei assumptæ defuisset, expers illa fuisset curationis et salutis, adeòque totus homo non fuisset reparatus ac redemptus. Hinc S. Gregorius Nazianzenus, epistolà 1 ad Cledonium, ait: « Si quis in homi- « nem mentis expertem sperat, amens est reverà, ne- « que dignus qui totus salvetur. Quod enim assumptum « non est, curationis est expers. Quod autem unitum « est Deo, idipsum et salute donatur. Si dimidiatus « tantùm Adamus lapsus est, dimidiatum quoque tan- « tummodò sit quod assumitur et salvum fit. Quòd si « totus peccavit, toti quoque genito unitus est, atque « ex toto salutem assequitur. »

Et S. Augustinus, libro de Fide et Symbolo, cap. 4: « Cùm ista susceptio, inquit, pro salute nostrâ sit « gesta, cavendum est ne cùm crediderit aliquid no- « strum non pertinere ad istam susceptionem, non « pertineat ad salutem. Et cùm homo, exceptâ formâ « membrorum, quæ diversis generibus animantium « diversa tributa est, non distet à pecore nisi rationali « spiritu, quæ mens etiam nominatur; quomodò sana « est fides quâ creditur, quod id nostrum susceperit « Dei sapientia quod habemus commune cum pecore, « illud autem non susceperit, quod illustratur luce « sapientiæ, et quod hominis proprium est? »

Plura dabit dissertatio nostra 42 in Historiam ecclesiasticam seculi quarti.

V. Execranda etiam est Monothelitarum hæresis, qui unicam in Christo voluntatem atque operationem esse, eamque divinitatis propriam, pertinaciter asseruerunt; duæque in Christo voluntates, divina nempe et humana, duæque operationes pro numero naturarum, ex fidei catholicæ præscripto sunt agnoscendæ, secundùm Scripturæ sacræ expressa testimonia, Matth. 26: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* et Lucæ 22: *Non mea voluntas, sed tua fiat;* et Joannis 6: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Hinc enim perspicuè constat, aliam fuisse Christi voluntatem ac Patris; non divinam utique, quam unam et eamdem amborum esse nemo catholicus dubitat, sed hominis propriam, quam proinde, præter divinam, habuit Filius Dei, qui loquebatur, incarnatus. Idem fidei dogma summo consensu constantique traditione à Patribus assertum Lateranensis synodus sub Martino I, Romano pontifice, et sexta synodus generalis Constantinopoli sub Agathonis pontificatu, legatis ejus præsidentibus, celebrata, contra Monothelitarum hæresim stabiliverunt; S. Maximus Martyr in disputatione cum Pyrrho monothelitâ, aliisque operibus, et S. Joannes Damascenus, libro 3, cap. 15, vindicaverunt. Quamvis autem duæ sint in Christo voluntates, absit tamen, ut contrarias et repugnantes aliquando fuisse dicamus vel cogitemus. *Nam velle hominis assumpti à Deo non fuit contrarium Deo, utpote totum deificatum*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, oratione 36. Humana voluntas divinæ perfectissimè consentiens semper fuit. Unde S. Leo, sermone 54, de Passione Domini 5, ait: « Admonitis « discipulis Dominus ut contra vim tentationis instan- « tis vigilanti oratione certarent, ipse Patri supplicans, « ait: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* « *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Prima « petitio infirmitatis est, secunda virtutis. Illud opta- « vit ex nostro, hoc elegit ex proprio. Nec enim æqua- « lis Patri Filius omnia esse Deo possibilia nesciebat, « aut ad suscipiendum crucem sine suâ in hunc mun- « dum descenderat voluntate, ut hanc diversarum af- « fectionum compugnantiam perturbatâ quodammodò « ratione pateretur. Sed ut suscipientis susceptæque « naturæ esset manifesta distinctio, quod erat homi- « nis, divinam desideravit potentiam; quod erat Dei, « ad causam respexit humanam. Superiori igitur vo- « luntati voluntas cessit inferior, et citò demonstra- « tum est quid possit à trepidante orari, et quid non « debeat à medente concedi. » Horum omnium dogmatum fidem profitemur his verbis: *Qui conceptus est*, sive istis Constantinopolitani symboli: *Et incarnatus, et homo factus est.* Plura dabit dissertatio 5 in Historiam ecclesiasticam seculi 7.

§ 2. De Spiritu sancto. — *Cur Christus ex Spiritu sancto conceptus dicatur?*

I. Cùm dicimus Christum Spiritûs sancti virtute conceptum esse, unam hanc divinæ Trinitatis personam incarnationis mysterium fuisse operatam non asserimus. Omnia enim quæ Deus extra se in rebus creatis agit, tribus personis esse communia, neque unam magis quàm aliam, aut unam sine aliâ agere, fides catholica docet: quamvis sacræ litteræ earum operationum, quæ personis omnibus communes sunt, aliam alteri tribuere soleant, ut creationem Patri, redemptionem Filio, sanctificationem Spiritui sancto; sicut et Patri potentiam, Filio sapientiam, Spiritui sancto amorem. Tota ergo Trinitas adorandum incarnationis sive conceptionis Christi mysterium communiter et indivisè operata est. Quod testatur Evangelista, referens angelum Virgini Mariæ respondisse, Luc. 1: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Adest ergo Altissimus, quo nomine Patrem intellige, fontem totius deitatis. Adest virtus Altissimi, nempe Filius, qui propriè carnem assumpsit, sibique in unitate personæ copulavit, ac solus incarnatus est. Adest Spiritus sanctus, cui tamen admirabile illud opus singulari quâdam ratione attributum Scriptura dedicat, Ecclesiaque in symbolo adscribit; cùm aliàs in suis etiam orationibus profiteatur tres personas sanctissimæ Trinitatis nostræ redemptionis mysterium simul et indivisè operatas esse. Sic enim orat sacerdos ante communionem: *Domine Jesu Christe, qui per voluntatem Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificâsti.*

II. Multiplex autem ratio est cur Christi conceptio Spiritui sancto tribuatur. Prima est, quòd miracula et opera supernaturalia Spiritui sancto quasi *Dei digito* assignentur. Conceptio autem Christi sive incarnatio, miraculorum omnium maximum est, eò præsertim quòd simul atque beata Virgo angeli verbis assensum

præbuit, dicens : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*; statim sanctissimum Christi corpus ex purissimo ejusdem Virginis sanguine formatum, eique anima rationalis conjuncta est; atque ita in ipso temporis articulo perfectus Deus et perfectus homo fuit. Hoc autem novum fuisse, atque admirabile Spiritûs sancti opus, nemo dubitare potest, cùm servato naturæ ordine, nullum corpus nisi intra præscriptum temporis spatium hominis animâ informari possit. Maximâ verò admiratione dignum est, quòd non priùs fuerit Christus homo quàm Deus; sed ut primùm cum corpore conjuncta est anima, ipsa etiam Divinitas cum corpore et animâ copulata est. « Non est igitur interuallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium, et concipiendæ majestatis adventum. Una quippe fuit in utero Mariæ Virginis conceptio Divinitatis et carnis, et unus est Christus Dei Filius in utràque naturâ conceptus, ut maculam vitiatæ propaginis inde inciperet abolere, unde in unoquoque nascentium videbatur existere, » inquit S. Fulgentius, libro de Incarnatione et Gratiâ, cap. 4. Miraculum illud præcinuit Jeremias, cap. 31 : *Creavit Dominus novum super terram; femina circumdabit virum.* Vir scilicet in Virginis utero Christus, (quamvis infantili corpore) sapientiâ, gratiâ, cujus demonstratione solâ *profecisse* dicitur *apud Deum et homines.* Quin et beatâ Dei visione Christus homo ab ipsâ statim conceptione suâ potitus est, ejusque anima sanctissima summum æternæ felicitatis gradum attigit, ut Christiani omnes summo consensu agnoscunt. Magnum certè novumque miraculum, ubi agnoscitur longitudo « brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum « infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem « sustentari; Deum denique lactentem, sed angelos « reficientem; vagientem, sed miseros consolantem. « Videas, si attendas, tristari lætitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minùs mirandum est, ipsa ibi « cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio « salvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Numquid non facile tibi est inter hæc feminam agnoscere « virum circumdantem, cùm Mariam videas virum « approbatum à Deo Jesum suo utero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse Jesum, non solùm « jam cùm diceretur, Luc. 24 : *Vir Propheta potens « in opere et sermone*, sed etiam cùm tenera adhuc infantis membra Dei mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Vir igitur erat Jesus necdùm etiam natus, sed sapientiâ, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non « corpulentiâ membrorum. Neque enim minùs habuit « sapientiæ, vel potiùs non minùs fuit Sapientia Jesus « conceptus quàm natus, parvus quàm magnus. » Verba sunt S. Bernardi, homiliâ 2 super Missus est.

Idem Pater, sermone 3 in vigiliâ Nativitatis Domini, mysterium istud vocat omni miraculo admirabilius. « Tria opera, inquit, tres mixturas fecit omnipotens « illa majestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia « nec facta sint, nec facienda sint ampliùs super terram. Conjuncta quippe sunt ad invicem Deus et homo, Mater Virgo, fides et cor humanum..... Contraxit « se majestas, ut quod melius habebat, videlicet se « ipsam limo nostro conjungeret, et in personâ unâ « sibi invicem unirentur Deus et limus, majestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta. Nihil enim « Deo sublimius, nil vilius limo; et tamen tantâ dignatione Deus descendit in limum, tantâque dignitate limus ascendit in Deum, ut quidquid in eo Deus « fecit, limus fecisse credatur, quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili « quàm incomprehensibili sacramento. Et attende, « quia sicut in illâ singulari Divinitate Trinitas est in « personis, unitas in substantiâ, sic in istâ speciali « commixtione Trinitas est in substantiis, in personâ « unitas. Verbum enim, et anima, et caro in unam « convenêre personam; et hæc tria unum, et hoc unum « tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ... Secunda mixtura est Virgo et mater, admirabilis planè et singularis. A seculo non est auditum « quòd virgo esset quæ peperit, quòd mater esset quæ « virgo permansit.... Tertia est fides et cor humanum. Mirum enim est quomodò cor humanum his « duobus fidem accommodavit, quomodò credi potuit « quòd Deus homo esset; quòd Virgo mansérit quæ « peperisset. » Prima itaque ratio cur conceptio Christi tribuatur Spiritui sancto, est divini istius operis admirabilitas et stupenda novitas.

Ratio hujus attributionis altera est, quòd divinæ incarnationis mysterium singularem atque immensum Dei erga nos amorem declaret. Unde, Joannis 3, dicitur : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Hinc S. Augustinus divinum istud opus cæteris misericordiæ bonitatisque Dei operibus antecellere asserit, libro 10 de Civitate Dei, cap. 29. « Gratia Dei, inquit, non potuit gratiùs commendari, « quàm ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens, indueret hominem, et spem dilectionis « suæ daret hominibus homine medio quo ad illum ab « hominibus veniretur, qui tam longè erat immortalis « à mortalibus, incommutabilis à commutabilibus, justus ab impiis, beatus à miseris. » Et S. Leo divinam benignitatem in hoc mysterio maximè commendari docet, sermone 23 in Nativitate Domini 4 : « Semper « quidem, inquit, diversis modis multisque mensuris « humano generi bonitas divina consuluit, et plurima « providentiæ suæ munera omnibus retrò seculis clementer impertiit; sed in novissimis temporibus omnem abundantiam solitæ benignitatis excessit, quando « in Christo, ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad « errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit, ut « Verbum illud coæternum et coæquale Genitori in « unitatem Deitatis suæ naturam nostræ humilitatis « assumeret, et Deus de Deo natus, idem etiam homo « de homine nasceretur. » Cùm igitur bonitas tribuatur Spiritui sancto, sicut sapientia Filio, et potentia Patri,

illeque sit amor subsistens Patris et Filii, Incarnationis opus Spiritui sancto peculiari ratione convenienter tribuitur.

Tertiò, conceptio Christi speciatim Spiritui sancto tribuitur, quia natura humana à Filio Dei in unitatem personæ, non ex aliquibus meritis, sed ex solâ gratiâ assumpta est, quæ quidem gratia unio ipsa hypostatica est, sive communicatio personæ divinæ humanitati facta, ut idem Christus ab initio conceptionis suæ Deus simul et homo esset. « Hìc omninò granditer et evidenter Dei gratia commendatur, » inquit S. Augustinus in Enchiridio, cap. 36. « Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? Numquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium præstitum est, cùm singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse homo quàm Dei Filius; et hoc unicus, et propter Deum Verbum, quòd illo suscepto caro factum est, utique Deus : ut quemadmodùm est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona Verbum et homo. Unde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuità, nisi quia magna hìc et sola Dei gratia fideliter et sobriè consideranti bus evidenter ostenditur, ut intelligant homines per eamdem gratiam se justificari à peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum habere posset peccatum? » Hinc Evangelista cùm dixisset: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* continuò subdit: *Et vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ et veritatis*, Joan. 1. Quod ait: *Verbum caro factum est;* hoc est, *plenum gratiæ.* Quod ait, *gloriam Unigeniti à Patre;* hoc est, *plenum veritatis.* Veritas quippe ipsa, unigenitus Dei Filius, non gratiâ, sed naturâ, gratiâ suscepit hominem tantâ unitate personæ, ut idem ipse esset etiam hominis Filius. Idem namque Jesus Christus Filius Dei unigenitus, id est, unicus, Dominus noster, natus est de Spiritu sancto et Virgine Mariâ. Et utique Spiritus sanctus Dei donum est, quod quidem et ipsum est æquale donanti... Ex hoc ergo quòd de Spiritu sancto est secundùm hominem nativitas Christi, quid aliud quàm ipsa gratia demonstratur? » His gemina sunt quæ habet idem sanctus doctor libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. 15, et libro de Correptione et Gratiâ cap. 11.

Quartò, conceptio Christi tribuitur Spiritui sancto, ut significetur discrimen conceptionis ipsius à cæterorum omnium hominum conceptione, qui ex voluntate carnis concipiuntur, et quorum caro per concupiscentiam sata et propagata, est caro peccati, quo fit ut originali peccato coinquinetur eorum anima statim atque infunditur corpori, et propensionem ad peccata, quæ propriâ voluntate committuntur, etiam habeant : Christus enim ex charitatis ardore et amore veritatis, non ex concupiscentiâ conceptus est; « non « concupiscentiâ carnis urente, sed fidei charitate « fervente, » inquit S. Augustinus sermone 214. Ideòque non in carne peccati, sed *in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne*, ut loquitur Apostolus, Rom. 8. Quod S. Augustinus confirmat libro de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 12, de S. Josephi et beatæ Virginis Mariæ nuptiis loquens. « Solus ibi, inquit, nuptialis concubitus non fuit, « quia in carne peccati fieri non poterat sine illâ « pudendâ carnis concupiscentiâ, quæ accidit ex pec- « cato. Sine quâ concipi voluit, qui futurus erat sine « peccato, non in carne peccati, sed in similitudine « carnis peccati : ut hinc etiam doceret omnem quæ « de concubitu nascitur, carnem esse peccati : quan- « doquidem sola quæ non inde nata est, non fuit caro « peccati. » Et Tractatu 4 in Joannem : « Non enim, « inquit, in iniquitate conceptus est, quia non de « mortalitate conceptus est. Nec eum in peccatis ma- « ter ejus in utero aluit, quem Virgo concepit, Virgo « peperit; quia fide concepit, fide suscepit. Ergo, *ecce « Agnus Dei.* Non habet iste traducem de Adam : « carnem tantùm sumpsit de Adam; peccatum non « assumpsit. Qui non assumpsit de nostrâ massâ pec- « catum, ipse est qui tollit omne peccatum. »

Quintò, conceptio Christi tribuitur Spiritui sancto, ob sanctitatem excellentem et affluentem hominis Christi. Ad hoc enim terminata est incarnatio, ut qui concipiebatur homo sanctus esset, non accidentariâ creatâque sanctitate, sed substantiali, scilicet divinitatis plenitudine. *In ipso enim habitat plenitudo Divinitatis corporaliter*, qui conceptione suâ factus est Filius Dei. Unde à Daniele *Sanctus sanctorum* appellatur; et Gabriel archangelus Mariam alloquens, Luc. 1 : *Quod nascetur*, inquit, *ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Porrò Spiritus sanctus vocatur Spiritus sanctificationis. Sicut ergo homines per Spiritum sanctum sanctificantur, ut sint filii Dei adoptivi : ita Christus per Spiritum sanctum est in sanctitate conceptus, ut esset Filius Dei naturalis. Unde, Rom. 1, dicitur : *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis.* Seipsum, id est, assumptam à se naturam sanctificavit Christus, ut ipse ait, Joannis 17 : *Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Sanctificatur autem in Spiritu sancto, quem accipit quatenùs homo est; sibi verò dat, quatenùs Deus est, *non ad mensuram.* Ipse est enim qui dat, ipse qui accipit. « Et quia potens est « ad mensuram dare, ideò non potuit ad mensuram « accipere. In formâ enim Dei manens Spiritum dat : « formam servi accipiens, Spiritum accipit. Sed quia « ipse ad mensuram dat, ideò non ad mensuram acci- « pit. Ad mensuram quippe dat multis filiis; sed non « ad mensuram accipit unicus Filius; quia sic est ve- « rus homo, ut sit verus Deus, » inquit S. Fulgentius in Responsione ad Interrogationem 3 Ferrandi. Christus ergo plenam ac mensuræ modique expertem, hoc est, immensam ac infinitam sanctitatem ut homo accepit, quo sensu S. Petrus ait, Act. 10 : *Quo modo*

unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute. Hæc autem unctio Divinitas ipsa fuit, et Persona Verbi naturæ humanæ communicata. Hoc oleum exultationis, quo unctus est præ consortibus suis.

Ex hoc fonte Christi manat impeccantia, hoc est, non vacuitas solùm ab omni peccato, quam spectans S. Petrus ait : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, 1 Petri 2; et ipsemet Christus : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sed peccandi impossibilitas. *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, et excelsior cœlis factus*, Hebr. 7. Quomodò enim lux vera peccati tenebris obscurari posset? Quomodò anima, quæ, (ut ferrum igni conjunctum in eoque permanens totum igne sic permeatur, sic incenditur, ut frigus recipere pro illo statu non possit), ita divinitati conjuncta est, ita ab ipsâ permeatur, ut una eademque persona sit Deus et homo, quomodò, inquam, illa peccatum admittere potuisset; quomodò vas unguenti deifici, fœtoris aliquid olere potuisset? « Ad omnes sanctos ca- « lor aliquis Verbi Dei putandus est pervenisse, inquit « Origenes, lib. 2 de Principiis, cap. 6. In hâc autem « animâ ipse ignis divinus substantialiter requievisse « credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis venerit. « Denique quod dixit, quia *unxit te Deus, Deus tuus, oleo « lætitiæ præ participibus tuis*, ostendit quòd aliter ista « anima oleo lætitiæ, id est, Verbo Dei jungitur, et ali- « ter participes ejus. Illi enim in odore unguentorum « ejus cucurrisse dicuntur; ista autem anima vascu- « lum unguenti ipsius fuit, ex cujus fragrantiâ partici- « pantes digni quique prophetæ fiebant et Apostoli. « Sicut ergo aliud est unguenti substantia, aliud odor « ejus; ita aliud est Christus, et aliud participes sui. « Et sicut vas ipsum quod substantiam continet et « unguentum, nullo genere potest aliquid recipere « fœtoris, hi verò qui ex odore ejus participant, si se « paulò longiùs à fragrantiâ ejus removerint, possibile « est ut incidentem recipiant fœtorem : ita Christus, « velut vas ipsum, in quo erat unguenti substantia, « impossibile fuit ut contrarium reciperet odorem. « Participes verò sui, quàm propinqui fuerint vasculo, « tam odoris erunt participes et capaces. » Prætermittere non possum similitudinem egregiam quâ S. Hyppolitus martyr ad impeccantiam Christi describendam utitur, apud Theodoretum, dialogo 1 : « Arca, « inquit, ex lignis quæ putrescere nequeunt, fuit ipse « Salvator. Illa quippe putredine intactum et corru- « ptelâ tabernaculum significabat ipsius, quod nullam « peccati putredinem genuit. Nam qui peccavit, con- « fitendo dicit : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices « meæ à facie insipientiæ meæ.* Dominus autem impec- « cabilis erat, ex lignis cariem non sentientibus, quâ « homo fuit, hoc est, è Virgine et Spiritu sancto, intùs « et foris tanquàm purissimo divini Verbi auro unde- « quaque tectus ». Hinc super Christum requievisse et mansisse Spiritum sanctum Scriptura sacra testatur.

Isti porrò fidei catholicæ dogmati non repugnat apostolica illa sententia 2 ad Corinthios 5 : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Significat enim Apostolus Christum factum esse hostiam pro peccato. Scripturæ scilicet phrasi, victima pro peccato offerenda vel oblata, peccatum dicitur, ut, Osee 4 : *Peccata populi mei comedent* sacerdotes. Unde S. Augustinus, Enchiridii cap. 41 : « Nullâ, inquit, voluptate « carnalis concupiscentiæ seminatus sive conceptus, « et ideò nullum peccatum originaliter trahens; Dei « quoque gratiâ Verbo Patris unigenito, non gratiâ « Filio, sed naturâ, in unitate personæ modo mirabili « et ineffabili adjunctus atque concretus, et ideò nul- « lum peccatum et ipse committens; tamen propter « similitudinem carnis peccati in quâ venerat, dictus « est et ipse peccatum, sacrificandus ad diluenda pec- « cata. In vetere quippe lege peccata vocabantur sa- « crificia pro peccatis : quod verè iste factus est, cu- « jus umbræ erant illa. Hinc Apostolus cùm dixisset, « 2 Cor. 5 : *Obsecramus pro Christo reconciliari Deo;* « continuò subjunxit : *Eum qui non noverat peccatum, « pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia Dei in « ipso.* Id est, Deus cui reconciliandi sumus, fecit « Christum sacrificium pro peccatis, per quod recon- « ciliari valeremus. Ipse ergo peccatum, ut nos justi- « tia; nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso : « Sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum; nec « in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis « peccati, in quâ crucifixus est, demonstravit : ut « quoniam peccatum ei non inerat, ita quodammodò « peccato moreretur, dùm moritur carni, in quâ erat « similitudo peccati; et cùm secundùm vetustatem « peccati nunquàm ipse vixisset, nostram ex morte « veteri, quâ in peccato mortui fueramus, revivi- « scentem vitam novam suâ resurrectione signaret. » Ob impeccantiam igitur absolutam ex unione personali naturæ humanæ cum personâ divinâ manantem, conceptio Christi Spiritui sancto tribuitur.

§ III. *Cur Spiritus sanctus non sit pater Christi, cùm Christus ex Spiritu sancto sit conceptus?*

Licet Christus ex Spiritu sancto conceptus sit, non tamen Spiritûs sancti, sed Dei Patris Filius unicus est, idemque Virginis Matris. Non enim quidquid nascitur de aliquâ re, continuò ejus Filius est, nisi sit ejusdem generis, atque ex vi originis suæ naturæ ejusdem similitudinem habeat. Ut enim alia exempla prætermittamus, qui nascuntur ex aquâ et Spiritu sancto, aquæ filios nemo ritè dixerit, sed planè dicuntur filii Dei Patris et Matris Ecclesiæ. *Sic ergo de Spiritu sancto natus est Filius Dei Patris, non Spiritûs sancti.* Neque omnes qui dicuntur alicujus filii, consequens est ut de illo nati esse dicantur, sicut sunt qui adoptantur. Dicuntur etiam filii gehennæ, non ex illâ nati, sed in illam præparati, sicut filii regni qui præparantur in regnum. « Cùm itaque de aliquo nasca- « tur aliquid etiam non eo modo ut sit filius, nec rur- « sùs omnis qui dicitur filius, de illo sit natus cujus « dicitur filius, profectò modus iste quo natus est « Christus de Spiritu sancto non sicut Filius, et de « Mariâ Virgine sicut Filius, insinuat nobis gratiam

« Dei, quâ homo nullis præcedentibus meritis, in ipso « exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Deo co- « pularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse « esset Filius Dei, qui filius hominis, et filius hominis « qui Filius Dei : ac sic in naturæ humanæ susceptione « fieret quodammodò ipsa gratia illi homini naturalis, « quæ nullum peccatum posset admittere. Quæ gratia « propterea per Spiritum sanctum fuerat significanda, « quia ipse propriè sic est Deus, ut dicatur etiam Dei « donum. » Ita disserit S. Augustinus in Enchiridio capp. 38, 39 et 40.

Breviùs explicat Paschasius S. R. E. diaconus, lib. 1 de Spiritu sancto, cap. 2, cur Christus non sit filius Spiritûs sancti, cùm ex eo conceptus sit : « Homo « namque assumptus ex Mariâ, inquit, operatio Spi- « ritûs sancti fuit, non portio ; nec ab eo genitus, sed « creatus; conceptus est potentiâ, non substantiâ; « operatione, non participatione; virtute, non ge- « nere. » Nascitur itaque de Spiritu sancto et Mariâ Virgine, nec tamen filius est Spiritûs sancti, quia corpus ejus non est portio substantiæ Spiritûs sancti, sed Mariæ Virginis. Nascitur de Spiritu sancto per gratiam, nascitur de Mariâ generante per naturam.

§ IV. *Licet tres personæ sanctissimæ Trinitatis incarnationem operatæ sint, solus tamen Filius incarnatus est.*

Quamvis una et eadem sit trium sanctissimæ Trinitatis personarum actio et efficientia, ut diximus, adeòque incarnationem simul omnes et indivisè operatæ sint, non tamen tres incarnatæ sunt, sed solus Filius; quia divinitatis et carnis una persona; proprietas autem personalis cuique personæ ita convenit, ut alteri personæ non competat. Non enim ipse Pater est qui Filius, nec Spiritus sanctus est aut ipse Pater aut Filius. Quo fit ut aliquid à Patre, et Filio, et Spiritu sancto factum dici et esse possit, quod tamen à solo Filio sit acceptum. Sicut anima per corpus, imò cum corpore facit, quando corpus comedit, et tamen solum corpus accipit, quod ut accipiatur, anima simul cum corpore facit; « in illâ itaque come- « stione, una et animæ carnisque operatio, sed solius « est carnis acceptio; » sic « humana natura totius « quidem Trinitatis opere facta, à solo tamen Filio « fuit in unitatem personæ suscepta. » Ita explicat S. Fulgentius, libro contra Sermonem Fastidiosi Ariani, et in Responsione ad Quæstionem Ferrandi. Id et aliâ similitudine illustrat. Vox, inquit, corporea, quâ spiritale verbum cordis nostri, seu locutio interior induitur, ut ad audientium notitiam perferatur, simul fit à memoriâ, et à cogitatione, et à voluntate, sed à solâ cogitatione, id est, interiore suscipitur verbo. Sic humana Christi natura à tribus sanctissimæ Trinitatis personis facta est, sed à solo Filio in unitatem personæ assumpta est. Idem dogma fidei S. Augustinus confirmat et explicat, epistolâ 11, aliàs 218 ad Nebridium, sed illius explicatio subtilior est, et omnium captui minùs accommodata Idem confirmat S. Hildephonsus, beatam Virginem his verbis compellans : « Tota invisibiliter Trinitas conce- « ptionem operabitur in te : sola persona Filii « Dei in corpore tuo nascitura. carnem assumet « de te. »

§ VI. Natus ex Maria Virgine. — *Beata Virgo Maria verè propriòque Mater Dei credenda est.*

Eodem enim temporis puncto Deum et hominem concepit, Christum Jesum, eique substantiæ suæ portionem communicavit, sanguinemque purissimum formando illius corpori subministravit, qui eodem quo conceptus est momento Deus et homo fuit, eumque novem in utero mensibus gestavit, ac impleto tempore peperit. Id ab Angelo Mariæ Virgini significatum est, cùm ait, Luc. 1 : *Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et eventu comprobatum est quòd Isaias 7, prædixit : *Ecce Virgo concipiet et pariet Filium.* Cùm enim esset Bethleemi cum Josepho sponso suo ac virginitatis custode, *impleti sunt dies ut pareret, et peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio,* Luc. 2. Idem quoque Elisabeth, cùm Spiritu Sancto repleta, Filii Dei conceptionem intellexisset, his verbis declaravit : *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Hinc Matthæus evangelista Christi genealogiam contexens, ubi ad Joseph *virum* Mariæ illam perduxit, *de quâ,* inquit, *natus est Jesus qui vocatur Christus,* Matth. 1. Hunc autem verum Deum et hominem esse tota novi Testamenti Scriptura prædicat. Et S. Paulus *Filium Dei factum ex muliere* ait, non aliâ utique quàm Virgine Mariâ. *Christus* verus *Emmanuel, nobiscum Deus, super omnia Deus benedictus in secula,* ut Apostolus loquitur, Rom. 9. Maria itaque Virgo Christi mater verè proprièque Dei mater est. Non Christi igitur duntaxat genitrix dicenda est, sed Dei, contra Nestorium Constantinopolitanum episcopum, qui Mariam Virginem Dei genitricem negabat : quæ hæresis ab Ephesinâ synodo generali cum impiissimo auctore damnata est.

Neque verò nova, aut à S. Cyrillo et Ephesinis Patribus adinventa et invecta primùm est, Mariæque Virgini tributa *Dei Genitricis* appellatio. *Dei Matrem* ante concilium Ephesinum constanter appellârunt Origenes tomo 1 in Epistolam ad Romanos, ut Socrates refert libro 7, cap. 32; S. Dionysius Alexandrinus in Epistolâ synodicâ ad Paulum Samosatenum; S. Athanasius oratione 4 contra Arianos; S. Basilius homiliâ 25, de humanâ Christi generatione; S. Gregorius Nazianzenus, oratione 35, et epistolâ 1 ad Cledonium; S. Amphilochius oratione 4; S. Proclus oratione 1; Antiochus et Ammon, à S. Cyrillo Alexandrino laudati, libro de rectâ Fide, etc. Nestorium, statim atque prædicare ausus est Mariam Virginem Dei Matrem non esse, Christiani omnes sunt execrati. Joannes Antiochenus, Nestorii aliàs amicus, nomen

θεοτόκος, *Dei Mater*, à nemine doctorum ecclesiasticorum repudiatum, plures ac celeberrimos eo usos esse, scripsit ad ipsum Nestorium; et Theodoretus, quanquàm Nestorio diù faverit, libro tamen 4 Hæreticarum Fabularum, cap. 12, scribit, *antiquissimos fidei catholicæ præcones ex apostolicâ traditione docuisse, Matrem Domini nominandam, credendamque esse Dei Genitricem.* Hanc traditionem secuti sunt S. Cyrillus, Ephesina synodus, aliique Patres, pontifices, concilia, et præsertim quinta Synodus Generalis canone sexto, anathemate feriens eos qui dixerint *sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, abusivè et non propriè et verè Dei Genitricem esse.* Quarum vocum, *verè et propriè*, necessitatem ad catholici istius dogmatis fidem exprimendam et contra Nestorianos vindicandam, ostendunt Joannes secundus pontifex maximus in Epistolâ ad Avienum senatorem, et alios, et Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ diaconus in Epistolâ ad Anatolium.

Non tamen divinitatis Mater est Virgo Maria, sed Dei Verbique incarnati. Nec solius carnis mater est, sed hominis Dei, sicut alias Matres solius corporis genitrices nemo rectè dixerit, quamvis animam non pariant : concipiunt enim ac pariunt hominem animâ corporeque constantem. Sic beata Virgo verè ac propriè Dei Mater est, quamvis divinitatem non genuerit, quia Deum hominemque genuit, hoc est, Christum Jesum, qui verè Deus, et verè homo est; nec alterius excluso altero Mater esse poterat, aut appellari potest; sicut Elizabeth non dicitur mater carnis sive corporis solius Joannis Baptistæ, neque solius animæ, sed totius Joannis ex animâ et corpore compositi. Sic explicat S. Cyrillus, in Epistolâ ad monachos.

Durior cuipiam videbitur S. Hilarii locutio libro 10 de Trinitate scribentis : *Non ex se corpori Maria originem dedit.* Verùm nihil aliud significat, nisi Christi corpus naturali et usitato modo non fuisse conceptum et genitum. Nam *ex conceptu Spiritûs sancti Virgo progenuit.* Et *licet sexûs sui officio genuerit, non tamen terrenæ conceptionis suscepit elementis : genuit enim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu*, inquit ibidem S. Hilarius. Innocens ergo est hæc sententia : *Non ex se corpori Maria originem dedit*, sine Spiritu sancto in ipsam superveniente, Christique corpus præter consuetum naturæ ordinem formante : *licet ad incrementa partumque corporis, omne quod sexûs sui naturale est, contulerit. Quod verò hominis Filius est, susceptæ in Virgine carnis partus est.*

Plura dabit dissertationis nostræ 3 in Historiam ecclesiasticam seculi 5 articulus 2.

Filius autem Dei nasci voluit ex muliere, qui aliunde sibi corpus formare et aptare poterat, ob plurimas rationes, quamvis prima ratio voluntas ejus fuerit. Primò, ut sexum utrumque honoraret, et ad utriusque liberationem ac salutem se venisse significaret. Quam rationem S. Augustinus affert, libro de diversis Quæstionibus octoginta tribus, quæstione 11 : « Deus, inquit, « cùm liberat, non partem aliquam liberat, sed totum « liberat, quod fortè in periculo est. Sapientia ergo et « Virtus Dei, qui dicitur unigenitus Filius, homine « suscepto liberationem hominis indicavit. Hominis « autem liberatio in utroque sexu debuit apparere. « Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus ho- « norabilior est, consequens erat ut feminei sexûs li- « beratio hinc appareret, quòd ille vir de feminâ na- « tus est. »

Secundò, Christum ex muliere nasci decuit, ad veritatem Incarnationis adstruendam. Unde S. Ambrosius, libro de incarnationis dominicæ Sacramento, cap. 6, ait : « Secundùm naturam se obtulit nostram, ut « ultra nostram operaretur naturam. De nostro sacri- « ficium, de suo præmium est : multaque in eodem et « secundùm naturam invenies, et ultra naturam. Se- « cundùm conditionem etenim corporis in utero fuit, « natus est, lactatus est, in præsepio est collocatus. « Sed supra conditionem Virgo concepit, Virgo ge- « neravit : ut crederes quia Deus erat, qui novabat « naturam; et homo erat, qui secundùm naturam nas- « cebatur ex homine. »

Et S. Augustinus, epistolâ 137 aliàs 3 ad Volusianum : « Quid si, inquit, omnipotens hominem ubi- « cumque formatum non ex materno utero crearet, « sed repentinum inferret aspectibus? Quid si nullas « ex parvulo in juventam mutaret ætates, nullos cibos, « nullos caperet somnos; nonne opinionem confirma- « ret erroris, nec hominem verum suscepisse ullo « modo crederetur; et dùm omnia mirabiliter facit, « auferret quod misericorditer fecit? Nunc verò ita « inter Deum et homines Mediator apparuit, ut in « unitate personæ copulans utramque naturam, et so- « lita sublimaret insolitis, et insolita solitis tempe- « raret. »

Tertiò, Christum ex muliere nasci conveniens fuit, ut hoc modo omnis diversitas generationis humanæ compleretur, inquit S. Thomas, 3 p., q. 31, art. 4. Nam primus homo productus est ex limo terræ sine viro et feminâ : Eva ex viro sine feminâ : homines cæteri ex viro et feminâ oriuntur : quartum nascendi modum, ex feminâ sine viro sibi Christus tanquàm proprium vindicavit.

Quartò, de muliere Christum nasci decuit, ut auctor peccati, auctor fieret remedii : et sicut per mulierem in hunc mundum mors intravit, salus per Virginem redderetur.

« Nec nos ad negandam Christi Matrem cogit, quod « ab eo dictum est : *Quid mihi et tibi est mulier? Non- « dùm venit hora mea*, Joan. 2; sed admonet potiùs ut in- « telligamus secundùm Deum non eum habuisse Ma- « trem, cujus majestatis personam parabat ostendere, « aquam in vinum vertendo. Quòd autem crucifixus « est, secundùm hominem crucifixus est; et illa hora « erat quæ nondùm venerat, quando dictum est : « *Mihi et tibi quid est? Nondùm venit hora mea*, id est, « quâ te cognoscam. Tunc enim ut homo crucifixus « cognovit hominem matrem et dilectissimo discipulo « humanissimè commendavit. Nec illud nos moveat, « quòd cùm ei nuntiaretur Mater ejus, et fratres, re- « spondit : *Quæ mihi mater, aut qui fratres?* etc. Sed

« potiùs doceat ministerium nostrum, quo verbum Dei « fratribus ministramus, cùm parentes impediunt, « non eos debere cognosci. Nam si propterea quisque « putaverit non eum habuisse matrem in terris, quia « dixit, Matth. 12 : *Quæ mihi mater?* cogatur necesse est « patres Apostolos negare habuisse et in terris, quoniam « præcepit eis dicens, Matth. 23 : *Nolite vobis patrem « dicere in terris : unus est enim Pater vester, qui in cœlis « est.* » Ita respondet S. Augustinus libro de Fide et Symbolo, cap. 4.

§ VI. *Maria Mater Dei Virgo perpetua.*

I Beatam Mariam Virginem Dei matrem, Virginem fuisse perpetuam, ante partum scilicet, in partu, et post partum, dogma fidei est. Ante partum Virginem fuisse, probant prophetiæ et Evangelium, Matth. 1 : *Christi autem generatio sic erat : Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem, vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum... Hoc autem factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel* (Isai. 7). *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* Et Lucæ 1 : *Missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria... Et ait angelus ei : Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum : Ecce concipies in utero et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum... Dixit autem Maria ad angelum, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Conceptum Virginis tanquàm *signum* proponit Isaias ; Jeremias verò novitatem appellat : *Creavit*, inquit, *Dominus novum super terram : Femina circumdabit virum*, Jerem. 31. Signum autem et novitas non fuisset, si puella post delibatam virginitatem more communi feminarum concepisset. Nec ipsa respondisset angelo nuntianti : *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* nisi virginitatem ante Deo consecràsset ac vovisset, ut docent S. Gregorius Nyssenus Oratione in Natali Domini, S. Augustinus, libro de sanctâ Virginitate, cap. 4, et alii Patres. Præclarus est hâc de re Tertulliani locus libro de Carne Christi, cap. 17 : « Novè, inquit, nasci debebat novæ nativitatis dedicator, de quâ signum daturus Dominus ab Isaiâ prædicabatur. » Quod est istud signum? *Ecce Virgo concipiet in utero et pariet Filium.* « Concepit igitur « Virgo, et peperit Emmanuelem, nobiscum Deum. « Hæc est nativitas nova, dùm homo nascitur in Deo ; in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis susceptâ sine semine aliquo antiquo, ut illam « novo semine, id est, spiritaliter reformaret, ex ejusdem « antiquitatis sordibus expiatam. Sed tota novitas ista, « sicut et in omnibus de veteri figurata est, rationali « per Virginem dispositione Domino nascente. Virgo « erat adhuc terra, nondùm opere compressa, nondùm sementi subacta : ex eâ hominem factum accepimus à Deo in animam vivam. Igitur si primus « Adam de terrâ traditur, meritò novissimus Adam, « ut Apostolus dixit, proinde de terrâ, id est, carne « nondùm generationi resignatâ, in Spiritum vivificantem à Deo est prolatus... Deus imaginem et similitudinem suam à diabolo captam æmulâ operatione « recuperavit. In Virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In virginem æquè « introducendum erat Dei Verbum exstructorium vitæ : « ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, « per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti ; credidit Maria Gabrieli. Quod « illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. Sed « Eva nihil tunc concepit in utero ex diaboli verbo. « Imò concepit. Nam exinde ut abjecta pareret, et in « doloribus pareret, verbum diaboli illi semen fuit. « Enixa est denique diabolum fratricidam. Contra, « Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israel, interemptorem suum, salvum quandoque præstaret. « In vulvam ergo Deus Verbum suum detulit bonum « fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet... Ergo « jam Dei Filius ex Patris Dei semine, id est, Spiritu, « ut esset et hominis Filius, caro ei sola erat ex homine carne sumenda, sine viri semine. Vacabat « enim viri semen apud habentem Dei semen. Itaque, « sicut nondùm natus ex Virgine Patrem Deum habere potuit sine homine Matre : æquè cùm de Virgine nasceretur, potuit Matrem habere hominem « sine homine patre. »

Cùm autem dicitur, Epist. ad Galatas, cap. 4 : *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere ;* vox illa, *mulier*, sexum tantùm et naturam denotat, et ad virgines, nuptas et viduas æquo jure pertinet, ut idem Tertullianus observat libro de Virginibus velandis, cap. 4, quod probat ex his secundi capitis Geneseos : *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam.* Ubi Eva *mulier* appellatur, priusquàm Adamo traderetur. Probat et ex Gabrielis archangeli salutatione ; nam cùm conceptum Mariæ et partum salvâ virginitate sponderet, ait nihilominùs : *Benedicta tu in mulieribus.*

II. B. Mariam in partu Virginem fuisse, hoc est, intemeratâ virginitate, integro virginitatis sigillo, uteri septis illæsis et irruptis Christum Deum peperisse, ex traditione Patrum omnium constanti consensu firmatâ, Ecclesia catholica profitetur. Quo modo igitur postea et sepulcro clauso ex obsignato egressus est, atque ad discipulos clausis januis intravit, sic ex alvo maternâ sine ullo maternæ virginitatis detrimento editus est Jesus Christus. Et quo modo solis radii concretam vitri substantiam penetrant, neque frangunt tamen aut aliquâ ex parte lædunt, sic et altiori

tamen modo Christus intemerato septo pudoris, et inviolatis integritatis signaculis, virginali fusus est partu. Quod quidem Spiritûs sancti virtute effectum est, qui in Filii conceptione et partu Matri ita adfuit, ut ei et fœcunditatem dederit, et perpetuam virginitatem conservaverit. Unde S. Augustinus, epistolâ 137, aliàs 3, ad Volusianum, ait : « Ipsa virtus, per inviolatæ Matris virginea viscera « membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia « membra juvenis introduxit. Hìc si ratio quæritur, « non erit mirabile : Si exemplum poscitur, non erit « singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota « ratio facti est potentia facientis. » Et S. Leo sermone 2 in Nativitate Domini : « Novâ, inquit, nativitate genitus est, conceptus à Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentiâ, sine maternæ integritatis injuriâ : quia futurum hominum « Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet « humanæ substantiæ naturam, et humanæ carnis inquinamenta nesciret.... Origo dissimilis, sed natura « consimilis : humano usu et consuetudine quod eredimus caret, sed divinâ potestate subnixum est, « quòd Virgo conceperit, quòd Virgo pepererit, et « Virgo permanserit. Non hìc cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, ut volebat et poterat.... Oportuit enim ut « primam Genitricis integritatem nascens incorruptio « custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, « et sanctitatis hospitium, divini Spiritûs virtus infusa « servaret, quæ statuerat dejecta erigere, confracta « solidare, et superandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitiæ donare virtutem : ut virginitas quæ « in aliis non poterat salva esse generando, fieret in « aliis imitabilis et confitendo et renascendo. » Admirabilis istius partûs novitas multis figuris et oraculis Scripturæ sacræ significata est. Hùc enim pertinet porta illa sanctuarii, quam Ezechiel clausam vidit, de quâ Prophetiæ ejus, cap. 44 : *Hæc dicit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in eâ ut comedat panem coram Domino : per viam portæ vestibuli ingredietur, et per viam ejus egredietur.*

Clausa fuit in Mariâ Dei Matre virginitatis porta; soli Deo Christo principi patuit, respiciens ad orientem, unde sol oritur nunquàm occidens, qui visitavit nos oriens ex alto, ut illucescat his qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent. Per hanc prodiit sol ille justitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non humanâ et vulgari ratione. Spectabat enim porta ad viam sanctuarii exterioris, quoniam ea nativitas erat præter vulgarem humanæ nativitatis modum, et contra usum originis naturalis. Ad partûs illius admirabilem novitatem significandam pertinere sancti doctores intellexerunt, lapidem de monte sine manibus abscissum, qui factus est mons magnus, et implevit universam terram, Danielis cap. 2; item virgam Aaron, quæ una inter virgas principum Israelis germinavit, Numer. 7; necnon rubum, quem Moyses vidit ardere, et non comburi, Exod. 3; illud etiam Cantic. 4 : *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* S. Ambrosius epist. 42 ad Siricium papam nomine synodi Mediolan. scriptâ; et lib. de Institut. Virginis, c. 8. S. Hieron. in cap. 44 Ezech.

III. Denique beatam Mariam Dei Matrem, virginem post partum perpetuò mansisse, eadem traditio docet, et vel eo nomine meritò damnati sunt ab Ecclesiâ ut hæretici Helvidius, Jovinianus, Bonosus, quòd Mariam Virginem, post Christum in lucem editum, alios ex Josepho genuisse filios impiè assererent. Damnata est hæc hæresis à Siricio Romano pontifice in Romanâ synodo; à S. Ambrosio, aliisque episcopis in concilio Mediolanensi, necnon à Synodo Capuensi. Hanc hæresim refellunt inter alios Patres S. Epiphanius hæresi 88, quæ est *Antidicomarianitarum;* S. Ambrosius libro de institutione Virginis, cap. 5, 6, 7, 8, et epistolâ 42; S. Hieronymus libro adversùs Helvidium, de perpetuâ Virginitate beatæ Mariæ; S. Hildephonsus Toletanus archiepiscopus, libro de Virginitate sanctæ Mariæ. Hinc B. Maria Mater Dei antonomasticè Virgo semper à fidelibus appellata est, ut S. Epiphanius observat. « Quis unquàm, inquit, hæresi 78, aut in quâ ge« neratione sanctæ Mariæ nomen ausus est appellare, « qui non sciscitanti statim vocabulum Virginis adjunxit? Nam ex epithetis istis statim lucent argumenta « virtutis. Quippe justis omnibus, pro eo ac singulos decebat, sua sunt cuique dignitatis attributa nomina. » Quemadmodùm Jacob *Israel* vocatus est, Zebedæi filii, *Boanerges*, hoc est, *tonitrui filii*, sancta Maria antonomasticè dicta est Virgo, quia semper Virgo fuit, ante partum, in partu et post partum.

Quatuor argumentis perpetuam Matris Dei virginitatem oppugnabat Helvidius, sed ea levissima sunt, et à Patribus facilè diluta. Primò, quod S. Matthæus scribit : *Antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Convenire quippe hìc idem est ac nuptiarum opus exequi. Ex quo consequens putabat Helvidius, postea convenisse. Sed non est necesse : « nam Scriptura quid factum non sit, ostendit, » inquit S. Hieronymus in cap. 1 S. Matthæi.

Alterum argumentum instruebat ille hæresiarcha ex illis verbis : *Et non cognoscebat eam donec peperit*, quasi particula *donec*, significet post id tempus cognovisse. Verùm, S. Ambrosius et S. Hieronymus observant vocem hanc, *donec*, non semper indicare, id quod omissum dìci videtur, postea repetitum fuisse, aut id desiisse quod erat. Scriptum est enim, Isaiæ 46 : *Ego sum, ego sum, et donec senescatis, ego um.* Numquid propterea postquàm senuerunt, quibus *donec* dictum erat, Deus esse desivit? Item, Psalmo 109, legimus : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Numquid subjectis populis nationum, qui ante videbantur inimici, cùm salutis Auctorem negarent, simulacris servirent, ad dexteram Patris Filius sedere desivit, aut in perpetuum non sedebit?

Tertium argumentum petebat Helvidius ex eo quòd Primogenitus beatæ Virginis Christus dicatur Matth. 1 : *Donec peperit filium suum primogenitum*. Sed respondent Patres *primogenitum* non perpetuò dici post quem alius, sed ante quem nullus est genitus, ut constat ex Num. 18, vers. 15; et Exod. 12, vers. 29.

Quartum argumentum ex Christi fratribus in Evangelio nominatis petebat, Matth. 12 et 13; Marc. c. 6; Joan. 2 et 7; Joan. 19. Verùm nec illi filii erant beatæ Virginis Mariæ ex Josepho, nec Josephi ex aliâ uxore suscepti, antequàm illam duceret, sed Mariæ conjugis Alphæi, qui et Cleophas cognominatus est, unde et Maria Cleophæ in Evangelio appellatur. Hæc Jacobi Minoris, et Josetis mater, beatæ Virginis soror, Christi matertera. Fratres igitur Domini dicti sunt illi cognatione, non naturâ : quomodò Lot Abrahæ, quomodò Jacob Laban appellatus est frater; quomodò et filiæ Salphaad sortem accipiunt inter fratres suos; quomodò et Abraham ipse sororem suam habuit uxorem, fratris nempe sui filiam.

Sed et S. Joseph virginem fuisse, S. Hieronymus docet. Sic enim ille contra Helvidium « : Tu dicis Ma- « riam virginem non permansisse : ego mihi plus « vindico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per « Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius nasce- « retur. Si enim in virum sanctum fornicatio non ca- « dit, et alium eam uxorem habuisse non scribitur, « Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos « potiùs fuit quàm maritus : relinquitur virginem « eum mansisse cum Mariâ, qui pater Domini meruit « appellari. »

§. VII. *De nomine Virginis Dei matris.*

Symbolum Virginem Dei matrem designat ex nomine *Mariam* : quod et S. Lucas facit, dicens : *Et nomen Virginis Maria*. Hæc est ad cujus nomen omnes animæ piorum recreantur. « *Mariam*, inquit S. Epi- « phanius Oratione de laudibus ipsius, interpretari « solemus, Dominam, atque etiam spem. Peperit enim « Dominum, qui est spes totius mundi. Rursùs nomen « illud *Maria*, interpreteris. Myrrham maris myrrham « verò aliquis dicet de immortalitate; eò quòd pari- « tura esset gemmam immortalem in mari, hoc est, in « mundo, cui Virgo serenitatem et tranquillitatem « contulit, dùm portum peperit Christum. Rursùm « itaque Mariæ beatum nomen interpreteris, illustra- « tam, utpote quæ illustrata sit à Filio Dei, et cunctos « usque ad terminos terræ credentes Trinitati illumi- « naverit. Sancta enim Virgo Maria est sponsa Trini- « tatis, ac planè arcanus dispensationis thesaurus, cui « Gabriel ait : Ave, gratiâ plena, Dominus tecum. Sug- « gessit Gabriel, Pater de cœlo Spiritum sanctum ar- « rhabonem misit. Præparavit, desponditque Virginem « unigenito Filio, quam Pater dilexit, Filius inhabi- « tavit, Spiritus sanctus percupivit. » Tum addit Prophetas cœlestium illarum nuptiarum seriem prædicâsse, nimirùm : « Quomodò Virgo cœlestis, sponsa « et mater simul invenitur, quæ donorum antenuptia- « lium nomine Spiritum sanctum accepit, dotis verò « gratiâ cœlum unà cum Paradiso. » Deinde Salutatic- nis angelicæ verba præclarè commentatur : *Ave, gratiâ plena*. « Immensa gratia sanctæ Virginis. Ave, gratiâ plena, virtutibus multis exornata, inextinguibilem lucem prætendens. Ave, gratiâ plena, hami esca spiritualis : in te siquidem hamus divinitas. Ave, gratiâ plena, arca gloriæ spiritalis, urna aurea continens manna cœleste... Quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias... Mare spiritale, gemmam cœlestem Christum habens... Splendidum cœlum, quæ incomprehensum in cœlis contines Deum.... Porta cœlorum.... Quo pacto beatam illam prædicabo, quæ tota ac radicitùs fundata gloriâ est? Solo enim Deo excepto, cunctis superior est... Ipsa cœli et terræ mediatrix, utriusque unionem commisit..... O Virginem stupendum monile Ecclesiæ! Magnum mysterium! Sacerdotem pariter ac altare indigitat Virginem, quæ cœlestem panem Christum mensæ instar ferens, tribuit in remissionem peccatorum nostrorum. » Quemadmodùm Christum cum Adamo humani generis primo parente confert Apostolus, eumque novissimum Adam appellat; sic beatam Mariam Dei matrem cum Evâ conferunt SS. Patres : « Quemadmodùm enim Eva per sermonem diaboli seducta est ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus : ita Maria per angelicùm sermonem evangelizata est ut portaret Deum, obediens ejus verbo; ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret Advocata, » inquit Irenæus Martyr, l. 3, c. 33, et l. 5, c. 19. « Eva inobediens facta, et sibi, et universo generi humano causa facta est mortis : Maria Deo obediens, et sibi, et universo generi humano, causa facta est salutis. Quod alligavit Eva per incredulitatem, hoc Virgo Maria solvit per fidem. » Eva viventium mater : potiori jure nomen istud Mariæ Virgini convenit, quæ vitam ipsam peperit, Dei Filium. Eva Adamo visibilia et terrena vestimenta contexuit : « Maria Virgo agnum nobis atque ovem peperit, cujus ex splendore ac gloriâ tanquam è vellere, per ejusdem virtutem immortalitatis nobis vestis sapienter confecta est, inquit S. Epiphanius, hæresi 79. Eva hominum generi causam mortis attulit, per quam mors est in orbem terrarum invecta : Maria vitæ causam præbuit, per quam vita ipsa nobis est producta. » Hæc sanctis omnibus anteponenda, ut Dei mater, et præ omnibus ac super omnes honoranda, ob cœleste illud mysterium quod in ejus utero perfectum est. Hanc Patres omnes religiosè colendam, ut à Deo secundam, ante et supra omnes sanctos, et à Christianis omnibus piè et cum summâ fiduciâ invocandam esse docent, ut quæ non solùm Christi Dei, quem et corde et carne concepit, et corde quidem felicius quàm carne gestârit; sed etiam omnium Christianorum mater sit. Præclara sunt eâ de re S. Augustini verba libro de sanctâ Virginitate, cap. 6 : « Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodò mater est, spiritaliter autem et soror et mater. Ac per hoc illa una femina, non solùm spiritu, verùm etiam corpore et mater est et virgo. Et mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Sal-

vator, ex quo magis illa spiritaliter nata est, quia omnes qui in eum crediderint, in quibus et ipsa est, rectè filii sponsi appellantur : sed planè mater membrorum ejus, quod nos sumus; quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesiâ nascerentur, quæ illius capitis membra sunt : corpore verò ipsius capitis mater. » Hæc omnium titulorum ejus ac honorum summa, *de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Ob id *gratiâ plena* et *benedicta in mulieribus.* Huic ut præpararetur dignitati, omnium plenitudine gratiarum, omnium donorum charismatibus, omnium virtutum monilibus ornata est. Cæteris per partes; in Mariam tota se infudit gratiæ plenitudo. Eâ puritate donata est, quâ major sub Deo non potest intelligi. Tota pulchra est, et macula non est in eâ. *Cùm de peccatis agitur, nullam de eâ, propter honorem Domini, fieri mentionem* æquum est, ut ait S. Anselmus. Ipsa contrivit caput antiqui Serpentis. In eâ, non minùs quàm in Angelis, *Deus erat condens naturam, et largiens gratiam*, ait S. Augustinus. In ejus immaculatâ conceptione et ortu « natura gratiæ cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens... Natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est : verùm tantisper exspectavit, dùm gratia fructum suum produxisset. Siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum Primogenitum in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat, » inquit S. Joannes Damascenus orat. 1 de Nativ. B. Virginis. Hæc tota Spiritûs sancti thalamus, gratiarum pelagus, tota pulchra, tota Deo propinqua, cœlum animatum, orbis reparatrix, hominum vivificatrix, eo nomine quòd Salvatorem ediderit, quòd vitæ auctorem pepererit; Regina angelorum, Mediatrix hominum. His aliisque innumeris laudum titulis ipsam jure cumulant SS. Patres. Ipsam invocemus in hujus seculi mari turbulento. *Mariam stellam maris*, secundùm nominis significationem, in periculis respiciamus : « O quisquis te intelligis in hujus seculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si avaritia, aut iracundia, aut carnis illecebra, naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde : et ut impetres ejus oratio nis suffragium, non deseras conversationis exemplum; ipsam sequens, non devias : ipsam rogans, non desperas : ipsam cogitans, non erras. Ipsâ tenente, non corruis; ipsâ protegente, non metuis; ipsâ duce, non fatigaris, ipsâ propitiâ, pervenis : et sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit : *Et nomen Virginis Maria.* » Verba sunt S. Bernardi homilià secundà in Evangelium, *Missus est.* Mariam imitemur, quæ « Virginitate placuit, humilitate concepit, » ut ait S. Augustinus. Portavit Christum in utero, portemus eum in corde. Gravidata est Virgo incarnatione Christi, gravidentur pectora nostra fide Christi. Peperit Virgo Salvatorem, pariat anima nostra salutem, pariamus et laudem. Non simus steriles, animæ nostræ Deo sint fœcundæ. Quia veritas, et pax, et justitia Christus est, hunc fide concipiamus, operibus edamus; ut quod egit uterus Mariæ in carne Christi, agat cor nostrum in lege Christi. Ad partum Virginis pertinemus, siquidem Christi membra sumus. Caput nostrum peperit Maria, nos Ecclesia. Nam ipsa quoque et mater, et virgo est : mater visceribus charitatis, virgo integritate fidei et pietatis. Populos parit, sed unius membra sunt, cujus ipsa est corpus et conjux, etiam in hoc si militudinem gerens illius virginis, quia et in multis mater est unitatis.

§ VIII. *Qui fructus ex Christi incarnatione et nativitate colligendi?*

I. Mysteriorum istorum commemoratione ad gratiarum actionem excitari inprimis debemus, siquidem ea propter nos Filius Dei operatus est, ut Constantinopolitanum Symbolum explicat : *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Mariâ Virgine, et homo factus est.* Propter nos venit, non propter angelos. *Non* enim *angelos, sed semen Abrahæ apprehendit*, Hebr. 2. Non solùm propter nos homines, sed etiam propter nos peccatores, non venturus ad homines in felici innocentiæ primævæ statu perseverantes. S. August. lib. 1 de Peccat. Mer. et Remiss., cap. 26 : « Non aliam ob causam in carne venit, ac formâ servi « acceptâ factus est obediens usque ad mortem cru- « cis, nisi ut hâc dispensatione misericordissimæ gra- « tiæ, omnes quibus tanquàm membris in suo capite « constitutis caput est, ad capessendum regnum cœ- « lorum vivificaret, salvos faceret, liberaret, redime- « ret, illuminaret, qui priùs fuissent in peccatorum « morte, languoribus, servitute, captivitate, tenebris « constituti, sub potestate diaboli principis peccato- « rum : ac sic fieret Mediator Dei et hominum, per « quem post inimicitias impietatis nostræ illius gratiæ « pace finitas, reconciliaremur Deo in æternam vitam, « ab æternâ morte, quæ talibus impendebat, erepti. » Quod innumera Scripturæ sacræ testimonia confirmant, quæ S. Augustinus congerit. Luc. 5 : *Non veni vocare justos, sed peccatores....* Luc. 15 : *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat...* Joan. 1 : *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* 1 Joan. 3 : *Ut salvum faciat populum suum à peccatis eorum...* Joan. 3 : *In hoc manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera diaboli...* 2 Cor. 6 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat...* Galat. 1 : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos simus justitia Dei in illo...* Ephes. 2 : *Gratia vobis et pax à Deo Patre, et Domino Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris...* Coloss. 1 : *Deus qui dives est in mi-*

sericordiâ, propter multam dilectionem quâ dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo... 1 Tim. 1 : *Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem... Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quia Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*... Tit. 3 : *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit*... Hebr. 2 : *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem : ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, et liberavit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti*... 1 Tim. 2 : *Unus Deus, unus Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*... Act. 10 : *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per manum ejus omnes qui credunt in eum.* Luc. 4, Isaiæ 61 : *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem.* Venit de cœlis Deus, homo factus ex Virgine, ut esset via per quam veniremus ad Patrem, ut ipse ait : *Ego sum via, veritas et vita.* Neque enim per ullam creaturam venitur ad Patrem, sed tantùm per Filium. *Si veritatem quæris,* inquit S. Augustinus, tract. 13 in Joan., *viam tene : nam ipsa est via, quæ est veritas. Ipsa est quò is, ipsa est quâ is. Per Christum ad Christum venis. Per Christum hominem ad Christum Deum.* Et tract 22 : *Ambulare vis? Ego sum via. Falli non vis? Ego sum veritas. Mori non vis? Ego sum vita,* et tract. 34 : *Hoc dicit tibi Salvator tuus : Non est quò eas, nisi ad me; non est quà eas, nisi per me. Manens apud Patrem veritas et vita; induens se carne, factus est via. Non tibi dicitur : Labora quærendo viam, ut pervenias ad veritatem et vitam : non hoc tibi dicitur. Piger, surge. Via ipsa ad te veniet, et te de somno dormientem excitabit.* Verbum caro factum est, ut lactaret infantiam nostram Sapientia Dei, per quam creata sunt omnia; cibus Angelorum factus est lac hominum. *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo,* Psal. 77. Quis est panis Angelorum? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Quomodò panem angelorum manducavit homo? *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* « Quare hoc factum est « propter te? Ut sugeres, qui manducare non poteras. « Invalidus est infans ad comedendam escam quæ in « mensâ est : Quid facit mater? Incarnat escam, et « conficit lac de ipsâ. Sic Verbum caro factum est, ut « lacte parvuli nutriremur, qui ad cibum quidem era- « mus infantes. Verùm hoc interest, quia quando ci- « bum mater incarnatum lac facit, cibus in lac con- « vertitur. Incommutabile autem manens Verbum, « carnem assumpsit; quod est non corrupit, non com- « mutavit, ut per habitum tuum tibi loqueretur, non « in hominem transmutatus, atque conversus. » Vide S. August. Tract. 13 in Joan, et Tract. 1, Serm. 117, aliàs 38, de Verb. Dom. et Enarrat. in Psalm. 130. Filius Dei homo factus est, ut nos faceret filios Dei. « Factus est homo nostri generis, ut nos divi- « næ naturæ possimus esse consortes. Originem quam « sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptisma- « tis. Dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim Al- « tissimi, et obumbratio Spiritûs sancti, quæ fecit ut « Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret « unda credentem... Universa summa fidelium, fonte « orta baptismatis, sicut cum Christo in Passione cru « cifixi, in Resurrectione resuscitati, in Ascensione ad « dexteram Patris collocati, ità cum ipso sumus in « ejus Nativitate congeniti. Quisquis enim hominum « in quâcumque mundi parte credentium regeneratur « in Christo, interciso originalis tramite vetustatis, « transit in novum hominem renascendo; nec jam in « propagine habetur carnalis patris, sed in germine « Salvatoris, qui ideò filius hominis factus est, ut nos « filii Dei esse possimus. Nisi enim ille ad nos hâc « humilitate descenderet, nemo ad illum ullis suis « meritis perveniret. » Verba sunt S. Leonis serm. 5 et 6 in Nativitate Domini. Gratias igitur immortales Deo agamus. In Christo renati, ut novi homines vivamus, in novitate Spiritûs ambulemus, ut nova in Christo creatura. Deponamus veterem hominem cum actibus suis : et adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. Agnoscamus dignitatem nostram, et divinæ consortes facti naturæ, in veterem vilitatem degeneri conversatione ne redeamus. Meminerimus cujus capitis, et cujus corporis membra simus. Reminiscamur, quia eruti de potestate tenebrarum, translati sumus in Dei lumen ac regnum. Per Baptismatis sacramentum, Spiritûs sancti templa facti sumus. Tantum habitatorem pravis actibus ex animis nostris ne effugemus : diaboli ne nos iterùm subjiciamus servituti : quia pretium nostrum sanguis Christi est, qui in veritate nos judicabit, qui in misericordiâ nos redemit. Primus ille ex incarnatione et nativitate Christi fructus est colligendus; cavendumque ne maximo nostro malo eveniat, ut quemadmodùm in diversorio Bethleem locus ubi nasceretur defuit, ità etiam locum in cordibus nostris invenire non possit, ubi in spiritu renascatur.

II. Deinde his mysteriis ad amorem Dei vehementer accendi debemus. Hic scilicet incarnationis et nativitatis Dominicæ finis est, ut disertè S. Augustinus docet lib. de catechizandis Rudibus, cap. 4 : « Quæ « major causa est, inquit, adventûs Domini, nisi ut « ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, com- « mendans eam vehementer; quia cùm adhuc inimici « essemus, Christus pro nobis mortuus est. Hoc au- « tem ideò, quia finis præcepti et plenitudo legis, « charitas est : ut et nos invicem diligamus, et quem- « admodùm ille pro nobis animam suam posuit, sic « et nos pro fratribus animam ponamus : et ipsum « Deum, quoniam prior dilexit nos, et Filio suo unico « non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, « si amare pigebat, saltem nunc redamare non pi- « geat. Nulla est enim major ad amorem invitatio, « quàm prævenire amando : et nimis durus est ani-

« mus, qui dilectionem si nolebit impendere, nolit re-
« pendere... Si ergo maximè propterea Christus adve-
« nit, ut cognosceret homo quantùm eum diligat
« Deus, et ideò cognosceret ut in ejus dilectionem à
« quo prior dilectus est inardesceret, proximumque
« illo jubente et demonstrante diligeret, qui non pro-
« ximum, sed longè peregrinantem diligendo factus
« est proximus ; omnisque Scriptura divina quæ antè
« scripta est, ad prænuntiandum adventum Domini
« scripta est, et quidquid postea mandatum est litteris
« et divinâ auctoritate firmatum, Christum narrat, et
« dilectionem monet : manifestum est non tantùm le-
« gem et Prophetas in illis duobus pendere præceptis
« dilectionis Dei et proximi, sed etiam quæcumque
« posteriùs salubriter conscripta sunt memoriæque
« mandata *divinarum volumina litterarum.* » Verbum caro factum est, ut carnalem hominum amorem totum ad se alliceret, et à cæteris sensibilibus omnibus in suam carnem totum avocaret. Hâc arte usus est benignissimus Deus, ut homines ad spiritalem amorem sapientiæ justitiæque in Christi carne latentis proveheret, ut docet S. Bernardus, serm. 20 in Cantica. « Ego, inquit, hanc arbitror præcipuam invisibili Deo « fuisse causam, quòd voluit in carne videri, et cum « hominibus conversari, ut carnalium videlicet, qui « nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primò « ad suæ carnis salutarem amorem affectiones retra-
« heret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spi-
« ritualem. »

III. Imitari debemus virtutes quarum nobis exemplum dedit Filius Dei in incarnatione et nativitate suâ, humilitatem inprimis, paupertatem, mortificationem carnis, Philipp. 2 : *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Et 2 Cor. 8 : *Propter nos egenus factus est, cùm dives esset, ut illius inopiâ divites essemus.* Natus est peregrinus in diversorio; natus est in vili præsepio; natus est mediâ hyeme. *Factum est,* inquit S. Lucas 2, *cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Neque verò scribit non fuisse locum in diversorio, sed ei non fuisse qui dicit, Psal. 49 : *Meus est orbis terræ, et plenitudo ejus.* Quod etiam S. Joannes 1 testatus est : *In propria venit, et sui eum non receperunt.* In præsepi velut in scholâ quam aperit Verbum infans, exemplis clamat priùs quàm verbis : *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde.* « Non ait : Discite à me mundum
« fabricare, aut mortuos resuscitare, sed quia mitis
« sum et humilis corde. O doctrinam salutarem! O
« Magistrum Dominumque mortalium, quibus mors
poculo superbiæ propinata atque transfusa est! No-
« luit docere quod ipse non esset : noluit jubere quod
« ipse non faceret. Hùccine redacti sunt omnes the-
« sauri sapientiæ et scientiæ absconditi in te, quo-
« niam mitis es et humilis corde? Itane magnum est
« esse parvum, ut nisi à te qui tam magnus es, fieret,
« disci omninò non posset? Ita planè. Non enim aliter
« invenitur requies animæ, nisi inquieto timore di-
« gesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non
« erat; » inquit S. Augustinus, libro de sanctâ Virginitate, cap. 15. Et Enarrat. in Psal. 33 : « Quid est
« Christus, qui diabolum occidit? Humilitas occidit
« superbiam. Cùm Christum nomino, maximè nobis
« humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit per
« humilitatem; quia per superbiam recesseramus à
« Deo, redire ad eum nisi per humilitatem non pote
« ramus. Et quem nobis proponeremus ad imitandum
« non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum
« superbiâ tumuerat. Et si exsisteret aliquis humilis
« vir in spiritu, sicut erant Prophetæ et Patriarchæ,
« dedignabatur genus humanum imitari humiles ho-
« mines. » Et in Psalmum 18 : « Ne ergo dedignaretur
« homo imitari hominem humilem, Deus factus est
« humilis, ut vel sic superbia generis humani non de-
« dignaretur sequi vestigia Dei. » Quamobrem « eru-
« bescat esse homo superbus, propter quem humilis
« factus est Deus.... Ad magna nos tendimus, parva
« capiamus, et magni erimus. Vis capere celsitudinem
« Dei? Cape priùs humilitatem Dei. Dignare esse hu-
« milis propter te, quia Deus dignatus est humilis esse
« propter eumdem te : non enim propter se. Cape
« ergo humilitatem Christi, disce humilis esse, noli
« superbire. Confitere infirmitatem tuam, jace patien-
« ter ante medicum; cùm ceperis humilitatem ejus,
« surgis cum illo : non quasi et ipse surgat secundùm
« quòd Verbum est; sed tu potiùs, ut magis magisque
« à te capiatur. » (Idem, Serm. 117, aliàs 38, de Verbis Domini.) Filius Dei hominem assumpsit, et in illo humana perpessus est. Hæc medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientiâ Filii Dei non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si charitate Filii Dei non sanatur? Nolite amare carnalia, quia in Filio Dei, nec masculus, nec femina sumus. Nolite amare temporalia, quia si benè amarentur, amaret ea homo quem suscepit Filius Dei. O medicinam omnibus consulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem! (S. August. lib. de Agone christiano, cap. 11.)

« Tunc lex impletur, dùm non cupiditate rerum
« temporalium, sed charitate illius qui præcepit, fiunt
« quæcumque præcepit. *Omnia ergo bona terrena con-*
« *tempsit homo factus, Dominus Jesus Christus, ut*
« *contemnenda monstraret,* et omnia terrena mala sus-
« tinuit, quæ sustinenda præcipiebat, ut neque in illis
« quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas time-
« retur. Natus enim de Matre, quæ quamvis à viro in-
« tacta conceperit, semperque intacta permanserit,
« Virgo concipiens, Virgo pariens, Virgo moriens,
« tamen fabro desponsata erat, omnem typhum car-
« nalis nobilitatis exstinxit. Natus etiam in civitate
« Bethleem, quæ inter omnes Judææ civitates ita erat

« exigua ut hodièque appelletur, noluit quemquam de « cujusquam terrenæ civitatis sublimitate gloriari. « Pauper etiam factus est, cujus sunt omnia, et per « quem creata sunt omnia, ne quisquam cùm in eum « crederet, de terrenis divitiis auderet extolli. Noluit « rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat « viam miseris, quos ab eo superbia separaverat, « quamvis sempiternum ejus regnum universa crea- « tura testetur. Esurivit, qui omnes pascit, » etc., inquit S. Augustinus, libro de catechizandis Rudibus, cap. 22.

Hyeme, nocte, in tantâ aeris inclementiâ, in tenebris nasci elegit Christus, in gravi paupertate, in præsepio, in fœno, in medio duorum animalium, cùm aliter nasci posset. « Aut iste fallitur, inquit S. Bernar- « dus, serm. 3 in Nativ. Domini, aut mundus errat. « Sed divinam falli impossibile est sapientiam. Chri- « stus elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, « id utilius, id potiùs eligendum; et quisquis aliud « doceat vel suadeat, ab eo tanquàm à seductore ca- « vendum.... Jam verò etiam nocte voluit nasci. Ubi « sunt, qui tam impudenter ostentare gestiunt semet- « ipsos? Christus eligit quod salubrius judicat, vos « eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior è duo- « bus? cujus sententia sanior? Denique tacet Christus, « non se extollit, non magnificat, non prædicat; et « ecce annuntiat eum Angelus, laudat multitudo cæ- « lestis exercitûs. Et tu ergo qui Christum sequeris, « inventum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet « te os alienum, sileat tuum. Adhuc autem in sta- « bulo nascitur Christus, et in præsepio reclinatur. « Et nonne ipse est qui dicit, Psal. 44 : *Meus est orbis « terræ, et plenitudo ejus?* Quid ergo stabulum elegit? « Planè ut reprobet gloriam mundi, damnet seculi « vanitatem. Necdùm loquitur linguâ, et quæcumque « de eo sunt clamant, prædicant, evangelizant, ipsa « quoque infantilia membra non silent. In omnibus « mundi judicium arguitur, subvertitur, confutatur. « Ipse est promissus olim per Isaïam, 7 : *Parvulus « sciens reprobare malum, et eligere bonum.* Malum « ergo voluptas corporis, bonum verò afflictio est. « Siquidem et hanc eligit, et illam reprobat Puer sa- « piens, Verbum infans. »

ARTICULUS V.

Quo quartus articulus Symboli exponitur : Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.

Mysterium passionis Domini explicandum impræsentiarum suscipimus, in quo solo nos gloriari oportet, et præter quod nihil scire se profitetur Apostolus : *Non judicavi*, inquit 1 Cor. 2, *me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* Licèt enim *verbum Crucis pereuntibus stultitia* sit : *iis* tamen *qui salvi fiunt*, id est, nobis, *Dei virtus est*, 1 Cor. 1.

§ I. *Articuli fides explicatur. Deus et homo Christus verè passus; non tamen passa Deitas.*

Christum Dominum Deum verum Deique Filium verè passum esse, hoc est, captum, illusum, variis injuriarum et cruciatuum generibus affectum, demùm in crucem sublatum, ibi mortuum esse ut opus redemptionis nostræ consummaret, hoc articulo profitemur. Judicis autem nomen sub quo passus est Christus, adscriptum est ad historiæ temporisque exploratiorem cognitionem. Erat enim id temporis Pontius Pilatus Judææ præses, sub Tiberio imperatore. Tum iis verbis etiam declaratur, illam Salvatoris prædictionem exitu comprobatam, Matth. 20 : *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum et crucifigendum.* Unde discipuli, ut refertur Act. 4, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt : *Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt : qui Spiritu sancto per os Patris nostri David pueri tui dixisti*, Psal. 2 : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, et adversùs Christum ejus? Convenerunt enim verè in civitate istâ, adversùs sanctum puerum tuum Jesum quem unxisti, Herodes et Pilatus, cum gentibus et populis Israel, facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.*

Christum igitur Deum ac Dominum nostrum, *Verbum quod erat in principio apud Deum, per quem omnia facta sunt, quem constituit Deus hæredem universorum, per quem fecit et secula*, Joan. 1; qui est *Splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus qui portat omnia verbo virtutis suæ, qui purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis*, Hebr. 1, hunc, inquam, verè passum esse credimus, non solùm pro hæreditariâ labe primorum parentum, sive originali peccato, sed etiam pro vitiis omnibus et peccatis, quæ homines à mundi origine ad hunc diem admiserunt, ac deinceps usque ad seculi finem admissuri sunt, Isai. 53 : *Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit... Cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.* Unde S. Petrus Epist. 1, cap. secundo : « Chri- « stus, inquit, passus est pro nobis, vobis relinquens « exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui pecca- « tum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus; « qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pa- « teretur, non comminabatur; tradebat autem judi- « canti se injustè; qui peccata nostra ipse pertulit in « corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, ju- « stitiæ vivamus, cujus livore sanati estis. »

Passus est autem non corpore solùm, sed etiam animâ, quam, quoad inferiorem partem, humanorum affectuum perpessionibus tradidit. Unde ait, Matth. 26 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et, Marc. 15 : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Etsi enim personæ divinæ natura humana in Christo conjuncta fuerit; nihilominùs tamen passionis acerbitatem sensit, quàm si ea conjunctio facta non fuisset; cùm in unâ Jesu Christi personâ utriusque naturæ, divinæ et humanæ, proprietates servatæ sint. « Agit « enim utraque forma cum alterius communione quod

« proprium est : Verbo scilicet operante quod Verbi « est, et carne exequente quod carnis est. Unum ho- « rum coruscat miraculis; aliud succumbit injuriis, » inquit S. Leo in Epistolâ ad Flavianum. Passus igitur Christus secundùm carnem, id est, secundùm humanam naturam, non quòd anima fuerit à doloribus libera; sed immunis fuit à cruciatibus et doloribus secundùm divinitatem, quæ doloris et mutationis incapax est. *Ea quæ sunt carnis suæ propria sibi necessariò faciens, passus dicitur quæ secundùm carnem acciderunt; quamvis patiendi esset expers, quatenùs Deus intelligitur*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, in Epistolâ ad Valerianum. Et quomodò rectè dicimus : Mortuus est homo, quamvis anima ejus non moriatur; ita rectè dicimus : Passus et mortuus est Christus Deus homo, quamvis divinitas passioni et morti non sit obnoxia.

§ II. *Acerbitas passionis Christi.*

Acerbissimam fuisse Christi Domini passionem multa probant. Et primò quidem interiorem animi dolorem fuisse gravissimum, colligitur ex illius causâ. Doloris enim illius tristitiæque *usque ad mortem* cruciantis causa fuêre totius humani generis peccata, pro quibus Patri satisfaciebat patiendo. Unde ea sibi adscribit ut fidejussor. *Longè*, inquit, Psal. 21, *à salute meâ verba delictorum meorum.* Dolorem auxit vehementer Judæorum aliorumque mortis ejus auctorum casus et perditio, et præcipuè discipulorum lapsus, proditio Judæ, negatio Petri, desertio cæterorum. Tunc in Christo completa sunt prophetica illa vaticinia, Psalmo 40 : *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Psal. 54 : *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo unanimis, dux meus, et notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Psal. 68 : *Extraneus factus sum fratribus meis et peregrinus filiis matris meæ... In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me : Improperium exspectavit cor meum, et miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.* Psal. 87 : *Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum, et non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopiâ... Elongâsti à me amicum et proximum, et notos meos à miseriâ.* Psal 141 : *Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me. Periit fuga à me, et non est qui requirat animam meam.* Isai. 63 : *Circumspexi, et non erat auxiliator, quæsivi, et non fuit qui adjuvaret.* Dan. 9 : *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Zach. 13 : *Framea suscitare super Pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum : Percute Pastorem, et dispergentur oves.* Tertia doloris interioris causa fuit jactura vitæ, et quidem pretiosissimæ, quam homo suâpte naturâ refugit. Jerem. 12 : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam; dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius.* Quarta causa est inutilitas passionis ejus et sanguinis pretiosissimi pro maximâ hominum parte, scilicet pro reprobis; maximeque Christianis, qui gratiâ redemptionis aduntuntur, peccatisque suis cœlestem medicinam irritam reddunt, Hebr. 10 : *Filium Dei conculcantes, et sanguinem pollutum ducentes, in quo sanctificati sunt, et Spiritui gratiæ contumeliam facientes. Rursùs crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes*, Hebr. 6. Quorum quidem crimen gravius est quàm Judæorum, qui, *si cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent*, 1 Cor. 2. Christiani autem plerique et se nôsse Christum profitentur, et tamen factis negantes, quodammodò violentas ei manus videntur inferre. Unde S. Augustinus Enarratione in psalmum 7, ait : « Videtur « consummata nequitia hominum, qui crucifixerunt « Filium Dei; sed eorum major est, qui nolunt rectè « vivere, et oderunt præcepta veritatis, pro quibus « crucifixus est Filius Dei. » Horum omnium præscientia et perspicacissima cognitio non poterat non excitare timorem, tædium, dolorem acerrimum in inferioribus animæ Christi viribus. *In vacuum laboravi sine causâ*, inquiebat Isai. 49, *et vanè fortitudinem meam consumpsi... Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.* Psal. 108. Vim doloris vehementissimam testatus est sudor sanguineus : *Factus in agoniâ prolixiùs orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22.

Corporis etiam dolores acerbissimi fuêre : nulla enim fuit corporis ejus pars, quæ gravissimas pœnas non senserit. Nam et pedes, et manus clavis cruci affixæ, caput spinis compunctum, et arundine percussum; facies sputis fœdata, alapis cæsa; totum corpus flagellis verberatum ac laniatum est. Passus est in libertate, quia captus, et funibus vinctus; in famâ, quia blasphemiis appetitus; in honore et gloriâ, quia illusus, et contumeliis lacessitus, et cum latronibus crucifixus; in gustu, quia felle et aceto potatus; in olfactu, quia fœtore cadaverum in Calvariæ Monte sepultorum infectus; in auditu, quia voces blasphemantium, irridentium, et exprobrantium audivit; in visu, quia mœstissimam Matrem et dilectum discipulum juxta crucem stantes et flentes vidit; in toto corpore, quia et flagellatio sævissima, et spinarum aculei, et crucis bajulatio, et confixio suspensioque in cruce, mortisque diuturnitas dolorem incomparabilem effecerunt. Ejus etiam magnitudinem augebat ipsa Christi Jesu corporis constitutio et habitus; quod quidem cùm Spiritûs sancti virtute formatum esset, multò perfectius et temperatius fuit, quàm aliorum hominum corpora esse possunt; ideòque acrior em quoque sentiendi vim habuit, et gravius tormenta illa omnia perpessum est. Accessit ad doloris cumulum solatii cujuslibet subtractio. Sanctis enim hominibus, quicumque supplicia et cruciatus pro Christo pertulerunt, non defuit animæ solatium, aut interius gaudium divinitùs inspiratum, quo recreati, vim tormentorum æquo animo perferrent. *Gaudeo*, inquiebat

Apostolus Coloss. 1, *in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Et 2 Cor. 7 : *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ.* Verùm Christus Dominus amarissimæ passionis calicem, quem bibit, nullâ suavitate permixtâ temperavit. Humanæ enim naturæ, quam assumpsit, sentire ac perpeti omnia tormenta permisit, non secùs ac si homo purus, non etiam Deus fuisset. Has rationes afferunt S. Thomas 3 p. quæst. 46 et concilii Tridentini Catechismus.

Christi porrò dolores acerbissimi vaticiniis prophetarum prædicti sunt. Psalm 70 : *Quia dixerunt inimici mei mihi ; et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Lam. Jerem. 4 : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est pro peccatis nostris.* Psal. 34 : *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me... Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, et in iracundiâ terræ loquentes dolos cogitabant : et dilataverunt super me os suum. Dixerunt : Euge, euge, viderunt oculi nostri.* Psal. 40 : *Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus... Adversùm me susurrabant omnes inimici mei, adversùm me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum constituerunt adversùm me.* Psalm. 21 : *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Longè à salute meâ verba delictorum meorum... Ego autem sum vermis, et non homo ; opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput... Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me : aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens. Circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi verò consideraverunt et inspexerunt me! Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Psal. 68 : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam... Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me... Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injustè : quæ non rapui, tunc exsolvebam. Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam*, etc. Isai. 50 : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus ; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Et cap. 53 : *Non est species ei, neque decor : et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum : despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem : et quasi absconditus vultus ejus et despectus ; unde nec reputavimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit ; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.* Lament. Jerem. 3 : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Et cap. 1 : *Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.*

§ III. Crucifixus.

Hoc verbo mortis genus exprimitur, quam pro nobis Christus Dominus perpessus est, quo nullum turpius aut acerbius excogitari potuit, quo affici nonnisi nocentissimi ac sceleratissimi homines consueverant, maximè apud Judæos. Nam in lege eorum scriptum erat, Deut. 21 : *Maledictus à Deo est qui pendet in ligno.* Quod quidem mortis genus fini quem sibi Christus Salvator noster proposuerat, convenientissimum fuit. Primò propter exemplum virtutis. Ut enim ait S. Augustinus libro de diversis Quæstionibus octoginta tribus, quæstione 25 : « Sapientia Dei hominem ad exem- « plum quo rectè viveremus, suscepit. Pertinet autem « ad vitam rectam, ea quæ non sunt metuenda non « metuere. Mors autem metuenda non est. Oportuit ergo « idipsum illius hominis, quem Dei sapientia suscepit, « morte monstrari. Sunt autem homines qui quam « vis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod « ipsius mortis horrescunt. Nihilominùs autem, ut « ipsa mors metuenda non est, ita nullum genus mortis « benè et rectè viventi homini metuendum est. Nihilo- « minùs igitur hoc quoque illius hominis cruce osten- « dendum fuit. Nihil enim erat inter omnia genera « mortis illo genere exsecrabilius et formidolosius. » (S. Thomas, 3 p. quæst. 46, art. 4.)

Secundò, genus illud mortis conveniens erat satisfactioni, quam Christus pro peccato primi parentis exhibere Patri decreverat. Peccaverat enim comedendo fructum arboris vetitæ : ideò decuit ut Christus ad satisfaciendum pro illo peccato seipsum ligno affigi pateretur, quasi restituens quod Adam sustulerat, secundùm illud Psalmi 48 : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Unde auctor sermonis inter Augustinianos olim 101 de Tempore, nunc in appendice 31 : « Quod, « inquit, justè debebat Adam, Christus injustè mortem « suscipiendo persolvit. Ille expandit manum ad po- « morum dulcedinem, iste ad crucis amaritudinem : « ille arborem necis, iste salutis ostendit. Adam mor- « tem universis intulit, et Christus vitam omnibus re- « paravit. »

Tertiò, decebat Christum in aere, et non sub tecto pati, ut aerem ab infestatione dæmonum, quos Apostolus, Ephes. 2, vocat Potestates aeris hujus, purgaret, sicut terram mundavit effusione sanguinis è latere manantis. Terram sanctificavit in eâ ambulando, aerem moriendo.

Quartò, decebat Christum in aere mori, ut viam nobis ad cœlum muniret, novumque iter aperiret, quod his verbis significatur : *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales.* Non enim illi, sed nobis ea cœlestis reseratio januæ necessaria erat, quos ipse suo corpore in sublime attollebat. « Nam « quemadmodùm illud pro omnibus morti obtulit, ita « quoque per illud viam ad cœlos commonstravit, » inquit S. Athanasius Oratione de Incarnatione Verbi Dei. Hinc ipse Christus, Joannis 12, ait : *Ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum.*

Quintò, id mortis genus significandæ universorum hominum saluti per crucem partæ congruebat. « Si

« mors Domini nostri Jesu Christi, inquit ibidem S. « Athanasius, redemptio est omnium, ac ejus inter- « medius ille paries maceriæ solvitur, conficiturque « vocatio gentium : quomodò nos advocâsset, nisi « crucifixus esset? In solâ enim cruce mors extensis « porrectisque manibus toleratur; ideò par erat ut « Dominus hoc modo mortem sustineret, manusque « ejus extenderentur, ut hâc quidem veterem populum, « illâ verò gentiles attraheret, et ambos in se conjun- « geret. »

Sextò, hoc genere mortis virtutes diversæ designantur. Unde S. Augustinus Epistolâ 140, aliàs 120, ait: « Non frustra tale genus mortis elegit, nisi ut in eo « latitudinis hujus et longitudinis, et altitudinis et « profunditatis Magister existeret. » De quâ scilicet scribit Apostolus, Ephes. 3 : *In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo, et sublimitas et profundum : scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* « Nam lati- « tudo est in eo ligno quod transversum desuper fi- « gitur : hoc ad bona opera pertinet, quia ibi exten- « duntur manus. Longitudo in eo quod ab ipso ligno « usque ad terram conspicuum est : ibi enim quodam- « modò statur, id est, persistitur et perseveratur; quod « longanimitati tribuitur. Altitudo est in eâ ligni parte, « quæ ab illo quod transversum figitur, sursùm ver- « sùs relinquitur, hoc est, ad caput Crucifixi, quia « benè sperantium superna exspectatio est. Jam verò « illud ex ligno quod non apparet, quod fixum occul- « tatur, unde totum illud exsurgit, profunditatem si- « gnificat gratuitæ gratiæ. »

Septimò, id genus mortis figuris et oraculis sacrarum Scripturarum veteris Testamenti respondet, sive Prophetarum vaticiniis. Atque ut de figuris pauca quædam attingamus, Abel primùm, qui fratris invidiâ occisus est, deinde Isaac sacrificium; præterea agnus, quem Judæi, cùm è terrâ Ægypti egrederentur, immolârunt; tum serpens æneus, quem Moyses in deserto exaltavit, Christi Domini passionis ac mortis figuram præmonstrabant, inquit concilii Tridentini Catechismus.

I. Abeli integerrimo viro Caïni fratris invidiam conflavit eximia pietas; Jesu omnium hominum innocentissimo fratrum Judæorum odium divinæ virtutes pepererunt. Fuit Abel pastor ovium, Jesus hominum. Abeli mortem parat Caïnus; Jesu Judæi. Abelem forâs ad mortem educit Caïnus; Jesum Judæi ad supplicium extra Hierosolyma rapiunt. Vox sanguinis Abel clamat ad Deum de terrâ; de Jesu scribit Apostolus, Hebr. 12 : *Accessistis ad Testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel.* Exilio Cainum mulctavit Deus, patriisque sedibus ejecit; sic tamen ut tutam ei et incolumem vitam præstaret. Profugi passim et extorres errant Judæi, nec penitùs tamen exsinduntur, sed certa gens ab aliis discreta esse pergunt.

II. Promissionis filius fuit *Isaac : Jesum Deus promisit per Prophetas suos in Scripturis sanctis,* Rom. 2 et 8. Unigenitus uterque fuit. Isaac à patre sacrificio destinatus, et ad mortem ductus est : Deus *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,* Genes. 22. Isaac ligna quibus imponendus et immolandus erat : Jesus crucem cui suffigendus erat, in montem ipse portavit. Arietem Deo sacrificavit Abraham pro filio Isaac substitutum : voluit Deus ut pro hominibus à se procreatis sibi Jesus immolaretur. Arietem in vepreto cornibus hærentem vidit Abrahamus : spinis Jesus coronatus est. Uterque in monte Hierosolymitano est immolatus.

III. *Agnus* ab Israelitis immolatus, cùm è terrâ Ægypti egrederentur, ac deinceps ad vesperam paschæ immolari solitus, Jesu Christi figura insignis fuit. Ut enim Apostolus ait : *Pascha nostrum immolatus est Christus,* 1 Cor. 5. Quo anni, mensis, et dici tempore paschalis agnus, hoc ipso immolatus est Christus Jesus, *Agnus immaculatus et incontaminatus*, 1 Petri 1. Paschalem agnum comedere festinanter, pedibus calceatis, baculos manibus tenentes, et ad iter expediti jubentur Israelitæ : Christus Jesus intrà paucas horas captus, damnatus, et morte affectus est. Agni et Christi Jesu mors cruenta, utraque in gratiam populi. Sanguis agni domorum foribus aspersus Hebræis saluti fuit : sanguis Jesu universis hominibus quicumque eo abluuntur. Unde *Isaias* de Christo prædixit capite 52 : *Iste asperget gentes multas.* Lege cautum erat ne agni ossa confringerentur : de Jesu scribit S. Joannes, 10 : *Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderent eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura... Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo.* Post agni paschalis sacrificium statim Ægyptiacâ servitute redempti sunt Israelitæ : per Sacrificium crucis, vitiorum, dæmonum, ac mortis tyrannide liberamur.

IV. Serpentium Israelitis infestorum figuram habuit æneus serpens, sed eorum veneno caruit : Jesus habuit *similitudinem carnis peccati*, et *tentatus* est *per omnia pro similitudine, absque peccato,* Hebr. 4. Moses posuit serpentem æneum *pro signo*, Num. 21 : Jesus *positus est in signum cui contradicetur*, Luc. 2. Uterque in altum sublatus est. Unde ipse Christus, Joannis 3 : *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Qui serpentem æneum aspiciebant, sanabantur à morsibus serpentum. Hebr. 12 : *Aspicientes in auctorem fidei consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ*, sanantur à morsibus dæmonum et veneno peccatorum.

V. His figuris addi possunt *hircus emissarius*, Levit. 16, cujus capiti mala imprecabatur pontifex, quique Israelitarum peccatis velut onustus, in desertum abigebatur : Christus enim *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo*, 1 Petri 2, atque hoc onere gravatus, Hierosolymis exactus, et ad mortem deductus est. Et *vacca rufa*, ex cujus cineribus aqua expiationis fiebat, Num. 19. Hæc jugum nondùm passa esse debuit : Christus Jesus veteris legis jugum excussit, cique nos subduxit. Hæc victima extra castra immolabatur.

Christus extra urbem passus est. Hinc Apostolus scribit Hebr. 13 : *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improprium ejus portantes.* Jubetur sacerdos digitum in vaccæ rufæ sanguinem intingere, et septies tabernaculi fores aspergere, et ex crematæ demùm cineribus aquam expiationis conficere quâ impuritates abluantur; Christi sanguis ab omnibus immunditiis nos abluit. Unde Apostolus ait Hebr. 9 : *Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?*

Prophètarum etiam vaticiniis mors Christi in cruce prædicta est Psalmo 21 : *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Jeremiæ 11 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terrâ viventium, et nomen ejus non memoretur ampliùs.* Ezech. 9 : *Et dixit Dominus ad eum : Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem, et signa Thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. Et illis dixit audiente me : Transite per civitatem sequentes eum, et percutite; non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum et virginem, parvulum et mulieres interficite usque ad internecionem; omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis, et à Sanctuario meo incipite.* Littera Thau antiquis Hebræis formam crucis habebat. Crux *signum Filii hominis*, quo signati ab æternâ morte liberantur, qui sincerè dolent et gemunt ob peccata propter quæ in crucem actus est. Zachariæ 12 : *Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum gratiæ et precum : et aspicient ad me quem confixerunt : et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Et cap. 13 : *Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.*

§ IV. Mortuus et sepultus.

Christus postquàm crucifixus est, non specie tenùs, sed verè mortuus est, ac sepultus, quod fidei caput veterum hæreticorum, Simonianorum, Basilidianorum, Saturnilianorum, Valentinianorum, Marcionitarum, Manichæorum, omniumque phantasiastarum deliriis opponitur, qui carnem non reverà, sed solà specie à Filio Dei susceptam somniârunt, adeòque et mortem Christi ludicram, fictam, et specie tenùs adumbratam asseruerunt. Sed quin verè mortuus sit Christus, nulla est dubitandi ratio, cùm ejus mortem Prophetæ prædixerint, Evangelistæ et Apostoli testentur. Sic enim Isaias 53 : *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustiâ et de judicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit? Quis abscissus est de terrâ viventium, propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepulturâ, et divitem pro morte suâ, eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate : si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum... Ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam.* Daniel 9 : *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* Mortem ipse suam prædixit Matth. 16, v. 21. Matth. 17, 22, et 20, 18, 19; Marc 8, 31, et 9, 30, et 10, 34; Luc. 9, 22, et 18, 32. Denique suffixus cruci, *Clamans voce magnâ emisit spiritum.* Cùm igitur mors nihil aliud sit quàm animæ separatio à corpore, Jesum Christum verè mortuum esse certum est, Judæos *Auctorem vitæ interfecisse;* Christum Jesum *humiliâsse semetipsum, factum obedientem usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Nec solùm mortuum, sed et *sepultum* confitemur, quod in Symbolo expressum est, ut de morte ejus minùs dubitare liceat, cùm maximo argumento sit aliquem mortuum esse, si corpus ejus sepultum probemur; deinde ut Resurrectionis miraculum magis declaretur atque eluceat, spesque resurgendi per Christum illis data, qui in sepulcris positi sunt; tum denique ad exemplum eorum qui per mortem Christi spiritualiter moriuntur peccatis, qui scilicet absconduntur à conturbatione hominum. Unde ad Colossenses 3 dicitur : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Unde et baptizati, qui per mortem Christi moriuntur peccatis, quasi consepeliuntur Christo. Rom. cap. 6 : *Consepulti cum Christo per baptismum in mortem.*

De utroque mysterio, mortis scilicet ac sepulturæ Christi, præclarè Tertullianus libro de Carne Christi, cap. 5, Marcionem impugnans. « Quid enim, inquit, « indignius Deo? Quid magis erubescendum; nasci, « an mori? Carnem gestare, an crucem? Circumcidi, « an suffigi? educari, an sepeliri? in præsepe deponi, « an in monumento recondi? » Et paulò post : « Nonne « verè crucifixus est Deus? Nonne verè mortuus ut « verè crucifixus? Nonne verè resuscitatus, ut verè « scilicet mortuus? Falsò ergo statuit inter nos scire « Paulus tantùm Jesum crucifixum. Falsò sepultum in- « gessit, falsò resuscitatum inculcavit. Falsa est igi- « tur et fides nostra; et phantasma erit totum quod « speramus à Christo. Scelestissime hominum, qui « interemptores excusas Dei. Nihil enim ab eis pas- « sus est Christus, si nihil verè est passus. Parce unicæ « spei totius orbis. Quid destruis necessarium dedecus « fidei? Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit. « Salvus sum, si non confundar de Domino meo... « Crucifixus est Dei Filius : non pudet, quia puden- « dum est. Et mortuus est Dei Filius : prorsùs credi- « bile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit : « certum est, quia impossibile est. Sed hæc quomodò « in illo vera erunt, si ipse non fuit verus, si non verà

« habuit in se quod figeretur; quod moreretur, quod « sepeliretur et resuscitaretur? Carnem scilicet san- « guine suffusam, ossibus structam, nervis intextam, « venis implexam, quæ nasci et mori novit. »

Doctrina autem Ecclesiæ est, fidei catholicæ regulæ convenicus, personam divinam, sive Deum Verbum, nec ab animâ Christi, nec ab ejus carne separatum fuisse, quando mors animam à corpore separavit : sed tum ad inferos descendenti animæ, tum jacenti in sepulcro corpori, reverà et secundùm hypostasim conjunctum, ut erat, permansisse. Hoc enim argumento tanquàm validissimo telo Apollinaristas antiqui Patres confutârunt, qui animam detrahebant homini Christo : ex eo sequi, Verbum à corpore fuisse disjunctum, si pro animâ ipsi fuerit; siquidem mors est animæ separatio à corpore. (S. Athanas. lib. de Salut. Adventu Jesu Christi. S. Greg. Nyss., Epist. ad Eustathiam et Ambrosiam. S. August., Tract. 67 in Joan.) Igitur Filium Dei sepultum rectè confitemur, quod Scripturæ ac Symbola fidei docent : « quia si quis etiam tuam tu- « nicam illasâ carne tuâ conscindat, tibi facit injuriam : nec sic clamas pro veste tuâ, ut dicas : Conscidisti tunicam meam; sed, conscidisti me. Loqueris « ista integer, et verum dicis, et de carne tuâ nihil « detraxit qui læsit. Sic et Dominus Christus crucifixus est. Dominus est, unicus Patri est; Salvator « noster est : Tamen crucifixus est; sed in carne, et « sepultus in solâ carne. Nam ubi sepultus est, et « quando sepultus est, tunc ibi nec anima fuit... Sola « caro jacet, et tu dicis; *Dominus noster?* Dico planè, « dico : *Quia vestem intueor, et vestitum adoro, caro « illius vestimentum fuit :* quia *cùm in formâ Dei esset, « non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in si- « militudinem hominum factus, et habitu inventus ut « homo.* Philipp. 2. Sic explicat S. Augustinus Sermone « 215 aliàs de Tempore 119. Idem aliâ similitudine « illustrat sermone sequenti. Cùm, inquit, sit totus « Filius Dei unicus Dominus noster Jesus Christus « Verbum et homo, atque, ut expressiùs dicam, Verbum, anima, et caro; ad totum refertur quòd in « solâ animâ tristis fuit usque ad mortem; quia Filius « Dei unicus Jesus Christus tristis fuit : ad totum refertur quòd in solo homine crucifixus est, quoniam « Filius Dei unicus Jesus Christus crucifixus est : ad « totum refertur quòd in solâ carne sepultus est. Ex « quo enim cœpimus dicere, credere nos *in Jesum « Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum*, « quidquid aliud de illo dicimus, non subauditur nisi « Jesus Christus Filius Dei unicus Dominus noster. Nec « miremini : sic enim dicimus Filium Dei unicum Jesum Christum Dominum nostrum sepultum, cùm « sola caro ejus sepulta sit; quemadmodùm, verbi « gratiâ, dicimus Apostolum Petrum hodiè jacere in « sepulcro, cùm et illud verissimè dicamus, eum in « requie cum Christo gaudere. Eumdem quippe Apostolum dicimus : non enim duo Apostoli Petri, sed « unus est. Eumdem ergo ipsum dicimus, et in solo « corpore jacere in sepulcro, et in solo spiritu gaudere « cum Christo. » Dogmatis istius veritatem confirmat S. Fulgentius libro 3 ad Trasimundum, cap. 16. « Ab « ipso namque conceptionis virginalis exordio sic in « Christo personalis unitas mansit, ut utriusque naturæ inconfusa veritas perduraverit : ut nec homo à « Deo divelli, nec Deus à suscepto posset homine separari : nec tamen Deus hominem consumeret, nec « homo Deum in aliquo permutaret : et licet in Christi « morte carnem morientem fuisset anima desertura; « divinitas tamen Christi nec ab animâ, nec à carne « posset separari suscepta. » Idem confirmat S. Joannes Damascenus, libro 3 cap. 27.

Neque hujus dogmatis veritatem convellit, quòd derelictum se à Deo Christus in cruce queritur. Deus enim illum « dereliquit, quia auxilium non contulit; « sed non dereliquit, quia præsentiam non abstulit; « substraxit protectionem, sed non separavit unio- « nem, » inquit Hugo à Sancto Victore, libro 2 de sacr. Fide, p. 1, c. 10.

Quamvis autem corpus Christi sepultum sit, non tamen putredinis corruptionem passum est. Corruptibile quidem fuisse similiter ac reliquorum hominum corpora, fides docet : sed tamen corruptum non fuisse, ipsum conservante potentiâ divinitatis, juxta sacrum illud oraculum, Psal. 115 : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Id accuratè omninò S. Fulgentius explicat, Regino respondens, cap. 2 : « Fuit, inquit, « in corruptione mortis, sed non in corruptione putredinis. Christus ergo non vidit corruptionem, quia « nullam sensit caro ejus putredinem. Hoc autem non « ejusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis « celeritas fecit. Hinc Isaiæ 11 dicitur : *Erit sepulcrum « ejus gloriosum.* »

In monumento autem alieno sepultus est, eoque novo. Non habebat Christus tumulum suum, inquit S. Ambrosius libro 10 in Lucam. « Etenim tumulus « his paratur qui sub lege sunt mortis. Victor mortis « tumulum suum non habet. Quæ enim communio tumulo et Deo? Specialis igitur præter communem « omnium mortem mors Christi est, et ideò non cum « aliis sepelitur, sed solus tumulo includitur... Mors « Christi communis secundùm naturam corporis, specialis secundùm virtutem. Quis est autem Joseph « cujus in tumulo ponitur? Utique ille justus. Benè « ergo Christus monumento creditur justi, ut habeat « Filius hominis ubi caput suum reclinet, et justitiæ « habitatione requiescat. Benè autem novo, ne alius « suscitatus à perfidis diceretur. »

§ V. *Passio et mors Christi voluntariæ fuerunt, non coactæ; liberæ, non necessariæ.*

Quamvis Christus passionem et mortem subierit, quæ secundùm circumstantias omnes definita erat et imperata à Patre, secundùm illud : *Filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit : Verumtamen væ homini illi per quem tradetur.* Et Act. 4 : *Convenerunt in civitate istâ adversùs sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pilatus cum gentibus et populis Israel, facere quæ manus tua et consilium tuum decrevo-*

runt. Joannis 14 : *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.* Philipp. 2 : *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Tunc tamen mortuus est, cùm ipse mori decrevit, et mortem non tam alienâ vi illatam, quàm voluntariam obiit. Nec verò mortem solùm, sed etiam locum et tempus in quo moreretur, ipse sibi constituit, Isaiâ teste, cap. 53 : *Oblatus est, inquit, quia ipse voluit.* Idque idem Dominus significat, cùm de se ipso ante passionem ait, Joan. 10 : *Ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam : nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso ; et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterùm sumendi eam.*

Quod autem ad tempus et locum attinet, cùm Herodes ejus vitæ insidiaretur, ipse ait, Luc 13 : *Dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodiè et cras, et tertiâ die consumor : verumtamen oportet me hodiè et cras, et sequenti die ambulare : quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem.* Hinc S. Augustinus Tractatu 31 in Joannem de Christi morte verba faciens, ait : « *Inclinato capite reddidit spiritum.* Videtis potestatem morientis, quia hoc exspectabat, donec omnia complerentur quæ de illo prædicta fuerant ante mortem futura... Postea quàm completa sunt, dixit : *Perfectum est ;* et abscessit potestate, quia non venerat necessitate. Ideò quidam plus mirati sunt istam potestatem morientis, quàm potentiam miracula facientis. »

Christus igitur liberrimè passionem mortemque sustinuit, quamvis æterno consilio imperioque Patris quoad ipsas etiam circumstantias præfinitam, quia erga illas in se ipsis et absolutè spectatas indifferens prorsùs erat humana Christi voluntas per sese, ad easque non ullâ vi extrinsecâ, aut ullâ sibi intrinsecâ necessitate, sed solâ Patris jubentis charitate ferebatur. Non servili obedientiâ, sed liberâ consensione paternis imperiis, mortem subiit, immutabili quidem et impeccabili, sed tamen indifferenti voluntate. Præcepto Patris ad mortem subeundam tenebatur, sed quod sibi ipse sanxerat, cùm volens lubensque carnem, carnisque mortem amplexatus est. Hinc S. Joannes Chrysostomus, homiliâ 59 in Joannem, Christum ita liberè animam posuisse ait, ipsi ut præcepto non esset opus ad mortem oppetendam. « Qui à se ipso ponit, « præcepto non indiget. Et causam cur faciat, affert, « quòd scilicet sit Pastor, et Pastor bonus : bonus autem Pastor ad ovium custodiam hortatore non indiget. Quòd si in hominibus usuvenit, multò magis in « Deo. Ideò Paulus inquit quòd seipsum exinanivit. « Nihil autem aliud hoc in loco præceptum signat, « quàm cum Patre concordiam. Quòd si humiliter et « humanè locutus est, auditorum imbecillitati tribuendum. »

Et S. Cyrillus libro 10 in Joannem : « Habes igitur « in subjectione voluntariâ voluntatum Patris adimpletionem, quas loco mandatorum Filius apud se « esse ait. Nam cùm Patris consilia ut Verbum intelligat, ejusque profunda scrutetur, imò verò cùm « sit Sapientia et Virtus Patris, voluntatem ejus ad « opus perducit, mandati loco eam habens, atque ita « humano more eam nuncupans. » Atque hoc sensu Christus, Heb. 10, *ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti : corpus autem aptâsti mihi : holocautomata pro peccato non tibi placuerunt,* Psal. 38. *Tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam,* Heb. 12. Hinc Apostolus de ipso rursùs scribit : *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* « Servatoris gaudium est salus hominum : « Pro hâc passionem subiit. Potuisset non pati, si hoc « voluisset ; sed passionem sustinuit, beneficio omnes « afficiens. » *Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.... Et tradidit semetipsum pro me,* inquit Apostolus. « Tradidit ergo Pater Filium, et Filius ipse se tradidit. Tradidit Pater volentem, tradidit offerentem ; » inquit S. Ambrosius libro de Spiritu sancto, cap. 12. Legatur S. Anselmus libro *cur Deus homo*, capp. 9 et 10, ubi singulari quodam præclaroque modo hanc veritatem explicat, et Theodoretus in cap. 12 Epist. ad Hebr.

Ne verò quis existimet Christum in passione et morte subeundâ minùs fuisse liberum, quia metu mortis imminentis Patrem oravit ut ab illo transiret calix iste ; affectus nostros liberrimâ voluntate suscepit, sicut et carnem et animam humanam, ut illos sanaret, ut illos nobis vinceret ac substerneret ; ut nobis et exemplo esset, et solatio et auxilio ; exemplo, ut cùm hujusmodi perturbationum tempestatibus jactamur, fortiter agamus, ad Deum confugiamus, ejus nos addicamus voluntati ; solatio, ne in his procellis desperemus, cùm ab iis nec Deum in nostrâ carne immunem fuisse fides doceat ; auxilio, cùm intestinæ illius tempestatis vim primus expertus sit ac fregerit. Hinc maximè pietatem ejus ac majestatem demirari ac laudare decet. « Minùs enim contulerat mihi, inquit S. Ambrosius in cap. 22 Lucæ, nisi meum « suscepisset affectum : suscepit enim tristitiam meam, « ut mihi suam lætitiam largiretur : et vestigiis « nostris descendit usque ad mortis ærumnam, ut nos « suis vestigiis revocaret ad vitam. Confidenter ergo « tristitiam nomino, quia crucem prædico. Neque « enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. « Debuit ergo et dolorem suscipere, ut vinceret tristitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quàm dolorem... Nos vult erudire ; ut quia in « Joseph didiceramus carcerem non timere, mortem « vincere disceremus in Christo : et, quod est amplius, quemadmodum futuræ mortis mœstitiam « vinceremus.... Sed adhuc dormiunt, et nesciunt « dolere, pro quibus Christus dolebat. Ita enim legimus, Isa. 53 : *Quia peccata nostra portat, et pro nobis « dolet.* Doles ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera : non tuam mortem, sed nostram infirmitatem. « Et nos æstimavimus te esse in doloribus, cùm tu « non pro te, sed pro me doleres ; infirmatus enim es, « sed propter peccata nostra : non quia illa tibi infirmitas erat ex Patre assumpta, sed pro me suscepta ;

« quia mihi proderat ut eruditio pacis nostræ esset « in te, et livore tuo vulnera nostra sanares.

« Sed quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro « uno flevit? Quid mirum si moriturus pro omnibus « tædeat, qui Lazarum resuscitaturus illacrymat ? « Sed et ibi piæ sororis lacrymis commovetur, quia « mentem humanam tangebant : et hîc alto operatur « affectu, ut quia in carne suâ peccata nostra peri- « mebat, mœrorem quoque animæ nostræ, suæ animæ « mœror aboleret. Et fortassè ideò tristis est, quia « post Adæ lapsum tali transitu nobis erat ex hoc se- « culo recedendum, ut mori esset necesse : *Deus enim « mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum,* « Sap. 1. Et ideò fastidit quod ipse non fecit..... Tristis « videbatur, et tristis erat, non pro suâ passione, sed « pro nostrâ dispersione. Denique ait, Matth. 26 : « *Percutiam Pastorem, et dispergentur oves gregis.* « Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Cæte- « rùm quàm constanter se morti obtulerit, Scriptura « declarat; quandoquidem quærentibus occurrit, tur- « batos confirmavit, trepidos provocavit, proditorem « osculi dignatione suscepit. Nec illud distat à vero, « si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat « immanis sacrilegii pœnas daturos. Et ideò dixit, « Joan. 18 : *Transfer hunc calicem à me;* non quia « Dei Filius mortem timebat, sed quia vel malos pe- « rire nolebat. Denique ait, Luc. 22 : *Domine, ne sta- « tuas illis hoc peccatum,* ut passio sua esset omnibus « salutaris. »

S. Augustinum eo de argumento disserentem audire jucundum erit. Sic autem habet tractatu 52 in Joannem, ubi explicat illa verba Christi : *Nunc anima mea turbata est :* « Nos, inquit, in se transtulit, nos in se « suscepit caput nostrum, membrorum suorum susce- « pit affectum : et ideò non est ab aliquo turbatum; « sed sicut de illo dictum est, cùm Lazarum suscita- « ret : *Turbavit semetipsum*, Joan. 11; oportebat enim « ut unus mediator Dei et hominum homo Christus « Jesus, sicut nos excitavit ad summa, ita nobiscum « pateretur et infima. Audio superiùs dicentem : *Venit « hora ut glorificetur Filius hominis. Si mortificatum « fuerit granum, multum fructum affert*, Joan. 12. « Audio : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in « vitam æternam custodit eam.* Nec permittor tantum- « modò mirari, sed jubeor imitari. Deinde sequenti- « bus verbis : *Si quis mihi ministrat, me sequatur, et « ubi sum ego, ibi et minister meus erit :* mundum con- « temnere accendor; et in conspectu meo nihil est « mundi hujus totus, quantùmlibet fuerit prolixus, « vapor : præ amore terrenorum temporalia mihi « cuncta vilescunt : et rursùs ipsum Dominum meum, « qui me illis verbis ab infirmitate meâ rapuit ad firmi- « tatem suam, audio dicentem : *Nunc anima mea tur- « bata est.* Quid est hoc? Quomodò sequi jubes ani- « mam meam, si turbari video animam tuam? Quo- « modò sufferam, quod grave tanta firmitas sentit? « Quale fundamentum quæram, si Petra succumbit? « Sed videor mihi audire in cogitatione meâ respon- « dentem mihi Dominum, et quodammodò dicentem: « Magis sequeris, quia sic me interpono, ut sufferas. « Audisti ad te vocem fortitudinis meæ, audi in « me vocem infirmitatis tuæ; vires suggero ut curras, « nec reprimo quod acceleras; sed transfero in me « quod trepidas, et substerno quà transeas. O Domine « Mediator, Deus supra nos, homo propter nos, « agnosco misericordiam tuam : nam quod tu tantus « tuæ charitatis voluntate turbaris, multos in corpore « tuo, qui suæ infirmitatis necessitate turbantur, ne « desperando pereant consolaris. Denique homo qui « sequi vult, audiat quà sequatur. Accessit fortè hora « terribilis, proponitur optio, aut faciendæ iniquitatis, « aut subeundæ passionis : turbatur anima infirma, « propter quam spontè turbata est anima invicta; « præpone tuæ voluntati voluntatem Dei... Docuit « te quid cogites, docuit quid dicas, quem invoces, « in quo speres, cujus voluntatem certam atque divi- « nam tuæ voluntati humanæ infirmæque præponas... « Sicut autem hîc dixit, Matth. 26 : *Nunc anima mea « turbata est*, ita etiam ubi dicit : *Tristis est anima « mea usque ad mortem.* Et : *Pater, si fieri potest, trans- « eat à me calix iste.* Hominis suscepit infirmitatem, « ut doceat sic contristatum et conturbatum quod se- « quitur dicere : *Verumtamen non quod ego volo, sed « quod tu vis, Pater.* Sic enim homo ab humanis in « divina dirigitur, cùm voluntati humanæ voluntas « divina præponitur. »

Et tractatu 60 : « Qui mortuus est pro nobis, tur- « batus est idem ipse pro nobis. Qui ergo potestate « mortuus est, potestate turbatus est : qui transfigu- « ravit corpus humilitatis nostræ conforme corpori « gloriæ suæ, transfiguravit etiam affectum infirmitatis « nostræ, compatiens nobis affectu animæ suæ. Pro- « inde quando turbatur magnus, fortis, certus, invi- « ctus, non ei timeamus quasi deficiat : non perit, « sed nos quærit. Nos, inquam, nos omninò sic quæ- « rit : nos ipsos in illius perturbatione videamus, ut « quando turbamur, non desperatione pereamus. « Quando turbatur qui non turbaretur nisi volens, « eum consolatur qui turbatur et nolens. Pereant ar- « gumenta philosophorum, qui negant in sapientem « cadere perturbationes animorum. Stultam fecit « Deus sapientiam hujus mundi, et Dominus novit « cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Turbe- « tur planè animus Christianus, non miserià, sed « misericordiâ : timeat ne pereant homines Christo; « contristetur cùm perit aliquis Christo; concupiscat « acquiri homines Christo; lætetur cùm acquiruntur « homines Christo : timeat et sibi ne pereat Christo; « contristetur peregrinari se à Christo; concupiscat « regnare cum Christo; lætetur dùm sperat se re- « gnaturum esse cum Christo. » Et infra : « Quid est « ergo quòd ille turbatus est, nisi quia infirmos in suo « corpore, hoc est, in suâ Ecclesiâ, suæ infirmitatis « voluntariâ similitudine consolatus est : ut si qui suo « rum adhuc morte imminente turbantur in spiritu, « ipsum intueantur, ne hoc ipso se putantes repro- « bos, pejore desperationis morte sorbeantur? Quan- « tum itaque bonum de participatione divinitatis ejus

« exspectare et sperare debemus; cujus nos et perturbatio tranquillat, et infirmitas serenat! Sive ergo « isto loco ipsum Judam pereuntem miserando turbatus est; sive suâ morte propinquante turbatus « est, non est tamen ullo modo dubitandum, non « eum animi infirmitate, sed potestate turbatum; ne « nobis desperatio salutis oriatur, quando non potes- « tate, sed infirmitate turbamur. Non ergo aliquo est « cogente turbatus, sed turbavit semetipsum, quod « de illo evidenter expressum est, quando Lazarum « suscitavit.... Affectum quippe humanum, quando « oportuisse judicavit, in seipso potestate commovit, « qui hominem totum potestate suscepit. » Id nimirùm discriminis inter affectus Christi ac nostros, quòd nos necessitate, non voluntate, his affectibus subdimur; Christus voluntate, non necessitate. Christus illis imperabat; nos quodammodò servimus. Christus horum affectuum primordia, incrementa, accessionem omnimodam in potestate habebat; nos verò nec affici incipimus cùm libet, et incipimus etsi non libet : nec quantùm et quamdiù volumus afficimur. Hinc perturbationum tantùm exordia, non incrementa, Christo tribuit Scriptura : *Cœpit pavere*, inquit, *et tædere*. Propassiones erant, ut loquitur S. Hieronymus in cap. 26 S. Matthæi, quia morem gerebant rationi; illam præeuntem sequebantur, non antevolabant; serviebant, non turbabant, nec à tranquillâ Deitatis contemplatione illam vel tantisper avocabant. Unde S. Augustinus Enarratione in Psalmum 3, explicans hæc verba : *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum*, ait : « Gloriam suam « Deum dicit etiam ille, quem sic suscepit Deus « Verbum, ut simul cum eo Deus fieret. *Et exaltans « caput meum.* Mentem ipsam humanam hìc accipiendam puto, quod caput animæ non absurdè appellatur : quæ ita inhæsit et quodammodò coaluit « excellenti supereminentiæ Verbi hominem susci- « pientis, ut tantâ passionis humilitate non depo- « neretur. »

His omnibus addenda sunt præclara S. Leonis verba Sermone 7 de passione Domini : « Passiones, in- « quit, mortalitatis nostræ ob hoc misericordia subiit, « ut sanaret; ob hoc virtus recepit, ut vinceret. Cùm « itaque Dei Filius dicit : *Pater, si fieri potest, transeat « à me calix iste*, nostræ utitur voce naturæ, et cau- « sam agit fragilitatis et trepidationis humanæ; ut in « iis quæ toleranda sunt, et patientia roboretur, et « formido pellatur. Denique cessans hoc ipsum pete- « re, excusato quodammodò nostræ infirmitatis metu, « in quo nobis remanere non expedit, in alium af- « fectum transit, et dicit : *Verumtamen non sicut ego « volo, sed sicut tu.* Et iterùm : *Si non potest calix iste « transire à me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Hæc « vox capitis, salus est totius corporis : hæc vox om- « nes fideles instruxit, omnes confessores accendit, « omnes martyres coronavit. Nam quis mundi odia, « quis tentationum turbines, quis posset persecuto- « rum superare terrores; nisi Christus in omnibus et « pro omnibus diceret Patri : *Fiat voluntas tua?* »

§ VI. *Immensa ex passione et morte Christi beneficia in nos redundârunt.*

Cùm passionem mortemque *pro nobis* Christus Dominus subierit, explicanda sunt ingentia commoda et bona quæ ex sacro illo fonte in nos manârunt.

I. Primum est, *liberatio à peccato*, secundùm illud Apostoli ad Romanos 3 : *Justificati per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius propter remissionem præcedentium delictorum.* Et ad Ephesios 1 : *Gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Ad Colossenses 2 : *Et vos cùm mortui essetis in delictis, convivificavit cum illo donans vobis omnia delicta; delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Ad Hebræos 9 : *Ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit... Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Apocalypsis 1 : *Dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Est igitur passio Christi causa universalis remissionis omnium peccatorum præteritorum, præsentium, futurorum : universalis medicina omnium animæ nostræ morborum, à cœlesti medico ex ipsiusmet vivificâ carne, vulneribus et sanguine confecta : quæ tamen singulis applicetur necesse est per fidem charitate formatam, ad percipiendum fructum ipsius, secundùm illud Apostoli ad Romanos 3 : *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus :* et per Baptismum, Pœnitentiam, aliaque sacramenta, quorum virtus omnis ex passione Christi derivatur.

II. Effectus alter passionis Christi, est *liberatio à diaboli tyrannide :* quod ipse Christus imminente passione suâ significavit, Joannis 12, dicens : *Nunc judicium est mundi. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foràs : et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum.* « Possidebat scilicet diabolus genus hu- « manum, inquit S. Augustinus Tract. 52 in Joan- « nem, et reos suppliciorum tenebat chirographo « peccatorum; dominabatur in cordibus infidelium, « quos ad creaturam colendam deserto Creatore « deceptos captivosque pertrahebat : per Christi au- « tem fidem, quæ morte ejus et resurrectione fir- « mata est; per ejus sanguinem, qui in remissio- « nem fusus est peccatorum, millia credentium à « dominatu liberantur diaboli, Christi corpori copu- « lantur, et sub tanto capite, uno ejus Spiritu fidelia « membra vegetantur. Hoc vocabat judicium, hanc « discretionem, hanc à suis redemptis diaboli expul- « sionem. »

Duplici fundamento fulciri videbatur diaboli in hominum genus dominatio, divinæ scilicet permissionis, et humanæ consensionis. Quamobrem subvertendum utrumque fuit. Sed cùm à Deo concessæ potestatis fines transgressus sit, et qui in nocentes duntaxat et vel originalis vel propriæ contagio culpæ reos sævire permissus erat, in Christum innocentem, totiusque justitiæ auctorem grassatus sit, justè spoliatus est jure suo et concessâ potestate exutus. « Justissimè, inquam

« dimittere cogitur credentes in eum, quem injustissi-
« mè occidit, » inquit S. Augustinus, libro 3 de libero Arbitrio capite 10. Sic justitiâ Christi, ut dictum est, magis quàm potentiâ victus est diabolus, quia cùm in eo mortis meritum non inveniret, secundùm illud Joan. 14 : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam*, id est, nullum peccatum, occidit eum tamen. Justum ergo erat ut quos debitores tenebat, liberi dimitterentur, credentes in eum quem sine ullo debito occidit; ut disserit idem sanctus doctor. S. August., lib. 13 de Trinit., cap. 14 : « Hâc justitiâ « victus, et hoc vinculo vinctus est fortis, ut vasa ejus « eriperentur, quæ apud eum cum ipso et angelis ejus « fuerant vasa iræ, et in vasa misericordiæ verteren- « tur. Hinc Apostolus credentes ad gratiarum actio- « nem invitans : *Qui eruit nos*, inquit Coloss. 1, *de « potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii « dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem in re- « missionem peccatorum.* In hâc redemptione tan- « quàm pretium pro nobis datus est sanguis Christi, « quo accepto, diabolus non ditatus, sed ligatus : ut « nos ab ejus nexibus solveremur, nec quemquam se- « cum eorum quos Christus ab omni debito liber in- « debitè fuso suo sanguine redemisset, peccatorum « retibus involutum traheret ad secundæ ac sempiter- « næ mortis exitium. »

« Christus ut humanum genus vinculis mortiferæ « prævaricationis absolveret, inquit S. Leo sermone 11 « de Passione Domini, et sævienti diabolo potentiam « suæ majestatis occuluit, et infirmitatem nostræ hu- « militatis objecit. Si enim crudelis et superbus inimi- « cus consilium misericordiæ Dei nôsse potuisset, Ju- « dæorum animos mansuetudine potiùs temperare, « quàm injustis odiis studuisset accendere : ne om- « nium captivorum amitteret servitutem, dùm nihil « sibi debentis persequitur libertatem. Fefellit ergo il- « lum malignitas sua : intulit supplicium Filio Dei, « quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur; « fudit sanguinem justum, qui reconciliando « mundo et pretium esset et poculum. Suscepit Do- « minus, quod secundùm propositum suæ voluntatis « elegit. Admisit in se impias manus furentium, quæ « dùm proprio incumbunt sceleri, famulatæ sunt Re- « demptori. »

Quamvis porrò diabolus etiam nunc Deo permittente homines tentare possit quantùm ad animam, et vexare quantùm ad corpus, « tamen præparatum est ho- « mini remedium ex passione Christi, quo se potest « tueri contra hostis impugnationes, ne deducatur in « interitum mortis æternæ. Sed si aliqui hoc remedio « uti negligant, nil deperit efficaciæ passionis Christi; » ut loquitur S. Thomas, 3 P. Quæst. 49, articulo 2, in resp. ad secundam et tertiam objectionem. Præclarè verò S. Augustinus, Tractatu 52 in Joannem, explicat quâ ratione diabolus à Christo sit ejectus foràs, et nihilominùs fideles tentare permitt atur. « Aliud est, « inquit, intrinsecùs regnare, aliud forinsecùs impu- « gnare : nam et munitissimam civitatem aliquando « hostis oppugnat, nec expugnat. Et si aliqua tela ejus « missa perveniunt, admonet Apostolus unde non « lædant, commemorat loricam et scutum fidei. Et si « aliquando vulnerat, adest qui sanat. Quia sicut pu- « gnantibus dictum est, 2 Thessal. 3 : *Hæc scribo vo- « bis ut non peccetis* : ita qui vulnerantur, quod sequi- « tur audiunt, 1 Joan. 2 : *Et si quis peccaverit, advoca- « tum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, « ipse est propitiatio peccatorum nostrorum.* Quid enim « oramus, cùm dicimus : *Dimitte nobis debita nostra*, « Matth. 6, nisi ut vulnera nostra sanentur? Et quid « aliud petimus cùm dicimus : *Ne nos inferas in tenta- « tionem*, nisi ut ille qui insidiatur vel certat extrinse- « cùs, nullâ irrumpat ex parte, nullâ nos fraude, nul- « lâ possit virtute superare? Quantaslibet tamen ad- « versùm nos erigat machinas, quando non tenet locum « cordis ubi fides habitat, ejectus est foràs. Sed nisi « Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilabit « qui custodit. Nolite ergo de vobis ipsis præsumere, « si non vultis foràs ejectum diabolum intrò iterùm « revocare. »

III. Tertium beneficium ex Christi passione ad nos promanans, est pœnæ nostris peccatis debitæ solutio. Integram enim atque omnibus numeris perfectam satisfactionem pro peccatis nostris Deo Patri persolvit, quam homo purus exhibere non poterat. Totum hominum genus peccato infectum ac perditum, tota natura humana peccato corrupta erat, nec bonum singularis personæ, vel etiam plurium, æquiponderabat naturæ totius detrimento. Omnium vitæ redimendæ par non erat nisi ipsa Vita. Imagini suæ redimendæ par pretium non erat nisi Deus. *Frater non redimit, redimet homo? Non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ.* « Quis est « frater qui si non redemerit, nullus homo redemp- « turus est? Qui post resurrectionem dixit : *Vade, « dic fratribus meis :* Frater noster voluit esse : et « cùm Deo dicimus : *Pater noster*, hoc manifestatur « in nobis. Qui enim dicit Deo ; *Pater noster;* Chri- « sto dicit, Frater. Ergo si ipse non redimet, homo « redempturus est ? Aliquis homo redimet, si Filius « hominis non redimit? Si Christus non redimit, Adam « redimet? » inquit S. Augustinus Serm. 1 in psalmum 48. Legatur et S. Basilius in eumdem psalmum. *Frater non redimit, redimet homo*? Hinc S. Cyrillus, lib. 2 in Joannem : « Cùm in multis, inquit, peccatis essemus, at- « que ideò morti et corruptioni obnoxii, dedit Filium « suum Pater redemptionem pro nobis, unum pro om- « nibus, quoniam omnia sunt in ipso, et omnibus me- « lior est. » Et S. Proclus Constantinopolitanus episcopus, oratione 1 : « Homo, inquit, quòd peccati debito sub- « jaceret, salvare utique non poterat ; angelus verò, « quòd tantum redemptionis pretium ipsi non suppe- « teret, genus humanum redimere nequibat. Supererat « igitur ut impeccabilis Deus pro peccatoribus more- « retur ; hæc restabat mali redemptio..... Ex virgine « natus est Deus et homo, non solùm id pretium ha- « bens, quod reorum multitudini ad justitiam redi- « mendæ par esset, sed et quod multis partibus ex- « celleret. Nam ut Filius est, eamdem virtutem ac

« perfectionem incommutabiliter servat cum Patre; « ut rerum Opifex, nullius virtutis est indigens; ut « misericors, immensâ misericordiâ pollet; ut ponti- « fex, dignè intercedendo assistit. Quorum quidem « omnium nihil unquàm simile, nihil æquale in alio « quopiam reperire quis poterit. » Denique S. Avitus Viennensis episcopus Epistolâ 28 scribit : « Nescio in « quem effectum redemptio nostra surrexit, si non « creaturæ suæ pretium Deus exstitit. »

Præterea peccatum quatenùs injuria est infinitæ Dei majestati irrogata, infinitæ est malitiæ. « Tantò enim « offensa est gravior, inquit S. Thomas, 3 p., q. 1, a. « 2, quantò major est ille in quem delinquitur. Unde « oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus sa- « tisfactionis haberet efficaciam infinitam, utpote « Dei et hominis existens. » Infinità peccati enormitate exasperata Dei justitia placari et propitiari non poterat, nisi rependeretur ipsi ablatus honos à personâ infinitæ dignitatis. Sicut enim crescit enormitas injuriæ ex vilitate offendentis; ita crescit pretium satisfactionis ex dignitate satisfacientis. Pretium igitur quo injuria Deo illata plenà satisfactione compensaretur, non aliud erat quàm Deus ipse. Hominem enim tanto muneri imparem reddebat non solùm conditio naturæ, sed et indignitas culpæ : angelum naturæ impotentia et inopia, cùm ex propriis opibus æquale pretium divinæ justitiæ pro hominibus solvere non valeret : solus Agni immaculati sanguis pretium redemptionis nostræ esse potuit. Unde Apostolorum princeps Epistolæ 1 cap. 1, ait : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati.* Et S. Paulus ad Galatas 3, scribit : *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.*

Neque verò pretium quod pro nobis persolvit Christus, debitis nostris par solùm et æquale fuit, verùm ea longè superavit. Vita hominis Dei pretiosior est quàm omne quod Deus non est, et superat omne debitum peccatorum. Si enim interfectio illius superat omnem multitudinem et magnitudinem peccatorum quæ cogitari possunt, palam est quia bonitas pretiumque vitæ ejus præponderat malitiæ omnium peccatorum. Hanc vitam homo iste, cùm ex debito mori non deberet, quoniam peccator non erat, spontè dedit de suo ad honorem Patris, cùm eam sibi auferri propter justitiam permisit. Cumulatissima igitur et superabundans fuit satisfactio Christi. Sic ratiocinatur S. Anselmus libro 2, *Cur Deus homo*, cap. 14 et Meditatione 11, *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* (inquit Propheta Psal. 129.) *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia,* (inquit Apostolus, Rom. 5. Et : *Si unius delicto mors regnavit per unum; multò magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes, in vitâ regnabunt per Jesum Christum.* Non gratiam duntaxat, sed *gratiæ redundantiam* S. Paulus appellavit, inquit S. Joannes Chrysostomus hom. 10 in Epist. ad Romanos : « Non enim quantùm « indigebamus ad peccati interitum, tantùm accepimus « modò ex ipsâ gratiâ, sed et multò ampliùs. Nam et « liberati sumus supplicio, et vitiositatem omnem de- « posuimus, et de integro regenerati sumus, et re « surreximus sepulto veteri homine, et redempti sumus, « et sanctificati, et in adoptionem adducti, et justifi- « cati, et fratres effecti Unigeniti, et cohæredes, et « in eamdem corporis unitatem redacti, et in ipsius « carnem censemur, atque ut corpus capiti, sic illi « uniti sumus. Hæc igitur omnia gratiæ exuberantiam « appellavit Paulus, interim declarans nos non medi- « camen vulneri par solùm accepisse, sed et sanita- « tem, et pulchritudinem, et honorem, et gloriam, et « dignitatem naturâ nostrâ longè superiorem. Atque « horum unumquodque per se ad mortem solvendam « sufficerit. Cùm autem omnia in unum concurrerit, « apparuerit, relinquitur ut ne vestigium quidem aut « umbra illius prorsùs deletæ apparere usquàm pos- « sit. » Si damna nostra tanto cum fœnore resarsit, si tam redundanter nostris utilitatibus indulsit misericordissimus Redemptor, multò certè uberiùs Deo Patri, sibique ipsi damna honoris refudit, ipsique reduntantem satisfactionem obtulit : « Quemadmodùm « ergo, si quis eum qui obolos decem sibi debeat, in « carcerem conjiciat, nec eum tamen solum, sed ejus « causâ tum uxorem tum liberos, tum famulos, atque « hìc superveniens unus aliquis, decem quos dixi obo- « los non numeret modò, sed cùm infinita item auri « talenta largiatur, tum verò in aulas regias vin- « ctum illum introducat, in principatûs altissimi « thronum imponat, cum eo summum honorem com- « municet, non possint utique postea oboli illi decem « illius memoriæ obversari qui illos numeraverit ac « mutuò dederit, sic et in nobis evenit. Multò enim plu- « ra iis quæ debebamus dependit Christus, atque adeò « tantò plura, quantò mare immensum ad pusillam « guttam collatum, majus esse possit. Noli ergo am- « bigere, homo, cùm tantam bonorum opulentiam « videas, neque interroges quî id fieri potuerit ut illa « mortis atque peccati scintilla tanto donorum veluti « mari restincta et soluta sit. »

IV. Huic beneficio quartum illud connexum atque implicatum est, quòd Christus morte suâ, velut sacrificio, quo nullum Deo gratius et acceptius offerri potuit, Patris iram et indignationem prorsùs mitigavit, eumque nobis placatum et propitium reddidit. Unde Apostolus 2 ad Corinthios 5, ait : *Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum... Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Et ad Ephesios cap. 5 : *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* « Divina « justitia placari non poterat, nisi victimâ piaculari « aliquâ quæ ad id par esset. Quærendum erat sacri- « ficium; sed quale sacrificium poterat pro absolvendis « hominibus inveniri? Neque enim justum fuit, inquit « S. Gregorius libro 17. Moralium cap. 18, ut pro ra- « tionali homine brutorum animalium victimæ cæde- « rentur. Ergo si bruta animalia propter rationale « animal, id est, pro homine dignæ victimæ non fue-

« runt, requirendus erat homo qui pro hominibus offerri debuisset, ut pro rationali peccante rationalis hostia mactaretur. Sed quid quod homo sine peccato inveniri non poterat; et oblata pro nobis hostia quando nos à peccato mundare potuit, si ipsa hostia peccati contagione non careret? Inquinata quippe iniquitates mundare non potuisset. Ergo ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus; ut verò à peccatis mundaret hominem, homo sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commixtione descenderet? Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei, ubi pro nobis factus est homo; sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quæ et humanitate mori, et justitiâ mundare potuisset. » Certissimum est quod Apostolus scribit Epist. ad Hebræos cap. 10 : *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti : corpus autem aptâsti mihi : holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio :* significans solo sacrificio in quo idem sacerdos et victima Deus esset, justitiam divinam placari, Deum hominibus propitium reddi, hominum peccata expiari potuisse. Opus Deo acceptissimum, ex charitate maximâ proveniens, in honorem Dei factum, ad eumque placandum ordinatum et susceptum, verum sacrificium esse nemo negaverit. Cùm igitur talis sit Christi passio, quâ se ipsum pro nobis victimam piacularem ex charitate maximâ obtulit Christus summus sacerdos, ipsam verum fuisse sacrificium planè constat. « Hujus veri sacrificii, inquit S. Augustinus libro 10 de Civitate Dei, cap. 20, multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cùm hoc unum per multa signaretur, tanquàm verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multùm commendaretur. » Ut cùm quatuor considerentur in omni sacrificio, scilicet : « Cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipse unus verusque Mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat, et quod offerebat. » Verba sunt ejusdem S. Augustini, libro 4 de Trinitate, 14 : « Quid enim, ut ibidem ait, tam congruenter ab hominibus sumeretur quod pro eis offerretur, quàm humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi quàm caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quàm sine ullâ contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero et ex utero virginali? Et quid tam gratè offerri et suscipi posset, quàm caro sacrificii nostri, corpus effectum sacerdotis nostri? » Mors Christi, quatenùs ab ejus interfectoribus illata, impium facinus est, quatenùs ab ipso Christo Jesu tolerata et oblata, holocaustum est. « In uno eodemque facto displicuit pietas malignantium, placuit pietas patientis. Non mors, sed voluntas placuit spontè morientis, et illâ morte expungentis mortem, operantis salutem, restituentis innocentiam... Quantò illorum major iniquitas, tantò hujus voluntas sanctior et potentior ad salvandum. Nec peccato sive peccantibus adscribitur hæc victoria, sed benè utenti peccato. Fuit verò sanguis qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum quo factum est ut effunderetur, deleret; » inquit S. Bernardus Epistolâ 190 seu tractatu de Erroribus Abailardi, cap. 8. Est autem sacrificium istud et signum alicujus rei à nobis observandæ, ad quam S. Petrus Christianos hortatur Epistolæ 1 cap. 4, scribens : *Christo igitur passo in carne, et vos eâdem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, desiit à peccatis : ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.*

V. Quintum beneficium ex passione Christi in hominum genus redundans, est cœli reseratio. Primi scilicet hominis peccato, et propriis singulorum hominum peccatis, interclusus illis erat regni cœlestis aditus. Ut enim Isaiæ 35, scriptum est : *Via sancta vocabitur, et non transibit per eam pollutus.* Per passionem autem Christi liberati sumus non solùm à peccato communi totius humanæ naturæ, et quantùm ad culpam, et quantùm ad reatum pœnæ, ipso solvente pretium pro nobis; sed à peccatis etiam propriis liberati sunt singuli, quicumque ipsius passioni communicant per fidem, charitatem, et fidei sacramenta : ideòque per Christi passionem aperta nobis est janua regni cœlestis. Atque id significavit Apostolus his verbis Hebr. 9 : *Christus assistens pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ.* Et Hebr. 10 : *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum, in sanguine Christi.* Neque verò in veteri lege hujus mysterii figura et imago quædam defuit, in morte scilicet summi Hebræorum sacerdotis. Assignatæ erant Dei jussu certæ quædam urbes refugii, in quibus tuti essent, qui non voluntariam, sed fortuitam cædem perpetrâssent : quò confugientibus, tamdiù tolerandum illic erat exilium, quoad summus pontifex obiisset, nec in patriam ante illius mortem redire ipsis licebat. Id autem significabat, nemini, quamvis justè et piè vixisset, aditum in cœlestem patriam patere, antequàm summus ille sacerdos Christus Jesus mortem obiret : eosque omnes qui se propriis peccatis alligâssent tamdiù ab illâ exulare, quoad mortis Christi Jesu fructum perceperint : quod ubi factum fuerit, ipsis regnum cœlorum patebit. Id confirmat Philonis Judæi testimonium eò locupletius, quò ab hoste christianæ religionis petitum est. Is in libro de Exulibus, de hâc lege Moysi disserens, sacerdotem illum magnum, « non hominem intelligendum esse ait, sed Verbum Dei, omnium non spontaneorum solùm, sed et involuntariarum noxarum expers... Patrem quidem habens Deum, qui et omnium Pater est, matrem verò sapientiam. »

§ VII. *Christus in Passione suâ omnium virtutum exempla dedit.*

Præter hæc immensa, quæ mox commemoravimus

beneficia, illud etiam vel maximum consecuti sumus ex passione Christi Jesu, ut in eâ omnium virtutum clarissima exempla habeamus. Nam et patientiam et humilitatem, et eximiam charitatem, et mansuetudinem, et obedientiam, et summam animi constantiam non solùm in perferendis propter justitiam et hominum salutem doloribus, sed etiam in morte oppetendâ ita ostendit, ut verè dicere possimus Salvatorem nostrum, quæcumque vitæ præcepta toto prædicationis suæ tempore verbis nos docuit, ea omnia uno passionis die in se ipso expressisse.

Charitatem eximiam ostendit, quia Dominus gloriæ pro servis, sanctus sanctorum pro peccatoribus mortuus est. *Ut quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori;* inquit Apostolus, Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est : multò igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum.* Et S. Petrus, Epistolæ 1, cap. 3, eamdem charitatem prædicans : *Christus*, inquit, *semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* Hinc Salvianus, libro 1 de Gubernatione Dei, Patris Filiique charitatem indivisam in homines commendans : « Plus amat nos Deus, inquit, quàm filium pater. Evidens quippe res est, quòd super affectum « filiorum nos diligit, qui propter nos Filio non pepercit. Et hoc Filio justo, et hoc Filio unigenito, et hoc « Filio Deo. Et hoc pro nobis, id est, pro malis, pro « impiissimis, pro iniquis. Quis æstimare hunc erga « nos Dei amorem queat, nisi quòd justitia Dei tanta « est, ut in eum cadere aliquid injustum non possit? « Nam quantùm ad rationem humanam pertinet, in« justam rem homo quilibet fecerat, si pro pessimis « servis filium bonum occidisset. Utique hoc magis « inæstimabilis pietas, et hoc magis mirabilis Dei vir« tus est, quòd ita intelligi ab homine magnitudo ju« stitiæ suæ non potest : ut quantùm ad imbecillitatem « humanam pertinet, penè injustitiæ speciem magni« tudo justitiæ habere videatur.... Vix enim pro justo « quis moritur.... Si vix ullus pro summâ justitiâ « mortem suscipiat, probavit Christus quantùm præ« stiterit, pro nostrâ iniquitate moriendo.... Commen« dat autem Deus charitatem suam in nobis.... Quo« modò commendat? Quia non merentibus præstat. Si « enim sanctis et benè meritis præstitisset, non vide« batur, quæ non debuerat, præstitisse, sed quæ de« buerat, reddidisse. » Maximè autem in eo charitas ejus emicuit, quòd proditorem Judam ad osculum admisit, ad pœnitentiam invitavit, quòd Petrum oculis benignis respexit, negationisque suæ crimen deflenti veniam indulsit, quòd pro crucifixoribus suis rogavit, dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* « Non debebant desperare, pro quibus in cruce pen« dens Dominus dignatus est orare. Videbat quosdam « suos inter multos alienos, illis jam petebat veniam, « à quibus adhuc accipiebat injuriam : non enim at« tendebat quòd ab ipsis moriebatur, sed quòd pro ipsis « moriebatur, « inquit S. Augustinus tractatu 5 in Joannem. » Qualis ejus insania qui medicum occidit! « Quanta verò bonitas et potentia medici, qui de san« guine suo, insano interfectori medicamentum fecit! « Neque enim ille qui venerat quærere et salvare quod « perierat, pendens sine causâ dicebat : *Pater, ignosce « illis, quia nesciunt quid faciunt.* Insani sunt; medicus « sum : sæviant, patienter fero : cùm occiderint, tunc « sanabo. » Hæc S. Augustinus sermone 274, aliàs 8, de Verbis Apostoli, *Vide pendentem Dominum tuum.* « Vide pendentem, et tibi de ligno tanquàm de tribu« nali præcipientem. Vide pendentem, et tibi languenti « de suo sanguine medicamentum facientem. Vindicari « vis : vide pendentem, audi precantem : *Pater, ignosce « illis, quia nesciunt quid faciunt.* Sed potuit hoc fa« cere, dicis mihi : Ego non possum. Ego enim homo « sum, ille Deus : homo ego, homo ille Deus homo : » Deus ergo ut quid homo, si non corrigitur homo? inquit S. Augustinus sermone 49, aliàs de Tempore 237.

II. Pietatis erga parentes exemplum dedit, cùm Matrem dilecto discipulo, Virginem virgini commendavit. « Testatur de cruce Dominus Jesus, et paulisper pu« blicam differt salutem, ne Matrem inhonoram relin« quat. Subscribitur Joannes Testamento Christi. Le« gatur Matri pudoris defensio, testimonium integri« tatis : legatur et discipulo Matris custodia, pietatis « gratia. » Verba sunt S. Ambrosii libro de Institutione Virginis, cap. 7. Alia Christi in cruce verba cùm alii commemoraverint Evangelistæ, solus Joannes nos docet quemadmodùm in cruce positus appellaverit Matrem. « Pluris putans quòd victor suppliciorum at« que pœnarum, victor diaboli, pietatis officia divide« bat, quàm quòd regnum cœleste donabat. Nam si « religiosum est quòd latroni venia donatur à Domino, « multò religiosius quòd Mater honoratur à Filio, » inquit idem Ambrosius libro 10 in Lucam.

III. Humilitatis et obedientiæ clarissimum exemplar se præbuit in passione suâ Christus; sive cùm in horto Getsemani, ubi prostratus in terrâ Patrem oravit; sive cùm opprobria et insultus Judæorum pertulit; sive cùm ignominiosissimum supplicii genus subire voluit Barabbæ homini seditioso et homicidæ postpositus, cum iniquis reputatus, inter duos latrones crucifixus; et inclinato capite emisit spiritum. Humiliavit semetipsum in oratione, cujus nobis formam dedit. « Pote« rat enim orare silentio; sed ita se Patri voluit exhi« bere precatorem, ut meminisset nostrum se esse « doctorem. Proinde eam quam fecit orationem pro « nobis, notam fecit et nobis, quoniam tanti magistri « non solùm ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis « ad Patrem oratio, discipulorum est ædificatio, » inquit S. Augustinus tractatu 104 in Joannem. Orat Christus super terram prostratus. Orat misericordia, et non orat miseria; orat majestas, et non orat infirmitas; prostratus in terrâ jacet medicus, et non humiliatur ægrotus. Proh pudor! Qui autem humiliavit

se in oratione, multò magis humiliavit se in passione. *Ego autem*, inquit, *sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis*, Psal. 68. *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam*, Isai. 53. Ipsum velut despectum et novissimum virorum vincula constrinxerunt, ludibria, improperia, opprobria inhonorârunt, sputa fœdârunt, alapæ contuderunt, flagella cruentârunt. *Humiliavit semetipsum* Rex gloriæ, Dominus virtutum, Sanctus sanctorum, non solùm usque ad vincula, usque ad approbria, usque ad flagella et vulnera, sed *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Denique « tota victoria « Salvatoris, quæ et diabolum superavit et mundum, « humilitate est concepta, humilitate est confecta, » inquit S. Leo, Serm. 7 in Nativ. Dom.

IV. Mansuetudinem incomparabilem in passione suâ Christus exhibuit. Jussit Petro ut gladium reconderet, quo ad ejus defensionem armatus erat; servum principis sacerdotum, cujus ille aurem absciderat, contactu suo sanavit; ministro pontificis alapam sibi infligenti, admirabili moderatione ac lenitate respondit, Joan. 18 : *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem benè, quid me cædis?* Accusatus, *non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutuit...* Isai. 53. *Cùm malediceretur, non maledicebat; cùm paterétur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injustè*, 2 Petri 2.

V. De patientiâ verò Christi Jesu quis pro dignitate loqui possit? Omnes passionis ejus circumstantiæ divinæ istius virtutis documenta præbent. « Proditorem « suum secum habuit, nec constanter denotavit. Cùm « verò traditur, cùm adducitur ut pecus ad victimam; « sic enim non magis aperit os, quàm agnus sub tondentis potestate. Ille cui legiones Angelorum, si « voluisset, uno dicto de cœlis adfuissent, ne unius « quidem discentis gladium ultorem probavit. Patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque et gladii « opera maledixit in posterum, et sanitatis restitutione ei quem non vexaverat satisfecit per patientiam, misericordiæ matrem. Taceo quòd figitur, in « hoc enim venerat. Numquid tamen subeundæ morti « etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, « verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus « coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis « figurâ proposuerat latere, nihil de impatientiâ hominis imitatus est. Hinc vel maximè, Pharisæi, « Dominum agnoscere debuistis. Patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. » Verba sunt Tertulliani libro de Patientiâ, cap. 3. Ad divinæ istius patientiæ imitationem Apostolus nos hortatur, ut scilicet passionum Christi socii et participes simus, ut complantemur similitudini mortis ejus, ut Christo configamur cruci, ut compatiamur, si corregnare volumus; ut recogitemus eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem, ut ne fatigemur animis nostris deficientes. Jubet ipse Salvator ut crucem feramus, et ipsum sequamur alioqui discipulorum suorum nomine indignos declarat. « Attende igitur, inquit S. Augustinus, Serm. 46, « aliàs de Tempore 165, c. 5, ad passiones Christi; « attende ad illum sine ullo peccato, quæ non rapuit, « exsolventem; attende ad Scripturam dicentem, « Hebr. 12, 6 : *Flagellat autem omnem filium quem « recipit.* Et para te flagellari, aut certè non quæras « recipi. Tu fortè exceptus eris? Si exceptus à passione « flagellorum, exceptus à numero filiorum. Itane, « inquies, flagellat omnem filium? Prorsùs ita flagellat omnem filium, ut et Unicum. Unicus ille de « Patris substantiâ natus, æqualis Patri in formâ Dei, « Verbum per quem facta sunt omnia, non habebat « unde flagellaretur : ad hoc carne indutus est, ut « sine flagello non esset. Qui ergo flagellat Unicum « sine peccato, numquid relinquit adoptivum cum « peccato? » In adoptionem vocati sumus, ut essemus unici cohæredes. Exemplum nobis dedit in passionibus suis. Ipsius igitur patientiam imitemur. 1 Petri. 2 et 4 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus..... Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrùm patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat... In hoc enim vocati estis*, inquit Apostolorum princeps. A laboribus, à tentationibus, à persecutionibus, ab adversitatibus immunem esse Christianum nemo sibi persuadeat, qui, « quia Christianus est, aliquid plus passurus est « in hoc seculo, » ut S. Augustinus ait, Sermone 46. Sed etsi desint flagella à Deo illata, vel ab hominibus improbis ipso permittente, et per eorum passionem fideles suos exercente, carnem suam voluntariis macerationibus crucifigat Christianus, voluptates contemnat et fastidiat. « Cogitet quale sertum pro utroque « sexu subiit Christus Jesus, ex spinis scilicet ac tribulis, in figuram delictorum quæ nobis protulit « terra carnis, abstulit autem virtus crucis, omnem « aculeum mortis in Dominici capitis tolerantiâ obtundens. Certè præter figuram, contumelia in « promptu est, et turpitudo, et dedecoratio, et his « implexa sævitia, quæ tunc Domini tempora et fœdaverunt, et lancinaverunt. » Ne igitur cum luxuriosis, voluptariis ac delicatis hominibus dixeris : *Coronemus nos rosis antequàm marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Pudeat sub capite spinis confixo membrum fierit delicatum. Christi coronam æmuleris, « quia et favos post fella « gustavit; nec ante Rex gloriæ à cœlestibus salutatus « est, quàm Rex Judæorum proscriptus cruci... Si ob « hæc caput ei tuum debes, tale, si potes, ei reponde, « quale suum pro tuo obtulit : aut nec floribus coro- « neris, si spinis non potes. » Verba sunt Tertulliani, libro de Coronâ, cap. ultimo

Denique Christus, et in vitâ, et in passione morteque suâ nos ad dura quæque constanter perferenda,

et omnia voluptatum lenocinia fugienda exemplo suo instruxit, ut demonstrat S. Augustinus, libro de verâ Religione, cap. 16, cujus verba superiori articulo protulimus, Christi nomen explicantes.

§ VIII. *Christi Jesu claritas et gloria in passione et cruce promicans, et per passionem crucemque parta.*

I. Passio cruxque Christi Salvatoris immensa est ipsi gloriæ seges. Nam in passione et cruce verè Deus apparuit, cùm unico verbo, *Ego sum*, armatam militum cohortem quasi quodam fulmineo ictu stravit atque perculit, ut omnes illi atroces, minaces atque terribiles retroacti corruerent. « Quid jam poterit « majestas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas « judicanda ! » inquit S. Leo serm. 1 in Pass. Dom. Aurem deinde servi à Petro fervore sanctæ charitatis accenso abscissam, restituit ac sanavit manus Christi. « Reformavit quod ipse formaverat : nec tardè caro « secuta est ejus imperium, cujus erat ipsa figmentum. Habent ergo divinam hæc opera virtutem. Sed « quòd Dominus majestatis suæ potentiam comprimit, « et vim in se persecutoris admittit, ex illâ est voluntate quâ dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis. » Idem, serm. 2. Jam verò conversio repentina latronis, qui Christi subitò fit confessor, et inter illos acerrimos corporis animique cruciatus, quos simul et instantia et difficultas mortis augebat, *Memento*, inquit, *mei, Domine, dùm veneris in regnum tuum*, nonne divinitatis Christi locupletissimum testimonium est? Quæ istam fidem exhortatio persuasit? Quæ doctrina imbuit? Quis prædicator accendit? Non viderat priùs acta miracula, et tamen Dominum confitetur et Regem, quem videt supplicii sui esse consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipsa responsum. Ait enim ei Jesus, Luc. 23 : *Hodiè mecum eris in paradiso*. « Excedit humanam conditionem ista promissio ; nec tam de ligno crucis, quàm de throno editur « potestatis. Ab illâ altitudine præmium fidei datur, in « quâ chirographum humanæ transgressionis aboletur, « quia se à formâ servi, Dei forma non dirimit, dùm « etiam inter ipsa supplicia proprietatem unitatemque « suam servavit, et deitas inviolabilis, et natura passibilis. » In cruce tandem se Deum esse demonstravit, cùm magnâ voce clamans, emisit spiritum, carnificis officium præveniens, tempusque mortis accelerans : unde centurio videns quia sic clamans expirâsset, ait : *Verè hic homo Filius Dei erat :* et cùm naturam totam immutavit. Solis quippe defectio præter naturæ ordinem et leges curriculis astrorum præfixas, ingensque terræ motus, saxorum diruptio, monumentorum apertio, multorum sanctorum à morte suscitatio, fidem resurrectionis Dominicæ præmuniens ; scissio veli quod templi adyto, sive Sanctis sanctorum erat oppansum, Deum naturæ, templique ac legis Dominum pati ac mori testabantur. « Exaltatum Jesum ad se traxisse « omnia, non solùm nostræ substantiæ passione, sed « etiam totius mundi commutatione monstratum est. « Pendente enim in patibulo Creatore, universa creatura congemuit, et crucis clavos omnia elementa « senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc « in communionem sui, et terram traxit et cœlum, hoc « petras rupit, monumenta aperuit, inferna reseravit, « et densarum horrore tenebrarum radios solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo mundus Auctori, ut in occasu Conditoris sui vellent universa « finiri. » Verba sunt S. Leonis sermone de Passione Domini. Eclipsis porrò quæ præter naturam contigit Christo moriente, non solùm Evangelistæ, sed scriptores etiam ethnici meminerunt, nempè Thallus, libro 3 Historiarum, ut Africanus refert, necnon Phlegon Adriani imperatoris libertus, libro Olympicorum Chronic. 13. Et Tertullianus, Christianorum causam apud ethnicos agens Apologetici cap. 21, miraculi istius testes citat archiva ipsorum et publica instrumenta, Matth. 27. *Centurio, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, et his quæ fiebant, timuerunt valdè dicentes : Verè Filius Dei erat iste.* Denique divinitatis suæ manifestationem Christus passione suâ et morte promeruit, Apostolo teste, Philipp. 2 : « Factus « est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit « illi nomen quod est super omne nomen ; » ut scilicet ab omnibus agnoscatur et colatur ut Deus.

II. Per passionem et crucem Christus Jesus victor diaboli et mortis exstitit, quod maximum divinitatis ejus argumentum est. Unde Apostolus ad Hebræos 2 scribit : *Eum autem qui modico quàm angeli minoratus est, videmus Jesum, propter Passionem mortis glorià et hónore coronatum : ut gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per Passionem consummare..... Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem : ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Et ad Colossenses 2 : *Delens*, inquit, *quod adversùm nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci ; et exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Diabolus igitur peccati mortisque princeps eidem cruci, quod mirum dictu, cum Christo confixus fuit, tam dispari exitu, quàm dissimili causâ : Christus enim sanctitatis et innocentiæ dux triumphum agebat ; diabolus impietatis et superbiæ princeps in triumphum agebatur et traducebatur. Quamobrem Patres crucem *lignum triumphale* appellant ; et vel ipsum crucis signum dæmonibus formidolosum est. S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 3, narrat Julianum imperatorem Apostatam, inimicum licèt crucis Christi, inter sacra magica consternatum, cùm se signo crucis consignâsset, dæmones abegisse ; valuit signaculum, victi sunt dæmones, metus depulsi. Narrat S. Epiphanius hæresi 30, ut Josephus Comes ex Judæo jam christianus, cùm à templi exstructione per magicas artes à Judæis prohiberetur, per signum crucis digito impressum aquæ,

eâque aspersâ, præstigias omnes et maleficia discusserit. Quo miraculo commota turba magnis vocibus exclamavit : *Magnus est Deus qui Christianos adjuvat.* Hinc nos frontis ad omnem progressum atque aditum et exitum, ad vestitum, ad mensas, ad cubilia, ad omnes penè actiones, crucis signaculo terendæ ab Apostolis originem duxit. Hujus disciplinæ *traditio prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix*, teste Tertulliano, libro de Coronâ militis. Qui et in Apologetico, ait : *Qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster.* Sed et S. Basilius libro de Spiritu sancto, cap. 27, inter ea quæ apostolicâ traditione ad nos pervenerunt, primo loco signum crucis commemoraverat. S. Joannes Chrysostomus, Homiliâ 21 ad populum Antiochenum, disertè explicat, quid impressâ fronti cruce profiteatur Christianus : « Sicut, « inquit, sine calceamentis vel vestimentis nemo ves- « trûm in forum descendere elegerit, ita sine verbo « hoc nunquàm in forum prodeas. Abrenuntio tibi, « Satana, et pompæ tuæ, et cultui tuo, et conjungor « tibi, Christe. Ne unquàm absque hâc voce exeas, « hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris in- « expugnabilis. Cum hoc verbo et crucem in fronte « imprime : sic enim non tantùm homo occurrens, « verùm nec ipse diabolus te quidquam lædere pote- « rit, cum his te cernens armis ubique apparentem. « Et hæc teipsum jam hinc doce, ut cùm signum ce- « peris, sis miles paratus et contra diabolum tro- « phæum erigens, justitiæ coronam capias. » Constantino Magno crux olim in cœlo visa, ex luce conflata, solique superposita, cum hujusmodi inscriptione, HAC VINCE, ut refert Eusebius libro 1 de ejus Vitâ, cap. 28. Idem singulis Christianis fides suggerat.

Videtur autem totius fidei nostræ compendium in hâc unâ frontem cruce signandi rationem contineri. Signum crucis tribus primis digitis exprimendum esse docet Innocentius III, libro 2 de Mysteriis missæ, cap. 44, ad significandum Trinitatis mysterium. Ducitur autem primum à vertice capitis sive frontis, usque ad umbilicum : ut indicetur à summo cœlo egressum in viscera Virginis Matris descendisse Dei Filium, atque ex purissimo illius sanguine carnem nostram suscepisse; deinde à sinistro brachio ad dextrum : ut causa simul incarnationis exprimatur. Nam propterea de cœlis in terram descendit, passionemque et mortem in cruce subiit, ut nos qui eramus à sinistris inter hœdos collocandi, transferret ad dexteram inter oves suas, ubi vocem illam desideratam audire liceret : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Fronti crucis signum imprimitur, quæ verecundiæ sedes est, ne Christi crucem erubescamus, sed in ipsâ nos gloriari profiteamur. Pectori imprimimus, ut Christum crucifixum in corde nos portare significemus : humeris et brachiis, ut nos adstrictos esse indicemus ad crucem Christi ferendam, et legem, quam è cruce promulgavit, fideliter observandam : sicque *dilectio*, quæ *fortis* est *ut mors*, Christum ipsum crucifixum ponat *ut signaculum super cor* nostrum, *super brachium* nostrum : super cor, ut nihil præ Christo crucifixo diligamus; super brachium, ut quidquid agimus, propter Christum crucifixum et in nomine illius agamus. Præclarè S. Augustinus Enarratione in Psalmum 50 : « Multos hodiè fratres nostros « cogitamus et plangimus ire in vanitates et insanias « mendaces, negligere quò vocati sunt. Qui si fortè in « ipso circo aliquâ ex causâ expavescant, continuò se « signant, et stant illic portantes in fronte, unde abs- « cederent, si hoc in corde portarent. » Et homiliâ 21 inter 50 : « Omnis qui ad aliquod malum currit, si « fortè pedem impegerit, signat os suum, et nescit « quòd includit potiùs dæmonem, quàm excludit. Tunc « benè se signaret, et diabolum de corde suo repelle- « ret, si se ab illo opere nefario cohiberet. « Signum igitur crucis est omnis improbitatis ejeratio, et sacramentum quo astringit se Christianus legi Christi, ac legem peccati execratur, si modò cor linguæ manuique consentiat. « Christi signum in fronte gestamus, de « quo non erubescimus, si et in corde gestamus. Si- « gnum ejus est humilitas ejus. Per stellam eum magi « cognoverunt : noluit stellam esse in fronte fidelium « signum suum, sed crucem suam. Unde humiliatus, « inde glorificatus; » inquit S. Augustinus Tractatu 3 in Joannem.

III. Crux Christi, *altare* est *sacrificii*, in quo Christus summus sacerdos, idemque victima, seipsum agnum immaculatum Deo immolavit pro nostrâ redemptione et salute, hâcque *unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* In hoc altari *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, Hebr. 10 et 9. De hoc altari et sacrificio, cùm alii Patres, præclarè disserunt, tùm præsertim S. Leo, sermone 4 de Passione Domini. « Crux Christi, inquit, Sacramentum « veri et prænuntiati habet altaris, ubi per hostiam « salutarem, naturæ humanæ celebraretur oblatio. Ibi « sanguis immaculati Agni antiquæ prævaricationis « pacta delebat : ibi tota diabolicæ dominationis con- « terebatur adversitas, et de elatione superbiæ victrix « humilitas triumphabat : cùm tam velox esset fidei « effectus, ut de crucifixis cum Christo latronibus, qui « in Christum Filium Dei credidit, paradisum justifi- « catus intraverit. » Et sermone 8 : « *Pascha nostrum*, « inquit, *immolatus est Christus :* qui se novum et ve- « rum reconciliationis sacrificium offerens Patri, non « in templo, cujus jam finita erat reverentia, nec in- « tra septa civitatis, ob meritum sui sceleris diruendæ, « sed foris et extra castra crucifixus est, ut veterum « victimarum cessante mysterio, nova hostia novo im- « poneretur altari, et crux Christi non templi esset « ara, sed mundi. » In cruce universa fidelium Ecclesia cum suo capite Christo Deo immolabatur, cum Christo non pecudem, sed virtutem; non cruorem, sed pietatem; non adipem, sed charitatem; non nidorem, sed humilitatem, et patientiam invictam, justitiamque omnimodam offerret. Ex cruce scilicet ac morte Christi pretium omne ac meritum sacrificio bonorum nostrorum operum accedit. Unde S. Leo ibidem. « Crux tua, inquit, omnium fons benedictionum, « omnium est causa gratiarum : per quam credentibus

« datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita « de morte. » Christi quidem capitis nostri sacrificium in cruce peractum et *consummatum est*, ut ipse exclamavit animam efflaturus : sed totius corporis singulorumque membrorum passio crux, sacrificium peragitur quotidiè, et ad finem seculi adimplebitur. Cùm enim Christus una persona sit, caput et corpus, una est Christi oblatio jugis et perennis, quâ justus quisque, et in unoquoque justo Christus crucifigitur, et gloriæ Patris immolatur. Hinc S. Gregorius, seu alius auctor antiquus Commentarii in librum 1 Regum sub ejus nomine editi : « Per crucem quidem suam, in- « quit, Christus omnes redemit, sed remansit, ut qui « redimi et regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc « profectò residuum viderat, qui dicebat : *Si compa- « timur, et conregnabimus.* Quasi dicat : Quod explevit « Christus, non valet, nisi ei qui id quod remansit, ad- « implet. Hinc beatus Petrus Apostolus dicit 1, 2 : *Chri- « stus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, « ut sequamini vestigia ejus,* » Hinc Paulus ait Coloss. 1 : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ, pro corpore ejus quod est Ecclesia.*

IV. Crux Christi, *tribunal judicantis*. In passione Domini tres cruces erant : « Una pœna, sed dispar « causa. Ad dexteram unus latro, ad sinistram alter « latro, in medio Judex inter ambos, pendens in cruce, « quasi pronuntians de tribunali, » inquit S. Augustinus sermone 327 « De cruce quippe insultantem dam- « navit, credentem liberavit. » Quod in cruce factum est, typus fuit ejus quod faciendum est cùm Christus judicaturus advenerit. Bonus latro ad dexteram, malus ad sinistram : « In judicio, electi à dextris, reprobi à « sinistris. In ipsâ igitur patibuli specie monstratum « est quæ in judicio ipsius omnium hominum facienda « est discretio : cùm et salvandorum figuram fides cre- « dentis latronis exprimeret, et damnandorum for- « mam blasphemantis impietas prænotaret; » inquit S. Leo sermone 4 de Passione Domini. Timete insultantes, gaudete credentes : hoc faciet in claritate, quod fecit in humilitate.

V. *Lignum in quo fixa fuerunt membra morientis, cathedra fuit magistri docentis*, inquit S. Augustinus. Docuit autem exemplo magis quàm verbo charitatem, humilitatem, paupertatem, mansuetudinem, patientiam; docuit quæ sit christianè vivendi, quæ item christianè moriendi ratio; docuit justitiam omnem; docuit quidquid scire debet Christianus, quidquid Apostolis et apostolicis viris prædicandum incumbit. Nam et *nihil scire* se arbitratur Apostolus, *nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* Et suo aliorumque nomine ait : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum... Verbum crucis pereuntibus stultitia est : iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis, virtus Dei est*, 1 Cor. 1 et 2. Docet ut crucem feramus, ut in cruce cum ipso pendeamus, ut reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi faciamus. « In hâc quidem cruce, « per totam istam vitam, quæ in mediis tentationibus « ducitur, perpetuò debet pendere Christianus. Non « enim est in hâc vitâ tempus evellendi clavos, de qui- « bus in Psalmo 118 dicitur : *Confige clavis à timore « tuo carnes meas.* Carnes sunt carnales concupiscen- « tiæ; clavi sunt præcepta justitiæ. His illas timor « Domini configit, qui nos illi acceptabilem hostiam « crucifigit... Sic semper hic vive, Christiane : si ter- « reno limo gressus non vis immergere, noli de istâ « cruce descendere. » Verba sunt S. Augustini, sermone 205, aliàs de Diversis 68.

VI. Crux Christi, *thalamus sponsi*, in quo Ecclesiam sponsam suam formavit, sanguine suo mundavit, sibi in fide, in justitiâ, et in sempiternum copulavit. Primus Adam, typus secundi. « Cùm dormiret Adam, costa illi « detracta est, et Eva facta est : sic et Domino, cùm « dormiret in cruce, latus ejus lanceâ percussum est, « et sacramenta profluxerunt, unde facta est Ecclesia. « Ecclesia enim conjux Domini facta est de latere, « quomodò Eva facta est de latere. Sed quomodò illa « non est facta nisi de latere dormientis, sic ista non « est facta nisi de latere morientis. *Unus militum lanceâ « latus ejus aperuit, et continuò exivit sanguis et aqua*, « Joan. 19. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut « non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut « quid aliud, sed aperuit. Ut illic quodammodò vitæ « ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiæ ma- « naverunt, sine quibus ad vitam quæ vera vita est, « non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est « peccatorum : aqua illa salutare temperat poculum : « hæc et lavacrum præstat, et potum. Hoc prænuntia- « bat quod Noe in latere arcæ ostium facere jussus est, « quâ intrarent animalia, quæ non erant diluvio peri- « tura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc « prima mulier facta est de latere viri dormientis, et « appellata est vita materque vivorum. Magnum quippe « significavit bonum, ante magnum prævaricationis « malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce « dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quod de la- « tere dormientis effluxit. O mors unde mortui revi- « viscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere « isto salubrius? » Hanc ob causam signum crucis Christi in omnium sacramentorum celebratione ab Ecclesiâ usurpatur. « Quod signum nisi adhibeatur, « sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex quâ « regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, « sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perfici- « tur. Quomodò ergo per id quod mali faciunt, nihil « boni significatur, quando per crucem Christi, quam « fecerunt mali, in celebratione sacramentorum ejus « bonum nobis omne signatur? » Verba sunt S. Augustini, tractatibus 118 et 120 in Joannem.

VII. Crux Christi thronus est regnantis. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*, Psal. 95. Planè *Dominus regnavit à ligno*, ut canit Ecclesia, quæ verba et in hoc psalmi 95 versu prisci codices nonnulli exhibent, et ea legunt S. Justinus martyr, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, etc. Quin etiam à Judæis oblitterata queritur Justinus in Dialogo contra Tryphonem Judæum. Quanquàm verò ea verba Hebræi codices reverà non habeant, nec Vulgata nostra repræsentet : regnum tamen Christi *à ligno* agnoscit et prædicat Ec-

clesia, legitima et fidelis Scripturarum divinarum interpres. Regia Christi Jesu dignitas in Passione maximè promicuit, primò cùm spineâ coronâ redimitum milites ut regem Judæorum salutaverunt. « Detestabili « quidem mentis affectu, honoratum tamen Judæi exi- « tum produnt; nam etsi compungentes coronant, il- « ludentes adorant; etsi corde non credunt, quem « perimunt, confitentur. Illis defuerunt boni operis « affectus, Deo tamen suus non defuit honor : qui sa- « lutatur ut rex, coronatur ut victor, quasi Deus et « Dominus adoratur, » inquit S. Ambrosius libro 10 in Lucam. Rex constitutus est à Patre super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus; sed occultat ad tempus tremendam potentiam, ut commendet priùs imitandam patientiam. « Sic regnum « quod de hoc mundo non erat, superbum mundum « non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate « vincebat; sic illud granum multiplicandum semina- « batur horribili contumeliâ, ut mirabili pullularet in « glorià, » S. Augustinus tract. 116.

Secundò, regia ejus dignitas effulsit, cùm crucem suam portavit. Tunc enim Isaiæ Vaticinium impletum est : *Et factus est principatus super humerum ejus*, Isaiæ 9. Ibat ergo ad locum ubi erat crucifigendus, portans crucem suam Jesus. « Grande spectaculum, « inquit S. Augustinus, tract. 117 in Joannem; sed si « spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande « mysterium : si spectet impietas, grande ignominiæ « documentum; si pietas, grande fidei munimentum : « si spectet impietas, videt Regem pro virgâ regni li- « gnum sui portare supplicii; si pietas, videt Regem « bajulantem lignum ad semetipsum figendum quod « fixurus fuerat etiam in frontibus regum : in eo « spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura « corda sanctorum. »

Tertiò, regia Christi dignitas crucis titulo tribus linguis scripto Pilati jussu comprobata est : *Jesus Nazarenus rex Judæorum*, quam inscriptionem, Judæorum sacerdotibus frustra clamantibus, mutare noluit. « Me- « ritò supra crucem titulus; quia non humani corporis, « sed divinæ potestatis est regnum quod habet Chri- « stus. Meritò supra crucem titulus, quia licèt in cruce « erat Dominus Jesus, super crucem tamen regis ma- « jestate radiabat. » S. Ambros. lib. 10 in Luc. Quamvis autem *Rex Judæorum* proclametur, et gentium tamen Rex est, in ipsoque impletur quod dictum est à Prophetâ, psal. 2 : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodiè genui te : postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*. « Rex ergo Judæorum Christus, sed Judæorum « circumcisione cordis, spiritu, non litterâ, quorum « laus non ex hominibus, sed ex Deo est; pertinentium « ad Jerusalem liberam matrem nostram æternam in « cœlis, Saram spiritalem, ancillam et filios ejus de « domo libertatis ejicientem. » S. Augustinus tract. 117.

Denique regia Christi dignitas ex eo splendescit, quòd crux exempta pœnis suppliciorum, translata est ad frontes et coronas imperatorum. Hinc S. Augustinus Enarratione in Psalmum 36, sermone 2 : « Quan- « tacumque, inquit, patiaris, non pervenies ad illas « insultationes, ad illa flagella, ad illam ignominiosam « vestem, ad illam spineam coronam, ad illam po- « stremò crucem non pervenies, quia jam et de pœnâ « generis humani sublata est. Cùm enim sub antiquis « scelerati crucifigerentur, modò nullus crucifigitur. « Honorata est, et finita. Finita est in pœnâ, manet in « glorià. A locis suppliciorum fecit transitum ad fron- « tes imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis « suis, quid servat fidelibus suis? » Lege et tractatum 36 in Joannem.

§ IX. *Christus pro omnibus et singulis hominibus mortuus est, non pro solis prædestinatis.*

Christum Jesum Dominum nostrum pro omnibus et singulis hominibus mortuum esse, dogma fidei est contra Calvinianam et Jansenianam hæresim, Scripturæ sacræ testimoniis evidentibus, omnium Patrum consensu et venerandâ traditione, conciliorumque et summorum pontificum decretis firmatum. Præcipua Scripturæ sacræ testimonia, quibus catholica hæc veritas nititur, ista sunt.

Isaiæ 53 : *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit : et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm.* Joannis 1 : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Non ait S. Præcursor, Christum tollere peccatum aliquorum de mundo, sed *mundi* indefinitè, ut omnium hominum universitatem designet ab ipso redemptam. Ad Romanos 5 : *Non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia Dei et donum in gratiâ unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Comparat Apostolus peccatum Adami cum dono Christi, ut ostendatur in omnes abundâsse donum Christi, in quos Adami peccatum traductum est; porrò in omnes Adami posteros ejus peccatum traductum est : igitur pro omnibus ac singulis mortuus est Christus. Idem confirmat Epistolæ ad Corinthios cap. 5 : *Charitas enim Christi urget nos : æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus : ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit.* Ex quo consequens est Christum pro omnibus et singulis mortuum esse, qui in Adamo mortui sunt. Hinc S. Augustinus libro 6 contra Julianum, cap. 4, et alibi, ex eo testimonio invictè contra Pelagianos probat, parvulos omnes originali peccato adstrictos esse, quia pro ipsis omnibus et singulis mortuus est Christus. Item, 1 ad Corinthios 8, ubi loquitur Apostolus de manducatione ciborum idolis immolatorum, quæ offensioni erat infirmis, ait : *Nonne conscientia ejus, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothita? Et peribit infirmus in tuâ scientiâ, frater, propter quem Christus mortuus est?* Qui locus geminus est alteri, ad Roma-

nos 14, ubi ait : *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Absurda autem videretur illa Apostoli admonitio, nisi certum esset perire aliquos ex pro quibus Christus mortuus est. Et 1 ad Timotheum, cap. 2, ubi præmisit Apostolus orationes pro omnibus hominibus fundendas esse, quia *hoc bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire;* statim addit : *Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum Christus Jesus; qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Eo modo Christus pro omnibus dedit se redemptionem, quo modo debemus orare pro omnibus. Atqui debemus orare non solùm pro omni genere hominum, sed pro omnibus et singulis hominibus, ita ut nullus ab orationibus nostris excludatur : igitur Christus non solùm pro omni hominum genere, aut pro solis ex omni hominum ordine prædestinatis, sed pro omnibus et singulis hominibus mortuus est. Idem confirmat Apostolus cap. 4 : *Speramus,* inquit, *in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Non igitur pro solis fidelibus, sed etiam pro infidelibus, et pro omnibus ac singulis hominibus mortuus est. Et ad Hebræos cap. 2 : *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloriâ et honore coronatum : ut gratiâ Dei, pro omnibus gustaret mortem.* Idem colligitur ex Epistolâ 2 S. Petri, cap. 2 : *Fuerunt verò,* inquit, *et Pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem.* Pro illis igitur qui Dominum negant, et in damnationem æternam incurrunt, mortuus est Christus. Aliis Apostolis concinit S. Joannes Epist. 1, cap. 2 : *Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum Justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.*

Istud fidei dogma profitetur Ecclesia in Symbolo Constantinopolitano, his verbis : *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis... crucifixus, passus,* etc. Non ait, propter nos fideles, vel propter electos, sed, *Propter nos homines,* ut significet Christum ad singulos homines redimendos passum esse. Idem dogma confirmat unanimis SS. Patrum consensus. Ex innumeris ipsorum testimoniis illustriora quædam et luculentiora describo.

S. Joannes Chrysostomus, homilià 26 in Epistolam ad Romanos : « Christus, inquit, licet non esset lucrifacturus omnes, nihilominùs tamen pro omnibus « mortuus est, quod suum erat, adimplens. » Et in cap. 2 Epistolæ ad Galatas, verba ista exponens : *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me,* ait : « Quid « facis, ô Paule, dùm communia propriè tibi vindicas, « quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis « peculiaria?... Declarat par esse ut quisque nostrùm « non minùs agat gratias Christo, quàm si ob ipsum « solum advenisset. Neque enim recusaturus erat vel « ob unum tantam exhibere dispensationem; adeò « quemlibet hominum pari charitatis modo diligit, « quo diligit orbem universum. Itaque victima quidem « pro totâ oblata est naturâ, ac sufficiebat omnibus « servandis. Cæterùm soli illi qui crediderunt, sunt « quibus usui fuit beneficium. Attamen non absterruit eum à tali œconomiâ, quòd non omnes accederent; sed quemadmodùm in Evangelio convivium « omnibus quidem paratum erat, verùm quoniam qui « vocati fuerant, venire noluerunt, non pariter sustulit quæ fuerant parata, sed alios vocavit; itidem et « hìc fecit. Nam et ovis, quæ fuerat à nonaginta novem distracta, unica erat, nec hanc tamen contempsit. »

S. Cyrillus Alexandrinus, libro 11 in Joannem, de Judà proditore sic loquitur : « Ostendat aliquis non « licuisse proditori perinde ac aliis discipulis divinâ « frui gratiâ, et nos victos fatebimur. Sin autem perinde ac alii divinâ septus gratiâ, nutu suo in perditionis barathrum decidit, quomodò non eum servavit Christus, qui bonitatis suæ opem ei impertiit, et quantùm spectat ad rationem auxilii, cum servâsset, nisi voluntate suâ ipse malum sibi ultrò arcessisset? »

S. Hilarius, in Psalmum 118, vers. 22, ait Christum exprobrare humano generi non pœnitenti, neque in viam evangelicam pergenti, quod in Psalmo 29 continetur : *Quæ utilitas in sanguine meo, dùm descendo in corruptionem?* « Exprobrat enim, inquit, « superbis et maledictis, cur nihil in sacramento sanguinis sui atque mortis utilitatis suæ esse existimârunt, cùm ille nostri causâ et natus, et passus « et mortuus sit. » Et in Psalmum 51, ubi explanat illa verba : *Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, emigrabit te de tabernaculo tuo;* salutem ac vitam æternam à Christo omnibus hominibus oblatam fuisse ait, sicut totius humani generis naturam assumpsit; neminem itaque, nisi suâ culpâ, excidere à salute. « Qui enim non manebit in Christo, inquit, regni « Christi incola non erit. Non erit autem, non quòd « sibi non patuerit incolatus. (Universis enim patet, « ut consortes sint corporis Dei atque regni, quia « *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,* naturam scilicet in se totius humani generis assumens.) « Sed unusquisque pro merito et evellendum se de « tabernaculo, et eradicandum de terrâ viventium « præbet, non prohibitus unquàm inesse, qui per naturæ assumptionem incola sit receptus. Sed eradicatur ob infidelitatis crimen, naturæ consortio indignus existens. »

S. Ambrosius, libro de Joseph Patriarchâ, cap. 7 : « Non quærit Christus argentum, sed fidem... Neque « enim pretium quæsivit à nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium solvit, quia non auro et argento, « sed pretioso nos redemit sanguine. Ergo id pretium « debes, quo emptus est; et si ille non semper exigat, « tu tamen debes. Eme igitur tibi Christum, non eo « quod pauci habent, sed eo quod omnes habent. « Omnes habent per naturam, pauci afferunt per timorem. Suum est quod à te Christus reposcit. Ipse « vitam omnibus dedit, ipse pro omnibus mortem

« suam obtulit : solve pro Auctore, quod soluturus es « lege. » Et Sermone 14 in psalmum 118 : « Mala « Evæ successio totum hominem devorabat : præ- « clara Christi hæreditas totum hominem liberavit. « Non ad unum quidem, non ad paucos, sed ad om- « nes Testamentum suum scripsit Jesus. Omnes scri- « pti hæredes sumus, non pro portione, sed pro uni- « versitate. Testamentum commune est, et jus om- « nium, hæreditas universorum et soliditas singulo « rum. » Et libro 2 in Lucam ait : « Plus, Domine, « injuriis tuis debeo, quòd redemptus sum, quàm « operibus tuis, quòd creatus sum. »

S. Augustinus in Psalmum 68, sermone 2 : « Judas « traditor punitus est, et Christus crucifixus est : « sed nos redemit sanguine suo, et punivit illum de « pretio suo. Projecit enim pretium argenti, quo ab « illo Dominus venditus erat; nec agnovit pretium « quo ipse à Domino redemptus erat. » Et Enarra- tione in psalmum 85, illum versum explicans : *Judi- cabit orbem terrarum in æquitate*, ait : « Non partem, « quia non partem emit; totum judicare habet, quia « pro toto pretium dedit. » Enarratione in psal- mum 102 : « Omnis homo, si non ægrotas, alia co- « gita : si te ægrotantem languor ipse convincit, priùs « de salute tuâ cogita. Salus tua Christus est : Chri- « stum ergo cogita... Redempta est vita tua de cor- « ruptione, jam securus esto : initus est bonæ fidei « contractus, nemo fallit Redemptorem tuum, nemo « circumvenit, nemo premit. Egit hìc commercium, « jam pretium solvit, sanguinem fudit. Sanguinem, « inquam, fudit unicus Filius Dei pro nobis : ô anima, « erige te, tanti vales ! » Enarratione in psalmum 148 : « Non est facturus Angelum ex homine, qui « fecit hominem ex nihilo? Aut verò pro minimo ha- « bet Deus hominem, propter quem mori voluit Uni- « cum suum? Attendamus ad indicium dilectionis. « Promissionis Dei tales arrhas accepimus : tenemus « mortem Christi, tenemus sanguinem Christi. Quis « mortuus est? Unicus? Pro quibus mortuus est? « Utinam pro bonis, utinam pro justis. Sed quid? « *Etenim Christus*, ait Apostolus, Rom. 5, *pro impiis* « *mortuus est*. Qui donavit impiis mortem suam, quid « servat justis, nisi vitam suam? Erigat ergo se hu- « mana fragilitas, non desperet, non se collidat, non « se avertat, non dicat : Non ero. Qui promisit, Deus « est; et venit, ut promitteret; apparuit hominibus, « venit suscipere mortem nostram, promittere vitam « suam. Venit ad regionem peregrinationis nostræ, « accipere hìc quod hìc abundat, opprobria, flagella, « colaphos, sputa in faciem, contumelias, spineam « coronam, suspensionem in ligno, crucem, mortem. « Hæc abundant in regione nostrâ : ad talia commer- « cia venit. Quid hìc dedit, quid accepit? Dedit exhor- « tationem, dedit doctrinam, dedit remissionem pec- « catorum; accepit contumelias, mortem, crucem. « Attulit nobis de illâ regione bona, et in regione no- « strâ pertulit mala... Quid tibi promisit Deus, ô ho- « mo mortalis? Quia victurus es in æternum. Non « credis? Crede, crede. Plus est jam quod fecit, quàm « quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid « promisit? Ut vivas cum illo. Incredibilius est quòd « mortuus est æternus, quàm ut in æternum vivat « mortalis. Jam quod incredibilius est, tenemus. Si « propter hominem mortuus est Deus, non est victu- « turus homo cum Deo? Non est victurus mortalis in « æternum, propter quem mortuus est qui vivit in « æternum? »

Tractatu 12 in Joannem explicans illa verba : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*, ait : « Ergo « quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse « se interimit, qui medici præcepta observare non « vult. Venit Salvator ad mundum : quare Salvator « dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut « judicet mundum? Salvari non vis ab ipso? Ex te ju- « dicaberis... Novit Dominus qui sunt ejus : novit qui « permaneant ad coronam, qui permaneant ad flam- « mam. » Ex quibus evidens est Christum voluisse ut illi etiam quos ad flammam permanere noverat, quan- tùm quidem in ipso erat, suâ morte salvarentur.

Sermone 344, aliàs 31, ex editis à Sirmondo, quem citat Florus in 2 ad Corinthios cap. 5 : « Adjutorium, « inquit, tuum vide. Redemit te à barbaris argentum « tuum, redemit te à primâ morte pecunia tua; re- « demit te à secundâ morte sanguis Domini tui. Ha- « buit ille sanguinem unde nos redimeret; et ad hoc « accepit sanguinem, ut esset quem pro nobis redi- « mendis effunderet. Sanguis Domini Dei tui, si vis, « datus est pro te; si nolueris esse, non est datus pro « te. Fortè enim dicis : Habuit sanguinem Deus meus « quo me redimeret; sed jam cùm passus est, totum « dedit : quid illi remansit quod det et pro me? Hoc « est magnum, quia semel dedit, et pro omnibus de- « dit. Sanguis Christi volenti est salus, nolenti sup- « plicium. » Clariusne aliquid ac luculentius desiderari potest ad confirmandum fidei dogma de Christi Domini morte pro omnibus et singulis hominibus, etiam re- probis ? Cum his igitur Patribus et cum Ecclesiâ catholicâ profitemur, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse et sanguinem fudisse, non quidem effi- caciter, quia suâ culpâ non salvantur impii et reprobi, Christique mortem et sanguinem inutilem sibi red- dunt ad vitam æternam obtinendam : sed sufficienter, non eâ solùm ratione quòd mors et sanguis Christi pretium sit pro omnium hominum salute per se suffi- ciens, sed quòd Christus passionem et sanguinem suum sincerâ charitate et propensissimâ in eorum sa- lutem voluntate, pro redemptione omnium ac singulo- rum Patri suo obtulerit.

Sicubi igitur S. Augustinus ait « non perire unum « ex illis pro quibus Christus mortuus est ... Omnem « qui Christi sanguine redemptus est, hominem esse, « non tamen omnem qui homo est, etiam Christi san- « guine redemptum esse ... Deum eos quos Media- « toris sanguine redemit, facere ex malis deinceps in « æternum bonos .... Christum ad se omnia trahere, « utique omnia prædestinata ad salutem, ex quibus « omnibus ait nihil esse periturum, cùm supra de suis

« ovibus loqueretur. Aut certè omnia hominum genera .... Qui ita confitetur Christum Deum, ut hominem neget, non pro illo mortuum esse Christum. » Vide S. August. Epist. 169, aliàs 102, ad Evodium; 1 lib. de Adulter. conjug. cap. 15; lib. de Corrept. et Grat. c. 11; Tract. 52 in Joan.; Tract. 66; Tract. 110; 1 Cor. 11; Christum non rogare pro mundo hostili, sed pro mundo fideli: non rogare pro mundo de quo scriptum est: *Ne cum hoc mundo damnemur:* sed pro mundo de quo scriptum est Joan. 3: *Non enim venit Filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum;* cùm hæc, inquam, S. Augustinus profert, Christique mortem ad solos prædestinatos, aut ad solos fideles restringit, de fructu ultimo plenoque ac perfecto mortis ac redemptionis Christi est intelligendus, sive de illius efficaciâ consummatâ, quæ vitæ æternæ consecutio est. Hæc enim ad solos prædestinatos pertinet, pro quibus etiam solis Dominus oravit, *ut per ipsum vitam consequerentur æternam*, quia oratio ex deliberatione rationis ad Deum fusa, absolutæ voluntatis est interpres, ut loquitur S. Thomas. Sed his ipsis in locis non negat S. Augustinus, quod alibi toties asserit et tam constanter propugnat, Christum esse mortuum et sanguinem fudisse pro omnibus et singulis hominibus, quantùm ad sufficientiam, non solùm ratione pretii quod omnibus et singulis redimendis par est, imò redundans, sed ex intentione et charitate Christi, pretium illud, scilicet sanguinem suum ac mortem suam, pro omnibus et singulis hominibus offerentis.

Id confirmat S. Prosper in Responsione ad Objectiones Vincentianas, ubi inter « *ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia*, quæ Semipelagiani S. Augustino et ejus discipulis affingebant, propositionem illam primo loco recenset ac refellit, *quia Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute et redemptione sit passus.* Tum clarissimis verbis docet Christum pro omnibus mortuum esse, qui eâdem naturâ censentur, et qui in Adamo pericrant, hoc est, etiam pro reprobis, ejusque passionem ac mortem, quantùm in ipsa est, et ex voluntate Crucifixi, universis profuisse: quòd autem ejus fructus non ad omnes reipsà pertinet, eam causam esse quòd ad omnes non applicatur, quia impii ac reprobi salutis poculum bibere, et universalem medicinam omnibus à cœlesti Medico præparatam sumere nolunt. « Contra vulnus, inquit, originalis peccati, quo « in Adam omnium hominum corrupta et mortificata « natura est, et unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum et potens ac singulare remedium « est mors Filii Dei Domini nostri Jesu Christi: qui « liber à mortis debito, et solus absque peccato, pro « peccatoribus et debitoribus mortis est mortuus. « Quod ergo ad magnitudinem et potentiam pretii, et « quod ad unam pertinet causam generis humani, « sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui « hoc seculum sine fide Christi, et sine regenerationis « sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. « Cùm itaque propter unam omnium naturam, et unam « omnium causam in veritate susceptam, rectè omnes « dicantur redempti, et tamen non omnes à captivitate « sint eruti; redemptionis proprietas haud dubiè penès illos est, de quibus princeps mundi missus est « foras, et jam non vasa diaboli, sed membra sunt « Christi. Cujus mors non ita impensa est humano « generi, ut ad redemptionem ejus etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: sed ita, ut quod per « unicum exemplum gestum est pro universis, per « singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est « de infirmitate nostrâ et virtute divinâ, habet quidem « in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. » His addenda responsio ejusdem Patris ad objectionem nonam Gallorum. « Cùm, inquit, rectissimè « dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter communem in primo homine omnium « perditionem; potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Dicit enim Evangelista Joan. 11: *Quia Jesus moriturus erat pro gente, et « non tantùm pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos « congregaret in unum. In sua* enim *venit, et sui eum non « receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*... Diversa ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur de quibus dicitur, « Joan. 1: *Mundus eum non cognovit.* Ut possit secundùm « hoc dici Redemptor mundi, dedit pro mundo sanguinem suum, et mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt; et tenebræ receperunt, quibus « dicit Apostolus, Ephes. 5: *Fuistis aliquando tenebræ, « nunc autem lux in Domino.* »

Hanc traditionis doctrinam paucis expressit sacra synodus Tridentina, sessione 6, de Justificatione, cap. 2 et 3: « Christum Jesum, inquit, proposuit Deus « propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solùm autem pro nostris, sed etiam « pro totius mundi. Verùm etsi ille pro omnibus « mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat quibus meritum « passionis ejus communicatur. »

Meritò igitur à summis pontificibus Innocentio X et Alexandro VII, et ab Ecclesiâ catholicâ universâ eorum constitutiones, ut par erat, recipiente, quinta hæc Jansenii Yprensis episcopi propositio, ut falsa, temeraria, scandalosa, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ derogans bonitati, et hæretica, damnata est: « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem « fudisse. »

§ X. *Ex morte Christi gratiæ sufficientes ad salutem omnium derivantur. Explicatur quid de gratiâ sufficienti sentiendum sit.*

Gratia sufficiens dicitur, quæ dat posse, ut scholastici loquuntur; id est, quâ fit ut bonum agere possimus. Gratia efficax, quæ non solùm dat posse, sed etiam agere; id est, quæ non solùm præstat ut bonum velle et operari possimus, verùm etiam ut reipsà bonum operemur. Cùm autem de gratiâ sufficienti

multæ quæstiones à scholasticis theologis moveantur, his sepositis, ea duntaxat exponimus dogmata quæ ad virorum ecclesiasticorum mentes contra novatorum perniciosam doctrinam muniendas necessaria sunt.

Interior gratia verè sufficiens in statu naturæ lapsæ ag noscenda est.

I. Certò tenendum est gratiam aliquam esse sufficientem, in statu naturæ lapsæ, ab efficaci distinctam; id est, quæ ultimum effectum non obtinet, ad quem à Deo destinatur, verbi gratiâ victoriam tentationum, observantiam mandatorum, conversionem peccatoris, perseverantiam usque in finem in gratiâ et charitate; sed tamen præstat peccatori ut converti possit, et resurgere à peccato; justo ut mandata implere, et in justitiâ perseverare; cuilibet ut tentationes vincere possit. Hanc gratiam admittendam probant Scripturæ sacræ oracula quotquot *gratiam in vacuum* recipi, homines *gratiæ Dei deesse, Spiritui sancto resistere, Spiritum sanctum extinguere*, testantur. Soli enim gratiæ sufficienti resistitur, sola suo frustratur effectu, cùm gratia efficax à nullo duro corde respuatur, ut loquitur S. Augustinus, quia « idcò datur, ut cordis duritia primitùs auferatur. » Gratiam sufficientem S. Augustinus, non solùm in statu innocentiæ, sed etiam in statu naturæ lapsæ admittit, libro de Correptione et Gratiâ, cap. 11 et 12, ubi distinguit duplex adjutorii sive gratiæ genus. « Aliud est adjutorium « sine quo aliquid non fit, et aliud est adjutorium quo « aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, « nec tamen cùm adfuerint alimenta, eis fit ut vivat « qui mori voluerit. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. » Adjutorium *sine quo*, Theologi gratiam sufficientem appellant; adjutorium *quo*, gratiam efficacem. Utrumque porrò, illud scilicet sine quo perseverare justi non possunt, et illud quo fit ut perseverent, quibusdam conferri in hoc naturæ corruptæ statu, quibusdam verò in pœnam peccati præcedentis subtrahi à Deo docet. « Si autem, « inquit, hoc adjutorium vel angelo vel homini, cùm « primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non « possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, « jam pœna peccati est. Quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum; et tantò ampliùs datur per Jesum Christum Dominum « nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solùm « adsit sine quo permanere non possumus, etiam « si velimus, verum etiam tantum ac tale sit ut velimus, » etc. Et libro de Prædestinatione Sanctorum, cap. 16, duplicem distinguit vocationem: unam « quâ vocati sunt et qui noluerunt venire ad nuptias, « quâ vocatione vocati sunt et Judæi, quibus Christus « crucifixus scandalum est; et gentes, quibus crucifixus stultitia est; » alteram, quâ vocantur prædestinati, *quâ vocatione fit credens* Prior ad gratiam sufficientem, posterior ad efficacem pertinet. Et tractatu 53 in Joannem: « Ne quisquam neget voluntatis « arbitrium, et audeat excusare peccatum; sed audiamus Dominum et præcipientem, et opitulantem, et « jubentem quid facere debeamus, et adjuvantem ut « implere possimus... Agendæ sunt gratiæ, quia data « est potestas; orandum, ne succumbat infirmitas. » Gratia porrò quæ dat posse, et cum quâ nihilominùs quandoque succumbit infirmitas, est gratia sufficiens.

Gratiam utramque S. Augustinus in conversione suâ expertus est. Antequàm enim ad Deum reipsà converteretur, bonos quosdam, sed imperfectos conatus animæ ad Deum redire volentis, in semetipso sentiebat, parvam invalidam, et languentem voluntatem; pia quidem, sed inefficacia desideria: quæ quidem omnia, cùm sint gratiæ alicujus interioris effectus, nec tamen efficacis, quæ conversionem reipsà operatur, reliquum est ut gratiæ sufficientis, mentem interiùs illuminantis, et excitantis voluntatem, effectus fuerint. Motus illos describit S. Augustinus, libro præsertim 8 Confessionum, cap. 5: « Voluntas nova, in« quit, quæ mihi esse cœperat ut te gratis colerem, « fruique te vellem, Deus, sola certa jucunditas, non« dùm erat idonea ad superandam priorem vetustate « roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia « nova; illa carnalis, illa spiritalis, confligebant inter « se, atque discordando dissipabant animam meam.. « Ego autem adhuc terrâ obligatus militare tibi recu« sabam, et impedimentis omnibus sic timebam expe« diri, quemadmodùm impediri timendum est. Ita sar« cinâ seculi, velut somno assolet, dulciter premebar; « et cogitationes quibus meditabar in te, similes erant « conatibus expergisci volentium, qui tamen superati « soporis altitudine remerguntur. Et sicut nemo est « qui dormire semper velit, omniumque sano judicio « vigilare præstat: differt tamen plerùmque homo « somnum excutere cùm gravis torpor in membris est, « eumque jam displicentem carpit libentiùs, quamvis « surgendi tempus advenerit. Ita certum habebam esse « melius tuæ charitati me dedere, quàm me cupidi « tati cedere. Sed illud placebat, et vincebat; hoc libebat « et vinciebat. Non enim erat quod tibi responderem di« centi mihi: *Surge, qui dormis, et exsurge à mortuis,* « *et illuminabit te Christus*, Ephes. 5. Et undique os« tendenti vera te dicere, non erat omninò quod re« sponderem veritate convictus, nisi tantùm verba len« ta et somnolenta: modò, ecce modò; sine paululùm. « Sed, modò et modò, non habebant modum: et, sine « paululùm, in longum ibat. »

Gratia sufficiens veram propriùque dictam potentiam ad opus supernaturale tribuit.

II. Firmissimè tenendum est gratiam sufficientem tribuere veram propriùque dictam potentiam ad opus supernaturale, propter quod datur, verbi gratiâ, ad credendum, ad vincendum tentationes, ad conversionem peccatoris, ad observantiam præcepti, ad perse-

verantiam. Quæ quidem potentia non est possibilitas sola naturæ, aut liberi arbitrii, qualem sufficere propugnabat Pelagius; sed supernaturalis virtus est, quâ voluntas excitata et adjuta bonum opus exercere potest. Non confert quidem gratia sufficiens, quatenùs ab efficaci distincta est, *voluntatem* credendi, bonum agendi, redeundi ad Deum, perseverandi, resistendi tentationi, *magnam et robustam*; sed tamen confert illis quibus datur, *voluntatem bonam*, quamvis *parvam* et *invalidam*, ut loquitur S. Augustinus, lib. de Grat. et lib. Arbit. c. 17. Hujusmodi porrò bona voluntas, vera proprièque dicta potentia est ad opus bonum supernaturalis ordinis. « Non confert gratia sufficiens « possibilitatem illam quæ simul cum effectu in sanctis provenit, cùm sanatâ et adjutâ hominis voluntate, charitas Dei, quantùm plenissimè natura nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur « in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus « est nobis, » ut ejusdem S. Augustini verbis utar (lib. de Naturâ et Gratiâ, cap. 42); sed tamen veram proprièque dictam potentiam tribuit, sine quâ illis qui gratiâ efficaci destituti sunt, impossibile esset credere, sperare, diligere, à peccato resurgere, mandata observare, tentationes vincere, in justitiâ perseverare, cùm naturæ liberique arbitrii vires ad hæc non sufficiant.

Quâ verò ratione vera sit proprièque dicta potestas boni operis ex gratiâ sufficienti derivata, quamvis gratia potentior, scilicet gratia efficax necessaria sit ut potestas illa cum effectu conjungatur, sive applicetur ad opus, exemplis appositis et clarissimis ostenditur. Deus veram proprièque dictam potentiam habet creandi plures mundos, cùm sit omnipotens: et tamen necessarium est voluntatis ejus propositum seu decretum quo ad eorum creationem se applicet; alioqui nusquàm illos creabit. Creandum est in nobis cor novum, cor mundum, creandi sumus in Christo Jesu in operibus bonis. Gratia sufficiens præstat ut id verè proprièque habere, et in bonis operibus ambulare possimus; siquidem mentem illuminat, voluntatem excitat ad bonum; sed tamen spiritalis illa creatio non perficietur in nobis, nisi potestas illa gratiæ potentioris, scilicet efficacis, auxilio applicetur. Puerum qui nutricem habet optimo lacte abundantem, verè posse lactari ac nutriri nemo negaverit, quamvis ipsum applicari oporteat ad nutricis ubera, ut reipsà lactetur atque nutriatur. Christus ipse lac nobis factus est: gratia sufficiens lactis hujus desiderium quoddam, licet imperfectum, nobis inspirat, nos ad divinæ miserationis ubera sugenda verè proprièque disponit ac præparat, quamvis necessaria sit gratia efficax, quâ ad divina illa ubera admoveamur et applicemur. Avem alis instructam habere veram et propriè dictam volandi potentiam quis inficiabitur? Et tamen necesse est ut alas explicet ad volatum. Mens et voluntas, alæ veluti duæ sunt animæ nostræ, per se quidem insufficientes ut ad Deum ferantur, et ad supernaturalia opera nos erigant, nisi Dei gratiâ excitentur ad volatum: excitat gratia sufficiens; et illâ præveniente ac adjuvante ad Deum assurgere, ad opera supernaturalia nos erigere, verè proprièque possumus; sed necesse tamen est ad volatum ut spiritales alas explicemus; quod ut faciamus, gratiæ debemus efficaci, quæ potentiam applicat operi, et opus explicat voluntati. Semen terræ mandatum verè proprièque sufficiens est, et veram atque intrinsecam virtutem habet ad segetis, plantæ, vel arboris productionem: et tamen necessarii sunt solis radii, siderum influxus, agricolæ vel hortulani labores et curæ, ut seges, planta, vel arbor progerminet, erumpat, adolescat. Gratia sufficiens boni operis semen est: ea in animum hominis immissa veram atque intrinsecam virtutem confert ad bonam operationem: sed tamen necesse est ut Sol justitiæ novo influxu virtuti isti velut obstetricetur, ut ad effectum perveniat; necesse est ut Deus per novæ gratiæ, quam efficacem vocamus, occultam subministrationem, virtutem cœlestis illius seminis foveat, riget, det incrementum. Passio Christi verè proprièque sufficiens est ad omnium et singulorum hominum salutem, quamvis omnes reipsà non salventur, quia verè potest Christi passio secundùm se spectata omnes et singulos salvare; ita ut non ejus defectu, sed humanæ voluntatis contingat ut non omnes salutem consequantur. Gratia quælibet, seu parva, seu magna, sive sufficiens, sive efficax, fructus est passionis Christi; adeòque secundùm se quamlibet vincere tentationem, et cujuslibet peccatoris conversionem operari potest; ita ut per ipsam non stet, sed per humanæ voluntatis defectionem ac duritiem, si non illicò vincitur tentatio, nec convertitur peccator. Minima igitur gratia verè sufficiens est ad bonum opus, ad conversionem peccatoris, ad tentationis victoriam, ad perseverantiam, quamvis alia præterea gratia, scilicet efficax, ad hæc reipsà exequenda et consummanda requiratur. Sufficiens, inquam, est per seipsam, quamvis spectatis omnibus hominis, cui tribuitur, conditionibus et dispositionibus, ultimum, ad quem destinatur, effectum non sit productura. Sic medicinam à perito medico paratam sufficientem rectè dicimus, verèque ac propriè posse sanare ægrotum, si virtus illius intrinseca spectetur, quamvis præter ipsam, potentioribus medicamentis sit opus, si prava hominis ægrotantis dispositio spectetur.

Quia verò potentius illud gratiæ efficacis auxilium Dei donum est, illud à Deo suppliciter postulandum est. Unde quamvis gratia sufficiens veram proprièque dictam et supernaturalis ordinis potentiam tribuat ad bonum opus, non inanis est oratio fidelium, nec id petunt quod in suâ habent potestate. Quanquàm autem gratiam tantùm sufficientem Ecclesia pro fidelibus suis à Deo non postulet, nihilominùs vera Christi gratia est, virtute ac meritis passionis ejus mortisque parta; sed potentiorem aliam, scilicet efficacem postulat, quia necessaria illa est ad bonum opus, et ad perfectam peccatoris conversionem, vel ad perseverandum in justitiâ. Cùm enim ab Omnipotente petat, magni aliquid petit. Denique preces fundit ut Deus promissa sua adimpleat: *Magna* autem ille *et pretiosa nobis*

promissa donavit, (inquit Apostolorum princeps.) Quamobrem non minimas gratias, sed efficaces à Deo postulamus.

Gratia sufficiens est gratia Christi medicinalis.

III. Firmiter tenendum est gratiam sufficientem hominibus in statu naturæ lapsæ à Deo concessam, esse gratiam Christi medicinalem; non quòd ipsa sola sanet vulnera nostra, sed quòd ipsorum curationem incipiat, et ad perfectam sanitatem disponat, eâque intentione ab omnipotenti Medico tribuatur, aut præparetur, et pium sanitatis desiderium inspiret. Pars autem sanitatis, est velle sanari. Non sistit igitur in mente, nec ipsam duntaxat illustrat, suadetque ipsi quod agendum est, sed ad voluntatem pertingit, ipsamque excitat ut bonum velit. Cùm enim natura magis depravata sit in appetitu boni, quàm in cognitione veri, utramque facultatem medicinali Christi gratiâ sanari necesse est : quam sanitatem gratia sufficiens inchoat, efficax perficit. Non sufficit excitatio intellectûs per illustrationem, nisi adsit excitatio voluntatis per piam motionem. Quemadmodùm homo claudus vel infirmus, qui imminente gravi periculo in quo positus dormiebat, excitatur ab alio ut imminens periculum prospiciat, sufficientes vires non accipit ad currendum et fugiendum, quia excitatio illa ipsum non sanat, neque ad illius curationem disponit; non absimili ratione, peccator in cœno vitiorum dormiens excitatur lumine supernaturali, ut cognoscat quantum malum sit dereliquisse fontem aquæ vivæ, et imminentem animæ suæ damnationem respiciat; sed quia hæc excitatio ultra mentem non progreditur, id satis non est ut reverà converti possit : excitanda voluntas est, piâque motione inchoanda saltem ejus curatio, ut possit fugere malignum, et currere ad Deum. Utrumque complectitur gratia omni ex parte sufficiens. Quamobrem non est merum lumen; nec magis significari videtur hoc loco Evangelii, Joan. 1 : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quàm gratia efficax. Utraque lumen est : gratia enim efficax illuminat omnes qui illuminantur, nec tamen est merum lumen, sed habet ardorem adjunctum, quo voluntas Dei amore inardescere incipit : nec suasio tantùm est, sed persuasio. Idem de gratiâ sufficienti dicendum : mentem illuminat, voluntatem excitat; utramque facultatem sanare incipit; actus imperfectos, pia desideria, quamvis invalida et languentia, inspirat; ad actus perfectos disponit, scilicet ad conversionem perfectam, ad absolutam tentationum victoriam, ad bonum quodlibet opus, ad ipsam perseverantiam.

Duplex illa excitatio somno duplici respondet mentis et voluntatis. Prior describitur Proverbium 23 : his verbis : *Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo ; et dices : Verberaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, et ego non sensi.* Cùm enim mens obtenebrata est, amissus est clavus quo spiritalis navis, scilicet anima, in mediis tempestatibus regatur, et ad portum perducatur : tunc peccati vulnus non sentit homo, quia nec animadvertit esse peccatum. Posterior somnus significatur his verbis psalmi 118 : *Dormitavit anima mea præ tædio.* Nam voluntas in viâ salutis defessa, in somnum quemdam infelicem sæpè immergitur assiduitate peccandi, tædioque rerum quæ salutem spectant. Itaque duplex somnus excitatione duplici pellitur, mentis et voluntatis. Prima est à gratiâ illuminante, altera à gratiâ movente. Utrumque præstat gratia efficax, quæ perfectè excitat hominem : utrumque præstat et gratia sufficiens, quæ eumdem excitat imperfectè, et ad quærendam gratiam potentiorem movet, quâ non solùm sanari desideret, sed reipsà sanetur. De quâ S. Augustinus Enarratione in psalmum 106 : *Fac*, inquit, *hominem primò nihil quærentem, secundùm vitam veterem seductoriâ securitate viventem, nihil putantem aliud esse post hanc vitam quandoque finiendam, negligentem quemdam et socordem, obrutum cor habentem illecebris mundi, et mortiferis delectationibus consopitum : ut excitetur iste ad quærendam gratiam Dei, ut fiat sollicitus, et tanquàm de somno evigilet, nonne manus Dei excitat eum?*

Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ sæpè resistitur.

IV. Dogma fidei est gratiæ interiori, nempe sufficienti, sæpè resisti. Id Scriptura sacra expressè docet, Isaiæ 5 : *Nunc ergo habitatores Jerusalem et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? An quòd expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Judæi, quos redarguit Deus per prophetam, gratiam efficacem non habuerunt, aliàs fecissent fructum bonum. Habuerunt autem gratiam sufficientem, per quam ad Deum converti, et dignos pœnitentiæ fructus facere potuerunt : illique gratiæ restiterunt; alioqui non reprehendisset eos Dominus, quòd uvas non protulerint, sed labruscas. Matth. 23 : *Jerusalem*, inquit Christus, *Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties vòlui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Act. 7. S. Stephanus ad Judæos orationem habens : *Vos*, inquit, *semper Spiritui sancto resistitis.* Id confirmat Apostolus 2 ad Corinthios 6 : *Exhortamur*, inquit, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Ad Thessalonicenses 5 : *Spiritum nolite extinguere.* Extinguitur autem Spiritus sanctus, dùm interiori gratiæ resistitur. Et ad Hebræos 12 : *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Gratiæ autem Dei deesse, est illi ad bonum monenti resistere. Hinc Senonense concilium anno Christi 1528 celebratum, decreto 15 fidei ait : « Neque « enim liberum arbitrium asserentes, divinam exclu- « dimus propterea gratiam, quod illi falsò toties im- « ponere non verentur; sed juxta Scripturam sacram « eò extendimus, ut voluntas humana misericordiæ « prævenientis auxilio suffulta, et interiori quodam et « occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese « convertat in Deum, Deo appropinquet, et ad veram « illam gratiam se præparet, quæ tandem accepta sit « ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ neces-

« sitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa semper sit « in promptu, nec momentum quidem prætereat, in « quo Deus non stet ad ostium et pulset : cui si quis « aperuerit januam, intrabit ad illum, et cœnabit cum « illo. Nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei « auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Domi- « nus voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina « congregat pullos suos sub alas, et noluerunt? Fru- « stra certè Stephanus Judæos duræ cervicis et incir- « cumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui sancto « resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admo- « neret Spiritum ne extinguerent, si divinis inspira- « tionibus homines inevitabiliter raperentur. » Hæc S. Augustini doctrinæ pluribus in locis consona sunt, præsertim Enarratione in psalmum 124, ubi de peccatoribus seculi felicitate falsâ seductis ait : *Cor eorum congelascit adversùs Deum, et fit durum adversùs imbrem gratiæ ipsius, ne fructum ferat.* Et libro 1 de peccatorum Meritis, loquens de concupiscentiâ in baptizato superstite, ait : *Habet cum quâ pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit.* Meritò igitur à summis pontificibus Innocentio X et Alexandro VII, et ab Ecclesiâ universâ ipsorum constitutiones, ut par erat, recipiente, secunda illa propositio Jansenii Yprensis episcopi, ut hæretica, damnata est : *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur.*

Justorum nemini, urgente divinorum præceptorum observantiâ, deest gratia quâ possibilia fiant.

V. Fidei catholicæ dogma est, urgente divinorum mandatorum observantiâ, nemini justorum gratiam deesse, quâ possibilia fiant. Fide namque certum est Dei mandata, homini præsertim justificato et sub gratiâ constituto, non esse impossibilia. « Nemo, inquit « concilium Tridentinum sessione 6, cap. 11, temera- « riâ illâ et à Patribus sub anathemate prohibitâ voce « uti debet, Dei præcepta homini justificato ad obser- « vandum esse impossibilia : nam Deus impossibilia « non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, « et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. » Quæ sententia ex S. Augustino libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 43, deprompta est, qui et cap. 69 ejusdem libri ait : *Eo ipso quo firmissimè creditur, Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus.*

Idem concilium canone 18 ejusdem sessionis, catholicum illud dogma declarat et firmat, vibrato in eos qui contrarium dixerint, anathemate : *Si quis dixerit Dei præcepta, homini etiam justificato et sub gratiâ constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.* At si justis gratia sufficiens urgente præceptorum observantiâ deesset, illa impossibilia ipsis essent, cùm solis naturæ ac liberi arbitrii viribus possibilia non sint.

Præterea, *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi priùs ab eis deseratur*, inquit sacra synodus Tridentina capite superiùs indicato. Nulla enim causa est cur homini justo gratiam sufficientem subtrahat, quâ possibilia mandata fiunt; sicut nulla causa est, cur gratiam sanctificantem ab eo tollat, quamdiù justus manet, Deique amicus. Unde S. Augustinus, libro 2 de Peccatorum Meritis, cap. 17, ait : *Ut innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates; quâ ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Et tractatu 2 in Joannem : *Opus est ut non recedas ab eo qui nusquàm recedit; opus est ut tu non deseras, et non desereris : noli cadere, et non tibi occidet; si tu feceris casum, ille tibi facit occasum; si autem tu stas, præsens est tibi.* Hinc discrimen statuit idem sanctus doctor inter gratiam quam Deus justis concedit, et quam peccatoribus largitur, quòd prima justitiæ quodammodò sit, non quòd illam homini debeat Deus, sed quòd sibi ipsi debitor sit, suisque promissis ac fidelitati non possit deesse : altera verò sit unius misericordiæ. Quia enim amicitiam cum justis contraxit, promisitque se dignos tantùm deseri deserturum; quodam fidelitatis et justitiæ vinculo tenetur ad necessaria gratiæ auxilia tamdiu illis concedenda, quamdiu peccatum, quod dignos efficit qui deserantur, non admiserint. Sic exponit illud Davidis oraculum Psalmo 7 : *Justum adjutorium meum à Domino*, Enarratione in hunc psalmum : *Duo*, inquit, *sunt officia medicinæ : unum quo sanatur infirmitas, alterum quo sanitas custoditur. Juxta illud primum dictum est in superiore Psalmo*, Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. *Juxta hoc alterum, in hoc Psalmo dicitur :* Si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ergo ab inimicis meis inanis. *Ibi enim infirmus ut liberetur, hìc jam sanus ne corrumpatur, orat. Juxta illud ibi dicitur :* Salvum me fac propter misericordiam tuam; *juxta istud hìc dicitur :* Judica me, Domine, secundùm justitiam meam. *Ibi enim ut à morbo evadat, remedium; hìc autem ne in morbum incidat, tuitionem petit. Juxta illud dicitur :* Salvum me fac, Domine, secundùm misericordiam tuam. *Juxta hoc dicitur :* Justum auxilium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde. *Et illa enim et ista salvos facit : sed illa ex ægritudine ad salutem transfert, hæc in ipsâ salute conservat. Itaque ibi misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat, credens in eum qui justificat impium : hìc autem justum auxilium est, quia jam justo tribuitur. Dicat ergo ibi peccator, qui dixit :* Infirmus sum; salvum me fac, Domine, propter misericordiam tuam. *Et dicat hìc justus :* Justum auxilium meum à Domino. *Si enim medicinam exhibet quâ sanemur infirmi, quantò magis eam quâ custodiamur sani! Quoniam si cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, quantò magis nunc justificati, salvi erimus ab irâ per ipsum!* Et in psalmum 96 : *Impius eras, et mortuus est pro te; justificatus es, et deseret te? Qui justificavit impium, deseret pium? Nemo timeat : custodit Dominus animas sanctorum suorum.* Et tractatu 32 in Joannem : *Non nos deserit fons, si non deseramus fontem.*

Frustra verò contra dogma catholicum objiciuntur

S. Augustini verba, tractatu 54 in Joannem : *Fortè conaris, et non potes*, etc. Malà enim fide ad justos hæc verba detorquentur, quæ de peccatoribus dicta sunt, quibus tamen Dei mandata absolutè impossibilia non dicuntur, sed ex hypothesi dominantis cupiditatis ; non quòd ipsos omninò deficiat vera proprièque dicta potestas adimplendi et observandi mandata divina, sed quòd potestate conjunctà cum actu, seu *quæ sanctis cum effectu provenit*, ut loquitur S. Augustinus, et quæ per gratiam efficacem confertur, destituti sint ; idque vitio suo, non gratiæ defectu, quæ semper ipsis, quotiescumque præceptum urget, vel datur, vel offertur ac præparatur. Id colligitur ex ipsis S. Augustini verbis : *Non tibi dicitur : Labora quærendo viam, ut pervenias ad veritatem et vitam, non hoc tibi dicitur. Piger, surge. Via ipsa ad te venit, et te de somno dormientem excitavit, si tamen excitavit : surge, et ambula. Fortè conaris ambulare, et non potes, quia dolent pedes. Unde dolent pedes ? An jubente avaritiâ per aspera cucurrerunt ? Sed Dei Verbum sanavit et claudos. Ecce, inquis, sanos habeo pedes, sed ipsam viam non video. Illuminavit et cæcos.* Quibus verbis S. Augustinus significat nullam exhiberi excusationem posse ab his qui Christum non sequuntur, quia remedium attulit Salvator, quo et sanari possit infirmitas, et cæcitas illuminari, sicque nulla est impotentia quam causantur, cùm auxilium ipsis à Deo nunquàm desit.

Ad peccatores pariter, non ad justos pertinet, eodemque modo exponendus est S. Augustini locus alter, Enarratione scilicet in psalmum 106 : « Invenit « ergo se ligatum difficultatibus cupiditatum, et non « posse viam propter compedes ambulare : inclusum « se sentit difficultate vitiorum ; et tanquàm muro im- « possibilitatis erecto, portisque clausis, quà evadat, « ut rectè vivat, non invenit..... Conatur, non potest ; « ligatum se sentit, exclamat ad Dominum. » Ut autem gratiam imploret, gratia orationis ipsi præstò est, quæ sufficiens est ad conversionem, sive ad implenda præcepta. Catholicum dogma de gratiæ sufficientis auxilio justis saltem semper præsente ad divina mandata implenda, confirmat S. Augustinus Enarratione in psalmum 56 : « Neque, inquit, imperaret hoc Deus « ut faceremus, si impossibile judicaret ut hoc ab ho- « mine fieret. Si considerans infirmitatem tuam, de- « ficis sub præcepto, confortarè in exemplo : sed « etiam ad te exemplum multum est, adest ille qui « præbuit exemplum, ut præbeat auxilium. » Et tractatu 53 in Joannem : « Audiamus, inquit, Dominum « et præcipientem et opitulantem : et jubentem quid « facere debeamus, et adjuvantem ut implere possi- « mus. » Et tractatu 7 : « Legem et misericordiam in « linguâ portat : noli timere ne implere legem non « possis, fuge ad misericordiam. »

Meritò igitur summorum pontificum Innocentii X et Alexandri VII constitutionibus, et Ecclesiæ totius execratione, confixa est ut temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, et hæretica, prima illa Jansenii Yprensis episcopi propositio : *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, et conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.*

Gratia non defuit S. Petro, quâ Christum sequi et confiteri posset.

VI. S. Petro non defuisse gratiam, quà possibile ipsi fieret mandatum sequendi Christum, et ipsum urgente tentatione confitendi, dogma fidei est præcedenti connexum. Errori contrario S. Joannes Chrysostomus non favet, homiliâ 83 in Matthæum, 72 in Joannem, et in Epistolam ad Hebræos 31 homiliâ, cùm ait, Petri casum *non frigiditate, non socordiâ, et negligentiâ, sed superni auxilii subtractione* contigisse. De auxilio namque efficaci S. Chrysostomus loquitur, quod Petro ob præcedens peccatum subtractum est, non de auxilio sufficienti, quo Christum sequi et confiteri, tentationesque superare absolutè poterat. Et illud quidem gratiæ efficacis auxilium non illi subtractum est ob negligentiam et socordiam, quâ id negligeret agere quod agendum erat ; Christum enim sequi et confiteri ardore incredibili peroptabat ; sed partim ob præsumptionem de suis viribus, partim ob negligentiam orationis et vigilantiæ, quam ipsi, et aliis Apostolis Christus commendaverat, ne intrarent in tentationem. Id constat ex S. Chrysostomo homiliâ 83 in Matthæum : « Petrus, ait, nimiùm sibi arrogans, « inquit : *Etsi omnes in te scandalizati fuerint, tamen « ego non scandalizabor.* Ita hæc res sensim eum ad tei « trum insolentiæ crimen devehebat, quod reprimere « Christus volens, quoniam nec Prophetæ, nec sib « obtemperavit, negationem fieri permisit. » Et paulò post : « Duplex enim crimen erat, tum quia repugnavit « ac restitit, tum quia cæteris seipsum præposuit. Imò « verò etiam tertium non parvum crimen eum commi- « sisse dixerim, quia sibi totum tribuit. Iis igitur me- « deri omnibus volens, cadere illum permisit. » Et infra : « Divinà protectione valdè fuit denudatus, quod « factum est propter arrogantiam et contradicendi per- « tinacem duritiam.... Nimiùm sibi ipsi confisus, hæc « dicebat, et in alios insurgebat, dicens : *Etsi omnes in « te scandalizati fuerint, ego tamen non scandalizabor.* « Puto autem ambitione quoque aliquâ et jactantiâ in « ea verba Petrum lapsum fuisse. Nam et in ipsâ Cœnâ, « quisnam inter eos major esset, disceptabant... Chri- « stus autem ab his passionibus eum liberare volens, « non impellebat ad negationem, sed favorem suum « ab eo subtraxit et humanam redarguit naturam. » Et homiliâ 72 in Joannem : « Quid dicis, Petre, di- « cenți, *Non potes :* te posse dicis ? Experientiâ cogno- « sces nihil esse dilectionem tuam sine gratiâ divinâ. « Unde constat hunc casum Jesum pro ipsius utilitate « permisisse. Nam cùm assertioni suæ fervore quo- « dam non staret Petrus, non quidem impulit ad ne- « gandum, sed desertum reliquit, ut suam ipse intel- « ligeret imbecillitatem.... Cùm in arrogantiam pro- « laberetur, et Christo contradiceret, suæ admonetur « fragilitatis. » Denique homiliâ 31 in Epistolam ad Hebræos : « Ut scias, inquit, quòd negatio non tam « erat socordiæ ac negligentiæ, quàm ex eo quòd « Deus eum deseruerat, erudiens ut humanam sciret

« mensuram, et non repugnaret iis quæ dicebantur à « Magistro, neque ejus quàm aliorum essent elatiores « spiritus, sed sciret quòd absque Deo nihil potest « fieri, et quòd nisi Dominus ædificaverit domum, « frustrà laborant qui ædificant eam. » Quæ igitur S. Petro defuit efficax gratia, ejus culpâ defuit, in pœnam præsumptionis et superbiæ. Sed gratia sufficiens illi non defuit, quâ vigilare poterat et orare.

Nec magis errori Jansenianо favet S. Hilarius, canone 32 in Matthæum, ubi ait : *Amarissimè flevit Petrus, recolens trepidationis culpam se nec admonitum potuisse vitare.* Hâc enim locutione non exprimit impossibilitatem præcepti, sed vitium et ignaviam Petri non adimplentis præceptum. Sic amicus de amico, vel dominus de servo conqueritur, quòd non potuerit aliquid præstare in sui gratiam, quod ab ejus amicitiâ, fide et obsequio exspectare meritò debuerat. Sic dux de milite ignavo, quòd in pugnâ stare non potuerit, sed fugam pavidus arripuerit. Sic discipulis Christus soporem exprobrans : *Non potuistis*, inquit, *unâ horâ vigilare mecum.* Hoc scilicet loquendi modo vulgato non significatur illis impossibile fuisse quod facere debebant, nec fecerunt ; sed ita ignavos fuisse, imbecilles, vel ingratos, ut non præstiterint quod ex officio præstare tenebantur. Sanè Petrum ignaviam suam deflevisse, non impotentiam vitandi culpam negationis, S. Hilarius satis apertè significat.

Nec etiam Jansenianо errori favet S. Augustinus Sermone 296, aliàs 106 de Diversis, ubi ait : « Promisit se moriturum pro illo, et non potuit nec cum « illo. Plus enim ausus erat, quàm ejus capacitas susti« nebat ; plus promiserat, quàm poterat. » Esto enim tunc nondùm pro Christo mori potuerit Petrus, quod præceptum non urgebat, non sequitur quòd negationis crimen vitare non potuerit, et Christum confiteri, quod tunc præceptum erat, in iisque rerum circumstantiis adimplendum : non sequitur quòd gratia illi defuerit ad Christi confessionem necessaria. Et aliunde S. Augustinus ibidem ait, Petrum timuisse et negâsse Dominum, quia *præposterè amavit*, et *inordinatè amans* defecit sub pondere passionis, ut hinc intelligere quisque possit inordinato illius affectui tribuendum, quòd non satis ad virium suarum imbecillitatem attenderit, nimiâque de suo animo ac dilectione fiduciâ, divinum auxilium non imploraverit, quo adversùs tentationem indigebat.

Quòd si aliàs non potuisse Petrum ab ancillâ interrogatum verum testimonium Christo perhibere, S. Augustinus asserit, id unum significat, non potuisse per se ipsum, et per proprias vires, in quibus nimiùm confidebat, quamvis posset per gratiam Dei, quæ ipsi sufficienter aderat, ut vigilaret ac oraret ; nec auxilio uberiore ac fortiore fuisset destitutus, nisi arrogantiâ suâ obicem illi apposuisset. Sic intelligendus est S. Augustini locus ex tractatu 92 in Joannem depromptus : « Dabit vobis fiduciam, inquit, testimonium per« hibendi charitas Dei diffusa in cordibus vestris per « Spiritum sanctum, qui dabitur vobis. Quæ utique « Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ inter« rogatione perterritus, non potuit verum testimo« nium perhibere ; sed contra suam pollicitationem « timore magno compulsus est ter negare. » Cæterùm ejus præsumptionem et arrogantiam causam fuisse cur illum desereret Deus, et in negationis crimen labi permitteret, pluribus in locis S. Augustinus docet, nimirùm tractatu 67 in Joannem : « Quid festinas, Pe« tre ? Nondùm te suo Spiritu solidavit Petra Noli ex« tolli præsumendo, *Non potes modò :* Noli dejici des« perando. *Sequeris postea*, Sed adhuc ille quid dicit ? « *Quare non possum te sequi modò ? Animam meam pro « te ponam.* Quid in animo ejus esset cupiditatis vide« bat, quid virium non videbat. Voluntatem suam « jactabat infirmus, sed inspiciebat valetudinem me« dicus : iste promittebat, ille prænoscebat : qui nes« ciebat, audebat ; qui præsciebat, docebat. Quantùm « sibi assumpserat Petrus intuendo quid vellet, igno« rando quid posset.... Respondit ergo Jesus : *Animam « tuam pro me pones ?* Præire potes, qui sequi *non po« tes ?* Quid tantùm præsumis, quid de te sentis, quid « te esse credis ? Audi quid sis. *Amen, amen dico tibi, « non cantabit gallus, donec ter me neges.* Ecce quo« modò tibi citò apparebis, qui magna loqueris, et te « parvulum nescis. » Et Tractatu 66 : « Neque nos « primum Apostolorum accusare delectat : sed hunc « intuendo admoneri nos oportet, ne homo quisquam « de humanis viribus fidat.... In animâ itaque Petri « contigit quod offerebat in corpore. Non tamen pro « Domino, ut temerè præsumebat, præcessit, sed ali« ter quàm putabat, namque ante mortem et resur« rectionem Domini et mortuus est negando, et revixit « plorando ; sed mortuus est, quia superbè ipse præ« sumpsit ; revixit autem, quia benignè ille respexit. » Epistolâ 140, aliàs 120 : « Petrus ex egregio præsum« ptore tam creber negator effectus. » Libro 14 de Civitate Dei, cap. 15 : « Illa prorsùs ruina quæ fit in oc« culto, præcedit ruinam quæ fit in manifesto.... Et « audeo dicere superbis essé utile cadere in aliquod « apertum manifestumque peccatum, unde sibi dis« pliceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salu« briùs enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, « quàm sibi placuit, quando præsumpsit. » Libro de Correptione et Gratiâ, cap. 9 : « Dixerat et ipse in « abundantiâ suâ ; *Animam meam pro te ponam :* sibi « festinando tribuens, quod ei fuerat à Domino pos« tea largiendum. Avertit autem ab illo faciem Domi« nus, et factus est conturbatus, ita ut eum mori pro « illo metuens ter negaret. » Enarratione in psalmum 36, sermone 1 : « Petrus quas vires haberet fides ejus « utique nesciebat, quando dixit Domino : *Tecum sum « usque ad mortem.* Dominus autem, qui noverat eum, « prædixit ubi deficeret, prænuntians illi infirmitatem « ejus, tanquàm tactâ venâ cordis ejus. Proinde Pe« trus qui ante tentationem præsumpsit de se, in ten« tatione didicit se. »

Gratia sufficiens ad perseverandum justis omnibus datur.

VII. Certò tenendum est gratiam sufficientem ad

persèverandum justis omnibus adesse. *Deus enim non deserit, si non deseratur, ut piè semper justèque vivatur,* inquit S. Augustinus libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 26. Et: *Gratiâ Dei, quæ hominum adjuvat voluntates, ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo,* ut ipse ait libro 2 de peccatorum Meritis, cap. 17. Quamobrem rectè dici potest justo non perseveranti: *Homo, in eo quod audieras, et tenueras, in eo perseverares si velles*, ut idem S. Augustinus docet libro de Correptione et Gratiâ, cap. 7.

Christianis omnibus, urgente præcepto, gratia sufficiens datur, vel offertur.

VIII. Certò tenendum est, Christianis omnibus, urgente præcepto, gratiam sufficientem dari vel offerri à Deo. Alioqui sine causâ præciperet Deus, si gratiam saltem ad orandum non tribueret, quâ gratia ad præceptum implendum necessaria possit impetrari. Quamobrem *homo gratiâ juvatur, ne sine causâ voluntati ejus jubeatur*, inquit S. Augustinus libro de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 4. Et: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis*, ait idem S. doctor libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 43. Quibus verbis manifestè indicat, alterutrum esse in tuâ potestate. Nam si neutrum posses, quemadmodùm non monet ut facias quod non potes facere, ita etiam non moneret ut petas quod non potes petere. Quis enim paralyticum in terrâ jacentem, et non solùm pedibus ac manibus, sed linguâ atque oculis captum, seriò moneat et facere quod non possit, et petere quod non possit; cùm ad opem petendam non minùs sit impotens, quàm ad surgendum et ambulandum? Hinc S. Leo sermone 16 de Passione: *Justè nobis*, inquit, *instat præcepto, qui præcurrit auxilio.* Præstò est igitur semper nobis auxilium sufficiens ad vitanda peccata et diaboli tentationes vincendas. Diabolus enim non extorquet à nobis consensum, sed petit. Diabolum non adjuvemus, et vincimus. *Dat quidem ille consilium: sed Deo auxiliante, nostrum est vel eligere vel respuere quod suggerit. Si solus diabolus daret consilium, et Deus taceret, haberes quo excusari posses.* Sed Deus non tacet, Scripturæ suæ, conscientiæ nostræ, inspirationum suarum vocibus monet ut peccatum fugiamus. *Cùm* igitur *per Dei adjutorium in potestate tuâ sit utrùm consentias diabolo, quare non magis Deo quàm ipsi obtemperare deliberas?* Verba sunt S. Cæsarii Arelatensis episcopi, sermone 56 in Augustinianâ Appendice 253, aliàs homiliâ 12, ex quinquaginta. Et S. ipse Augustinus, Enarratione in Psalmum 91, simillima habet. Et in Psalmum 40: *Ne dicas: Non possum tenere, et portare, et frenare carnem meam: adjuvaris ut possis.*

Peccatores nondùm indurati, gratiâ sufficiente persæpè donantur.

IX. Certum est peccatores nondùm induratos gratiâ sufficienti à Deo persæpè donari, quâ pœnitentiam agere possint. Longanimis enim Deus, et multùm misericors, peccatores exspectat ut convertantur et vivant; stat ad ostium cordis, et pulsat; vocat venientes; manum extendit, ut lapsos erigat. Hinc S. Augustinus sermone 2 in Psalmum 58: « Si nolis curari « vulnus tuum, inquit, admonet ut cureris; et adversum revocat, et refugientem quodammodò ad sè « redire compellit, et attrahit. In omnibus impiet « quod dictum est: *Misericordia ejus prævenit me.* » Et Enarratione in Psalmum 102: « Quid tam longanimum, inquit, quid tam multum in misericordiâ? « Peccatur, et vivitur, accedunt peccata, augetur vita: « blasphematur quotidiè, et facit solem suum oriri « super bonos et malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat imperliendo tempus vivendi, « vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per « intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis. « Longanimis et multæ misericordiæ, sed observa ne « longitudine misericordiæ Dei malè utendo, tu tibi « thesaurizes, quod ait Apostolus, iram in die iræ et « revelationis justi judicii Dei. »

Gratia sufficiens infidelibus datur.

X. Ipsis infidelibus datur gratia sufficiens, quâ peccata vitare, et ad fidem, atque adeò ad salutem, certis gradibus pervenire possint. *Deus* enim *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hinc S. Ambrosius sermone 8 in psalmum 118: « Mysticus Sol « ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit: ideò autem « passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse « se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis « excludat, non ideò sol non ortus est omnibus, quia « calore ejus se ipse fraudavit; sed quod solis est, « prærogativam suam servat; quod imprudentis est. « communis à se gratiam lucis excludit. Super omnes « pluvia est, et hoc divinæ misericordiæ deputatur, « quia pluit super justos et injustos. »

Hinc S. Augustinus tractatu 2 in Joannem: « Fortè, « inquit, stulta corda adhuc capere istam lucem non « possunt, quia peccatis suis aggravantur, ut eam videre non possint. Non ideò cogitent quasi absentem « esse lucem, quia eam videre non possunt: ipsi « enim propter peccata tenebræ sunt. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Ergo, « fratres, quomodò homo positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli absens est: sic omnis « stultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus est corde. Præsens est sapientia, sed cùm cæco præsens « est, oculis ejus absens est; non quia ipsa illi absens « est, sed quia ipse ab illâ absens est. » Et Tractatu 3: « O homines, nolite esse tenebræ, nolite esse infideles, injusti, iniqui, rapaces, avari, amatores seculi: « hæ sunt enim tenebræ. Lux non est absens, sed vos « absentes estis à luce. Cæcus in sole præsentem habet solem, sed absens est ipse soli. Nolite ergo esse « tenebræ. Hæc est enim fortè gratia, de quâ dicturus « sum, ut jam non simus tenebræ, et dicat nobis Apostolus, Ephes. 5: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* »

Quod autem de Judæis dictum est, Joan. 12: *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias*, cap. 6: *Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et intelligant corde*: quod, inquam, dictum est: *Non poterant*, intelligendum est quòd nolebant: Quemadmodùm dictum est de Domino Deo nostro, 2 Tim. 2: *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* De Omnipotente dictum est: *Non potest.* « Sicut ergo quòd Dominus negare « seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ: ita « quòd illi non poterant credere, culpa est voluntatis « humanæ. »

Eamdem gratiæ sufficientis, quæ ipsis infidelibus omnem excusationis occasionem adimat, generalem largitionem, confirmat auctor librorum de Vocatione gentium, qui sub nomine S. Prosperi circumferuntur, libro 2, cap. 14 et 15. « Neque, inquit, ob hoc excusabiles sunt nationes, quæ alienatæ à conversatione « Israel, spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo, « sub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc universum mundum rigat, « pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim semper est universis quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ et si parcioris occultiorisque gratiæ fuit, « sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam « ad remedium, omnibus ad testimonium. » Et cap. 23: « Sicut autem circa majores præter illam generalem « gratiam parciùs atque occultiùs omnium corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur; ita etiam « circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio. « Quæ quidem nec illis qui renati non sunt, in parentibus defuit, sed iis qui renati sunt, præ parentibus « adfuit. » Cap. 15: « Sive igitur novissima contemplemur secula, seu prima, seu media, rationabiliter « et piè creditur omnes homines salvos fieri Deum « velle, semperque voluisse, et hoc non aliunde monstratur, quàm de iis beneficiis quæ Providentia Dei « universis generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac sunt hujusmodi « dona ita generalia, ut ipsorum testimonio ad quærendum verum Deum possent homines adjuvari. » Cap. 26: « Gratia quidem Dei illa in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, « incitando miraculis, dando intellectum, inspirando « consilium, corque ipsum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo; sed etiam voluntas hominis « subjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut divino in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum quod de « superno semine concepit ad studium, de suâ habens « mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur; et quod « à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ; quod autem à multis suscipitur, et gratiæ est divinæ, et voluntatis humanæ. » Cap. 29: « Universitati hominum ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei con-

« suluit semper, et consulit, ut neque ulli percuntium « excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, « neque cuiquam sit liberum de suâ justitiâ gloriari: « cùm et illos propria nequitia demergat ad pœnam, « et istos Dei gratia perducat ad gloriam. » Cap. denique 31, colligit: « Non solùm in novissimis diebus, « sed etiam in cunctis retrò seculis gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentiâ quidem pari, « et bonitate generali, sed multimodo opere, diversâque « mensurâ, quoniam sive occultè, sive manifestè, ipse « est, ut Apostolus ait, *Salvator omnium hominum*, « *maximè fidelium.* Dicendo, 1 Tim. 4: *Qui est Salvator omnium hominum*, confirmavit bonitatem Dei « super universos homines esse generalem; adjiciendo « autem, *maximè fidelium*, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitùs inspiratæ, ad « summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur. »

Quamvis porrò gratia illa generalis omnibus nationibus impensa, etiam iis quæ nihil unquàm de Evangelio audierunt, non sit gratia Christi eo sensu, quòd Christi Mediatoris cognitionem et fidem involvat; gratia tamen Christi est eo sensu, quòd Christi meritis parta sit, atque ex illius passione et morte pro omnibus derivetur. Non est quidem ita proximè ac immediatè sufficiens ac illa quæ datur gentibus ad quas evangelici prædicatores mittuntur, sed tamen verè sufficiens est ut ad finem per varios gradus pervenire possint. Atque ita cum auctore mox laudato concilientur Africani episcopi in Sardiniâ exules, qui de gratiâ Christi à Petro Diacono interrogati, in hanc sententiam responderunt: « De gratiâ non dignè sentit, quisquis eam putat omnibus dari, cùm non solùm non « omnium sit fides, sed adhuc nonnullæ gentes inveniantur, ad quas fidei prædicatio non pervenit. « Beatus autem Apostolus dicit: *Quomodò invocabunt « in quem non crediderunt, aut quomodò credent ei quem « non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante?* Non itaque gratia omnibus datur, quoniam « quidem ipsius gratiæ participes esse non possunt, « qui fideles non sunt; nec possunt credere, ad quos « invenitur ipse fidei auditus minimè pervenisse. » Gratia scilicet proximè ac immediatè sufficiens ad credendum illis infidelibus non datur, ad quos fidei auditus non pervenit: sed tamen datur illis gratia generalis, quæ per varios gradus ipsos ad fidem promovere potest, quam theologi scholastici remotè ac mediatè sufficientem appositè vocant: quia si generali hujusmodi auxilio infideles rectè uterentur, aut certè suis peccatis illud inutile non redderent, seriemque gratiarum illi ex Dei misericordiâ subjungendarum non abrumperent, speciali vocatione et gratiâ potentiori Deus illis tandem succurreret, quemadmodùm docet S. Thomas, quæstione 14 de Veritate, articulo 11, in Responsione ad primam objectionem: « Si aliquis, inquit, « nutritus in sylvis, vel inter bruta animalia, ductum « naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fugâ « mali, certissimè est tenendum, quòd ei Deus vel per « internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad

« credendum necessaria ; vel aliquem fidei prædicato-
« rem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Corne-
« lium. »

Gratiæ sufficientes obduratis penitùs non desunt.

XI. Obduratos et excæcatos omni prorsùs gratiâ sufficienti semper destitutos non esse, sentiendum est, quamvis tenuissimæ sint atque infrequentes admodùm gratiæ, quæ desperatis hujusmodi hominibus à Deo conceduntur. Summa enim illa cæcitas, quæ nullis omninò divinæ gratiæ radiis collustratur, hâc in vitâ locum non habet, ut docet S. Augustinus, Enarratione in psalmum 6 : *Dedit eos in reprobum sensum.* « Nam ea est, inquit, cæcitas mentis. In eam
« quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secludi-
« tur : sed nondùm penitùs cùm in hâc vitâ est. Sunt
« enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii
« pertinere intelliguntur, ut penitùs extra Deum sit,
« quisquis dùm tempus est corrigi noluerit. Penitùs
« enim esse extra Deum, quid est nisi esse in summâ
« cæcitate ? » Cùm autem ait S. Augustinus libro de Perfectione justitiæ, cap. 19, debere Deo agere gratias, qui præcepta voluit, quia *desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset*, non significat aliquos homines hâc in vitâ deseri omni lumine veritatis, sed hominem qui præcepta Dei implevit, id debere totum divinæ gratiæ. Ait quidem S. Augustinus, lib. 1 ad Simplic., quæst. 2, Deum hujusmodi hominum, qui obdurati sunt, *non misereri*, quia singularem illis misericordiam non impendit, quâ cordis duritiem frangatur ; sed lumen aliquod vel tenuissimum gratiæ sufficientis illis præstò esse non negat, cùm Enarratione 1 in Psalmum 18, disertis verbis pronuntiet : « Deus
« non permisit ullum mortalium excusare se de umbrâ
« mortis : et ipsam enim penetravit Verbi calor. »

Cæcitate illâ interiori « oculum mentis extinctum » esse, cùm S. Augustinus ait, aliquâ ex parte extinctum esse significat, et respectu singularis alicujus veritatis ; unde subdit : « Si cæcus oculis carnis ad
« mensam suam quamlibet opimam discumberet, mi-
« serum eum diceres : cæcus interiùs panem Chri-
« stum non videt, et beatus est ? Hoc non dicit nisi
« pariter cæcus. » Sed oculum mentis *penitùs* extingui spiritali cæcitare negat, quamdiu quisque *in hâc vitâ est*. Unde Propheta timens judicii diem, laborat et plangit, ne ad illud perducatur, cujus initium tam perniciosum nunc experitur. « Et ideò non dixit : *Extin-*
« *ctus est ;* sed : *Turbatus est ab irâ oculus meus.* » Sicut ergo sol etsi locum opacum luce clariori non perfundat, aliquod tamen tenuissimum lumen ibi spargit, quo umbra à densissimis tenebris distinguitur : ita Sol justitiæ in excæcatorum cordibus umbram facit, dùm ipsos uberiori luce non illuminat ; aliquod tamen tenuissimum lumen illis infundit, quo à gente tenebrarum, seu à dæmonibus et damnatis hominibus distinguantur.

Necesse esse ut cadat et offendat, qui spiritaliter cæcus est, S. Augustinus ait : sed loquitur de morali quâdam necessitate, qualis illa est quæ ex pravâ consuetudine descendit, non de necessitate physicâ et absolutâ ; loquitur de necessitate quæ ex liberâ voluntate pendet, non de necessitate naturali. Sicut ergo cùm videmus aliquem per viam fossis abruptam clausis oculis ambulantem, rectè dicimus : Necesse est ut cadat, quia non vult oculos aperire ; ita rectè dicitur de homine spiritaliter cæco : Necesse est ut cadat et offendat, qui necessitatis hujus ipse sibi auctor est, quia Salvatoris gratiam non implorat, ut potest, quâ illius cæcitas curaretur. Ilic S. Augustini sensus, cùm ait libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 22 : « Nec cogitat
« prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat verita-
« tis : quâ desertus utique fit cæcus, et plus necesse
« est offendat, et cadendo vexetur, vexatusque non
« surgat, et ideò tantùm audiat vocem legis, quò ad-
« moneatur implorare gratiam Salvatoris. » Frustra autem excæcati et obdurati admonerentur implorare gratiam Salvatoris, si ab omni gratiæ sufficientis auxilio ita essent destituti, ut ipsam nullatenùs implorare possent.

Potestas quidem benè agendi, volendi, vivendi, non ita proxima est in excæcatis et obduratis, sicut in aliis peccatoribus. Quemadmodùm enim varii sunt gradus gratiæ sufficientis, ita varii sunt gradus collatæ per eam potestatis : unde tenuissimam illi ac debilissimam potestatem habent, sicut tenuissimam ac debilissimam gratiam ; sed tamen omni prorsùs ordinis supernaturalis potestate ad benè agendum spoliati non sunt, sicut damnati, qui *ligatis manibus et pedibus*, id est, omnimodâ potestate ablatâ, *in tenebras exteriores projicientur*. Hoc sensu locutus est S. Augustinus, cùm ait libro 3 de libero Arbitrio, cap. 18 : « Illa est peccati
« pœna justissima, ut amittat quisque quo benè uti
« noluit, cùm sine ullâ posset difficultate, si vellet. Id
« est autem, ut si quis sciens rectè non facit, amittat
« scire quid rectum sit ; et qui rectè facere cùm pos-
« set noluit, amittat posse cùm velit. » Et libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 51 : « Cæcus puto quòd velit vi-
« dere, sed non potest ; si autem vult et non potest,
« inest voluntas, sed amissa est possibilitas. » Non tamen possibilitas omnis, siquidem potest medicum quærere, qui oculos sanet, ac videndi possibilitatem restituat, quæ fuerat amissa per cæcitatem, ut ibidem ait. Inclamare potest : *Domine, ut videam.*

Verùm, inquies, de Pharaone obdurato ait S. Augustinus, in Expositione quarumdam propositionum ex Epistolâ ad Romanos, num. 61 : *Non hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperârit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat ; sed quia dignum se præbuit cui cor obduraretur priori infidelitate.* Idem igitur de obduratis quibusque judicium ferendum est.

Facilis erit hujus loci explicatio, si cæcitatem et obdurationem, atque peccata ab excæcatis et obduratis commissa, dupliciter spectari posse animadvertamus ; vel ut peccata sunt, vel ut pœnæ præcedentis peccati. Ut peccata sunt, soli homini obdurato imputantur ; ut pœnæ sunt, non soli homini, sed Deo imputantur, id est, tribuuntur, priorem improbitatem illorum permissione castiganti. Priora autem peccata, quibus di-

gnum se præbuit peccator ut à Deo desereretur, et cor illi obduraretur, ipsi soli imputantur, non Deo, quia sic peccata sunt, ut non sint pœnæ peccati. Ex S. Augustini principiis hæc explicatio eruitur. Scribit enim libro 5 contra Julianum, cap. 5 : « Cæcitas cordis, « quam solus removet illuminator Deus, et peccatum « est, quo in Deum non creditur; et pœna peccati, quâ « cor superbum dignâ animadversione punitur; et « causa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore « committitur. » Igitur Pharaoni non imputari S. Augustinus ait, quòd tunc obtemperare non poterat, si spectetur ejus obduratio ut pœna peccati, quia *de supplicio veniebat;* ipsi enim acciderat obduratio *judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam ;* sed tamen ipsi imputabatur obduratio, et peccata quæcumque ipsam consecuta, quatenùs peccata erant; siquidem erant verè peccata, et quidem gravissima, pœnisque gravissimis punienda. *Nemo* autem *peccat in eo quod vitare non potest.* Quod itaque de Judæis excæcatis et obduratis alibi S. Augustinus observat, ideò dictum : *Non poterant credere*, QUIA NOLEBANT; de Pharaone pariter dicendum est secundùm ejus principia; obdurato corde obtemperare illum non potuisse, quia nolebat. Et quemadmodùm de Judæis ait: *Facile est ut infidelitatem accusemus Judæorum de liberâ voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt;* ita de Pharaone dici potest : Facile est ut accusemus Pharaonis contumaciam de liberâ voluntate venientem, qui tot miraculis à Moyse Dei apud ipsum legato factis credere noluit. (Tract. 53 in Joan. lib. de Prædest. Sanct. c. 9.)

Id confirmat S. Fulgentius Augustinianæ theologiæ principiis apprimè imbutus, libro de Prædestinatione et Gratiâ, cap. 15, ubi de Nabuchodonosor et Pharaone sic loquitur : « Quantùm ad naturam, ambo « homines erant; quantùm ad dignitatem ambo re- « ges; quantùm ad causam, ambo populum Dei capti- « vum possidentes; quantùm ad pœnam, ambo fla- « gellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum « fecit esse diversos, nisi quòd unus manum Dei « sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis inge- « muit; alter libero contra Dei misericordissimam vo- « luntatem pugnavit arbitrio? » Etsi verò initio capitis significet illos *nullâ intrinsecùs vocatione pulsatos*, loquitur de speciali vocatione, quâ reipsâ converterentur, non de generali misericordiâ, gratiâque remotiore, verè tamen sufficienti, quâ converti possent, omnisque ipsis præcluderetur excusationis occasio, ut constat ex cap. 14 : « Nec hi, inquit, qui indura- « ti atque damnati sunt, excusationem culpæ ex hoc « habere posse se credant, quòd nullam quâ conver- « terentur, sint misericordiam consecuti. Hanc ergo « Pharao misericordiam non accepit, et ideò ei ad « pereundum liberum suffecit arbitrium... An fortè, « si piè de Deo, sicut expedit, sentiamus, etiam « Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patien- « tia enim Dei valere ei debuit ad salutem, quâ dif- « ferens justum meritumque supplicium, miraculo- « rum verbera crebra densabat. Nùmquid non potuit, « sicut flagellis cedens expulit populum, ita mira u- « lis credens, Deum tantæ virtutis agnoscere? »

Infantibus sine Baptismo morientibus parata est Baptismi gratia.

XII. Sentiendum est denique, infantibus sine Baptismo morientibus, quibus, cupientibus et quandoque festinantibus parentibus, ministris quoque volentibus et paratis, Baptismus *Deo nolente non datur*, ut loquitur S. Augustinus; paratum tamen à Deo esse Baptismum, qui pro omnibus institutus à Christo est, paratum, inquam, generali voluntate quâ vult omnes homines salvos fieri; non specialis voluntatis beneplacito et proposito, quo aliquos ex communi perditionis massâ ab æterno discernit, eligit, prædestinat gratuitâ misericordiâ, aliis in illâ justo judicio relictis. Unde auctor librorum de Vocatione gentium, qui sub S. Prosperi nomine circumferuntur, libro 2, cap. 23, infidelium etiam pueros « ad illam pertinere gra- « tiæ partem » asserit, quæ semper « universis est im- « pensa nationibus : quâ utique si benè uterentur eo- « rum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. » Sed causarum naturalium cursum invertere, et miracula identidem operari Deus non tenetur, ne præmaturâ morte abripiantur infantes plerique, etiam fidelium et piorum, antequàm Baptismum suscipiant.

Hæc de gratiâ sufficienti paulò uberiùs tractare operæ pretium erat, ut clericis contra Jansenianum venenum antidotum pararemus. Hanc absolvo tractationem præclaro S. Hilarii testimonio, quo gratiam sufficientem omnibus ad salutem adesse, Deumque eam omnibus offerre conficitur. « Stat, inquit in Ps. 118, « vers. 89, ad ostium Verbum Dei, et pulsat ostium « animæ nostræ, et dicit : Ecce stans ad ostium pulso. « Si quis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum. Vult « ergo semper introire, sed à nobis ne introeat exclu- « ditur. Claudimus enim per hæc corporis vitia ani- « mæ nostræ aditum. Qui si cœperit emundatis omni- « bus patere, illicò introibit, modo solis, qui clau- « sis fenestræ valvis introire prohibetur, patentibus « verò totus immittitur. Ipsi quidem semper ut illumi- « net, promptum est : sed lumen sibi domus ipsa ob- « seratis aditibus excludit. Est enim Verbum Dei sol « justitiæ, adsistens unicuique ut introeat : nec mo- « ratur lucem suam apertis aditibus infundere. »

Consectarium ad morum informationem.

XIII. Quæ cùm ita sint, cavendum nobis est, *ne quis* nostrùm *desit gratiæ Dei*, Hebr. 12; ne Spiritui sancto resistamus; ne ipsum, id est, ejus gratiam in nobis extinguamus : *Ne obduretur quis* ex nobis *fallaciâ peccati. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque in finem firmum retineamus. Dùm dicitur : Hodiè si vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra*, Hebr. 3. Si gratia Dei vacua in nobis fuerit, non tamen ad ipsum vacua revertetur. *Quomodò*, inquit Dominus, *descendit imber et nix de cœlo, et illùc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti : sic erit ver-*

bam meum, quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, Isai. 55. Si Dei gratiæ, quæ nobis non deest, defuerimus, gratias ulteriores et efficaces justo judicio nobis Deus subtrahet, imò et sufficientes infrequentiùs dabit. *Auferetur*, inquit, *à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus*, Matth. 21. Id nobis ne contingat, cum timore et humilitate cooperemur gratiæ Dei, quia in pœnam superbiæ sæpè subtrahitur vel negatur illa quæ efficax est; sive impedit hominis superbia ne illam quæ per se sufficiens est, misericordia Dei ad ultimum effectum perducat, propter quem data erat vel parata. Hinc S. Bernardus Sermone 54 in Cantica, ait : « In « veritate didici, nihil æquè efficax esse ad gratiam « promerendam, retinendam, recuperandam, quàm « si omni tempore inveniaris coram Deo non altum « sapere, sed timere. Beatus homo qui semper est pavidus. Time ergo cùm arriserit gratia, time cùm « abierit, time cùm denuò revertitur. Cùm adest, time ne non dignè opereris ex eâ. Nam hoc monet « Apostolus : *Videte*, inquiens, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Et ad discipulum : *Noli negligere gratiam quæ in te est*. Et de seipso dicebat : *Gratia Dei in me vacua non fuit*. Sciebat homo consilium Dei habens, « redundare in contemptum donantis, donum negligere, nec expendere ad quod donatum est. Sic ergo « timendum manente gratiâ. Quid si recesserit ? Nùm « multò magis tunc timendum ? Planè multò magis, « quia ubi deficit tibi gratia, deficis tu : audi enim « quid Doctor gratiæ dicat : *Sine me nihil potestis facere*. Time ergo subtractâ gratiâ, tanquàm mox casurus; time et contremisce, Deo tibi, ut sentis, « irato. Time, quia reliquit te custodia tua; nec dubites in causâ esse superbiam, etsi non appareat. « Numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet « datam ? Ergo argumentum superbiæ, privatio est « gratiæ. Jam si gratia repropitiata redierit, multò « ampliùs tum timendum, ne fortè contingat recidivum peccati, juxta illud in Evangelio : *Ecce sanus factus es, vade, et ampliùs jam noli peccare, ne « aliquid deterius tibi contingat*. Proinde invalescente « periculo, invalescat et metus. Beatus es si cor tuum « isto timore repleveris, ut timeas quidem pro acceptâ « gratiâ, ampliùs pro amissâ, longè plus pro recuperatâ. »

ARTICULUS VI.

Quo quintus Symboli articulus exponitur : DESCENDIT AD INFEROS, TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS.

Ejus articuli priori parte confitemur, Christo jam mortuo, illius animam ad inferos descendisse, ibique tamdiù mansisse, quamdiù ejusdem corpus in sepulcro fuit; eamdemque incarnati Verbi Personam eo tempore et apud inferos fuisse, et in sepulcro : quia nec ab animâ, nec à corpore separata est, cùm animam à corpore mors divulsit. Posteriori parte confitemur animam Christi, qui sextâ feriâ, horâ diei nonâ in cruce spiritum emiserat, tertio à morte die, qui Dominicus exinde in Ecclesiâ appellatus est, illius corpori iterùm fuisse conjunctam; atque ita Christum Jesum ex sepulcro, in quo tribus diebus jacuerat, parte sumptâ pro toto redivivum surrexisse.

§ I. *De Christi descensu ad inferos*

Inferorum nomen abdita illa receptacula significat, in quibus detinentur animæ quæ cœlestem beatitudinem nondùm sunt consecutæ. Hæc autem ante Christi Domini resurrectionem tria fuisse docet concilii Tridentini Catechismus; scilicet infernum damnatorum, purgatorium et limbum.

Infernus damnatorum est infima regio terræ, sive carcer teterrimus et obscurissimus, ubi reproborum animæ, Dei visione in æternum privatæ, perpetuo et inextinguibili igne cum diabolo et angelis ejus torquentur. Qui etiam *gehenna*, *abyssus*, et propriâ significatione *infernus* in Scripturis vocatur.

Purgatorium locus est in quo piorum animæ, quibusdam peccatorum venialium maculis infuscatæ, vel pœnis peccatorum obnoxiæ, ad definitum tempus cruciatæ expiantur, ut eis in æternam patriam pateat aditus, in quam nihil coinquinatum introire potest. Atque hæc duo receptacula utrique tempori, tam quod Christi Passionem præcessit, quàm quod eam consecutum est, communia fuêre.

Limbus est subterranea regio duabus illis superior, in quâ animæ sanctorum, quibus nulla labes purganda, nulla pœna pro peccatis solvenda supererat, ante Christi Domini adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu, beatâ redemptionis spe sustentatæ, quietâ habitatione fruebantur. Differebatur enim eorum beatitudo usque ad Christi adventum, quia communis reatus naturæ, ex peccato originali tunc superstes, donec Redemptoris passione et morte tolleretur, moram ipsarum felicitati afferebat. Cœlum, cujus clavis Christi sanguis est, nondùm erat reseratum, *nondùm propalata erat sanctorum via*, ut loquitur Apostolus, Hebr. 9. Nec mirum quòd justi moram hujusmodi paterentur : siquidem et nunc, et usque ad finem mundi miseriis et morti obnoxii sunt viri sancti, quamdiù hìc vitam agunt; nec ab illis perfectè liberabuntur electi, nisi in secundo Christi adventu et resurrectione generali, cùm *novissima destructur inimica mors*, 1 Cor. 15. Locus ille, quem theologi Limbum Patrum vocant, Christus in Evangelio *Sinum Abrahæ* vocat, Luc. 16, et in eum Lazari mendici animam ab Angelis deportatam fuisse testatur. Quietis autem et consolationis locum fuisse, non solùm sinûs vocabulum significat, sed etiam id indicant Abrahæ verba divitem epulonem compellantis. *Nunc autem hìc consolatur, tu verò cruciaris.*

II. Hùc animam Christi, non virtute tantùm et operatione, sed re et præsentiâ descendisse, dogma fidei est, Scripturæ sacræ testimoniis, et unanimi Patrum consensu firmatum. Præcipuus Scripturæ locus quo descensus Christi ad inferos asseritur, oraculum est Davidis psalmo 15 : *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Quem locum de Christo Jesu S. Petrus

explicat Act. 2, dicens : *Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Tum illud Apostoli ad Ephesios 4 : *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Græci verò Latinique Patres in ejusdem catholici dogmatis assertionem conspirant : quorum testimonia proferre, vel indicare inutilis operæ foret. Legendi inter alios S. Hilarius in psalmo 138, S. Hieronymus in cap. 4 Epistolæ ad Ephesios, S. Augustinus Epistolà 164, aliàs 99, ad Evodium, cap. 5, et alibi ; S. Leo Epistolà ad Turribium Asturicensem episcopum, cap. 17; S. Gregorius Magnus libro 12 Moralium cap. 7, et libro 13, cap. 15.

III. Nihil autem de summâ Christi dignitate et potestate detractum est, cùm ad inferos descendit, cùm illùc descenderit *inter mortuos liber*, et victor, ut dæmones virtute suâ summâque potestate profligaret, ut eorum spolia eriperet, sanctosque Patres ac justos omnes qui ante ejus mortem obierant, è limbo liberatos secum adduceret in cœlum, ac Dei beatâ visione donaret. Tunc impletum est quod latroni pœnitenti et ipsum in cruce confesso promiserat : *Hodiè mecum eris in Paradiso.* Vaticiniis Prophetarum hæc prænuntiata fuêre. Psalmo 67 : *Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus ; iter facite ei qui ascendit super occasum : Dominus nomen illi... Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris... Ascendisti in altum, cepisti captivitatem ; accepisti dona in hominibus.* Quam prophetiam in Christo Jesu finem habuisse, testatur S. Paulus Epist. ad Ephesios cap. 4, vers. 8. Osee 6 : *Vivificabit nos post duos dies, in die tertiâ suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum : quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ.* Et cap. 13 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos : ero mors tua, ô mors ; morsus tuus ero, inferne.* Zachariæ 9 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Convertimini ad munitionem vincti spei, hodiè quoque annuntians duplicia reddam tibi.* Idipsum denique expressit Apostolus ad Colossenses cap. 2, his verbis : *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

Alia etiam causâ est cur ad inferos Christus Dominus descenderit ; nempe ut in hâc etiam tenebrarum regione, quemadmodùm in cœlo et in terris, vim suam potestatemque declararet : *Ut in nomine Jesu omne genu flecteretur, cœlestium, terrestrium et infernorum,* Philipp. 2.

IV. Cæterùm Christus ad inferos descendens inferni cruciatus non pertulit, neque privationem gloriæ ac beatitudinis passus est, quâ ejus anima donata est statim atque Verbo unita fuit. Nam S. Petrus, Act. 2, testatur Christum à Deo suscitatum, *solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Quod intelligendum est eo sensu quem S. Augustinus explicat epistolà 164, aliàs 99 ad Evodium. Inferni scilicet dolores ab illo solutos, « non tanquàm si catenas solvisset, quibus fuerat alligatus ; sed sic eos « solutos esse, quemadmodùm solvi possunt laquei « venantium, ne teneant, non quia tenuerunt. » Vel sic, « ut eos dolores eum solvisse credamus, quibus « teneri ipse non poterat, sed quibus alii tenebantur, « quos ille noverat liberandos. » Et paulò post subdit : « Quod scriptum est in morte Christi factum, *solutis « doloribus inferni ;* vel ad ipsum potest intelligi pertinere, quòd eos hactenùs solverit, hoc est, irritos « fecerit, ne ab eis ipse teneretur, præsertim quia sequitur : *In quibus impossibile erat teneri eum.* Vel si « causa quæritur cur voluerit venire in infernum, ubi « dolores illi essent, quibus teneri omninò non poterat, quia erat, ut scriptum est, *in mortuis liber ;* in « quo princeps et præpositus mortis non invenit aliquid quod supplicio deberetur : hoc scilicet quod « scriptum erat, *solutis doloribus inferni,* non in omnibus, sed in quibusdam accipi potest, quos ille dignos « suâ liberatione judicabat : ut neque frustrà illùc descendisse existimetur, nulli eorum profuturus qui ibi « tenebantur inclusi, nec tamen sit consequens, ut « quod divina quibusdam misericordia justitiaque concessit, omnibus concessum sit. »

Idem confirmat S. Fulgentius libro 3 ad Trasimundum, cap. 30 : « Restabat, inquit, ad plenum nostræ « redemptionis effectum, ut illùc usque homo sine « peccato à Deo susceptus descenderet, quousque « homo separatus à Deo peccati merito cecidisset, id « est, ad infernum, ubi solebat peccatoris anima torqueri ; et ad sepulcrum, ubi consueverat peccatoris « caro corrumpi : sic tamen ut nec Christi caro in sepulcro corrumperetur, nec inferni doloribus anima « torqueretur, quoniam anima immunis à peccato « non erat subdenda supplicio, et carnem sine peccato non debuit vitiare corruptio. » Quæ sufficiunt ad refellendam Calvini blasphemiam, qui asserere non dubitavit inferni cruciatus animam Christi pertulisse.

V. Non autem omnes ab inferis liberati sunt veniente Christo, sed Patriarchæ duntaxat, Prophetæ, justique cæteri, qui dùm viverent, dignos se tanto beneficio præbuerunt, ut docent S. Irenæus libro 4, cap. 39 ; Tertullianus libro de Animâ, cap. 55 ; S. Ambrosius in Psalmum 118 ; S. Petrus Chrysologus, sermone 123 ; S. Gregorius Magnus libro 13 Moralium, cap. 15. Non sic autem eduxit sanctos ab eo carcere, ut alii postea in eorum locum succederent, sed ut piorum nemo ad illum deinceps adiret, nec ibi detineri posset. Unde psalmo 106 dicitur : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit.* Quod in Samsone adumbratum est, cùm *apprehendit ambas portæ* urbis Gazæ *fores cum postibus suis et serâ, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis ;* Judicum 16. Hinc S. Augustinus libro 20 de Civitate Dei, cap. 15, ait : « Si non absurdè credi videtur, an« tiquos etiam sanctos, qui venturi Christi tenuerunt « fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotis

« simis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi et ad ea loca descensus erueret, profectò deinceps boni fideles effuso illo pretio jam redempti, prorsùs inferos nescierunt, donec etiam receptis corporibus, bona recipiant quæ merentur. »

VI. Christum igitur damnatorum nominem ex inferno inferiori liberâsse certum est, cùm ad illas solùm animas fructus passionis Christi pervenerit, quæ ipsi per fidem et charitatem erant conjunctæ, quando corporibus suis solutæ sunt; unde Osee 13 ex illius personâ dicitur : *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne :* ut significetur eum mortem in electis suis funditùs destruxisse; ex locis autem subterraneis, quæ inferorum generali nomine designantur, partem abstulisse, partem reliquisse; liberâsse justos, quos nullus reatus personalis ac proprius ab æternæ beatitudinis consecutione prohibebat; reliquisse impios ac reprobos, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in suâ impietate mortui, æternæ damnationi addicti erant Quod explicat præclarè S. Gregorius Magnus, Homiliâ 22 in Evangelia, his verbis : « Quod « ante passionem dixit, in resurrectione suâ Domi« nus implevit : *Si exaltatus*, inquit, *fuero à terrâ, « omnia trahum ad me*, Joan. 12. Omnia etenim traxit, « qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. « Omnia abstulit, utique electa. Neque etenim infide« les quosque, et pro suis criminibus æternis suppli« ciis deditos, ad veniam Dominus reparavit, sed « illos ex inferni claustris eripuit, quos suos in fide « et actibus recognovit. Unde rectè etiam per Osee « cap. 13, dicit : *Ero mors tua, ô mors; morsus ero tuus, « inferne*, Id namque quod occidimus, agimus ut « penitùs non sit. Ex eo quod mordemus, partem ab« trahimus, partem relinquimus. Quia ergo in electis « suis funditùs occidit mortem, mors mortis exstitit. « Quia verò ex inferno partem abstulit, et partem « reliquit, non occidit funditùs, sed momordit infer« num. »

VII. Ex pœnis verò purgatorii illorum animas Christus ad inferos descendens liberavit, quos illo beneficio dignos judicavit, qui scilicet jam satis erant expiati; vel qui, dùm in hoc mundo mortalem vitam agerent, fide ac devotione erga mortem Christi promeriti erant, ut ejus ad inferos descensu plicularibus pœnis solverentur. Nullus tamen dubito quin omnes incredibili solatio et gaudio affecerit, omniumque pœnas moderatus sit. Id enim colligi potest ex divino illo oraculo, Ecclesiastici 24 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.*

§ II. *De resurrectione Christi. — Christus virtute suâ resurrexit, tertiâ die, primus omnium.*

I. Nemo homo virtute suâ seipsum à morte ad vitam revocare potest. Id summæ Dei potestati proprium. Cùm igitur Dei Virtus, seu persona ipsa Verbi divini, quæ *vita* est, neque à Christi corpore in sepulcro, neque ab animâ inferos adeunte, sejuncta unquàm fuerit, divina vis tum in corpore inerat, quâ animæ iterùm conjungi, tum in animâ quâ corpus resumere posset : ideò Christo virtute suâ resurgere à mortuis licuit. Id verò David Spiritu Dei plenus prædixit his verbis, Psal. 97 : *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.* Et Psal. 3 : *Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Id confirmavit ipse Christus, cùm Judæis dixit, Joan. 2 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud :* Quod *dicebat de templo corporis sui*, ut Evangelista declarat. Et rursùs, Joan. 10 : *Ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam : et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterùm sumendi eam.* Hinc Apostolus, 2 ad Corinthios cap. ultimo, de Christo scribit : *Etsi crucifixus est ex infirmitate nostrâ, sed vivit ex virtute Dei.* Quamvis autem in Scripturis interdùm legamus Christum Dominum à Patre suscitatum esse, scilicet Act. 2, 3, 10, 13, et Rom. 4, hoc ad eum ut hominem referendum est : quemadmodùm illa rursùs ad eumdem ut Deum spectant, quibus significatur eum suâ virtute surrexisse, ut explicat Tridentini concilii Catechismus. Præterea, cùm Dei Filius sit à Patre genitus, Deus de Deo, ejus vita et gloria à Patre originem habet. Unde ipse Christus omnia sua Patri accepta refert, Joannis 17 : *Omnia mea*, inquit, *tua sunt.* Ideò etiam ait Joan. 7 : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me;* et Joan. 8 : *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est : est Pater meus qui glorificat me.* Verùm quia vitam eamdem, æquè perfectam, divinam, essentialem, supremam, independentem, modis omnibus infinitam cum Filio Pater æternus communicat : unde ipse ait Joan. 8 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso ;* ideò dedit etiam illi Pater virtutem eamdem communicandi vitam cum omnibus quibuscum erat communicanda, adeòque et sacrâ humanitate, quæ ipsam in resurrectione primâ omnium recepit, ut cæteris largiretur. *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat.* Cùm igitur Pater suscitaverit Jesum à mortuis, necesse est ut Christus se ipsum etiam suscitaverit. Quâ de re præclarè S. Augustinus sermone 67, aliàs 8, de Verbis Domini, ait : « Nullus « mortuus est sui ipsius suscitator. Ille se potuit sus« citare, qui mortuâ carne mortuus non est. Etenim « hoc suscitavit quod mortuum fuerat. Ille se suscita« vit, qui vivebat in se, in carne autem suâ suscitan« dâ mortuus erat. Non enim Pater solus Filium sus« citavit, de quo dictum est ab Apostolo, Philipp. 2 : « *Propter quod et Deus exaltavit eum ;* sed etiam Domi« nus se ipsum, id est corpus suum; unde dicit, « Joan. 2 : *Solvite templum hoc, et in triduo suscita« bo illud.* »

II. Non solùm propriâ virtute, sed primum omnium resurrexisse Christum, certum est. Nam in Scripturâ sacrâ *Primogenitus mortuorum*, et *Primogenitus ex mortuis* vocatur. Et Apostolus 1 ad Corinthios 15, ait : *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium : quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes mo-*

riuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus : deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. Quæ quidem verba de perfectâ resurrectione intelligenda sunt, quâ ad vitam immortalem, omni prorsùs moriendi necessitate, imò et possibilitate sublatâ, excitamur. In eo porrò genere Christus primum locum obtinet, non dignitate solùm, sed tempore. Nam si de resurrectione sermo sit, cui iterùm moriendi necessitas adjuncta est, ante Christum multi alii à mortuis excitati sunt : qui omnes tamen eâ conditione revixerunt, ut eis iterùm moriendum esset. Quin et illi ipsi quos surrexisse cum Christo, et venisse in sanctam civitatem, et apparuisse multis, Evangelium refert, resurrexerunt iterùm morituri. Unde S. Petrus, Act. 2, Judæis probat, non de Davide, sed de Christo fuisse prædictum, carnem ejus non vidisse corruptionem, quia sepulcrum David apud eos videbatur; convincens autem argumentum non fuisset, nisi in eo sepulcro jacuisset etiamnum corpus David : siquidem et Christi sepulcrum ostendebatur, sed post triduum mortis ejus vacuum inventum fuerat. Ab eâ autem justorum resurrectione, si eis æterna tunc donata fuisset, exclusum iri Davidem haud verisimile est, cujus ex semine Christus secundùm carnem commendatur. Periclitabitur etiam illud quod in Epistolâ ad Hebræos de antiquis justis dictum est, Hebr. 11 : *Ne sine nobis consummarentur*, si jam in illâ resurrectionis incorruptione constituti sunt, quæ nobis perficiendis in fine promittitur, ut disserit S. Augustinus Epistolâ 164, aliàs 99 ad Evodium, cap. 3. At Christus Dominus ita resurrexit devictâ morte, ut mori ampliùs non posset. Unde Apostolus ad Romanos 6 scribit : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur.*

III. Tertiâ autem die illum resurrexisse profitemur, secundùm Scripturas, prout ipse Christus prædixerat, Matth. 12 : *Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* Et Matth. 16 : *Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati à senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertiâ die resurgere.* Unde Apostolus 1 ad Corinthios 15 : *Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundùm Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas.* Conveniens certè erat Christi Jesu resurrectionem ad finem usque seculi non differri, sed quàm citissimè perfici, ad fidem de veritate divinitatis ejus confirmandam : nec tamen statim post mortem, nullâ interpositâ morâ, resurgere, ad confirmandam fidem de veritate humanitatis et mortis ipsius. Tridui autem spatium ad veram mortem comprobandam satis erat. Præclarè S. Leo, sermo 1 de Resurrectione Domini, ait : « Ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denuntiatam tridui moram mirâ celeritate breviavit, ut dùm ad integrum diem pars primi novissima, et pars tertii prima concurrit, et aliquantùm temporis spatio decideret, et nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur Salvatoris nec animam in inferno, nec carnem diù morata est in sepulcro, et tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo quàm mortis : quoniam Deitas, quæ ab utrâque suscepti hominis substantiâ non recessit, quod potestate divisit, potestate conjunxit. » Præterea, cùm Christus mortuus sit propter peccata nostra, ut peccatum destrueret, nobisque vitam æternam tribueret, mortem ejus triduum tantùm durare, et resurrectionem tertiâ die fieri conveniens erat, ut significaretur nos mori peccato, et ad spiritalis vitæ novitatem resurgere, fide sanctissimæ Trinitatis, quæ duplicis illius mysterii gratiæque per utrumque nobis partæ principium est. Resurrexit autem Christus circa diluculum, illucescente jam die, ad significandum quòd resurrectione suâ nos ad lucem gloriæ perducebat, sicut advesperascente jam die et ad occasum vergente mortuus est, ut ostenderet culpæ pœnæque æternæ tenebras morte suâ dispelli. Et tamen dicitur tertiâ die resurrexisse, tertium diem à parte primâ, sicut primum ab extremâ numerando. « Nox enim usque ad diluculum, quo Domini resurrectio declarata est, ad tertium diem pertinet quia Deus, qui dixit de tenebris lucem clarescere, ut per gratiam novi Testamenti et participationem resurrectionis Christi audiremus : *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, Ephes. 5; insinuat nobis quòd à nocte dies quodammodò sumit initium. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum à luce in noctem; ita isti propter hominis reparationem à tenebris ad lucem computantur, » inquit S. Augustinus libro 4 de Trinitate, cap. 6.

§ III. *Resurrectionis Christi necessitas.*

Christum à mortuis resurgere necesse fuit, primò ad divinæ commendationem justitiæ. Decebat enim ut eum ad apicem gloriæ Deus extolleret, qui se, ut illi obtemperaret, ad ignominiosissimum genus mortis depresserat. Hanc Apostolus causam attulit, ad Philippenses scribens, cap. 2 : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum.* Idcò ejus Persona dicitur Psalmo 138 : *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.* Id est, tu voluisti, tu approbâsti passionem meam et resurrectionem meam. Ex voluntate tuâ utrumque Mysterium peractum est. « Quid hic sessio? Quid resurrectio? inquit S. Augustinus in istius Enarratione psalmi. Qui sedet humiliat se. Sedit ergo Dominus in passione, surrexit in resurrectione. »

Secundò, Christum resurgere necesse erat ad fidem nostram confirmandam. Illud enim maximo argumento esse debet, Christum esse Filium Dei, quòd suâ virtute à mortuis resurrexit. Unde Apostolus 2 ad Corin-

thiòs 13, ait : *Et si crucifixus es. ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Hinc idem Apostolus ad Romanos scribens, cap. 1, prædestinationem Christi in Dei Filium non Incarnationi, sed resurrectioni assignare videtur : *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.* Incarnatio enim exinanitionis, resurrectiò glorificationis mysterium fuit. Incarnatio Filium Dei ad nostram humilitatem et ærumnas abjecit : resurrectio illum ad paternam gloriam, immortalitatem et Filii unigeniti majestatis plenitudinem evexit. Hinc prædestinatio ad Christi resurrectionem potiùs quàm ad incarnationem ab Apostolo refertur. Unde S. Augustinus in Expositione Epistolæ ad Romanos inchoatâ ait : « Filius Dei præ« destinatus est quodam principatu resurrectionis, « quia ex resurrectione omnium mortuorum ipse præ« destinatus est, id est, ut præ cæteris et ante cæteros « resurgeret designatus. Ut quod hìc positum est, *Fi« lius Dei*, cùm dixisset, *prædestinatus est*, ad docu« mentum valeat tantæ sublimitatis. Non enim sic « prædestinari oportuit nisi Filium Dei, secundùm « quòd est etiam caput Ecclesiæ; unde illum alio loco « primogenitum ex mortuis appellat. Eum enim de« cebat venire ad judicium resurgentium, qui præces« serat ad exemplum : neque ad exemplum omnium « resurgentium, sed ad exemplum eorum qui sic re« surrecturi sunt, ut cum illo vivant et regnent in « sempiternum; quorum etiam caput est tanquàm cor« poris sui. Ex ipsorum enim resurrectione etiam « prædestinatus est, ut ipsis princeps fieret : cætero« rum autem in suâ conditione resurgentium non prin« ceps, sed judex est. Non itaque ex illorum mortuorum « resurrectione prædestinatus est, quos est damna« turus. Prædestinatum enim esse ex resurrectione « mortuorum, ut præcederet resurrectionem mortuo« rum, vult intelligi Apostolus : Hos autem præcessit, « qui ad ipsum cœleste regnum, quò eos præcessit, « secuturi sunt. Propter quod non ait : Qui prædesti« natus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum « Jesus Christus Dominus noster; sed, *ex resurrectione « mortuorum Jesu Christi Domini nostri :* tanquàm si « diceret : Qui prædestinatus est Filius Dei ex resur« rectione mortuorum suorum, hoc est, ad se perti« nentium in vitam æternam. » Ita necessaria fuit ad fidem nostram confirmandam Christi resurrectio, ut ex ejus Personâ dicatur Psalmo 29 : *Quæ utilitas in sanguine meo, dùm descendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* « Id est, si sic fuerit corrupta caro mea quomodò cæ« terorum hominum, ut in fine resurgat, ut quid fudi « sanguinem? Si enim non modò resurgam, nemini « annuntiabo, neminem lucrabor. Ut autem annuntiem « mirabilia tua, laudes tuas, vitam æternam, exsurgat « caro mea, non eat in corruptionem. Nam si ierit « quomodò cæterorum hominum, quæ utilitas in san« guine meo? » Sic explicat S. Augustinus. Meritò itaque Apostolus ait, 1 Cor. 15 : *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra.* Summa quippe Christianæ fidei in confessione resurrectionis Jesu Christi Domini nostri posita videtur. Unde idem Apostolus ait, Rom. 10 : *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Hinc apostolatûs officium in prædicatione resurrectionis Christi totum constituere videtur Apostolorum princeps, cùm electionem Apostoli in locum Judæ proditoris Christi discipulis proponit, Act. 1 : *Oportet testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Et S. Lucas Apostolorum functiones et laborem describens : *Virtute magnâ*, inquit, Act. 4, *reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, et gratia magna erat in omnibus illis.*

Tertiò, necessaria erat Christi resurrectio ad sustentationem spei nostræ. Cùm enim Christum resurrexisse credimus, certâ spe nitimur fore ut nos etiam resurgamus, qui membra ejus sumus : siquidem membra capitis sui conditionem consequantur necesse est. Unde Job 19, dicitur : *Scio quòd Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terrâ surrecturus sum.... et in carne meâ videbo Deum meum.... Reposita est hæc spes mea in sinu meo;* vel, ut habet versio septuaginta Interpretum : *Omnia consummata sunt in sinu meo;* ut ita certum se esse significet de resurrectione suâ futurâ ex resurrectione sui Redemptoris, ac si jam reipsà possideret quod sperat. Ut enim observat S. Gregorius, libro 14 Moralium, cap. 30 : « Nil nos habere « certiùs credimus, quàm hoc quod in sinu tenemus. « In sinu ergo suo spem repositam tenuit, quia verâ « certitudine de spe resurrectionis præsumpsit. » Hinc Apostolus 1 ad Corinthios, cap. 15, scribit : *Si autem Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodò quidam dicunt in vobis quòd resurrectio mortuorum non est?... Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hâc vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miseriores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.* Quasi diceret : « Bonâ spe vehimur, « quia Servatoris nostri resurrectionem nostræ resur« rectionis obsidem habemus, » ut interpretatur Theodoretus. Hinc rursùs Apostolus 1 ad Thessalonicenses 4 : *Si enim credimus*, inquit, *quòd Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Et princeps Apostolorum Epistolæ 1, cap. 1 : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis.* Hinc S. Augustinus sermone 203, aliàs de Tempore 110, de Christo loquens, ait : « In passione « docuit quid toleremus : in resurrectione ostendit « quid speremus. Hìc opus, ibi merces : opus in pas« sione, merces in resurrectione. » Hinc S. Leo sermone 69 : « Ex hoc, inquit, initium nobis factum est resur« rectionis in Christo, ex quo in eo qui pro omnibus « mortuus est, totius spei nostræ forma præcessit. »

Et S. Gregorius homilià 21 in Evangelia : « Duæ « vitæ erant, quarum unam novimus, alteram nescie- « bamus. Una mortalis, altera immortalis. Sed venit « Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sus- « cepit unam, et ostendit alteram. Unam pertulit mo- « riendo, ostendit alteram resurgendo. Si igitur nobis « mortalem vitam scientibus resurrectionem promit- « teret carnis, et tamen hanc visibiliter non exhiberet, « quis ejus promissionibus crederet? Factus itaque « homo apparuit in carne, mori dignatus est ex vo- « luntate, resurrexit ex potestate, et ostendit exemplo, « quod nobis promisit in præmio. »

Quartò, Christum resurgere oportuit ad fidelium vitam informandam, ut colligitur ex Apostolo ad Romanos 6 : *Qui mortui sumus peccato, quomodò adhuc vivemus in illo? An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus; simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destrueretur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo; scientes quòd Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quòd autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tanquàm ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo.* « Admodùm igitur « nobis est, ut resurrectionis Christi inveniamur con- « sortes, et de morte ad vitam, dùm in isto sumus « corpore, transeamus. Unicuique enim homini, qui « ex alio in aliud aliâ conversione mutatur, finis est, « non esse quod fuit, et ortus, esse quod non fuit. Sed « interest cui quis moriatur, aut vivat : quia est mors « quæ causa est vivendi, et est vita quæ causa est « moriendi. Nec alibi quàm in hoc transitorio seculo « utrumque conquiritur : ut ex qualitate temporalium « actionum differentiæ retributionum pendeant æter- « narum. Moriendum ergo est diabolo, et vivendum « Deo; deficiendum iniquitati, ut justitiæ resurgatur. « Occumbant vetera, ut oriantur nova. Et quoniam, « sicut ait Veritas : *Nemo potest duobus Dominis ser- « vire;* Dominus sit non ille qui stantes impulit in rui- « nam, sed ille qui dejectos erexit in gloriam; » inquit S. Leo sermone 1 de Resurrectione Domini.

Quintò, Christum resurgere oportebat, ut salutis et redemptionis nostræ mysterium compleretur. Christus enim morte suâ nos à peccatis liberavit; resurrectione verò suâ nobis præcipua bona restituit, quæ peccando amiseramus. Unde Apostolus ad Romanos 4, de Christo ait : *Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Hinc ipsâ resurrectionis suæ die discipulos, et in eis totam Ecclesiam sacro sui oris flatu vivificavit, Spiritum sanctum ut vitæ novæ principium illis tribuens : *Insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum;* ut quemadmodùm hominis creatio absoluta non erat postquàm è limo terræ formatus est, donec Deus *insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est in animam viventem;* ita hominis reparatio completa non censeretur, postquàm Christi morte corpus Ecclesiæ formatum est, donec afflatu suo infunderet illi Spiritum vivificantem, de quo dictum est : *Non erat Spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus.* Et insufflavit in faciem eorum qui flatu primum hominem vivificavit, et de limo erexit, quo flatu animam membris dedit ; « significans eum se esse qui insufflavit in faciem eo- « rum, ut à luto exsurgerent, et luteis operibus re- « nuntiarent, » inquit S. Augustinus tractatu 32 in Joannem.

§ IV. *Resurrectionis Christi gloria.*

Beata Christi anima tertiâ die post separationem à corpore suam, operante Verbi Dei personâ, quæ utrique conjuncta manserat, illud resumpsit, idem, integrum, gloriosum. Ejusdem corporis veritatem probant figuræ vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Thomæ palpanda, cæteris discipulis videnda obtulit; et quæ servare voluit, abolere noluit, tum ut suæ resurrectionis fidem adstrueret, tum ut victoriæ suæ trophæa tam insignia perpetuò circumferret, tum ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. Redivivi corporis veritatem et identitatem multis aliis argumentis probavit, scilicet angelorum testimonio, Scripturarum oraculis, frequentibus apparitionibus, familiaribus colloquiis, manducatione cum discipulis, etsi post resurrectionem *non egestate, sed potestate* manducaverit, ut loquuntur Patres. (S. Leo serm. 1 de Ascensione, S. Gregor. Homil. 26 in Evang.; Venerab. Beda in Lucam.) Idem itaque surrexit de sepulcro, qui pependerat in ligno. Jesus Nazarenus, quem Judæi morti crucis addixerant et crucifixerant, cujus sepulcrum muniverant, et custodibus appositis observaverant, surrexit tertiâ die, et hunc Deus manifestum fieri dedit, non omni populo, sed *testibus præordinatis à Deo*, scilicet Apostolis, qui resurrectionem ejus prædicantes, verè dicere potuerunt : *Quod vidimus, et audivimus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, annuntiamus vobis*, 1 Joan. 1.

Non solùm idem corpus Christi verum ad vitam rediit, sed integrum, carne, ossibus, sanguine pariter constans. *Spiritus*, inquit, *carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*, Lucæ ultimo. Absque labe tamen corruptionis caro et sanguis sunt in Christo redivivo : « Valet enim divina potentia de istâ visibili at- « que tractabili naturâ corporum, quibusdam manen- « tibus auferre quas voluerit qualitates, ut absit labes, « adsit effigies, adsit motio, absit fatigatio, adsit ve- « scendi potestas, absit esuriendi necessitas, » inquit S. Augustinus Epistolâ 205, aliàs 146, ad Consentium.

Scriptum quidem est, 1 Cor. 15 : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt;* sed in Scripturis sacris quandoque caro sumitur secundùm naturam, quandoque secundùm culpam, vel corruptionem. Caro secundùm naturam, Genes. 2 : *Caro de carne meâ*, et Joan 1 : *Verbum caro factum est.* Caro secundùm culpam, Galat. 4 : *Vos non estis in carne, sed in spiritu.* Neque enim in carne non erant illi ad quos scribebat Apostolus, sed quia desideria carnalia vicerant per virtutem Spiritûs, jam eos in carne non esse ait. Caro itaque secundùm culpam et secundùm corruptionem regnum Dei non possidebit, sed caro secundùm substantiam regnum Dei possidebit, jamque in Christo possidet. Sic explicat S. Gregorius libro 14 Moralium, cap. 29. Totus itaque sanguis, qui de Christi corpore in passione ejus fluxit, cùm ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in corpore Christi resurrexit; idemque credendum est de partibus omnibus ad veritatem et integritatem humanæ naturæ pertinentibus. Unde si in aliquibus ecclesiis conservari dicatur sanguis Christi, non veri illius ac pretiosi sanguinis portio est, qui ex Christi corpore in ejus circumcisione aut passione, vel ex ejusdem Salvatoris nostri latere manavit, sed sanguis aliunde formatus, qui ex aliquâ fortè Christi imagine ab impiis percussâ, Dei supra naturæ vires ac leges operantis admirabili operatione manavit, quemadmodùm contigisse narrat auctor orationis de Passione Imaginis Christi, inter opera S. Athanasii editæ, et in septimâ quoque synodo generali, actione 4, citatæ. (S. Thomas 3 p., q. 54, a. 2, ad 3.)

Non solùm integrum, sed gloriosum è sepulcro surrexit Christi corpus. Qui enim *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, claritatem illam quam ante passionem à Patre postulaverat, corpori suo in resurrectione suâ tribuit. Gloriam corporis indicavit ingressus ad discipulos januis clausis. « Palpandam carnem Dominus præbuit, quam « clausis januis introduxit, ut esse post resurrectionem ostenderet corpus suum et ejusdem naturæ, et « alterius gloriæ, » inquit S. Gregorius, homilià 26. Atque hoc sensu intelligendum est quod ait Apostolus 2 ad Corinthios 5 : *Etsi cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* « Resurrectio « enim Domini, inquit S. Leo sermone 1 de Resurrectione Christi, *non finis carnis, sed commutatio fuit « nec virtutis augmento consumpta virtus substantia est.* « Qualitas transiit, non natura defecit : et factum est « corpus impassibile, quod potuit crucifigi; factum est « immortale, quod potuit occidi; factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari. Et meritò dicitur caro « Christi in eo statu, quo fuerat nota, nesciri : quia « nihil in eâ passibile, nihil remansit infirmum, ut et « ipsa sit per essentiam, et non sit ipsa per gloriam. » Hinc per Prophetam Psal. 27, Dominus ait : *Et refloruit caro mea, et ex voluntate meâ confitebor illi.* « Floruit caro Domini, cùm primùm de Mariæ Virginis illibatâ vulvâ processit, sicut ait Isaias 2 : *Egredietur « virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* « Refloruit autem, cùm succiso per Judæos corporis « flore, rediviva de sepulcro resurrectionis gloriâ germinavit, et in floris modum odorem pariter et nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflavit : odorem, bonorum operum suavitatem circumferens; nitorem, incorruptelam perpetuæ divinitatis ostendens. » Verba sunt S. Maximi homilià 5 de Resurrectione.

Quamvis igitur caro in Christo post ejus resurrectionem sit incolumis, quamvis utraque natura maneat inconfusa, ita tamen in Deum absorpta est humanitas, ut jam vix ex carne agnosci possit. Unde Cassianus libro de Incarnatione, cap. 3, hæc Apostoli verba : *Etsi cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus*, expendens, Apostolum ita locutum esse observat : « Quia priùs eum et hominem scimus et « Deum, nunc tantùm Deum. Cessante enim infirmitate carnis, nihil in eo jam novimus nisi virtutem « divinitatis, quia totum in eo virtus est majestatis « divinæ, ubi esse desiit infirmitas imbecillitatis humanæ... Natura enim carnis in spiritalem est translata substantiam, et illud quod fuerat quondam hominis, factum est totum Dei. Et ideò non novimus « Christum secundùm carnem, quia absorptâ per majestatem divinam infirmitate corporeâ, nihil sacro « resedit corpori, ex quo imbecillitas in eo carnis possit agnosci. Ac per hoc quidquid fuerat priùs substantiæ duplicis, factum est virtutis unius. »

Hinc Apostolus Christum resuscitatum hominem vocare penè cunctatur Epist. ad Galatas, cap. 1, scribens : *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum à mortuis.* Christum hominem passim alibi prædicat; hìc ubi suscitatum à mortuis memorat, hominem appellare non audet, quia jam non noverat illum secundùm carnem, quia caro, sospes licet atque incolumis, tota in Deitatem demersa erat. *Nomen enim in eo jam hominis non cadit, in quo totum sibi Divinitas vendicavit*, inquit Cassianus cap. 4 ejusdem libri. Sed et ante Cassianum S. Augustinus Christum resurrectione suâ ad tantum gloriæ cumulum attigisse asserit, ut mortalitate in immortalitatem absorptâ, carne in deitatem veluti demersâ, jam totus Deus meritò prædicetur. Sic enim habet in Expositione Epistolæ ad Galatas : « Priores Apostoli veraces, qui « non ab hominibus, sed à Deo per hominem missi « sunt, per Jesum Christum scilicet adhuc mortalem. « Verax etiam novissimus Apostolus, qui per Jesum « Christum totum jam Deum post resurrectionem ejus « missus est. Priores sunt cæteri Apostoli per Chri« stum adhuc ex parte hominem, id est, mortalem : « Novissimus est Paulus Apostolus, per Christum jam « *totum Deum*, id est, omni ex parte immortalem. » Et libro 1 Retractationum, cap. 24, hunc locum recensens : « Propter immortalitatem, inquit, dictum est, « *totum jam Deum*, quam post resurrectionem habere « cœpit, non propter divinitatem semper immortalem, « à quâ nunquàm recessit, in quâ totus Deus erat, et « cùm moriturus adhuc erat..... Proinde propter im« mortalitatem jam nunc non homo Christus Deus;

« propter substantiam verò naturæ humanæ, in quâ « ascendit in cœlum, etiam nunc Mediator Dei et ho- « minum homo Christus Jesus. » Tunc divina filiatio, non adoptiva, sed naturalis in Christo maximè promicuit, cùm illo resurgente, humanæ proprietates, quæ tempore vitæ ejus mortalis Divinitatem ipsius opacaverant quodam modo, Deitatis et gloriæ se totam effundentis splendore circumfusæ sunt : cùm immortalitas mortalitatem, incorruptio corruptibilitatem, virtus infirmitatem, spiritalitas animæ in corpus refusa, ejus, ut ita loquar, animalitatem oblitteravit. Tunc novæ nativitatis genere in mundum prodiit Christus, non secundæ ac temporali nativitati suæ, sed æternæ generationi maximè affini. In primâ et æternâ generatione, nascitur ex sinu Patris *in splendoribus sanctorum;* in secundâ, nascitur ex utero Virginis ; in tertiâ, ex utero sepulcri. In primâ, nascitur Patri coæternus, *splendor gloriæ et figura substantiæ ejus ;* in secundâ, nascitur homo consubstantialis nobis, passibilis, infirmus, mortalis ; in tertiâ, renascitur gloriosus, impassibilis, immortalis. Sepulcrum instar est uteri virginalis, novum, inviolatum, nullo cadavere contaminatum. *Uteri nova forma, concipit mortuum, parit vivum ;* nec vivum duntaxat, sed immortalem, gloriosum, *totum Deum,* ut cum Patribus loquar. Parit autem *in splendoribus sanctorum,* hoc est, in gloriâ et splendore, non solùm pro se, sed et pro omnibus sanctis; in splendore et gloriâ *sancti sanctorum.* In primâ generatione, nascitur ex Patre sine matre ; in secundâ, ex Matre virgine sine homine patre ; in tertiâ, ex terrâ communi omnium matre (ex quâ in regeneratione sive resurrectione sumus et nos prodituri) et ex Deo Patre, ut Filius ejus naturalis, proprius, consubstantialis, unigenitus, cœternus. Unde istud psalmi secundi oraculum : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te,* Apostolus ad Christi resurrectionem refert, Act. cap. 13 : *Et nos,* inquit, *vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est : quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Quem locum eleganter ac solidè S. Hilarius explicat Enarratione in psalmum secundum, hæc verba eò pertinere ostendens : « Ut Filius « hominis ad perfectum Dei Filium, id est, ad « resumendam indulgendamque corpori æternitatis « suæ gloriam per resurrectionis potentiam gigne- « retur. » Hic orationis illius ante passionem sensus est ; Joannis 17 : *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priùs quàm mundus esset apud te.* Quibus verbis, « non nova quæ- « rit, non aliena desiderat, esse talis qualis fue- « rat, postulat, sed precatur id se, quod antea erat, « esse, gigni scilicet ad id quod suum fuit. Non erat « autem idipsum tunc totus, quod ut fieret, precabatur; « fieri autem totus non aliud, quàm quod fuerat, po- « stulabat. Sed cùm fit quod fuit, et quod non erat « est futurus : ad id quod fuerat, id quod totum non « erat, quodam novo ortu nascebatur. Exordio hic « resurrectionis suæ ad assumendam gloriam dies est: « per quem ad id nascitur quod ante tempora fuit.... « Atque ideò Filius hominis amodò assidens dextris « virtutis Dei est videndus, quia natura carnis post « resurrectionem glorificata, ad profectum ejus, quam « antea habuerat, claritatis provehebatur : cùm homi- « nis Filius consessurus Patri, et in immortalitatem « corruptione carnis absorptâ, et in viventem tunc, et « non moriturum ampliùs Dei Filium nasceretur..... « Sed id quod nunc in psalmo est : *Filius meus es tu, « ego hodiè genui te,* ad Primogenitum ex mortuis per- « tinere, apostolica auctoritas est..... Est enim Pri- « mogenitus ex mortuis qui erat Primogenitus creatu- « ræ ; idcircò Primogenitus ex mortuis, ut maneret « Primogenitus creaturæ. »

§ V. *Resurrectionis Christi fructus et utilitates eximiæ.*

I. Christi Jesu Salvatoris ac Domini nostri resurrectione non solùm illum esse mortis et diaboli victorem, immortalem, plenum gloriâ, Filium Dei unigenitum cognoscimus, sed alias etiam maximas utilitates ex isto mysterio consequimur, scilicet resurrectionem corporum et resurrectionem animarum. Christi, inquam, resurrectio nobis corporis resurrectionem peperit; tùm quia instrumentum quoddam fuit ad resurrectionem nostram efficiendam (quæcumque etiam Deus in redemptionis nostræ mysterio egit, ad omnia sanctâ Christi humanitate, tanquàm efficienti instrumento, usus est) ; tum quia exemplar fuit nostræ resurrectionis, utpote perfectissima. Et quemadmodùm Christi corpus resurgens ad immortalem gloriam immutatum est ; sic etiam nostra corpora, quæ priùs imbecilla et mortalia fuerant, gloriam et immortalitatem induta, restituentur. Hinc ipse Christus, Joannis 5, ait : *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Vita enim est in seipso, et *fons vitæ,* et caro in unitatem personæ ab ipso assumpta vivifica est. Hinc etiam Apostolus, 1 ad Corinthios 15, ait : *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium : quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Non tamen statim nobis provenit primus iste resurrectionis Christi fructus, quia sic Dei voluntate disposita res est, ut priùs Christo patienti et morienti in hâc vitâ passibili et mortali conformemur, deinde ad similitudinem resurrectionis ipsius perveniamus. Hinc Apostolus, ad Romanos 6, ait : *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo.*

II. Secundus fructus resurrectionis Christi est resurrectio animarum nostrarum. Operatur enim ut instrumentaria virtus Divinitatis, quæ non solùm vitam tribuit corpori per animam, sed et vitam animæ per gratiam. Exemplar etiam est resurrectionis animarum nostrarum, quia Christi resurgentis simili tudi-

nem in animabus nostris exprimere debemus. Unde Apostolus ibidem ait : *Quomodò Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Et paulò post : *Scientes quòd Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quòd autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.* Quemadmodùm ergo passio et mors Christi, causa est remissionis culpæ, per quam morimur peccato; ita resurrectio Christi est causa novitatis vitæ, quam per gratiam sanctificantem consequimur, ut docet Apostolus ad Romanos 4, his verbis : *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Duo itaque à Christi resurrectione exempla petere debemus, inquit concilii Tridentini Catechismus : alterum est, ut postquàm peccati maculas eluimus, novum vitæ genus instituamus, in quo morum integritas, innocentia, sanctitas, modestia, justitia, beneficentia, humilitas, fervor in oratione et Dei obsequio eluceant; alterum est, ut in eo vitæ instituto ita perseveremus, ut adjuvante Domino, qui propter nos mortuus est et resurrexit, à justitiæ viâ et observantiâ mandatorum Dei non deflectamus, non excidamus. Quod quidem ut fiat, nobis per resurrectionem quoque suam tribuit auxilium, qui resurgendi præbuit exemplum.

Duplicem hanc utilitatem ex Christi resurrectione in homines derivatam S. Augustinus commendat et edisserit libro 4 de Trinitate, cap. 3 et 4 : « Nos « certè, inquit, quod nemo Christianus ambigit, et « animâ et corpore mortui sumus, animâ propter « peccatum, corpore propter pœnam peccati, ac per « hoc et corpore propter peccatum. Utrique autem « rei nostræ, id est, et animæ et corpori, medicinâ « et resurrectione opus erat, ut in melius renovaretur, quod erat in deterius commutatum. Mors « autem animæ impietas est, et mors corporis « corruptibilitas, per quam fit et animæ à corpore « abscessus. Sicut enim anima Deo deserente, sic « corpus animâ deserente moritur : unde illa fit insipiens, hoc exanime. Resuscitatur enim anima « per pœnitentiam, et in corpore adhuc mortali renovatio vitæ inchoatur à fide, quâ creditur in eum « qui justificat impium, bonisque moribus augetur et « roboratur de die in diem, cùm magis magisque renovatur interior homo. Corpus verò tanquàm homo « exterior, quantò est hæc vita diuturnior, tantò magis magisque corrumpitur, vel ætate, vel morbo, « vel variis afflictionibus, donec veniat ad ultimam « quæ ab omnibus mors vocatur. Ejus autem resurrectio differtur in finem, cùm et ipsa justificatio « nostra perficietur ineffabiliter. Tunc enim similes « ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.... « Huic ergo duplæ morti nostræ Salvator noster impendit simplam suam : et ad faciendam utramque « resuscitationem nostram, in sacramento et exemplo « præposuit et proposuit unam suam. Neque enim fuit « peccator aut impius, ut ei tanquàm spiritu mortuo « in interiore homine renovari opus esset, et tanquàm « resipiscendo ad vitam justitiæ renovari; sed indutus « carne mortali, et solâ moriens, solâ resurgens, eâ « solâ nobis ad utrumque concinuit, cùm in eâ fieret « interioris hominis sacramentum, exterioris exemplum. » Et post multa : « Una ergo mors nostri « Salvatoris duabus mortibus nostris saluti fuit. Et « una ejus resurrectio duas nobis resurrectiones præstitit, cùm corpus ejus in utrâque re, id est, et in « morte et in resurrectione, et sacramento interioris hominis nostri, et exemplo exterioris, medicinali quâdam convenientiâ ministratum est. » Et tractatu 23 in Joannem : « Factus est homo, inquit, qui « erat Deus, accipiendo quod non erat, non amittendo « quod erat : ita factus est homo Deus. Ibi habes aliquid propter infirmitatem tuam; ibi habes aliud « propter perfectionem tuam. Erigat te Christus per « id quod homo est, ducat te per id quod Deus homo « est, perducat te ad id quod Deus est. Et tota prædicatio dispensatioque per Christum hæc est, fratres, et aliâ non est, ut resurgant animæ, resurgant et corpora. Utrumque quippe mortuum erat, « corpus ex infirmitate, anima ex iniquitate. Quia « utrumque mortuum erat, resurgat utrumque. Per « quid ergo anima, nisi per Deum Christum? Per quid « corpus, nisi per hominem Christum?... Resurgat « anima tua ab iniquitate per id quod Deus est, resurgat corpus tuum à corruptione per id quod homo « est... Animæ resurgant per ipsam substantiam Dei, « corpora per dispensationem humanam Domini nostri Jesu Christi. »

His maximè spes nostra sustentari debet ac foveri : siquidem in Salvatore omnes resurreximus, omnes reviximus; et ante ad cœlestia transmigravimus, quàm in terris nasceremur. « Est enim in Christo « uniuscujusque nostrûm carnis et sanguinis portio. « Ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo; ubi « dominatur sanguis meus, me sentio dominari; ubi « glorificatur caro mea, me gloriosum esse cognosco. « Quamvis enim peccator, de hâc tamen communione « gratiæ non diffidat, quia et si peccata nos prohibent, substantia nos requirit; et si delicta propria « nos excludunt, naturæ communio non repellit. Nam « præter bonitatem Divinitatis, peculiarem nobis Salvator debet affectum, quia sicut Deus noster in ipso « est, ita et sanguis noster in illo est. Misericordiam « igitur mihi debet præstare Divinitas, necessitudinem exhibere debet affinitas. Neque enim tam immitis est Dominus, ut obliviscatur hominis, et non « meminerit illius quem ipse gestat, ut quem causâ « mei susceperit, non ejus causâ, quem susceperit, me « requirat. Non inquam, tam immitis est Dominus, ut « non diligat carnem suam, membra sua, viscera sua. « Nihil ergo de venià desperemus. Habemus prærogativam sanguinis nostri. In Christo enim cáro nostra « nos diligit. Sumus enim membra ejus et caro. » Verba sunt sancti Maximi Taurinensis episcopi, homiliâ secundâ de Resurrectione Domini.

§ VI. *Spiritalis resurrectionis signa.*

Primum resurrectionis à peccato signum est, ut in tumulo peccati, in proximis ejusdem occasionibus, in ejusdem affectionibus non ampliùs inveniamur, verèque de nobis dici possit : *Surrexit, non est hìc*, Marci 16.

Secundum, ut revolutus sit lapis, ut lapis offensionis et petra scandali removeatur; ut qui proximis odor mortis in mortem fuerunt, iisdem sint odor vitæ in vitam. *Et respicientes viderunt revolutum lapidem.*

Tertium, constantia in vitæ novitate. Resurrectio enim transitus est et transmigratio. Christus non recidit, sed resurrexit; non rediit, sed transiit; transmigravit, non remeavit. Denique *pascha*, significat transitum, non reditum : et *Galilæa*, ubi videndus promittitur, qui resurrexit, non remeationem sonat, sed transmigrationem. Si post consummationem crucis, in nostram hanc mortalitatem et vitæ præsentis ærumnas Christus Dominus revixisset, ego eum non transiisse dicerem, sed rediisse; non transmigrâsse in sublimius aliquid, sed ad statum remeâsse priorem. Nunc autem quia transiit in novitatem vitæ, nos quoque invitat ad transitum, vocat in Galilæam. Injuriam igitur faciunt Domini resurrectioni, quibus Pascha reditus est, magis quàm transitus. Si mortui sumus peccato, quomodò vivemus adhuc in illo? Si culpas planximus, quid causæ est ut in easdem recidamus? *Lavi pedes meos, quomodò iterùm inquinabo eos? Exui me tunicam meam; quomodò induam eam?* Cantic. 5, Luc. 9. Denique qui retrò respicit, indignus est regno Dei. Sed proh dolor! peccandi tempus, terminus recidendi facta est resurrectio Salvatoris. Ex hoc nempè comessationes et ebrietates redeunt, cubilia et impudicitiæ repetuntur, et laxantur concupiscentiæ frena : quasi ad hoc surrexérit Christus, et non propter justificationem nostram.

Quartum resurrectionis à peccato signum est, cœlestia quærere. *Si consurrexistis cum Christo*, inquit Apostolus Coloss. 3, *quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens.* Quibus verbis ostendit eos qui vitam, honores, otium, divitias ibi maximè, ubi Christus est, habere cupiunt, verè cum Christo surrexisse. Volunt omnes beatè vivere, sed unde homo beatè vivit, hoc nolunt quærere. *Filii, usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Volentes beati esse, eas res quæritis unde miseri sitis. Fallit vos quod quæritis. *Scitote quia Dominus Sanctum suum mirificavit.* Venit Christus ad miserias nostras, esurivit, sitivit, fatigatus est, dormivit, mira fecit, mala passus est, flagellatus est, spinis coronatus est, sputis illitus est, alapis cæsus, ligno confixus, lanceâ vulneratus, in sepulcro positus; sed tertio die resurrexit, finito labore, mortuâ morte. Ecce ibi oculum habete in ejus resurrectione; quia ita magnificavit Dominus Sanctum suum, ut eum resuscitaret à mortuis, et in dexterâ suâ in cœlis collocaret. Ostendit tibi quid debeas sapere, si vis beatus esse : hìc enim esse non potes. Bonam rem quæris, sed terra ista non est regio ejus rei quam quæris. Si habuit hìc illud Christus, habebis et tu. In regione mortis tuæ quid ille invenit, nisi quod hìc abundat? « Mandu- « cavit tecum quod abundat in cellâ miseriæ tuæ. Ace- « tum hìc bibit, fel hìc habuit. Ecce quid in cellâ tuâ in- « venit. Sed ad magnam mensam suam te invitavit, « mensam cœli, mensam angelorum, ubi ipse panis « est... Modò ergo cùm in istâ carne corruptibili vi- « vimus, morum mutatione cum Christo moriamur, « amore justitiæ cum Christo vivamus, beatam vitam « non accepturi, nisi cùm ad illum venerimus, qui « venit ad nos, et cum illo esse cœperimus qui mor- « tuus est pro nobis. » Verba sunt S. Augustini, sermone 231, aliàs de Tempore 141.

Quintum resurrectionis à peccato signum est, cœlestia sapere. *Quæ sursùm sunt sapite*, inquit Apostolus Coloss. 3, *non quæ super terram.* Ut enim corporis affectionem et valetudinem gustus indicare solet, ita si « de cætero, quæcumque sunt vera, quæcum- « que pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, « quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si « qua virtus, si qua laus disciplinæ, » hæc aliquis cogitet, hæc illi sapiant, isque cœlestium rerum jucunditatem intimæ mentis sensu percipiat, hoc maximo argumento esse potest, eum qui ita sit affectus, in novam et spiritualem vitam unà cum Christo resurrexisse, *novam* esse *in Christo creaturam*, et *Filium resurrectionis*, 2 Cor. 5, et Luc. 20, 35.

Sextum resurrectionis à peccato signum est, recessus à seculari conversatione, à mundi moribus, illius, inquam, mundi pro quo Dominus non rogavit, cujus amicitia inimica est Deo, qui totus in maligno positus est, qui transit cum concupiscentiâ suâ, qui totus est vanitas. Mundo mortuus sit necesse est, qui cum Christo resurrexit : mundo hoc uti debet, non frui; et ita uti, tanquàm non utatur : in mundo versari non debet, nisi quantùm postulat necessitas; hominum qui secundùm spiritum et mores seculi vivunt, consortium rarò admodùm frequentare, cum ipsis de rebus divinis, et de salutis æternæ negotio colloqui, seculi contagionem vitare, sanctimoniam et pietatem ubique spirare, Christum à mortuis redivivum imitari, qui non continuò cum discipulis conversatus est post resurrectionem suam, *ne videretur ad talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat*, ut loquitur S. Thomas, sed per quadraginta dies ipsis aliquoties et per intervalla apparuit, *loquens de regno Dei.*

ARTICULUS VII.

Quo sextus articulus Symboli exponitur : ASCENDIT AD COELOS, SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS.

§ I. *Mysterii fides explicatur.*

Consummato per passionem et resurrectionem suam redemptionis nostræ mysterio, Christus, ut homo est, in cœlum corpore et animâ ascendit, quadragesimo à resurrectione suâ die. A cœlo tamen nunquàm abfuit secundùm deitatem, quâ æqualis est

Patri, et ubique præsens. Ascendit autem suâ virtute, non alienâ vi sublatus, quemadmodùm Elias, qui igneo curru in cœlum evectus est, 4 Reg. 2; vel Habacuc propheta, Dan. 14; vel Philippus diaconus, Act. 8, qui divinâ virtute per aerem delati, longinqua terrarum spatia permeârunt. Ascendit stipantibus et plaudentibus, non subvehentibus, angelis. Ascendit præpotenti virtute Divinitatis; necnon virtute animæ beatæ, quæ corpus, ut libuit, movere potuit; et cujus moventis imperio corpus gloriosum facilè paruit. *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*, inquit Apostolus. Descendit sine corporis indumento, ascendit cum corporis indumento: nemo tamen nisi qui descendit ascendit. Quis enim vel in montem, vel in murum, vel in aliquem superiorem locum dicit non eum solum qui descenderit ascendisse, si cùm descendisset exutus, ascendit indutus, aut cùm descendisset inermis, ascendat armatus? Quemadmodùm ergo de hoc dicitur: Nemo ascendit, nisi qui descendit, quamvis cum eâ re, cum quâ non descendit, ascenderit: sic nemo in cœlum nisi Christus ascendit, quia de cœlo, nisi Christus nemo descendit, quamvis sine corpore descenderit, cum corpore ascenderit, ascensuris et nobis non virtute nostrâ, sed nostrâ et illius unitate. Ascendit in cœlum Christus Jesus, locum scilicet glorioso corpori convenientem. Sed ubi et quomodò sit in cœlo corpus Dominicum, curiosissimum et supervacaneum est quærere; tantummodò in cœlo esse credendum est. « Non enim est fragilitatis nostræ cœlorum secreta « discutere, sed est nostræ fidei de Dominici corpo- « ris dignitate sublimia et honesta sentire, » inquit S. Augustinus libro de Fide et Symbolo, cap. 6. Non ascendit statim post resurrectionem suam, ut eam multis argumentis probaret, ne ludificatio putaretur. Post quadraginta dies ascendit, quo numero totum hujus mortalis vitæ tempus significatur. Christus ergo post resurrectionem quadraginta dies cum discipulis egit, ut demonstraret tamdiù necessariam fidem incarnationis suæ, quamdiù mortalem vitam hic agimus. Qui enim in hoc seculo rectè crediderint Incarnationi Christi, in futuro seculo fruentur majestate et divinitate Christi; inquit S. Augustinus Sermone 244.

Credimus etiam Christum *sedere ad dexteram Patris*, quo nomine gloriæ et potestatis æqualitas significatur. *Data est* enim illi *omnis potestas in cœlo et in terrâ*, Matth. 28. Quod S. Lucas, c. 22, his verbis expressit: *Ex hoc erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Et S. Paulus, Hebr. 1: *Sedet ad dexteram Majestatis in excelsis.* Et ad Philipp. 2: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris.* Quia igitur in humanis rebus ei majorem honorem tribui existimamus, qui ad dexteram collocatus est; eamdem rem ad cœlestia etiam transferentes, ad explicandam Christi gloriam, quam ut homo præ cæteris omnibus adeptus est, cum in Patris dexterâ esse confitemur. Dextera summam et ineffabilem beatitudinem et æternam felicitatem significat. Unde electi à dextris, reprobi à sinistris Christi in supremo judicio collocabuntur. Sedere autem Christum cùm dicimus, hoc verbo non significatur situs et figura corporis, cùm sanctus protomartyr Stephanus viderit *Filium hominis stantem à dextris Dei*, Act. 7; sed mansio et habitatio, quo modo dicitur aliquis in aliquâ regione aut urbe per tot annos sedisse, id est, habitâsse; et Lucæ 24: *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Sedere ad dexteram Patris, significat regiæ summæque potestatis ac gloriæ firmam et stabilem possessionem, quam à Patre accepit, quæ Christi Domini ita propria et singularis est, ut cuivis alteri creatæ naturæ convenire non possit. Unde Apostolus ad Ephesios 1 ait: *Suscitans illum à mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus; et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et ad Hebræos, cap. 1: *Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Non ideò igitur quasi humanâ formâ circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus occurrat animo; aut idipsum quòd sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, « ne in illud incidamus sacri- « legium, in quo exsecratur Apostolus eos qui com- « mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitu- « dinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum « Deo nefas est Christiano in templo collocare; mul- « tò magis in corde nefarium est, ubi verè est tem- « plum Dei, si à terrenâ cupiditate atque errore mun- « detur. Ad dexteram ergo intelligendum est sic di- « ctum esse, In summâ beatitudine, ubi justitia, et « pax, et gaudium est: sicut ad sinistram hædi con- « stituuntur, id est, in miseriâ, propter iniquitates, « labores atque cruciatus. Sedere ergo quòd dicitur « Deus, non membrorum positionem, sed judiciariam « significat potestatem, quâ illa Majestas nunquàm « caret, semper digna dignis tribuendo, quamvis in « extremo judicio multò manifestiùs inter homines « unigeniti Filii Dei Judicis vivorum atque mortuo- « rum claritas indubitata futura sit. » Sic postremam hujus articuli partem explicat S. Augustinus libro de Fide et Symbolo, cap. 7. Denique ut multa paucis complectar: « Ad dexteram Dei dicitur, honoris « et felicitatis inenarrabilis celsitudo. Sicut de Sa- « pientiâ dictum legitur, Cantic. 2: *Læva ejus sub ca- « pite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Si enim « subter jacuerit terrena commoditas, tum desuper « amplectitur æterna felicitas; » inquit S. Augustinus sermone 214.

§ II. *Ascensionis Christi causæ.*

Christum in cœlos ascendisse jam innuimus, propterea quòd ejus corpori immortalitatis gloriâ donato, non terrenæ hujus et obscuræ habitationis locus, sed

altissimum et splendidissimum cœli domicilium conveniret. *Exaltare super cœlos, Deus*, inquit Propheta, Psal. 56, *et super omnem terram gloria tua.* « Id est, « exaltare ut humilitatis tuæ præmium accipias. Exal- « tare tu, qui fuisti in ventre Matris inclusus; tu qui « in illâ factus es, quam fecisti; tu qui in præsepi ja- « cuisti; tu qui ubera tanquàm parvulus in venâ « carnis suxisti; tu qui portans mundum, portabaris « à Matre; tu qui esuristi propter nos, sitisti propter « nos, fatigatus es in viâ propter nos; tu qui dor- « misti, et tamen non dormitas, custodiens Israel: « tu quem vendidit Judas, quem Judæi emerunt, et « non possederunt; tu apprehense, ligate, flagellate, « spinis coronate, in ligno suspense, lanceâ percusse, « tu mortue, tu sepulte, *exaltare super cœlos, Deus.* « Exaltare super cœlos, quia Deus es. Sede in cœlo, « qui pependisti in ligno. Judex expectaris venturus, « qui expectatus es judicatus. *Et super omnem terram* « *gloria tua*, id est, Ecclesia tua, sponsa tua. *Vir*, in- « quit Apostolus 1 Cor. 7, *non debet velare caput suum,* « *quoniam imago et gloria Dei est: mulier autem gloria* « *viri est.* Si mulier gloria viri, Ecclesia gloria Christi. » S. Augustinus, serm. 262, aliàs de Diversis 13.

Secundò Christus Jesus Dominus noster in cœlos ascendit, ut regnum suum non esse ex hoc mundo demonstraret. Nam mundi regna terrena et fluxa sunt, magnisque opibus, et carnis potentiâ nituntur; Christi verò regnum, non terrenum, quale Judæi expectabant, sed spirituale et æternum. *Regnum meum*, inquiebat, *non est de hoc mundo.* De quo et Luc. 1 dicitur: *Et regni ejus non erit finis.* Item Daniel propheta Filium hominis per visum aspexit, cui *antiquus dierum*, id est, *Deus Pater dedit potestatem, et honorem, et regnum. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Spirituales etiam opes et divitias regni sui esse ostendit, tùm sedem suam in cœlis collocavit: in quo quidem regno illi ditiores, et bonorum omnium copiâ affluentiores existimandi sunt, qui ea quæ *Dei* sunt, *regnum* scilicet ejus *et justitiam* studiis ferventioribus quæsierunt, qui terrena cœlestibus, temporalia æternis posthabuerunt. Unde S. Jacobus, 2, 5, scribit: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?*

Tertiò, Christus in cœlos ascendit, ut nos illùc reveheret, ac Deo Patri naturæ nostræ primitias offerret. Quâ de re S. Joannes Chrysostomus homiliâ de Ascensione: « Quod, inquit, de campis accidit spicarum « plenis, ubi quis ex paucis spicis collectis parvum « manipulum conficiens, eumque Deo offerens, pauci- « tate illâ toti arvo benedicit: ita Christus fecit, qui « per unam illam carnem atque primitias totum genus « nostrum benedicendum curavit. Sed cur non totam « naturam obtulit? Eò quòd non sit hoc offerre pri- « mitias, si totum quis offerat: at si parvum aliquid « quis offerat, per parvum totum benedicendum curat. « Atqui si primitiæ, dicet quispiam, essent, primum « ipsum hominem procreatum offerri oportuit: pri- « mitiæ enim sunt quæ primùm tolluntur, et primùm « germinant. Non sunt primitiæ censendæ, charissime, « si primum fructum obtulerimus exilem et evane- « scentem, sed si probum atque perfectum afferamus. « Quoniam igitur fructus ille peccato obnoxius erat, « ideò non est oblatus, etiamsi primus esset. At hic à « peccato liber erat, ideòque oblatus est, licet poste- « riùs extiterit. Hæ enim sunt primitiæ. Obtulit ergo « primitias naturæ nostræ, atque ita donum admira- « tus est Pater; itaque propter dignitatem offerentis, « puritatemque muneris oblati, quasi propriis mani- « bus illud accepit, sibique proximum constituit, di- « cens: *Sede à dextris meis.* » Quanquàm et ipsius Adami, et Patriarcharum, Prophetarum, ac Justorum cæterorum animas, è limbo eductas, in cœlum introduxerit, in sublimiorem, feliciorem ac lætiorem illo paradisum ex quo Adam fuerat ejectus; cujus aditum non jam Cherubim flammeo gladio armatus intercludit. Psal. 67: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem:* id est, homines per victoriam suam acquisitos. Hinc Psalmo 23, dicitur: *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ.* Portas cœli non modò aperiri, sed attolli postulat, quasi major rediret Christus quàm exierat à Patre ut veniret in mundum. Nequaquàm tamen major secundùm Deitatem, in quâ Patri semper æqualis; sed quia redibat cum carne victrice, gloriosâ, immortali, et in carne suâ totam Ecclesiam gestabat, quia victor intrabat Dominus fortis et potens in prælio, quia centesimam illam ovem in deserto hujus mundi quæsitam Pastor optimus humeris reportabat, cœli portas attolli ac dilatari Christo in cœlum remeanti postulat rex Propheta, ut totus in Christo mundus intret. Id elegantiùs exprimam S. Ambrosii verbis libro 4 de Fide, cap. 1: « Veniebat, inquit, novis vi- « ctor redimitus exuviis, Dominus in templo sancto « suo; præibant Angeli et Archangeli, mirantes spo- « lium ex morte quæsitum; et quamvis scirent nihil « Deo accedere ex carne potuisse, quia infra Deum « omnia sunt; tamen trophæa crucis, cujus princi- « pium super humeros ejus, et triumphatoris æterni « manubias intuentes, quasi eum quem emiserant « cœli portæ capere non possent, licet nunquàm ejus « capiant Majestatem, majorem viam quærebant ali- « quam revertenti: adeò nihil exinanitus amiserat! « Debuit tamen novo victori novum iter parari; sem- « per enim victor tanquàm major et præcelsior est; « sed quia æternæ sunt justitiæ portæ eædemque « novi et veteris Testamenti, quibus cœlum aperitur, « non mutantur utique, sed elevantur; quia non unus « homo, sed totus in omnium redemptore mundus « intrabat. »

Quartò, Christus in cœlos ascendit, ut omnia quæ de ipso in lege et prophetis scripta erant, adimpleret. Cætera enim omnia Christi mysteria ad ejus ascensionem tanquàm ad finem referuntur, in eâque omnium perfectio et absolutio continetur. Unde Apostolus, Ephes. 3, scribit: *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Hinc, S. Bernardus Sermone 2 de Ascensione: « Solemnitas hæc, inquit, consummatio

« et adimpletio est reliquarum solemnitatum, et felix « clausula totius itinerarii Filii Dei. » Et ante illum S. Epiphanius, Orat. de Christi Assumptione, Ascensionem vocat *Dominicarum festivitatum omnium complementum.*

Quintò, ascendit in cœlum ut iter nobis pararet, ut ipse ait Joannis 14 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quominùs dixissem vobis : Quia vado parare vobis locum. Et si abiero, et præparavero vobis locum; iterùm venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.* Et Michææ 2, de ipso prænuntiatum est : *Ascendet pandens iter ante eos : dividentes, et transibunt portam, et ingredientur per eam; et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum*

Sextò, Christus Dominus noster ad cœlos ascendit, ut ea quæ ad salutem nostram pertinent curaret, ut quemadmodùm pontifex in veteri Testamento intrabat in Sancta sanctorum, ut Deum pro populo interpellaret, ita *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, non in manufacta Sancta introiret, exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis;* et Patrem *pro nobis interpellet*, Hebr. 9. Unde Theodoretus in cap. 8 Epistolæ ad Romanos : « E mortuis, inquit, suscitatus, Patris assidet, et ne « sic quidem nostri curam gerere desiit. Sed quas à « nobis accepit primitias ostendens, et eas ab omni « labe puras Patri demonstrans, per illas nobis salu- « tem petit. » Hunc interpellandi modum S. Gregorius Magnus similiter explicat libro 22 Moralium, cap. 13. « Unigenito Filio, inquit, pro homine interpellare, « est apud cœternum Patrem seipsum hominem de- « monstrare : eique pro humanâ naturâ rogâsse, est « eamdem naturam in Divinitatis suæ celsitudine su- « scepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non « voce, sed miseratione. »

Sacerdotio suo etiamnùm ad Patris dexteram Christus fungitur, semetipsum Patri perenniter pro nobis immolans. In cœleste scilicet sanctuarium, non in *sanguine alieno*, sicut veteris legis pontifex semel quotannis in sacratiora templi adyta ingrediebatur, *sed per proprium sanguinem semel introivit, æternâ redemptione inventâ. Et unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei. Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Sacerdos enim factus est, *non secundùm legem mandati carnalis*, sed *secundùm virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim, quoniam tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.....* Hebr. 7. *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere : hic autem, eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregratus à peccatoribus, et excelsior cœlis factus : qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodùm sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi : hoc enim fecit semel seipsum offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes : sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.....* Hebr. 8 : *Talem habemus pontificem, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo. Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur : unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat.* Quid autem offert? Non novam victimam, neque novum sacrificium, sed quam semel obtulit hostiam *ad destitutionem peccati*, pro nobis offerre pergit, *ipse sacrificium, sacerdos, et hostia.* « Ascen- « dit enim cum sacrificio quod potest placare Patrem, » inquit S. Joannes Chrysostomus, Homil. 17 et 19, in Epist. ad Hebræos. Suffragatur et S. Cyrillus Alexandrinus libro de Adoratione in spiritu et veritate, dicens : « Si verum est omnem sacerdotem, « ut sacrificium offerat, stare, nec consessor unquàm « aut ejusdem collega gloriæ possit intelligi cum Deo « cui sacrificat, quomodò non inusitatus planè sacer- « dos Christus est, qui et in divinitatis throno consi- « det, et tamen ut homo sacra facit? » Hic manipulus est novarum frugum à sacerdote coram Domino elevatus, sanctificatus et consecratus, ut acceptabilis esset pro populo. Hic Agnus immaculatus in holocaustum oblatus Domino. « Delibatio veluti quædam « nostræ massæ, oblatus est Deo ac Patri primogeni- « tus ex mortuis factus, et primitiæ resurrectionis « omnium, in ipsum cœlum ascendens. Oblatus est « autem tanquàm ex omnibus et pro omnibus, ut « omnes vivificaret, et tanquàm ex areâ primus ma- « nipulus offerretur Deo ac Patri, » inquit S. Cyrillus libro 4 in Joannem. Agnus est immaculatus, qui etsi in cruce mactatus sit, ideò tamen mactatus est ut in cœlestis tabernaculi altare non manufactum inferretur, ibique seipsum perenniter offerret, non igne materiali, sed igne divinitatis consumptum, absorptâ morte in victoriâ. Unde S. Augustinus Enarratione in Psalmum 140 : « Illud est, inquit, sacrificium ves- « pertinum, Passio Domini, crux Domini, oblatio « victimæ salutaris, holocaustum acceptum Deo. « Illud sacrificium vespertinum fecit in resurrectione « munus matutinum. » Hinc S. Joannes Apocalypsis 5 : *Vidi*, inquit, *in medio throni Agnum stantem tanquàm occisum*

Pulchrè S. Cyrillus Alexandrinus Epistolâ ad Acacium, quæ *de Capro emissario* inscripta est, Christo adaptat sacrificium gemini passeris, quorum alter occidebatur, alter prioris sanguine cruentatus in solitudinem dimittebatur. Cæso passere Christus mortalis et in cruce mactatus; superstite verò passere et cruentato immortalis et in cœlum assumptus adumbratur : utrobique tamen hostia. Quamobrem novum hoc in cœlis spectaculum admirati sunt angeli, hunc in modum percontati, Isai. 63 : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrâ? Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Verba S. Cyrilli legere jucundum erit. « Tingebatur, inquit, passer vivus in sanguine occisi;

« et sanguine quidem illius cruentatus, passionisque « propemodùm particeps, in solitudinem dimittebatur. Ad cœlum enim unigenitum Dei Verbum unà « cum carne sibi unità rediit; eratque novum hoc in « cœlis spectaculum. Obstupuit enim sanctorum angelorum multitudo, cùm Regem gloriæ exercituumque Dominum in formà humanà cernerent. « Aiebant enim : *Quis est iste qui venit ex Edom*, id « est, ex terrà? *Et rubor vestimentorum ejus ex Bosor?* « Bosor autem significat carnem, vel angustiam et « tribulationem. Deinde illud etiam percuntabantur : « *Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Unde « et vestimentum sanguine rubricatum, et plagas in « manibus ostendit. »

Septimò, illud etiam Dominus noster in cœlum ascendens efficere voluit, ut nos eum ascendentem mente et desiderio prosequeremur. Nam quemadmodùm morte et resurrectione suâ exemplum nobis reliquerat moriendi peccato, et resurgendi ac vivendi justitiæ et Deo : ita ascensione suâ nos docet ut in terris positi, in cœlum nos cogitatione et affectu totos conferamus, agnoscentes nos *peregrinos et hospites super terram*, ac patriam inquirentes, *cives sanctorum, et domesticos Dei.... Nostra enim conversatio in cœlis est*, inquit Apostolus, Hebr. 11, Ephes. 2, Philipp. 3. S. Leo Serm. 2 de Ascens. Domini : « Liberos cordis « oculos ad illam altitudinem in quâ Christus est, « erigamus. Sursùm vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna prælectos peritura « non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent; et ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hâc mundi « valle cognoscant, in quâ etiamsi quædam commoda « blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter... » S. Hilarius Arelat. in eodem Festo. « Totis fidei viribus nitamur, ut sicut Dominus nostro cum corpore ad superna conscendit, ita nos « quoque membra ejus effecti, caput nostrum officiosis « desideriis ac bonorum operum studiis jam sequamur. « Ascendamus post eum compunctione, benevolentià, « concordià, charitate; ascendamus et per ipsarum « adminicula passionum. Quomodò autem post eum « per passiones nostras possimus ascendere si quis « roget; hoc utique modo : si unusquisque nostrûm « subdere eas sibi studeat, et eminentià dominantis « animi super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construat, quo ad superiora conscendat. *Sublimabunt nos, si fuerint infra nos. De nostris etiam « vitiis scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.* « Cæterùm cum Christo, id est, humilitatis Magistro, « non ascendit superbia, nec cum bonitatis Auctore « malitia, nec cum pacis amico discordia, nec cum « Filio Virginis libido atque luxuria. Non ascendunt « vitia post virtutum Parentem, nec peccata post Justum, nec infirmitates possunt ire post Medicum. » Christum ascendentem sequamur mysticis virtutum omnium gradibus. *Beatus vir*, inquit Propheta, Psal. 83, *cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit : ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* S. Bernard. serm. 2 de Ascens. Domini : « Humilitate præsertim ascendamus, hæc est, « via. Qui aliter vadit, cadit potiùs quàm ascendit, « quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit « ad vitam. Christus enim cùm per naturam divinitatis non haberet quò cresceret, vel ascenderet, quia « ultra Deum nihil est, per descensum quomodò creasceret invenit, veniens incarnari, pati, mori, ne « moreremur in æternum : propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. » Vade, et tu fac similiter. Neque enim ascendere potes, nisi descenderis, quia, ut æternâ lege fixum est : *Omnis qui se humiliat, exaltabitur; et qui se exaltat, humiliabitur*, Luc. 14. O perversitas! O abusio filiorum Adam! « Quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi et « leviter ascendunt, et difficiliùs descendunt, parati « ad honores et celsitudines graduum ecclesiastico« rum, *ipsis etiam angelicis humeris formidandas.* Ad « sequendum autem te, Domine Jesu, vix inveniuntur, « qui vel trahi patiantur; qui velint duci per viam « mandatorum tuorum. Beatus qui ubique te ducem « habet, non illum refugam spiritum, qui statim ascendere voluit, et totâ divinitatis dexterâ percussus « est. *Nos autem, populus tuus et oves pascuæ tuæ, se« quamur te, per te, ad te :* quia tu es *Via, Veritas et « Vita*, Joan. 14; Via in exemplo, Veritas in promisso, Vita in præmio, inquit S. Bernardus. » Sursùm cor habere debemus, sed ad Dominum : « Sursùm « enim cor non ad Dominum, superbia vocatur : sursùm autem cor ad Dominum, refugium vocatur. Illi « enim dicimus qui ascendit : *Domine, refugium factus « es nobis*, Psalm. 89. Descendit, ut sanaret te : ascendit, ut levaret te. Cadis, si levaveris te : manes, « si levaverit te. Sursùm ergo cor, sed ad Dominum, « refugium est : sursùm cor, sed non ad Dominum, « superbia est. Dicamus ergo illi resurgenti : *Quoniam tu es, Domine, spes mea* : ascendenti autem : « *Altissimum posuisti refugium tuum*, Psalm. 90. Quomodò enim ad eum cor sursùm habentes superbi « erimus, qui propter nos humilis factus est, ne « superbi remaneremus? » Verba sunt S. August. 241, aliàs de Diversis 12.

§ III. *Ascensionis Christi fructus et utilitates.*

Quamvis corporis sui et sacræ humanitatis sensibilem præsentiam Christus Jesus ascensione suâ fidelibus subtraxerit, præsentiâ tamen divinitatis suæ nusquàm ipsis deest. *Ecce*, inquit, *ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Matth. 28. Qui *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*, vocatur, Isaiæ 7, *implet proprietatem nominis sui; et qui ascendit in cœlos, non deserit adoptatos : qui sedet ad dexteram Patris, ipse totius habitator est corporis; et ipse deorsùm confortat ad patientiam, qui sursùm invitat ad gloriam*, inquit S. Leo, serm. 2 de Resurrectione Domini, cap. 3. Ipse verò Christi in cœlos ascensus, quo sensibilem sui corporis præsentiam nobis substraxit, longè majores utilitates nobis peperit, quàm ejus sensibilis præsentia peperisset.

I. Christi nimirùm ascensione gloriosâ, fidei nostræ merito maximus cumulus accessit. Nam fides earum rerum est, quæ non videntur, atque ab hominum ratione et intelligentiâ remotæ sunt. Itaque si Dominus Jesus à nobis non discessisset, fidei nostræ meritum minueretur : siquidem ab illo *beati* prædicantur, *qui non viderunt, et crediderunt*, Joan. 20. Hinc etiam ipse discipulis ait, de Spiritu sancto : « Arguet mundum de justitiâ » , Joan. 16, comparando scilicet credentium justitiam cum iniquitate infidelium. Hæc enim comparatio, est infidelium vituperatio. *De justitiâ*, inquit, *quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* « Quapropter mundus de peccato quidem suo, de justitiâ verò arguitur alienâ, sicut arguuntur de lumine tenebræ. Quantùm enim malum sit eorum qui non credunt, non solùm per seipsum, verùm etiam ex bono potest eorum apparere qui credunt. Et quoniam ista vox infidelium esse consuevit, quomodò credimus quod non videmus? ideò credentium justitiam sic oportuit definiri : *Quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* Nam et qui viderunt Christum, non in eo laudata est fides eorum, quia credebant quod videbant, id est, Filium hominis; sed quia credebant quod non videbant, id est, Filium Dei. Cùm verò et ipsa forma servi subtracta eorum esset aspectibus, tùm verò ex omni parte impletum est : *Justus ex fide vivit*, Rom. 1. Ipsa est justitia fidei, de quâ dicit Apostolus, 2 Cor. 5 : « Etsi noveramus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus. » Erit itaque, inquit, vestra justitia quâ mundus arguetur, *quia vado ad Patrem, et jam non videbitis me*, quoniam in eum quem non videbitis, credetis in me; et quando me videbitis, quod tunc ero, non videbitis in me quod sum vobiscum modò; non videbitis humilem, sed excelsum; non videbitis mortalem, sed sempiternum; non videbitis judicandum, sed judicaturum : et de hâc fide vestrâ, id est, justitiâ vestrâ, arguet Spiritus sanctus incredulum mundum. » Ità hunc locum explicat S. Augustinus tractatu 95 in Joan.

Magnum fidei robur et incrementum ex gloriosâ Christi Domini nostri in cœlos ascensione accessisse, confirmat S. Leo, serm. 2 de Ascensione, cap. 2, 3 et 4 : « Quod, inquit, Redemptoris nostri conspicuum fuit, in sacramenta transivit : et ut fides excellentior esset ac firmior, visioni doctrina successit, cujus auctoritatem supernis illuminata radiis credentium corda sequerentur... Ipsi Apostoli, qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, atrocitatem tamen Dominicæ passionis expaverant, et veritatem resurrectionis ejus non sine hæsitatione susceperant, tantùm de ascensione Domini profecerunt, ut quidquid illis priùs intulerat metum, verteretur in gaudium. Totam enim contemplationem animi in divinitatem ad Patris dexteram consedentis erexerant, nec jam corporeæ visionis tardabantur objectu, quò minùs in id aciem mentis intenderent, quod nec à Patre descendendo abfuerat, nec à discipulis ascendendo discesserat. Tunc Filius hominis, Dei Filius excellentiùs sacratiùsque innotuit, cùm in paternæ Majestatis gloriam se recepit; et ineffabili modo cœpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. Tunc ad æqualem Patri Filium eruditior fides gressu mentis cœpit accedere, et contrectatione in Christo corporeæ substantiæ, quæ Patre minor est, non egere : quoniam glorificati corporis manente naturâ, eò fides credentium vocabatur, ubi non carnali manu, sed spiritali intellectu, par Genitori Unigenitus tangeretur. Hinc illud est, quòd post resurrectionem suam Dominus Mariæ Magdalenæ personam Ecclesiæ gerenti, cùm ad contractum ipsius properaret accedere, dicit, Joan. 20 : *Noli me tangere, nondùm enim ascendi ad Patrem meum;* hoc est : Nolo ut ad me corporaliter venias, nec ut me sensu carnis agnoscas. Ad sublimiora te differo, majora tibi præparo : cùm ad Patrem ascendero, tunc me perfectiùs veriùsque palpabis, apprehensura quod non tangis, et creditura quod non cernis. »

Eumdem locum tractans S. Bernardus sermone 28 in Cantica : « Mittitur, inquit, ad certiorem fidei cognitionem, quæ apprehendit quod sensus nescit, experimentum non invenit : *Noli me tangere;* hoc est: Dissuesce huic seducibili sensui, innitere Verbo, fidei assuesce... Disce id habere certius, id tutiùs sequi, quod illa suaserit. *Noli me tangere; nondùm enim ascendi ad Patrem meum.* Quasi verò cùm ascenderit, tunc tangi ab eâ velit aut possit. Et utique poterit, sed affectu, non manu; voto, non oculo; fide, non sensibus. Quid tu me, ait, modò tangere quæris, quæ sensu corporis gloriam æstimas resurrectionis? » Verbum æternum Patris, angelorum cibus, panisque perfectus, incarnatione lac nobis infantibus, et solido cibo capiendo imparibus præstitit, « ut quasi à mamillâ carnis ejus enutriti, et per talem lactationem assueti manducare et bibere Verbum Dei, et eum qui est immortalitatis panis, qui est spiritus Patris, in nobis ipsis eum continere possemus, » inquit S. Irenæus, libro 4, cap. 24. Quid est panis angelorum? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Quomodò panem angelorum manducavit homo? *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Igitur « Mater Sapientia, cùm sit in excelsis angelorum solidus cibus, dignata est quodammodò lactescere parvulis. Sed ipse homo Christus, qui verâ carne, verâ cruce, verâ morte, verâ resurrectione, sincerum lac dicitur parvulorum, cùm benè à spiritualibus capitur, invenitur Dominus angelorum. Proinde nec sic parvuli sunt lactandi, ut semper non intelligant Deum Christum : nec sic ablactandi, ut deserant hominem Christum. Quod alio modo ita dici potest : Nec sic lactandi sunt, ut Creatorem nunquàm intelligant Christum; nec sic ablactandi, ut Mediatorem unquàm deserant Christum, » inquit S. Augustinus tractatu 98 in Joannem. Hoc ineffabili modo ablactati sunt fideles, cùm Christus in cœlos ascendens carnis suæ conspectum ipsis subduxit, ut cibum solidum, id est, Verbum Dei per quod facta

sunt omnia, jam per carnem ejus fortiores effecti, fide contemplaremur, eoque cum angelis reficeremur, jam spe ad illorum æqualitatem provecti.

II. Christi enimverò in cœlos ascensio, ad confirmandam spem in cordibus nostris magnum momentum habet : siquidem cùm Christum hominem in cœlum ascendisse, et humanam naturam in dexterâ Dei Patris collocâsse credimus, magnâ in spe sumus, fore ut nos etiam ejus membra, illùc ascendamus, atque ibi cum capite nostro conjungamur. Quod ipse Dominus his verbis testatus est, Joan. 16 : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum.* Et discipulis ait : *Si abiero, et præparavero vobis locum, iterùm veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis.* Spes igitur ad cœlum perveniendi hoc mysterio in nobis excitatur, quia *ubi fuerit corpus, illùc congregabuntur et aquilæ*, Matth. 25. « Christi ascensio, nostra provectio est, inquit S. Leo serm. 1 « de Ascens. Domini, et quò præcessit gloria capitis, « eò spes vocatur et corporis. Hoc enim mysterio « non solùm paradisi possessores firmati sumus, sed « etiam cœlorum in Christo superna penetravimus : « ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quàm « per diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit. » Habemus Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum priùs pendentem in ligno, nunc sedentem in cœlo. « Pretium nostrum dedit, cùm penderet in ligno : colligit quod emit, cùm sedet in cœlo.... « Christus ascendit in cœlum, ascendat cum illo et « cor nostrum. Sicut enim ille ascendit, nec recessit « à nobis ; sic et nos cum illo ibi jam sumus, quamvis nondùm in corpore nostro factum sit quod promittitur nobis. Neque enim propterea nobis desperanda est perfecta et angelica cœlestis habitatio, « quia dixit : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Sed hoc « dictum est propter unitatem, quâ caput nostrum « est, et nos corpus ejus. Cùm ascendit in cœlum, « nos ab illo non separamur. Qui de cœlo descendit, « non nobis invidet cœlum; sed quodammodò clamat : « Membra mea estote, si ascendere vultis in cœlum. « In hoc ergo ipsi interim roboremur, in hoc votis « omnibus æstuemus. Hoc meditemur in terris, quod « computamur in cœlis. Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc exuamus animi vetustatem. Facilè corpus levabitur in alta cœlorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum, » inquit S. Augustinus, sermone 263, aliàs de tempore 174, et de diversis 90. Id porrò ut consequamur, ad eum confugiamus, quem *advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum Justum...* 1 Joan. 2. *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei... Adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno*, Hebr. 4. Non accessimus, ut Judæi, « ad tractabilem « montem, et accensibilem ignem, et turbinem, et « caliginem, et procellam, et tubæ sonum, et vocem « verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se ne « eis fieret verbum; sed ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum « millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et Judicem « omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, « et Testamenti novi Mediatorem Jesum, et sanguinis « aspersionem meliùs loquentem quàm Abel. Videte « ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, « recusantes eum qui super terram loquebatur : multò « magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus. » Quid autem loquitur ? Verba charitatis.

III. Christus namque in cœlum ascendens amorem nostrum ad cœlum rapuit, cordaque nostra divino Spiritu inflammavit; ut enim dicit Matth. 6 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Et certè si Christus Dominus in terris versaretur, omnis nostra cogitatio in ipso hominis aspectu et consuetudine defixa esset, qui nos tantis beneficiis afficeret, eumque terrenâ quâdam benevolentiâ prosequeremur. Verùm in cœlos ascendens, amorem nostrum spiritualem reddidit, effecitque ut quem nunc absentem cogitamus, eum ut Deum veneremur et diligamus. Quamobrem discipulis ait, Joan. 14 : *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, quoniam Pater major me est.* « Vox ista quodam modo exprobrantis fuit et consolantis. Fixi erant in homine, et Deum cogitare « non poterant. Tunc enim cogitarent Deum, si ab « illis et ab eorum oculis homo auferretur, ut amputatâ familiaritate quæ cum carne erat facta, « discerent vel absente carne Divinitatem cogitare. « Ergo hoc eis ait : *Si diligeretis me, gauderetis quia « vado ad Patrem.* Quare? Ut cùm eo ad Patrem, « possitis me cogitare æqualem Patri. Propterea enim « *major me est* : adhuc cùm videtis me in carne, « major me est Pater. Si sic me diligeretis, quomodò « per me facta sunt omnia, gauderetis quoniam vado « ad Patrem. Carnem discipulis post resurrectionem « suam ostendit, confirmavit illos, et sustulit illam « in cœlum. Subductâ autem carnali præsentiâ, jam « illi hominem non viderunt. Si quid erat in cordibus « eorum tractum de desiderio carnali, quasi contristatum est in ipsis. Congregati sunt tamen in unum, « et cœperunt orare. Ille autem missurus erat Spiritum sanctum, ut impleret eos amore spiritali, auferens desideria carnalia. Faciebat eos jam sic intelligere Christum quomodò erat Verbum Dei, Deus « apud Deum, per quod facta sunt omnia. Non autem « possent impleri tali intellectu, nisi carnalis charitas ab eorum oculis discessisset. Et ideò dixit : *Si « diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, « quia Pater major me est.* Quasi diceret Apostolis « suis : Non vultis me dimittere, sed melius est ut « istam carnem non videatis, et divinitatem cogitetis. Tollo me à vobis exteriùs, et meipso impleo « vos interiùs. Numquid enim secundùm carnem et « cum carne intrat in cor Christus? Secundùm divinitatem possidet cor; secundùm carnem per oculos « loquitur ad cor, et admonet foras; habitans intùs,

« ut interiùs nos convertamur et vivificemur ex ipso, « et formemur ex ipso. » Sic disserit S. Augustinus, sermone 164 de Ascensione Domini, 4.

Ob eamdem rationem Dominus discipulis ait : *Expedit vobis ut ego vadam : si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Tanquàm diceret : « Expedit vobis « ut hæc forma servi auferatur à vobis. Caro qui- « dem factum Verbum habito in vobis; sed nolo « me carnaliter adhùc diligatis, et isto lacte contenti, « semper infantes esse cupiatis. *Expedit vobis ut ego « vadam*, etc. Si alimenta tenera quibus vos alui, non « subtraxero, solidum cibum non esurietis; si carni « carnaliter hæseritis, capaces Spiritûs non eritis. « Nam quid est : *Si non abiero, Paracletus non veniet « ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos?* » Numquid hìc positus eum non poterat mittere, quem scimus super eum baptizatum venisse atque mansisse: imò verò à quo scimus eum nunquàm separabilem fuisse ? « Quid est ergo : *Si non abiero, Paracletus non « veniet ad vos;* nisi non potestis capere Spiritum, « quamdiù secundùm carnem persistitis nôsse Chri- « stum? Unde ille qui jam acceperat Spiritum : *Etsi « noveramus*, inquit 2 Cor. 5, *secundùm carnem Christum, « sed nunc jam non novimus.* Etiam ipsam quippe carnem « Christi non secundùm carnem novit, qui Verbum « carnem factum spiritaliter novit. » Verba sunt S Augustini, tractatu 94 in Joannem.

Idem passim confirmat S. Bernardus, sermone præsertim 20 in Cantica, et sermone 5 de Ascensione, ubi hanc præcipuam invisibili Deo fuisse causam asserit carnem assumendi, et hominibus convivendi, ut carnalium, qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primùm affectiones, à cæteris sensibilibus omnibus rebus abductas, ad sacratissimæ suæ carnis amorem totas recolligeret, atque ita gradatim ad amorem spiritualem perduceret. Carnali, ut ita loquar, amore adhærebant Christo incipientes Apostoli, solo præsentiæ corporalis amore reliquerant omnia, adeò ut futuræ salutaris passionis et mortis ne audire quidem verbum æquanimiter sustinerent, sed nec gloriam ascendentis postmodùm nisi cum gravi mœrore suscipere. *Quia*, inquit, *hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* « Itaque in solâ interim gratiâ præsentis suæ carnis « eos ab amore omnis carnis suspenderat. Monstrabat « autem eis postea altiorem amoris gradum, cùm di- « ceret : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest « quidquam.* Puto, hùc ascenderat jam qui dicebat : *Et- « si cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc « jam non novimus.* Fortassis et nihilominùs Propheta « in hoc ipso stabat, cùm diceret : *Spiritus ante faciem « nostram Christus Dominus.* Nam quod subjungit : *Sub umbrâ ejus vivemus inter gentes*, videtur ex personâ « incipientium addidisse, ut quiescant saltem in um- « brâ qui ad solis ardorem ferendum minùs se validos « sentiunt, et carnis dulcedine nutriantur, dùm nec- « dùm valent ea percipere quæ sunt Spiritûs Dei. » Quapropter expediebat Apostolis ut caro Christi in cœlos reciperetur, ut in eos sanctus Spiritus allabi posset. *Nisi abiero, Paracletus non veniet ad vos*, inquit Christus; id est, nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non agnoscit, non recipit animus, non capit affectus. Christus ait : *Ego sum via, veritas, et vita.* Hoc est : per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur. S. Bernardus serm. 5 de Ascensione Domini. Ex quo intelligitur, inquit S. Augustinus libro 1 de Doctrinâ christianâ, cap. 34, « quòd nulla res in « viâ tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, in « quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos « voluerit, sed transire, ne rebus temporalibus, quam- « vis ab illo pro salute nostrâ susceptis, et gestis, hæ- « reamus infirmiter, sed per eas potiùs curramus ala- « criter, ut ad eum ipsum qui nostram naturam à « temporalibus liberavit, et collocavit ad dexteram « Patris, provehi atque pervenire mereâmur. »

IV. Hæc *dona* sunt, quæ *Christus ascendens in altum, dedit hominibus*, Ephes. 4 : fides, spes, charitas per Spiritum sanctum in eorum cordibus diffusa. Sed et dona ab hominibus accepit, ut ait Propheta, Psal. 67 : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem; accepisti dona in hominibus.* Apostolus à Prophetâ non dissidet. Christus ascendens in cœlos dona hominibus dedit, idemque dona in hominibus recepit. Dedit ut unus cum Patre Deus; accepit in Ecclesiâ suâ, in membris suis, in sanctis et fidelibus suis. *Christus* enim *et Ecclesia, caput et corpus, unus homo est, unus Christus*, ut S. Augustinus sæpiùs inculcat. Nunc in personâ suâ propriâ, nunc in personâ membrorum suorum loquitur apud prophetas. Ad personam membrorum ejus referendum quod ait Propheta : *Accepisti dona in hominibus* : ad personam ejus propriam, quod Apostolus ait : *Dedit dona hominibus*, ut S. Augustinus explicat, Enarratione in Psalmum 68 : *Ipse ergo Christus, et dedit de cælo, et accepit in terrâ*, inquit idem sanctus doctor libro 15 de Trinitate, cap. 19.

ARTICULUS VIII.

Quo septimus Symboli articulus explicatur : INDE VENTURUS EST JUDICARE VIVOS ET MORTUOS.

1. *Multiplex Dei judicium. Novissimi tempus ignotum. Signa illud præcedentia.*

Dei judicium multiplex in sacris litteris declaratur, unum discretionis, de quo Propheta Psalm. 42 : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sanctâ;* aliud damnationis, de quo scriptum est Joannis 3 : *Qui non credit, jam judicatus est;* et Joannis 5 : *Et procedent qui mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Rursùs judicium aliud occultum, aliud manifestum. « Oc- « cultum judicium est pœna quâ nunc unusquisque « hominum aut exercetur ad purgationem, aut admo- « netur ad conversionem; aut si contempserit voca- « tionem et disciplinam Dei, excæcatur ad damnatio- « nem. Judicium manifestum est, quo venturus Domi- « nus judicabit vivos et mortuos, omnibus patentibus « eum esse, à quo et bonis præmia, et malis supplicia « tribuentur; sed tunc illa confessio non ad reme- « dium malorum, sed ad cumulum damnationis valo-

« but. » S. Augustinus tract. 45 et 52 in Joan. De his duobus judiciis, uno occulto, alio manifesto, videtur Dominus dixisse Joannis 5 : *Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit à morte in vitam.* Id est : Non veniet in judicium manifestum. Nam hoc quod transit de morte ad vitam per nonnullam afflictionem, quâ flagellat omnem Filium quem recipit, judicium occultum est. *Qui autem non credit*, inquit Joan. 3, *jam judicatus est ;* id est, isto occulto judicio jam præparatus est ad illud manifestum. Ita S. Augustinus, Enarratione in psalmum 9.

Judicium occultum in hâc vitâ peragitur ; manifestum post mortem fiet, cùm unicuique necesse erit in conspectum Domini venire, et singularum cogitationum, verborumque omnium rationem reddere, demùmque judicis præsentem subire sententiam. Id porrò duobus diversis temporibus fiet, primò statim post uniuscujusque hominis mortem ; secundò in fine mundi. Primum judicium particulare est ac privatum : cùm enim unusquisque nostrûm è vitâ migraverit, statim ad Dei tribunal sistitur, ibique de omnibus justissima quæstio habetur, quæcumque aut egerit, aut dixerit, aut cogitaverit, cùm hìc mortalem vitam ageret. Vide S. August. lib. 20 de Civit. Dei, c. 1. De isto scribit Apostolus ad Hebræos, cap. 9 : *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Alterum generale erit, cùm uno die, atque uno in loco, omnes simul homines ad tribunal summi Judicis stabunt, ac omnibus omnium seculorum hominibus spectantibus et audientibus, singuli sententiam in se latam excipient, statimque reprobi à sinistris Judicis in terrâ stantes, in ignem æternum cum diabolo et angelis ejus detrudentur ; electi verò, Christo obviam rapti in aera, cum ipso in regnum æternum, ipsis ante mundi constitutionem paratum convolabunt, sicque in cœlis semper erunt cum Domino.

De ultimo isto generalique judicio Symboli Apostolici septimus articulus est, quo Christum *venturum judicare vivos et mortuos* profitemur ; inde, inquam, venturum quò ascendit, scilicet è cœlis ; non relictâ Patris dexterâ in quâ sedet : hæc enim summa potestas est et majestas : Christus autem veniet *cum potestate magnâ et majestate*, Luc. 21. *Quemadmodùm assumptus est in cœlum, sic veniet*, Matth. 25. « Duobus autem « modis accipi potest, quòd *vivos et mortuos judicabit*, « Act. 1 ; sive ut vivos intelligamus, quos hìc nondùm « mortuos, sed adhuc in istâ carne viventes inventu- « rus est ejus adventus ; mortuos autem, qui de cor- « pore, priùs quàm veniat, exierunt, vel exituri sunt : « sive vivos justos, mortuos autem injustos, quoniam « justi quoque judicabuntur. Aliquando enim judicium « Dei ponitur in malo, unde illud est : *Qui autem ma- « lè egerunt in resurrectionem judicii :* aliquando et in « bono, secundùm quòd dictum est : *Deus, in nomine « tuo salvum me fac, et in virtute tuâ judica me*, Ps. 53. « Per judicium quippe Dei fit ipsa bonorum malorum- « que discretio, ut liberandi à malo, non perdendi « cum malis, boni ad dexteram segregentur. » Sic explicat S. Augustinus in Enchiridio, cap. 55. Cæterùm et illi ipsi de quibus dicit Apostolus 1 ad Thessal. 4 : *Et nos qui vivimus, qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus*, priùs morientur, quàm beatâ immortalitate cum reliquis sanctis donentur : quod apertè colligi videtur ex his Apostoli verbis 1 Cor. cap. 15 : *Sed dicet aliquis : Quomodò resurgunt mortui ? Qualive corpore venient ? Insipiens, quod tu seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur*, etc. Et : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Quomodò autem fieri poterit ut omnes resurgant, nisi omnes moriantur ? Resurrectio quippe, nisi mors præcesserit, nulla est. Morientur ergo et illi qui adveniente Christo vitam mortalem in hoc mundo agent, et illorum corpora igne quo mundus conflagrabit, interibunt, statim velut in ictu oculi, cancne tubâ, id est, imperante Domino, ad vitam reditura. Videsis S. Augustinum epistolâ 193, Mercatori inscriptâ, cap. 4, et libro 20 de Civitate Dei, cap. 20.

Novissimum illud judicium in sacris litteris *dies Domini* appellatur, de quo Apostolus 1 ad Thessalonicenses 5 : *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* Et Salvator ipse, Matth. 24 : *De die autem illâ et horâ, nemo scit... Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes, et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes, ita erit et adventus Filii hominis... Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit.* De eodem Apostolus 2 ad Corinthios 5 scribit : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Et Apocalypsis 20, dicitur : *Vidi mortuos magnos et pusillos in conspectu throni, et libri aperti sunt, et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, et judicatum est de singulis secundùm opera ipsorum.*

Quamvis autem, ait S. August. Enarrat. in Psal. 36, serm. 1, « ultimi judicii diem venturum esse utiliter « sciamus, et utiliter ignoremus quando venturus sit, « ut paratum cor habeamus benè vivendo ; et non so- « lùm non timeamus venturum illum diem, sed et ame- « mus, » *exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi*, ut loquitur Apostolus ad Tit. 2. Signa tamen quædam adventum Christi ad judicium præcedent, ut homines ad judicis reverentiam adducantur, et ad judicium præparentur, signis insolitis et formidandis prænoniti. Ex his nihilominùs signis certò cognosci non potest judicii tempus, cùm partim ad excidium Hierosolymorum, partim ad Christi adventum in corpore suo, quod est Ecclesia, partim ad adventum ejus novissimum per seipsum pertineant, ut S. Augustinus explicat epistolâ 199, aliàs 80, ad Hesychium, de Fine seculi inscriptâ. Quamobrem quod Christus Dominus ait : *Vigilate, ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes*, ad omnes pertinere declaravit. « Tunc enim unicuique ve- « niet dies ille, cùm venerit ei dies ut talis hinc exeat,

« qualis judicandus est illo die. Ac per hoc vigilare « debet omnis Christianus, ne imparatum inveniat « cum Domini adventus. Impar tum autem inveniet « ille dies, quem imparatum invenerit, suæ vitæ hujus « ultimus dies, » inquit S. Augustinus.

Diem Domini venturum non esse certum est, nisi Antichristus prior advenerit. Homo quidam erit singularis, iniquissimus, divinos honores usurpans, Christum et regnum ejus, id est, Ecclesiam persequens eâ persecutione, *qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet*, Matth. 24, falsis miraculis maximam hominum partem seducens, et ad defectionem à Christi fide et cultu pertrahens. De quo Apostolus 2 ad Thessalonicenses 2 scribit : *Homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquàm sit Deus... Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventûs sui eum; cujus est adventus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt; eò quòd charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent.* Cætera penè omnia quæ de Antichristo dicuntur, vel obscura sunt, vel incerta. Cùm autem improborum hominum caput futurus sit, jam ab initio Ecclesiæ, imò ab initio mundi formari cœpit corpus ejus, præparari populus ejus, in quo primas tenent hæretici. Unde S. Paulus ibidem ait : *Mysterium jam operatur iniquitatis.* Et S. Joannes Epistolæ 1, cap. 2 : *Filioli, novissima hora est; et sicut audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt... Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum... Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium.* Et cap. 4 : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est : et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est; et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est.* Legesis S. Hieronymum in Epistolâ ad Algasiam, quæstione 11, et S. Augustinum libro 20 de Civitate Dei, cap. 19.

Ignis porrò ante Christum judicem præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus, mundumque purgabit. Absumet elementorum corruptibilium qualitates, ut mundus in melius innovatus, et à corruptionis servitute liberatus, corporibus beatorum per gloriosam resurrectionem pariter innovatis conveniat. Quemadmodùm igitur mundus olim diluvio interiit, perditis impiis universis, solo justo Noe cum familiâ suâ erepto; ita in fine seculi, hic mundus post diluvium Dei verbo restauratus et consistens : *Cæli*, inquam, *qui nunc sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in die judicii et perditionis impiorum hominum*, inquit S. Petrus Epist. 2, cap. 3. *Adveniet autem dies Domini ut fur : in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem, et quæ in ipsâ sunt opera, exurentur. Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? Novos verò cœlos, et novam terram secundùm promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat. Propter quod, charissimi, hæc exspectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace.* Denique Ecclesia Christum *judicaturum vivos et mortuos et seculum per ignem* profitetur; quod ab Isaiâ prophetâ prædictum est : *Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus; reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flammâ ignis; quia in igne Dominus dijudicabit*, Isai. 66.

§ II. *Generalis judicii causæ.*

Cur præter privatum de singulis, alterum etiam de universis hominibus exerceri judicium necesse sit, præter Dei verbum, communemque Christianorum omnium fidem, congruæ quoque rationes afferri possunt; quas exponunt S. Thomas, 3 p. q. 59, a. 5, et concilii Tridentini Catechismus.

Prima est, quia post hominum mortem interdùm superstites sunt filii, vel discipuli, exemplorum, sanæ doctrinæ, vel errorum; sanctioris vitæ, vel pravorum operum amatores, sectatores, propugnatores, propagatores : quibus rebus ipsorum mortuorum præmia et pœnas augeri necesse est. Cùm igitur hæc utilitas vel calamitas ad plurimos pertinens non priùs finem habitura sit, quàm novissimus mundi dies advenerit, æquum erat de universâ hâc rectè aut pravè factorum dictorumque ratione perfectam quæstionem haberi, quod fieri non poterat nisi facto communi omnium hominum judicio. *Quapropter exspecta me, dicit Dominus*, Sophoniæ 3, *in die resurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum, ut congregem gentes, et colligam regna, et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei : in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra.*

Secunda est, quòd piorum fama sæpè lædatur, impii verò innocentiæ laude commendentur. Quam ob rem divinæ justitiæ ratio postulat, ut pii ereptam injuriâ apud homines existimationem, in publico universorum hominum conventu et judicio recuperent; cùm Christus judex *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et laus erit unicuique à Deo*, 1 Cor. 4; cùm *libris apertis*, Apoc. 20, id est, singulorum conscientiis patentibus, boni summo honore afficientur, ac filii Dei ab omnibus agnoscentur, eorumque præclarè gesta cunctis innotescent, et ab æquissimo Judice coronabuntur : mali verò ac reprobi *induentur confusione* peccatis suis, quamvis occultissimis, pravis desideriis, cogitationibus, operibus in publicam lucem productis. Quod præclarè describit Sapiens 4 et 5 : *Videbunt finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, et quare munierit illum Dominus. Videbunt, et contemnent eum : illos autem Dominus irridebit. Et erunt post hæc decidentes sine honore, et in contumeliâ inter mortuos in perpetuum : quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, et commovebit illos à fundamentis, et usque ad supremum desola-

buntur : et erunt gementes, et memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum. Tunc stabunt justi in magnâ constantiâ adversùs eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intrà se, pœnitentiam agentes, et præ angustiâ spiritûs gementes : hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus à viâ veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiæ non ortus est nobis. Lassati sumus in viâ iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquàm umbra... Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideò accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini : quoniam dexterâ suâ teget eos, et brachio sancto suo defendet illos. Summus autem erit honos quo sancti afficientur, siquidem Christo supremo Judici assidebunt, cum ipso mundum judicaturi. Unde ipse ait, Matth. 19 : *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.* Et Apostolus, 1 Cor. 6 : *Sancti*, inquit, *de hoc mundo judicabunt... In vobis judicabitur mundus... Nescitis quoniam angelos judicabimus?*

Tertia judicii generalis ratio hæc est : quòd sancti et reprobi homines, quæcumque in vitâ egerunt, non sine corporibus egerint ; unde bona et mala opera ad corpora etiam pertinent, velut ad instrumenta. Maximè igitur conveniens erat, corporibus unà cum eorum animis debita æternæ gloriæ præmia, aut supplicia impertiri : quod neque sine omnium hominum resurrectione, neque sine generali judicio fieri poterat. « Dicimus plenum primò perfectumque credendum judicium Dei, ut ultimum jam atque exinde perpetuum ; ut sic quoque justum, dùm non in aliquo minus ; ut sic quoque Deo dignum, dùm pro tantâ ejus patientiâ, plenum atque perfectum ; itaque plenitudinem perfectionemque judicii, nonnisi de totius hominis repræsentatione constare ; totum porrò hominem ex utriusque substantiæ concretione parere ; idcircò in utràque exhibendum, quem totum oporteat judicari : qui nisi totus utique non vixerit ; qualis ergo vixerit, talem judicari, quia de eo quòd vixerit, habeat judicari. Vita est enim causa judicii, per tot substantias dispungenda, per quot et functa est ; » inquit Tertullianus libro de Resurrectione Carnis.

Quarta ratio ex divinâ providentiâ, sapientiâ et justitiâ petitur, quas vindicari palam in omnium hominum conventu ac laudari decet. Cùm enim adversa et prospera promiscuè nonnunquàm bonis et malis eveniant, ob arcanas quidem, licet adorandas rationes : hinc fit ut plerique divinæ providentiæ ac justitiæ obloquantur ; et viri etiam justi commoveantur interdùm, cùm improbos potentes opibus, et honoribus florentes animadvertunt. *Mei autem penè moti sunt pedes* inquit Propheta, Psal. 72, *penè effusi sunt gressus mei ; quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns..... Ecce ipsi peccatores et abundantes in seculo obtinuerunt divitias ; et dixi : Ergo sine causâ justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas ; et fui flagellatus totâ die, et castigatio mea in matutinis.* Necesse igitur erat generale judicium exerceri, in eoque bonis præmia, improbis supplicia palàm decerni, ut Deo justitiæ, sapientiæ et providentiæ laus ab omnibus tribueretur. Igitur *noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tanquàm fœnum velociter arescent, et quemadmodùm olera herbarum citò decident*, Psalm. 36. « Quod tibi longum videtur, citò est Deo : subjunge « te Deo, et tibi citò erit, inquit S. Augustinus, Enarratione in hunc Psalmum. Olera herbarum vilia quædam sunt, et superficiem terræ tenentia, altam radicem non habent. Proinde per hyemem virent : at ubi sol æstatis fervescere cœperit, arescent. Modò ergo tempus est hyemis, gloria tua nondùm apparet : sed si alta radix est charitatis tuæ, sicut multarum arborum per hyemem, transit frigus, veniet æstas, id est, *judicii dies*. Tunc arescet viror fœni, tunc apparebit arborum gloria. *Mortui enim estis*, ait Apostolus Colos. 3, quomodò videntur arbores per hyemem, quasi aridæ, quasi mortuæ. Ergo quæ spes, si mortui sumus? *Intùs est radix ;* ubi radix nostra, ibi et vita nostra ; ibi enim charitas nostra. *Et vita vestra*, inquit, *abscondita est cum Christo in Deo.* Quando arescit, qui sic habet radicem? Quando autem erit ver nostrum? Quando æstas nostra? Quando nos circumvestit dignitas foliorum, et ubertas fructuum locupletat? Audi quod sequitur : *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in glorià.* » Hinc S. Augustinus libro 20 de Civitate Dei, cap. 2, ait : « Cùm ad illud Dei judicium venerimus, cujus tempus jam propriè dies judicii, et aliquando dies Domini nuncupatur ; non solùm quæcumque tunc judicabuntur, verùm etiam quæcumque ab initio judicata, et quæcumque usque ad illud tempus adhuc judicanda sunt, apparebunt esse justissima. Ubi hoc quoque manifestabitur, quàm justo judicio Dei fiat, ut nunc tam multa ac penè omnia justa judicia Dei sensus mentesque mortalium lateant ; cùm tamen in hâc re piorum fidem non lateat, justum esse quod latet. » Hinc Propheta psalmo 36 ait : *Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis ; Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quòd veniat dies ejus.* « Qui dies? Quo reddet unicuique secundùm opera. Thesaurizat enim sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Sed Dominus prospicit, tu non prospicis ; indicavit tibi qui prospicit. Non parva pars scientiæ est, scienti conjungi. Ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis. Quod videt Deus, crede tu. Veniet dies injusti, quem prospicit

« Deus. Qui dies? Cujusque vindictæ. Necesse est « enim ut vindicetur in impium, sive convertat se, « sive non se convertat. Si enim se converterit, hoc « ipsum in illo vindicatur quòd perlit iniquitas, » ut explicat S. Augustinus Enarratione in Psalmum 36, sermone 2. Nunc Deum *ex dimidiâ tantùm parte* cognoscimus (ut cum S. Basilio loquar, Præfatione in Regulas fusiùs disputatas), misericordem cogitamus, non justum. At in supremo judicio plenè cognoscetur, quia *Justitia plenitudo divinitatis*, ut loquitur Tertullianus. Judicium itaque generale esse oportet, ut omnibus palam fiat, *misericordiam* quidem Dei *ab æterno et usque in æternum* exerceri, sed *super timentes eum*; verùm *in peccatores respicere iram Illius*.

Quinta denique ratio cur generale judicium sit futurum, est ut illius metu peccatores ad meliorem frugem revocentur, pii verò ejus expectatione recreentur, nec in adversis rebus deficiant. *Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus*, Apoc. 14. Hinc illud Sapientis divinum oraculum, Eccli. 7 : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Sed timore casto timendus est judicii dies. Unde Propheta dicit : *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Hoc est, ut explicat S. Augustinus Enarratione in psalmum 118, sermone 15, « à timore tuo casto, qui permanet in seculum « seculi, carnalia mea desideria comprimantur; *à ju-* « *diciis enim tuis timui*, cùm mihi lex minaretur pœ- « nam, quæ mihi non poterat dare justitiam. Sed « hunc timorem, quo pœnæ metuitur, consummata « charitas foras mittit, quæ non timore pœnæ, sed « delectatione justitiæ liberos reddit. Timor namque « iste, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, « servilis est, quia carnalis est; et ideò non crucifigit « carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc ap- « paret in opere, quando speratur impunitas. Cùm « verò pœna creditur secutura, latenter vivit; vivit « tamen. Mallet enim licere, et dolet non licere quod « lex vetat : quia non spiritaliter delectatur ejus bono, « sed carnaliter malum metuit quod minatur. Timore « autem casto ipsa quæ hunc timorem foras mittit, « peccare timet charitas, etiamsi sequatur impunitas : « quia nec impunitatem judicat secuturam, quando « amore justitiæ peccatum ipsum deputat pœnam. « Tali timore carnes crucifiguntur; quoniam carnales « delectationes, quæ legis litterâ vetantur potiùs quàm « vitantur, spiritalium bonorum delectatione vincun- « tur, et eàdem usque ad perfectionem crescente vi- « ctoriâ perimuntur. »

Timor ille castus cum summo desiderio et amore diei judicii optimè cohæret, quo pii cujusque pectus accenditur. Unde Apostolus scribit, 2 Tim. 4 : *Reposita est mihi corona justitiæ, non solùm autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus;* et Propheta idem desiderium his verbis exprimit, Psal. 41 : *Sitivit anima mea ad Deum vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Hinc S. Joannes Epist. 1, cap. 4 : *In hoc*, inquit, *perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Ille autem diligit adventum Domini, *qui cum sinceritate fidei, firmitate spei, ardore charitatis exspectat*, qui piè vivendo ad diem vitæ suæ novissimum vigilanter se præparat, « quoniam qualis « in die isto quisque moritur, talis in illo die judica- « bitur, » inquit S. Augustinus Epistolâ 199, aliàs 80. Dies judicii, spes Christianorum est, qui Deum diligunt, et Christo sincerè serviunt. Unde ipse Dominus ait, Luc. 21 : *His fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Si amamus Christum, adventum ejus desiderare debemus. « Perversum enim est, et nescio utrùm verum, « quem diligis timere ne veniat; orare, *Adveniat re-* « *gnum tuum*, et timere ne exaudiaris. Unde autem « timor? Quia Judex venturus est? Numquid injustus? « Numquid malevolus? Numquid invidus? Numquid « postremò ab altero exspectas nòsse causam tuam, « ne fortè ille quem instruxisti, vel prævaricatione te « decipiat, vel minori facundiâ et facultate deficiens « innocentiæ tuæ bonum verbis demonstrare non pos- « sit? Nihil horum. Quis ergo venturus est? Quare non « gaudes? Quis venturus est judicare te, nisi qui venit « judicari propter te? Non timeas accusatorem, de « quo ipse dixit : *Princeps hujus mundi ejicietur foras.* « Non timeas malum advocatum : ille enim tibi modò « advocatus est, qui tunc judex futurus est. Ille erit, « et tu, et causa tua; sermo causæ tuæ, testimonium « conscientiæ tuæ. Quisquis ergo futurum Judicem ti- « mes, præsentem conscientiam tuam modò corrige. » Hæc S. Augustinus Enarratione in psalmum 147. Meritò itaque Tertullianus supremi judicii diem vocat *diem Christianæ exultationis*. Bonam causam habeamus, ut futurum judicium non timeamus. « Perditio nostra, « peccatum nostrum; sanguis Christi, pretium no- « strum; resurrectio Christi, spes nostra; adventus « Christi, res nostra. Dicat anima nostra sitiens illi : « *Quandò veniet?* Et : *Sitivit anima mea ad Deum vi-* « *vum.* Optas ut veniat : utinam paratum te invenit. » Verba sunt S. Augustini, sermone 265, aliàs 16, inter editos à Parisiensibus. Dedit Deus metuentibus se significationem, ut fugiant à facie arcûs, ut liberentur ejus dilecti. Igitur « exhorresce quod minatur Omnipo- « tens; ama quod promittit Omnipotens, et vilescit « omnis mundus sive promittens, sive terrens, » inquit S. Augustinus tractatu 5 in Epistolam S. Joannis.

§ III. *Christus Dominus ut homo judicabit. Judicis dotes. Ultima sententia.*

Quamvis judicandi potestas omnibus sanctissimæ Trinitatis personis communis sit, præcipuè tamen Dei Filio eam tribuimus, cui etiam sapientiam convenire dicimus, quamvis tribus personis pariter communem. Judicabit autem Christus, non solùm ut Deus, sed ut homo. *Sicut Pater*, inquit Joan. 5, *habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio habere vitam in semetipso, et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Veniet cum potestate magnâ judicaturus, quia cum magnâ humilitate judicatus. S. August. Enarrat. in Psal. 85 : « Ipse videbitur terribilis, qui visus est « contemptibilis. Demonstrabit potentiam, qui de-

« monstravit patientiam. In cruce patientia erat; in « judicio potentia erit. Apparebit enim homo judi- « cans, sed in claritate. *Sic veniet*, dixerunt angeli, « *quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum.* Forma « ipsa veniet ad judicium; ideò videbunt illum et im- « pii : nam formam Dei non videbunt. Et ubi est : *Vide- « bunt in quem transfixerunt?* Joan. 19. Nisi quia apparet « formam hominis eos visuros ut judicentur, formam « Dei non visuros, nisi qui ad dexteram separabuntur. « Tacuit judicandus, non tacebit judicaturus. » Et serm. 299 : « Occultus hìc fuit, ut non agnosceretur : *Si enim « cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent.* « Cùm ergo hìc jam fuerit occultus in potestate suâ, « tacitus sub alienâ; contrarium erit occultationi quòd « venturum exspectamus, *Deus enim manifestè veniet*, « 1 Cor. 2. Qui priùs venit occultus, veniet manifes- « tus. *Deus noster, et non silebit*, Psal. 49. Siluit oc- « cultus, quia *sicut ovis ad occisionem* ductus est. Siluit « occultus; quia *sicut agnus coram tondente se* sine « voce, sic non aperuit os suum, Isai. 53. Siluit occul- « tus, quia *in humilitate judicium ejus sublatum est.* Si- luit occultus, quia homo tantùm putatus est, sed « *Deus manifestè veniet, Deus noster, et non silebit.* » Manifestè veniet Judex omnipotens, cui resisti non possit; Judex supremus, cujus judicium nemo peccator subterfugere possit, aut ab ipso appellare; Judex sa- pientissimus, quem nihil latere possit, cujus oculi lu- cidiores sole, qui *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*, Apoc. 3; Judex, idemque *testis fidelis* dictorum omnium, factorum, cogitatorum. Judex sanctissimus, *qui peccatum non fecit, neque do- lus inventus est in ore ejus*, Isai. 42; Judex integerrimus et æquissimus, qui *non accipiet personam* cujusque; Judex severissimus, qui tunc *non flectetur, et judicium sine misericordiâ* in eos exercebit, qui misericordiam non fecerunt. *Ipse est*, inquit Apostolorum princeps, Act. 10, *qui constitutus est à Deo judex vivorum et mor- tuorum.* Manifestè veniet, et occultissima facinora, verba, consilia manifestabit. Peccatorum suorum omnium numerum, gravitatem, fœditatem, absque ullo fuco, absque ullo excusationum velo, in suâ quisque conscientiâ intuebitur, ad pœnitentiam infructuosam, quia seram, ad confusionem æternam. Ante faciem illius statuentur peccata, quæ olim post tergum posuit. *Arguam te*, inquit Dominus, Psal. 49, *et statuam contra te faciem tuam. Deus noster tunc non silebit.* « Arguam « te, inquit. Modò te non vides, facio ut videas te. « Quia si videres te, et displiceres tibi, placeres mihi; « quia verò non te videns placuisti tibi, displicebis et « mihi et tibi; mihi, cùm judicaberis; tibi, cùm arde- « bis. *Statuam contra te faciem tuam.* Quid enim vis « latere te ipsum? In dorso tuo tibi es, non te vides : « facio ut tevideas; quod post dorsum posuisti, ante « faciem ponam; videbis fœditatem tuam, non ut cor- « rigas, sed ut erubescas. Modò ergo tu fac, quod « tibi minatur facere Deus. Tolle te à tergo tuo, ubi « te videre non vis dissimulans à factis tuis, et con- « stitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto « tibi judex, torqueat te timor, crumpat à te confes- « sio, et dic Deo tuo : *Quoniam iniquitatem meam ego « cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* « Quod erat post te, fiat ante te : ne tu ipse postea à « Deo Judice fias ante te, et non sit quò fugias à te. » Ita hunc locum explicat S. Augustinus Enarratione in Psalmum 49. Tunc omnia Dei attributa peccatores ac- cusabunt, convincent, damnabunt : Omnipotentia, quòd non obedierint « tantæ potestatis imperio, et « tanto terrentis supplicio, » ut loquitur S. Augusti- nus. Bonitas et misericordia, quòd tot ejus beneficiis ingrati fuerint, quòd Filii ejus Christi Jesu sanguinem irritum duxerint, quòd nullum ex sacramentis fru- ctum ad salutem percipere voluerint, quòd prædica- tione verbi Dei, admonitionibus, bonis exemplis, pro- speris, adversis, creaturis omnibus indignissimè sint abusi. Illis totidem velut testimoniis reprobi convin- centur, ut meritò illa verba Job, cap. 10, usurpare possint : *Instauras testes tuos contra me.* Tunc *pugna- bit orbis terrarum contra insensatos*, Sap. 5. Agnoscent quippe nihil in orbe terrarum fuisse, quo ad Deum promerendum uti non potuissent. Judex severus scru- tabitur *Jerusalem in lucernis*, ipsas *justitias* judicabit. Frustra inclamabunt montibus et petris : *Cadite super nos, et abscondite nos à facie sedentis super thronum, et ab irâ Agni*, Apoc. 6. Christum, à quo averterunt ocu- los, quem conculcaverunt, quem contempserunt, quem iterùm in semetipsis crucifixerunt, videbunt, non jam misericordem Salvatorem, sed terribilem Ju- dicem. « Videbunt in quem transfixerunt, » Joan. 19. Tunc Deus noster non silebit. Nunc loquitur pro nobis ut Advocatus noster; tunc contra nos ut Judex noster. Nunc sanguis ejus pro peccatoribus clamat : tunc ad- versùs reprobos perorabit. Tot ora, quot vulnera. « Inimicis vulnera demonstraturus est sua, ut convin- « cens eos dicat : Ecce hominem quem crucifixistis, « ecce Deum et hominem in quem credere noluistis. « Videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod « pupugistis? Quoniam et per vos, et propter vos aper- « tum est, nec tamen intrare voluistis. » Auctor libri sive sermonis 2 de Symbolo ad Catechum. apud S. August. « Rea stabit anima ante aulas Dei die ju- « dicii, nihil habens dicere. Deum prædicabas, et non « requirebas; dæmonia abominabaris, et illa adora- « bas; judicium Dei appellabas, nec esse credebas; « inferna supplicia præsumebas, et non præcavebas; « christianum nomen sapiebas, et christianum perse- « quebaris. » Verba sunt Tertulliani, libro de Testi- monio animæ, cap. ultimo. Deus noster non silebit. Qui vocem sponsi ad nuptias vocantis, et ad cor lo- quentis contempserunt, vocem Judicis, vocem Domi in virtute, in magnificentiâ, confringentis cedros, vo- cem formidinis et tonitrui audient : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Qui vocanti obtemperare, et ad me venire noluistis, recedite, operarii iniquitatis, inutiles servi, genimina viperarum, qui ex patre diabolo estis, non populus meus : *Ite, maledicti.* Frustra rugient clamore magno, ut miser Esaü, dicentes, Genes. 27 : *Benedic etiam et mihi. Num unam tantùm benedictionem habes? Obsecro*

ut et mihi benedicas. Noluerunt benedictionem, et elongabitur ab eis. Et induent maledictionem sicut vestimentum, et intrabit sicut aqua in interiora eorum, et sicut oleum in ossa eorum. Frustra reponent : *Quò ibimus à Spiritu tuo, et quò à facie tuâ fugiemus?... Ite in ignem æternum*, Psal. 138. Sanctis verò et electis blandè insonabit vox Sponsi ad nuptias invitantis, vox Amici ad æternum convivium, vox Patris ad hæreditatem, vox Domini ad præmia et coronas vocantis : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Igitur « Dei cultores apud Deum semper, superinduti substantiâ propriâ æternitatis; profani verò, et qui non integrè ad Deum, in pœnam æquè jugis ignis, habentes ex ipsâ naturâ ejus, divinâ scilicet, subministrationem incorruptibilitatis. Noverunt et philosophi diversitatem arcani et publici ignis. Ita longè alius est qui usui humano, alius qui judicio Dei apparet, sive de cœlo fulmina stringens, sive de terrâ per vertices montium eructans. Non enim absumit, quod exurit; sed dùm erogat, reparat. Adeò manent montes semper ardentes, et qui de cœlo tangitur, salvus est, ut nullo jam igni decinerescat. Et hoc erit testimonium ignis æterni, hoc exemplum jugis judicii pœnam nutrientis. Montes uruntur, et durant. Quid nocentes, et Dei hostes » ? inquit Tertullianus, Apologetici cap. 48.

Duo porrò tantùm erunt judicandorum ordines : alii à dextris erunt, scilicet electi; alii à sinistris, scilicet reprobi; etiam infantes, qui sine Baptismo decesserunt : adeòque illi in vitam æternam, isti in ignem æternum. Non erit medius locus, ut S. Augustinus ex Evangelio probat contra Pelagianos. « Mitissima tamen « omnium pœna erit eorum qui præter peccatum quod « originale traxerunt, nullum insuper addiderunt : et « in cæteris qui addiderunt, tantò quisque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quantò hìc minorem « habuit iniquitatem. » Verba sunt S. Augustini, in Enchiridio, cap. 94.

Timete Dominum, et date illi honorem : appropinquat enim *hora judicii ejus*, Apoc. 14. *Deus manifestè veniet*, Psal. 49. « Qui venit occultus, veniet manifestus. « Venit occultus judicandus, veniet manifestus judicaturus. Venit occultus ut ante judicem staret, veniet « manifestus, ut etiam de judicibus judicet. *Veniet manifestè, et non silebit.* Quid enim ? Modò silet ? Et unde « sunt quæ dicimus? Unde ista præcepta? Unde ista « monita ? Unde ista tuba terroris? Non silet, et silet : « *Non silet à monendo, silet à vindicando : Non silet à « præcepto, silet à judicio.* Patitur enim peccatores quotidiè mala facientes, Deum non curantes, non in conscientiâ suâ, non in cœlo, non in terrâ : non eum « latent hæc omnia, et universaliter omnes admonet, « et quando aliquos flagellat in terrâ, *admonitio est*, « *nondùm damnatio.* Silet ergo à judicio, occultus in « cœlo est, adhuc interpellans pro nobis. Patiens est « super peccatores, *non exercens iram, sed exspectans « pœnitentiam.* Dicit alio loco, scilicet Isaiæ 42 : *Tacui, « numquid semper tacebo?* Quando ergo non tacebit? « *Deus manifestè veniet, Deus noster, et non silebit.* Ignis « ante ipsum præcedet. Timemus? *Mutemur, et non timebimus. Ignem palea timeat : auro quid facit?* Est « autem nunc in potestate quid facias, ne illud quod et « te nolente venturum est, non correctus experiaris. « Si enim possemus facere, fratres, ut dies judicii non « veniret, puto quia nec sic erat malè vivendum. Si « non veniret ignis die judicii, et sola peccatoribus immineret separatio à facie Dei, in quâlibet essent affluentiâ deliciarum, non videntes à quo creati sunt, « et separati ab illâ dulcedine ineffabilis vultûs ejus, in « quâlibet æternitate et impunitate peccati, plangere « se deberent. Sed quid loquar, aut quibus loquar? « Hæc amantibus pœna est, non contemnentibus. Qui « dulcedinem sapientiæ et veritatis utcumque sentire « cœperunt, noverunt quod dico, quanta pœna sit tantummodò à facie Dei separari; qui autem illam dulcedinem non gustaverunt, si nondùm desiderant Dei « faciem, timeant vel ignem, supplicia terreant, quem « præmia non invitant. Vile tibi est quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur. Veniet dulcedo præsentiæ, non excitaris, non suspiras, non desideras. « Amplexaris peccata tua, et delicias carnis tuæ, stipulam ad te congeris, veniet ignis. *Ignis in conspectu « ejus exardescet.* Non erit iste ignis sicut focus tuus; « quò tamen si manum mitteré cogaris, facies quicquid « voluerit qui hoc minatur. Si tibi dicat : Scribe contra caput patris tui, scribe contra capita filiorum « tuorum; nam si non feceris, manum tuam mitto in « focum tuum : facies ne ardeat manus tua, ne ardeat « ad tempus membrum tuum, non semper in dolore « futurum. Minatur ergo inimicus tam leve malum, et « facis malum ? Minatur Deus æternum malum, et non « facis bonum? Ad malum faciendum nec minæ te compellere deberent : à bono faciendo nec minæ te deterrere deberent. Minis autem Dei, minis æterni « ignis prohiberis à malo, invitaris ad bonum. Unde pi« get, nisi quia non credis? Excutiat ergo unusquisque « cor suum, et videat quid ibi fides teneat. Si timemus « futurum judicium, fratres, benè vivamus. Tempus « misericordiæ nunc est, tempus judicii tunc erit. Pœnitebit et tunc, sed frustra pœnitebit : modò pœniteat, « cùm fructus est pœnitendi; modò adhibeatur ad ra« dices arboris cophinus stercoris, cordis luctus et la« crymarum, ne veniat et eradicet. Cùm enim eradicaverit, jam ignis exspectatur. Modò etsi fracti sunt « rami, possunt rursùs inseri : tunc omnis arbor quæ « non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mitetur. » Hæc S. Augustinus Enarratione in Psalmum 49. Igitur *attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa; tanquàm laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.* Verba sunt Christi Domini, Lucæ 21.

ARTICULUS IX.

Quo Symboli octavus articulus explicatur : CREDO IN SPIRITUM SANCTUM.

Cùm explicita fides in Spiritum sanctum Christianis omnibus sit ad salutem necessaria, si quidem *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti* baptizamur, et fide in tres illas divinæ Trinitatis adorandas Personas remissionem peccatorum accipimus : adeò ut Apostolus Ephesiis quibusdam respondentibus : *Neque si Spiritus sanctus sit, audivimus*, statim rèposuerit : *In quò ergo baptizati estis?* ordine convenienti post ea quæ in Symbolo de homine Christo dicta sunt, *ad veritatem Personæ Unigeniti* pertinentia, ut loquitur S. Augustinus Enchiridii cap. 56, adjungimus *credere nos in Spiritum sanctum, ut illa Trinitas compleatur, quæ Deus est.*

§ I. *Quid propriè significet nomen Spiritûs sancti?*

Cùm nomen Spiritûs sancti æquè de Patre et Filio rectissimè dicatur, uterque enim Spiritus est et sanctus ; siquidem ut Christus ait, Joan. 4, *Spiritus est Deus*, et *Spiritus oris nostri Christus*, ut loquitur Propheta ; cùm etiam angeli, et piorum animæ hâc voce significari possint, in hoc tamen Symboli articulo, Spiritûs sancti nomine tertia Trinitatis persona intelligitur, quo modo in sacris litteris, tum veteris nonnunquàm, tum novi Testamenti frequenter accipitur, ut Psalmo 50 : *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me;* Sapientiæ 9 : *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis;* Ecclesiastici 1 : *Ipse creavit illam in Spiritu sancto.* Matth. 1 : *Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est ;* Luc. 3 : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni;* rursùs Matth. 18 : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Item 2 ad Corinthios 13 : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritûs sit cum omnibus vobis.*

Nemini autem mirum esse debet, quòd tertiæ personæ, quemadmodùm primæ et secundæ proprium nomen tributum non sit. Nam secunda persona ideò proprium nomen habet, et *Filius* dicitur, quia ejus æternus à Patre ortus, propriè generatio vocatur ; ideòque et prima Trinitatis adorandæ persona, à quâ emanat, propriè *Pater* appellatur. Cùm verò tertiæ personæ productioni proprium nomen impositum non sit, sed *Spiratio et Processio* appelletur : sequitur ut etiam quæ producitur, proprio nomine careat. Nullum autem proprium nomen ejus emanatio habet, propterea quòd nomina quæ Deo tribuuntur, à rebus creatis mutuari cogimur ; in quibus quoniam nullam aliam naturæ et essentiæ communicandæ rationem, quàm generandi virtute agnoscimus ; ob eam causam fit, ut rationem quâ seipsum totum Deus vi amoris communicat, proprio vocabulo exprimere non possimus. Ideò communi nomine tertia sanctissimæ Trinitatis persona *Spiritus sanctus* appellata est, ut explicant S. Thomas 1 p., q. 36, a. 1, et concilii Tridentini Catechismus. Unde S. Augustinus, libro 15 de Trinitate, cap. 19, tertiam sanctissimæ Trinitatis personam meritò et Spiritum sanctum et Charitatem propriè nominari dicit ; quia, *cùm sit communis ambobus*, id est, ab utroque procedat ; *id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter.* Et libro 11 de Civitate Dei, cap. 24 : *Cùm sit*, inquit, *et Pater Spiritus, et Filius Spiritus ; et Pater sanctus, et Filius sanctus, propriè tamen ipse vocatur Spiritus sanctus, tanquàm sanctitas substantialis et consubstantialis amborum.* Cùm enimverò nomen spiritûs corporatis in rebus, ex quibus ad divina translatum est, impulsionem quamdam et motionem significet ; unde vento, et halitui ac respirationi viventium nomen spiritûs tribuitur ; cùm verò aliunde proprium sit amoris ut moveat et impellat voluntatem amantis in amatum ; tertia sanctissimæ Trinitatis persona, quæ à Patre et Filio procedit, ut *Amor*, ut *Charitas*, ut *Communio ineffabilis* utriusque, ut Patres loquuntur, rectè *Spiritus* appellatur. Quia verò sanctitas illis tribuitur rebus, quæ in Deum ordinantur ; ideò persona divina quæ procedit ut amor quo Deus amatur, convenienti nomine *Spiritus sanctus* appellatur. Cujus etiam convenientia nominis ex eo intelligitur, quòd spiritualem vitam in nos infundat, ac sine sanctissimi ejus Numinis afflatu nihil æternâ vitâ dignum operari possimus.

§ II. — *Spiritus sanctus verus Deus est, Patri et Filio æqualis.*

Hæc verba Symboli, *Credo in Spiritum sanctum*, manifestè declarant Spiritum sanctum esse verum Deum, Patri et Filio coæqualem. Nemo enim in creaturam ullam credit, aut summam in illâ fiduciam collocat. Id sacrarum litterarum testimonia clarissima confirmant. Nam cùm S. Petrus, Actuum 5, dixisset : *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* mox subdit : *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quem priùs Spiritum sanctum appellaverat, eumdem statim Deum vocat.

Præterea Apostolus, 1 ad Corinthios 12, divina Spiritûs sancti opera beneficiaque percensens, ea promiscuè Deo ac Spiritui sancto velut auctori tribuit : *Divisiones*, inquit, *gratiarum sunt, idem autem Spiritus.. Et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Quibus sigillatim enumeratis, subjungit. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Ubi et Deum apertè vocat Spiritum sanctum, et parem ei atque Patri Filioque dignitatem, auctoritatem, indivisamque operationem tribuit.

Tertiò, quod uni Deo prophetarum adscribunt oracula, id à Spiritu santo pronuntiatum dicit Apostolus Act. 28. Dixerat Isaias, cap. 6 : *Audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam, et quis ibit nobis? et dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere ; et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, et auribus suis audiat.* Quæ verba cùm Apostolus proferret : *Benè*, inquit, *Spiritus sanctus locutus est*

per Isaiam prophetam ad Patres nostros, dicens : Vade ad populum istum, etc. Idem est igitur Dominus Deus ac Spiritus sanctus.

Quartò, idem probat Baptismi formula, in quâ Deo Patri et Filio tertius adjungitur Spiritus sanctus in unum honoris, dignitatis, et efficientiæ consortium; ita ut sine ejus mentione inanis sit hæc actio. Nullum autem fructum ex Baptismo consequeretur, qui in nomine cujusvis creaturæ baptizaretur. Unde Apostolus ad Corinthios scribit 1 Epist. 1 : *Numquid in nomine Pauli baptizati estis?* Ut ostenderet hoc eis nihil ad salutem profuturum esse. Cùm igitur in nomine Spiritûs sancti baptizemur, eum esse Deum credendum est. Baptizamur autem *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, non in nominibus. *Ubi unum nomen audis, unus est Deus.* Sicut de semine Abrahæ dictum est, et exponit Paulus Apostolus : *In semine tuo benedicentur omnes gentes; non dixit in seminibus, tanquàm in multis, sed tanquàm in uno, et semine tuo, quod est Christus;* sicut ergo quia ibi non dicit: *In seminibus*, docere voluit Apostolus, *Quia unus est Christus;* ita et hìc cùm dictum est, *In nomine*, non *in nominibus*, *probatur unus Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.* Animadversio hæc est S. Augustini, Tractatu sexto in Joannem.

Eumdem porrò trium personarum ordinem, quo Spiritûs sancti divinitas comprobatur, observare licet in Epistolâ 1 S. Joannis, cap. 5 : *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt;* tum in illâ glorificationis antiquissimâ formulâ, quâ divinæ laudes et Psalmi concluduntur : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Quæ quidem formula ad antiquam traditionem meritò refertur. Et quamvis nonnulla in præpositione diversitas fuerit; quibusdàm dicentibus, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto;* aliis, *Gloria Patri, per Filium, cum Spiritu sancto;* aliis denique, *Gloria Patri, per Filium, in Spiritu sancto;* eamdem tamen in omnibus istis glorificationis modis vim esse ad Spiritûs sancti divinitatem comprobandam probat S. Basillus, lib. de Spiritu sancto.

Postremò, quæcumque Dei propria esse credimus, ea Spiritui sancto convenire sacræ litteræ testantur. Illi namque templorum honorem tribuunt, ut cùm Apostolus ait 1 Cor. 6 : *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti?* Item sanctificationem et vivificationem, 2 Thessalon. 2 : *In sanctificatione Spiritûs;* et *scrutari omnia, etiam profunda Dei*, 1 Cor. cap. 2; et per prophetas loqui, 2 Petri, 1 : *Non enim voluntate hominis allata est aliquando prophetia sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines;* et ubique esse, Sapientiæ 1 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum; et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Hæc autem omnia divino tantùm Numini tribuenda sunt.

Ex his Scripturarum sacrarum oraculis invicta contra Macedonium, et Macedonianos hæreticos, qui Spiritum sanctum creaturam esse asserebant, argumenta instruxerunt Ecclesiæ Patres, SS. Athanasius, Gregorius Nazianzenus et Nyssenus, Basilius, Ambrosius, Didymus, Cyrillus, Alexandrinus, aliique catholicæ fidei de Spiritûs sancti divinitate vindices, in libris eo de argumento editis. Unicum subtexo S. Augustini locum Enchiridii, cap. 56 : « Spiritus sanctus si creatura, non creator esset, profectò creatura rationalis esset, ipsa est enim summa creatura. Et ideò in regulâ fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia et ipse ad Ecclesiam pertineret in illâ ejus parte quæ in cœlis est. Nec haberet templum, sed etiam ipse templum esset. Templum autem habet, de quo dicit Apostolus, 1 Cor. 6 : *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* De quibus alio loco dicit : *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi?* Quomodò ergo Deus non est, qui templum habet? Aut minor Christo est, cujus membra templum habet? Neque enim aliud templum ejus, aliud templum Dei est, cùm idem dicat Apostolus : *Nescitis quia Dei templum estis.* Quod ut probaret, adjecit : *Et Spiritus Dei habitat in vobis.* Deus ergo habitat in templo suo, non solùm Spiritus sanctus, sed etiam Pater et Filius. »

Quamobrem et concilium Romanum sub S. Damaso pontifice maximo, et Constantinopolitanum primum, inter generalia secundum, impiam Macedonii doctrinam, asserentis Spiritum sanctum esse creaturam, velut hæreticam damnârunt, istiusque hæresis auctorem et sectatores anathemate confixerunt; ejusdemque concilii œcumenici Patres ad illam hæresim refellendam hæc in Symbolo nusquàm interituris apicibus consignata esse voluerunt : *Credimus in Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum; qui locutus est per prophetas.* Quòd Spiritum sanctum *Dominum* confitentur, in eo declarant, quantùm angelis antecellat, qui tamen nobilissimi spiritus à Deo conditi sunt. Illos enim omnes *administratorios spiritus, in ministerium missos, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*, Apostolus esse testatur, Hebr. 1, *Vivificantem* verò appellant, quia anima cùm Deo conjuncta longè meliùs et excellentiùs vivit, quàm corpus animæ, conjunctione vegetetur ac sustentetur. Hanc autem animæ cum Deo conjunctionem sacræ litteræ Spiritui sancto tribuunt; ideòque Spiritus vivificans rectè appellatur.

Frustra contra Spiritûs sancti divinitatem Macedoniani hæretici objiciebant illa Christi verba, Joannis 6 : *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à seipso, sed quæcumque audiet loquetur.* Non enim istius sententiæ sensus est, quòd Spiritus sanctus ea tantùm loqui possit, quæ audit, instar legati qui ab alio mittitur et docetur; sed quòd scientiam non habeat à seipso, sicut nec essentiam, quam accipit à Patre et Filio, à quibus procedit. *Audire, illi scire est; scire verò, esse*, inquit S. Augustinus Tractatu 99 in Joannem; *quia ergo non est à semetipso, sed ab illo à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia; ab illo igitur audientia, quod nihil est*

aliud quàm scientia; nec movere quemquam debet, quòd verbum futuri temporis positum sit: *Quæcumque audiet, loquetur*. « Illa quippe audientia sempiterna est, « quia sempiterna scientia. In eo autem quod sempi- « ternum est, sine initio et sine fine, cujuslibet tem- « poris verbum ponatur, sive præteriti, sive præsentis, « sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim « natura illa immutabilis et ineffabilis non recipiat, « fuit et erit, sed tantùm est, tamen propter mutabi- « litatem temporum in quibus versatur nostra morta- « litas et nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, « et fuit, et erit, et est. Fuit, quia nunquàm defuit; « erit, quia nunquàm deerit; est, quia semper est. « Semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper « scit; ergo et scivit, et scit, et sciet; ac per hoc et « audivit, et audit, et audiet; quia hoc est illi audire, « quod scire, et scire illi hoc est, quod esse. Ab illo « igitur audivit, audit, et audiet, à quo est; ab illo est, « à quo procedit. »

Quòd autem Spiritus sanctus dicitur *scrutari profunda Dei*, non significat hic loquendi modus inquisitionem eorum quæ occulta sunt et ignota, sed ibi usurpatur hoc verbum *scrutari*, prout significat perfectè nôsse, non obscurè, et quasi perfunctoriè. Sic Deus, cui cordium nostrorum omninò explorata sunt arcana, *renes et corda scrutari* dicitur, Jerem. 17. *Nemo* autem *inferior superioris scrutatur interna; divinæ enim solius est potestatis occulta novisse. Similiter ergo scrutator est Spiritus sanctus ut pater, similiter scrutator et Filius cujus proprietate sermonis id exprimitur; ut videatur nihil esse quod nesciat, quem nihil præterit;* inquit S. Ambrosius libro 2 de Spiritu sancto, cap. 11.

Denique cùm ait Apostolus ad Romanos 8: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, non significat quòd gemitus et oratio Spiritui sancto conveniant, sed quòd gratiâ suâ et efficaci in nobis operatione charitatis, quam in cordibus nostris diffundit, nos orantes faciat, nosque docceat orare et gemere, ut explicant Origenes in Commentario hujus loci, et S. Augustinus, epist. 130 ad Probam, aliàs 121.

§ III. *Spiritus sanctus à Patre et Filio procedit.*

Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, dogma fidei est, in conciliis generalibus Lugdunensi 2 sub Gregorio X, et Florentino sub Eugenio IV pontificibus maximis, declaratum, finitum ac firmatum contra Græcorum errorem, qui bis in conciliis ejurato schismate, professi sunt cum Ecclesiâ Latinâ processionem Spiritûs sancti a Patre et Filio, quam antea pertinaciter negabant; quamvis, ut leve ac instabile est nationis hujus ingenium, ab Ecclesiæ unitate rursus defecerint, ac in pristinos errores sunt prolapsi. In concilio porro Florentino convicti sunt a Latinis præsulibus ac doctoribus, luculentis et perspicuis testimoniis Græcorum pariter atque Latinorum Patrum, qui summo consensu asserunt Spiritum sanctum a Patre et Filio, aut, quod idem est, a Patre per Filium procedere; ex substantia Patris et Filii esse; Filium fontem esse Spiritus sancti; Spiritum sanctum proprium esse Fili, consubstantialem Filio, imaginem esse Filii, et alia id genus, quæ illius originem à Filio manifestè probant.

Divinarum autem litterarum auctoritate Catholicum dogma de processione Spiritûs sancti à Patre et Filio maximè nititur. Nam Christus Dominus, cùm de Spiritu sancto loqueretur, Joannis 16 dixit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Omnia quæ Patris sunt, filii sunt; idcircò quidquid à Patre accipit Spiritus sanctus, à Filio accipit; potestatem, scientiam, essentiam, quæ omnia in Deo unum sunt.

Præterea in Scripturis sacris Spiritus sanctus nonnunquàm Spiritus Christi, interdùm Spiritus Patris appellatur: modò à Patre, modò à Filio mitti dicitur, ut æquè à Patre et Filio procedere, tanquàm ab uno principio, non obscurè significetur. Rom. 8: *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus;* et ad Galatas cap. 4: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater.* Matth. 10: *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum Veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* « Cur ergo non credamus quòd etiam de « Filio procedat Spiritus sanctus, cùm Filii quoque « ipse sit Spiritus? Si enim ab eo non procederet, non « post resurrectionem se repræsentans discipulis suis « insufflâsset, dicens: *Accipite Spiritum sanctum*, Joan. « 20. Quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi « quòd procedat Spiritus sanctus et de ipso? Si ergo « et de Patre et de Filio procedit Spiritus sanctus, cur « Filius dixit: *De Patre procedit?* Cur putas, nisi « quemadmodùm ad eum solet referre et quod ipsius « est, de quo et ipse est? Unde illud est quod ait Joan. 7: « *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Si « igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen « dixit non suam, sed Patris; quantò magis illic in- « telligendus est et de ipso procedere Spiritus sanctus, « ubi sic ait: *De Patre procedit*, ut non diceret, de me « non procedit! A quo autem habet Filius ut sit Deus, « est enim de Deo Deus; ab illo habet utique ut etiam « de illo procedat Spiritus sanctus, ac per hoc Spiritus « sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit « de Patre, ab ipso habet Patre. » Sic disserit S. Augustinus Tractatu 99 in Joannem. Hinc etiam intelligitur, cur non dicatur natus esse, sed procedere Spiritus sanctus. « Quoniam si et ipse Filius diceretur, ambo- « rum utique Filius diceretur, quod absurdissimum « est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris et « matris. Absit autem ut inter Deum Patrem et Deum « Filium tale aliquid suspicemur. Quia nec filius ho- « minum simul et ex patre et ex matre procedit; sed « cùm in matrem procedit ex patre, non tunc proce- « dit ex matre, et cùm in hanc lucem procedit ex « matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem « sanctus non de Patre procedit in Filium, et de Filio « procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de « utroque procedit; quamvis hoc Filio Pater dederit, « ut quemadmodùm de se, ita de illo quoque proce-

« dat. Neque enim possumus dicere quòd non sit vita « Spiritus sanctus; cùm vita Pater, vita sit Filius. Ac « per hoc sicut Pater, cùm habeat vitam in semetipso, « dedit et Filio habere vitam in semetipso : sic ei de- « dit vitam procedere de illo, sicut procedit et de ipso. » Hæc S. Augustinus ibidem. Rationem alteram affert S. Augustinus, libro 5 de Trinitate, cap. 14, cur Spiritus sanctus non sit Filius quia scilicet procedit : « Non quomodò natus, sed quomodò datus; neque « enim natus est sicut Unigenitus, neque factus ut per « Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicut nos. « Sicut autem Pater et Filius unus Deus, et ad crea- « turam relativè unus Creator et unus Dominus; sic « relativè ad Spiritum sanctum unum principium. »

Quamobrem Ecclesia in Symbolo Constantinopolitano profitetur et canit de Spiritu sancto : *Qui à Patre Filioque procedit.* Et in Symbolo, quod S. Athanasii nomen præfert : *Spiritus sanctus à Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Hæc autem particula, *Filioque*, non ab ipsis concilii Constantinopolitani Patribus inserta Symbolo est, sed ab Ecclesiâ sequentibus seculis convenienter addita, ad majorem explicationem fidei. Nam *Spiritum sanctum ex Filio procedere*, virtute continetur in illâ sententiâ : *Qui ex Patre procedit*, quam Symbolum Constantinopolitanum, sensu à Nicæno nullatenùs diversum, explicationis gratiâ habet.

§ IV. *Spiritûs sancti nomina attributa et effectus.*

I. Diversa nomina Spiritui sancto in sacris litteris tribuuntur. Ab operationibus suis vocatur Spiritus sapientiæ, intellectûs, consilii, scientiæ, fortitudinis, pietatis, et timoris Domini, quia hæc dona in hominibus operatur. *Digitus Dei*, Luc. 11, dicitur, in quo Christus ejiciebat dæmonia; *Spiritus Paracletus*, Joan. 15, id est, consolator, quia consolatur nos in omni tribulatione nostrâ; sive *Advocatus*, Rom. 8, quia postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, ad postulandum nos movet; unde et *Spiritus precum* à prophetâ Zach. 12 nuncupatur. *Spiritus rectus*, qui deducit nos in viam rectam, à terrenis affectibus nos purgans, et ad cœlestia subvehens, à circuitu in quo ambulant impii, nos revocans; et in viam rectam mandatorum Domini reducens. *Spiritus principalis*, Psal. 50, qui confirmat nos, ut nullis erroribus, terroribus, aut amoribus hujus mundi à Christo separari valeamus. *Spiritus bonus*, Luc. 11, quem dat Deus petentibus eum. *Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*, Rom. 8. Tribuitur autem inprimis Spiritui sancto bonitas et charitas; imò ipse « Amor est et Charitas substantialis et consubstan- « tialis Patris et Filii, quâ uterque conjungitur, quâ « genitus à gignente diligatur, generatoremque suum « diligat; » ut loquitur S. Augustinus, libro 6 de Trinitate, cap. 5, et libro 15, cap. 19; necnon Tractatu 105 in Joannem. Quod et concilium Toletanum XI confirmat. Hic pax summa et incomprehensa divinarum personarum est. « Tanta, inquit S. Augustinus, « tract. 14 in Joannem, ibi est charitas Spiritûs san- « cti, tanta pax unitatis, ut de singulis cùm interroga- « tur, Deus tibi respondeatur; de Trinitate cùm inter- « rogatur, Deus tibi respondeatur... Si Charitas de tot « animis fecit animam unam, et de tot cordibus fecit « cor unum, quanta est charitas inter patrem et Fi- « lium? Major utique potest esse quàm inter illos ho- « mines quibus erat cor unum. Si ergo multorum « fratrum cor unum propter charitatem, et multorum « fratrum anima una propter charitatem : Deus Pater « et Deus Filius dicturus es quia duo sunt? Si duo dii « sunt, non est ibi summa charitas. Si enim hic tanta « charitas est ut animam tuam, et animam amici tui « unam animam faciat, quomodò non est ibi unus « Deus Pater et Filius? » Hinc S. Bernardus, sermone 8 in Cantica, Spiritum sanctum Osculum Patris et Filii appellat, qui utriusque *imperturbabilis pax* sit, *gluten firmum, individuus amor, individua unitas;* et Sermone 1, in Octavis Paschæ : *Spiritus*, inquit, *est indissolubile vinculum Trinitatis, per quem sicut Pater et Filius unum sunt, sic et nos unum sumus in ipsis.*

II. *Donum* etiam appellatur Spiritus sanctus. Donatio enim propriè appellatur, cùm quis dat aliquid eà mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, idque sponte omninò, et nullâ necessitate nec propter ullam aliam causam, quàm ut liberalitatem et munificentiam exerceat. Ratio autem gratuitæ donationis est amor. Ideò enim aliquid gratis alicui damus, quia illi bonum volumus. Amor igitur primum donum est, per quod cætera donantur. Unde cùm Spiritus sanctus à Patre et Filio procedat ut amor, primum donorum omnium est quæ in creaturas à Deo impenduntur, ac per ipsum deinceps reliqua donantur. Porrò Spiritum sanctum personale Dei donum esse multis Scripturæ sacræ testimoniis demonstratur. Inprimis ex illis Christi ad mulierem Samaritanam verbis, Joan. 4 et 7 : *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere; tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* Aquam autem vivam de Spiritu sancto alibi S. Joannes interpretatur. Igitur Spiritus sanctus est Dei donum. Idem colligitur ex his S. Pauli verbis : *Unicuique nostrûm datur gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Hæc enim Christi donatio sive donum, Spiritus sanctus est; siquidem *Ascendens Christus in altum dedit dona hominibus*, id est, Spiritum sanctum. Et ex S. Petro in Actis Apostolorum : *Baptizetur unusquisque vestrûm, et accipietis donum Spiritûs sancti.* Donum autem Spiritûs sancti nihil est aliud hoc in loco quàm Spiritus sanctus. Porrò ob hoc *dona* dixerunt et Propheta et Apostolus « quia per donum quod est Spiritus sanctus, in com- « mune omnibus membris Christi multa dona, quæ sunt « quibusque propria, dividuntur. Non enim singuli qui- « que habent omnia, sed hi illa, alii alia; quamvis ipsum « donum à quo cuique propria dividuntur, omnes ha- « beant, id est, Spiritum sanctum, inquit S. Augusti- « nus, libro 15 de Trinitate, cap. 19. In tantùm porrò « donum Dei est, in quantùm datur eis quibus datur. « Apud se autem Deus est, et si nemini detur, quia « Deus erat Patri et Filio coæternus antequàm cui-

« quam daretur. Nec quia illi dant, ipse datur, ideò « minor est illis. Ita enim datur sicut donum Dei, ut « etiam seipsum det sicut Deus. Non enim dici potest « non esse suæ potestatis, de quo dictum est, « Joan. 3 : *Spiritus ubi vult spirat;* et apud Apostolum, 1 Cor. 12 : *Omnia hæc operatur unus atque « idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult.* « Non est illic conditio dati et dominatio dantium, « sed concordia dati et dantium. Quapropter si sancta Scriptura proclamat, *Deus charitas est*, illaque « ex Deo est, et in nobis id agit ut in Deo maneamus, « et ipse in nobis, et hoc inde cognoscimus, quia de « Spiritu suo dedit nobis, ipse Spiritus est Deus charitas. Deinde si in donis Dei nihil majus est charitate, et nullum est majus donum Dei quàm Spiritus « sanctus, quid consequentius quàm ut ipse sit charitas, qui dicitur et Deus, et ex Deo? »

Cùm donum sit Spiritus sanctus, et donum referatur et ad eum qui dat, et ad eos quibus datur, Spiritus est et Dei qui dedit, et noster qui accepimus. Et quamvis ex tempore sit donatus, ab æternitate tamen donum est, quia « sic procedebat ut esset donabile. « Aliter enim intelligitur cùm dicitur donum, aliter « cùm dicitur donatum. Nam donum potest esse et « antequàm detur; donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest, » inquit S. Augustinus, libro 5 de Trinitate, cap. 15. Ideò verò Scriptura sacra et Patres *Spiritum sanctum donum Dei* esse prædicant, *ut Deum credamus non seipso inferius Donum dare*, inquit idem sanctus doctor, libro de Fide et Symbolo, cap. 9.

III. Datur autem nobis Spiritus sanctus, ut nos vitâ gratiæ vivificet atque sanctificet. Hinc Deus per Prophetam Ezech. 37 : *Dabo*, inquit, *vobis Spiritum, et vivetis.* Hinc S. Basilius, libro de Spiritu sancto, cap. 9, Spiritum sanctum vocat *sanctificationis originem.* Item *substantiam vivam, sanctificationis arbitram.* Ideò et alii Græci Patres duo quædam Adamo, cùm primùm creatus est, à Deo indita fuisse docent, imaginem scilicet Dei, quæ in ratione ac sui juris arbitrio consistit, et similitudinem, quæ virtute ac sanctitate constabat. Hunc posteriorem statum per Spiritum sanctum illius animæ tributum fuisse, quo Deus eam afflavit. Hoc enim esse *spiraculum vitæ*, quod Deus inspirâsse homini de terrâ formato legitur; Spiritum, inquam, sanctum illi existimant appellari istum Dei afflatum, qui divinam in nobis similitudinem efficeret; quæ cùm primi hominis culpâ funditùs extincta esset, eam à secundo Adamo Christo Domino reparatam fuisse, eodem restituto Spiritu; quem etiam ad illud significandum, Apostolis suis halitu suo inspiravit, Joannis 20. Sic inter alios S. Cyrillus Alexandrinus, libro 13 Thesauri : « Participes facti Spiritûs, inquit, ad Condi« toris imaginem formamur. Manifestum igitur est, si« militudinem hanc cum Deo obtineri non posse, nisi « particeps quispiam sit sancti Spiritûs. Rursùs verò « Redemptor noster, ut in homine statutum illum, qui « ad imaginem erat, instauraret, insufflavit discipulis « suis, dicens : *Accipite Spiritum sanctum.* Quod igitur « habet renovatio, hoc ipsum omninò antiquiorem « illum statum habuisse par est intelligere. Quamobrem perfectam divinæ substantiæ imaginis expressionem Spiritûs sancti participatio largitur homini. » Itaque Spiritus sanctus est *Spiritus qui vivificat.* Ille est ex quo in Baptismo renascimur, *eodem* scilicet *Spiritu replente fontem qui replevit et Virginem*, ut loquitur S. Leo ; ille qui vim sanctificandi aquis tribuit; in cujus rei typum initio mundi *ferebatur super aquas*, Gen. 1. Ne mirum sit in Baptismo si aquæ animare noverunt... Supervenit Spiritus de cœlis, et aquis super est, sanctificans eas de semetipso; et ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt, inquit Tertullianus, libro de Baptismo, c. 3 et 4. Eâ autem regeneratione cœlesti spiritales homines efficimur per Spiritum sanctum. « Quod *enim* natum est ex carne, caro est ; et quod natum est ex Spiritu, Spiritus est, » Joan. 3. Vitam illam spiritalem reparat, si quando ab eâ per peccatum excidimus; siquidem à peccato resurgere sine ipsius Numine non possumus. Unde cùm Apostolus, 1 ad Corinthios 6, gravissima peccatorum genera percensuisset, subdit : *Et hæc quidam fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* Anima nostra charitate vivit, vita enim animæ Deus est : *Deus* autem *charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, Joan. 4. At *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, Rom. 5. Hic est qui nos justos facit. In Christum enim credentes *signati* sumus *Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Ephes. 1. Gratiâ sanctificante, quam nobis impertit, naturæ divinæ participes efficimur, filii Dei nominamur, et verè sumus. Est siquidem *Spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater.* « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. » Rom. 8.

Non solùm autem hominem sanctificat Spiritus sanctus, sed et angelos sanctificavit, non solùm homines sanctos qui post Christi adventum vixerunt, sed et illos qui ante illius adventum Deo placuerunt, qui sub lege non erant, sed sub gratiâ, et ad novum Testamentum pertinebant, implentes legem Dei fide quæ per dilectionem operatur, in spe bonorum non temporalium, sed æternorum; præcipuè credentes in mediatorem Christum venturum, per quem sibi non dubitabant Spiritum gratiæ subministrari, ut benè mandata legis implerent, et sibi ignosci posse cùm peccarent, ut loquitur S. Augustinus.

IV. Non solà porrò gratiæ et charitatis, virtutum que ac donorum cæterorum infusione, sed intimâ, substantivâ et personali sui Numinis inhabitatione sanctificat nos Spiritus sanctus, ut SS. Patres docent. *Si quis diligit me*, inquit Christus, *sermones meos servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. In hoc cognoscimus*, inquit S. Joannes, *quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam ipse de Spiritu suo dedit nobis.* Non ita verò Pater et Filius ad nos

veniunt, ut iis advenientibus Spiritus sanctus abscedat, qui templum illis cordis nostri paravit et adornavit, sed ut simul cum illis in templo quoque suo inhabitet ac maneat. *Alium Paraclctum dabit vobis*, inquit Christus, *ut maneat vobiscum in æternum... Apud vos manebit, et in vobis erit.* Quomodò enim fingi posset divinas personas, quæ sibi mutuò inexistunt, non solùm propter unitatem summam et incomprehensam voluntatis, concordiæ, charitatis, sed etiam essentiæ ac deitatis, ab invicem posse divelli in humani animi inhabitatione? Quomodò Filio adveniente recederet Spiritus sanctus, qui Christo semper adest ut ejus Patrisque Spiritus? *Nascitur Christus*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *præcurrit Spiritus. Baptizatur ille; hic testimonium fert. Tentatur ille; hic adducit. Miracula edit ille; hic comes est. Ascendit ille; hic succedit.* Nec tamen sic succedit, ut Christus abscedat, qui dixit : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi;* et : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus;* et per Apostolum : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Neque hoc sensu *vicariam vim Spiritûs sancti* Tertullianus appellat, quòd ab Ecclesiâ suâ, vel à justorum animabus Christus absit, nec eas deitate suâ et substantivâ præsentiâ inhabitet, aut quasi sit inferior Spiritus sanctus Filio, cujus ratione quâdam vicarius dicitur, sed quia corporalis Christi præsentiæ vices supplet; ipsiusque humanitate hominum oculis ablatâ, illos ex carnalibus efficit spiritales, humano affectu quo sacræ humanitati hærebant mutato, et in spiritalem affectum, quod munus est Spiritûs sancti, converso. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos*, inquit Christus Dominus, Joan. 16. « Hoc est, mitto vobis donum quo efficiamini spiritales : donum scilicet Spiritûs sancti. Spiritales autem « fieri non poteritis, nisi carnales esse destiteritis. « Carnales verò esse desistetis, si forma carnis à vestris « oculis auferatur, ut forma Dei vestris cordibus inseratur. » Sic explicat S. Augustinus, sermone 170, aliàs 22 ex editis à Sirmondo. Atque ex hâc inhabitatione Spiritûs sancti in nobis ejus divinitatem Patres confirmant; inter alios S. Cyrillus Alexandrinus, libro 1 in Joannem. « Eam ob rem, inquit, dii nuncupamur, non gratiâ solùm ad supernaturalem gloriam « evecti, sed quòd Deum jam in nobis habitantem at« que diversantem habeamus, juxta illud Prophetæ : « *Quia habitabo in ipsis, et inambulabo inter eos.* Alio« qui respondeant nobis quomodò templa Dei simus, « juxta Paulum, inhabitantem in nobis Spiritum ha« bentes, nisi Spiritus sit naturâ Deus? »

Et S. Augustinus libro 1 de Moribus Ecclesiæ catholicæ, cap. 13. « Fit ergo per charitatem, inquit, ut « conformemur Deo, et ex eo conformati atque confi« gurati, et circumcisi ab hoc mundo, non confunda« mur cum iis quæ nobis debent esse subjecta. Fit « autem hoc per Spiritum sanctum. *Spes enim*, inquit, « Rom. 5, *non confundit, quoniam charitas Dei diffusa « est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui da« tus est nobis.* Nullo modo autem redintegrari posse« mus per Spiritum sanctum, nisi et ipse semper inte« ger et incommutabilis permaneret. Quod profectò « non posset, nisi Dei naturæ esset ac ipsius substan« tiæ, cui soli incommutabilitas, atque, ut ità dicam, « invertibilitas semper est. *Creatura enim vanitati sub« jecta est*, Rom. 8. Neque nos potest à vanitate se« parare, veritatique connectere, quod subjectum est « vanitati. Et hoc nobis Spiritus sanctus præstat; « creatura igitur non est. Quia omne quod est, aut « Deus, aut creatura est. »

V. Quod Spiritus sanctus vita sit animarum, nemo negaverit, qui infusam animæ vitam immortalem Spiritûs sancti aliquandò in corpora noverit refundendam, ut ad vitam gloriosam et æternam suscitentur, ut docet Apostolus ad Romanos 8 : *Quòd si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Ille est per quem Christianus vivit, quo nisi intùs vegetetur, verè dicere non potest : *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*, Galat. 2. Non sufficit habere Baptismum Christi, nisi habeas et Spiritum Christi. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, Rom. 8. Ad Christi corpus pertinere videtur, et membrum illius esse secundùm formam externam, sed reverà membrum mortuum et aridum est : « Habet formam, sed non habet vitam. Quæris ab illo « sacramentum, invenis; quæris Baptismum, invenis; « quæris Symbolum, invenis. Forma est; nisi intùs « Spiritu vegeteris, frustra foris de formâ gloriaris. » Verba sunt S. Augustini, sermone 268, aliàs 20 ex editis à Sirmondo. Spiritus sanctus facultates animæ habitusque omnes impellit ad vitæ opera. Ille est *unctio* quæ *docet nos de omnibus* ad salutem necessariis. *Ille*, inquit Christus, *docebit vos omnem veritatem... Ille vos docebit omnia, et suggerat vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Joan. 14. Non sufficit legis scientia monens exteriùs, nisi adsit magister intùs docens et ad cor loquens, Spiritus sanctus. Ille est qui in sanctis loquitur : *Non enim vos estis qui loquimini*, ait Christus, *sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Ille est qui refellebat et vincebat per S. Stephanum eos *qui non poterant resistere Sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.* Ille est sine quo non possumus *dicere Dominum Jesum.* Ille est cujus tam multiplex vitæ fructus in sanctis efflorescit, Apostolo teste : *Fructus autem Spiritûs est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Ili vitæ multiplices fructus, de Spiritu sancto per animam, quam vegetat, pullulantes.

VI. Sed eo præsertim nos vivificat, quòd charitatem in cordibus nostris diffundit; imò ipse charitas subsistens est. Unde S. Augustinus, libro 8 de Trinitate, cap. 8 : « Amplectere, inquit, dilectionem Deum, « et dilectione amplectere Deum. Ipsa est dilectio « quæ omnes bonos angelos et omnes Dei servos con« sociat vinculo sanctitatis; nosque et illos conjungit « invicem nobis, et subjungit sibi. » Nonnisi Deo diligi potest Deus. Deus est quem diligimus; Deus quo diligimus. Infunditur Deus ipse, seque ipsum dat no-

bis, ut diligatur seipso. « Dedit seipsum quem di-« leximus, dedit unde diligeremus. Quid enim dedit « unde diligeremus, apertiùs audite per Apostolum « Paulum, Rom. 5 : *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est « in cordibus nostris*. Unde? Num fortè à nobis? Non. « Ergo unde? *Per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. « Idcò est consequens, ut quia Spiritus sanctus Deus « est, nec diligere possumus Deum nisi per Spiritum « sanctum amemus Deum de Deo. »

VII. Spiritum sanctum bis Apostolis suis dedit Christus, post resurrectionem scilicet suam, et post ascensionem. *Unum dedit, et unus dedit, unitati dedit*, et tamen bis dedit Primò, postea quàm resurrexit, dixit discipulis suis : *Accipite Spiritum sanctum*, Joan. 20. Et insufflavit in faciem eorum. Deinde promittit adhuc se missurum Spiritum sanctum, Luc. 24 : *Et ego*, inquit, *mitto promissum Patris mei in vos ; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini Virtute ex alto*. Decem post ascensionem suam diebus promissum implevit, Spiritum sanctum misit. Bis autem dedit Spiritum sanctum, ut duo præcepta charitatis commendaret. « Una charitas, et duo præcepta ; unus « Spiritus, et duo data. Non enim alius datus est priùs, « et alius datus est postea, quia non alia charitas di-« ligit proximum, quàm illa quæ diligit Deum. Sed « quia aliud est Deus, aliud proximus, unâ charitate « diliguntur, non sunt tamen unum qui diliguntur ; « quia ergo magna est, primitùs commendanda dilectio « Dei, secunda dilectio proximi ; à secundâ autem in-« cipitur ut ad primam perveniatur : *Si enim fratrem « quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodò « diligere poteris?* 1 Joan. 4. Idcò fortè informans nos « ad dilectionem proximi, dedit in terrâ conspicuus, « et proximis proximus Spiritum sanctum, insufflando « in faciem eorum ; et ab hâc maximè charitate quæ « in cœlis est, de cœlo misit Spiritum sanctum. Spi-« ritum sanctum accipe in terrâ, et diligis fratrem ; « accipe de cœlo, et diligis Deum ; quia et in terrâ « quod accepisti, de cœlo est. In terrâ Christus dedit, « sed de cœlo est quod dedit. Ille enim dedit, qui de « cœlo descendit. Hic invenit cui daret, sed inde at-« tulit quod daret. »

VIII. Quia verò denario numero lex decem præceptis constans significatur, Spiritum sanctum decimo post ascensionem suam die Christus in Ecclesiam suam misit, ut legem per gratiam sancti Spiritûs impleri demonstraret. *Littera* enim *occidit, Spiritus autem vivificat*, 2 Cor. 3. Ergo missus est Spiritus sanctus ut lex impleretur, et fieret quod ipse Dominus dixerat, Matth. 5 : *Non veni solvere legem, sed adimplere*. Hoc donat fidelibus, hoc donat eis quibus dat Spiritum sanctum. « Quantò fit eò quisque capacior, « tantò ad operandam legem fit facilior. Nam *charitas « implet legem*. » Ita S. Augustinus sermone 270, aliàs 22, ex editis à Sirmondo. Et libro de Spiritu et Litterâ, cap. 19 : « Lex, inquit, sine adjuvante Spiritu « procul dubio est littera occidens ; cùm verò adest « vivificans Spiritus, hoc ipsum intùs conscriptum « facit diligi, quod foris scriptum lex faciebat timeri. » Et cap. 21 : « Quid sunt ergo leges Dei ab ipso Deo « scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritûs « sancti, qui est digitus Dei, quo præsente diffunditur « charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis « est, et præcepti finis? »

IX. Spiritum sanctum jam habebant in se manentem discipuli Christi ; in se inhabitantem habuerant quotquot per Christi venturi fidem fuerant ante illius Passionem, et adventum sanctificati ; sed tamen visibili modo in homines missus non fuerat, neque cum eâ spiritalium donorum copiâ effusus ac datus. *Nondùm erat Spiritus datus, quia nondùm Jesus erat glorificatus*. Unde S. Leo, sermone 2 de Pentecoste, ait : « Cùm « in die Pentecostes discipulos Domini Spiritus san-« ctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed ad-« jectio largitatis, quoniam et patriarchæ, et pro-« phetæ, et sacerdotes, et omnes sancti qui prioribus « fuêre temporibus, ejusdem sunt Spiritûs sancti san-« ctificatione vegetati. » Accepit Christus primitias naturæ nostræ, ac Spiritûs sancti gratiam nobis retribuit. Et quemadmodùm post diuturnum bellum fieri solet, cùm dirempta pugna fuerit, et confecta pax, qui sibi invicem infensi erant, pignora mutuò sibi dant et obsides ; sic inter Deum et naturam humanam evenit. « Pro pignoribus et obsidibus ipsa « primitias misit, quas in cœlum tulit Christus. Nobis « ille Spiritum sanctum pignoris et obsidis loco remi-« sit, » inquit S. Joannes Chrysostomus sermone de sanctâ Pentecoste. Hinc Apostolus 2 ad Corinthios 1 : *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus ; qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris*. Quòd in fide firmi ac immobiles stamus, non nostræ facultatis est, sed divini muneris, sed Spiritûs sancti, qui et Apostolos die sacro Pentecostes confirmavit, ut Christi nomen et Evangelium intrepidè prædicarent. Eodem Spiritu interiùs uncti sumus et signati, divinâque illâ unctione, prophetæ, sacerdotes et reges effecti. Nam et futurum est ut regno cœlesti potiamur, et jam reges sumus, si nostris cupiditatibus dominemur ; sacerdotes verò, cùm corpora et membra nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem offerimus ; prophetæ tandem : ea enim nobis patefacta sunt : *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit*, 1 Cor. 2. Quæ ut aliquando nos consecuturos confidamus, arrham et pignus dedit Christus Spiritum sanctum, *ut hujus pignore totum te accepturum confidas*, inquit S. Joannes Chrysostomus homiliâ 5 in Epistolam secundam ad Corinthios.

X. Spiritûs sancti descensus in Apostolos et discipulos Christi, sive in totam Ecclesiam in cœnaculo congregatam, Joelis 2 prædictus, et die Pentecostes impletus, Actuum cap. 2 describitur. In specie linguarum ignearum apparuit, et supra singulos sedit : qui in columbæ specie supra Christum descenderat et manserat, cùm in Jordane baptizatus est à Joanne. Verus fuit ignis in formâ linguarum dispertitus, vera columba. non enim decebat ut homines falleret Spiritus veritatis ; sed neque columba, neque linguæ igneæ à Spiritu sancto in unitatem personæ assumptæ sunt, sed tantùm

ut signa ejus numini servierunt. *Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tanquàm ignis*, Act. c. 2, v. 3, ut significaretur eumdem Deum, qui legem Mosi in monte Sinâ, in medio ignis dederat, Exod. 19, nunc legem novam, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, digito suo, id est, Spiritu sancto scriptam, in igne mentes illuminante, animos accendente, peccatorum spinas consumente, sancire, promulgare. « Sicut Hebræo quondam populo ab Ægyptiis liberato, « quinquagesimo die post immolationem agni lex data est in monte Sinâ, inquit S. Leo, ita post Passionem Domini, quâ verus Dei Agnus occisus est, quinquagesimo à Resurrectione ipsius die, in Apostolos « plebemque credentium Spiritus sanctus illapsus est; « ut facilè diligens Christianus agnoscat initia veteris « Testamenti evangelicis ministrâsse principiis, et ab « eodem Spiritu conditum fœdus secundum, à quo « primum fuerat institutum. »

Secundò, Spiritus sanctus in igneis linguis apparuit, ut illius operatio propria designaretur. Quamvis enim in tribus divinis personis nec substantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis, nec operationis sit ulla diversitas, « ita « tamen divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius « propitiaret, Spiritus sanctus ignire, » inquit S. Leo sermone 3 de Pentecoste. Lumen est scilicet ac ignis divinus, ignis charitas qui et *verbum Domini lucidum* et *eloquium ignitum*, Apostolis subministravit, « cui ad « creandum intellectum, consumendumque peccatum, « et efficacia illuminandi, et vis inesset urendi. Hic inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, et totius est causa virtutis. » Illaque significatio, quæ in specie ignis apparuit, et opere perseverat, et munere. « Ipse enim Spiritus veritatis « facit domum gloriæ suæ luminis sui nitore fulgere, « et in templo suo nec tenebrosum aliquid vult esse, « nec tepidum. » Verba sunt S. Leonis sermone 1 de Pentecoste.

XI. In specie linguarum Spiritus sanctus advenit, 1° ut singulis Apostolis orbis terrarum regiones docendas veluti distribueret, eisque demandatam à Christo prædicandi Evangelii provinciam confirmaret, dotesque ad ministerium exequendum necessarias se impertire significaret. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*, inquit S. Lucas Actuum 2. « O quàm « velox est sermo sapientiæ, et ubi Deus magister « est, quàm citò discitur, quod docetur! Non est adhibita interpretatio ad audiendum, non consuetudo « ad usum, non tempus ad studium, sed spirante ubi « voluit Spiritu veritatis, propriæ singularum gentium « voces factæ sunt in Ecclesiæ ore communes, » inquit S. Leo loco citato. 2° In specie linguarum apparuit, ut terrarum orbem in unitatem fidei congregaret. Cùm enim olim homines superbiâ elati turrim extruere voluerint, quæ ad cœlum usque pertingeret, et invectâ divisione linguarum pravam illorum coitionem et concordiam dissipaverit Deus, idcircò in specie linguarum ignearum die sacro Pentecostes in humiles Christi discipulos Spiritus sanctus illabitur, ut illorum ministerio terrarum orbem divisum conjungat, et in unius fidei ac religionis concordiam reducat. 3° Ut donum ipsum linguarum Apostolis à Spiritu sancto datum hoc signo demonstraretur. Quo quidem admirabili dono Ecclesiæ unitas commendata est, quæ toto orbe diffusa, gentium omnium linguis loquitur.

Has rationes S. Chrysostomus affert sermone de sanctâ Pentecoste; et S. Augustinus sermone 271, aliàs de Tempore, 197 : « Flatus ille, inquit, à carnali paleâ « corda mundabat; ignis ille fœnum veteris concupiscentiæ consumebat; linguæ illæ quibus loquebantur « à Spiritu sancto impleti, per omnium gentium linguas « futuram Ecclesiam præsignabant. Sicut enim post « diluvium superba impietas hominum turrim contra « Dominum ædificavit excelsam, quando per linguas « diversas dividi meruit genus humanum, ut unaquæque gens linguâ propriâ loqueretur, ne ab aliis intelligeretur; sic humilis fidelium pietas earum linguarum diversitatem Ecclesiæ contulit unitati, ut quod « discordia dissipaverat, colligeret charitas, et humani « generis tanquàm unius corporis membra dispersa « ad unum caput Christum compaginata redigerentur, « et in sancti corporis unitatem dilectionis igne conflarentur. In igne Spiritus sanctus apparuit, quia incorporeus, ineffabilis, atque invisibilis ignis est Deus: « *Deus noster ignis consumens est*, inquit Apostolus ad « Hebræos 12. Deus quippe ignis dicitur, quia per « hunc peccatorum rubigo consumitur. De hoc igne « Veritas dicit : *Ignem veni mittere in terram, quid volo, « nisi ut ardeat?* Terra vocata sunt corda terrena; sed « ignem Dominus in terram mittit, cùm afflatu sancti « Spiritûs corda carnalium incendit. Et terra ardet, « cùm cor carnale in suis pravis voluptatibus frigidum « relinquit concupiscentias præsentis seculi, et incenditur ad amorem Dei. In igneis autem linguis monstratus est, quia idem Spiritus coæternus est Filio, « et habet cognationem maximam lingua cum verbo. « Verbum quippe Patris est Filius. Et quia una est « Spiritûs et Verbi substantia, idem Spiritus monstrari « debuit in linguâ. Vel certè, quia per linguam procedit verbum, in linguis apparuit Spiritus, quia quisquis sancto Spiritu tangitur, Dei Verbum, id est, « unigenitum Dei Filium confitetur. » Vel certè, « in « linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes quos « replevérit, ardentes pariter et loquentes facit. Linguas igneas doctores habent, quia dùm Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. « Nam et otiosus est sermo docentis, si præbere non « valet incendium amoris, » inquit S. Gregorius Magnus homiliâ 30 in Evangelia.

§ V. *Dispositiones ad suscipiendum Spiritum sanctum.*

Dispositiones ad Spiritum sanctum recipiendum tribuit ipse divinus Spiritus vel jam inhabitans, vel movens. Discipulorum Christi animos jam inhabitabat, cùm in illos sacro die Pentecostes allapsus est, ideòque illos adornavit ac præparavit congruis dispositionibus, « ut sacrata sibi pectora et ferventiùs accende-

« ret, et copiosiùs inundaret; cumulans sua dona, non « inchoans, nec ideò novus opere, quia ditior largi- « tate, » inquit S. Leo, sermone 3 de Pentecoste. Nondùm inhabitabat, sed tamen movebat Cornelium et alios gentiles, in quos antequàm Baptismum susce- pissent, venit, stupentibus ex Circumcisione fidelibus, Petri comitibus, quòd et in nationes effusa esset Spi- ritûs sancti gratia.

I. Prima dispositio christianis hominibus ad reci- piendum Spiritum sanctum necessaria, est expiatio conscientiæ per pœnitentiam ferventem. Quod ignis symbolo significatum est, cujus in specie in Apostolos descendit. Audiendus eâ de re S. Gregorius Magnus homiliâ 30 in Evangelia, ubi rationem affert cur Spi- ritus sanctus super Christum in columbâ, super disci- pulos in igne apparuerit. « Unigenitus, inquit, Dei « Filius, judex est generis humani. Sed quis ejus ju- « stitiam ferret, si priusquàm nos per mansuetudinem « colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis « examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus fa- « ctus, mitem se hominibus præbuit; noluit peccatores « ferire, sed colligere, priùs voluit mansuetè corripere, « ut haberet quos postmodùm in judicio salvaret. In « columbâ ergo super eum debuit apparere Spiritus, « qui non veniebat ut peccata jam per zelum percute- « ret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. At « contra super discipulos in igne debuit Spiritus san- « ctus demonstrari, ut hi qui erant simpliciter homi- « nes, atque ideò peccatores, eos contra semetipsos « spiritalis fervor accenderet, et peccata quæ Deus « per mansuetudinem parceret, ipsi in se per pœni- « tentiam punirent..... Igitur per columbam Spiritus « in Redemptore monstratus est, per ignem verò in « hominibus, quia quantò nobis nostri Judicis facta est « severitas temperata, tantò erga se debet fieri nostra « infirmitas accensa. »

Pœnitentiæ porrò fervorem in nobis ipse Spiritus sanctus misericorditer operatur. Ut enim declinemus à malo, et faciamus bonum, quæ duo sunt animi pœ- nitentis officia, ipse adjuvat infirmitatem nostram. Ad declinandum à malo, tria operatur in nobis, compun- ctionem, supplicationem, remissionem. Si quis ergo priùs in iniquitate frigidus erat, et postmodùm fervore quodam pœnitentiæ accendatur, alium Spiritum, qui suum arguit de peccato, non dubitet advenisse. Sed quid prodest pœnitere de culpâ, et non supplicare pro veniâ? Necesse est ut hoc etiam Spiritus sanctus ope- retur dulcedine quâdam spei replens animum, per quam fidenter postulet, nullatenùs hæsitans. Ipse ni- mirùm, *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Sicut autem in nobis interpellat pro nobis, ita in Pa- tre delicta donat nobis cum Patre. Unde remissio pec- catorum Spiritui sancto tribuitur, quia divinâ boni- tate et misericordiâ remittuntur. *Accipite Spiritum sanctum,* inquit Christus; *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ad bonum deinde operandum monet, movet, docet. « Monet memoriam, rationem docet, « movet voluntatem. » Hæc S. Bernardus sermone 1 in Festo Pentecostes.

II. Dispositio altera ad recipiendum Spiritum san- ctum, est humilitas, Isai. : *Quia hæc dicit Excelsus, et sublimis habitans æternitatem; et sanctum nomen ejus in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu; ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum.* Qui humiles spiritu salvabit, qui humilia respicit, et alta à longè cognoscit, Spiritum sanctum suum superbis non impertit, sed humilibus. « Capitur « per humilitatem, repellitur per superbiam. Aqua est « enim, cor humile tanquàm locum concavum quærens, « ubi consistat : elatione autem superbiæ, tanquàm « tumore collis, repulsa labitur; unde dictum est: « *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* « Quid est, *dat gratiam*? Dat Spiritum sanctum. Im- « plet humiles, quia capaces invenit. » Verba sunt S. Augustini sermone 270, aliàs 22, ex editis à Sirmondo.

III. Dispositio tertia ad recipiendum Spiritum san- ctum, est castitas mentis et corporis. Non habitat enim in animâ coinquinatâ, et in corpore subdito peccatis. « Cùm omnes templum simus, illato in nos et conse- « crato Spiritu sancto, ejus templi æditua et antistita « pudicitia est, quæ nihil immundum nec profanum « inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam « sedem offensus derelinquat. » Verba sunt Tertul- liani, initio libri 2 de Cultu feminarum. Constans est Domini sententia, Genes. 6 : *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Ne verò quis existimet se ad recipiendum Spiritum sanctum para- tum esse, si fornicando in corpus suum non peccave- rit, si vas suum possideat in sanctificatione et honore, et tamen spectacula frequentet, in quibus ipse mulie- rum et vivorum accuratior cultus, ipsa consensio, ipsa in favoribus aut conspiratio aut dissensio inter se, « de commercio scintillas libidinum conflabellant; » in quibus denique ineundis « nemo priùs cogitat, nisi « videri et videre... Deus præcepit Spiritum sanctum, « utpote pro naturæ suæ bono tenerum et delicatum, « tranquillitate et lenitate, et quiete et pace tractare... « Huic quomodò cum spectaculis poterit convenire? « Omne spectaculum sine concussione spiritûs non « est..... Nam etsi qui modestè et probè spectaculis « fruitur, pro dignitatis et ætatis, vel etiam naturæ « suæ conditione; non tamen immobilis animi est sine « tacità spiritûs passione. Nemo ad voluptatem venit « sine affectu, nemo affectum sine casibus suis pati- « tur (1). Ipsi casus incitamenta sunt affectûs. Cæte- « rùm, si cessat affectus, nulla est voluptas, et est reus « jam ille vanitatis, eò conveniens ubi nihil consequi « tur. Puto autem, etiam vanitas extranea est nobis. » Verba sunt Tertulliani libro de Spectaculis, cap. 15 et 25.

IV. Dispositio quarta ad recipiendum Spiritum san- ctum, est oratio. Apostoli post ascensionem Christi Domini *erant perseverantes unanimiter in oratione,* Act. 1, ut ad Spiritûs sancti adventum se præpararent; ip- siusque numen ferventissimis desideriis invocabant. Et quoties Spiritum sanctum aliis impetrare volue-

(1) Sine casibus suis, id est, sine spiritalium bono- rum detrimentis et ruinis.

runt, totles orationem cum manuum impositione adhibuerunt. « Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum « sanctum. » Unde S. Augustinus lib. 15 de Trinitate, cap. 26, de Christo sic loquitur : « Quomodò Deus non « est qui dat Spiritum sanctum? Imò quantus Deus est « qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum « ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut ve- « niret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum « dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc « servat Ecclesia. »

V. Dispositio quinta ad recipiendum Spiritum sanctum, est charitas, quam ipse in cordibus nostris diffundit. *Si quis diligit me*, inquit Christus, Joan. 14, *sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Qui enim amicus est hujus mundi, qui totus in maligno positus est, aut diligere se Deum mentitur, cùm ejus mandata non servet, Spiritum sanctum à se ablegat, quia *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*, Sap. 1. Dilectionem porrò Dei, lingua, mens et vita testentur, necesse est. « Nunquàm est amor Dei otiosus ; « operatur enim magna, si est; si verò operari renuit, « amor non est, » inquit S. Gregorius homiliâ 30 in Evangelia. *Spiritum veritatis mundus non potest accipere*, inquit Christus, Joan. 14. Mundus, id est, dilectores mundi, quæ dilectio non est à Patre, S. August. tract. 74 in Joan. : « Et ideò dilectioni hujus mundi, « ut minuatur et consumatur in nobis, contraria est « dilectio Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris per « Spiritum sanctum qui datus est nobis. » Mundus autem Spiritum sanctum accipere non potest, *quia non novit eum, nec scit eum*, Joan. 14. Non enim habet invisibiles oculos mundana dilectio, non illuminatos oculos cordis, per quos videri Spiritus sanctus nisi invisibiliter non potest. *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Videri ergo et sciri, quemadmodùm vivendus et sciendus est, non potest à nobis, si non sit in nobis. « Deus Trinitas, Pater, et « Filius, et Spiritus sanctus, veniunt ad nos, dùm ve- « nimus ad eos; veniunt subveniendo, venimus obe- « diendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; « veniunt implendo, venimus capiendo; ut sit in nobis « eorum non extraria visio, sed interna; et in nobis « eorum non transitoria mansio, sed æterna, » inquit idem S. Augustinus tractatu 76 in Joannem.

Hinc sequitur pacem et concordiam esse prorsùs necessariam ut Spiritûs sancti domicilium efficiamur. Non enim in commotione Dominus, et Spiritus pacis nonnisi super filios pacis requiescit. *Pacem relinquo vobis*, inquit Christus, *pacem meam do vobis.* Pax Christi, ejus Spiritus est, *pax quæ exsuperat omnem sensum*, ut loquitur Apostolus, Philipp. 4; « pax illa « quæ principatus, et potestates, et thronos, sive do- « minationes, omnemque excedit mentem, Christi Spi- « ritus est, per quem Filius omnia Deo ac Patri re- « conciliavit. » Verba sunt S. Cyrilli Alexandrini. Atque etiam prophetæ Spiritum sanctum pacem appellarunt. Isai. 26 : *Domine, Deus noster, pacem da nobis; omnia enim reddidisti nobis.* « Quasi enim lex ad per- « fectum nihil adduxerit, neque adeò sufficiat ejus « justitia ut ad plenissimam pietatem hominem pro- « vehat, divinum dari Spiritum flagitat, per quem « Deo ac Patri reconciliati, ad amicitiam revocati « sumus, qui regnante in nobis peccato, fugitivi priùs « eramus. » Igitur ait Propheta : *Da pacem nobis, Domine; omnia enim reddidisti nobis.* Quasi diceret : « Da « nobis pacem ; tunc enim cuncta nos habere fatebi- « mur ; nihil jam boni ei qui Christi plenitudinem « adeptus sit, deesse videbitur. Omnis quippe boni « in eo posita plenitudo, ut Deus in nobis per Spiri- « tum habitet. Quoniam igitur Spiritus omnem animi « turbationem sedare, omnemque in nobis formidi- « nem compescere potest, ceu viaticum ac præsidium « ad animi robur ac tranquillitatem aptissimum se da- « turum pollicetur, dicens : *Pacem meam do vobis.* » Sic explicat S. Cyrillus Alexandrinus. Addit Redemptor noster : *Non quomodò mundus dat, ego do vobis.* « Id est, non quomodò homines dant, qui diligunt « mundum. Qui propterea dant sibi pacem, ut sine « molestiâ litium atque bellorum, non Deo, sed « mundo fruantur ; et quando justis dant pacem, ut « non eos persequantur, pax non potest esse vera, « ubi non est vera concordia, quia disjuncta sunt « corda. Nos ergo quibus Christus pacem relinquit, « et pacem suam nobis dat, non sicut mundus, sed « sicut ille per quem factus est mundus, ut concordes « simus, jungamus invicem corda, et cor unum sur- « sùm habeamus, ne corrumpatur in terrâ. Sic dignum « Spiritu sancto domicilium efficiemur, » inquit S. Augustinus tractatu 77 in Joannem.

VI. Ex hoc denique principio consequens est Spiritum sanctum extra Ecclesiæ unitatem non recipi. Ut se habet anima nostra ad corpus nostrum, ita se habet Spiritus sanctus ad Ecclesiam, si tamen formæ et informationis nomine ac labe depulsâ, intimum hospitem, ut par est, cogitemus. S. August., serm. 267, aliàs de Tempore 186 : « Anima omnia membra « vegetat, per oculos videt, per aures audit, per « nares olfacit, per linguam loquitur, per manus opera- « tur, per pedes ambulat; omnibus simul adest mem- « bris, ut vivant; vitam dat omnibus, officia sin- « gulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt « lingua, nec loquitur auris et oculus, sed tamen « vivit. Officia divresa sunt, vita communis. Sic est « Ecclesia Dei. In aliis sanctis facit miracula, in aliis « loquitur veritatem, in aliis custodit virginitatem, « in aliis pudicitiam conjugalem, in aliis hoc, in aliis « illud ; singuli propria operantur, sed pariter vivunt. « Verùm ut in corpore humano, si membrum aliquod « præcidatur, præcisum amittit vitam, quod vivebat « cùm in corpore esset, sic et homo christianus catho- « licus si à Christi corpore, quod est Ecclesia, præ- « cidatur, amputatum non sequitur Spiritus. » In hujus rei typum Apostoli Spiritum acceperunt in unâ domo congregati, simulque manentes, et unanimiter orantes. « Si ergo vultis vivere de Spiritu sancto, te- « nete charitatem, amate veritatem, desiderate uni- « tatem, ut perveniâtis ad æternitatem. »

ARTICULUS X.

Quo Symboli nonus articulus explicatur : CREDO SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM ; SANCTORUM COMMUNIONEM.

Postquàm nos in Spiritu sanctum credere professi sumus, sanctam commemoramus Ecclesiam : « Rectus « namque confessionis ordo poscebat, ut Trinitati sub- « jungeretur Ecclesia, tanquàm habitatori domus sua, « et Deo templum suum, et conditori civitas sua ; » inquit S. Augustinus in Enchiridio, cap. 56. Credimus autem *sanctam Ecclesiam*, non *in sanctam Ecclesiam catholicam ;* tres enim sanctissimæ Trinitatis personas, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum ita credimus, ut in eis fidem nostram collocemus ; nunc autem diversâ loquendi ratione utimur, quia Ecclesia Deus non est, sed templum Dei, hoc est, totius summæ Trinitatis sancta est Ecclesia, scilicet universa in cœlo et in terrâ ; ac proinde non est primarium fidei speique nostræ objectum. Quia verò sanctorum communio explicatio quædam est articuli de Ecclesiâ, ad illum revocatur, et uno tenore traditur ac proponitur.

§ 1. *Quid est Ecclesia ?*

I. *Ecclesiæ* nomen origine Græcum *evocationem* primâ suî institutione significat ; verùm à scriptoribus postea pro concilio et concione usurpatum est, seu pro quolibet populi conventu. Quo sensu Actuum 19 dicitur : *Si quid alterius rei quæritis, in legitimâ Ecclesiâ poterit absolvi.* Legitimam Ecclesiam hìc vocat Alexander Judæus conventum Ephesini populi Dianæ cultui addicti. Hinc malorum etiam et impiorum hominum concilia et conventicula interdùm *Ecclesia* nominantur, adjuncto tamen epitheto, quo hujus vocabuli significatio determinetur. *Odivi Ecclesiam malignantium*, inquit Propheta Psalm. 25, *et cum impiis non sedebo.* Verùm communi Scripturarum sacrarum usu, hæc vox ad rempublicam christianam fideliumque tantùm congregationes significandas adhibetur, qui scilicet in admirabile Dei lumen ac notitiam per fidem vocati sunt, ut rejectis ignorantiæ et errorum tenebris, Deum verum et vivum piè sanctèque colant, illique totâ animi devotione serviant.

II. Definitur Ecclesia, *congregatio sive cœtus fidelium legitimis pastoribus adunatus*, sive, ut loquitur S. Cyprianus epistolâ 69 ad Florentium Pupianum datâ, *Ecclesia plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens.* Secundùm S. Augustinum in Psalm. 34, concione 2 in Psalm. 90, et in Psalm. 149, et libro de Catechizandis Rudibus, cap. 3, *Ecclesia est populus Dei toto orbe terrarum diffusus.* Quam definitionem Tridentini concilii Catechismus approbat. Secundùm S. Isidorum Pelusiotam lib. 2, epistolâ 246, *Ecclesia est sanctorum cœtus ex certâ fide atque optimâ vivendi ratione collectus.* Secundum Nicolaum I, dist. 1 de Consecratione, cap. 8, *Ecclesia est Catholicorum congregatio.* Secundùm S. Thomam variis in locis, *Ecclesia est congregatio fidelium.* Quanquàm spernenda non sit illa definitio, Ecclesiæ quidem statum quem in novo Testamento à Christo accepit, potiùs quàm naturam vel essentiam explicans, à recentioribus tradita, nempe cardin. Bellarm. et aliis : *Ecclesia est cœtus hominum, ejusdem christianæ fidei professione, et eorumdem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum, et præcipuè unius Christi in terris vicarii, Romani pontificis.*

III. Duæ sunt potissimùm Ecclesiæ partes, quarum altera *triumphans*, altera *militans* vocatur. Militans est « illa quæ peregrinatur in terris, à solis ortu usque « ad occasum laudans nomen Domini, et post ca- « ptivitatem vetustatis cantans Canticum novum. » Triumphans est « illa quæ in cœlis semper, ex quo « condita est, cohæsit Deo, nec ullum malum sui ca- « sûs experta est. Hæc in sanctis angelis beata per- « sistit, et suæ parti peregrinanti, sicut oportet, opi- « tulatur, quia utraque una erit consortio æternitatis, « et nunc una est vinculo charitatis, quæ tota insti- « tuta est ad colendum unum Deum. » Verba sunt S. Augustini in Enchiridio cap. 56. « Una est in fi- « de (scilicet militans), altera in specie (scilicet « triumphans) ; una in tempore peregrinationis, alte- « ra in æternitate mansionis ; una in labore, al- « tera in requie ; una in viâ, altera in patriâ ; una « declinat à malo et facit bonum, altera nullum « habet à quo declinet malum, et magnum habet « quo fruatur bonum ; una cum hoste pugnat, alte- « ra sine hoste regnat ; una fortis est in adversis, « altera nihil sentit adversi ; una carnales libidines « frenat, altera spiritalibus delectationibus vacat ; « una est vincendi curâ sollicita, altera victoriæ « pace secura ; una in tentationibus adjuvatur, al- « tera sine ullâ tentatione in ipso adjutore lætatur ; « una subvenit indigenti, altera ibi est ubi nullum « invenit indigentem ; una flagellatur malis ne ex- « tollatur in bonis, altera tantâ plenitudine gratiæ « caret omni malo, ut sine ullâ tentatione superbiæ « cohæreat summo bono ; una bona et mala discer- « nit, altera quæ sola bona sunt cernit : ergo una « bona est, sed adhuc misera ; altera melior, sed bea- « ta, » inquit S. Augustinus tractatu 124 in Joannem. Ad militantem igitur Ecclesiam pertinent fideles qui in terris vivunt ; ad triumphantem angeli et sancti homines qui de mundo, carne et dæmone triumphârunt, et ab hujus vitæ molestiis liberi et tuti, æternâ beatitudine fruuntur. De quibus rursùs S. Augustinus lib. 20 de Civitate Dei, cap. 9 : « Neque enim, in- « quit, piorum animæ mortuorum separantur ab Ec- « clesiâ, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alio- « quin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in « communicatione corporis Christi ; nec aliquid pro- « desset ad ejus in periculis Baptismum currere, ne « sine illo finiatur hæc via ; nec ac reconciliationem, « si fortè per pœnitentiam malamve conscientiam « quisque ab eodem corpore separatus est. Cur « enim fiunt ista, nisi quia fideles, etiam defuncti, « membra ejus sunt ? Quamvis ergo cum suis cor- « poribus nondùm, jam tamen eorum animæ regnant « cum illo. »

IV. Ad militantis Ecclesiæ statum pertinet illa quæ postremo loco posita est definitio à Bellarmino cardinali doctissimo tradita. *Cœtus hominum* est, non angelorum, qualis erat illa quæ Deo semper cohæsit, eoque in cœlis fruebatur Ecclesia, antequàm cœlum hominibus à Christo Domino reseratum esset. Cœtus est sive sacra respublica ab aliis rebuspublicis maximè diversa; illæ enim humanâ ratione et prudentiâ nituntur; hæc autem Dei sapientiâ et consilio constituta est. Vocavit enim nos et congregavit intimo quidem Spiritûs sancti afflatu, extrinsecùs autem pastorum et prædicatorum operâ ac ministerio. Cœtus est, regnumque, non homines auctores habens, sed Deum immortalem, qui eam supra firmissimam petram ædificavit, teste Prophetâ, Psalm. 86 : *Ipse fundavit eam Altissimus.* Quam ob causam *hæreditas Dei* et *Dei populus* appellatur, Psal. 2.

Cœtus est hominum, *ejusdem fidei professione, et eorumdem sacramentorum communione colligatus.* Quibus verbis excluduntur ab Ecclesiâ infideles, tam qui nunquàm in eâ fuerunt, neque nomina sua Christo per Baptismum dederunt, de quibus Apostolus ait : *Quid enim mihi de iis qui foris sunt, judicare?* ut Judæi, Turcæ, Ethnici; quàm illi qui ejus membra fuerunt, sed ab eâ defecerunt, ut hæretici et apostatæ. Item catechumeni, in ejus quidem utero quodammodò concepti, sed nondùm in viros christianos formati et nati, nondùm ad sacramentorum communionem admissi per Baptismum. Quo nomine et excommunicatos, à communione et participatione sacramentorum segregatos, hæc definitionis verba ab Ecclesiâ excludunt. De hæreticis tamen et excommunicatis judicare potest Ecclesia, ut rex de subditis perduellibus, aut militiæ desertoribus.

Additur : *Sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris vicarii, Romani pontificis.* Quibus verbis excluduntur schismatici, qui fidem catholicam profitentur, eademque sacramenta cum Catholicis percipiunt, sed legitimo pastori non subduntur. Verùm hæc definitio, ut jam observatum est, Ecclesiæ statum spectat, quem in novo Testamento à Christo accepit, cùm tamen secundùm naturam et essentiam suam spectata, quatenùs est fidelium congregatio, ab initio mundi fuerit, in Adamo primùm et Evâ, post lapsum, ex fide Christi mediatoris Dei et hominum venturi justificatis; ex fide, inquam, benedicti illius seminis, de quo prædictum est fore ut illius virtute mulier caput serpentis antiqui, scilicet diaboli, contereret : *Ipsa conteret caput tuum*, Gen. 3. Exinde fideles omnes unius Ecclesiæ membra fuerunt, ejusdem, cujus nos membra sumus, *habentes eumdem spiritum fidei.* Veniente quippe Christo, non Dei, non religionis, non fidei, sed sacrificiorum et sacramentorum facta mutatio est. « Quemadmodùm enim unus « idemque homo, si Deo mane aliud offerat, aliud vespere, pro congruentiâ diurni temporis, non Deum « mutat, non religionem; sicut nec salutem, qui alio « modo mane, alio modo vespere salutat; ita universo « tractu seculorum, cùm aliud oblatum est ab antiquis « sanctis, aliud ab eis qui nunc sunt offertur, non « humanâ præsumptione, sed auctoritate divinâ, tem- « poribus congruâ sacra mysteria celebrantur, non « Deus aut religio commutatur, » inquit S. Augustinus Epistolâ 102, aliàs 49, quæst. 3. Quam ob rem Ecclesiæ etiam Christi membra erant sancti, qui vixerunt antequàm secundùm carnem Christus Dominus nasceretur. « Ipse enim unigenitus Dei Filius, Verbum Patris, æquale et coæternum Patri, per quod « facta sunt omnia, homo propter nos factus est, ut « totius Ecclesiæ, tanquàm totius corporis, caput esset. Sed velut totus homo dùm nascitur, etiamsi « manum in nascendo præmittat, tamen universo « corpori sub capite conjuncta atque compacta est, « quemadmodùm etiam nonnulli in ipsis patriarchis « ad hujus ipsius rei signum manu præmissâ nati « sunt; ita omnes sancti, qui ante Domini nostri Jesu « Christi nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante « nati sunt, tamen universo corpori, cujus ille caput « est, sub capite cohæserunt. » Verba sunt S. Augustini, lib. de Catechizandis Rudibus, cap. 19.

V. Multis nominibus Ecclesiam designat Scriptura sacra. Nam et *domus*, et *ædificium Dei* ab Apostolo appellatur, 1 ad Tim. 3, *ut scias*, inquit, *quomodò oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Domus est, cujus idem fundamentum, artifex et habitator, Christus Jesus *lapis angularis, fundamentum* præter quod *nemo potest aliud ponere.* Fundamentum istud in cœlo est. Ædibus ad ima tendentibus, et quæ constant lapidibus et lignis, quæ pondere suo deorsùm feruntur, in imo ponitur fundamentum. « Ecclesia verò Dei in « imo posita tendit in cœlum. Fundamentum ergo no- « strum ibi positum est, Dominus noster Jesus Chri- « stus sedens ad dexteram Patris, » inquit S. Augustinus Enarrat. 2 in Psalm. 29. Domus autem idcircò vocatur, inquit concilii Tridentini Catechismus, quòd sit velùti una familia, quam unus paterfamilias moderatur, et in quâ est bonorum omnium spiritualium communio.

Dicitur etiam *grex ovium Christi*, Joan. 10 : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium... Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Ego sum Pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ... Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Actuum 20 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Vocatur *sponsa Christi*, 2 ad Corinthios 11 : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Et ad Ephesios 5 : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Et de matrimonio loquens Apostolus : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ.* Hanc sibi desponsavit *in sempiternum, in justitiâ et judicio, in misericordiâ et miserationibus, et in fide*, Osee 2. Exivit à Patre, et

venit in mundum, ut illam sibi copularet, ab æterno electam, in tempore collectam ex omni tribu, et linguâ, et natione; deformem, fœdam, pauperem, ægram, captivam, antequàm illi conjungeretur; sed à Sponso sanatam, redemptam, dotatam, incomparabili pulchritudine ac decore donatam ac ornatam. Hanc meretricem invenit, et virginem fecit. Hanc *lavit à peccatis in sanguine suo*, et *mundavit lavacro aquæ in verbo vitæ. Ornavit vestitu deaurato*, ut reginam, sed vario. Aurum, sapientia, fides, charitas, unitas. Varietas linguarum, charismatum, ordinum diversitas. Ornavit eam *vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit*, Isai. 61. A dextris stabit, cui dicet Sponsus : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*, Matth. 25. Sponsa Christi Ecclesia virgo est, et filios ipsi parit. Mariam imitatur, quæ Dominum peperit, et virgo permansit.

Denique dicitur Ecclesia *corpus Christi*, ad Ephesios 1 : *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et ad Colossenses 1 : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne meâ pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Mysticum autem corpus dicitur, quòd arcanâ vi gratiæ formatum sit, non naturali, essentiali ac necessariâ membrorum conjunctione compactum; sed non eo sensu corpus mysticum dicitur, quo mysticum opponitur reali propriéque dicto corpori. Ecclesia enim non metaphoricè duntaxat Christi corpus est, quo modo terrena civitas, respublica, aut exercitus corpus unum dicuntur, propter unitatem regiminis, consiliorumque in eumdem finem conspirantium communionem; verè namque, realiter et propriè Christi corpus est, ut colligitur ex Apostolo 1 ad Corinthios 12 : *Sicut enim*, inquit, *corpus unum est, et membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus.* Quæ verba S. Augustinus exponens libro 1 de Peccatorum Meritis, cap. 31, ait : « Non dixit : Ita et « Christi, id est, corpus Christi, vel membra Christi, « sed, *ita et Christus* : unum Christum appellans caput « et corpus. » Quod quidem incredibile videri non debet : « Si enim divina substantia longè distantior atque incomparabili diversitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una « persona fieret, quantò credibiliùs alii homines sancti « et fideles ejus fiunt cum homine Christo unus Christus! » Quod principium centies repetit, præsertim in Enarrationibus in Psalmos : « Totus Christus caput et « corpus est. Caput et membra unus Christus. » Caput in cœlo erat, et dicebat : *Saule, quid me persequeris?* Nos cum illo in cœlo per spem, ipse nobiscum in terrâ per charitatem.

§ II. *Ecclesia visibilis est et manifesta.*

I. Ecclesiam ita conspicuam fore prophetæ prædixerunt, ut ad eam gentes omnes concurrerent ad Dei verbum audiendum, et legem recipiendam, exercendum in eâ judicium inter populos, portas ejus die ac nocte patentes fore, ut ad eam gentes ingrediantur; in monte sublimi, qui Christus est, esse positam ac fundatam; qui illi non servierint, perituros; gentes ambulaturas in lumine ejus; gloriam Domini in eâ visum iri : hæc autem quâ ratione constare possunt, nisi visibilis sit et manifesta? Micheæ 4 : *Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus : quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum.* Isaiæ 60 : *Surge, illuminare, Jerusalem; quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est... Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortûs tui, etc. Et aperientur portæ tuæ jugiter; die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur. Gens enim et regnum quod non servierit tibi, peribit, et gentes solitudine vastabuntur.* Ecclesia *civitas* est *supra montem posita*, Matth. 5. Christus Dominus *in sole posuit tabernaculum suum*, Psal. 18, id est, ut S. Augustinus explicat, Enarrat. in hunc Psal., et tract. 2 in Epist. Joannis, « in manifestatione Ecclesiam suam, non in occulto, « non quæ lateat, non velut opertam; ne fortè fiat si- « cut operta super greges hæreticorum. »

II. Si Ecclesia invisibilis esset, quomodò ipsam agnoscere possent, qui ab eâ sunt separati, ut in ejus gremium redirent? Quomodò fratrem ex correptione fraternâ minimè emendatum, ad Ecclesiam deferri Christus juberet, ab eâ judicandum? Matth. 18 : *Dic Ecclesiæ : Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*

III. *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens*, ut loquitur S. Cyprianus; igitur visibilis est. Ecclesia est societas hominum per ejusdem fidei professionem et in eorumdem sacramentorum communione Deum colentium, quod fieri non potest, nisi sit visibilis. « In nullum quippe nomen religionis « seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, « nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibi- « lium consortio colligentur, » inquit S. Augustinus libro 19 contra Faustum, cap. 11. Præclarè igitur idem S. Augustinus libro 3 contra Epistolam Parmeniani, cap. 5 : « Nulla est, inquit, securitas unitatis, « nisi ex promissis Dei Ecclesia declarata, quæ super « montem constituta, abscondi non potest; et ideò « necesse est ut omnibus terrarum partibus nota sit. »

IV. Verùm, inquies, quomodò credimus sanctam Ecclesiam catholicam, si sit invisibilis, cùm fides argumentum sit non apparentium? — Respondetur, aliud videri, aliud credi. Videmus Ecclesiam; credimus Ecclesiæ veritatem. Cœtum fidelium legitimo pastori adunatum, et eorumdem sacramentorum communione in ejusdem religionis professione conjunctum videmus; at cœtum illum sive societatem esse veram Ecclesiam, oculis non cernimus, sed fide apprehendimus, sicut Apostoli hominem, qui est Christus Filius Dei vivi, videbant; sed hunc hominem esse Dei Filium non videbant, sed credebant. Videmus Ecclesiæ corpus,

non Spiritum sanctum quo regitur; non finem spiritalem ac supernaturalem, ad quem ordinatur, scilicet Deum, Deique fruitionem æternam; non mysteria quæ in eâ continentur, non virtutem sacramentorum quæ in eâ conficiuntur et administrantur; non ejus ortum, munera, dignitatem, claves regni cœlorum illi traditas, potestatem remittendi peccata, excommunicandi, verum Christi corpus consecrandi, ipsi concessam, aliaque hujusmodi; non denique gratiam, virtutes et dona quibus Christiani fiunt domus Dei, et templa ipsius consecrantur; hæc, inquam, omnia non videntur, sed creduntur. Ecclesiæ ortus, sanctitas, veracitas, stabilitas, oculis corporis aut humanis rationibus percipi non possunt, sed solâ fide. Ideò profitemur nos credere sanctam Ecclesiam catholicam.

V. Quamvis autem humanæ rationi sine sancti Spiritûs illustratione, nota non sit Ecclesiæ veritas, receptâ tamen Christi capitis fide, receptis Scripturis sacris, quibus Ecclesiæ characteres et notæ describuntur, quibus constat hanc esse veram Ecclesiam, quæ super Petrum voce Domini fundata est, quæ ab episcopis regitur, Apostolorum successoribus, missioneque et ordinatione legitimâ constitutis, manifestum est hanc esse veram Christi Ecclesiam, quæ illis characteribus insignita est, quæ toto orbe diffusa, quæ visibili ac perpetuâ episcoporum successione originem suam ab Apostolis probat, quæ Romano pontifici S. Petri successori tanquàm visibili capiti adhæret, ab eoque regitur : sicut admissis prophetarum vaticiniis, quibus Christi ortus, vita, miracula, passio, resurrectio, cæteraque mysteria describuntur, manifestum est Jesum Nazarenum crucifixum esse Christum, sive Messiam, Redemptorem ac Mediatorem à Deo promissum. Sicut ergo nullam infidelitatis suæ excusationem habent Judæi, qui Dominum Jesum Christum esse non credunt, quia excæcavit illos malitia sua, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Dei; ita nullam habent excusationis rationem hæretici et schismatici, qui Ecclesiam catholicam, apostolicam et Romanam non agnoscunt, illique non credunt, nec ipsi adhærent et obsequuntur, quia infidelitatis suæ tenebris impediuntur, ne lumen ejus videant. « Obscuriùs dixe- « runt prophetæ de Christo, quàm de Ecclesiâ, quia « videbant in Spiritu contra Ecclesiam homines factu- « ros esse particulas, et de Christo non tantam litem « habituros, de Ecclesiâ magnas contentiones excita- « turos. Ideò illud unde majores lites futuræ erant, « planiùs prædictum et apertiùs prophetatum est, ut « ad judicium illis valeat qui viderunt, et foras fuge- « runt... Penè ubique Christus aliquo involucro sacra- « menti prædicatus est à prophetis, Ecclesia apertè; « ut viderent illam et qui futuri erant contra illam, « et impleretur in eis ista nequitia quam prædixit « Psalmus : *Qui videbant me, foras fugerunt à me.* » Verba sunt S. Augustini Enarratione 3 in Psalmum 30. Hinc idem S. doctor Lib. 2 contra litteras Petialini, cap. 32, ait : *Ecclesia vera neminem latet.*

VI. Ita porrò visibilis ac manifesta Ecclesia est, ut hæc illi dos perpetuò conveniat, nec extingui possit aliquando vel obscurari. Quid enim ipsius splendorem extinguere vel obscurare posset? An persecutio? Sed persecutionibus crevit. An hæreses? Sed illæ oriuntur, *ut qui probati sunt, manifesti fiant*, 1 Cor. 2. An malorum Christianorum peccata et scandala? Sed illis non maculatur, nec tenebrescit, cujus lumen Christus est, cum ipsâ manens, eamque illuminans *omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. ult. De illâ vaticinatus est David Psal. 88 : *Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis... Et ponam in seculum seculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.* De illâ Dominus apud Isaiam, cap. 61 : *Et fœdus perpetuum*, inquit, *feriam cum eis; et scietur in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint istos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Denique S. Paulus Epist. ad Ephesios cap. 4, scribit : *Et ipse dedit quosdam quidem prophetas, alios Apostolos, alios Evangelistas, alios pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ministeria igitur pastorum et doctorum, et perennis ædificatio corporis Christi, erunt in Ecclesiâ ad supremum usque judicii diem; ac proinde tamdiù in terris stabit Ecclesia visibilis.

§ III. *Ecclesia bonos et malos complectitur.*

I. Hoc fidei dogma multis figuris et similitudinibus è Scripturâ sacrâ petitis demonstrârunt Patres, quibus adversùs Donatistas controversia fuit, scilicet arcæ Noe, in quâ non solùm munda, sed etiam immunda animantia concludebantur, Genes. 7; agri, in quo zizania superseminata sunt; areæ, in quâ frumentum paleæ permixtum est; sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congregantis, Matth. 13; ovilis, in quo oves cum hœdis continentur, Matth. 25; nuptialis convivii, ad quod boni pariter et mali sunt ingressi, Matth. 20; decem virginum, quarum aliæ prudentes, aliæ fatuæ, Matth. 25. Peccatores in criminibus ita pertinaces ut fraternâ correptione non emendentur, esse in Ecclesiâ Christus docet, in quâ tamen tolerantur, donec per sententiam prælatorum præcisi sint et ejecti. Matth. 18 : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum... Quòd si non audierit, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Christus Dominus traditorem suum Judam non solùm cognitum in discipulorum numero toleravit, verùm etiam præcognitum in eorum numerum assumpsit. Incestuosus Corinthius erat in Ecclesiâ, cujus gremio ipsum per excommunicationem ejecit S. Paulus, 1 Cor. 5. Idem Apostolus gemebat inter falsos fratres, quorum aliqui per invidiam Christum annuntiabant. Ecclesia igitur malos continet atque tolerat, nec illorum tamen criminibus violatur, à quibus abhorret, et propter quæ gemit.

II. Verumtamen aliter in eâ sunt boni, aliter mali. Boni *ita sunt in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei.* Mali sic in eâ sunt, *ut non pertineant ad com-*

p'gem domûs, nec ad societatem fructiferæ pacificæque justitiæ, sed sicut palea dicitur esse in frumentis Boni in eâ sunt ut *vasa aurea et argentea, in honorem*; mali, ut *vasa lignea et fictilia, in contumeliam*. Sic loquitur S. Augustinus libro 7 de Baptismo contra Donatistas, cap. 51. Boni et electi sunt de Ecclesiâ, non solùm secundùm statum quem nunc habet, sed secundùm illum quem in perpetuum habitura est, cùm *non pertransibit* per illam *ultra incircumcisus et immundus*, cùm apparebit *gloriosa, non habens maculam neque rugam*. Mali et reprobi pertinent ad Ecclesiam secundùm præsentem duntaxat statum, non secundùm illum quem in futuro seculo habitura est. Unde non simpliciter et absolutè sunt Ecclesiæ membra, sed aliquâ ratione, sicut membra mortua sunt in corpore: quamvis enim fidei professione et communione cum bonis conjungantur, non tamen Spiritu gratiæ et charitatis cum illis et Christo Ecclesiæ capite conjuncti sunt. Quamobrem ad Ecclesiam quidem pertinent secundùm corpus, non secundùm Spiritum spectatam. Cæterùm qui verè justi sunt, sed *temporales*, ut S. Augustinus loquitur, id est, in gratiâ et justitiâ non perseveraturi, nec in eâ morituri, verè quidem sunt Ecclesiæ membra secundùm præsentem justitiam, verè per gratiam et charitatem Christo capiti cohærent, vitæque spiritalis quam membris suis subministrat, sunt participes; sed non sunt de Ecclesiâ secundùm Dei præscientiam et prædestinationem æternam; non pertinent ad *Jerusalem cœlestem*, ad *Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis*, Hebr. 12. Atque hoc sensu S. Augustinus libro 3 de Doctrinâ christianâ, cap. 32, ait: « Non enim reverà Domini corpus est, « quod cum illo non erit in æternum. » Contra verò multi non sunt de Ecclesiâ secundùm præsentem justitiam, quia vel nondùm fidem ac Baptismum susceperunt, aliquando suscepturi et piè victuri; vel ab eâ recesserunt, aut præcisi sunt, aliquando ad unitatem et bonam frugem redituri, ac in christianâ pietate perseveraturi; vel malis moribus christianum nomen dedecorant, sed pœnitentiam acturi sunt, et in Domino morituri; qui tamen sunt de Ecclesiâ simpliciter, absolutè, propriè, et ad Christum ut membra viventia pertinent, secundùm Dei præscientiam et prædestinationem æternam. Unde S. Augustinus, tractatu 45 in Joannem, ait: « Secundùm præ- « scientiam Dei et prædestinationem, quàm multæ « oves foris, quàm multi lupi intùs! et quàm « multæ oves intùs, et quàm multi lupi foris! Quid « est quod dixi: Quàm multæ oves foris! Quàm « multi modò luxuriantur, casti futuri! quàm multi « blasphemant Christum, credituri in Christum! quàm « multi se inebriant, futuri sobrii! quàm multi ra- « piùnt res alienas, donaturi suas! Verumtamen modò « vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item « quàm multi intùs laudant, blasphematuri; casti sunt, « fornicaturi; sobrii sunt, se vino postea sepulturi; « stant, casuri! Non sunt oves. (De prædestinatis enim « loquimur; de his loquimur quos novit Dominus, qui « sunt ejus.) Et tamen ipsi quamdiù rectè sapiunt, « Christi vocem audiunt. Ecce audiunt isti, non au- « diunt illi; et tamen secundùm prædestinationem non « oves isti, oves illi. » Improbi denique sunt Ecclesiæ membra, quo modo Judas erat ex Apostolorum collegio, « numero, non merito; specie, non virtute; « commixtione corporali, non vinculo spirituali; car- « nis adjunctione, non cordis unitate: secundùm com « munionem sacramentorum sunt ex nobis, se- « cundùm suorum proprietatem criminum non ex « nobis; » inquit S. Augustinus tractatu 61 in Joannem.

§ IV. *Ecclesia sancta est.*

Sanctam esse Ecclesiam profitemur, ab Apostolorum principe edocti: *Vos autem*, inquit, *genus electum, gens sancta*, 1 Petri 2. Appellatur autem *sancta*, primò, quòd Deo consecrata et dedicata sit. Sic enim cætera hujusmodi cultui divino dicata, quamvis corporea sint, sancta vocari consueverunt; cujus generis sunt in lege veteri vestes, vasa, altaria; in quâ primogeniti quoque, qui Deo altissimo devovebantur, sancti sunt appellati. *Omne masculinum*, inquit, Exod. 13, Luc. 2, *adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*. Sic nationem ipsam Judaicam, quòd veri Dei cultui addicta esset, Apostolus sanctam appellat, Rom. 11: *Quòd si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami*, quamvis populus hic labiis Deum honoraret, cor autem eorum longè esset ab eo. Multò meliori jure Ecclesia *sancta* dicitur, quæ vero Deo servit, illumque adorat *in spiritu et veritate*. Nec mirum cuiquam videri debet, Ecclesiam dici sanctam, tametsi multos peccatores contineat. Præcipua enim ejus membra sancta sunt, scilicet angeli et animæ beatæ, quæ in cœlis Deo fruuntur, aut in purgatorio expiantur; et justi homines, quos sinu suo fovet in terris, quamvis ab omni peccato non sint immunes, à gravioribus tamen peccatis liberi sunt ac puri, mortalium criminum sunt expertes, quæ sola gratiæ, charitati, sanctimoniæ, sine quâ nemo videbit Deum, capitaliter adversantur. Malorum autem criminibus non maculatur, cùm eis non consentiat, illa reprehendat, damnet, corrigat sanctis adhortationibus, exemplis, disciplinâ. Præterea fideles, qui populus Dei effecti sunt per fidem et baptisma, quamvis in multis offendant, sancti nihilominùs dicuntur, ob professionem sanctitatis; quemadmodùm qui artem aliquam profitentur, etsi artis præcepta non servent, nomen tamen artificem retinent. Unde S. Paulus Corinthios *sanctificatos et sanctos* appellat; in quibus nonnullos fuisse perspicuum est, quos ut carnales, zeloque et contentioni deditos acriter objurgat.

Secundò, sancta dicitur Ecclesia ratione capitis, Christi Domini, *Sancti sanctorum*, quicum intimè conjungitur, qui per fidem habitat in cordibus nostris, *qui seipsum tradidit pro eâ*, Ephes. 5, *ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata*. Tum etiam ratione Spiritûs sancti, qui

in ipsâ est cordis instar, et *manebit in æternum*. Quamobrem dicere quilibet Christianus potest Deo supplicans cum Prophetâ, Psal. 85 : *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*. Quæ verba S. Augustinus Enarratione in Psalmum 85 sic interpretatur : « Audeat et corpus Christi, audeat et unus ille homo « clamans à finibus terræ, cum capite suo, et sub capite suo dicere : *Quoniam sanctus sum*. Accepit enim « gratiam sanctitatis, gratiam Baptismi et remissionis « peccatorum. *Et hæc quidem fuistis*, ait Apostolus « enumerans multa peccata, et levia et gravia, et usitata et horribilia; *et hæc quidem fuistis, sed abluti « estis, sed sanctificati estis*. Si ergo sanctificatos dicit, « dicat et unusquisque fidelium : *Sanctus sum*. Non est « ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si « dixeris te ex te esse sanctum, superbus es; rursùs « fidelis in Christo, et membrum Christi, si te dixeris non esse sanctum, ingratus es.... Dic Deo tuo : « Sanctus sum, quia sanctificâsti me; quia accepi, non « quia habui; quia tu dedisti, non quia ego merui. « Etenim ex alio latere incipis injuriam facere ipsi « Domino nostro Jesu Christo. Si enim Christiani omnes et fideles et baptizati in illo ipsum induerunt, « sicut Apostolus dicit, Gal. 2 : *Quotquot in Christo « baptizati estis, Christum induistis;* si membra sunt « facti corporis ejus, et dicunt se sancta non esse, capiti ipsius faciunt injuriam, cujus membra sancta « non sunt. Jam vide ubi sis, et de capite tuo dignitatem cape. Etenim eras in tenebris, nunc autem lux « in Domino. » Verùm quia sanctitas membrorum Christi, quamdiù mortalem hanc vitam agunt tentationibus onnoxiam, non est plena et consummata, ideò totum corpus Christi clamat : *Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Miserere meî, Domine, quoniam ad te clamavi totâ die*. Caput nostrum ad dexteram Patris interpellat pro nobis. Alia membra recipit, alia flagellat, alia mundat, alia consolatur, alia creat, alia vocat, alia revocat, alia corrigit, alia redintegrat.

Tertiò, sancta dicitur Ecclesia, quòd ipsa sola habeat legitimum sacrificii cultum, et salutarem sacramentorum usum, per quæ tanquàm efficacia divinæ gratiæ instrumenta Deus veram sanctitatem efficit; ita ut extra Ecclesiam nemo sanctus esse possit. « Vera « justitia non est nisi in eâ republicâ, cujus conditor « rectorque Christus est. In eâ (duntaxat) civitate est « vera justitia, de quâ Scriptura sancta dicit Psal. 86 : « *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei,* » inquit S. Augustinus libro 2 de Civitate Dei, capite 21. Extra Ecclesiam aliqua Dei dona esse possunt, vera de Christo sententia, ipsius Christi sacramenta, bona aliqua opera, sed non justitia et vitæ sanctimonia, non remissio peccatorum, non pignus hæreditatis æternæ. « Alia sunt dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursùm « libera est mater nostra (hæc sunt enim quodammodò hæreditaria, in quibus sumus *hæredes Dei, co-« hæredes autem Christi*) ; alia verò quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales et schismatici vel hæretici comparantur. Quamvis enim scriptum sit Gal. 4 : *Ejice ancillam et filium « ejus; neque enim hæres erit filius ancillæ cum filio « meo Isaac;* et Abrahæ dixerit Deus, Gen. 21 : *In « Isaac vocabitur tibi semen;* quod sic est Apostolus interpretatus, ut diceret : Id est, *non qui filii carnis, « hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semine;* ut intelligeremus semen Abrahæ secundùm « Isaac propter Christum ad Dei filios pertinere, qui « sunt corpus Christi et membra, id est, Ecclesia Dei « una, vera, germana, catholica, tenens piam fidem; « non eam quæ per elationem vel timorem, sed eam « quæ per dilectionem operatur; tamen etiam filios « concubinarum quando à filio suo Isaac dimisit Abraham, nonnulla eis largitus est munera, ne relinquerentur omni modo inanes, non ut tenerentur hæredes. Si ergo filii sumus liberæ Jerusalem, alia dona « exhæredatorum, alia intelligamus hæredum. Hi « enim hæredes sunt, quibus dicitur : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater*. Spiritus ille adoptionis absque « charitate non habetur; extra Ecclesiam verò charitas non est. Non habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem ; ac per hoc rectè intelligitur dici non accipi nisi in catholicâ Spiritus sanctus. » Sic loquitur S. Augustinus, lib. de Patientiâ, cap. 23, et lib. 3 de Baptismo contra Donatistas, cap. 16.

Quartò, sancta est Ecclesia ratione doctrinæ. In ejus enim dogmatibus nihil falsum, nihil non sanctum. *Lex Domini immaculata, convertens animas*. « Populi confluunt ad Ecclesias, ubi audiant quàm « benè hìc ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam beatè semperque vivere mereantur; ubi sanctâ « Scripturâ, justitiæque doctrinâ de superiore loco in « conspectu omnium personante, et qui faciunt, audiant ad præmium; et qui non faciunt, audiant ad « judicium. Quò et si veniunt quidam talium præceptorum irrisores, omnis eorum petulantia aut repentinâ immutatione deponitur, aut timore vel pudore comprimitur. Nihil enim eis turpe ac flagitiosum imitandum proponitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona « laudantur, aut beneficia postulantur. » Verba sunt S. Augustini libro 2 de Civitate Dei, cap. 28.

Denique, si materiale templum, in quod populus christianus et catholicus sacrorum causâ convenit, jure sanctum appellatur, multò magis Ecclesia ipsa, quæ vivum Dei vivi templum est, domus spiritalis, sancta dici debet. *Templum* enim *Dei sanctum est, quod estis vos*, inquit Apostolus.

§ V. *Ecclesia Christi catholica est.*

Veræ Ecclesiæ ita proprium est nomen istud, eique affixa notio, ut alio nomine nec ab ipsis hostibus suis designetur, ut observat S. Augustinus libro de verâ Religione, cap. 7 : « Tenenda est nobis, inquit, chri« stiana Religio, et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ « catholica est, et catholica nominatur, non solùm à « suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint no-

« lint enim ipsi quoque hæretici et schismatum alum-
« ni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquun-
« tur, catholicam nihil aliud quàm catholicam vocant.
« Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine
« discernant, quo ab universo orbe nuncupatur. »
Hinc S. Pacianus Epistolâ ad Sympronianum de Ca-
tholico nomine : « Certè, inquit, non est ab homine
« mutuatum, quòd per secula tanta non cecidit. Ca-
« tholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec
« Montanum sonat, nec hæreticos sumit auctores. »
Et infrà : « Christianus mihi nomen est, Catholicus
« cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit... Ab
« hæretico nomine noster populus hâc appellatione
« dividitur, cùm Catholicus nuncupatur. »

Ecclesia porrò Christi *catholica* dicitur, quæ vox origine Græca est, id est, *universalis*, primò, quia toto terrarum orbe est diffusa, et prædicatio Evangelii gentibus omnibus destinata est : *Euntes, docete omnes gentes*, inquit Christus Matth. ult., mittens Apostolos. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*, Psal. 18. Et si fortè aliqua natio adhuc esset in orbe terrarum, apud quam prædicatum non esset Evangelium, ante mundi finem illius prædi-cationem auditura est. Non igitur ut in humanis re-buspublicis, aut hæreticorum conventiculis, unius regni terminis, aut uno hominum genere Ecclesia de-finita est; verùm omnes homines, sive illi barbari sint, sive Scythæ, sive servi, sive liberi, sive masculi, sive feminæ, charitatis sinu complectitur. Unde scri-ptum est Apoc. 5 : *Redemisti nos, Deus, in sanguine tuo ex omni tribu et linguâ et populo et natione, et feci-sti nos Deo nostro regnum.*

Ecclesiam Christi ratione locorum catholicam esse, quòd toto orbe diffusa sit, prophetarum oracula cla-rissimè prænuntiârunt. Psal. 2 : *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam ter-minos terræ.* Psal. 21 : *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ; et adorabunt in con-spectu ejus universæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Psal. 49 : *Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram; à solis ortu usque ad occasum; ex Sion species decoris ejus.* Psal. 56 : *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua.* « Et unde gloria ejus super omnem
« terram, nisi quia Ecclesia ejus per omnem terram?
« inquit S. Augustinus libro de Unitate Ecclesiæ. In his
« duabus sententiis brevissimis, vos, hæretici, totum
« quod inter nos agitur interrogo : Cur Dominum
« Christum exaltatum super cœlos prædicatis, et ejus
« gloriæ super omnem terram non communicatis? »
Psal. 71 : *Et dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei. Et be-nedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum. Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum; et replebitur majestate ejus omnis terra : fiat, fiat.* Isaiæ 49 : *Ecce dedi te in lucem gen-tium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Et cap. 54 : *Lauda sterilis, quæ non paris... Quoniam multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernacu-lorum tuorum extende, ne parcas; longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis; et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit.* Et Malachiæ 1 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.*

Idem confirmant postrema Christi Domini mox cœ-los ascensuri verba, Lucæ 24 : *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi, prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis : Quo-niam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die; et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymâ.* Quod Actuum 1, idem S. Lucas sic expressit : *Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judææ, et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.* Ex his omnibus Scripturarum divi-narum oraculis Patres contra Donatistas demonstrâ-runt Ecclesiam Christi toto orbe diffusam esse, non intra sectam eorum conclusam; præsertim S. Optatus Milevitanus lib. 2 contra Parmenianum, et S. Augusti-nus libro de Unitate Ecclesiæ, et alibi passim, maximè in Enarrationibus in Psalmos occasione datâ, omnes-que Africanæ Ecclesiæ episcopi in collatione Cartha-ginensi contra Donatistas.

Secundò, catholica dicitur Ecclesia, sive universa-lis, ratione temporum, quia fideles omnes qui ab Adam in hunc usque diem fuerunt, et in cœlum præ-missi sunt, omnes qui nunc in terris vivunt, et qui victuri sunt quamdiu mundus exstabit, in veræ fideî professione et christianâ unitate, ad eamdem Ecclesiam pertinent, quæ super fundamenta Apostolorum et prophetarum superædificata est, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

Tertiò, catholica dicitur ratione doctrinæ fidei, in quam fideles omnes ubique et semper, absque ullâ prorsùs variatione consenserunt. Unde Vincentius Lirinensis in Commonitorio 1 adversùs hæreses, cap. 3 : « In ipsâ, inquit, catholicâ Ecclesiâ, magno-
« perè curandum est, ut id teneamus, quod ubique,
« quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc
« est etenim verè proprièque catholicum, quod ipsa
« vis nominis ratioque declarat, quæ omnia ferè uni-
« versaliter comprehendit. Sed hoc ita demùm fiat, si
« sequamur universitatem, antiquitatem, consensio-
« nem. Sequemur autem universitatem, hoc modo,
« si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota
« per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquita-
« tem verò ita, si ab iis sensibus nullatenùs receda-
« mus, quos sanctos majores ac Patres nostros cele-
« brâsse manifestum est; consensionem quoque, si
« in ipsâ vetustate omnium, vel certè penè omnium
« sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sen-
« tentiasque sectemur. »

Quartò, Ecclesia catholica dicitur, « quia univer- « saliter perfecta est, et in nullo claudicat, » inquit S. Augustinus libro de Genesi ad litteram imperfecto, cap. 1.

Postremò, catholica dicitur, quòd omnes qui salutem æternam consequi volunt, eam amplecti debeant, eique adhærere. Unde per arcam Noe adumbrata est. Sicut enim illi soli diluvium evaserunt, qui arcam Dei jussu constructam sunt ingressi; sic illi duntaxat ab omni mortis æternæ periculo tuti esse possunt, qui in Ecclesiam, supra petram voce Domini fundatam, per Baptismum ingressi sunt, in eâque permanent. Hujus etiam figura est magna illa Jerusalem *civitas Sancti*, extra quam sacrificia Deo offerre non licebat; sic enim in solâ Dei Ecclesiâ, nusquàm extra illam, verus cultus, verumque sacrificium, quod Deo placere ullo modo possit. Hinc S. Hieronymus epistolâ : « Cathedræ Petri, inquit, communione consocior; « super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Qui- « cumque extra hanc domum agnum comederit, pro- « fanus est: si quis in arcâ cum Noe non fuerit, peri- « bit regnante diluvio. » Et ante illum S. Cyprianus libro de Unitate Ecclesiæ ait : « Habere jam non po- « test Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. « Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe « fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit. » Hinc S. Gregorius Magnus libro 35 Moralium in Job, cap. 7 : « Sola, inquit, Ecclesia est, per quam sacri- « ficium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro « errantibus fiducialiter intercedat. Unde etiam de « Agni hostiâ Dominus præcepit dicens Exod. 12 : « *In unâ domo comedetur, nec efferetis de carnibus « ejus foras.* In unâ namque domo agnus comeditur, « quia in unâ catholicâ Ecclesiâ vera hostia Re- « demptoris immolatur. De cujus carnibus divina « lex efferri foras prohibet, quia dari Sanctum cani- « bus vetat. Sola est in quâ opus bonum fructuosè « peragitur : unde et mercedem denarii nonnisi qui « intra vineam laboraverant, acceperunt. Sola est « quæ intra se positos validâ charitatis compage custo- « dit. Unde et aqua diluvii arcam quidem ad subli- « miora sustulit, omnes autem quos extra arcam in- « venit, exstinxit. »

§ VI. *Ecclesia Christi una est. Et Ecclesiæ catholicæ nomine una societas intelligenda est, à cujus communione hæretici et schismatici excluduntur.*

Unam esse Ecclesiam profitemur, à cœlesti Sponso edocti, Cantic. 6 : *Una est*, inquit, *columba mea, perfecta mea.* Hanc *unum ovile* Christus vocat, Joan. 10. Hanc *unum corpus* Apostolus appellat, ob unitatem capitis, spiritûs, fidei, spei, baptismatis. Ephes. 1 : *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et cap. 4 : *Solliciti servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

Quòd autem ita sit una societas, unaque communio, ut hæreticos et schismaticos à sinu suo excludat, veterum Patrum conspirantibus testimoniis liquidò probatur. Ita S. Cyprianus libro de Unitate Ecclesiæ : « Ec- « clesia una est, inquit, quæ in multitudinem latiùs « incremento fœcunditatis extenditur; quo modo solis « radii multi, sed lumen unum, et rami arboris multi, « sed robur unum tenaci radice fundatum; et cùm de « fonte unо rivi plurimi defluunt, numerositas licet « diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas « tamen servatur in origine. Avelle radium solis à cor- « pore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore « frange ramum, fructus germinare non poterit; à « fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic et Ec- « clesia Domini luce perfusa per orbem totum radios « suos porrigit, unum tamen lumen est quod ubique « diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos « suos in universam terram copiâ ubertatis extendit, « profluentes largiter rivos latiùs expandit; unum ta- « men caput est, et origo una, et una mater, fœcun- « ditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, « illius lacte nutrimur, Spiritu ejus animamur. Adul- « terari non potest sponsa Christi, incorrupta est et « pudica; unam domum novit, unius cubiculi sancti- « tatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat, « hæc filios regno quos generavit assignat. Quisquis « ab Ecclesiâ segregatus adulteræ jungitur, à promis- « sis Ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi « præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, « profanus est, hostis est. » Et infra : « Quam sibi « pacem promittunt inimici fratrum? Quæ sacrificia « celebrare se credunt æmuli sacerdotum? An secum « esse Christum, cùm collecti fuerint, opinantur, qui « extra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiamsi « occisi in confessione nominis fuerint, macula ista « nec sanguine abluitur. Inexplicabilis et gravis culpa « discordiæ nec passione purgatur. Esse martyr non « potest, qui in Ecclesiâ non est; ad regnum perve- « nire non poterit, qui eam quæ regnatura est, dere- « linquit. »

S. Clemens Alexandrinus libro 7 Stromatum, asserit « unam verè esse Ecclesiam, eam quæ verè est « antiqua, in cujus catalogum referuntur ii qui sunt « justi secundùm propositum... Quam conantur hæ- « reses in multas discindere. »

Lactantius lib. 4 divinarum Institutionum, cap. 30 : « Cùm Phryges, inquit, aut Novatiani, aut Valenti- « niani, aut Marcionitæ, aut Antropiani, seu quilibet « alii nominantur, Christiani esse desinunt, qui Christi « nomine amisso, humana et externa vocabula indue- « runt. Sola igitur catholica Ecclesia est, quæ verum « cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domi- « cilium fidei, hoc templum Dei, quò si quis non in- « traverit, vel à quo si quis exiverit, à spe vitæ ac « salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet « pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vitâ « et salute, cui nisi cautè ac diligenter consulatur, « amissa et extincta est. »

S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 18 Illuminatorum : « Propriè, inquit, et verè aliquis esse « dixerit Ecclesiam malignantium, conventicula hære-

« ticorum, Marcionitarum dico, et Manichæorum, et « reliquorum. Propterea nunc confirmans fideles tra- « didit, ut dicas : *Et in unam, sanctam, catholicam* « *Ecclesiam* ; ut illorum quidem fœda conventicula fu- « gias, perseveres autem in catholicâ Ecclesiâ, in quâ « et renatus es. Quòd si fortè veneris in civitates, non « quæras simpliciter ubi sit Ecclesia, sed ubi catho- « lica Ecclesia ; hoc enim proprium nomen est sanctæ « hujus et matris omnium nostrùm, quæ est Sponsa « Domini nostri Jesu Christi unigeniti Filii Dei. »

S. Optatus Milevitanus libro 3 : « Domus Dei, in- « quit, una est; qui foras exeuntes, partem facere vo- « luerunt, parietem fecerunt, non domum, quia non « est alter Deus, qui alteram domum inhabitet. Ideò « parietem dicuntur fecisse falsi vates, in quo si janua « fuerit collocata, quicumque intraverit, foris est. Nec « lapidem habere angularem unus paries potest, qui « lapis est Christus, duos in se suscipiens populos, « unum de gentibus, alterum de Judæis; qui modo pa- « cis jungit utrumque parietem. Nam quot commoda « habet domus, tot incommoda paries. Domus inclusa « custodit, tempestatem retundit, pluviam diffundit, « latronem, aut furem, aut bestiam non admittit ; sic « et Ecclesia catholica omnes filios pacis gremio et « sinu suo complectitur. Contra, paries qui est ædifi- « catus ruinosus, nec lapidem angularem sustinet, et « januam sine causâ habet, nec inclusa custodit ; plu- « viâ udatur, tempestatibus cæditur, nec potest arcere « latronem, nec venientem prohibet furem. Paries « enim res de domo est, sed domus non est. Et pars « vestra quasi Ecclesia est, sed catholica non est. » Donatistas alloquitur.

S. Augustinus libro de Unitate Ecclesiæ, cap. 4 : « Totus Christus caput et corpus est. Caput unigeni- « tus Dei Filius, et corpus ejus Ecclesia, Sponsus et « Sponsa, duo in carne unâ. Quicumque de ipso capite « ab Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus « locis inveniantur, in quibus Ecclesia designata est, « non sunt in Ecclesiâ. Et rursùs quicumque de ipso « capite Scripturis sanctis consentiunt, et unitati Ec- « clesiæ non communicant, non sunt in Ecclesiâ, quia « de Christi corpore quod est Ecclesia, ab ipsius « Christi testificatione dissentiunt. » Et paulò post : « Quicumque ab Ecclesiâ ita dissentiunt, ut eorum « communio non sit cum toto, quàcumque diffunditur, « sed in aliquâ parte separata inveniatur, manifestum « est eos non esse in catholicâ Ecclesiâ. » Item libro de Fide et Symbolo, cap. 10 : « Credimus et sanctam « Ecclesiam, utique catholicam ; nam et hæretici et « schismatici congregationes suas Ecclesias vocant. « Sed hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem vio- « lant; schismatici autem discissionibus iniquis à fra- « ternâ charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ « credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Ec- « clesiam catholicam, quæ diligit Deum ; nec schisma- « tici, quoniam diligit proximum ; et ideò peccatis « proximi facilè ignoscit. » Et epistolâ 208, aliàs 209, ad Feliciam virginem, ait : « Et bonos pastores non « sua quærentes, sed quæ Jesu Christi, et bonas oves, « quamvis imitentur facta pastorum bonorum, tamen « in eis non ponere spem suam, quorum ministerio « sunt congregatæ, sed in Domino potiùs, cujus san- « guine sunt redemptæ. Ut quando fortè incurrerint « in pastores malos, doctrinam illius prædicantes, et « sua mala opera facientes, quæ dicunt, faciant; quæ « autem faciunt, non faciant ; nec propter filios iniqui- « tatis pascua deserant unitatis. In catholicâ enim Ec- « clesiâ, quæ non in solâ Africâ, sicut pars Donati, « sed per omnes gentes, sicut promissa est, dilatatur « atque diffunditur, *in universo mundo*, sicut dicit « Apostolus Coloss. 1, *fructificans et crescens*, et boni « sunt et mali. Ab eâ verò separati, quamdiù contra « illam sentiunt, boni esse non possunt, quia etsi ali- « quos eorum bonos videtur ostendere quasi laudabilis « conversatio, malos eos facit ipsa divisio, dicente Do- « mino : *Qui non est mecum, adversùs me est, et qui* « *mecum non colligit, spargit.* » Et epistolâ 185, aliàs 50 : « Ecclesia catholica sola corpus est Christi, cu- « jus ille caput est Salvator corporis sui. Extra hoc « corpus neminem vivificat Spiritus, quia, sicut dicit « Apostolus, *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* « *per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Non est au- « tem particeps divinæ charitatis, qui hostis est unita- « tis. Qui ergo vult habere Spiritum sanctum, caveat « foris ab Ecclesiâ remanere, caveat in eam simulatus « intrare; aut si jam talis intravit, caveat in eâdem « simulatione persistere, ut veraciter coalescat arbori « vitæ. »

S. Fulgentius libro 1 de Remissione peccatorum, cap. 22 : « Sicut in Jericho quisquis extra domum « Rahab fuit, nullum potuit adipisci vitæ subsidium ; « sic extra Ecclesiam catholicam nullus accipiet indul- « gentiam peccatorum. Et sicut intra Ecclesiam ca- « tholicam *corde creditur ad justitiam, ore autem confes-* « *sio fit ad salutem* ; sic extra eamdem Ecclesiam mala « credulitas non reputatur ad justitiam, sed ad pœ- « nam; et prava confessio non acquirit salutem confi- « tenti, sed ingerit mortem. Extra hanc Ecclesiam nec « christianum nomen aliquem juvat, nec Baptismus « salvat, nec mundum Deo sacrificium offertur, nec « peccatorum remissio accipitur, nec æternæ vitæ fe- « licitas invenitur. Una est enim Christi Ecclesia, una « dilecta, una columba, una sponsa. » Et libro de Fide ad Petrum, inter capitula ad regulam veræ fidei per- tinentia, trigesimam nonam, ponit de hæreticis et schismaticis ab Ecclesiâ catholicâ, adeòque ab æternâ salute exclusis : « Firmissimè tene, et nullatenùs dubi- « tes, quemlibet hæreticum sive schismaticum, in no- « mine Patris, et Filii et Spiritûs sancti baptizatum, si « Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, quantas- « cumque eleemosynas fecerit, et si pro Christi nomine « etiam sanguinem fuderit, nullatenùs posse salvari. « Omni enim homini qui Ecclesiæ catholicæ non tenet « unitatem, neque Baptismus, neque eleemosyna « quàmlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi « suscepta proficere poterit ad salutem, quamdiù in « eo hæretica vel schismatica pravitas perseverat, quæ « ducit ad mortem. »

Denique S. Gregorius Magnus idem fidei dogma confirmat libro 18 Moralium, cap. 14, explicans hæc verba Job 28 : *Auro locus est in quo conflatur* : « Quis- « quis, inquit, extra unitatem Ecclesiæ patitur, pœ- « nas pati potest, martyr fieri non potest, quia auro « locus est in quo conflatur. Quid itaque ad hæc, hæ- « retici, dicitis? conflari per afflictionem carnis, vel « etiam per martyrium vultis, sed locum in quo de- « beatis conflari nescitis. Hunc ergo conflationis lo- « cum quærite; hanc fornacem quâ aurum aptè pur- « gari valeat invenite. Una est Ecclesia, in quâ qui « conflari voluerit, ab omni etiam poterit peccatorum « sorde purgari. Si quid pro Deo amaritudinis, si quid « tribulationis extra hanc positi sustinetis, incendi « potestis tantummodò, non purgari. »

§ VII. *Ad unitatem Ecclesiæ caput visibile requiritur, scilicet Romanus pontifex S. Petri successor.*

Unitas corporis postulat unitatem capitis; cùm igitur Ecclesia sit unum corpus, unum caput habeat necesse est, unumque rectorem, præcipuum quidem, supremum, et invisibilem Christum Dominum, in cœlis ad dexteram Patris sedentem; visibilem verò, sub Christo Domino, et illius vice in terris Romanum pontificem S. Petri successorem. Visibile istud caput ad unitatem Ecclesiæ constituendam et conservandam necessarium fuisse, traditio, omnium Patrum consentientibus testimoniis roborata, docet; duorum aut trium testimonia hìc adscribere satis erit, cùm de Romani pontificis primatu quid credendum sit explicuerimus in tractatu de sacramento Ordinis, in delineatione hierarchiæ ecclesiasticæ, et hancce quæstionem aliàs prolixè tractaverimus dissertatione 4 in historiam ecclesiasticam primi seculi.

Id inprimis colligitur ex S. Irenæo libro 3 adversùs Hæreses, cap. 3 : « Quoniam, inquit, valdè longum « est omnium Ecclesiarum enumerare successiones, « maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ, à glo- « riosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ « fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab « Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus « fidem, per successiones episcoporum pervenientem « usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos « qui quoquo modo per sui placentiam malam vel va- « nam gloriam, vel per cæcitatem et malam senten- « tiam præter quàm oportet colligunt. Ad hanc enim « Ecclesiam propter potentiorem principalitatem ne- « cesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos « qui sunt undique fideles, in quâ semper ab his qui « sunt undique, conservata est ea quæ est ab Aposto- « lis traditio. » Non de urbe, sed de Ecclesiâ Romanâ loquitur S. Irenæus; non de politicis et civilibus negotiis, sed de re quæ in Ecclesiâ maximi et præcipui momenti est, scilicet de unitate servandâ, præsertim in fide et communione. Ad id necessariam esse traditionem ab Apostolis acceptam, docet; hanc per successiones episcoporum ad nos usque traductam, et semper in Ecclesiâ Romanâ conservatam, cujus inter cæteras Ecclesias potentior est principatus, utique sacer, cùm ab Apostolis Petro et Paulo fundata sit. Proinde non tantùm conveniens esset, sed necessarium, ut ad hanc Ecclesiam cæteræ totius orbis conveniant, non corpore quidem, sed communione, veneratione, obedientiâ, quo modo ad principem et ad regiam urbem, in quâ sedet, reliquas omnes reipublicæ partes convenire necesse est. Ita hunc S. Irenæi locum Gallicana intelligit Ecclesia, ut constat ex constitutionibus generalis conventûs Melodunensis, anni 1579, tit. 1 : « Omnes et singuli, inquit, apertâ pro- « fessione eam fidem pronuntient, quam sancta Roma- « na Ecclesia, magistra, columna et firmamentum veri- « tatis, profitetur et colit. Ad hanc enim propter suam « principalitatem necessum est omnem convenire Ec- « clesiam. » Ecclesiæ visibile caput S. Irenæi temporibus præsidebat S. Victor episcopus Romanus, qui Asiaticos ab Ecclesiâ reliquâ circa legitimum Paschatis celebrandi tempus dissidentes, pro jure sacri sui principatûs, sive primatûs à Christo S. Petro traditi, et in Petri successores transfusi, à communione protinùs abscindere paratus erat, nisi S. Irenæus pacis sequester intercessisset. Refert Eusebius libro 5 Historiæ ecclesiasticæ, cap. 24.

Idem colligitur ex S. Cypriano, epistolâ 55 ad Cornelium, ubi de schismaticis Fortunato et Felicissimo, aliisque sic loquitur : « Post ista adhuc insuper « pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, navi- « gare audent, et ad Petri cathedram, atque ad Eccle- « siam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta « est, à schismaticis et profanis litteras ferre, nec co- « gitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo « prædicante laudata est) ad quos perfidia habere non « possit accessum. » Et libro de Unitate Ecclesiæ, S Petri cathedram unitatis ecclesiasticæ centrum, et primatum Petro datum à Christo esse docet ad conservandam Ecclesiæ unitatem; proindeque alienos esse à catholicâ Ecclesiâ, qui ab Ecclesiâ Romanâ alieni sunt, et Romanis episcopis S. Petri successoribus non communicant. « Loquitur, inquit, Dominus « ad Petrum : *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super* « *istum petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ in-* « *ferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cæ-* « *lorum, et quæ ligaveris super terram, erunt ligata* « *et in cœlis, et quæcumque solveris super terram, erunt* « *soluta et in cœlis.* Et iterùm eidem post resurrectio- « nem suam dicit : *Pasce oves meas.* Super illùm unum « ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat « oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resur- « rectionem suam parem potestatem tribuat et dicat : « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; accipite Spiri-* « *tum sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur* « *illi; si cui tenueritis, tenebuntur;* tamen ut unitatem « manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis « ejusdem originem ab uno incipientem suâ auctori- « tate disposuit. Hoc erant utique et cæteri Apostoli, « quod fuit Petrus, pari consortio prædìti honoris et « potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, et « primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et ca- « thedra una monstretur... Hanc Ecclesiæ unitatem

« qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ « renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quam « fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesiâ se esse con « fidit? » etc. Frustra verò critici quidam hæc verba : *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia monstretur*, ex S. Cypriani textu expungi volunt, quòd in quibusdam MSS. desint; nam in pluribus, et melioris notæ codicibus MSS. leguntur, et à Pelagio II pontifice maximo in Epistolâ ad episcopos Istriæ refertur iisdem verbis hic S. Cypriani locus. Nec pugnat cum his verbis illa propositio : *Hoc erant cæteri Apostoli, quod et Petrus, pari consortio præditi honoris et potestatis;* pares enim fuisse significant apostolatûs dignitate, pares missione, pares Evangelium prædicandi et Ecclesias fundandi potestate; pares extraordinariâ in Ecclesiâ universâ auctoritate, pares episcopali charactere et honore; non ordinariâ in regimine totius Ecclesiæ auctoritate, non denique primatu pares. Unde idem S. Cyprianus epistolâ ab Jubaianum : « Petro primùm « Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, et unde « unitatis originem instituit et ostendit, potestatem « illam dedit. »

Tertiò, idem colligitur ex Optato Milevitano, libro 2, ubi sic Parmenianum alloquitur; « Negare non potes « scire te in urbe Româ Petro primo cathedram episco- « palem collatam; in quâ sederit omnium Apostolo- « rum caput Petrus; unde et Cephas appellatus est; in « quâ unâ cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, ne « cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; « ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra « singularem cathedram alteram collocaret. »

Quartò, idem colligitur ex S. Hieronymo, libro 1 adversùs Jovinianum. « At dicis, inquit, super Pe- « trum fundatur Ecclesia, licet idipsum alio in loco « super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni « cœlorum accipiant, et ex æquo super eos Ecclesiæ « fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim « unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tolla- « tur occasio. » Apostoli quidem omnes æquo jure fuerunt Ecclesiæ fundamenta ratione apostolatûs, doctrinæ et prædicationis; solus tamen Petrus constitutus est caput, unusque præ cæteris electus, qui procurando ecclesiasticæ unitatis negotio ex officio invigilaret.

Unde SS. *Petrum et Paulum esse duos Ecclesiæ summos pastores ac præsides, qui unum caput constituunt*, asserere hæreticum est, si eo sensu propositio ista intelligatur, ut statuatur æqualitas omnimoda inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate supremâ, et in regimine universalis Ecclesiæ; ut declaravit Innocentius X pontifex maximus. Solus itaque Romanus pontifex S. Petri successor est universalis Ecclesiæ caput, pastor et rector.

Idem confirmat S. Augustinus, cùm in Scripturis sanctis se dilicisse ait : « primatum Apostolorum in Petro excellenti gratiâ præeminere. Illum à posteriore Apostolo Paulo esse correctum. Illum Apostolatûs principatum cuilibet episcopatui præferendum. Romanam Ecclesiam esse sedem Petri. Ipsam esse petram quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Petro totius Ecclesiæ figuram et personam gerenti dictum esse à Domino : *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* In Romanâ Ecclesiâ semper apostolicæ cathedræ viguisse principatum. » Pelagium et Cælestium novæ hæresis auctores *facilius cessuros auctoritati Innocentii I de sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ;* ad quem referunt duo Africæ concilia hujus hæresis capita, ut ipsa damnet; et post sedis Apostolicæ judicium, causam finitam esse ait : *Jam*, inquit, *de hâc causâ duo concilia missa sunt ad sedem Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam aliquando finiatur error!* Denique Bonifacium Romanæ Ecclesiæ episcopum *altiùs præsidere*, in Speculâ pastorali celsiore *fastigio præeminere*, scribit. Ad ipsum dirigit scripta sua contra duas Pelagianorum Epistolas, *examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda.* Cæteros Patres non appello, ut consulam brevitati.

Si verò quis objiciat Ecclesiæ unum caput et sponsum Jesum Christum sufficere, nullumque præterea ad illius unitatem requiri, respondetur Christum esse supremum caput, sed invisibile, ex quo in cœlum ascendit; esse caput per occultam gratiæ subministrationem in omnia membra influens, Ecclesiam suam regere arcanis modis, et esse cum eâ *usque ad consummationem seculi*, per Spiritum sanctum suum illi datum, et in eâ manentem; illam jugiter gubernare; et propterea Ecclesiæ judicium esse indeficiens, veracem illam esse, non posse usquàm errare in fidei morumque controversiis finiendis; *portas inferi adversùs eam prævalere* non posse; *columnam* esse *et firmamentum veritatis :* illi parendum necessariò, et *qui* illam *non audierit*, habendum hunc esse *ut ethnicum et publicanum;* sed tamen visibili societati necessarium esse visibile caput, Christi supremi capitis vicarium, caput ministeriale, cujus *prima* sit *et maxima potestas* in opere ministerii, in ædificatione corporis Christi : et qui *pro veritate* in fidei controversiis finiendis, atque in conservandâ mystici corporis unitate, *plus cæteris consacerdotibus* possit, ut loquitur Facundus Hermianensis. Ut enim Christum Dominum singulorum sacramentorum non solùm auctorem, sed etiam intimum collatorem habemus (nam *hic est qui baptizat in Spiritu sancto*, Joan. 1, hic est qui absolvit), et tamen homines sacramentorum externos ministros instituit; sic Ecclesiæ, quam ipse intimo Spiritu regit, hominem suæ potestatis vicarium et ministrum præfecit : Petrum agnorum et ovium, omnium scilicet fidelium cujuscumque generis et ordinis caput, pastorem et rectorem, patrem et doctorem constituit; ut qui ei successisset, eamdem planè totius Ecclesiæ regendæ et gubernandæ potestatem, eodemque jure, divino scilicet, habere voluerit.

Ex fidelium omnium et verè Catholicorum necessariâ cum Romano pontifice visibili Ecclesiæ capite communione, factum est ut Catholici Romani dicerentur

antiquis etiam temporibus, ut constat ex Gregorio Turonensi, libro 1 de Glorià Martyrum, cap. 25, ubi de violatis per hæreticos Lusitaniæ sacris fontibus, et de cœlesti vindictâ in violatores agens, hæc habet : « Theodegisilus, hujus rex regionis, cùm vidisset hoc « miraculum quod in his sacratis Deo fontibus gere- « batur, cogitavit intra se dicens, quia ingenium est « Romanorum (Romanos enim vocitant homines no- « stræ religionis), ut ita accidat, et non est Dei vir- « tus. » Catholicam fidem ætate sancti Hieronymi *Romanam* vulgò appellari solitam ipse S. Hieronymus testis est ; Apologiâ 1 adversùs Ruffinum : *Fidem suam*, inquit, *quam vocat? Eamne quâ Romana pollet Ecclesia ? An illam quæ Origenis voluminibus continetur ? Si Romanam responderit, ergo Catholici sumus.*

§ VIII. *Cur Ecclesia apostolica dicatur ?*

Apostolica dicitur Ecclesia in Symbolo Constantinopolitano, quòd à Christo per Apostolos fundata sit et propagata ; et quòd ejus doctrina non sit recens, neque nunc primùm orta, sed ab Apostolis jam olim tradita, et in omnem orbem terrarum disseminata, et episcoporum continuâ successione ad nos traducta. Unde semper illi verè Catholici habiti sunt, qui Ecclesiis Apostolicis, et Romanæ præsertim communicarent ; hæretici verò et schismatici, qui ab illarum doctrinâ dissiderent, et ab illarum communione divulsi essent. Quamobrem S. Irenæus, libro 3 adversùs Hæreses, cap. 4, scribit : « Non oportet adhuc quæ- « rere apud alios veritatem, quam facile est ab Eccle- « siâ sumere, cùm Apostoli, quasi in depositorium « dives, plenissimè in eam contulerint omnia quæ « sunt veritatis : uti omnis quicumque velit, sumat « ex eâ potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus ; « omnes autem reliqui fures sunt et latrones, pro- « pter quod oportet deviare quidem illos : quæ autem « sunt Ecclesiæ, cum summâ diligentiâ diligere, et « apprehendere veritatis traditionem. Quid enim ? « Etsi quibus de aliquâ modicâ quæstione disceptatio « esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere « Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et « ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum « et re liquidum est ? Quid autem si neque Apostoli « quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne opor- « tebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt « iis quibus committebant Ecclesias ? »

Id egregiè confirmat Tertullianus, libro de Præscriptionibus, cap. 20 : « Apostoli, inquit, primò per « Judæam contestatâ fide in Jesum Christum, et Ec- « clesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eamdem « doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, « et proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem « condiderunt, à quibus traducem fidei et semina « doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, et « quotidiè mutuantur ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc et « ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolica- « rum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam « censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, « una est illa ab Apostolis prima, ex quâ omnes. Sic « omnes prima, et Apostolicæ, dùm unà omnes pro- « bant unitatem, dùm est illis communicatio pacis, « et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospita- « litatis. Quæ jura non alia ratio regit, quàm ejus- « dem sacramenti una traditio. » Quid autem Apostoli prædicaverint, quid illis Christus revelaverit, non aliter probari debere ait, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsis eis prædicando, tam vivâ voce, quàm per Epistolas. « Si hæc « ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ « cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus et origi- « nalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine « dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apos- « toli à Christo, Christus à Deo accepit : omnem verò « doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat « contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et « Christi et Dei... Communicamus cum Ecclesiis Apo- « stolicis. »

Et cap. 32, sic hæreticos compellat : « Edant ori- « gines Ecclesiarum suarum ; evolvant ordinem epi- « scoporum suorum, ita per successiones ab initio « decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex « Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apo- « stolis perseveraverit, habuerit auctorem et anteces- « sorem ; sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum à « Joanne collocatum refert ; sicut Romanorum Clemen- « tem à Petro ordinatum itidem. Perinde utique et « cæteræ exhibent quos ab Apostolis in episcopatum « constitutos Apostolici seminis traduces habeant. »

Et cap. 36. « Age jam qui voles curiositatem melius « exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias « Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Aposto- « lorum suis locis præsident, apud quas ipsæ authen- « ticæ eorum litteræ recitantur, sonantes vocem, et « repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est « tibi Achaia ? Habes Corinthum. Si non longè es à « Macedoniâ, habes Philippos, habes Thessalonicen- « ses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si « autem Italiæ adjaces, habes Romam. Ista quàm fe- « lix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum san- « guine suo profuderunt ! ubi Petrus passioni Domi- « nicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu corona- « tur, ubi Apostolus Joannes, postquàm in oleum « igneum demersus, nihil passus est, in insulam re- « legatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, « cùm Africanis quoque Ecclesiis contesserârit. » Ibi igitur Apostolica est Ecclesia, ubi est Apostolorum doctrina. Ibi doctrina Apostolorum est, ubi est legitima episcoporum successio ab Apostolorum temporibus ad nos usque ; quæ successio ubi non est, ibi non est Ecclesia Christi, sed Satanæ synagoga. Unde SS. Patres Irenæus, Optatus, Augustinus hoc argumento, eâque certissimâ notâ, solam Ecclesiam catholicam esse veram Ecclesiam Christi contra hæreticos demonstrârunt.

§ IX. *Ecclesia maximè diligenda et observanda est.*

Si enim parentes carnales colere et amare tenemur,

quantò magis Ecclesiam matrem nostram omniumque Christianorum, christi sponsam, quæ nos per baptismum peperit, non in vitam mortalem, sed in vitam gratiæ, in vitæ spem immortalis? Quæ nos sinu suo fovet, Spiritu sancto unxit, corpore et sanguine sponsi sui Domini nostri alit et potat, verbo Dei instruit, lapsos erigit, devios in viam salutis revocat, vulneratos salutaribus remediis curat. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ*, inquit Sapiens, Proverb. 1, Ecclesiæ præceptis parere debemus, non timore pœnæ, sed amore justitiæ, quia sic jussit Pater noster qui in cœlis est. Illam colere debemus, et Pastores qui illam regunt, nobisque præsunt, venerari, et in omnibus quæ fidem ac disciplinam Christianam spectant, illos audire, illis parere, quamvis sine crimine non sint. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi; quæcumque dixerint vobis facite, secundùm opera verò eorum nolite facere*, inquit Christus. Cathedræ Moysi successit Cathedra Christi. Si bona loquor, et bona facio, imitare me. Si autem non facio quod dico, quæ dico fac; quæ autem facio noli facere; *tamen à cathedrâ catholicâ noli recedere*, inquit S. Augustinus, Enarratione in Psalmum 38. Non ex personis fidem, sed ex fide judicamus personas. Propheta in nomine prophetæ suscipiendus. Ad nomina, dignitatem, ordinem, missionem, non ad personas attendendum est. *Qui vos recipit, me recipit; et qui me recipit, recipit eum qui me misit*, inquit Christus. Attendere non debet plebs Christiana, qualis persona sit, quo vitæ merito, cujus ministerio Deus utitur, sive in Ecclesiâ suâ gubernandâ, sive in doctrinâ propagandâ, sive in sacramentis administrandis. Id solùm attendat, quòd sacerdos, quòd pastor est, quòd pro Christo legatione fungitur, quòd angelus est Domini exercituum, de cujus ore legem suam requiri Dominus jubet. Facienda sunt ergo bona quæ dicit, fugienda mala quæ facit. Cùm audiunt fideles pastores suos aliquorum criminum insimulari, et infamiæ notâ aspersos per hominum ora traduci, rumoribus à maledicis hominibus plerumque disseminatis credere facilè non debent; sed Sem et Japhet laudatos Noe filios imitari, qui nudum patrem tegere et cooperire conati sunt, non ut impius ille Cham, cui pater meritò maledixit, verenda patris detegere, illique illudere. Quâ de re S. Gregorius, libro 25 Moralium, cap. 15. « Quid est, inquit, quòd « filii verecunda patris superjecto dorsis pallio aversi « venientes operiunt, nisi quòd bonis subditis sic « præpositorum suorum mala displicent, ut tamen « hæc ab aliis occultent? Operimentum aversi defe- « runt, quia judicantes factum, et venerantes magiste- « rium, nolunt videre quod tegunt. » Peccatis suis imputare debet populus si fortè malos pastores habeat. Deus enim quandoque *hypocritam regnare facit propter peccata populi* ut sit *sicut populus, sic sacerdos*. De pastore non judicet ovis, à quo judicanda est : pravis ejus exemplis sua peccata non excuset, ad Deum pro ejus conversione, et pro Ecclesiæ necessitatibus ingemiscat, criminibus ejus non communi cet. Sinceri hoc amoris in Ecclesiam argumentum est.

Observantiam præterea suam et amorem in Ecclesiam testari debet fidelis quisque, in ejus acquiescendo judiciis, cùm de fide et doctrinâ sanâ, aut christianâ disciplinâ morum agitur, quia illam audire Christus jubet, *Qui in Cathedrâ unitatis doctrinam posuit veritatis*, ut loquitur S. Augustinus, epistolâ 105, aliàs 166.

Tertiò, nostrum in Ecclesiam amorem probabimus si illius malis et calamitatibus compatiamur, si illius incrementis et prosperitate lætemur, si pro ipsâ et cum ipsâ coram Deo ingemiscamus, et preces ferventissimas fundamus, ut illam Deus pacificare, custodire, et adunare dignetur toto orbe terrarum : si operam nostram et talenta à Deo concessa in Ecclesiæ utilitatem impendamus; si ad ejus propagationem promovendam, si ad conservandam unitatem et pacem, quidquid possumus, conferamus; si malis moribus, et vitæ improbitate eam dedecorare, atque affligere caveamus. Ne paleæ simus in areâ dominicâ, sed frumentum; ne vasa simus in contumeliam in domo Dei, sed in honorem; ne in corpore Christi simus, ut mali humores, ut phlegmata fœtida pectus ejus prementia, aut certè ut membra mortua, sed ut membra viventia, et capiti connexa per fidem vivam, quæ per dilectionem operatur, ut crescamus in augmentum Dei. Ne malè vivendo Dei domum faciamus speluncam latronum, ne scandalis nostris concutiendo latera matris, quæ nos quotidiè parturit, donec formetur in nobis Christus, mereamur ut cum dolore nos excutiat foras, magis malo nostro quàm suo. Ecclesiam se diligere si dixerit, qui ab ejus fide dissentit, vel ab ejus unitate dissidet, mendax est. *Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi quoniam in multis erant mecum*, inquit Propheta Psal. 54. « Baptis- « mum habebamus utrique, in eo erant mecum; « Evangelium utrique legebamus, erant in eo mecum; « festa martyrum celebrabamus, erant ibi mecum. « Paschæ solemnitatem frequentabamus, erant ibi me- « cum. Sed non omninò mecum. In Schismate non « mecum; in hæresi non mecum. Sed in his paucis « in quibus non mecum, non eis prosunt multa in qui- « bus mecum... In omnibus sacramentis mecum, in unâ « charitate non mecum. » Vel, *inter multos erant mecum*. Etenim per totum orbem terrarum pauca sunt grana, multæ sunt paleæ. Quid ergo, ait? « In paleâ « mecum erant, in tritico non mecum erant. Et pro- « pinquat palea tritico, de uno semine exit, in uno « agro radicatur, unâ pluviâ nutritur, eumdem mes- « sorem patitur, eamdem triturationem sustinet, « eamdem ventilationem exspectat, non in unum hor- « reum intrat. » Verba sunt S. Augustini, enarratione in Psalmum 54.

Quartò, Ecclesiam ita diligere debemus, ut pro ejus fide, unitate, generali disciplinâ ab Apostolicis temporibus institutâ, libertate, honore, sanguinem profundere parati simus. Sic enim *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro eâ*. Pro eâ nos impendere et superimpendere debemus, ut Apostolus

loquitur : Christum verè non amamus, nisi sanctam ejus Ecclesiam diligamus, eamque dilectionem operibus comprobemus. « Amemus igitur Dominum Deum « nostrum, amemus Ecclesiam ejus ; illum sicut patrem, « istam sicut matrem ; illum sicut Dominum, hanc « sicut ancillam ejus : quia filii ancillæ ipsius sumus. « Sed matrimonium hoc magnâ charitate compagina- « tur. Nemo offendit unum et promeretur alterum. « Nemo dicat : Ad idola quidem vado, arreptitios et « sortilegos consulo, sed tamen Dei Ecclesiam non « relinquo, Catholicus sum. Tenens Matrem, offendisti « Patrem. Alius autem dicit : Absit à me, non consulo « sortilegum, non quæro arreptitium, non quæro divi- « nationes sacrilegas, non eo ad adoranda dæmonia, « non servio lapidibus ; sed tamen in parte Donati « sum. Quid tibi prodest non offensus Pater, qui offen- « sam vindicat Matrem ? Quid prodest si Dominum « confiteris, Deum honoras, ipsum prædicas, Filium « ejus agnoscis, sedentem ad Patris dexteram con- « fiteris, et blasphemas Ecclesiam ejus? Non te cor- « rigunt exempla humani conjugii? Si haberes aliquem « patronum, cui quotidiè obsequeris, cujus limina « serviendo contereres, quem quotidiè non dico sa- « lutares, sed et adorares, cui impenderes fidelia ob- « sequia ; si unum crimen de ejus conjuge diceres, « numquid domum ejus intrares? Tenete, ergo charis- « simi, tenete omnes unanimiter Deum Patrem et « Ecclesiam Matrem. » Verba sunt S. Augustini, enarratione in Psalmum 88.

Quintò, eos qui ab Ecclesiæ unitate divisi sunt, hortari debemus et urgere ut ad unitatem redeant ; eos qui nobiscum intus sunt, ad Dei et Ecclesiæ amorem accendere. Dicamus cum Prophetâ : « Magnificate Do- « minum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. » Quisquis est in corpore Christi, ad hoc dare debet operam ut magnificetur cum illo Dominus. Amat enim Dominum quisquis est iste ; absque invidiâ veritatem amat, quæ Deus est. « Si amatis Deum, rapite omnes « ad amorem Dei qui vobis junguntur, et omnes qui « sunt in domo vestrâ ; si amatur à vobis corpus Chri- « sti, id est unitas Ecclesiæ, capite eos ad fruendum, « et dicite : *Magnificate Dominum mecum : et exaltemus « nomen ejus in idipsum :* Hoc est, in unum. Ergo ra- « pite quos potestis, hortando, portando, rogando, dis- « putando, rationem reddendo, cum mansuetudine, « cum lenitate ; rapite ad amorem ; ut si magnifi- « cant Dominum, in unum magnificent. Et hæretici « et schismatici videntur sibi magnificare Dominum : « *Quid eos offendit orbis terrarum?* Dicamus illis : « *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus no- « men ejus in unum.* Quare in præcisione vultis magni- « ficare Dominum ? Ille unus est quare duos populos « vultis facere Deo ? Quare vultis dissipare corpus Chri- « sti ?... Venit persecutor, et non fregit crura Christi ; « venit Donatus, Lutherus, Calvinus, et disrupit « Ecclesiam Christi. Integrum corpus Christi in cruce « inter manus persecutorum est, et inter manus Chri- « stianorum non est integrum corpus Ecclesiæ. Cla- « memus ergo cum gemitu, quantùm possumus, di- « centes : *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus « nomen ejus in unum.* » Hæc S. Augustinus, enarra- tione secundâ in Psalmum 33.

Et Tractatu 10 in Joannem : « Unusquisque Chri- « stianus in domo Christi, zelo domûs Dei comedatur. « Quis comeditur zelo domûs Dei? Qui omnia, quæ « fortè ibi videt perversa, satagit corrigi, cupit emen- « dari, non quiescit ; si emendare non potest, tolerat, « gemit. Non excutitur de arcâ granum, sustinet pa- « leam, ut intret in horreum, cùm palea fuerit sepa- « rata... Ergo zelus domûs Dei comedat te. Non enim « magis est domus tua quàm domus ubi habes salu- « tem sempiternam. Domum tuam intras propter re- « quiem temporalem ; domum Dei intras propter re- « quiem sempiternam. Si ergo in domo tuâ ne quid « perversum fiat satagis ; in domo Dei ubi salus pro- « posita est et requies sine fine, debes pati quantum « in te est, si quid fortè perversum videris? Verbi « gratiâ, vides fratrem currere ad theatrum? Prohibe, « mone, contristare, si zelus domûs Dei comedit te. « Vides alios currere, et inebriari velle? Prohibe quos « potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus « potes blandire, noli tamen quiescere. Amicus est, « admoneatur leniter? Uxor est, severissimè refra- « netur. Ancilla est, etiam verberibus compescatur. « Fac quicquid potes pro personâ quam portas : et « perficis, *Zelus domûs tuæ comedit me.* Si autem fue- « ris frigidus, marcidus, ad te solum spectans, et « quasi tibi sufficiens, et dicens in corde tuo, quid « mihi est curare aliena peccata ? Sufficit mihi anima « mea ; ipsam integram servem Deo. Ela, non tibi « venit in mentem servus ille qui abscondit talentum, « et noluit erogare ? Numquid enim accusatus est quia « perdidit, et non quia sine lucro servavit?... Nostis « quid agatis unusquisque in domo suâ cum amico, « cum inquilino, cum cliente suo, cum majore, cum « minore ; quomodò dat Deus aditum, quomodò ape- « rit januam verbo suo. Nolite quiescere lucrari Chri- « sto ; quia lucrati estis à Christo. »

Sextò, Ecclesiæ ministri ipsius utilitatibus studere ac servire debent propter ipsam duntaxat, et propter Christum ejus sponsum, propter unam Dei gloriam, non propter temporalia commoda, non ad dignitates ecclesiasticas obtinendas, non ad captanda beneficia ; non ad popularem auram, aut aulæ favorem aucupandum. Cùm enim *Præpositi ad hoc sint, ut his qui subjecti sunt consulant, non in eo quòd præsunt omninò suam utilitatem attendant, sed eorum quibus ministrant. Quisquis ita præpositus est, ut in eo quòd præpositus est gaudeat, et commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves.* Verba sunt sancti Augustini, sermone 46, aliàs de Tempore 165. Fidelem illum Abrahami servum imitentur ecclesiastici viri, qui uno domini sui amore sponsam ejus filio quærit et adornat, ob idque longum et difficile iter suscipit. Imitentur Jacob patriarcham, qui uno pulchræ Rachelis amore quatuor decim annos servit in domo Patris ejus ; non quæ sua sunt quærant, sed quæ Jesu Christi ; unum illis sit studium fideles omnes *uni viro virginem castam*

exhibere Christo. Quærant primùm regnum Dei et justitiam ejus. Meminerint se duobus dominis servire non posse, simplicem oculum habere se debere. « Duo- « bus autem dominis servire conatur, qui et regnum « Dei pro magno bono appetit, et hæc temporalia. « Non poterit autem simplicem habere oculum, et « uni Domino Deo servire, nisi quæcumque sunt cæ- « tera, si sunt necessaria, propter hoc unum assumat, « id est, propter regnum Dei. Sicut autem omnes mi- « litantes accipiunt annonam et stipendium, sic om- « nes evangelizantes accipiunt victum et tegumentum. « Sed non omnes propter salutem reipublicæ militant, « sed propter illa quæ accipiunt; sic et non omnes « propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed pro- « pter hæc temporalia, quæ tanquàm annonam et « stipendia consequantur : Aut et propter hoc, et pro- « pter illud. Sed, *non potestis duobus dominis servire*; « Matth. 6. Ergo simplici corde tantummodò propter « regnum Dei debemus operari bonum ad omnes; « non autem in hâc operatione vel solam, vel cum « regno Dei mercedem temporalium cogitare; » inquit S. Augustinus, libro 2 de Sermone Domini in Monte cap. 17.

§ X. *In quo sanctorum communio sita sit?*

I. *Sanctorum Communio*, quam nos credere profitemur, est societas illa omnium Ecclesiæ membrorum, sive in terris adhuc militantium, sive in purgatorio patientium, sive in cœlo regnantium, tum inter se, tum cum Christo capite Ecclesiæ. De quâ S. Joannes Epistolæ 1, cap. 1, ait : *Ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et Filio ejus Jesu Christo... Si in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.*

II. Secundò, significat communionem Sacramentorum, quibus veluti sacris vinculis Christo connectuntur et copulantur fideles omnes, in quibus Christus sanctus sanctorum merita sua omnia, præcipuè verò passionis et mortis suæ meritum cum membris suis communicat, et quorum fructus ad omnes illa dignè suscipientes pertinet. Hâc autem sanctorum communione, sacramentorum communionem intelligi debere, Patres significârunt his verbis : *Confiteor unum Baptisma ;* hoc enim sacramento velut januâ in Ecclesiam ingredimur, jusque ad sacramenta cætera obtinemus, in primis autem ad Eucharistiam, quâ corpori et sanguini Domini communicantes, Christique *Concorporales* facti, ut verbis Patrum utar, cum ipso, et mystico etiam ejus corpore, omnibusque membris ejus arctiùs conjungimur. *Unus* enim *panis, et unum corpus multi sumus, qui de uno pane et de uno calice participamus.*

III. Tertiò, significat communionem omnium donorum, non tantùm eorum quæ homines Deo charos ac justos reddunt, sed gratiarum etiam gratis datarum, in quibus numerantur scientia, prophetia, donum linguarum, ac miraculorum, et cætera hujus generis; quæ malis etiam hominibus, non privatæ, sed publicæ utilitatis causâ, ad Ecclesiam ædificandam interdùm conceduntur. Unitas enim Spiritûs à quo regitur Ecclesia, efficit ut quicquid in eam collatum est commune sit. Hæc verò bonorum spiritalium communicatio, membrorum humani corporis aptissimâ similitudine ex Apostolo petitâ explicatur. Sicut enim in corpore multa sunt membra, omnia autem non eumdem actum, sive eamdem et æquè utilem aut decoram functionem habent, non omnia sunt ejusdem dignitatis : et tamen omnia in communem corporis utilitatem functiones suas obeunt et exequuntur : et omnia tam aptè inter se connexa sunt, ut si patitur unum membrum, cætera compatiantur et doleant, si benè affectum sit unum membrum, congaudeant cætera, communique jucunditatis sensu afficiantur. Ita *sumus corpus Christi, et membra de membro... Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus : et omnes in uno Spiritu potati sumus.* Non potest unum membrum alteri dicere, *Operâ tuâ non indigeo. Pro invicem sollicita sunt.* Unicuique in Ecclesiâ suum munus assignatum est. Alii in eâ Apostoli, alii prophetæ et doctores; aliorum est præesse ac docere; aliorum, parere ac subjectos esse; alii oculorum, alii manuum, alii pedum rationem habent et functiones obeunt; omnes tamen uno Spiritu vivunt et sub uno capite inter se connectuntur, *Ut non sit schisma in corpore;* omnia mystici hujus corporis membra in communem conferunt utilitatem functiones suas, et quicquid aliud membrum habet, id sibi cum omnibus aliis commune existimat. Unde S. Augustinus, tractatu 32 in Joannem, ait : « Accipimus et nos Spiritum sanctum, si amamus Ec- « clesiam, si charitate compaginamur, si catholico no- « mine et fide gaudemus. Quantùm quisque amat Ec- « clesiam Christi, tantùm habet Spiritum sanctum. « *Datus est enim Spiritus*, sicut Apostolus dicit, 1 Cor. « 12, *ad manifestationem*. Quam manifestationem? Quia « alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo « scientiæ, secundùm eumdem Spiritum, alii fides in « eodem Spiritu, alii donatio curationum in uno Spi- « ritu, alii operatio virtutum in eodem Spiritu. Multa « dantur ad manifestationem, sed tu forsitan eorum « quæ dixi nihil habes. Si amas, non nihil habes; si « enim amas unitatem, etiam tibi habet quisquis in illâ « habet aliquid. Tolle invidiam, et tuum est quod ha- « beo; tollam invidiam, et meum est quod habes. Li- « vor separat, charitas jungit. Oculus solus videt in « corpore; sed numquid sibi soli oculus videt? Et ma- « nui videt, et pedi videt, et cæteris membris videt; « non enim si aliquis ictus in pedem veniat, avertit se « oculus inde ut non præcaveat. Rursùs sola manus « operatur in corpore; sed numquid sibi soli operatur? « Nam si ictus aliquis veniens non est in manum, sed « tantùm in faciem, numquid dicit manus, non me mo- « veo, quia non tendit ad me? Sic pes ambulando om- « nibus membris militat; membra cætera tacent, et « lingua omnibus loquitur. Habemus ergo Spiritum « sanctum, si amamus Ecclesiam; amamus autem, si « in ejus compage et charitate consistimus. Nam ipse « Apostolus cùm dixisset diversa dona dari diversis

« hominibus, tanquàm officia quorumque membrorum: « *Adhuc*, inquit, *supereminentiorem viam vobis demon-* « *stro* : et cœpit loqui de charitate... Ipsam habeto, et « cuncta habebis; quia sine illâ nihil proderit quicquid « habere potueris. » Hujus communionis consideratione fit ut Christiani alter alterius onera portent; et qui majora dona acceperunt, adversùs alios insolenter non extollantur, sed *unusquisque sicut accepit gratiam*, in alterum studeant *illam* administrare, *sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*, 1 Petri. 4; persuasi se nihilominùs aliorum orationibus et operâ in negotio salutis egere; quia membra quæ videntur ignobiliora, sunt magis necessaria. Qui verò minora dona acceperunt, imò rudes sunt et imperiti, non despondent animum, scientes aliorum dona sua esse, si charitatem habeant, eâque suis utilitatibus spiritalibus servire, et in omni statu atque conditione unicuique suppetere salutis et æternæ beatitudinis assequendæ facultatem; quoniam apud Deum non est Judæus neque Græcus, servus aut liber, pauper et dives, doctus et indoctus, sed in omni gente, in omni hominum genere, conditione, ordine ac statu, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi, Act. 10; atque omnia et in omnibus Christus.

IV. Quartò, sanctorum communio significat ejusdem fidei, religionis, ac pietatis constantem professionem, in quâ defuncti sunt sancti qui nos præcesserunt. Ad quam Apostolus fideles adhortatur his verbis. Hebr. 13: *Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Hoc sensu in canone Missæ sacerdotes aiunt suo populique christiani nomine, *Communicantes*, id est, in communione fidei et pietatis manentes cum sanctis Apostolis et martyribus, quæsumus, Domine, ut hoc sacrificium placatus accipias, etc.

V. Quintò, communio sanctorum significat sacrum commercium suffragiorum, bonorum operum, meritorum inter omnia Ecclesiæ membra, per unum Spiritum vinculo charitatis colligata. Charitate enim, quæ non quærit quæ sua sunt, efficitur, ut quæcumque piè sanctèque ab uno geruntur, ea ad omnes pertineant, illisque prosint, quantolibet locorum invervallo sint ab illo remoti. Non enim est Ecclesia ut terrenum regnum vel civitas, ubi etsi omnes iisdem legibus vivant, eidemque pareant principi, plurimi tamen nullam inter se bonorum aut negotiorum communionem, nullum commercium habentes, nihil emolumenti à se mutuò percipiunt; suis, et suorum commodis, non aliorum utilitatibus quisque consulit. Non sic *Jerusalem*, mater nostra, *quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* In eâ enim *cives* omnes *sanctorum et domestici Dei*, sive qui in cœlis Deo fruuntur, sive qui in purgatorio expiantur, sive qui in terris adhuc militant, sanctâ societate ita conjuncti sunt et confœderati, ut bonorum spiritualium sit inter eos perfecta communio, sanctique cum Christo in cœlis regnantes fidelibus in hoc mundo peregrinantibus opitulentur, eosque suis apud Deum orationibus juvent; pii verò in terris adhuc mortalem vitam agentes, et sibi mutuò, et in purgatorio piaculares pœnas luentibus succurant, orationibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque bonis operibus, ac præsertim *Sacrificio pretii nostri*, cùm pro ipsis ad altare Domini offertur; ut concilii Florentini ac Tridentini definitionibus, Scripturæ sacræ ac traditioni consonis, declaratum est. Hæc autem prosunt justis illis animabus nondùm plenè expiatis, sive ut pœna ipsarum mitior sit, aut brevior; sive ut plena ipsis remissio pœnæ à Deo tribuatur. Tantùm autem cuique illarum prosunt, quantùm ut sibi prodessent meruerunt, cùm adhuc essent in corpore; ut docet S. Augustinus, libro de Curâ gerendâ pro mortuis, et in Enchiridio. Qualis itaque membrorum inter se societas est, ut operatio cujusque membri cedat in commodum totius corporis, talis est inter Ecclesiæ membra bonorum operum et meritorum communio quædam, non solùm eorum quæ Christus caput hujus corporis comparavit, ex quo manat in reliquum corpus omne, et in singula ejus membra, quicquid boni, quicquid meriti est; verùm et justorum omnium qui sunt vel fuerunt ab exordio mundi, ut eorum benefacta nobis subveniant, eorumque *Abundantia nostræ inopiæ sit supplementum*, 2 Cor. 8. Sic bonorum omnium spiritualium, quæ fiunt, et facta sunt olim in Ecclesiâ, participes sumus, quamdiù Ecclesiæ membra fuerimus. Unde Propheta ait : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua*, Psal. 118. « Si- « cut enim membrum particeps esse dicimus totius « corporis; sic conjunctus omnibus timentibus Deum, « qui non dicat alteri : non es de corpore meo, hoc est, « non dicat pauperi dives, non ignobili nobilis, non « ægro sanus, non fortis debili, non imperito sapiens « dicat : Non estis mihi necessarii; particeps corporis « Christi est, quæ est Ecclesia; » inquit S. Ambrosius in expositione Psalmi 118, sermone 8. Idcò Christus nos orare docens, jubet ut non sibi unusquisque peculiariter à Deo quæ necessaria sunt ad salutem postulet, sed ut velut unius corporis membra, eodem animata Spiritu, quod in communi cunctis expediat, à Patre luminum postulemus, à quo est omne bonum et donum perfectum. Ab illo edocti dicimus, *Da nobis, dimitte nobis, libera nos.* Ita *Spiritus sanctus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus*, Rom. 8, cùm pios homines pro omnibus Ecclesiæ membris gemere facit, et orare ubique et omni tempore. « Nullus enim dies, « nulla hora, nullum momentum temporis invenitur, « quo non à sanctis orationes Deo ubicumque fundan- « tur, ab aliis hìc, ab aliis alibi. Cùmque ab orationi- « bus sanctorum nullum tempus sit immune; quando- « quidem diebus et noctibus, cùm alii cibo ac potu re- « ficiuntur, alii quodlibet aliud agunt, alii dormiunt, « non utique desunt, quos desiderium sanctum orare « compellat; ita fit ut Spiritus sanctus, qui ubique om- « nibus adest, gemitibus inenarrabilibus pro nobis in- « terpellare intelligatur, quia gemitibus sanctorum de- « sideriorum interpellare nos facit, quibus affectum « pium gratiæ spiritalis infundit; » ut explicat S. Augustinus, libro 1 contra Maximinum Arianum, cap. 9. Hinc S. Ambrosius, libro 1 de Officiis, cap. 29 ait :

« Ecclesia in commune orat, in commune operatur, in « commune tentatur; » et libro 1 de Pœnitentiâ, c. 15. « Pœnitentes velut operibus quibusdam totius populi « purgari, et plebis lacrymis ablui, orationibus et fle- « tibus christianæ plebis redimi à peccato, et in ho- « mine mundari interiore, » ait. « Donavit enim Chri- « stus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes redimeret, « quæ Domini Jesu meruit adventum, ut per unum « omnes redimerentur. » Et infrà : « Tota, inquit, Ec- « clesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum et « fletu, et oratione, et dolore est : et quasi fermento « ejus se totam conspergit; ut per universos ea quæ « superflua sunt in aliquo pœnitentiam agente virilis « misericordiæ aut compassionis velut collativâ quâ- « dam admixtione purgentur. » Hinc denique S. Augustinus, libro 3 de Baptismo contra Donatistas, c. 17, ait : *Per orationes sanctorum spiritualium, qui sunt in Ecclesiâ, tanquàm per columbæ creberrimum gemitum, peccata solvi.* Hùc etiam pertinet quòd Genesis 18 legimus, quòd si Sodomis decem justi inventi fuissent, propter eos à delendâ civitate Deus abstinuisset. Et Jeremiæ 5 promittit Dominus se propitium fore Jerusalem, dummodò unus aliquis vir justus in eâ reperiatur: *Circuite*, inquit, *vias Jerusalem, et aspicite, et considerate, et quærite in plateis ejus an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem; et propitius ero ei.* Quòd verò non justorum tantùm qui in hoc mundo vivunt, sed eorum etiam maximè qui ad vitam migrârunt feliciorem, nobis orationes patrocinentur, et merita suffragentur, significat Dominus, Isaiæ cap. 27 dicens : *Protegam civitatem istam propter me, et propter David servum meum.* Quibus verbis rex Ezechias admonetur, quòd *In tantum justitiam diligat Deus, ut etiam posteros sanctorum hominum, non suo merito, sed Majorum virtute tueatur*, inquit S. Hieronymus in hunc locum. Unde S. Augustinus, quæstione 149, in Exodum, cap. 32, explicans hæc verba Domini ad Mosen: *Sine me, et iratus conteram eos;* ait sic locutum esse Deum : « Ut eo modo admoneremur, cùm merita no- « stra nos gravant ne diligamur à Deo, relevari nos « apud eum illorum meritis posse, quos diligit. Nam « cùm ab Omnipotente dicitur homini, *Sine me, et con- « teram eos*, quid aliud dicitur quàm, Contererem eos, « nisi diligerentur abs te? » Et libro 20, contra Faustum, cap. 21, ait : « Populus christianus memorias « martyrum religiosâ solemnitate concelebrat, et ad « excitandam imitationem, et ut meritis eorum conso- « cietur, atque orationibus adjuvetur. »

VI. Omnes porrò fideles communionis sanctorum participes sunt, non tamen æqualiter, sed pro fidei suæ, charitatisque mensurâ. Fructum certè ampliorem ex sacrâ illâ societate percipiunt, qui plus in eam conferunt, et bonis spiritalibus magis abundant : quoniam *Omni habenti dabitur et abundabit*, Matth. 13 et 25. Christus autem, qui sanctæ istius societatis caput est et judex, illius bona cuique secundùm merita sua distribuit : quæ tamen merita nihil aliud sunt quàm Dei misericordis dona; et Christi Domini justitiâ, passione ac meritis innituntur, ab iisque vim omnem, ac pretium habent. *Sicut enim palmes à semetipso fructum ferre non potest nisi manserit in vite; sic nec vos*, inquit Joan. 15, nisi in me manseritis.

VII. Ex his facilè intelligitur, à communione sanctorum illos omnes excludi, qui ab Ecclesiâ excludun- tur, scilicet Paganos, Judæos, hæreticos, schismaticos, et justè excommunicatos. « Neque enim in confusione « Paganorum, neque in purgamentis hæreticorum; « neque in languore schismaticorum, neque in cæci- « tate Judæorum, quærenda est religio, sed apud eos « solos qui christiani, catholici vel orthodoxi nomi- « nantur, id est, integritatis custodes, et recta sec- « tantes. Ecclesia tamen catholica per totum orbem « validè latèque diffusa, omnibus errantibus utitur ad « provectus suos, et ad eorum correctionem cùm « evigilare voluerint. Utitur enim gentibus ad materiam « operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ « suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, « Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios « ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios « antecedit; omnibus tamen gratiæ Dei participandæ « dat potestatem; sive illi formandi sint adhuc, sive « reformandi, sive recolligendi, sive admittendi. Car- « nales autem suos, id est, viventes aut sentientes « carnaliter, tanquàm paleas tolerat, quibus in aream « frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus « exuatur. Sed quia in hâc aream pro voluntate quisque « vel palea, vel frumentum est, tamdiù sustinetur « peccatum aut error cujuslibet, donec aut accusato- « rem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animo- « sitate defendat. Exclusi autem aut pœnitendo re- « deunt, aut in nequitiam malè liberi defluunt, ad « admonitionem nostræ diligentiæ; aut schisma fa- « ciunt, ad exercitationem nostræ patientiæ; aut hæ- « resim aliquam gignunt ad examen sive occasionem « nostræ intelligentiæ. Hi sunt exitus Christianorum « carnalium, qui non potuerunt corrigi aut sustineri. « Sæpè etiam sinit divina Providentia, per nonnullas « nimiùm turbulentas carnalium hominum seditiones « expelli de congregatione christianâ etiam bonos viros. « Quam contumeliam vel injuriam suam cùm patien- « tissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas no- « vitates vel schismatis vel hæresis moliti fuerint, « docebunt homines quàm vero affectu et quantâ sin- « ceritate charitatis Deo serviendum sit. Talium ergo « virorum propositum est, aut sedatis remeare turbi- « nibus; aut si id non sinantur, vel eâdem tempestate « perseverante, vel ne suo reditu talis aut sævior « oriatur tempestas, tenent voluntatem consulendi, « etiam eis ipsis quorum motibus perturbationibusque « cesserunt, sine ullâ conventiculorum segregatione « usque ad mortem defendentes, et testimonio juvantes « eam fidem, quam in Ecclesiâ catholicâ prædicari « sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto « videns. » Hæc S. Augustinus, libro de Verâ Religione, capp. 5 et 6. Ex quibus patet, ethnicos, Judæos, hæreticos, schismaticos, et justè excommunicatos, ab Ecclesiâ catholicâ, adeòque à sanctorum communione excludi; qui autem injustè excommuni-

cati sunt, et ab Ecclesiâ pulsi, quamvis ab externâ sacramentorum communione excludantur, illos tamen, si boni ac pii sunt, cæterorum bonorum omnium spiritalium quæ ad Ecclesiam pertinent, participes esse, adeòque sanctorum communione frui; siquidem illos coronat Pater, in occulto videns. Rarum tamen videtur hoc hominum genus.

ARTICULUS IX.

Quo Symboli decimus articulus explicatur: REMISSIONEM PECCATORUM.

1. Post Sanctæ Ecclesiæ commemorationem in symbolo *Remissionem peccatorum* confitemur. « Per hanc « enim stat Ecclesia quæ in terris est : per hanc non « perit quod perierat et inventum est. Excepto quippe « baptismatis munere, quod contra originale peccatum « donatum est, ut quod generatione adtractum est, « regeneratione detrahatur; et tamen activa quoque « peccata, quæcumque corde, ore, opere commissa « invenerit, tollit : hâc ergo exceptâ magnâ indulgen- « tiâ, unde incipit hominis renovatio, in quâ solvitur « omnis reatus et ingeneratus et additus; ipsa etiam « vita cætera jam ratione utentis ætatis, quantâlibet « præpolleat fecunditate justitiæ, sine peccatorum re- « missione non agitur. Quoniam filii Dei quamdiù mor- « taliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de « illis sit veraciter dictum : *Quotquot Spiritu Dei agun- « tur, hi filii sunt Dei;* sic tamen Spiritu Dei excitan- « tur, et tanquàm filii Dei proficiunt ad Deum, ut « etiam spiritu suo, maximè aggravante corruptibili « corpore, tamquàm filii hominum quibusdam humanis « motibus deficiant ad seipsos, et ideò peccent. » Verba sunt S. Augustini in *Enchiridio*, cap. 64. Peccatum originale baptismo remittitur; activa seu actualia peccata per Pœnitentiam; de quotidianis autem levioribusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit.

II. Remissio peccatorum Dei propria est. *Ego sum*, inquit, *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*, Isai. 5. Quemadmodùm enim à nemine, nisi à creditore, pecunia quæ debetur, remitti potest; ita cùm uni Deo peccatis obstricti simus, perspicuum est à nemine, præter illum, peccata nobis condonari posse. Unde quotidiè ipsum oramus, *Dimitte nobis debita nostra*. Præterea, non minor potestas necessaria est ad hominem ex impio justum reddendum, et animam a morte peccati suscitandam, quàm ad mundi creationem, et corpora à morte excitanda; ad hæc autem infinitam et immènsam Dei vim requiri certum est. Potestas dimittendi peccata, antequàm Deus homo fieret, nulli creatæ naturæ à Deo concessa est. Primus omnium Christus Salvator noster, ut homo, cùm idem verus Deus esset, hoc munus à Patre accepit : *Ut sciatis*, inquit Matth. 9, *quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, ait paralytico : Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.* Hanc potestatem Ecclesiæ suæ concessit, ab episcopis et presbyteris, ad hoc ordinatis ministris exercendam illius vice et auctoritate, non suis meritis, cùm et ipsi medico cœlesti indigeant. Unde Joannis 20 Apostolis ait : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc. Hoc est, « Spiritus sanctus dimittit, « non vos. Spiritus autem Deus est. Deus ergo dimittit, « non vos; sed ad Spiritum quid estis vos? Nescitis « quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in « vobis? Deus habitat in templo sancto suo, hoc est, « in sanctis suis fidelibus, in Ecclesiâ suâ; per eos « dimittit peccata, quia viva templa sunt. Sed qui « dimittit peccata per hominem, potest dimittere et « præter hominem. »

III. Remissionis autem peccatorum confessio fit in Symbolo, tacitis aliis ad justificationem pertinentibus; quia « Ipsa nostra justitia, quamvis vera sit propter « veri boni finem ad quem refertur, tamen tanta est « in hâc vitâ, ut potiùs remissione peccatorum constet « quàm perfectione virtutum; inquit S. Augustinus, « libro 19 de Civitate Dei, cap. 27. »

IV. Cæterùm peccatorum remissio non culparum duntaxat abolitionem, sed pœnarum etiam remissionem, et effectus omnes gratiæ Christus omnes sanguinis ipsius complectitur, plenam denique et integram totius hominis redemptionem, quæ æternâ salute, et corporum etiam resurrectione complebitur. Hoc sensu remissio peccatorum in Scripturis sacris frequenter usurpatur. Act. 5 : *Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dexterâ suâ ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum.* Act. 10 : *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Matth. 26 : *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ad Ephesios 1 : *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis.* Et ad Colossenses 1 : *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Quamobrem S. Augustinus, libro secundo de Peccatorum Meritis et Remissione, cap. 36, redemptionem et remissionem peccatorum pro eodem usurpari in sacris paginis asserit, de Pelagianis scribens : « Non enim parùm paginarum di- « vinarum auctoritati veritatique cesserunt, qui et si « noluerunt litteris suis apertè exprimere, parvulis « remissionem necessariam peccatorum, redemptio- « nem tamen eis opus esse confessi sunt, alio quippe « verbo, etiam ipso de christianâ eruditione de prom- « pto, nihil aliud omninò dixerunt. » Et libro de Spiritu et Litterâ, cap. 29. Justificationem, quæ fit merito fidei, resurrectionem esse docet, quæ à Spiritu incipit, et in carne tandem complebitur in die Judicii novissimi. Quæ resurrectio etiam regeneratio, justificatio, et remissio peccatorum appellatur; quia peccatorum remissio per Baptismum facta, toto christianæ vitæ decursu continuatur, et in ultimo tantùm judicii die perficietur et consummabitur, cum extinctâ penitùs in corpore immortali concupiscentiâ, justi felicitate illâ donabuntur, quæ est, *Non posse peccare.* Sic autem loquitur S. Augustinus loco mox indicato : « Per hanc fidem credimus, quòd etiam nos Deus à

« mortuis excitet; interim spiritu, ut in novitate ejus « gratiæ temperanter *et justè et piè vivamus in hoc « seculo;* post etiam carne nostrâ ad immortalitatem « resurrecturâ, quod est meritum spiritûs, qui eam « in resurrectione sibi congruâ, hoc est, in justifica- « tione præcedit.

Eodem sensu S. Ambrosius, in Expositione Isaiæ prophetæ, cap. 1, ait : « Videamus ne qua sit post hu- « jus vitæ curriculum nostra regeneratio, de quâ di- « ctum est, *in regeneratione cùm sederit Filius hominis « in throno gloriæ suæ*, Matth. 19. Sicut enim regene- « ratio lavacri dicitur, per quam detersâ peccatorum « colluvione renovamur; ita regeneratio dici videtur, « per quam ab omni corporeæ concretionis purificati « labe, mundo animæ sensu, in vitam regeneramur « æternam. » Hunc S. Ambrosii locum S. Augustinus profert libro 2 contra Julianum Pelagianum, cap. 8, subditque : « Nempè distinxit vir sanctus et verax, « justificationem vitæ hujus, quæ fit per lavacrum re- « generationis, et illius perfectionem, cùm et nostra « corpora fuerint immortalitate renovata. »

Ob eamdem causam idem S. Augustinus, cap. 66 Enchiridii ait : « Magis propter futurum judicium fit « remissio peccatorum. In hâc autem vitâ usque adeò « valet quod scriptum est, Eccli. 40 : *Grave jugum super « filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque « in diem sepulturæ in matrem omnium*; ut etiam par- « vulos videamus post lavacrum regenerationis diver- « sorum malorum afflictione cruciari; ut intelligamus « totum quod salutaribus agitur sacramentis magis « ad spem venturorum bonorum, quàm ad retentio- « nem vel adeptionem præsentium pertinere. »

Eodem sensu S. Petrus Chrysologus, sermone 95, ait Christum in die judicii dicturum Ecclesiæ : « Di- « mittuntur tibi peccata multa, quia dilexisti multùm : « quia tunc erit remissio peccatorum, quando tolletur « materia tota peccandi; quando corruptio induet « incorruptionem; quando mortalitas immortalita- « tem consequetur; quando peccati caro, caro totius « efficietur sanctitatis; quando terrena servitus cœle- « sti dominatione mutabitur; quando militia humana « divinum promovebitur ad regnum. »

V. Verùm quamvis plena illa remissio in die tantùm judicii perficienda et consummanda sit, in iis tamen solis *perficienda est*, quibus in hâc vitâ pœnitentiam agentibus in Ecclesiâ catholicâ peccata remissa fuerint : « Neque enim ad remissionem peccatorum po- « terit pervenire, si quis aut veram non teneat fidem, « aut negligat bonæ operationis officium, aut rectæ « credulitatis, et bonæ operationis concessum divini- « tùs tempus mortiferâ præoccupatus vanitate con- « temnat. Hæc namque tria, id est, fides, opus et « tempus, ita sunt simul hominibus in hâc vitâ neces- « saria; ut si cui unum ex his tribus in præsenti se- « culo defuerit, æternæ vitæ particeps esse non pos- « sit. Ac per hoc nec remissionem peccatorum con- « sequetur, per quam ad æternæ vitæ præmium per- « venitur. Credendum ergo est, 1° quòd peccatorum « remissionem sola de Deo possit elicere cordis vera « conversio; 2° quòd non alibi quàm in solo gremio « catholicæ matris dimitti possint peccata conversis; « 3° in præsenti tantùm seculo remissionem omnium « peccatorum conversis posse concedi; » inquit S. Fulgentius, libro 1 de Remissione Peccatorum, cap. 5 et 6.

VI. Peccata verè conversis duntaxat, et sincerè pœnitentibus dimitti, ex eo constat, quòd Deus sit miseri- cors et justus. « Quia, inquit S. Fulgent., cap. 11, ubi « est misericordia justitiaque perfecta, nec favorem « potest justus peccatis impendere, nec indulgentiam « conversis misericors abnegare. » Hinc Psalmista Ps. 7, canit : *Nisi conversi fueritis, gladium suum vi- brabit; arcum suum tetendit, et paravit illum; et in eo paravit vasa mortis.* Hinc per alium Prophetam, Isai. 30, Dominus ait : *Si conversus fueris, et ingemueris, salvus eris.* « Hæc est inter Deum hominemque conditio, id « est, inter præcipientem Dominum servumque po- « scentem; si quod dico custodieris, dabo quod po- « scis. Ego tibi præcipio conversionem, tu poscis à « me salutem; si paruerîs præcepto, potieris beneficio. « Sed necesse est ut sincerè peccator ingemiscat; non « ut quidam qui pro iniquitatibus quidem suis in ora- « tione gemunt, nec tamen ab iniquâ operatione di- « scedunt. Accusant humiliter in conspectu Dei pec- « cata quibus tenentur oppressi, et eadem peccata « quæ humilitate sermonis accusant, corde perverso « contumaciter cumulant. Indulgentiam quam lacry- « mosis gemitibus poscunt, ipsi sibi pravis operibus « adimunt. Medelam postulant à medico, et in perni- « ciem suam subrogant adjutorium morbo. Ac sic ina- « niter verbis quærunt placare judicem, quem factis « iniquis magis irritant ad furorem. Tales nunquàm « diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt pec- « care post gemitum. De his Scriptura divina sic lo- « quitur, Eccles. 34 : *Qui baptizatur à mortuo, et ite- « rùm tangit illum, quid proficit lavatio ejus? Sic homo « qui jejunat pro peccatis suis, et iterùm eadem faciens, « quid proficit humiliando se? Orationem ejus quis exau- « diet?* » Rectè igitur Deus ait homini : *Si conversus fue- ris, et ingemueris, salvus eris.* Necesse est enim ut Deus peccatori misertus ignoscat, si tamen peccator iniquitatem suam conversus agnoscat. Id exemplo Davidis comprobatur, qui cùm ad Deum ingemiscens dixisset : *Miserere meî, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam*, etc. Subjunxit : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* « Agnoscebat iniquitatem suam, non ut peccando magis « augeret, sed ut pœnitendo dilueret; atque ita domi- « nationem peccati, quam delectatio culpabilis inve- « xit, conversio vera summovit. » Hæc S. Fulgen- tius.

VII. In solâ autem Ecclesiâ catholicâ datur et acci- pitur remissio peccatorum, quam super petram Chri- stus fundavit, cui claves regni cœlorum, cui potesta- tem ligandi solvendique concessit. « Ipsa propriè Spi- « ritum sanctum pignus accipit, sine quo non remit- « tuntur ulla peccata, ita ut quibus remittuntur, « consequantur vitam æternam, » inquit S. Augusti-

nus in Enchiridio, cap. 63; et « in typo unitatis Petro « Dominus dedit potestatem, ut id solveretur in ter- « ris, quod ille solvisset; » ut idem sanctus doctor ait, lib. 3 de Baptismo contra Donatistas, cap. 17 Ecclesiæ personam gerebant Apostoli, cùm eis à Christo dictum est, Joan. 20 : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc. *Igitur*, inquit S. Augustinus, *pax Ecclesiæ dimittit peccata, et ab Ecclesiæ pace alienatio tenet peccata. Petra tenet, petra dimittit; columba tenet, columba dimittit; unitas tenet, unitas dimittit.* « Extra hanc Ecclesiam, inquit « S. Fulgentius, Baptismus potest esse, non prodesse. « Quare ab Ecclesiâ qui foris sunt in diversis errori- « bus constituti, tunc accipient indulgentiam pecca- « torum, si ad eamdem Ecclesiam rectâ fide, et con- « triti cordis humilitate fuerint conversi. Currant, « dum tempus est, ad legitimam matrem. Non negli- « gant fraternam societatem repetere, si volunt pa- « ternæ hæreditatis munere non carere, » S. Augustinus : « De criminibus autem quamlibet magnis re- « mittendis in sanctâ Ecclesiâ, Dei misericordia de- « speranda non est agentibus pœnitentiam secundùm « modum sui cujusque peccati... Qui verò in Ecclesiâ « remitti peccata non credens, contemnit tantam di- « vini muneris largitatem, et in hâc obstinatione men- « tis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili « peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus pec- « cata dimittit. » Verba sunt S. Augustini, in Enchiridio, cap. 64 et 83.

VIII. In hoc denique seculo pœnitentibus peccata remittuntur à Deo. Sterilis enim pœnitentia remissionis fructu privabitur, si divinitùs indulti temporis opportunitas omittatur. Propterea S. Petrus ait, 2 Epist. 3 : *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hic scilicet prodest pœnitentia peccatori, ubi Deus peccantem damnare non festinat, ut remissionem peccatorum ad pœnitentiam converso concedat. Qui verò in hâc vitâ conversi ad Deum non fuerint, pœnitentiam quidem in die judicii sunt habituri, non tamen indulgentiam divinitùs accepturi. *Esto consentiens adversario tuo citò dùm es in viâ*, inquit Christus, Matth. 5, *ne fortè tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi : Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.* « Ad- « versarium sibi facit homo verbum Dei, quamdiù illa « facit quæ Dei verbo ac lege prohibentur. Bonus iste « adversarius, qui salubri adversitate jugiter instat, ut « à nobis adversitatem mortiferæ iniquitatis expellat. « Via nostra, præsens vita est; in quâ si quis positus « verbo Dei non consenserit, non accipiet remissio- « nem peccatorum, sed in fletu et stridore dentium « luet sine fine supplicium. *Nec immeritò nunquàm « merebitur carere tormento, qui quamdiù hic vixit, no- « luit renuntiare peccato.* » Ideò sapiens hortatur pec- catorem ut citò hìc pœnitentiam agat : *Non tardes*, inquit, *converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* Nunc tempus misericordiæ, tunc justitiæ; nunc tempus indulgentiæ, tunc vindictæ; nunc tempus remissionis, tunc retributionis. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, 2 Cor. 6. Tunc autem « Omnes manifestari oportet ante tribunal « Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, « prout gessit, sive bonum, sive malum. » Tempus nunc seminandi, tunc metendi. In finem usque præsentis vitæ bonorum operum semina mittenda sunt, ut vitam æternam metamus; hìc seminandum cum lacrymis, ut tunc veniamus cum exultatione manipulos uberrimos portantes. *Nolite errare*, inquit Apostolus, Galat. 6, *Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne suâ, de carne metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dùm tempus habemus, operemur bonum ad omnes..., Videte, Fratres* (Heb. 3), *ne fortè sit in aliquo vestrùm cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodiè cognominatur; ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ usquè in finem firmum retineamus.* Improborum, qui de malo ad bonum converti istius vitæ tempore negligunt, propheta contumaciam accusat, et pœnam à Deo infligendam prænuntiat, Psal. 54 : *Non enim est illis commutatio*, inquit, *et non timuerunt Deum; extendit manum suam in retribuendo.* Hujus opportunitatem temporis ob oculos ponit propheta, cùm peccatores ad conversionem his verbis hortatur, Isai. 55 : *Quærite Dominum, dùm inveniri potest, invocate illum dùm prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Nunc ergo Dominus quærendus est, cùm potest à quærentibus inveniri; nunc invocandus, cùm est proximus invocanti. Ceterùm bona Dei non videbit in terrâ viventium, qui in hâc terrâ morientium non acceperit remissionem peccatorum. Hoc enim ipse præordinavit hominum salvator et judex, ut quibus peccata dimittit, in hoc mundo dimittat. Propter quod Judæis incredulis ait, Matth. 9 : *Ut autem sciatis quia potestatem habet filius hominis in terrâ dimittendi peccata.* Quod non ideò dixit, quia transeuntibus hominibus de hâc terrâ, hujus temporis peccata, si quibus vellet, relaxare non possit; sed ut homines agnoscerent tempus remissionis et retributionis divinâ incommutabiliter constitutione discretum; nec audire humana inaniter speraret vanitas, quod divina non promitteret veritas. Hinc est etiam quod beato Petro, hoc est, Ecclesiæ suæ, *in terrâ* ligandi solvendique tribuit potestatem, ut agnosceremus tempore mortalis hujus vitæ gratuitam tribui in peccatorum remissione misericordiam, in futuro autem justam cunctis mercedem pro factorum qualitate reddendam. Quamobrem et David a Spiritu sancto eruditus, remissionem peccatorum supplex à Deo postulat, priusquàm ex hoc seculo abeat,

Remitte mihi, inquit Psal. 38, *ut refrigerer, priusquàm abeam, et ampliùs non ero.*

Hæc S. Gregorius Magnus libro 18 Moralium, cap. 14, confirmat : « Sciendum, inquit, peccatorum remissio, vel ubi, vel quando, vel qualibus detur. Ubi quippe, nisi in Ecclesiæ matris sinu? Quando, nisi ante venturi exitûs diem? Qualibus, nisi conversis, qui ad parvulorum imitationem magistrà humilitate formantur? *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum,* » Matth. 18.

ARTICULUS XII.

Quo symboli articulus undecimus exponitur : CARNIS RESURRECTIONEM.

§ I. *Resurrectionis futuræ veritas.*

I. « Propria fides est Christianorum resurrectio mortuorum. Hanc resurrectionem in seipso caput nostrum Christus ostendit, et exemplum fidei nobis præstitit, ut hoc sperent membra in se, quod præcessit in capite, » inquit S. Augustinus, sermone 241, aliàs de Tempore 143. Mysterium istud fidei nostræ gentilibus philosophis ignotum, etiam iis qui animæ immortalitatem rationis lumine cognoverunt, in sacris litteris à Deo revelatum est. Job. 19 : *Scio quòd Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terrâ surrecturus sum; et rursùm circumdabor pelle meâ, et in carne meâ videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius; reposita est hæc spes mea in sinu meo.* In novo verò Testamento Martha Christo dicenti, Joan. 11 : *Resurget frater tuus,* respondit : *Scio quia resurget in resurrectione, in novissimo die.* Idem docet Apostolus 1 ad Corinthios 15 : *Si Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodò quidam dicunt in vobis, quòd resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra... Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hâc vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Et infrà : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissimâ tubâ; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoriâ. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* Tria sunt quæ mundo videntur incredibilia, quæ tamen facta sunt, et jure merito creduntur. Incredibile videbatur Christum resurrexisse in carne, et in cœlum ascendisse cum carne. Incredibile videtur mundum rem tam incredibilem credidisse. Incredibile videtur homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos, rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, et in illo etiam doctis persuadere potuisse. Incredibile videtur corpora nostra aliquandò resurrectura in æternum. Horum incredibilium tria jam facta partim credimus, partim videmus; cur igitur quartum, scilicet corporum nostrorum resurrectionem futuram non credamus et speremus, siquidem et illud ab eodem Deo, qui hæc omnia futura esse prædixit, antequàm vel unum illorum fieret, pariter prænuntiatum et promissum est? Ita ratiocinatur S. Augustinus, libro 22 de Civitate Dei, cap. 5.

II. Eò magis autem credibilis est resurrectio mortuorum, quòd plures à mortuis excitatos, vetus novumque Testamentum, et certissima historiæ ecclesiasticæ monumenta testentur. Ab Eliâ, inquam, et Elisæo, à Christo Domino, ab Apostolis, aliisque permultis sanctis viris, ad vitam plures revocati sunt; quidni ergo et universos homines resurrecturos credamus, Christo ita asserente, prædicentibus prophetis, prædicantibus Apostolis?

III. Hæc veritas similitudinibus et exemplis illustratur, quò minùs incredibilis appareat. Prima similitudo ad id illustrandum aptissima est similitudo seminis, sive grani, quod terræ mandatur, et mortuum reviviscit et multum fructum affert. Nemo seminat herbam vel stipulam, et multiplicia in paleâ tegumenta granorum, sed nudum granum : et illud tamen cum herbâ, seu stipulâ, et multiplicibus illis integumentis multiplicatum reviviscit et resurgit; si ergo potest Deus addere quod non erat in nudo semine, multò magis potest reparare quod erat in hominis corpore. *Incipiens tu,* inquit Apostolus, 1 Cor. 15, *quod seminas non vivificatur nisi priùs moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut putà tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult : et unicuique seminum proprium corpus..... Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in glorià; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Ad eam similitudinem multæ aliæ possunt adjungi, vicissitudinum scilicet, et quasi resurrectionum, quæ in naturâ, Deo operante, contingunt. Dies in noctem moritur, et rursùs cum sole, integra et tota universo orbi reviviscit. Anni tempestates, ardores, flores quotannis intereunt, et veluti resurgunt. Terra suscepta semina, uberiora cultioraque restituit. « Nihil deperit nisi in salutem. « Totus igitur hic ordo revolubilis rerum, testatio est « resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit Deus, antequàm litteris; viribus prædicavit, antequàm vocibus; præmisit tibi naturam magistram, summissurus et prophetiam; quò faciliùs credas prophetiæ, discipulus naturæ; nec dubites « Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium nôris restitutorem. Et utique si omnia homini resurgunt, cui procurata sunt, porrò non homini, nisi et carni : quale est ut ipsa depereat in totum, propter quam et cui nihil deperit? » Verba sunt Tertulliani, libro de Resurrectione carnis, cap. 12, cui succinit S. Gregorius, libro 14 Moralium, cap. 28.

IV. Congruis præterea rationibus carnis resurrectio probatur. Prima petitur ex animarum immortalite, et earum ad humana corpora, quibuscum hominem u-

partes componunt, naturali propensione. Hinc enim colligitur præter naturam esse ut à corporibus sejunctæ perpetuò maneant; quia verò quod naturæ adversatur ac violentum est, diuturnum esse non potest, consentaneum fore videtur ut corporibus iterùm jungantur; quod fieri non potest, nisi corpora resurgant. Quo quidem argumenti genere Christus ipse Salvator noster usus est, Matth. 22, cùm adversùs Sadducæos corporum resurrectionem ex animarum immortalitate probavit. *De resurrectione autem mortuorum*, inquit, *non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis*, Exod. 3: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.*

Ratio altera petitur ex justitiâ Dei, bonis præmia, pœnas malis retribuente. Cùm enim corpora sint animarum instrumenta et organa ad bona vel mala opera, conveniens est ut unà cum animabus præmio aut pœnâ afficiantur. Quam rationem et Tertullianus, libro de Resurrectione Carnis, et S. Joannes Chrysostomus, homiliâ de Resurrectione mortuorum, persequuntur. Eamdem rationem et hæc Apostoli verba complectuntur, 1 Cor. 15: *Si in hâc vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Quam quidem sententiam de animæ miseriâ non esse intelligendam perspicuum est. Cùm enim immortalis sit, in futurâ vitâ beatitudine frui posset, quamvis corpora non resurgerent. Verùm ad totum hominem hæc verba referenda sunt. Nisi enim corpori debita pro laboribus præmia reddantur, necesse est ut qui tot ærumnas et calamitates in vitâ perpessi sunt, omnium sint miserrimi. Id confirmat rursùs idem Apostolus 2 ad Thessalonicenses 1: « Supercrescit, inquit, fides vestra, et abundat charitas « uniuscujusque vestrûm in invicem; ita ut et nos ipsi « in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientiâ « vestrâ, et fide, et in omnibus persecutionibus ve« stris, et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum « justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, « pro quo et patimini. Si tamen justum est apud Deum « retribuere tribulationem iis qui vos tribulant, et « vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revela« tione Domini Jesu de cœlo cum angelis virtutis ejus, « in flammâ ignis dantis vindictam iis qui non nove« runt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini « nostri Jesu Christi; qui pœnas dabunt in interitu « æternas à facie Domini, et à glorià virtutis ejus; « cùm venerit glorificari in sanctis suis, et admirabi« lis fieri in omnibus qui crediderunt. » Adde quòd sacrificia Deo grata, jejunia, virginitas, vigiliæ, martyrium, de bonis carnis adolentur, ut loquitur Tertullianus: et Apostolus ad Romanos scribens, cap. 12, hortatur ut exhibeamus *corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Sed quomodò vivam, si peritura sunt, quomodò placabilem, si damnata sunt? inquit idem Tertullianus.

Ratio tertia petitur ex salute et felicitate homini per Christum partâ; quæ quidem plena et perfecta esse non potest, quamdiù anima sejuncta est à corpore. Ut enim quælibet pars à toto separata, imperfecta est, ita etiam anima quæ corpori non est copulata; ex quo sequitur corporis resurrectionem esse necessariam, ut illi ad perfectam felicitatem nihil desit. « Resurget « igitur caro, inquit Tertullianus, et quidem omnis, et « quidem ipsa, et quidem integra. In deposito est ubi« cumque apud Deum per fidelissimum sequestrem « Dei et hominum Christum Jesum, qui et homini « Deum, et hominem Deo reddet, carni spiritum, et « spiritui carnem. Utrumque jam in semetipso fœde« ravit, sponsam sponso, et sponsum sponsæ compa« ravit. Nam etsi animam quis contenderit sponsam, « vel dotis nomine animam sequitur caro. Non erit « anima prostituta, ut nuda suscipiatur à sponso. Ha« bet instrumentum, habet cultum, habet mancipium « suum carnem: ut collactanea comitabitur. Sed caro « est sponsa, quæ et in Christo Jesu per sanguinem « pacta est. Hujus interitum quem putas, secessum « scias esse. » Totum dubio procul hominem salvabit Christus, qui totus peccando periit; ut ubi abundavit delictum, superabundet gratia. Quomodò verò totus homo salvus censeretur, qui et perditus dici posset, carne scilicet perditus, animâ salvus? « Quàm indi« gnum Deo, inquit Tertullianus, dimidium hominem « redigere in salutem, cùm etiam secularium princi« pum indulgentiâ semper vindicetur. Diabolus vali« dior in hominis injuriam intelligitur, totum eum eli« dens; Deus infirmior renuntiabitur, non totum eum « relevans? »

Denique carnem, quæ Dei templum est, cujus membra sunt membra Christi, quæ corpore Christi pascitur, quod semen est immortalitatis, quæ Spiritum sanctum inhabitantem habet, modò sancta sit, resurgere decet ad vitam immortalem, Christique corpori similem fieri, ut probat S. Irenæus, libro 5 adversùs hæreses.

§ II. *Cur carnis potiùs quàm hominum resurrectionem in Symboto confiteamur?*

Quamvis sæpè in sacris Scripturis caro integrum hominem significet, ut Isai. 1: *Omnis caro fœnum*, et Joannis 1: *Verbum caro factum est*; hoc tamen loco significat corpus, ut duarum partium, scilicet animæ et corporis, quibus homo constat, alteram tantùm, scilicet corpus, corrumpi, et in pulverem terræ, ex quâ compactum est, redire; animam verò incorruptam manere intelligamus. Animam enim esse immortalem; secundùm illam hominem *inexterminabilem*, et ad *imaginem similitudinis Dei* conditum; justorum animas *in manu Dei* esse, et non tangere illas *tormentum mortis.* Illos esse *in pace*, et spem illorum esse *immortalitate* plenam. *Pulverem*, id est, corpus, *in terram suam reverti, unde erat, et spiritum redire ad Deum, qui dedit illum*, fides docet (Eccli. 12). Cùm igitur animam immortalem esse necessariò credendum sit, et nemo, nisi mortuus fuerit, ad vitam revocetur, anima propriè non dicitur resurgere. Ideò carnis tantùm resitandæ mentio in hoc Symboli articulo facta est.

Aliam addit hujus rei rationem concilii Tridentini Catechismus, solius nempè carnis mentionem factam,

ut Himenæi et Phileti refelleretur hæresis, qui asserebant, cùm de resurrectione in Scripturis sacris agitur, non de corporeâ, sed de spirituali, quâ à morte peccati ad vitam spiritualem resurgitur, Scripturæ verba intelligi debere, adeòque *resurrectionem jam esse factam*, ut refert Apostolus 2 ad Timoth. cap. 2.

§ III. *Omnes homines resurgent cum eodem corpore, et quidem integro.*

I. Omnes et singulos homines resurrecturos, omni malorum bonorumque discrimine remoto, fides catholica docet. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, inquit Apostolus, 1 Cor. 15, *ita et in Christo omnes vivificabuntur*. Proprium autem uniuscujusque corpus, quamvis corruptum et in pulverem redactum, ad vitam suscitandum esse credendum est. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*, ait idem Apostolus. Pronomen *hoc*, proprium corpus apertè demonstrat. Quâ de re et sanctus Job clarissimè vaticinatus est : *Et in carne meâ*, inquit cap. 19, *videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.* Et certè cùm resurrectio futura sit, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*, 1 Cor. 15 ; hominem in ipso corpore, cujus operâ vel Deo, vel dæmoni servivit, resurgere oportet, ut cum eodem corpore præmia aut supplicia æterna perferat. Incredibilis porrò videri non debet humani corporis, quocumque modo perierit, à Deo instauratio. « Non enim, inquit S. August. in Enchir. « c. 88 et seq., perit Deo terrena materies, de quâ « mortalium creatur caro ; sed in quemlibet pulverem « cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque « diffugiat, in quamcumque aliorum corporum sub- « stantiam, vel in ipsa elementa vertatur ; in quorum- « cumque animalium, etiam hominum, cibum cedat, « carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto « temporis redit, quæ illam primitùs, ut homo fieret, « viveret, cresceret, animavit. Ipsa itaque terrena ma- « teries, quæ discedente animâ fit cadaver, non ita « resurrectione reparabitur, ut ea quæ dilabuntur et « in alias atque alias rerum species formasque vertun- « tur, quamvis ad corpus redeant unde dilapsa sunt, « ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt, re- « dire necesse sit. Alioquin si capillis redit quod tam « crebra tonsura detraxit, si unguibus quod toties « dempsit exsectio ; immoderata et indecens cogitanti- « bus, et ideò resurrectionem carnis non credentibus, « occurrit informitas. Sed quemadmodùm si statua « cujuslibet solubilis metalli aut igne liqueseeret, aut « contereretur in pulverem, aut confunderetur in mas- « sam, et eam vellet artifex rursùs ex illius materiæ « quantitate reparare, nihil interesset ad ejus integri- « tatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ « redderetur, dùm tamen totum ex quo constituta « fuerat, restituta resumeret ; ita Deus mirabiliter « atque ineffabiliter artifex, de toto quo caro nostra « constiterat, eam mirabili et ineffabili celeritate re- « stituet ; nec aliquid attinebit ad ejus redintegratio- « nem, utrùm capilli ad capillos redeant, et ungues ad « ungues ; an quicquid eorum perierat mutetur in « carnem, et in partes alias corporis revocetur, cu- « rante artificis Providentiâ, ne quid indecens fiat. »

II. « Nec illud est consequens ut ideò diversa sit « statura reviviscentium singulorum, quia fuerat di- « versa viventium, aut macri cum eâdem macie, aut « pingues cum eâdem pinguedine reviviscant. Sed si « hoc est in consilio Creatoris, ut in effigie suâ cujus- « que proprietas et discernibilis similitudo servetur, « in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta red- « dantur, ita modificabitur illa in unoquoque mate- « ries, ut nec aliquid ex eâ pereat, et quod alicui de- « fuerit ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit quod « voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium « rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum quibus « cantus impletur ; hoc fiet cuique de materie corpo- « ris sui, quod et hominem reddat angelicis cœtibus, « et nihil inconveniens eorum ingerat sensibus. *Inde- « corum quippe aliquid ibi non erit ; sed quicquid futu- « rum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non de- « cebit.* » Ita fidei doctrinam explicat S. Augustinus in Enchiridio.

Ad martyrum fortè gloriam pertinebit quòd in eorum corporibus vulnerum cicatrices maneant, quæ pro Christi nomine pertulerunt. « Non enim deformi- « tas in eis, sed dignitas erit, et quædam, quamvis in « corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo ful- « gebit. Nec ideò tamen si aliqua martyribus amputata « et ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in « resurrectione mortuorum, quibus dictum est, *Capil- « lus capitis vestri non peribit*, Lucæ 21. Sed si hoc de- « cebit in illo novo seculo, ut indicia gloriosorum « vulnerum in illâ immortali carne cernantur, ubi « membra ut præciderentur, percussa vel secta sunt, « ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis, « non perditis, apparebunt. Quamvis itaque omnia « quæ acciderunt corpori vitia, tunc non erunt ; non « sunt tamen deputanda vel appellanda vitia virtutis « indicia. » Verba sunt S. Augustini libro 22 de Civitate Dei, cap. 19.

III. *Occurremus* igitur *omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, Ephes. 4, ut loquitur Apostolus ; sive quia in eâ ætate et robore resurgemus, ad quam Christus pervenit ; sive quia omnia Christi membra, quæ quotidiè ejus corpori accedunt, dùm ædificatur Ecclesia, tunc complebuntur ; Christusque vir perfectus, caput et corpus, tunc omnibus suis membris constabit. Quam ob rem ex illâ Apostoli sententiâ perperàm aliquis colligeret, feminas in sexu virili, non in sexu proprio resurrecturas. « Corporibus enim vitia detrahentur, natura servabi- « tur. Non est autem vitium sexus femineus, sed na- « tura ; quæ tunc quidem et à concubitu et à partu « immunis erit ; erunt tamen membra feminea, non « accommodata usui veteri, sed decori novo, quo non « alliciatur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, « sed Dei laudetur sapientia atque clementia, qui ea « quod non erat fecit, et liberavit à corruptione quod « fecit. » Denique Christus interrogatus à Sadducæis,

qui resurrectionem negabant, cujus septem fratrum futura esset uxor, quam singuli successivè habuerunt; non respondit : Vir erit etiam ipsa, non mulier; sed dixit Matth. 22 : *In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.* Erunt ergo quæ vel nubere hìc solent, vel qui ducere uxores, sed ibi hoc non facient. Æquales erunt angelis immortalitate ac felicitate, non carne, sicut nec resurrectione, quâ non indiguerunt angeli Dei, quoniam nec mori potuerunt. Denique *nuptias in resurrectione Dominus futuras negavit, non feminas.* Eà de re ita disserit S. Augustinus, libro 22 de Civitate Dei, cap. 17.

§ IV. *Varia erit resurgentium conditio.*

I. Quanquàm omnes, tam boni quàm mali, à mortuis resurgent, non tamen omnium resurgentium par erit conditio. Ex his enim *qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper*, ut à Daniele prædictum est, cap. 12. Et quemadmodùm Christus docet, Joan 5, *procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Id explicat Apostolus 1 ad Corinthios 15 : *Ecce*, inquit, *mysterium vobis dico; omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissimâ tubâ; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.*

II. Resurgent omnium corpora immortalia, tam bonorum quàm malorum. *Mors ultra non erit*, Apoc. 2. Quanquàm reprobi in sempiternis cruciatibus *quærent mortem, et non invenient eam : et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis.* Unde S. Augustinus, lib. 22 de Civitate Dei, cap. 3 : *Prima mors*, inquit, *animam nolentem pellit de corpore; secunda mors animam nolentem tenet in corpore.* Sed præter communem immortalitatem habebunt sanctorum rediviva corpora insignia quædam et præclara ornamenta, quibus multo nobiliora futura sint, quàm unquàm antea fuerint. Præcipua verò sunt quatuor illa, quæ *dotes* à theologis appellantur, ex Apostoli doctrinâ observatæ.

III. Prima est *impassibilitas*, munus scilicet et dos quæ efficiet ne molesti aliquid pati, ullove dolore aut incommodo affici possint. *Seminatur in corruptione*, inquit Apostolus, 1 Cor. 15, *surget in incorruptione.* Quod S. Joannes in Apocalypsi 21 confirmat his verbis : *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Longè autem alia sors erit reproborum; nam *pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda.* « Quicumque igitur ab illâ perditionis massâ, « quæ facta est per hominem primum, non liberantur « per unum Mediatorem Dei et hominum, resurgent « quidem etiam ipsi unusquisque cum suâ carne, sed « ut cum diabolo et ejus angelis puniantur. Utrùm « verò ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum cor- « porum resurgant, quæcumque in eis vitiosa et de- « formia membra gestârunt, in requirendo laborare « quid opus est? Neque enim fatigare nos debet in- « certa eorum habitus vel pulchritudo, quorum erit « certa et sempiterna damnatio. Nec movent quo- « modò in eis erit corpus incorruptibile, si dolore po- « terit; aut quomodò corruptibile, si mori non pote- « rit. Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur; « nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore cor- « rumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur, ut ita « dicam, mors ipsa non moritur; et ubi dolor perpe- « tuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non « finitur. Hæc in sanctis Scripturis secunda mors di- « citur. » Verba sunt S. Augustini in Enchiridio, cap. 92.

IV. Dos altera est *claritas*, quâ sanctorum corpora tanquàm sol fulgebunt. *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, inquit Christus Dominus, Matth. 13. Ac ne quis de eo dubitaret, suæ transfigurationis exemplo declaravit, cùm *resplenduit facies ejus sicut sol*, Matth. 17. Hanc interdùm Apostolus *gloriam*, modò *claritatem* appellat. *Reformabit*, inquit, Philipp. 3, *corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Et rursùm : *Seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ*, 1. Cor. 15. Hujus gloriæ imaginem quamdam exhibuit Deus populo Israel in deserto, cùm facies Moysis ex colloquio et præsentiâ Dei ita colluceret, *ut non possent filii Israel intendere in faciem* illius, Exod. 34, *propter gloriam vultûs ejus*, 2 Cor. 3. Quòd si tanta fuit claritas ex brevi colloquio cum Deo Moysi communicata, et mox evacuanda, multò excellentior erit gloria permanens ex æternâ Dei visione, ex ipsâque beatitudine Dei in animam, et ex animâ beatâ in corpus derivatâ. Quæ claritas in Christi corpore, cùm resurrexit, ab oculis discipulorum potiùs abscondita fuisse quàm defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, ut posset agnosci, inquit S. Augustinus, libro 22 de Civitate Dei, cap. 19.

Unus tamen non erit corporum omnium gloriosorum splendor, sicut nec unus beatitudinis animarum sanctarum gradus. *Alia claritas solis*, inquit Apostolus 1 Cor. 15, *alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim à stellâ differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum.*

Ad hanc gloriam et claritatem pertinet, quòd sancti cùm uniuscujusque è beatis sociis gloriosa corpora et luce incomparabili fulgentia intuebuntur, simul arcana cordis ipsorum intimasque cogitationes et affectus oculis mentis clarissimè perspicient, ut explicat S. Gregorius Magnus, libro 18 Moralium, cap. 17, tractans hæc Apocalypsis verba, cap. 21 : *Ipsa verò civitas aurum mundum, simile vitro mundo.* Quæ sic explicat : « Auri metallum, inquit, novimus potiori « metallis omnibus claritate fulgere. Vitri verò natu- « ra est, ut extrinsecùs visu pura, intrinsecùs per- « spicuitate perluceat. In alio metallo quicquid intrin- « secùs continetur, absconditur : in vitro verò quili- « bet liquor, qualis continetur interiùs, talis exteriùs « demonstratur; atque, ut ita dixerim, omnis liquor « in vitreo vasculo clausus patet. Quid ergo aliud in « auro vel vitro accipimus, nisi illam supernam pa-

« triam, illam supernorum civium sanctitatem, « quorum corda, sibi invicem et claritate fulgent, et « puritate translucent? Quam Joannes in Apocalypsi « conspexerat, cùm dicebat : *Ipsa verò civitas aurum « mundum, similis vitro mundo.* Quia enim sancti om- « nes summâ in eâ beatitudinis claritate fulgebunt, « instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum cla- « ritas vicissim sibi in alternis cordibus patet, et cùm « uniuscujusque vultus attenditur, simul et conscien- « tia penetratur; hoc ipsum aurum vitro mundo si- « mile esse memoratur. Ibi nempe uniuscujusque « mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia « non abscondet, sed patebit animus : patebit corpo- « ralibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sic- « que unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, si- « cut nunc esse non potest conspicabilis sibi. Nunc « autem corda nostra, quamdiù in hâc vitâ sumus, « quia ab altero in alterum videri non possunt, non « intra vitrea, sed intra lutea vascula concluduntur : « cui scilicet luto per passionem mentis inhærere « propheta formidabat, cùm diceret, Psal. 68 : *Eripe « me de luto, ut non inhæream.* Quod nimirùm habi- « taculum corporum Paulus domum terrestrem no- « minat, dicens, 2 Cor. 5 : *Scimus quoniam si terre- « stris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, « quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non « manufactam æternam in cœlis.* In hâc itaque ter- « restri domo quousque vivimus, ipsum, ut ita di- « cam, corruptionis nostræ parietem mentis oculis « nullatenùs penetramus, et vicissim in aliis videre « occulta non possumus. Unde sancta Ecclesia sponsi « sui speciem videre in divinitate desiderans, nec ta- « men valens, quia æternitatis illius formam, quam « intueri concupiverat, ab ejus oculis assumpta huma- « nitas abscondebat, in Canticis Canticorum, cap. 2, « mœrens dicit : *En ipse stat post parietem nostrum.* « Ac si apertè dicat : Ego hunc in divinitatis suæ jam « specie videre desidero, sed adhuc à visione illius « per assumptæ carnis parietem excludor. Quousque « itaque in hâc corruptibili carne vivimus, cogitatio- « nes nostras in alterutrum non videmus. Unde rur- « sùm per eumdem Paulum dicitur, 1 Cor. 2 : *Quis ho- « minum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui « in ipso est?* Illa itaque civitas, quæ sua vicissim sin- « gulis corda manifestat, ex auro dicitur similis vitro « mundo, ut designetur auro clara, vitro manifesta. »

V. Dos tertia est *agilitas*, quâ corpus ab onere quo nunc premitur, liberabitur, facillimèque in quamcum que partem anima voluerit, ita moveri poterit, ut eâ motione nihil celerius esse queat. Quam dotem Apostolus his verbis expressit, 1 Cor. 15 : *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Atque de hâc dote S. Hieronymus locum illum Isaiæ cap. 40 explicat : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* Neque verò incredibile est operationem Dei omnipotentissimam præstare posse « animis perfectissimè beatis, ut quamvis terrena, « tamen incorruptibilia jam corpora ubi volunt po- « nant, et quò volunt agant, situ motuque facillimo? « An verò si hoc angeli faciant, et quælibet animalia ter- « restria rapiant unde libet constituantque ubi libet, aut « eos sine labore non posse aut onera sentire credendum « est? Cur ergo sanctorum perfectos et beatos divino « munere spiritus sine ullâ difficultate posse ferre quò « voluerint, et sistere ubi voluerint sua corpora non cre- « damus? Nam cùm terrenorum corporum, sicut one- « ra in gestando sentire consuevimus, quantò major « est quantitas, tantò major sit et gravitas, ita ut plu- « ra pondo quàm pauciora plus premant; membra « tamen suæ carnis leviora portat anima cùm in sa- « nitate robusta sunt, quàm in languore cùm macra « sunt. Et cùm aliis gestantibus onerosior sit sanus et « validus, quàm exilis et morbidus, ipse tamen ad « suum corpus movendum atque portandum agilior « est, cùm in bonâ valetudine plus habet molis, quàm « cùm in peste vel fame minimùm roboris. Tantùm va- « let in habendis etiam terrenis corporibus, quamvis « adhuc corruptibilibus atque mortalibus, non quan- « titatis pondus, sed temperationis modus. Et quis « verbis explicet, quantùm distet inter præsentem, « quam dicimus sanitatem et immortalitatem futu- « ram? » Ita disserit S. Augustinus, libro 13 de Civitate Dei, cap. 18.

Et cap. 20 : « Sicut, inquit, spiritus carni serviens « non incongruè carnalis, ita caro spiritui serviens « rectè appellatur spiritalis, non quia in spiritum con- « vertetur, sicut nonnulli putant ex eo quòd scriptum « est, 1 Cor. 15 : *Seminatur corpus animale, resurget « spiritale :* sed quia spiritui summâ et mirabili ob- « temperandi facilitate subdetur, usque ad immorta- « litatis indissolubilis securissimam voluntatem, omni « molestiæ sensu, omni corruptibilitate et tarditate « detractâ. Non solùm enim non erit tale quale nunc « est in quâvis optimâ valetudine, sed nec tale qui- « dem quale fuit in primis hominibus ante peccatum. »

VI. Dos quarta *subtilitas* est, cujus virtute corpus animæ imperio omninò subjicietur, eique serviet, et ad nutum præstò erit; quod ex illis Apostoli verbis colligitur, 1 Cor. 15 : *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Hinc S. Augustinus in Enchiridio, cap. 91 : « Resurgent igitur, inquit, sanctorum cor- « pora sine ullo vitio, sine ullâ deformitate, sicut sine « ullâ corruptione, onere, difficultate; in quibus tanta « facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod et spi- « ritalia dicta sunt, cùm procul dubio corpora sint « futura, non spiritus. » Et paulò post : « Sed ideò ait « Apostolus : *Seminatur corpus animale, resurget cor- « pus spiritale :* quoniam tanta erit tunc concordia « carnis et spiritûs vivificante spiritu sine sustenta- « culi alicujus indigentiâ subditam carnem, ut nihil « nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, « ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos. »

§ V. *Fructus ex hoc articulo fidei colligendi.*

I. Ex carnis resurrectione, quam fide credimus et certâ spe expectamus, spiritales fructus colligendi sunt, quos Tridentini concilii Catechismus indicat

Primò scilicet, Deo maximas gratias agere debemus, qui mysterium istud mundi sapientibus abscondit, et revelavit parvulis. Quot enim viri vel humanæ prudentiæ laude præstantes, vel doctrinæ et eloquentiæ laude conspicui, in hâc tam certâ veritate cæci planè fuerunt, et in errores absurdissimos sunt prolapsi? Quidam enim metempsychosim seu revolutionem animarum de corpore in corpus asseruerunt; alii corpora in perpetuum peritura censentes, mortuorum propositam resurrectionem irriserunt. Quòd igitur nobis affulserit illuminatio Evangelii, divinaque illa veritas sit nobis à Deo revelata, gratias infinitæ Dei misericordiæ maximas agere debemus.

II. Secundò, fides resurrectionis consolari nos debet in morte propinquorum et amicorum nostrorum, quorum corpora nunc vità destituta, et in pulverem redigenda, aliquando ad vitam reditura credimus, et quidem sine ullo vitio, sine ullis incommodis; immortalia, pulchra, gloriosa, solis instar fulgentia, si christianè pièque vixerint, et in Domino obierint; nosque simul cum illis raptos iri *obviam Christo in aura, et sic semper cum Domino* futuros, si christianè pariter et piè vixerimus, et in charitate obierimus. Hoc genere consolationis Apostolus usus est ad Thessalonicenses scribens, 1 Epist. 4 : *Nolo vos*, inquit, *ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quòd Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo*, etc. *Itaque consolamini invicem in verbis istis.* Neque nos ipsi mortem timere debemus, sed læti ex hoc mundo exire cùm nos Deus accersiverit. Quâ de re S. Cyprianus, libro de Mortalitate scribit : « Nobis quoque ipsis minimis et extremis quoties revelatum est, quàm frequenter atque manifestè de Dei dignatione præceptum est, ut contestarer assiduè et publicè prædicarem, fratres nostros non esse lugendos, accersitione Dominicâ de sæculo liberatos, cùm sciamus eos non amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent; desiderari eos debere, non plangi; nec accipiendas esse hìc atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumpserint; occasionem dandam non esse gentilibus, ut nos meritò ac jure reprehendant, quòd quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos ac perditos lugeamus; et fidem quam sermone et voce depromimus, cordis ac pectoris testimonio non probemus. Spei nostræ ac fidei prævaricatores sumus, simulata, ficta, fucata videntur esse quæ dicimus. Nihil prodest verbis præterire virtutem, factis destruere veritatem. Improbat denique Apostolus Paulus, et objurgat, et culpat, si qui contristentur in excessu suorum. » Et infra : « Mente integrâ, fide firmâ, virtute robustâ, parati ad omnem voluntatem Dei sumus; pavore mortis exclusо, immortalitatem quæ sequitur, cogitemus. Hoc nos ostendamus esse quod credimus, ut neque charorum lugeamus excessum : et cùm accersitionis propriæ dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum ipso vocante veniamus. »

III. In omnibus etiam hujus vitæ erumnis et calamitatibus, præcipuè verò in morbis et incommodis, quibus mortale corpus nostrum premitur et corrumpitur, summum nobis doloris levamen affert resurrectionis fides, quemadmodùm sancti Job exemplo didicimus, qui unâ hâc spe afflictam et mœrentem in gravissimis adversitatibus animam sustentabat, fore ut aliquandò in resurrectione Dominum Deum suum conspiceret. Nam, ut ait Tertullianus, *fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum.*

IV. Variam resurgentium conditionem et sortem considerantes, satagere debemus ut vitæ innocentiâ, bonisque operibus digni simus *resurrectione vitæ*; timere debemus ne, in peccata gravia prolapsi, nec pœnitentiam agentes, in illis moriamur, processuri aliquando in *resurrectionem judicii*. Vivamus ergo in hâc vità ut *filii resurrectionis, curam carnis* ne fecerimus *in desideriis ejus*. Non exhibeamus membra nostra *arma iniquitatis peccato*; sed exhibeamus nos Deo *tanquàm ex mortuis viventes*, et membra nostra *arma justitiæ Deo. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*, Rom. 6. Corpus ad gloriam æternam non resurget, sed in opprobrium, et ad pœnas sempiternas, nisi anima à peccato resurgat ante mortem corporis, et in vità gratiæ perseveret. Corpus non resurget impassibile, si anima nunc pravis cupiditatibus cedat, eisque se abripi ignavè patiatur. Corpus animæ non parebit, non serviet, non ad nutum præstò erit, nisi anima nunc Deo subdita sit. Tunc non erit corpus agile, ut moveatur in quamcumque partem voluerit anima, nisi alacres, agiles, et prompti ad mandata Dei exequenda, ad opera pietatis et charitatis, in hâc mortali vità fuerimus. « Moriatur igitur in nobis hoc « sæculum, moriatur nobis carnis istius sapientia, « quæ inimica est Deo. Subjiciamus animam nostram « soli Christo, ut dicat unusquisque : *Nonne Deo subjecta est anima mea?* Psal. 61. Non sæculo subdita, « non mundo, inquit, subdita. Non potest hoc pecuniosus, non potest avarus dicere; sed dicit justus et « continens. Avarus autem dicit : *Anima, habes multa « bona in annos multos posita, requiesce, manduca, bibe, « epulare*, Luc. 12 : quia avari anima subdita est luxuriæ corporali; justi autem anima utitur corpore ut « instrumento aut organo, quæ velut præclara artifex « quò vult obsequium corporis ducit, et effingit de eo « speciem quam elegerit, et eas quas voluerit, facit « in eo resonare virtutes, pangens nunc modulos « castitatis, nunc modulos temperantiæ, sobrietatis « carmen, integritatis dulcedinem, virginitatis suavitatem, gravitatem viduitatis..... Dùm in corpore « sumus, usum mortis imitantes ablevemus animam « nostram ex istius carnis cubili, et tanquàm de isto « exsurgamus sepulcro. Abducamus nos à corporis « nexu, relinquamus omnia quæcumque terrena sunt; « ut cùm venerit adversarius, nihil in nobis inveniat « suum. Contendamus ad illud æternum, ad illud di« vinum evolemus pennis dilectionis, et remigio cha-

« ritatis. » Verba sunt S. Ambrosii, libro de Bono Mortis, cap. 5 et 6.

ARTICULUS XIII.

Quo symboli postremus articulus explicatur : VITAM ÆTERNAM.

§ I. *Quid sit vita æterna?*

Vitæ æternæ nomine non magis perpetuitas vitæ, cui etiam reprobi addicti sunt, quàm in perpetuitate beatitudo, quæ sanctorum desiderium explcat, significatur. Atque ita intelligebat legisperitus ille qui à Christo quæsivit quid sibi faciendum esset ut *vitam æternam* possideret; perinde ac si diceret: Quænam mihi præstanda sunt, ut ad eum locum perveniam, ubi perfectâ felicitate frui liceat? In hunc verò sensum sacræ litteræ hæc verba usurpare solent. Hoc autem potissimùm nomine summa illa beatitudo appellata est, ne in rebus corporeis et caducis posita existimetur, et in hâc vitâ quærenda, cujus bona quæcumque hominis desiderium explere non possunt; cum de solo Deo verè dici possit, psalm. 102 : *Qui replet in bonis desiderium tuum;* et Psalm. 16 : *Satiabor cùm apparuerit gloria tua;* tum quia semel adepta felicitas amitti non potest. Illa enim est vera felicitas, cujus est semper retinenda, et nullâ infelicitate abrumpenda certa securitas. Nemo beatus, nisi qui vivit ut vult, et justus est. « Sed etiam ipse justus non « vivit ut vult, nisi cò pervenerit ubi mori, falli, offendi omninò non possit; eique sit certum, ita semper futurum. Hoc enim natura expetit; nec plenè « atque perfectè beata erit, nisi adepta quod 'expetit. « Nunc verò quis hominum potest ut vult vivere, « quando ipsum vivere non est in potestate? Vivere « enim vult, mori cogitur. Quomodò ergo vivit ut « vult, qui non vivit quamdiù vult? Quòd si mori voluerit, quomodò potest ut vult vivere, qui non vult « vivere? Et si ideò mori velit, non quò nolit vivere, « sed ut post mortem meliùs vivat; nondùm ergo ut « vult vivit, sed cùm ad id quod vult moriendo pervenerit. Verùm ecce vivat ut vult, quoniam sibi extorsit sibique imperavit non velle quod non potest, « atque hoc velle quod potest; núm ideò beatus est, « quia patienter miser est? Beata quippe vita si non « amatur, non habetur. Porrò si amatur, et habetur, cæteris omnibus rebus excellentiùs necesse « est ametur; quoniam propter hanc amandum est « quidquid aliud amatur. Porrò si tantùm amatur, « quantùm amari digna est, (non enim beatus est à « quo ipsa beata vita non amatur ut digna est) fieri « non potest ut eam qui sic amat, non æternam velit. Tunc igitur beata erit, quando æterna erit. » Ita disserit S. Augustinus, libro 14 de Civitate Dei, cap. 25.

Vitæ nomine significatur beatitudo in sacris litteris, quia vita damnatorum in cruciatibus æternis non est propriè vita : *Et procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ*, inquit Christus Joan. 5; *qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Vitam damnatorum in ignibus sempiternis Scriptura non est dignata appellare vitam, ut ipsum nomen vitæ laudis sit, non mœroris; « ut ubicumque audis vitam, tormenta non « cogites? Nam in tormentis esse semper, æterna « mors est, non aliqua vita. Ipsam vocant Scripturæ « mortem secundam, post hanc primam, quam omnes humanæ conditioni debemus. Et *mors secunda*, « et mors vocatur, et nemo ibi moritur. Meliùs dixerim, nemo ibi vivit. In doloribus enim vivere, non « est vivere. Unde Scriptura ait : *Et procedent qui « bona egerunt, in resurrectionem vitæ*, Psalm. 35. Non « dixit, beatæ vitæ, sed *in resurrectionem vitæ*. Solum « vitæ nomen trahit beatitudinem. Unde etiam Propheta ait : *Quoniam apud te est fons vitæ.* Tantumodò dixit vitæ, ut intelligas beatæ; quia si miseræ, jam nec vitæ. » Ideò et Christus legisperito roganti : *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondit : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Non dixit, si vis venire ad vitam beatam, sed solam vitam nominavit, quia « illa vita sola est, « quæ nec beata esse potest, nisi fuerit æterna. Cùm « pervenerimus ad vitam, certum nobis erit in eâ « nos semper futuros. Nam si erimus ibi, et utrùm « ibi semper futuri simus, incerti erimus; etiam ibi « erit timor. Et si erit timor, cruciatus erit, non carnis, sed, quod pejus est, cordis. Ubi autem cruciatus, quæ beatitudo? Erit ergo nobis certum, quia in « illâ vitâ semper erimus, et illam finire non poterimus, quia in illius regno erimus, de quo dictum est, « Luc. 1 : *Et Regni ejus non erit finis.* Ibi esse nostrum non habebit mortem; ibi nôsse nostrum non « habebit errorem; ibi amare nostrum non habebit « offensionem, » inquit S. Augustinus, lib. 11 de Civitate Dei, cap. 18.

§ II. *Æterna beatitudo congruis verbis explicari non potest, sed mentis humanæ captum superat. Omnium tamen malorum liberatione, bonorumque omnium possessione definiri potest.*

1. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*, inquit Apostolus, 1 Cor. 2. Variis nominibus in sacris litteris beatitudo significatur. Appellatur enim *vita æterna*, et simpliciter *vita*, ut jam observavimus, regnum cœlorum, regnum Dei, paradisus, sancta civitas, nova Jerusalem, nuptiæ Agni, nuptiale convivium, domus Dei, torrens voluptatis, gaudium Domini. Sed tamen hæc nomina perfectam beatitudinis ideam in mentibus nostris formare nequeunt, ejus rationem perfectè non exprimunt. Æterna illa felicitas omnium malorum liberatione et bonorum omnium adeptione definienda est. Immunitas est ab omnibus mortalis hujus vitæ miseriis, erroribus, terroribus, tentationibus, laqueis, perturbationibus, peccatis. Tunc Deus *præcipitabit mortem in sempiternum : et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ : quia Dominus locutus est*, inquit Isaias. *Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol; quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. Non audietur ultra iniquitas in terrâ*

tuâ, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna non minuetur; quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctûs tui. Populus autem tuus omnes justi, Isai. cap. 25, 49 et 60. Propheticis veteris Testamenti oraculis consonat novi Testamenti prophetia, scilicet Apocalypsis cap. 7, vers. 16, et cap. 21, vers. 4 et 23.

II. Perfectam illam à malis omnibus istius mortalis vitæ immunitatem, quam in vitâ æternâ obtinebimus, egregiè ac luculenter S. Augustinus describit, Enarratione in psalmum 49, hunc versum, *Tribulationem et dolorem inveni*, explicans : « Hoc ipsum, inquit, quòd « cum Deo nondùm sumus, hoc ipsum quòd inter ten- « tationes molestiasque versamur, quòd sine timore « esse non possumus, tribulatio est; non enim est « illa securitas, quæ nobis promissa est. Hanc tribu- « lationem peregrinationis suæ qui non invenerit, ad « patriam redire non cogitat. Tribulatio illa est, fra- « tres. Certè modò facimus bona opera, quando por- « rigimus panem esurienti, domum peregrino, etc., « tribulatio est et hæc. Invenimus enim miseros super « quos misericordiam facimus; et miserorum miseria « facit nos compatientes. Quantò meliùs ibi jam esses, « ubi non invenis esurientem quem pascas, ubi non « invenis peregrinum quem suspicias, non nudum « quem vestias, non ægrum quem visites, non litigan- « tem quem concordes? Omnia enim ibi summa sunt, « sancta sunt, æterna sunt. Panis noster ibi justitia « est, potus noster ibi sapientia est, vestis nostra ibi « immortalitas est, domus nostra æterna in cœlis, « firmitas nostra immortalitas. Numquid ægritudo « subrepit? Numquid lassitudo ad somnum trahit? « Nulla mors, nulla lis; ibi pax, quies, gaudium, « justitia. Nullus intrat inimicus, nullus labitur amicus. »

Et in Psalmum 84 hæc verba explicans : *Quoniam loquetur pacem in plebem suam*, ait : « Pax quid est? « Ubi nullum bellum est, ubi nulla contradictio, ubi « nihil resistit, ubi nihil adversum est. Videte si jam « ibi sumus, videte si jam non est conflictus cum dia- « bolo, videte si non omnes sancti et fideles cum « principe dæmoniorum luctantur. Et quomodò cum « illo luctantur, quem non vident? Luctantur cum « concupiscentiis suis, quibus ille suggerit peccata, « et non consentiendo quod suggerit, etsi non vincun- « tur, tamen pugnant. Nondùm est ergo pax, ubi pu- « gna est. Aut date mihi hominem qui nihil tentatio- « nis patitur in carne suâ, ut possit mihi dicere quia « jam pax est. Nihil quidem tentationis fortè patitur « in illicitis voluptatibus, saltem suggestiones ipsas « patitur : vel suggeritur illi quod respuit, vel delectat « unde contineat. Sed ecce jam nihil delectat illicitum; « vel contra famem et sitim pugnat quotidiè. Quis « enim justus hinc alienus? Pugnat ergo fames et si- « tis, pugnat contra nos lassitudo carnis, pugnat de- « lectatio somni, pugnat oppressio. Vigilare volumus, « dormitamus; jejunare volumus, esurimus et sitimus, « stare volumus, defatigamur. Quærimus sedere, si et « hoc diu facimus, deficimus. Quicquid nobis provide- « rimus ad refectionem, illic rursùs invenimus defe- « ctionem. Esuris, dicet tibi aliquis? respondes : Esu- « rio. Ponit ante te cibum, ad refectionem posuerat : « persevera in eo quod posuit; certè reficere te vole- « bas, hoc age semper; hoc agendo, in eo quod ad- « hibueras ad refectionem, ibi invenis lassitudinem. « Multùm sedendo fatigatus eras, surgis, deambulan- « do reficeris : persevera in eo quo reficeris, multùm « deambulando lassaris; sedere iterùm quæris. Inve- « ni mihi aliquid unde te reficias, ubi non, si perse- « veraveris, iterùm deficias. Qualis ergo est ista pax, « quam hic habent homines tantis resistentibus mole- « stiis, cupiditatibus, indigentiis, lassitudinibus? « Non est ista vera, non est perfecta pax. Quæ erit « perfecta pax? *Oportet corruptibile hoc induere incor- « ruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*, etc. « 1 Cor. 15. Ubi enim adhuc mortalitas, quomodò est « plena pax? » Et post pauca : « Erimus, inquit, in « quâdam civitate, fratres; quando de illâ loquor, « finire nolo, et maximè quando scandala crebre- « scunt. Quis non desideret illam civitatem, unde ami- « cus non exit, quò inimicus non intrat, ubi nullus « tentator est, nullus seditiosus, nullus dividens po- « pulum Dei, nullus fatigans Ecclesiam... Erit ergo « pax purgata in filiis Dei, omnibus amantibus se, « videntibus se plenos Deo, cùm erit Deus omnia in « omnibus. Commune spectaculum habebimus Deum, « communem possessionem habebimus Deum, com- « munem pacem habebimus Deum... Quicquid enim « est quod nobis modò dat, ipse nobis erit pro omni- « bus quæ dat; ipsa erit perfecta et plena pax. »

Et tractatu 30 in Joannem : « Quid est, inquit, ho- « mo novus? A vetustate innovatus. Ad quam rem in- « novatus? Ad desideranda cœlestia, ad concupiscen- « da sempiterna, ad patriam quæ sursùm est, et ho- « stem non timet, desiderandam, ubi non perdimus « amicum, non timemus inimicum, ubi vivimus cum « bono affectu, sine ullo defectu; ubi nemo nascitur, « quia nemo moritur; ubi nemo jam proficit, et nemo « deficit; ubi non esuritur et non sititur, sed societas « est immortalitas, et cibus veritas. »

III. Non solùm omnium malorum immunitatem, sed omnium possessionem bonorum beatitudo cœlestis complectitur. Unde perfecta felicitas definiri solet, *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*. « Beati- « tudo est fruitio Dei : Deus autem est omnis boni « bonum, est bonum simplex, ipsum bonum quo « cuncta sunt bona. Si nos delectant bona ista quæ « appellantur bona, si nos delectant bona quæ non « sunt per se bona (omnia enim mutabilia non sunt « per se bona), qualis erit contemplatio incommuta- « bilis boni, æterni, semper eodem modo manentis! « Quandoquidem ista quæ dicuntur bona, nullo pacto « nos delectarent, nisi essent bona; nec alio pacto « essent bona, nisi ab illo essent, qui simpliciter bo- « nus est, » ut disserit sanctus Augustinus, Enarra-

« tone in Psalmum 26. Bona omnia in Deo haberi ostendit idem sanctus doctor, tractatu 13 in Joannem, explicans hæc verba : *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* « In terrâ, inquit, « aliud est fons, aliud lumen. Sitiens quæris fontem, « ut pervenias ad fontem, quæris lucem. Fons ille « ipsa est lux ; sitienti fons est, cæco lux est ; aperiantur oculi ut videant lucem ; aperiantur fauces « cordis ut bibant fontem ; quod bibis, hoc vides, hoc « audis. *Totum tibi sit Deus ; quia eorum quæ diligis, « totum tibi est.* Si visibilia attendis, nec panis est « Deus, nec aqua est Deus, nec lux ista est Deus, nec « vestis est Deus. Omnia enim hæc visibilia sunt, et « singula sunt ; quod est panis, non hoc est aqua ; et « quod est vestis, non hoc est domus ; et quod « sunt ista, non hoc est Deus ; visibilia enim sunt. « Deus tibi totum est ; si esuris, panis tibi est ; si sitis, aqua tibi est ; si in tenebris es, lumen tibi est ; « si nudus es, immortalitatis tibi vestis est, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, et corruptibile hoc induerit immortalitatem.... Omnia possunt « dici de Deo, et nihil dignè dicitur de Deo. Nihil latius hâc inopiâ. Quæris congruum nomen, non invenis : quæris quoquo modo dicere, omnia invenis. » Sic illud rectè intelligitur quod ait Apostolus : *Ut sit Deus omnia in omnibus.* « Ipse finis erit desideriorum « nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnibus, sicut ipsa vita « æterna communis... Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei « laudibus, qui erit omnia in omnibus ?.. Vera ibi gloria « erit, ubi laudantis nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur « digno, nulli deferetur indigno ; sed nec ad illum « ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse « nisi dignus. Vera pax, ubi nihil adversi, nec à seipso, nec ab alio quisquam patietur. Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, eique seipsum, « quo melius et majus nihil possit esse, promisit..... « Beata illa civitas magnum in se bonum videbit, quod « nulli superiori ullus inferior invidebit ; tamque nolet « esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei qui accepit obstrictus, quàm nec in corpore vult oculus esse qui est « digitus, cùm membrum utrumque contineat totius « carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum « alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne ve « lit ampliùs. » Accedet ad beatitudinis cumulum felix impotentia peccandi. « Primum liberum arbitrium « quod homini datum est, quando primùm creatus est « rectus, potuit non peccare, sed potuit et peccare ; « hoc autem novissimum eò potentius erit, quò peccare non poterit. Verùm hoc quoque Dei munere, « non suæ possibilitate naturæ. Servandi autem gradus erant divini muneris, ut primum daretur libe« rum arbitrium, quo peccare posset homo ; novissimum, quo peccare non posset ; utque illud ad « comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccavit ista natura cùm « peccare potuit, largiore gratiâ liberatur, ut ad eam « perducatur libertatem, in quâ peccare non possit. « Sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando « Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non « posse mori ; ita primum liberum arbitrium posse « non peccare ; novissimum non posse peccare. Sic « enim erit inamissibilis voluntas pietatis et æquitatis « quomodò est felicitatis.,. Erit ergo illius civitatis et « una in omnibus, et inseparabilis in singulis voluntas « libera, ab omni malo liberata et impleta omni bono, « fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum ; nec tamen « ideò suæ liberationis oblita, ut liberatori suo non sit « grata... Ibi perficietur : *Vacate, et vide quoniam ego « sum Deus*, Psalm. 45..... Ibi vacabimus, et videbimus ; videbimus, et amabimus ; amabimus, et laudabimus. Ecce quòd erit in fine sine fine. Nam quis « alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cujus nullus est finis ? Hæc S. Augustinus, libro 22 de Civitate Dei, cap. ultimo.

Nullum unquàm in beatificis illis ac sempiternis actibus, visione scilicet, amore, ac laudibus Dei, tædium erit, quia nullus in earum objecto defectus, nullus finis erit. *Beati*, inquit Propheta Psalm. 83, *qui habitant in domo tuâ, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* « Omnes qui beati dicuntur in terrâ, « habent aliquid, et agunt aliquid. Beatus est homo « ille, tot prædiis, tantâ familiâ, tanto auro et argento ; « habendo beatus dicitur. Beatus est, ad illos honores « pervenit, ad proconsulatum, ad præfecturam ; agendo « beatus dicitur. Ergo aut habendo, aut agendo. « Unde autem ibi beati ? Quid habituri, quid acturi ? « *Beati qui habitant in domo tuâ.* Domum tuam si « habueris, pauper es ; domum Dei si habueris, « dives es. In domo tuâ timebis latrones, domui Dei « murus ipse Deus est. Possident Jerusalem cœlestem sine angustiâ, sine pressurâ, sine diversitate « et divisione limitum ; omnes habent eam, et singuli habent totam. Magnæ illæ divitiæ. Non angustat frater fratrem, nulla ibi indigentia est. Quid « ergo ibi acturi ? In secula seculorum laudabunt « te. Hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu alleluia. Non vobis, fratres, videatur quasi « fastidium ibi futurum ; quia si modò hoc diù dicatis, non duratis, ab illo gaudio necessitas vos « avertit. Et quia non tantùm delectat quod non videtur, si tantâ alacritate in ipsâ pressurâ et fragilitate carnis laudamus quod credimus, quomodò « laudabimus quod videbimus ? Cùm absorpta fuerit « mors in victoriam, cùm mortale hoc induerit immortalitatem, nemo dicet : Diù steti, diù jejunavi, diù « vigilavi : Stabilitas enim magna ibi, et ipsa immortalitas jam corporis nostri suspendetur in contemplatione Dei. *Similes ei erimus, quoniam videbimus « eum sicuti est*, 1 Joan. 3. Jam similes illi, quando « deficiemus ? Quò avertemur ? Securi ergo simus, « non nos satiabit laus Dei, amor Dei. Si deficies « ab amore, deficies à laude. Si autem amor sempi-

« ternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit; « noli timere, ne non possis semper laudare, quem « semper poteris amare. » Verba sunt S. Augustini, enarratione in psalmum 83 : « Hoc erit otiosorum ne- « gotium, hoc opus vacantium, hæc actio quieto- « rum, hæc cura securorum; » inquit idem doctor, enarratione in Psalm. 110. Nulla ibi erunt opera necessitatis, nulla enim ibi necessitas, nulla opera iniquitatis, nulla enim ibi iniquitas; nulla opera misericordiæ, quia nulla ibi miseria. Totum æternumque opus Deum videre, amare, laudare. *Misericordias Domini in æternum cantabo..... Laudabo Dominum in vitâ meâ, psallam Deo meo quamdiù sum.* Modò in morte potiùs quàm in vitâ sumus, cùm à Domino peregrinamur; ideò perfectè Deum non laudamus; laudamus tenuiter, exiliter, infirmiter. Mortalis enim hujus vitæ necessitatibus, et curis rerum terrenarum, à Dei laudibus avocamur. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*, Sap. 9. Sed in vitâ æternâ Deum laudabimus quo modo laudandus est, quando *Totum negotium nostrum ipsa laus erit.* Et quomodò laudabimus Dominum? *Psallam Deo meo quamdiù sum.* Quale erit illud esse? *Ubi sempiterna laudatio erit, sempiternum esse erit.* « Ecce modò es, « numquid psallis Deo tuo quamdiù es? Ecce psalle- « bas, avertisti te ad aliquod negotium. Fortassè etiam « cupiditate inclinatus ad aliquid, non solùm non « psallis, sed et offendis auditum ejus. Quæ erit illa « laudatio, ubi quamdiù es, laudes? Sed quid ait, « *Quamdiù sum?* Aliquando fortè non erit? Imò æternum « erit ipsum *diù*, et ideò verè diù erit. Nam quicquid « finem habet in tempore, quamlibet longum sit, diù « non est. » Hæc Augustinus in Psalmum 145. « Non « fluctuabit negotium nostrum, inquit alibi, otiosum « negotium, plenum solius dulcedinis, nullâ interpel- « latum molestiâ, nullâ fatigatione sauciatum, nullâ « nube perturbatum. Negotium nostrum quod erit? « Laudare Deum, amare et laudare, laudare in amo- « re, amare in laudibus. *Beati qui habitant in domo « tuâ, in secula seculorum laudabunt te.* Quare, *nisi « quia in secula seculorum amabunt te?* Quare, *nisi « quia in secula seculorum videbunt te?* »

IV. Summa certè felicitas Dei fruitio et amor. Ut enim S. Augustinus ait libro 1 de Moribus Ecclesiæ catholicæ, cap. 3 : « Beatus neque ille dici potest, « qui non habet quod amat, qualecumque sit; neque « qui habet quod amat, si noxium sit; neque qui non « amat quod habet, etiamsi optimum sit. Nam et qui « appetit quod adipisci non potest, cruciatur; et qui « adeptus est quod appetendum non est, fallitur; « et qui non appetit quod adipiscendum esset, ægro- « tat. » Beata igitur vita tunc solùm est, « cùm id « quod est hominis optimum et amatur, et habetur. « Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi præstò « habere quod diligis? » Duæ porrò conditiones sunt summi boni; prima, ut nihil eo melius sit; altera, ut tale sit quòd non amittat invitus. Deo autem nihil melius est; Deum nemo amittit invitus; igitur consecutio Dei beatitas est. Illius igitur visio, amor fruitio sempiterna, vita æterna est. Ex dulcissimis istis actionibus nascitur gaudium incomparabile. « Beata « vita, » inquit S. Augustinus, libro 10 Confessionum, cap. 23, « est gaudium de veritate. Hoc est enim « gaudium de te qui veritas es, Deus illuminatio mea, « salus facici meæ Deus meus. Ipsa est beata vita « gaudere ad te, de te, propter te. » Unde Christus ait : *Serve et bone fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Terrena gaudia intrant in cor, quia creaturæ, de quibus gaudemus, corde nostro inferiores sunt et minores; sed cor nostrum intrat in gaudium Domini, quia *Deus major est corde nostro*, 1 Joan. 3. Gaudii hujus cœlestis immensitatem ebrietatis nomine propheta significat, quâ extra se rapitur homo, et quasi suî rerumque omnium creatarum obliviscitur, in Deum immersus : *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos : quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Quæ verba S. Augustinus explicans enarratione in psalmum 35, ait : *Cùm accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodò humana mens et fit divina.*

V. Ex Dei visione, amore, fruitione, summa pax consequitur. Unde beatitudinem ipsam *Pacis* nomine Patres significant, ipsaque Ecclesia, cùm fidelibus defunctis adprecatur ut *requiescant in pace.* Unde S. Augustinus in Enchiridio, cap. 18, status vel ætates hominis quatuor distinguit, ante legem, sub lege, sub gratiâ, et in pace. « Cùm, inquit, in altissimis igno- « rantiæ tenebris nullâ resistente ratione secundùm « carnem vivitur, hæc sunt prima hominis. Deinde « cùm per legem cognitio fuerit facta peccati, si non- « dùm divinus adjuvat Spiritus, secundùm legem vo- « lens vivere, vincitur, et sciens peccat peccatoque sub- « ditus servit; id agente scientiâ mandati, ut peccatum « operetur in homine omnem concupiscentiam, cumulo « prævaricationis adjecto, atque ita quod scriptum est « impleatur; *Lex subintravit, ut abundaret delictum*, « Rom. 5. Hæc sunt secunda hominis. Si autem res- « pexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat ipse ad- « juvare credatur, et agi homo cœperit Dei Spiritu, « concupiscitur adversùs carnem fortiori robore cha- « ritatis : ut quamvis adhuc sit quod homini repugnet « ex homine, nondùm totâ infirmitate sanatâ, ex fide « tamen justus vivat, justèque vivat, in quantum non « cedit malæ concupiscentiæ, vincente delectatione « justitiæ. Hæc sunt tertia bonæ spei hominis; in qui- « bus si piâ perseverantiâ quisque proficiat, postrema « pax restat, quæ post hanc vitam in requie spiritûs, « deinde in resurrectione etiam carnis implebitur. « Harum quatuor differentiarum, prima est ante le- « gem, secunda sub lege, tertia sub gratiâ, quarta in « pace plenâ atque perfectâ. »

De pace illâ desideratissimâ, illud prophetæ oraculum intelligendum est, Psalm. 36 : *Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.* Quod S. Augustinus sic explicat, enarratione in psalmum 36, sermone 1 : « Aurum tuum pax, argentum tuum « pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax.

« Quicquid desideras, pax tibi erit. Quia hìc aurum « quod est, non potest tibi esse argentum; quod vi- « num est, non potest tibi esse panis; quod tibi lux « est, non potest esse potus. Deus tuus totum tibi erit. « Manducabis eum, ne esurias; bibes eum, ne sitias; « illuminaberis ab eo, ne sis cæcus; fulcieris ab eo, « ne deficias; possidebit te totum integrum totus inte- « ger. Angustias non ibi patieris cum eo cum quo to- « tum possides. Totum habebis, totum et ille habebit; « quia tu et ille unum eritis, quod et unum totum ille « habebit qui vos possidet. » Fines cœlestis Jerusalem pax. *Posuit fines tuos pacem*, inquit Propheta, Psal. 147. Modò desideramus pacem, quam hìc habemus in spe. Nam in nobis ipsis qualis modò pax, quando *Caro concupiscit adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem?* Galat. 5. « Quando erit plena pax in uno ho- « mine, tunc erit plena in omnibus civibus Jerusalem, « cùm scilicet *Corruptibile hoc induerit incorruptionem,* « *et mortale hoc inducrit immortalitatem.* Tunc plena « pax, tunc firma pax; nihil litigabit adversùs animam « in homine, non ipsa adversùm se, ex quâdam parte « saucia; non carnis fragilitas, non indigentia corpo- « ris, non fames, non sitis, non frigus, non æstus, non « lassitudo, non ulla inopia, non provocatio rixæ, non « certè ipsa sollicita cautela et vitandi inimici et dili- « gendi. Hæc omnia litigant adversùm nos, nondùm « est plena et perfecta pax. Quod clamâstis jamdudùm « nominatà pace, ex desiderio clamâstis, clamor ves- « ter de siti fuit, non de saturitate : *Quia ibi erit per-* « *fecta justitia, ubi perfecta pax.* Modò esurimus et si- « timus justitiam. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam,* « *quoniam ipsi saturabuntur*, Matth. 5. Quomodò ipsi « saturabuntur? Cùm ad pacem venerimus. Jerusalem « *Visio pacis* est. Differamus omnes laudes pacis ad « illam patriam pacis. Ibi eam plenìùs laudabimus, « ubi eam plenìùs habebimus. Inchoatam in nobis si « sic amamus, perfectam quomodò laudabimus? »

Suavissimam illam pacem nulla turbabit invidia : quamvis multæ sint in eâdem glorià mansiones diver- sæ claritatis, pro disparitate meritorum, et alia sit claritas solis, alia lunæ, alia stellarum, in unius ob- jecti, quod summum omnium et singulorum bonum est, scilicet Dei, plenâ ac perfectâ possessione. Id egregiè S. Augustinus explicat tractatu 67 in Joan- nem. « Denarius quidem ille, inquit, æqualis est om- « nibus, quem pater-familiàs eis qui operati sunt in « vineâ jubet dari omnibus, non in eo discernens qui « minùs et qui ampliùs laborarent : quo utique dena- « rio vita significatur æterna, ubi ampliùs alio nemo « vivit, quoniam vivendi non est diversa in æternitate « mensura. Sed multæ mansiones, diversas merito- « rum in unâ vitâ æternâ significant dignitates.... « Tanquàm stellæ sancti diversas mansiones diversæ « claritatis, tanquàm in cœlo, sortiuntur in regno; « sed propter unum denarium nullus separatur à re- « gno; atque ita Deus erit omnia in omnibus, ut quo- « niam Deus charitas est, per charitatem fiat ut quod « habent singuli; commune sit omnibus. Sic enim « quisque etiam ipse habet, cùm amat in altero quod « ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia im- « paris claritatis, quoniam regnabit in omnibus uni- « tas charitatis. » Ardentissimâ charitate mutuò se amant supernæ Jerusalem beatissimi cives, seque ab aliis sanctis concivibus amari certò sciunt, perspec- tum uniuscujusque animum habent, ejusque erga se charitatem intuentur, atque mutuum illum amorem æternum fore, ipsis exploratum est.

§ III. *Essentialis beatitudo in visione et possessione Dei sita est.*

I. Duo bonorum genera divinarum rerum gravissimi tractatores esse statuunt : quorum alterum ad beati- tudinis naturam pertinet; alterum ipsam beatitudinem consequitur. Illa essentialia, hæc accessoria bona ap- pellàrunt. Accessoria sunt gaudium, gloria, honor, pax, immortalitas, claritas, aliæque dotes corporis. Essentiale verò bonum, sive essentialis beatitudo, ut loquuntur theologi, in Dei visione et possessione sita est. *Hæc est vita æterna*, inquit Christus 1 Joan. 17, *ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Je- sum Christum;* quam sententiam S. Joannes interpre- tari videtur, cùm ait, 1 Epist. 3 : *Charissimi! Nunc filii Dei sumus, et nondùm apparuit quid erimus; scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Significat enim beatitudinem ex iis duobus constare; tum quòd Deum intuebimur, qualis in naturâ suâ ac substantiâ est; tum quòd di- vinæ essentiæ absque ullo medio conjuncti, *Deiformes*, ut loquitur S. Thomas, id est, veluti dii efficiemur. Quemadmodùm enim ferrum igni admotum ita ignem concipit ut totum ignis videatur, servatâ licet propriâ substantiâ; sic mens angelica et humana, Deum ut in se est videntes, ita deitate permeantur ac possiden- tur, ita amore divino inflammantur, ut quamvis ea- rum natura servetur incolumis, nihil aliud quàm Deus esse videantur. Unde S. Gregorius Nazianzenus, ora- tione 15, de electis loquens ait : « Illos quidem lux « omni sermone præstantior excipiet, et sanctæ re- « giæque Trinitatis, puriùs jam et clariùs illuminan- « tis, totamque se cum totâ mente miscentis, con- « templatio; in quâ ego vel sola regnum cœlorum « maximâ ex parte positum esse censeo. »

Summum bonum præmiumque quod justis in sacris litteris promittitur, visio Dei est. *Satiabor*, inquit propheta Psal. 6, 15, 35, 83, *cùm apparuerit gloria tua... Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo... In lumine tuo videbimus lumen... Videbitur Deus Deorum in Sion... Beati mundo corde*, inquit Christus, Matth. 5 et 18, *quo- niam ipsi Deum videbunt... Angeli eorum in cœlis sem- per vident faciem Patris mei... Qui diligit me, diligetur à Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me- ipsum*, Joan. 14. Et Apostolus 1 ad Corinthios 13 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Ex quo loco Triden- tini concilii Catechismus colligit, Deum in similitudine sive imagine creatâ non videri à beatis, quod et S. Au- gustini et Dionysii testimoniis confirmat. Et certè nullâ

inferiorum similitudine superiora percipi possunt, neque ex alicujus rei corporeæ similitudine rei spiritalis essentia et substantia cognosci potest; cùm præsertim necesse sit rerum similitudines minùs concretionis habere, magisque spirituales esse quàm res ipsas, quas menti repræsentant et exhibent cognoscendas. Quoniam verò fieri non potest ut alicujus creatæ rei similitudo æquè pura et spiritualis, ac Deus ipse est reperiatur; ita fit ut nullâ similitudine divinam essentiam, perfectè, ut in se est, intelligere et intueri possimus. Accedit quòd res omnes creatæ certis perfectionis terminis circumscribuntur; at Deus infinitus est; neque ullius creatæ rei similitudo ejus immensitatem capere, ejus summam immaterialitatem et intelligibilitatem, ut ita loquar, æquare potest. Omnis similitudo creata exhibere potest quid Deus non sit, non verò quid sit, obscurare nobis illum potest, non illuminare; obnubere, non denudare. Deus igitur non per vicariam sui imaginem et umbratilem similitudinem à beatis tenetur et videtur, sed seipsum velut sponsum sponsæ copulat solum soli, absque medio, absque conciliatriculâ specie; incredibili quodam modo intelligentiam nostram altius extollens, ut idonei ad ejus essentiam contemplandam reddamur. « Unigenitus Dei Filius qui « est in sinu Patris, divinitatis naturam atque substan- « tiam insonabiliter narrat; et ideò dignis idoneisque « tanto conspectu oculis invisibiliter demonstrat, » inquit S. Augustinus, Epistolâ 147, aliàs 112. « Hæc no- « bis contemplatio promittitur actionum omnium « finis atque æterna perfectio gaudiorum... Contem- « platio quippe merces est fidei, cui mercedi per fidem « corda mundantur... In visione merces tota promitti- « tur dilectionis et desiderii nostri... In illâ contem- « platione Dei est finis omnium bonarum actionum, et « requies sempiterna, et gaudium quod nunquàm au- « feretur à nobis, » inquit S. Augustinus, libro 1 de Trinitate, capp. 8, 9 et 10. In illâ contemplatione Deus erit omnia in omnibus, quia nihil ab illo aliud requiretur, sed solo ipso illustrari perfruique sufficiet. Quamobrem ait Propheta, Psal. 26 : *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini.*

Deus videri non potest, ut in se est, ab homine mortalem vitam agente.

II. Hoc fiet cùm venerit Dominus, et illuminaverit occulta tenebrarum, cùm tenebræ mortalitatis hujus corruptionisque transierint. Tunc erit manè nostrum, de quo in Psalmo 5 dicitur, *Manè adstabo tibi, et videbo.* Nunc perfecta illa Dei contemplatio esse non potest, quamdiù gaudium nostrum in spe est. *Quamdiù sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Ideò Dominus ait Exodi 33 : *Non videbit me homo et vivet;* et Joannis 1 dicitur : *Deum nemo vidit unquàm;* et Christus ait : *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Apostolus item 1 ad Timotheum 1 : *Regi,* inquit, *seculorum immortali et invisibili soli Deo honor et gloria;* et 2 ad Timotheum 6 : *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Quæ Scripturæ loca significant, vel Deum in hâc mortali vitâ videri non posse ut in se est; vel oculis corporis conspici nusquàm posse; vel solis naturæ viribus neminem hominem vel angelum divinam essentiam posse contemplari; vel denique Deum à nullâ creatâ intelligentiâ comprehendi posse.

Deus videri non potest oculis corporis.

III. Deum corporis oculo videri non posse, firmis rationibus S. Augustinus probat epistolis 92, aliàs 6 ad Italicam viduam, 147, aliàs 112 ad Paulinam, et 148, aliàs 111 ad Fortunatianum episcopum Siccensem. Præcipuæ rationes istæ sunt : *Omne quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, et majore majorem* (Epist. 92). Deus autem non est in loco extensus, sed ubique totus; nec habet partes majores et minores, sed simplicissimus est, et purus summusque spiritus. *Istius corporis oculi omninò non possunt cernere nisi corpora quæ ab eis aliquo loci intervallo separata sunt; nam si nullum intervallum sit, nec ipsa corpora per eos videmus* (Epist. 148). Deus autem, cùm ubique sit, nusquàm distat. *Deus charitas est, sive tanquàm ejus fons ineffabiliter existendo, sive illam nobis per Spiritum suum largiendo* (Ibid.). Charitas autem corporeis oculis videri non potest. *Cùm sit aliquid nostrùm visibile, sicut hoc corpus; aliquid verò invisibile, sicut homo interior : et cùm optimum nostri, hoc est mens atque intelligentia invisibilis sit oculis corporis; quomodò id quod est melius optimo nostri, visibile erit inferiori nostro?* (Epist. 147.) Id est, quomodò Deus, qui melior est et incomparabiliter excellentior mente nostrâ, visibilis erit oculis corporis? Cur solis oculis, non etiam aliis sensibus beatorum pariter indulgebitur ut Deum attingere possent? *Sonus ergo erit Deus, ut etiam possit auribus percipi? Et halitus erit, ut sentiri possit olfactu? Et liquor aliquis erit, ut possit et bibi? Et moles erit, ut possit et tangi? Non, inquiunt : Quid ergo? An illud potest Deus et hoc non potest?* (Epist. 92.) *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est,* 1 Joan. 3. Inde ergo videbimus, unde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit, corpore nos esse, vel futuros esse similes Deo? In interiore igitur homine ista similitudo est, adeòque et visio mentis est, non corporeorum oculorum. Item, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,* 1 Cor. 13. Inde ergo visuri sumus facie ad faciem, unde videmus nunc per speculum in ænigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis munus est, sive cùm in istâ peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in quâ utitur speculo et ænigmate, sive in illâ patriâ, cùm per speciem contemplabitur. Pro quâ visione positum est, *facie ad faciem. Spiritus est Deus, et eos qui adorant Deum, in Spiritu et veritate oportet adorare,* Joan. 4. Si adorare, quantò magis videre? « Quis enim audeat affirmare Dei substantiam corpo- « raliter videri, cùm eam noluerit corporaliter ado- « rari? »

Id confirmat S. Augustinus, epistolâ 148 ad Fortu-

natianum Sicculum epi-copum testimoniis sanctorum Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii et Hieronymi. Denique « Ad hoc fide corda nostra mundantur, « quia nobis fidei merces visio Dei promittitur. Quæ « si per corporis oculos erit, frustra ad eam perci- « piendam sanctorum animus exercetur; imò verò tam « perversè sentiens animus non in se exercetur, sed « totus in carne est. Ubi enim tenaciùs habitabit et « fixiùs, nisi unde se Deum visurum esse præsumit. » Quòd igitur ait sanctus Job, *In carne meâ videbo Deum*, non significat quòd oculis corporis Deum visurus esset, sed quòd ipse animâ et corpore redivivo et innovato constans post resurrectionem, Deum esset oculis mentis visurus.

Prophetæ verò et patriarchæ, quos Deum vidisse Scriptura sacra testatur, ut Abraham, Jacob, Moyses, Isaias; vel Deum, vel Angelum Dei personam gerentem, in specie aliquâ corporeâ ad tempus assumptâ, non in suæ naturæ proprietate, et sicut in se est, viderunt. Unde tam multiformiter apparuisse narratur; nam si ipsa natura divina visa esset, uniformiter semper se Deus ipsis adspectabilem præbuisset.

Sanctus quidem Augustinus, libro 22 de Civitate Dei, cap. 29, ratiocinationem quorumdam philosophorum meritò explodit, qui asserebant ita mentis aspectu intelligibilia videri, et sensu corporis sensibilia, id est, corporalia, ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per seipsam mens valeat intueri. *Istam ratiocinationem*, inquit, *et vera ratio, et prophetica irridet auctoritas.* Dubitâsse etiam videtur S. Augustinus, utrùm per omnipotentiam Creatoris fieri posset aut foret aliquandò ut corpus in spiritum, et oculi corporei in intellectuales converterentur; quod si fieret, non jam corporis oculis, sed mentis videretur Deus. Atque illâ factâ hypothesi, ait: « Longè itaque « alterius erunt potentiæ, si per eos videbitur incor- « porea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubi- « que tota est... Res itaque præpollentior erit oculo- « rum illorum, non ut acriùs videant, quàm quidam « perhibentur videre serpentes vel aquilæ; quantâli- « bet enim acrimoniâ cernendi eadem quoque anima- « lia nihil aliud possunt videre quàm corpora. Sed ut « videant et incorporalia. » Illam tamen hypothesim non probat. « Aut ergo, inquit, per illos oculos sic vide- « bitur Deus, ut aliquid habeant in tantâ excellentiâ « menti simile, quo et incorporea natura cernatur, « quod ullis exemplis sive Scripturarum testimoniis di- « vinarum, vel difficile vel impossibile est ostendere; « aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus « erit nobis notus atque conspicuus, ut videatur spi- « ritu à singulis nobis in singulis nobis, videatur ab « altero in altero, videatur in seipso, videatur in « cœlo novo et in terrâ novâ, atque in omni quæ tunc « fuerit creaturâ. » Denique tu o Deum corporeis oculis visum iri ait, quo modo nunc vitam in corporibus viventibus videmus. Certum est autem vitam ipsam oculis corporis non videri, sed sensibiles effectus, et motus, ex quibus mens cognoscit ista corpora vivere, statim atque corporis oculus illa intuetur. Ita et multò excellentiùs oculi beatorum admirabiles Dei effectus in corporibus innovatis et gloriosis videbunt, ex quibus mens Deum in seipso videns, ipsum etiam videat in aliis, videat in cœlo novo et in terrâ novâ, videat in omni quæ tunc fuerit creaturâ. « Quam- « obrem, inquit, fieri potest, valdèque credibile est « sic nos esse visuros mundana tunc corpora cœli novi « et terræ novæ, ut Deum ubique præsentem, et uni- « versa etiam corporalia gubernantem, per corpora « quæ gestabimus, et quæ conspiciemus quaquaver- « sùm oculos duxerimus, clarissimâ perspicuitate vi- « debamus; non sicut nunc invisibilia Dei, per ea quæ « facta sunt intellecta conspiciuntur per speculum « in ænigmate, et ex parte; sed sicut homines, in- « ter quos viventes motusque vitales exserentes vi- « vimus, mox ut aspicimus non credimus vivere, sed « videmus; cùm eorum vitam sine corporibus vide- « re nequeamus, quam tamen in eis per corpora re- « motâ omni ambiguitate conspicimus: ita quacumque « spiritalia illa lumina corporum nostrorum circumfere- « mus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per « corpora contuebimur. »

Mens creata divinæ Essentiæ visionem naturæ viribus consequi non potest.

IV. Visionem Dei ut in se est, naturæ viribus consequi nulla mens creata potest, sed necessarium est speciale Dei auxilium, quo mens ad beatificæ illius visionis fastigium evehatur, ac in ordine supernaturali constituta roboretur. Unde S. Augustinus, tract. 23 in Joannem, ait: *Quomodò anima quæ inferior Deo est, id quod ipsâ inferius est, id est corpus, facit vivere; sic eamdem animam non facit beatè vivere, nisi quòd ipsâ animâ est superius.* Atque etiam hoc sensu psalmo 35 scriptum est: *In lumine tuo videbimus lumen;* hoc est, *in illustratione Spiritûs sancti* gloriam Patris et Filii videbimus, ut S. Basilius libro de Spiritu sancto, cap. 18, et S. Gregorius Nyssenus, oratione in sanctum Stephanum, interpretantur. Sed quemadmodùm Spiritus sanctus justorum animas inhabitans, eas donis suis ornat, gratiamque, charitatem, ac cæteras virtutes illis infundit ut supernaturales actus eliciant: ita beatas mentes evehit, ornat, præmunit supernaturali dono, quod *Lumen gloriæ* appellatur, cujus necessitatem ad Deum ut in se est contuendum, concilium Viennense sanxit contra hæreticos, ut habetur in Clementinâ, ad nostrum, tit. de Hæreticis, ubi inter complures Begardorum et Beguinarum errores hic proscribitur: *Quælibet intellectualis natura in seipsâ naturaliter est beata*; et: *Anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum et eo beatè fruendum.* Lumen illud donum esse à divinâ essentiâ diversum, quo beati collustrantur ut illam videant, confirmari potest S. Augustini verbis, libro de Peccatorum Meritis, cap. 19: « Veruntamen, inquit, si percepto baptismate « de hâc vitâ emigraverit, soluto reatu, cui origina- « liter erat obnoxius, perficietur in illo lumine ve- « ritatis, quod incommutabiliter manens in æter-

« num justificatos præsentiâ Creatoris illuminat. »

Deus à nullâ creatâ mente comprehendi potest.

V. Quamvis Deum ut in se est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum beati perspicuè videant; non tamen comprehendunt; aut comprehendere possunt eum, qui *magnus est consilio, et incomprehensibilis cogitatu*, Jerem. 32. Id enim comprehenditur videndo, « quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, « aut cujus fines circumspici possunt; » sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ; circumspicere autem potes fines anuli tui. Corpus oculis corporis conspicis, sed non comprehendis, quia non totum simul aspicis. Cùm faciem vides, dorsum non vides; et si totam superficiem videas, interiora non vides. *Quicquid scientiâ comprehenditur, scientis comprehensione finitur*; inquit S. Augustinus, ser. 117, aliàs 38, de Verbis Domini; lib. 12 de Civit. Dei, c. 18. Rem aliquam comprehendere, est eam ex toto cognoscere et cognitione clarâ atque distinctâ magnitudinem illius adæquare. Deum igitur comprehendere, est illius agendi vim infinitam et omnipotentiam plenè ac perfectè cognoscere, id est, non solùm creatas res omnes quæ sunt, fuerunt, vel erunt, sed quæ ab ipso produci possunt, intelligentiâ capere. Effectis enim omnibus omnipotentiæ comprehensis, ipsa comprehenditur omnipotentia, virtusque et magnitudo Dei; ex quo sequitur Deum comprehendi, quicum unum est sua virtus ac magnitudo. Porrò cùm Dei vis et omnipotentia, quæ Deus ipse est, quâ rerum omnium futurarum et possibilium causa est, infinita sit, intelligentiâ creatæ mentis, quæ finita est, non potest adæquari. Deum comprehendere solus Deus potest. Deum nemo vidit unquàm, Joan. 1, sicut se Deus esse novit. Sic Deum *Nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, 2 Tim. 6. Solus *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei... Quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei*, 1 Cor. 2.

Id præclarè S. Epiphanius explicat, hæresi 70, ubi *Infinitum Deum* ait *videri, non ut se habet in sese infinitum; sed quomodò capere natura potest.* Quod subindè duplici similitudine eodem pertinente sic explicat: « Veluti si quis per angustum foramen cœlum aspiciat, ac dicat: Video cœlum; non utique mentiatur; « videt enim reverà cœlum. Quòd si quis prudenter « ei dicat: non vidisti cœlum; neque iste mentietur. « Tam enim qui ait vidisse, non mentitur, quàm « qui ei dicit: non ipsum vidisse, vera loquitur. Quippe « non vidit illius exporrectionem, neque latitudinem. » Subjicit aliud exemplum ad rei explicationem aptissimum. « Sæpè, inquit, accidit ut ex alto montis « vertice mare prospiciamus. Quòd si nos illud vi- « disse dicamus, non mentiemur; neque si contra- « dixerit aliquis ac vidisse nos negaverit, non ille « verum dicet propterea quòd, cùm homo sit, quò « illius latitudo, quò altitudo pertingat, quàmque alti « sint voraginis illius recessus; sed nec illius effecta « pervidere potest. » Multò minùs angelica vel humana mens Deum perfectionum oceanum intelligentiâ suâ metiri, adæquare et comprehendere potest. *Forsitan*, inquit S. Job, cap. 11, *vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terrâ mensura ejus, et latior mari.* Hinc S. Augustinus, sermone 117, aliàs 38, de Verbis Domini, cap. 3: « De Deo loquimur, inquit, « quid mirum si non comprehendis? Si enim com- « prehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignoran- « tiæ magis, quàm temeraria professio scientiæ. « Attingere aliquantùm mente Deum, magna beati- « tudo est; comprehendere autem omninò impos- « sibile... Ecce de corporibus dicimus subjacenti- « bus oculis nostris, non illa possunt comprehendere « aspectu; quis ergo oculis cordis comprehendit « Deum? Sufficit ut attingat, si purus est oculus. Si « autem attingit, tactu quodam attingit incorporeo et « spiritali, non tamen comprehendit, et hoc si purus « est. Et homo fit beatus contingendo corde illud « quod semper beatum manet: et est illud ipsa bea- « titudo perpetua, et unde fit homo vivus vitâ per- « petuâ. »

Hoc duntaxat sensu Deum à beatis, sive angelis, sive hominibus non videri, S. Joannes Chrysostomus, Theodoretus, aliique nonnulli Patres Græci aiunt, id est, plenâ et ex toto perfectâ cognitione, cujusmodi est illa quâ se Deus ipse cognoscit, qualem sibi arrogabant Anomœi hæretici, quos vel ex instituto, vel occasione datâ refellunt. Negant angelis Dei *comprehensionem, ac tantam quantam Filii notitiam habet Pater...* Quoniam Deus *ab nullâ re creatâ comprehendi potest*; ut loquitur S. Chrysostomus homiliâ 15 in Joannem, et oratione 3 contra Anomœos. Asserunt angelos divinam substantiam non videre, *Quæ neque circumscribi potest, neque comprehendi, neque cogitatione sepiri, et universa complectitur*, ut loquitur Theodoretus, dialogo 1. Sed divinam essentiam ad captum creaturæ attemperatam, et angelorum, sanctorumque hominum intelligentiæ sese accommodantem, clarâ ac perspicuâ cognitione ab angelis videri non negant, de quibus scriptum est, Matth. 18: *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Quanquàm visio illa cum eâ comparata quâ seipsum videt Deus, et totus comprehenditur, hoc est, omnia quæ in eo sunt, et ab eo fieri possunt, perfectè capiuntur, accurata claraque visio et contemplatio non sit appellata ab illis Patribus, quæ tamen absolutè spectata est clara et perspicua visio Dei *Sicuti est.* Sic res creatas, etsi verè exstent, non esse tamen, si cum Deo componantur, Qui est, Propheta Isai, 40, asserit: *Omnes gentes quasi non sint*, inquit, *sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei.*

Quòd si comprehensionis nomen sumatur, prout significat assecutionem ejus boni quod persecuti, et ad adipiscendum conati ante sumus, sic beati Deum comprehendunt, sive apprehendunt, attingunt, perspicuè contuentur, eoque fruuntur. Quo sensu verbum *comprehendere*, in epistolâ ad Philippenses usur-

patur, cap. 3 : *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim ; sequor autem si quomodò comprehendam, in quo et comprehensus sum à Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse.* Quo in loco similitudo inest à cursoribus petita, quorum exemplo se ad beatæ immortalitatis præmium contendere dicit Apostolus, et eam apprehendere conari.

Justorum animæ, quibus nihil eluendum superest, Deum vident statim atque corporibus solutæ sunt.

VI. Dogma fidei est, « illorum animas, qui post « Baptisma susceptum nullam omninò peccati ma- « culam incurrerunt; illas etiam, quæ post contra- « ctam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel « eisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cœlum « mox recipi, et intueri clarè ipsum Deum trinum « et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversi- « tate alium alio perfectiùs. » Ita docet ac declarat concilium Florentinum in definitione fidei.

Quod quidem catholicæ fidei dogma verbo Dei nititur, expressis nempe S. Pauli testimoniis, 2 ad Corinthios 5 : *Scimus*, inquit, *quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis*, etc. Terrestris domus nostra, corpus est, quo per mortem dissoluto, anima domum non manufactam æternam in cœlis, id est, cœlestem beatitudinem, si digna sit, statim consequitur. Subdit paulò post Apostolus : *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingeniscimus gravati, eo quòd nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale, est à vitâ. Audientes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem) : audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Dominum.* Id est, duo sunt in nobis desideria, unum naturæ, quo semper in corpore et in hoc mundo permanere vellemus, nunquàm mori; alterum gratiæ, quo Deum videre eoque frui vellemus. Verùm quia dùm sumus in corpore peregrinamur à Domino, et in umbris fidei ambulantes Dei conspectu frui pro statu mortalis hujusce vitæ non possumus, justi, quorum nomine loquitur Apostolus, magis optant peregrinari à corpore, id est, è vitâ migrare, ut statim Dei visione fruantur. Certè cùm in hâc vitâ peregrinemur à Domino, sed non à corpore, et futurum sit ut post resurrectionem nec à Domino nec à corpore peregrinemur, necesse est esse aliquem animæ statum ante resurrectionem in quo peregrinetur à corpore, sed non à Domino, secundùm Apostoli sententiam. Porrò non esset hujusmodi status, nisi piorum animæ corpore exutæ ac omninò purgatæ statim Deum viderent, eoque fruerentur. Quam beatitudinem bono latroni, statim atque obiisset, Christus promisit, dicens, Lucæ 3, *Hodie mecum eris in paradiso.* Hinc Apostolus rursùs ait, Philipp. 1 : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* Quid verò properabat dissolvi, si post resurrectionem tantùm, et non statim post mortem corporis, Deo fruiturus erat?

VII. Perfectam tamen et consummatam beatitudinem justi non consequuntur ante resurrectionem, sive quòd naturali corporis recipiendi desiderio animæ beatæ quodammodò retardentur ne tanto impetu ferantur in Deum, ut S. Augustinus censet libro 12 de Genesi ad litteram, cap. 23, sive quòd sine corpore, laborum omnium et meritorum commilitone, absoluta et perfecta illarum felicitas esse non valeat. Ideò martyrum animas S. Joannes, Apoc. 6, vidit sub altari, clamantes : *Usquequò, Domine, sanctus et verus non judicas et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum.* Vidit sub altari, sed in cœlo; sub altari, id est, sub Christo, sed tamen cum Christo regnantes. Datæ sunt illis singulæ stolæ. *Stola prima est felicitas et requies animarum; secunda verò, immortalitas et gloria corporum.* Primam jàm acceperunt sancti; alteram non recipient quousque receperint corpora. Unde et S. Paulus de patriarchis et prophetis ait, Hebr. 11 : *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Quod ad perfectam atque consummatam beatitudinem referri verba ipsa indicant. « Nec enim præstari decet integram beatitudinem, « donec sit homo integer cui detur, nec perfectione « donari Ecclesiam imperfectam, » inquit S. Bernardus, sermone 3 in Festo omnium sanctorum.

Et sermone 2 : « Animæ sanctæ, inquit, quas pro- « prià Deus insignivit imagine, te, caro, desiderant! « Quas redemit proprio sanguine, te expectant! Et ip- « sarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, con- « summari beatitudo non potest. Adeò siquidem viget « in eis desiderium hoc naturale, ut necdùm tota ea « rum affectio liberè pergat in Deum, sed contrahatur « quodammodò et rugam faciat, dùm inclinantur desi- « derio tui... Sine maculâ, inquit, sunt ante thronum « Dei : sine maculâ, sed necdùm sine rugâ ; donec ve- « niat dies cùm sibi gloriosam Christus exhibebit Ec- « clesiam, non habentem maculam neque rugam. »

VIII. Ne quis verò existimet Ecclesiam, cùm animas fidelium defunctorum *in sinum Abrahæ Patriarchæ* deportari, atque in eo collocari precatur, locum à regno cœlorum distinctum, aut statum diversum ab æternâ beatitudine, Deique perspicuâ visione et fruitione intelligere. Unus enim idemque locus et status, una eademque felicitas beatarum animarum diversis nominibus appellata est, et appellatur ab Ecclesiâ « cœlum, paradisus, regio vivorum, lux sancta, re- « quies æterna; locus refrigerii, lucis et pacis; vita « æterna, sinus Abrahæ, etc. » Unde S. Augustinus libro 2 Quæstionum Evangelicarum, cap. 38 : « Sinus « Abrahæ, inquit, requies beatorum pauperum, quo- « rum est regnum cœlorum, in quo post hanc vitam « recipiuntur. » Et infra : « Sinus Abrahæ intelligitur « secretum Patris, quò post Passionem resurgens as- « sumptus est Dominus..... Ubi etiam ante resurre- « ctionem justorum animæ vivunt cum Deo. » Denique

quamvis aliquandò fluctuâsse visus sit S. Augustinus circa locum Abrahæ sinu significatum, minimè tamen dubitavit, quin eo significaretur locus quietis et felicitatis æternæ, in quo justorum animæ visione Dei ante ultimum judicii diem fruuntur. Sic enim libro 9 Confessionum, cap. 3, de Nebridio amico suo loquitur : « Et nunc ille vivit in sinu Abraham. Quicquid illud « est quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus « vivit, dulcis amicus meus, tuus autem, Domine, adop- « tivus ex liberto filius, ibi vivit. Nam quis alius tali ani- « mæ locus? Ibi vivit, unde me multa interrogabat « homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad « os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, et bibit « quantùm potest sapientiam pro aviditate suâ sine fi- « ne felix. » Et libro 4 de Animâ et ejus origine, cap. 16 : « Sinum Abrahæ, inquit, intellige remotam « sedem quietis atque secretam, ubi est Abraham, et « ideò Abrahæ dictum, non quòd ipsiùs tantùm sit, « sed quòd ipse pater multarum gentium sit positus, « quibus est ad imitandum fidei principatum proposi- « tus; sicut Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum « Jacob, se Deus vocari voluit, cùm sit innumerabi- « lium Deus. »

§ IV. *Spiritales fructus ex postremo Symboli articulo colligendi.*

I. Cùm Deus vitam æternam diligentibus se præparaverit, omnibus studiis ac viribus eniti et contendere debemus, ut ipsam consequamur. Media debemus eligere quæ nobis Christus præscripsit, viam sequi quam monstravit, mandata Dei servare : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* nihil non agere, nihil non pati propter Deum. *Omnis qui in agone contendit*, inquit Apostolus, *ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Quàm pudendum quòd homines pro temporalibus periturisque bonis tot discrimina, tot labores lubenter subeant, et pro bonorum æternorum adeptione vitâque immortali ne minimum quidem laborem subire velint! Disserentem eâ de re S. Augustinum epistolâ ad Armentarium et Paulinam 127, aliàs 45, audiamus. « Labores, inquit, et pericula et exitia hu- « jus transitoriæ vitæ, si pro eâdem vitâ quandoque « finiendâ subeuntur, ut mors ejus non omninò aufe- « ratur, sed paululùm differatur, quantò magis pro « æternâ subeunda sunt, ubi mortem nec natura solli- « citè cavet, nec ignavia turpiter timet, nec sapientia « fortiter sustinet? Habeat igitur te vita æterna in di- « lectoribus suis. Nonne cernis, hæc vita miserabilis et « egena quàm vehementes habeat, quantùmque sibi « obliget amatores suos? Qui tamen periculo ejus sæ- « pè turbati, citiùs eam finiunt, eo ipso quo finire for- « midant, et mortem dùm declinant accelerant, veluti « si quisquam fluvio rapiendus irruat, latronem be- « stiamve fugiendo? Jactant in mare tempestate sæ- « viente aliquando et alimenta, et ut vivant, projiciunt « unde vivunt, ne citò finiatur, quod vel in labore vi- « vitur. Quantis laboribus agitur, ut longiore tempore « laboretur, et mors cùm impendere cœperit, ideò ca- « vetur, ut diutiùs timeatur! Nam inter tot casus fra- « gilitatis humanæ, quàm multæ mortes timentur, qua- « rum certè una cùm venerit, restat cæteras non ti- « meri! et tamen fugitur una ut omnes timeantur. « Quibus cruciantur doloribus, qui curantur à medicis « et secantur? Numquid ut non moriantur? sed ut alì- « quantò seriùs moriantur. Multi cruciatus suscipiun- « tur certi, ut pauci dies adjiciantur incerti; et non- « nunquàm ipsis doloribus victi continuò moriuntur, « quos mortis timore suscipiunt; et cùm omninò non « eligant vitam finire ne doleant, sed dolere ne finiant, « accidit eis ut doleant et finiant; non solùm quia et « sanati utique vitam finiunt post dolores, quæ tantis « pœnis comparata nec sempiterna esse potest, quia « mortalis est; nec diuturna, quia tota brevis est; nec « de ipso brevi spatio suî secura, quia semper incerta « est; verùm etiam quòd aliquandò eam dolore finie- « runt, quam ne finirent dolere voluerunt. Habet etiam « hoc magnum malum, ac vehementer exsecrandum et « horrendum nimius amor vitæ istius, quòd multi « dùm volunt paulò diutiùs vivere, graviter offendunt « Deum, apud quem est fons vitæ. Atque ita dùm ab « eis frustra, qui necessariò futurus est, vitæ finis me- « tuitur, illinc prohibentur, ubi sine fine vivitur. Huc « accedit, quia vita misera etiam si posset esse perpe- « tua, nullo modo beatæ vitæ etiam brevissimæ com- « paranda est : et tamen isti amando miserrimam at- « que brevissimam, perdunt beatissimam ac sempiter- « nam; cùm in hâc ipsâ, quam malè diligunt, hoc ve- « lint quod in alterâ perdunt : quia utique in istâ nec « miseriam diligunt, nam beati esse volunt; nec brevi- « tatem, nam eam finiri nolunt; tantùm quia vita est « sic amatur, ut sæpè propter eam (licet miseram et « brevem) beata et sempiterna amittatur. His conside- « ratis, quid magnum vita æterna jubet amatoribus « suis, cùm se jubet sic amari, quemadmodùm hæc « amatur à suis? An verò dignum est vel ferendum, « cùm contemnuntur omnia quæ amantur in mundo, « ut vita post paululùm finienda, saltem ipsum paulu- « lùm teneatur in mundo; et non contemnitur mun- « dus, ut obtineatur vita, quæ sine fine apud illum est, « per quem factus est mundus? »

Dominum audiamus, qui nobis vitam summo ardore desiderandam fidelissimè pollicetur, velut in totius mundi concione clamantem, Matth. 11 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Hæc disciplina piæ humilitatis, ventosam et turbidam cupiditatem, aviditatem rerum extra nostram potestatem constitutarum, pellit ex animo. « Ibi enim « labor, ubi multa quæruntur et diliguntur, quibus adi- « piscendis atque retinendis voluntas non satis est, « quia consequentem non habet facultatem. Justa verò « vita, cùm volumus adest, quia eam ipsam plenè « velle, justitia est; nec plus aliquid perficienda justi- « tia, quàm perfectam voluntatem requirit. Vide si la- « bor est, ubi velle satis est. Unde divinitùs dictum

« est : *Pax in terrâ hominibus bonæ voluntatis*, Lucæ 2. « Ubi pax, ibi requies, ibi finis appetendi, et nulla « causa laborandi. Sed hæc voluntas ut plena sit, « oportet ut sana sit. Erit autem sana, si Medicum « non refugiat, cujus solius gratiâ sanari potest à « morbo desideriorum noxiorum. Ipse est ergo Medi- « cus qui clamat : *Venite ad me omnes qui laboratis*... « Divitiæ si diliguntur, ibi serventur ubi perire non « possunt. Honor si diligitur, illic habeatur ubi nemo « indignus honoratur. Salus si diligitur, ibi adipiscen- « da desideretur, ubi adeptæ nihil timetur. Vita si di- « ligitur, ibi acquiratur ubi nullâ morte finitur. » Proh pudor ! In viâ Dei faciliora et utilia ignavâ formidine fugiuntur ; in viâ seculi duriora et sterilia ærumnoso labore tolerantur. Utinam de beatitudine cœlesti consequendâ æquè solliciti essemus, ac seculi amatores solliciti sunt de bonis et honoribus temporalibus assequendis ! Sed heu ! ardentiùs illi perniciosa desiderant, quàm nos utilia ; citiùs illi ad mortem properant, quàm nos ad vitam. Qui in aulis principum militant, quò tandem pervenire ambiunt tot laboribus suis, tot vigiliis, patientiâ tantâ ? Majorne potest spes illorum esse, quàm ut amici principis fiant ? Et ibi quid non fragile plenumque periculis ? *Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum ? Et quando istuc erit ? Amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio ;* inquiebat vir illustris S. Augustini amicus, ut ipse refert libro 8 Confessionum, cap. 6.

M. Si quid verò pro dilectione æternæ patriæ Christiani gesserint, considerent quàm leve illud sit et modicum, si vel cum præclaris illis facinoribus conferatur, quæ veteres Romani pro terrenâ patriâ et civitate gesserunt. « Quid magnum est, inquit S. Augustinus, « libro 5 de Civitate Dei, cap. 18, pro illâ æternâ cœ- « lestique patriâ, cuncta seculi hujus quàmlibet ju- « cunda blandimenta contemnere, si pro hâc tempo- « rali atque terrenâ filios Brutus potuit et occidere, « quod illa facere neminem cogit ? Sed certè difficilius « est filios interimere, quàm quod pro istâ faciendum « est, ea quæ filiis congreganda videbantur atque ser- « vanda, vel donare pauperibus, vel si existat tentatio « quæ id pro fide atque justitiâ fieri compellat, amitte- « re. Felices enim vel nos vel filios nostros, non divitiæ « terrenæ faciunt, aut nobis viventibus amittendæ, aut « nobis mortuis à quibus nescimus, vel fortè à quibus « nolumus possidendæ ; sed Deus felices facit, qui est « mentium vera opulentia. Si pro libertate morituro- « rum, et cupiditate laudum, quæ à mortalibus expe- « tuntur, occidi filii à patre potuerunt, quid magnum « est, si pro verâ libertate, quæ nos ab iniquitatis et « mortis et diaboli dominatu liberos facit, nec cupidi- « tate humanarum laudum, sed charitate liberandorum « hominum, non à Tarquinio rege, sed à dæmoniis « et dæmonum principe, non filii occiduntur, sed Chri- « sti pauperes inter filios computantur ? .... Si Furius « Camillus etiam ingratam patriam, à cujus cervicibus « acerrimorum hostium jugum depulerat, damnatus- « que ab æmulis fuerat, à Gallis iterùm liberavit, quia « non habebat potiorem ubi posset vivere gloriosus ; « cur extollatur velut grande aliquid fecerit, qui fortè « in Ecclesiâ ab inimicis carnalibus gravissimam ex- « honorationis passus injuriam, non se ad ejus hostes « hæreticos transtulit, aut aliquam contra illam ipse « hæresim condidit, sed eam potiùs quantùm valuit « ab hæreticorum perniciosissimâ pravitate defendit ; « cùm alia non sit, non ubi vivatur in hominum gloriâ, « sed ubi vita acquiratur æterna ? Si Mucius, ut cum « Porsennâ rege pax fieret, qui gravissimo bello Ro- « manos premebat, quia Porsennam ipsum occidere non « potuit, et pro eo alterum deceptus occidit, in arden- « tem aram ante oculos ejus dexteram extendit.... quis « regno cœlorum imputaturus est merita sua si pro illo « non unam manum, neque hoc sibi ultrò faciens, sed « persequente aliquo patiens, totum flammis corpus im- « penderit?.. Si se occidendos certis verbis quodam mo- « do consecrantes Decii devoverunt, ut illis cadentibus, « et iram deorum sanguine suo placantibus Romanus « liberaretur exercitus, nullo modo superbient sancti « martyres tanquàm dignum aliquid pro illius patriæ « participatione fecerint, ubi æterna est et vera felici- « tas, si usque ad sui sanguinis effusionem, non solùm « suos fratres pro quibus fundebatur, verùm et ipsos « inimicos à quibus fundebatur, sicut eis præceptum est, « diligentes, charitatis fide et fidei charitate certâ- « runt?... Quomodò autem se audebit extollere de vo- « luntariâ paupertate Christianus, ut in hujus vitæ « peregrinatione expeditior ambulet viam quæ per- « ducit ad patriam, ubi veræ divitiæ ipse Deus est, « cùm audiat vel legat L. Valerium, qui in suo defun- « ctus est consulatu, usque adeò fuisse pauperem, ut « nummis à populo collatis ejus sepultura curaretur?... « Aut quid se magnum fecisse prædicabit, quod nullo « præmio mundi hujus fuerit ab æternæ illius patriæ « societate seductus, cùm Fabricium didicerit tantis « muneribus Pyrrhi regis Epirotarum, promissâ etiam « quartâ parte regni, à Romanâ civitate non potuisse « divelli, ibique in suâ paupertate privatum manere « maluisse ? » Per angustam viam incedendum esse meminerimus, quæ ducit ad vitam ; regnum cœlorum vim pati, et violentos, id est, qui pravis cupiditatibus suis vim inferunt, illud rapere ; jus ad illud duntaxat habere *pauperes spiritu*, Matth. 5, humiles, Deum timentes, à pravo rerum opumque terrenarum affectu expeditos, quibus non dominatur avaritia, qui habent tanquàm non habentes, et qui utuntur hoc mundo tanquàm non utantur. Jus ad illud habere cogitemus, qui Christi mansuetudinem imitantur, qui rixas fugiunt, qui non resistunt malis et improbis à quibus vexantur, sed vincunt in bono malum, qui pro terrenis et temporalibus rebus non altercantur. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, Psal. 141 ; de quâ Propheta : *Tu es*, inquit, *spes mea, portio mea in terrâ viventium*. Jus ad regnum cœlorum habent, qui vitam in luctu, lacrymis et tribulationibus propter Deum transigunt, qui etsi nonnullâ mœstitiâ afficiantur propter amissionem eorum quæ ipsis chara erant in hoc mundo, à Dei tamen amore et obsequio propterea non divelluntur, imò Deo firmiùs et ardentiùs adhærent ; qui

lugent amissum à se vel ab aliis Deum, et tristes sunt eâ tristitiâ, quæ *pœnitentiam stabilem in salutem operatur*. Tristitia illorum vertetur in gaudium, et ab eorum oculis omnem lacrymam Deus absterget; temporalemque lætitiam et prosperitatem amittentes, æternâ perfruentur : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Jus ad vitam æternam habent amatores veri et inconcussi boni, legis æternæ ac veritatis, quæ Deus est; qui à mandatorum Dei fideli observantiâ, et à charitate Christi, nullis mundi blandientis promissis et illecebris, nullis terrentis minis et persecutionibus abduci possunt ac divelli; quorum *cibus est*, ut faciant *voluntatem Patris qui in cœlis est*, quæ est vera justitia; qui *aquam* illam sitiunt, de quâ qui biberit, *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*; qui gaudium de veris bonis desiderant, et amorem à terrenis et corporalibus avertunt. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Jus ad æternam beatitudinem habent, qui sunt misericordes, sicut Pater cœlestis misericors est, qui dimittunt aliis, sicut ipsi sibi dimitti volunt; qui adjuvant alios in quibus possunt, sicut se in quo non possunt cupiunt adjuvari; qui *beneficentiæ et communionis* non obliviscuntur, eleemosynis velut *hostiis* Deum promereri satagentes. Illis ita rependitur, ut de miseriâ liberentur : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Jus ad cœlestem beatitudinem habent mundi corde, qui in simplicitate cordis Deum quærunt, qui frequenti sacramentorum usu, assiduâ oratione, et bonis operibus animam purgant, ut videndo Deo præparentur; quorum conversatio in cœlis est; quorum non solùm opera, sed intentio recta est; qui Deo non serviunt nisi propter Deum, verèque dicere possunt : *Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum*. De his dixit Christus : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Jus ad vitam æternam habent homines *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Si filii, et hæredes hæreditatis incorruptibilis et incontaminatæ, in cœlis repositæ, hæredes regni ab æterno ipsis parati. Pacifici autem in se ipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes et subjicientes rationi, id est, menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei; in quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum et excellens, hoc cæteris imperet, quæ sunt nobis bestiisque communia; atque idipsum quod excellit in homine, id est, mens et ratio, subjiciatur potiori, quod est ipsa Veritas, unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subjiciat. Jus denique ad vitam æternam habent, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, id est, qui omnes extrinsecùs illatas molestias pro veritate et justitiâ æquanimiter sustinent. Animadvertat igitur quisquis delicias hujus seculi et facultates rerum temporalium quærit in nomine christiano, intrinsecùs esse beatitudinem nostram. Unde Prophèta ait, Psal. 44 : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*. Nam extrinsecùs maledicta, et persecutiones, et detractiones promittuntur; de quibus tamen magna merces est in cœlis reposita iis qui gloriantur in tribulationibus, *scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, Rom. 5. Non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solùm æquo animo, sed etiam cum exsultatione tolerare. Unde nec hæretici, nec schismatici, qui multa interdùm patiuntur, æternam beatitudinem consequi possunt, quia non patiuntur ista propter justitiam. Nam *ubi sana fides non est, non potest esse justitia, quia justus ex fide vivit. Ubi charitas non est, non potest esse justitia; dilectio enim proximi malum non operatur*, S. August., lib. 1 de Serm. Dom. in Monte. Nos verò qui per Dei gratiam Christiani catholici sumus, si quid propter Deum patimur, beatos nos existimemus; « id enim quod in præsenti est momentaneum « et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis « non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ « non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : « quæ autem non videntur, æterna sunt. *Eamus igitur « de virtute in virtutem, ut videamus Deum deorum in « Sion, qui bonis æternis* non privabit eos qui ambulant in innocentiâ. Misericordiam et veritatem diligit « Deus; gratiam et gloriam dabit Dominus. Miseri« cordiam diligit, quâ mihi primò subvenit; veritatem « diligit, ut credenti det quod promisit. Donator est « indulgentiæ, debitor coronæ. Unde debitor? Cui « debet aliquid Deus? Videmus quia tenet eum debi« torem Paulus, consecutus misericordiam, exigens « veritatem. *Bonum certamen certavi*, inquit, *fidem « servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, « quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex*. « Quid tibi reddet, nisi quod tibi debet? Unde tibi debet? Quid ei dedisti? *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur, Redde « quod accepisti; sed, Redde quod promisisti. Ille qui « prærogavit misericordiam, negare poterit debitum? « *Misericordiam et veritatem diligit Deus; gratiam et glo« riam dabit Dominus*. Quam gratiam, nisi de quâ Apo« stolus dixit, *gratiâ Dei sum id quod sum?* Quam gloriam, « nisi de quâ ipse ait, *reposita est mihi corona justitiæ?*»

III. Si vitam æternam verè credimus, hic super flumina Babylonis gemere debemus, dùm recordamur Sion, ut peregrini gemere, ad cœlestem patriam suspirare. Etsi corpus nostrum adhuc in Babyloniâ tenetur, cor nostrum ad Jerusalem præmittatur. « Qui « non gemit ut peregrinus, non gaudebit ut civis, quia « desiderium non est in illo, inquit S. Augustinus, « Enarratione in Psalmum 118, cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam : si dulcis est patria, amara « est peregrinatio; si amara peregrinatio, totâ die « tribulatio. Quando non est tribulatio? Quando in « patriâ delectatio... Sed abundant omnia? Abundent « omnia, vide si securus es quia non pereunt omnia....Postremò sint copiæ, redundet affluentia hu-

« jus seculi, detur securitas quòd non percant. Dicat « Deus desuper : Æternus in his eris, æterna tecum « erunt ista, sed faciem meam non videbis. Nemo « carnem consulat, spiritum consulite : respondeat « vobis cor vestrum ; respondeat fides, spes, charitas, « quæ in vobis esse cœpit. Ergone si acciperemus se- « curitatem nos in affluentiâ bonorum secularium « semper futuros, et diceret nobis Deus, faciem meam « non videbitis, gauderemus in illis bonis ? Eligeret « fortè aliquis gaudere, et dicere : Abundant mihi ista, « benè mihi est, nihil ampliùs quæro. Nondùm cœpit « esse amator Dei, nondùm cœpit suspirare tanquàm « peregrinus. » Effundamus igitur super nos animam nostram, confiteamur in lacrymis, gemamus in confessionibus, in miseriis suspiremus. Quidquid nobis adest præter Deum nostrum, non est dulce. *Nolumus omnia quæ dedit, si non dat se ipsum qui omnia dedit.* Verba sunt S. Augustini Enarratione in psalmum 85. Ad illum suspiremus, *qui salvos facit rectos corde....* « Recti corde dicuntur, inquit S. Augustinus in psal- « mum 7, cùm jam ubi cogitatio, ibi et delectatio est, « quod fieri non potest nisi cùm divina atque æterna « cogitantur... Ita fit ut scrutans corda et renes Deus, « et perspiciens in corde rectas cogitationes, in reni- « bus nullas delectationes, justum auxilium præbeat « rectis corde, ubi mundis cogitationibus supernæ dele- « ctationes sociantur. »

IV. Cùm vita æterna, Deique fruitio summum sit hominis bonum, ad illam omnia opera nostra, curas omnes et studia, cogitationes omnes referre debemus ; nihilque unicè necessario salutis nostræ negotio antoponere. « Summum enim bonum dicitur, quò cuncta « referuntur. Eo enim fruendo quisque beatus est, « propter quod cætera vult habere, cùm illud jam « non propter aliud, sed propter se ipsum diligatur. « Et ideò finis ibi dicitur, quia jam quò excurrat, et « quò referatur, non invenitur ; » inquit S. Augustinus, epistolâ 118, aliàs 56.

V. Temporalibus rebus ne inhæreat Christianus, qui æterna sperat ; hanc vitam non amet, qui vitam æternam à Deo promissam exspectat. Cogitet omnia bona temporalia, quibus Dei providentia et bonitas hunc mundum implevit, esse « miserorum damnato- « rumque solatia, non præmia beatorum. Quæ igitur « illa sunt, si tot ac talia et tanta sunt ista ? Quid da- « bit eis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit « etiam eis quos prædestinavit ad mortem ? Quæ bona « in illâ beatâ vitâ faciet eos sumere, pro quibus in « hâc miserâ unigenitum Filium suum voluit usque « ad mortem mala tanta perferre ? » Non ad hoc sumus Christiani ut terrenam felicitatem quæramus, quâ plerumque mali fruuntur. Bona illa magni pendere non debemus, quæ Dominus dat et malis. Ad aliam felicitatem, ad alia bona vocati sumus ; illa desideremus, ad illa tendamus. Dicamus ex animo cum prophetâ, Psal. 62 : *Sitivit in te anima mea... Quàm multipliciter tibi caro mea. Adhæsit anima mea post te.* In viâ nos constitutos intelligamus, quâ ad patriam pergimus. Temporalia bona si Deus dederit, ut solatia itineris cum gratiarum actione recipiamus, si negaverit aut subtraxerit, remota peregrinationis nostræ impedimenta gaudeamus. « Tota ista vita, in- « quit S. Augustinus, Enarrat. in Psal. 54, Serm. 1, « et omnia quibus uteris in hâc vitâ, sic tibi debent esse « tanquàm stabulum viatori, non tanquàm domus habi- « tatori. Memento peregisse te aliquid, restare aliquid ; « divertisse te ad refectionem, non ad defectionem. » Propterea et hanc vitam multâ amaritudine Deus optimus respersit, ut doceret « amare meliora per assue- « ritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam, « stabulum amet pro domo suâ. » Enarrat in Ps. 40.

VI. *Nemo potest idoneus fieri futuræ vitæ qui non se ad illam modò exercuerit*, S. August., Enarrat. in Psal. 148 et 149. Nunc igitur præoccupandæ sunt actiones beatorum in cœlesti æternâque vitâ. In Dei visione, amore, ac laude exercere nos debemus, quantùm possumus. *Lætetur Israel in eo qui fecit eum, et filii Sion exultent in rege suo.* Quid est Israel : *Videns Deum.* « Est quædam visio hujus temporis, erit altera visio « futuri temporis : visio quæ modò est, per fidem est : « visio quæ futura est, per speciem erit. *Si credimus, « videmus ; si amamus, videmus.* Quid videmus ? Deum. « Ubi est ipse Deus ? Interroga Joannem 1 Epist. c. 4 : « *Deus charitas est.* Benedicamus nomen ejus sanctum ; « et gaudeamus in Deo, si gaudemus in charitate. « Quisquis habet charitatem, ut quid illum mittimus « longè ut videat Deum ? Conscientiam suam attendat, « et ibi videt Deum. Si charitas ibi non habitat, non ibi « habitat Deus ; si autem charitas ibi habitat, Deus ibi « habitat. Vult illum fortè videre sedentem in cœlo : *Ha- « beat charitatem, et in eo habitat sicut in cœlo.* » Ergo simus Israel et lætemur in Deo qui fecit nos, in Christo rege nostro, qui regit nos. *Nemo homo sibi arroget partes ipsius ; ab ipso est lætitia quæ nos facit esse felices.* « Cœlestis Jerusalem sive Sion filii sumus. Ipsa nos « genuit, ipsa est Ecclesia sanctorum, ipsa nos nutri « vit, ex parte peregrina, ex magnâ parte immanens « in cœlo. Ex parte quâ immanet in cœlo, beatitudo « angelorum est : ex parte quâ peregrinatur in hoc « seculo, spes est justorum. Qui ergo in hâc vitâ ge- « munt, et desiderant illam patriam, *currant dilectione*, « non pedibus corporis : non quærant naves, sed pen- « nas, *duas alas charitatis apprehendant.* Quæ sunt duæ « alæ charitatis ? Dilectio Dei et proximi. Peregrina- « mur enim, suspiramus, gemimus. Venerunt ad nos « litteræ de patriâ nostrâ, ipsas vobis recitamus. » Quæ sunt illæ litteræ ? Divinæ promissiones in Scripturis sacris exaratæ. De Deo itaque semper, quantùm in nobis est, cogitantes, in eum credentes, illum diligentes, in illo lætemur. Sed et laudemus nomen ejus in choro. « Chorus est consensio laudantium. Si in « choro cantamus, concorditer cantemus. In choro « cantantium quisquis voce discrepuerit, offendit au- « ditum, et perturbat chorum. » Si vox inconvenienter cantantis disturbat concentum cantantium, quantò magis mala vita pravique mores disturbant concentum laudantium ? *In tympano et psalterio* psallimus : *ut non sola vox laudet, sed et opera.* Quandò assumitur psalte-

rium et tympanum, manus concinunt voci. *Sic et tu, si quando alleluia cantas, porrigas et panem esurienti, vestias nudum, suscipias peregrinum; non sola vox sonat, sed et manus consonat, quia verbis facta concordant.* In hâc vitâ mortali si nos ita geramus, quod nobis promissum est consequemur, *vitam æternam;* in quâ Deum sine fine videbimus, videndo amabimus, amando laudabimus. AMEN. *Verum est:* id enim Deo revelante credimus; id Deo promittente speramus. *Fiat, fiat.*

DE SYMBOLO APOSTOLORUM,

UTRUM ILLUD APOSTOLI CONDIDERINT,

Dissertatio.

(AUCTORE EODEM.)

I. Symboli vocabulum non unam habet etymologiam apud auctores ecclesiasticos. Illud significare collationem plurimi adnotârunt. Sic Rufinus in Expositione Symboli, sanctus Isidorus lib. 2 de Ecclesiasticis Officiis, cap. 22. Rabanus Maurus lib. 2 de Institutione Clericorum, cap. 56 : *Symbolum*, inquit, *Græcè collatio, hoc est, quod plures in unum conferunt.* Eamdem indicat istius vocis notionem auctor Sermonis 181 de Tempore, sancto Augustino adscripti. Intellige collationem pecuniæ, vel cibi, potûsve ad convivium. Quæ posterioribus seculis *comessalia* dicta, vel *convivia de confertis*, ut videre est cap. *Cùm oportet* 2, dist. 44, et cap. *Non liceat*, eâdem dist.. Metaphorâ ab ejusmodi conviviis petitâ, Apostolicum dici Symbolum, sentit S. Eucherius Lugdunensis (1) homil. 1 de Symbolo : « Sicut, inquit, nonnullis scire permissum est, apud « veteres Symbola vocabantur, quòd de substantiâ « collecti in unum sodales in medio conferebant ad « solemnes epulas et ad cœnæ communes expensas : « ita et Ecclesiarum Patres de populorum salute solli- « citi, ex diversis voluminibus Scripturarum colle- « gerunt testimonia divinis gravida sacramentis. Dis- « ponentes itaque ad animarum pastum salubre con- « vivium, collegerunt verba brevia, et certa, expedita « sententiis, sed diffusa mysteriis, et hoc Symbolum « nominaverunt. » Eamdem Symboli etymologiam notat Innocentius III, lib. 2 Mysteriorum Missæ, cap. 49, et multi post ipsum recentiores.

Verùm hæc minimè genuina est; qui enim vim Græcæ vocis noverunt, et veteres Grammaticos evolvêre, falsum esse fatentur quòd *Symbolum collationem*, sive cœnam collatitiam significet. Veteres namque collatitiam cœnam *Symbolam* dixerunt, non Symbolum, ut multis probat vir eruditus Gerardus Vossius, lib. de tribus Symbolis dissertatione 1, cap. 17.

II. Σύμβολα propriè indicium ac signum notat, quo vel milites dignoscebantur ab hostibus, vel quo in pactis conventisque loco tabellarum ac syngrapharum veteres utebantur. Quamobrem verisimilius est confessionem fidei ideò Symbolum vocari, quia hâc velut tesserâ, ac signo militari, omnes qui Christo sese militari sacramento verè obstrinxerunt, à desertoribus et omnibus qui adulterinæ se doctrinæ fuco Christianos mentiuntur, facile est dignoscere. Hanc significationem animadvertit Rufinus, lib. de Expositione Symboli ad Laurentium. « Symbolum autem hoc, inquit, « multis et justissimis ex causis appellari voluerunt. « Symbolum enim Græcè, et indicium dici potest, et « collatio, hoc est, quod plures in unum conferunt. « Id enim fecerunt Apostoli, in his sermonibus in « unum conferendo, quod unusquisque sensit. Indi- « cium autem, vel signum idcircò dicitur, quia in illo « tempore, sicut Paulus Apostolus dicit, et in Actibus « Apostolorum refertur, multi ex circumeuntibus Ju- « dæis simulabant se esse Apostolos Christi, et lucri « alicujus, vel ventris gratiâ, ad prædicandum profi- « ciscebantur, nominantes quidem Christum, sed non « integris traditionum lineis nuntiantes. Idcircò istud « indicium posuerunt, per quod agnosceretur is qui « Christum verè secundùm Apostolicas regulas præ- « dicaret. Denique et in bellis civilibus hoc observari « ferunt, quoniam et armorum habitus par, et sonus « vocis idem, et mos unus est, atque eadem instituta « bellandi; ne qua doli surreptio fiat, Symbola distin- « cta unusquisque dux suis militibus tradit, quæ La- « tinè signa vel indicia nuncupantur, ut si fortè occur- « rerit quis de quo dubitetur, interrogatus Symbolum « prodat, si sit hostis, vel socius.

III. Derivari potest hoc nomen, non à militari, sed à contractuum tesserâ. Est namque tessera pacti, quod inimus cum Deo in baptismo. Sic accipit sanctus Petrus Chrysologus serm. 62 de Symbolo Apostolorum : « Placitum, inquit, vel pactum, quod lucri « spes venientis contingit, vel futuri, Symbolum nun-

(1) Vel alius Gallicanæ Ecclesiæ Pater, cujus sunt hi sermones, quem viris nonnullis eruditis Eusebium Gallicanum appellare placuit, quòd antea Eusebio Emisseno perperàm tribuerentur; qui error inde videtur ortum duxisse, quòd primitùs adscriptum esset Eusebii nomen.

« cupari, contractu etiam docemur humano; quod « tamen Symbolum inter duos firmat semper geminata « conscriptio, et in stipulatione cautum reddit humana « cautela, ne cui surrepat, ne quem decipiat perfidia « contractibus semper inimica : sed hoc inter homi- « nes, inter quos fraus, aut à quo facta est, aut cui « facta est, semper lædit : inter Deum verò et homi- nes Symbolum fidei solà fide firmatur : non litteræ, « sed spiritui creditur; et mandatur cordi, non char- « tæ : quia divinum creditum humanà non indiget cau- « tione, Deus facere fraudem nescit, pati non potest : « quia non excluditur tempore, non ætate vincitur, « occultatione non fallitur, videt abscondita, furata « tenet, negata possidet..... Sed dicis : Qui falli « non potest, quid est quod exigit placitum? Quod « Symbolum quærit ille propter te, non propter se : « non quia illa dubitat, sed ut tu credas... Nemo « ergo immemor Symboli sit; nemo initi cum Deo « placiti sit oblitus. »

His de Symboli nomine prænotatis, ad id veniendum est, quod in controversiam vocatur, utrùm scilicet Apostoli hujus Symboli sint auctores, quod Apostolicum vocatur. Gerardus Vossius lib. de tribus Symbolis, dissertatione 1, negat ab Apostolis editum, atque ideò tantùm Apostolicum dici contendit, quia Apostolicæ doctrinæ compendium est ac præ Symbolis aliis, verbis etiam gaudet Apostolorum et Evangelistarum. Ante ipsum indicavit Calvinus se non agnoscere Apostolos illius Symboli auctores, lib. 2 Institutionum, capit. 16. « Apostolicum autem Symbolum nuncupo, « inquit, de auctore minimè sollicitus.... Neque verò « mihi dubium est quin à primâ statim Ecclesiæ ori- « gine, adeòque ab ipso Apostolorum seculo, instar « publicæ et omnium calculis receptæ confessionis « obtinuerit, undecumque tandem initio fuerit profe- « ctum, quo intellecto, de auctore vel anxiè laborare, « vel cum aliquo digladiari, nihil attinet. »

Audaciùs antistite suo, Chamierus lib. 9 de Canone, cap. 10 : « Esse ab Apostolis Symbolum sic composi- « tum, si non est falsum, certè quod proximum falso « esse nemo negat, incertum est. »

His concinit Erasmus in præfatione ad lectorem Paraphrasis sancti Matthæi : « Librum hunc, inquit, « concinare cupio non ex humanis lacunis, sed ex « fontibus Evangelicis, Apostolicis litteris, et ex « Symbolo; quod an ab Apostolis proditum sit, « nescio. »

Contra hos omnes sequentem statuo propositionem.

PROPOSITIO. — *Symbolum, quod Apostolicum appellatur, ab Apostolis traditum est.*

Quidam probant primò hanc propositionem ex Epistolà S. Clementis Romani ad Jacobum fratrem Domini, ubi hæc habentur : « Christo resurgente et as- « cendente in cœlum, misso sancto Spiritu, collatâ « Apostolis scientiâ linguarum, adhuc in uno positi, « Symbolum quod nunc fidelis tenet Ecclesia, unus- « quisque, quod sensit, dicendo, condiderunt; ut dis- « cedentes ab invicem, hanc regulam per omnes gentes « prædicarent. »

Verùm hoc loco adversùs hæreticos aut alios quosvis pugnare nolim. Siquidem constat Epistolam illam non esse Clementis; quandoquidem ea inscribitur Jacobo fratri Domini, qui octennio decessit ante S. Petrum. Quippe S. Jacobus anno Neronis 7, sanctus verò Petrus anno ejus 14 obiit, ut testis est S. Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum. Porrò in eâ Clementis Epistolà mentio fit obitûs S. Petri; quæ manifesta est ἀντιλογία. Hujus contradictionis pondere oppressus Baronius, non Jacobo, sed Simeoni fratri Domini, hanc Epistolam dicit inscribendam, repugnante omnium codicum fide. Genebrardus tertium comminiscitur Jacobum, sed figmentum istud à S. Hieronymo in antecessum confutatum est lib. adversùs Helvidium, cap. 7 : « Si non est Apostolus, sed tertius « nescio quis Jacobus, quomodò est frater Domini « putandus? et quomodò tertius ad distinctionem ma- « joris appellabitur Minor, cùm Major et Minor, non « inter tres, sed inter duos soleant præbere distan- « tiam, et frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente : « Deinde post triennium veni Hierusalem videre Pe- « trum, et mansi apud illum diebus quindecim : alium « autem Apostolorum vidi neminem præter Jacobum « fratrem Domini ». »

Misso igitur Pseudo-Clemente, probatur propositio ex S. Irænco lib. 1 adversùs Hæreses, cap. 2 : « Ec- « clesia enim, inquit, per universum orbem usque ad « fines terræ seminata, et ab Apostolis et à discipulis « eorum accepit eam fidem, quæ est in Deum Patrem « omnipotentem. »

II. Ex Tertulliano lib. de Præscriptionibus Hæreticorum, cap. 37 : « In eâ regulâ incedimus, inquit, quam « Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à « Deo tradidit. » Porrò nomine regulæ, Symbolum istud intelligit, de quo agimus, ut constat ex lib. de Velandis Virginibus, cap. 1 : « Regula, inquit, fidei una om- « ninò est, sola, immobilis et irreformabilis, cre- « dendi scilicet in unum Deum omnipotentem, mundi « conditorem, et in Filium ejus Jesum Chri- « stum, » etc.

Et lib. laudato de Præscriptionibus, cap. 13 : « Re- « gula est autem fidei, ut jam hinc quid defendamus « profiteamur, illa scilicet quâ creditur unum omninò « Deum esse. »

Et cap. 31 : « Superest ergo uti demonstremus an « hæc nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, « de Apostolorum traditione censeatur, et ex hoc ipso « an cætera de mendacio veniant? »

III. Ex Lucifero Calaritano lib. 2 adversùs Constantium imperatorem, ubi hoc Symbolum appellat *formam disciplinæ, et regulam fidei per Apostolos traditam.*

Et libro *de non conveniendo cùm Hæreticis*, ita scribit : « Unde dulces tui possent esse sermones, quem « videmus tenentem traditionem Arii, non beatorum « Apostolorum, ad quos dixerit iste quem negas, quòd « verus sit Filius Dei : « Euntes baptizate credentes in « nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti? » Quomodò « tibi discipulo Arii acquiescemus Christiani, destruen-

« tes Apostolicam traditionem, cùm te inveniamus « dicere. Patrem non esse verum Patrem, sed appel- « lari Patrem : cùm dicas illum non verum habere Fi- « lium, sed factum ex nihilo? È contra videamus « Apostolos credidisse in unum Deum Patrem omni- « potentem, verum Patrem; propterea verum Patrem, « quòd verè non putativè habeat Filium : et in uni- « cum Filium ejus Jesum Christum, hoc est, in verum « Dei Filium : et in sanctum Paracletum, verum Dei « Spiritum. »

IV. Ex S. Ambrosio lib. 1, Epistolâ 7 ad Siricium pontificem maximum : *Credatur*, inquit, *Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat.*

Idem Pater, seu potiùs alius auctor sermonis ultimi de Jejunio Eliæ, inter ejus opera editi, agens de fide contentâ in hoc Symbolo, ait : « Ista autem ipsa « clavis, quam fidem dicimus, videamus quemadmo- « dùm constat, quemadmodùm solida sit. Arbitror « illam duodecim artificium operatione conflatam. « Duodecim enim Apostolorum Symbolo fides sancta « concepta est, qui velut periti artifices in unum con- « venientes, clavem suo consilio conflaverunt. Cla- « vem enim quamdam ipsum Symbolum dixerim, per « quam reserantur diaboli tenebræ, ut lex Christi ad- « veniat. »

V. Ex Cœlestino I pontifice maximo, in Epistolâ ad Nestorium, ubi Symbolum istud vocat *Symbolum ab Apostolis traditum.*

VI. Ex concilio Ephesino, in Relatione ad Theodosium Augustum, de Nestorii depositione : « Fides, in- « quit, initio quidem à sanctis Apostolis tradita; « postea verò à trecentis decem et octo Patribus in « metropoli Nicænâ exposita. »

VII. Ex Rufino in præfatione Expositionis Symboli ad Laurentium : « Tradunt majores nostri, inquit, « quòd post ascensionem Domini, cùm per adventum « Spiritûs sancti supra singulos quosque Apostolos « igneæ linguæ sedissent, ut loquelis diversis variis- « que loquerentur, per quod eis nulla gens extranea, « nulla linguæ barbaries inaccessa videretur et invia : « præceptum eis à Domino datum hoc, ad prædican- « dum Dei verbum, ad singulas quemque proficisci « nationes. Discessuri itaque ab invicem, normam « sibi priùs futuræ prædicationis in commune consti- « tuunt, ne fortè alii aliò adducti, diversum aliquid « his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. « Omnes igitur in uno positi, et Spiritu sancto repleti, « breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis « indicium in unum conferendo, quod sentiebat unus- « quisque, componunt, atque hanc credentibus dandam « esse regulam statuunt. » Ac infra : « Discessuri igitur, « ut diximus, ad prædicandum, istud unanimitatis et « fidei suæ Apostoli indicium posuêre, non sicut filii « Noe, discessuri ab alterutro, turrim ex latere cocto « et bitumine construentes, cujus cacumen usque ad « cœlum pertingeret : sed monumenta fidei, quæ sta- « rent adversùs faciem inimici, è lapidibus vivis et mar- « garitis Dominicis ædificantes, quam neque venti im- « pellerent, neque fulmina subruerent, neque tempe- « statum ac procellarum turbines permoverent. »

Eadem habet sanctus Isidorus Hispalensis lib. 2 de Ecclesiasticis Officiis, capit. 22.

VIII. Ex S. Leone Epist. 13 ad Pulcheriam Augustam datâ : « Siquidem ipsius catholici Symboli, « inquit, brevis et perfecta confessio, quæ duodecim « Apostolorum totidem est signata sententiis, tàm in- « structa sit in munitione cœlesti, ut omnes hæretico- « rum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. »

IX. Ex Cassiano lib. 6 de Incarnatione cap. 3 et 4 : « Collatâ ab Apostolis Domini totius catholicæ legis « fide, quidquid per diversum divinorum voluminum « corpus immensâ funditur copiâ, totum in Symboli « colligitur brevitate perfectâ. »

X. Ex S. Maximo, Homiliâ de Traditione Symboli, cujus hæc sunt verba : « Apostoli Ecclesiæ Dei « mysterium Symboli tradiderunt, ut quia sub uno « Christi nomine credentium futura erat diversitas, « signaculum fidei inter fideles perfidosque discer- « neret. »

Quidam propositionem insuper probant auctoritate S. Augustini Serm. 115 de Tempore ita scribentis : « Quod Græcè Symbolum dicitur, Latinè collatio no- « minatur : collatio ideò, quia collata in unum totius « catholicæ legis fides, Symboli colligitur brevitate; « cujus textum vobis modò, Deo annuente, dicemus. « Petrus dixit : *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* « Joannes dixit : *Creatorem cœli et terræ.* Jacobus dixit : « *Credo et in Jesum Christum Filium ejus unicum Do-* « *minum nostrum.* Andreas dixit : *Qui conceptus est de* « *Spiritu sancto, natus ex Mariâ Virgine.* Philippus ait : « *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et se-* « *pultus.* Thomas ait : *Descendit ad inferos, tertiâ die* « *resurrexit à mortuis.* Bartholomæus dixit : *Ascendit* « *ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis* « Matthæus dixit : *Inde venturus judicare vivos et mor-* « *tuos.* Jacobus Alphæi : *Credo et in Spiritum sanctum,* « *sanctam Ecclesiam catholicam.* Simon Zelotes : *San-* « *ctorum communionem, remissionem peccatorum.* Ju- « das Jacobi : *Carnis resurrectionem.* Matthias comple- « vit : *Vitam æternam. Amen.* »

Verùm vim in eo testimonio facere nolim, quòd sermo ille, vel genuinus non sit S. Augustini fœtus, vel certè ab aliquo sciolo interpolatus fuerit. Illa enim de sententiis ab unoquoque Apostolorum dictis intrusa esse in contextum illius sermonis videntur. Id ex eo conjicio, quòd iis expunctis, meliùs omnia fluant. *Symboli*, inquit, *colligitur brevitate; cujus textum vobis modo, Deo annuente, dicemus.* Expungantur ergo hic duodecim Symboli sententiæ, quæ cum Apostolorum nominibus continuò subjunguntur : appositè sequetur : *Audite ergo, fratres charissimi*, etc. Et post pauca : *Credo in Deum Patrem omnipotentem, et reliqua, sicut supra.* Auctor illius sermonis integrum hìc apposuit Symbolum; cujus verba ipsa se dixerat proximè subditurum. Sed exscriptor, aut typographus, qui id priùs contextui inseruerat, ne in ineptam repetitionem incideret, delevit id, præter initium : sequentium autem

hoc reposuit : *Reliqua sicut supra.* Integrè enim recitatum esse Symbolum eo loci, tum præcedentia, cùm adjuncta ostendunt. Subdit enim illius sermonis auctor : *Ergo dilectissimi, hæc verba non humana, sed Domini cœlestia sunt Sacramenta; quæ in vestris cordibus ipsius misericordiâ præstante resideant.* Postea demùm particulatim Symbolum repetit, et difficilioribus sententiis explicationem subdit. Quare is auctor primò quidem Symbolum recitavit continuâ oratione, deinde idem fecit oratione concisâ, ac interpretationibus suis interruptâ. Parùm autem verisimile est in brevi adeò sermone Symbolum ter fuisse repetitum. Quod ita est, si recitavit primò, ut cognosceretur quam Apostolorum quisque sententiam contulisset; atque inde repetiit, tum rectà transiit ad particularem recitationem, eamque explicationibus permixtam.

Objicitur primò : Si Symbolum hoc fuisset ab Apostolis concinnatum, non ipsi in Epistolis, ac Beatus Lucas in Actibus Apostolicis, tanti rem momenti ignorasse sivissent Ecclesiam catholicam : atqui Apostolorum nemo, nec beatus Lucas, ejus Symboli meminit; ergo hoc Symbolum non est conditum ab Apostolis.

Præterea, si Symbolum esset ab Apostolis editum, esset pars Scripturæ canonicæ : atqui nullus Patrum, dùm Canonem refert Scripturæ, in eo Symbolum hoc reposuit, igitur auctores Apostolos non habet.

Respondeo ad primum, nego majorem. Multa enim alia sunt ab Apostolis facta, quorum nec S. Lucas, nec Apostolorum ullus meminit. Nec argumentum inficiale alicujus omninò ponderis est. Vel, distinguo majorem. S. Lucas, aut alii Apostoli in suis Epistolis ejus meminissent, si scripto traditum esset ab Apostolis, concedo; si pertineat ad Traditiones non scriptas, nego. Porrò Symbolum non scripto consignatum ab Apostolis est, sed fidelium memoriæ commendatum. Id testatur S. Hieronymus, Epist. 61 ad Pammachium datâ : « Symbolum, inquit, fidei et spei « nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur « in chartâ, aut atramento; sed in tabulis cordis car- « nalibus. »

Idem testatur Rufinus in Expositione Symboli : « Idcircò, inquit, hæc non scribi chartulis, aut mem- « branis, sed requiri credentium cordibus tradide- « runt, ut certum esset hæc neminem ex lectione, « quæ interdùm pervenire etiam ad infideles solet; « sed ex Apostolorum traditione didicisse. » Denique idem testatur S. Petrus Chrysologus serm. 62 : *Symbolum fidei*, inquit, *solâ fide firmatur : non litteræ, sed spiritui creditur; et mandatur cordi, non chartæ.* Mirum igitur videri non debet, quod Apostoli suis in Epistolis, et S. Lucas in actibus Apostolorum, de illo Symbolo nihil habeant.

His addendum, S. Lucam, teste S. Hieronymo, *multa Historiographi licentiâ prætermisisse.* Quid quod nec Evangelii à se conscripti meminit? nec tamen indè inferi potest Evangelium à S. Lucâ non esse conscriptum.

Ad secundum respondeo : Symbolum Apostolicum non esse repositum in canone Scripturæ sacræ, tum quia scripto non est ab Apostolis traditum, tum quia, licet sit certum fuisse conditum ab Apostolis, non tamen ad fidem spectat, nec ab Ecclesiâ definitum est. At Scriptura sacra litteris mandata est, et eam esse ab auctoribus sacris, suggerente Spiritu sancto dictatam, fides docet.

Objicitur secundò : Symbolum non erat necessarium fidelibus, nisi ut se Hæreticis opponerent, et ut contra ipsorum errores munirentur : atqui temporibus Apostolorum nulli erant Hæretici, ergo nulla Symboli necessitas; proindeque illud Apostoli non condiderunt.

Respondeo : Nego minorem. Tunc enim Simoniani, Cerinthiani et Ebionitæ grassabantur. Tunc inter fideles obrepebant seductores, falsi prophetæ, falsi fratres, ut S. Paulus in suis Epistolis testatur. Hinc Rufinus de Symbolo Apostolico agens ait : « Indicium « autem et signum idcircò dicitur, quia illo tempore, « ut Paulus Apostolus dicit, et in Actis Apostolorum « refertur, multi ex circumcisis Judæis simulabant se « esse Apostolos Christi, et lucri alicujus, vel ventris « gratiâ ad prædicandum proficiscebantur, nominan- « tes quidem Christum, sed non integris traditionum « lineis nuntiantes. Idcircò ergo istud indicium po- « suêre, per quod agnosceretur is qui Christum verè « secundùm apostolicas regulas prædicaret. » Deinde, quamvis nulli fuissent hæretici apostolicis temporibus, non sequitur Apostolos non edidisse Symbolum, quia fidei et Ecclesiæ in futurum consulere ac providere debebant.

Objicitur tertiò : Non conveniunt Patres in assignandâ ratione, quæ Apostolos impulit ut Symbolum ederent; non est igitur editum ab Apostolis.

Resp. : Nego consequens; varias enim rationes habuisse Apostolos illius condendi Symboli probabile est, cujus traditio maximi erat in Ecclesiâ momenti. Unde non mirum quod sancti Patres rationes etiam diversas attulerint cur sit ab Apostolis editum : quæ tamen rationes inter se nullatenùs pugnant.

Objicitur quartò : Non conveniunt inter se auctores catholici de tempore quo Symbolum ab Apostolis editum est; ergo non est verè Apostolicum.

Respondeo : Nego consequens; quid enim refert ad rei veritatem, quo tempore facta sit? Præterea doctiores editum Symbolum ab Apostolis arbitrantur immediatè ante illorum dispersionem. Tertiò, retorquetur argumentum contra hæreticos : ipsi enim non conveniunt de tempore quo ab Ecclesiâ Romanâ editum est, ut ipsi contendunt. Alii enim quarto seculo, alii quinto conditum volunt, alii ab iis ipsis qui canones Apostolorum conscripsêre. Quartò, verius illud Apostolis tribuimus, cùm à nullo concilio, à nullo pontifice, à nullo auctore conscriptum legamus, secundùm præclaram illam S. Augustini regulam, lib 5 de Baptismo contra Donatistas, cap. 24 : *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.*

Objicitur quintò : Si Symbolum esset ab Apostolis compositum iis sententiis, eo ordine, istis verbis, qui-

bus nunc in Ecclesiâ recitatur; non his verbis hâc in Ecclesiâ, aliis in aliâ, imò hìc longè plùribus, alibi paucioribus multò sententiis constitisset : atqui variis in Ecclesiis varia propè fuerunt Symbola; aut certè alia et alia verba Symboli; imò in quibusdam longè plures, in aliis pauciores sententiæ; ergo Symbolum istud non est ab Apostolis compositum iis sententiis, eo ordine, istis verbis, quibus nunc in Ecclesiâ recitatur.

Probatur minor ex collatione variorum Symbolorum. Primum caput vulgaris Symboli sic habet : *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ.* Symbolum Orientale addit hanc vocem, *unum*, et habet : *Credo in unum Deum patrem omnipotentem.* In Aquileiensi et Romano omittuntur illa verba : *Creatorem cœli et terræ.* Tandem in Aquileiensi, post *Omnipotentem* : additur *invisibilem et impassibilem.*

In tertio Symboli capite, habet istud, quod vulgò recitamus : *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Mariâ Virgine;* Aquileiense habet : *Qui natus est de Spiritu sancto, ex Mariâ Virgine.* Hierosolymitanum habet duntaxat hæc verba : *Incarnatum et hominem factum*, ut constat ex S. Cyrillo Hierosol. Catechesi 12.

Quartum caput sic effertur in vulgari Symbolo : *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad inferos.* Aquileiense, passionem et mortem præterit, et sic habet : *Crucifixus sub Pontio Pilato, et sepultus descendit ad inferna.* Romanum verò, descensum ad inferos omisit, ac similiter Symbola Orientis.

Circa nonum caput, variant Aquileiense, et Romanum. Cùm enim vulgare Symbolum habeat : *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem;* Aquileiense omittit hanc vocem, *Catholicam.* Et certè in Ecclesiæ exordiis non est verisimile hanc exstitisse in Symbolo, cùm nonnisi post Apostolorum tempora Ecclesia fuerit catholica, id est, universalis, et per totum orbem diffusa. Imò videtur quòd Apostolorum tempore, consuetudo nondùm obtineret, ut Christiani dicerentur Catholici, et Ecclesia Catholica, quemadmodùm Epistola 1 ad Sympronianum scripsit sanctus Pacianus. Certè S. Augustinus lib. de Symbolo ad catechumenos, postquàm deventum est ad sanctam Ecclesiam, declarationis causâ apponit : *utique Catholicam.* In ipso tamen Symboli textu hanc vocem non habet. Nec etiam apud Rufinum legitur, qui sanè vocem eam explicuisset, si agnovisset : nec enim usque adeò levis est momenti. Præterea, Symbolum Aquileiense nihil habet de communione Sanctorum.

In capite undecimo, quo profitemur resurrectionem carnis, Symbolum Aquileiense addit, *hujus carnis.* Hic porrò desinunt Symbolum Aquileiense ac Romanum. Unde ab utroque abest caput de credendâ vitâ æternâ, ut constat ex S. Hieronymo Epist. 61 scribente : « In « Symbolo fidei et spei nostræ (quod ab Apostolis tra- « ditum, non scribitur in chartâ et atramento; sed in « tabulis cordis carnalibus) post confessionem Trini- « tatis, et unitatem Ecclesiæ, omne Christiani do- « gmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur. » Idem constat ex Rufino dicente : « Sed ultimus iste sermo, qui resurrectionem pronuntiat, « summam totius perfectionis succinctâ brevitate con- « cludit. »

Respondeo, distinguo majorem propositionem : Non his verbis hâc in Ecclesiâ, aliis in aliâ; imò hìc longè pluribus, alibi paucioribus sententiis constitisset : si in omnibus Ecclesiis æquè integrum ac intemeratum servatum esset, concedo; si in aliis Ecclesiis quædam adjecta sint, vel prætermissa, nego. Porrò in solâ Ecclesiâ Romanâ Symbolum Apostolicum eo ordine, iisque planè verbis et sententiis recitatur; quo ab Apostolis traditum est. In aliis verò Symbolis, aliquâ interdùm sunt adjecta majoris explicationis gratiâ, propter novas hæreses emergentes; quæ tamen in aliis Symboli capitibus implicitè, virtute, vel etiam verbis æquivalentibus, continebantur. Unde ex Symbolo Aquileiensi, aut Orientali, colligere non debemus, quid Symbolum Apostolicum habeat, sed ex solius Romanæ Ecclesiæ Symbolo. Siquidem, teste S. Ambrosio, lib. 1, epist. 7 ad Siricium : « Ecclesia Romana « Symbolum Apostolorum intemeratum semper custo- « dit et servat. » Hæc solutio eruitur ex Rufino in Expositione Symboli : « Verùm, inquit, priusquàm inci- « piam de ipsis sermonum virtutibus disputare, illud « non importunè commonendum puto, quòd in diver- « sis ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. « In Ecclesiâ tamen urbis Romæ hoc non deprehen- « ditur factum : quod ego propterea esse arbitror, « quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium; et « mos inibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptis- « mi suscepturi sunt, publicè, id est fidelium populo « audiente, Symbolum reddere; et utique ad adje- « ctionem hujus saltem sermonis eorum, qui præces- « serunt in fide, non admittit auditum. In cæteris « autem locis, quantùm intelligi datur, propter non- « nullos hæreticos, addita quædam videntur, per quæ « novellæ doctrinæ sensus crederetur excludi. Nos ta- « men illum ordinem sequimur, quem in Aquileiensi « Ecclesiâ, lavacri gratiâ suscepimus. »

Ad probationem minoris respondeo, ad primum caput : hanc vocem, *unum*, quæ exstat in Symbolo Orientali, satis intelligi in aliis, cùm dicitur : *Credo in Deum.* Namque aut Deus non est : aut nonnisi unus est; *et pluralitas Deorum nullitas est Deorum*, ut Tertullianus ait. Unde quod in pari causâ respondet Vigilius lib. 4 contra Eutychem, hìc usurpare licet : « Universitas profitetur credere se in Deum Patrem « omnipotentem, et in Jesum Christum, Filium ejus « Dominum nostrum. Huic capitulo ob id iste calumniatur. Cur non dixit : In unum Jesum Christum Filium ejus, juxta Nicæni decretum concilii! Sed « Roma, et antequàm Nicæna synodus conveniret, à « temporibus Apostolorum usque ad nunc, et sub « B. memoriæ Cœlestino, cui iste fidei testimonium « reddidit, ita fidelibus Symbolum tradidit : nec præ- « judicant verba, ubi sensus incolumis permanet. »

Illa porrò verba, *Creatorem cœli et terræ*, quæ in Romano et Aquileiensi Symbolo non habentur, contineri in istâ voce, *Omnipotentem*, quoad sensum, nemo nescit.

Tandem ista verba, *invisibilem et impassibilem*, addidit Symbolo Apostolico Ecclesia Aquileiensis, ad retundendam Patripassianorum hæresim, ut testatur Rufinus. « Sciendum, inquit, quòd duo isti sermones « in Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habentur. Constat autem apud nos additos, hæreseos causâ Sabellii illius profectò, quæ à nostris Patripassiana « appellatur, id est, quæ et Patrem ipsum vel ex Virgine natum dicit, et visibilem factum esse, vel passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis « impietas de Patre, videntur hæc addidisse majores, et invisibilem Patrem atque impassibilem « dixisse. »

Ad secundum caput, respondeo Aquileiense Symbolum non discrepare ab aliis sensu, sed verbis tenùs. Christus enim natus dicitur de Spiritu sancto, quomodò Angelus dixit S. Josepho : *Quod in eâ natum est, de Spiritu sancto est;* Græcè γεννηθέν, quod tam ad conceptum quàm editum fœtum pertinet. Sed ne in conceptu libido irrepsisse videretur, majoris explicationis causâ additum est : *Qui conceptus est de Spiritu sancto*, quod autem idem esset sensus verborum quæ leguntur in Symbolo Aquileiensi, necnon etiam in Romano : quod Ravennæ, ubi S. Petrus Chrysologus episcopatum gerebat, recitari solitum, verisimile est, constat ex ejusdem S. Petri Chrysologi Expositione : « Si juxta Evangelistam, inquit, quod in eâ natum est, « de Spiritu Sancto est, quia Deus Spiritus est, hæreticus jam Deum natum virgineâ confiteatur ex « carne, neque ampliùs cœleste mysterium, virginitatis partum, trahat ad conceptum mundi, ad terrenæ fragilitatis injuriam. » Denique quòd Symbolum Hierosolymitanum Filium Dei dicat duntaxat *incarnatum et hominem factum*, non probat quòd vario modo recitatum sit Symbolum Apostolorum in variis Ecclesiis, sed quòd omnes Ecclesiæ Symbolum Apostolicum suis competentibus non tradiderint. Neque enim S. Cyrillus Hierosolymitanus Symbolum illud, quod exponit, Apostolicum vocat. Præterea, hæc verba, *Incarnatum et hominem factum*, implicitè continent hanc sententiam : *Conceptus de Spiritu sancto, natus ex Mariâ Virgine.* Siquidem, ut Ecclesia canit in hymno Nativitatis Domini, *Talis decet partus Deum.* Tertiò, respondeo non posse colligi ex S. Cyrillo quòd Symbolum Hierosolymitanum illa verba non haberet, quia nec Symbolum continuâ oratione recenset, nec singulas distinctè particulas et voces, sed summa duntaxat capita fidei, ut constat ex illius Catechesi 4. « Antè « verò fidei traditionem, præclarè mecum actum videtur, si nunc summatim dogmatum necessariorum « capita repetam, ne dicendorum multitudo, et intercessurum dierum sanctæ Quadragesimæ totius intervallum, oblivionem inducat nostrarum rerum, earum quæ sunt ad cogitandum solidiores : atque « etiam ne nunc capitum factâ priùs à nobis semente, « quæ ad rem latiùs explicandam faciant, oblivisca« mur. » Quòd verò in Hierosolymitano Symbolo nativitas ex Virgine desertis verbis haberetur, colligi potest non obscurè ex eâdem Catechesi. Cùm enim ad finem capitis de Christo dixisset : *Non enim propositi obliti sumus quòd summa rudimentorum fidei capita nunc explicaturi eramus*, continuò subjungit aliud caput sic inscriptum : *De generatione ex Virgine.* Et in Expositione ait : *Credo verò hunc unigenitum Dei Filium ex sanctâ Virgine atque Spiritu sancto natum esse.* Igitur verisimile est has voces positas fuisse in Symbolo Hierosolymitano.

Ad quartum caput, respondeo passionem et mortem in Symbolo Aquileiensi præteriri, non incuriâ : nam quòd passus est, sub eo quòd crucifixus fuit continetur. Nec mortuum additur, quia partim in eo comprehenditur, quòd crucifixus dicitur, partim illo quòd sepultum, imò et resurrexisse subjicitur. Crucifiguntur enim ut moriantur : nec nisi certò mortui sepeliuntur, postquàm verò sepulti, resurgunt.

Ad objectionem de Christi descensu ad inferos, respondeo illorum verborum sensum implicitè in istis contineri, *et sepultus est.* Unde non mirum quod Symbolum Ecclesiæ Romanæ hæc verba non habeat, uti nec Symbola Orientis. Hæc solutio est Rufini in expositione Symboli, ubi ita scribit : *Sciendum sanè est quòd in Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habetur additum, descendit ad inferna : sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo : vis tamen verbi eadem videtur esse, in eo quòd sepultus dicitur.* In quantum scilicet, sicut corpus Christi Domini descendit ad suum locum, nempè terram, quæ est locus corporum : ita et anima ad locum animarum, videlicet ad eam inferorum partem, in quâ captivæ tunc detinebantur sanctorum animæ, ut eas inde educeret ; atque ita captivam ducens captivitatem, triumphator in cœlum ascenderet.

Ad nonum caput, respondeo non deesse qui existiment hanc vocem *Catholicam* primitùs fuisse positam in Symbolo, prout ab Apostolis conditum est : legitur namque apud S. Petrum Chrysologum Serm. 57, apud S. Ambrosium, tractatu de Symbolo (qui tamen non est S. Ambrosii, sed alterius antiqui auctoris), apud S. Cyrillum Hierosolymitanum, Catechesi 18, Illuminatorum. Potuerunt autem Apostoli absque ullâ falsitate eam inserere huic suo Symbolo. Licet enim tunc temporis, quando illud condiderunt, fides christiana nondùm esset reipsà diffusa per totum orbem, attamen id proximè futurum erat, et de eo certissimè constabat Apostolis, tum ex mandato Domini, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ, tum etiam ex Scripturis ita prænuntiantibus.

Deinde universalitas, quæ innuitur hâc voce, *Catholicam*, non debet restringi ad eam solam quæ est penès locum, aut penès personas, in quantum omnes obligat ad sui susceptionem ; sed importat etiam universalitatem temporis, seu perpetuitatem et universalitatem doctrinæ, in quantum complectitur omnia dogmata fidei catholicæ, quæ debent venire in notitiam hominum, fundatam in revelatione Dei factâ

Ecclesiæ : quo sensu Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio ait : *Eos esse Catholicos, qui tenent id quod semper, quod ubique, et quod ab omnibus creditum est.* Cùm ergo posteriores istius universalitatis ratione habuerit Ecclesia, etiam tempore Apostolorum, ante eorum profectionem ad varias gentes, potuerunt etiam propter ejusmodi universalitatem, verissimè dicere in suo Symbolo, *Ecclesiam catholicam.* Hinc Smyrnensis Ecclesia Epistolam suam encyclicam sic inscripsit : *Ecclesia Dei quæ est Smyrnæ, Ecclesiæ Dei... et omnibus ubicumque terrarum sanctæ et catholicæ Ecclesiæ populis.* (Apud Eusebium lib. 5 Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 15.) Hinc Apollinaris Hierapolitanus : *Catholicam quæ per orbem terrarum sparsa est, Ecclesiam, maledictis appetere docebat spiritus arrogantissimus.* (Apud Eusebium lib. 5 Historiæ, cap. 16.)

Aliorum verò sententia est, ejusmodi vocabulum, *Catholicam*, non fuisse positum primitùs in Symbolo, quando conditum est ab Apostolis ; sed additum postea fuisse, majoris explicationis gratiâ, cùm antea virtute tantùm et obscurè contineretur in eo articulo quo profitemur Ecclesiam sanctam. Dicunt enim hanc vocem, *Catholicam*, non esse notam Ecclesiæ quasi in cunis adhuc positæ, qualis erat, quando Apostoli condiderunt hoc Symbolum ; sed Ecclesiæ constitutæ in statu perfecto, et quasi adolescentiæ ; quemadmodùm aliæ sunt notæ hominis infantis et adulti.

Quod verò spectat ad eam Symboli partem quæ est de communione sanctorum, fateor eam in Symbolo Aquileiensi fuisse prætermissam, necnon in eo quo Ecclesia Ravennatensis usa est, prout illud recenset S. Petrus Chrysologus, quia non constituit singulare aliquod fidei caput, sed est expositio capitis quo profitemur sanctam Ecclesiam catholicam, ut etiam habet Catechismus concilii Tridentini, parte 1. De nono Symboli articulo num. 24 : *Inprimis igitur*, inquit, *fideles docendi sunt hunc articulum esse illius qui de unâ S. Ecclesiâ catholicâ antea positus est, veluti explicationem quamdam. Unitas enim Spiritûs à quo illa regitur, efficit, ut quidquid in eam collatum est, commune sit.* Non desunt tamen è veteribus, qui caput istud de communione sanctorum in Symbolo Apostolico legerint, ut S. Ambrosius sive alius auctor, Tractatu de Symbolo : et auctor, quisquis ille est, Sermonum de diversis, qui in Appendice S. Augustini leguntur.

Postremum denique caput, *de Vitâ æternâ*, legitur apud eosdem auctores, necnon apud S. Petrum Chrysologum. Ideò autem in Aquileiensi, imò et in Romano, quod verè Apostolicum est, fuit omissum, quia virtute continetur sub illis verbis, quibus carnis resurrectionem profitemur, sicut videre est apud S. Thomam, 2-2, quæst. 1, art. 8, ubi unicum duntaxat caput recenset, quod complectitur opus gloriæ, illudque conflatum ex duabus particulis asserit, quarum unâ, *carnis resurrectionem* ; alterâ, gloriam animæ, *seu vitam æternam*, profitemur. Sanè Rufinus sub articulo resurrectionis vitam æternam contineri intellexit, cùm dixit in Expositione Symboli : *Dabitur etiam*, inquit, *peccatoribus incorruptionis et immortalitatis ex resurrectione conditio ; ut sicut justis Deus ministrat ad perpetuitatem gloriæ, ita peccatoribus ad prolixitatem confusionis ministret, et pœnæ.*

Objicitur sextò : In Symbolo quod Tertullianus repræsentat non habentur capita de Christi descensu ad inferos, de Spiritu sancto, de Ecclesiâ, de Sanctorum communione, de remissione peccatorum, de vitâ æternâ. Itaque Symbolum non fuit eodem modo traditum Ecclesiis, adeòque non est verè Apostolicum.

Probatur antecedens ex libro *de velandis Virginibus*, cap. 1. « Regula quidem fidei, inquit, una omnìnò est, sola immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et Filium ejus Jesum Christum, natum ex Virgine Mariâ, crucifixum sub Pontio Pilato ; tertiâ die resuscitatum à mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos, per carnis etiam resurrectionem. »

Et lib. de Præscriptionibus hæreticorum, quanquàm capita de Spiritu sancto et de vitâ æternâ memoret, alia tamen superiùs indicata prætermittit. « Regula est autem fidei, inquit c. 13, ut jam hinc quid defendamus, profitemur, illa scilicet quâ creditur unum omninò Deum esse, nec alium præter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit, per Verbum suum primò omnium demissum : id Verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei variè visum à patriarchis, in prophetis semper auditum, postremò delatum ex Spiritu Patris Dei, et virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, et ex eâ natum egisse Jesum Christum exinde : prædicâsse novam legem, et novam promissionem regni cœlorum : virtutes fecisse : fixum cruci, tertiâ die resurrexisse : in cœlos ereptum, sedisse ad dexteram Patris : misisse vicariam vim Spiritûs sancti, quæ credentes agat : venturum cum claritate, ad sumendos sanctos in vitæ æternæ et promissorum cœlestium fructum, et ad profanos adjudicandos igni perpetuo, factâ utriusque partis resuscitatione, cum carnis restitutione. »

Et lib. adversùs Praxeam, cap. 2 : « Unicum quidem Deum credimus, sub hâc tamen dispensatione, quam œconomiam dicimus, ut unici Dei sit et Filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil. Hunc missum à Patre in Virginem et ex eâ natum hominem et Deum, Filium hominis, et Filium Dei, et cognominatum Jesum Christum. Hunc passum, hunc mortuum et sepultum secundùm Scripturas, et resuscitatum à Patre, et in cœlos resumptum, sedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos : qui exinde miserit, secundùm promissionem suam, Spiritum sanctum, Paracletum, sanctificatorem Fidei eorum, qui credunt in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. »

Respondeo, distinguo antecedens : Et Tertullianus Symbolum integrum non describit, prout ab Apostolis traditum est, concedo ; illud describit omninò, ut est ab Apostolis traditum, nego. His enim in libris Ter-

tullianus præcipua duntaxat Symboli capita repræsentat, quibus errores tunc regnantes, scilicet Praxeæ, Valentinianorum, Marcionitarum, Appellitarum, confodiebantur : Symbolum integrum, prout Competentibus tradebatur, et ab ipsis reddebatur, sibi non sumit repræsentandum ac exponendum. Unde nec iisdem prorsùs verbis illud variis in locis refert, imò nec iisdem penitùs sententiis. Hinc itaque colligi non potest, quod Africana Ecclesia Symbolum suis competentibus traderet iis minutum capitibus, quæ Tertullianus prætermittit.

Respondeo secundò, in confessione Spiritûs sancti quem Filius misit ut vicariam vim, quæ credentes agat, et ut sanctificatorem Fidei eorum qui credunt, involvi implicitè articulum de Ecclesiâ, quæ credentium congregatio est : item de communione sanctorum, qui Spiritu sancto adunantur et moventur; remissionem denique peccatorum, quæ sanctificationis præcipua pars est.

Respondeo tertiò, Tertullianum pseudopropnetiis Montanistarum afflatum, nec Ecclesiam catholicam, cujus homines injurioso Psychicorum nomine infamabat, et quam in tribus, licet laicis, asserebat conservari, nec remissionem peccatorum in Ecclesiâ, et ab Ecclesiâ, disertis verbis profiteri voluisse; quia graviora peccata indonabilia et irremissibilia contendebat, cum Montanistis delirando. Unde suspicio nulla esse non potest, ipsum ex industriâ supra memoratos Symboli Apostolici articulos omisisse.

JOANNIS DOMINICI MANSI

NOTA.

Basnagius, qui suopte ingenio omnia, etiam rectè stabilita, subvertere nititur, Symbolum ab Apostolis uspiam conditum negat. Nihil illum, sive Rufini, sive S. Leonis Magni, sive auctoris sermonum de Tempore sub Augustini nomine cogniti, Symbolum Apostolis vindicantium, auctoritas movet. Argumenta verò Natalis omnia sic exagitanda suscipit. Si Apostolorum esset Symbolum, in Scripturarum canonem referretur. Argumento huic reponit Natalis, Symbolum non quidem Apostolos scripsisse per se, sed brevem illam Fidei formulam, de quâ inter se convenerant, discipulos suos vivâ voce docuisse, à quibus vicissim in successores veluti per manus transierit. Utique, ait Basnagius; sed nec Epistolas, quanquàm canoni insertas, per se scripserunt Apostoli; sic, e. g., ad Ephesios excepit Tychius, ad Romanos Phœbes, etc. Fateor; at epistolas ipsi per se dictârunt Apostoli, atque id voluerunt ut de scripto traderentur Ecclesiæ; itemque ut in scripturam redactæ servarentur, in publicis cœtibus identidem legendæ ad fidelium solamen et eruditionem. Symbolum verò dictârunt ut memoriæ mandaretur, quo de Fide interrogati fideles haberent in promptu quid statim responderent.

Addit Basnagius : Si Apostolos auctores referret Symbolum, dogmata omnia Fidei contineret, tum ea quæ præsentes, tum ea, quæ futuros hæreticos arguere possent. Contractum tamen illud est, et pauca continet, quanquàm et aliqua exhibet adversùs hæreticos Apostolorum ævo ignotos. Respondeo Apostolorum mentem fuisse summa Fidei capita in Symbolo complecti; id ergo omninò curârunt, ut quo breviorem formulam conficerent, ne vulgarium hominum mentem ejus prolixitate fatigarent. Eo consilio dogmata alia, quæ scitu maximè necessaria tunc judicabant, clarè explicârunt; alia verò subobscurè tantùm, in potestate Ecclesiæ relinquentes, ut cùm necessitas posceret, ea ipsa ponerent. Si verò quædam expresserunt dogmata quæ adversùs hæreticos ævi recentioris valent, id profectò non satis est argumenti ut acceptum ab Apostolis Symbolum negemus. Quot sunt Fidei dogmata in Evangelio perspicua, quæ hæreticos posterioris ævi feriunt? Christum Dei Filium unam habere cum Patre divinam naturam ex illo Evangelii patet : *Ego et Pater unum sumus;* hoc verò Arianos confundit. Ita S. Clemens papa I, qui ævo Apostolico floruit, tam perspicuè duo distinguit in Christo, creatum aliquid et increatum, ut dogma Eutychianum, quamvis tot seculis posterius, præ oculis habuisse videatur : *Ab illo* (Patre) *Dominus Jesus ortus* (seu creatus est) *secundùm carnem.*

Pergit heterodoxus : Si hæc Fidei formula ab Apostolis fuisset, nunquàm permisisset Ecclesia ut ex illâ voces aliquæ subducerentur; aliæ pro aliis substituerentur; quin et aliæ ab eâ diversæ formulæ cuderentur, quod citra invidiam Apostolicæ formulæ fieri minimè potuit. Ita censet Basnagius; non verò et veterum illorum idem judicium fuit. Quemadmodùm enim Symbolo à Nicænis Patribus condito, tantâ religione ab Ecclesiâ universâ accepto atque observato, addi aliquid Constantinopolitanis Patribus visum est quòd hoc expedire judicaverint ad novas tunc subortas hæreses retundendas; ita pariter committi à nonnullis potuit, ut Apostolico Symbolo aliquid adderent vel detraherent; prout commodum rei præsenti, et opportunum ducebant. Nicæni demùm Patres aliam Fidei formulam probârunt; non quidem Apostolicam rejicientes tanquàm minùs aptam (ut Basnagius contendit), sed quòd opportunum duxerint Fidem divinitatis Jesu Christi adversùs novam Arianorum doctrinam paulò latiùs explicare.

At enim Apostolicæ institutionis formulæ Constantinopolitana prælata est in liturgiis, ideò fortè quòd circa tempora hujus synodi mos obtinere cœperit ut in Missis Symbolum recitaretur; tunc verò ad rem præsentem magis opportuna judicata est Constantinopolitana formula.

Denique vocem, *Catholicam*, Apostolicæ non esse institutionis admonet criticus heterodoxus, cùm ab Apostolis hæc Fidei tessera data feratur antequàm per orbem annuntiandæ Fidei causâ dispergerentur. Tunc verò Fides angustioribus adstringebatur limitibus, quàm ut *Catholica*, id est, universalis, diceretur. Reponenti verò Natali Alexandro voculam hanc fortè accessisse Symbolo, cùm Fides jam latè diffusa *Catholica* sibi nomen jure vendicârat; regerit Basnagius, id quidem factum admittens; sed et ex adjectione istâ probatum censet, Symbolum Apostolos auctores nequa-

quàm tulisse. Irreligiosum enim duxissent veteres illi fideles additîtium aliquid adsciscere formulæ ab Apostolis traditæ. At, rogo, majusne fuisset obsequium fidelium erga scriptum Apostolorum, quàm fuerit Hebræorum erga Moysis libros; quos tamen voculas aliquas à primævo auctore alienas induxisse in Pentateuchum constat? Vide Calmet Proleg. in Deuteronom. Instat Basnagius : Cur ergo precandi formula à Christo tradita pura ad nos usque transmissa est, non verò Symbolum? Cur aliquid adderetur formulæ huic precandi, causa nulla suberat; quorum enim indigebant olim homines, hodie pariter indigent; quæ verò aliquid Symbolo addere suadebant, causæ occurrebant plures; hæreses, Ecclesiæ diffusio, etc.

His rationibus à se deductis persuasus Basnagius, secundo tertiove Ecclesiæ sæculo conflatum esse Symbolum arbitratur, sed breve, atque concisum, auctum dein novis, novisque accessionibus adversùs novas subinde exsurgentes hæreses. Ita Carpocrati, mortuorum ad vitam revocationem neganti, oppositum est illud : *Carnis resurrectionem.* Donatistis alterum; *Ecclesiam catholicam;* quibus pariter oppugnandis adjectum est aliud, nempe : *Sanctorum communionem.* Hæc utique tam facilè excogitari à Basnagio potuerunt, quàm probari difficile. Quis enim secundi tertiique seculi scriptor, tantâ valuerit auctoritate, ut conditam à se Fidei formulam omnibus per universam Ecclesiam approbari, atque admitti cogeret? Id utique vix factum admitteremus; factum verò de Symbolo, ut in omnibus Orientis et Occidentis Ecclesiis idem recitaretur, nisi quod alicubi voculæ tantummodò quædam variabant, Rufino *in Expositione Symboli* teste. Nullum sive concilium, sive decretum Romani pontificis Ecclesiæ principis assignatum est ab antiquis, cujus auctoritate id traderetur Ecclesiis per orbem dispersis. Si verò publica auctoritas abfuerit, nulla satis congrua ratio succurreret, ut tanta concordia reciperetur ab omnibus, nisi quod ab Apostolis esset. Reponat fortassè Basnagius, causam cur ab omnibus admitteretur Symbolum Apostolorum, fuisse persuasionem, inanem licet, quòd ab Apostolis conditum arbitrarentur. Favet ergo sententiæ nostræ communis Ecclesiarum omnium tertii saltem quartive Christiani seculi persuasio. Sed ex hâc communi opinione vide quid inferam. Si ex Apostolis tenere se Fidei confessionem hanc arbitrata est Ecclesia, nunquàm permisisset, ait Basnagius, aliquid illi adjungi. Hoc verò argumentum cadit, semel ac admittatur (quod utique ex testimonio Rufini de *Exposit. Symboli* admitti necesse est) unam hanc eamdemque Fidei professionem omnes Orientis, Occidentisque Ecclesias adoptâsse eò quòd Apostolicam judicarent, eâque non obstante persuasione nihilo secius additionem vocularum quarumdam tolerâsse. Ex hâc igitur adjectione non rectè infertur, Symbolum hoc Apostolis abjudicatum.

Novi quò se recipiat Basnagius : ait enim Symboli hujus dilatandi in causâ fuisse quòd auctores licet alios haberet ab Apostolis, doctrinam tamen contineret planè Apostolicam. Utique; sed et à doctore privato compactum erat. Numquid ut Fidei formulam, Apostolicam doctrinam continentem conderent, adjutorio privati alicujus theologi opus habuerunt omnes per orbem Ecclesiæ, sive in eo omnes convenisse credemus, ut à privato conditam eamdem omnes admitterent? S. Gregorii Neocæsariensis, vulgò Thaumaturgi, capita Fidei vel Symbolum nihil non Fide purum continebat; exceptum insuper à B. Virgine per visum illi apparente nôrant omnes; nihilo tamen seciùs ad alias Ecclesias si fortè pervenit, certè tamen à nullâ fidelibus sibi subjectis traditum legimus. Utcumque Apostolicam doctrinam continere Symbolum judicaretur; hoc tamen judicium non satis præbuisset causæ, ut omnium Ecclesiarum usibus unicum illud et non aliud seligeretur.

Bellè verò sibi proponit Basnagius singulas hæreses, quæ identidem exurgentes occasionem præbuerint alias post alias voces Symbolo adjungendi. Sic, ait, vox *Catholica* Donatistis, in arctum Ecclesiam cogentibus, opposita est, eademque propterea vox Rufini ætate in Symbolum Ecclesiæ Aquileiensis nondùm irrepserat, cùm ejus non meminerit idem scriptor in *Exposit. Symbol.* Fallitur egregiè; hanc enim voculam in Symbolo noverat Rufinus, quanquàm explicandam latiùs nequaquàm assumpsit. Ita enim ille : *Sequitur* (in Symbolo) *sanctam Ecclesiam catholicam.* In hoc ipso verò opusculo Rufinus tradit, Symbolum in Romanâ Eccclesiâ servatum additamenti nihil admisisse unquàm (ita ille opinatur) quòd nullæ ibi hæreses exortæ sint; ex quo inferas vocem *Catholicam*, quam pariter retinebat Romanum Symbolum (id enim alioqui notâsset Rufinus ut sæpè aliàs) nec adscititiam fuisse, neque contra Donatistas tunc recens natos appositam; alioqui et additam hanc dixisset Rufinus, et additamenti aliquid ad Romanum Symbolum agnovisset. Neque feliciori conjectura Basnagius articulum *remissionem peccatorum* ad Novatianorum hæresim, negantium lapsorum post Baptismum restitutionem, refert; cùm de remissione peccatorum, quæ fit in Baptismo, Constantinopolitani concilii Patres id exposuerint : *unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Quid hæc ad Novatianos?

MADRISII VITA.

Madrisius (Joannes Franciscus) natus est Utinæ, in Italiâ, desinente decimo et septimo seculo, et obiit anno 1750. Vir in veteribus scriptis studiosè ac permultùm volutatus, doctus sermones Latinæ, Hellenicæ, Hebraicæ-

que linguæ, plurimis dissertationibus luculentissimis theologiæ præcepta illustravit, Oratoriorumque famosæ congregationi inscriptus est. Præcipuâ in laude est quam in lucem produxit optima *Operum sancti Paulini Aquileiensis* editio, quæ Venetis impressa est anno 1737. Inter ejus opuscula eminet inprimis *Dissertatio de Symbolo fidei*, singulari concinnitate et methodo inter nobilissimas hujus generis annotationes referenda.

DE SYMBOLO FIDEI

Dissertatio.

I. Græca vox Σύμβολον latissimæ est significationis; accipiturque pro indicio seu signo cujuscumque rei; unde et tesseræ militares, hospitales, theatrales, convivales symbola dicta. Apud christianos verò Patres ejus significatio contrahitur ad innuendam regulam illam, quâ summa Fidei continetur. Sic Paulinus noster in concilio Forojuliensi vocabulum vetus secutus, Symbolum Fidei memoriter tenendum proponit. *Symbolum*, ait, *et orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat.* Et paulò ante commendaverat Symbolum Nicænum, seu Politanum, quod in synodo cum quibusdam dilucidationibus proposuerat ab Ecclesiasticis pariter memoriæ mandari, integri anni spatio iis concesso, qui hebetiori ingenio forent : itaque imperatum, ut in anniversariâ concilii sessione valerent, nec apice prætermisso, quod didicerant recitare. Cùm autem quædam in historiâ Symboli occurrant, quæ res Aquileiensis Ecclesiæ propiùs tangunt, non abs re duximus, si ab ovo, ut diximus, rem petentes, priùs de Symbolo Fidei in Ecclesiâ universali historiam, succinctè quidem, texuerimus; deinde ad Symbolum Ecclesiæ nostræ descenderimus, et si quid ad Paulinum nostrum cognovèrimus pertinere opportunè interseramus.

II. Ut cum scriptoribus synchronis sancti Paulini nostri exordiamur, accipe lib. 1 *Etherii et Beati*, quem contra *Elipandum* scripserunt, quare regula Fidei Symbolum dicatur. *Symbolum Græcè, quod Latinè dicitur indicium et collatio. Indicium est quia indicat cui credere debeamus, id est, uni Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Collatio dicitur Symbolum, hoc est, quod plures in unum conferunt. Nam dicunt majores nostri quòd Apostoli, post ascensionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi hoc Symbolum breve sibi prædicationis indicium, conferendo in unum quod sentiebant, componunt; ne localiter ab invicem discedentes diversum aliquid, vel dissonum prædicaretur his qui ad Fidem Christi invitabantur.* Idem fermè Ruffinus in Exposit. Symboli, num. 2, ante eum scripserat. Advertendum tamen est, quòd *collatio*, quâ unusquisque aliquid de suo ponit, puta ad cœnam instituendam, potiùs *Symbola* dicatur quàm *Symbolum*

III. Sed ab Apostolis processisse Symbolum Fidei quietâ traditione susceptum est, ut mirati plerique fuerint rem in dubium vocatam nostris temporibus. Elias Du Pin in Biblioth. Eccl. tom. 1, pag. 9, novitatem opinionis acriter tuetur; sed non impunè; nam monachus illustris D. Matthæus Petitdidier insurgit in Dupinianam sententiam toto nisu, feliciterque evincit non discedendum ab ecclesiasticâ traditione opus Apostolorum Symbolum agnoscente. Quod confirmat sanctorum Patrum allatis sententiis, qui etsi de modo quo dicitur conflatum Symbolum expressè non loquantur; non sit dubitandum. Ex quibus infert se summoperè mirari quâ ratione Dupinius dicere potuerit primum scriptorem, et unicum quinti seculi Ruffinum fuisse, qui Symboli Apostolos credat auctores. Replicat Du Pin : reponit tom. 2. P. Petitdidier. Si vacat et si lubet, legito. Satis tibi sit indicatam quæstionem fuisse, ne cæcis oculis recentis auctoris opinionem sequereris, quin scires à recentiore auctore confutatum, et antiquam sententiam docentem ab Apostolis symbolum profectum, sartam tectamque servatam. Ne omittas enim Natalem Alexandrum sec. 1, dissert. 12. de Symbolo pluribus tuentem veritatem traditionis, quæ ab Apostolis Symbolum confectum affirmat.

IV. Hoc igitur Apostolorum opus, Symbolum, inquam, semper amplexata et venerata est catholica Ecclesia, quæ prioribus seculis, quibus undique impetebatur à persecutoribus, ne sancta sua canibus prodere cogeretur, oretenùs illud tradere, non scripto, in morę habuit : et ex hinc nil mirum, si inter veteres Patres haudquaquàm invenitur, cùm summoperè caverent ne Scriptura hujusmodi in profanorum manus deveniret. Ruffinus in Exposit. Symb. num. 2 : *Idcircò hæc non scribi chartulis atque membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, ut certum esset neminem hæc ex lectione, quæ interdùm pervenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse sufficeret.* Ad hæc respiciebat Hieronymus epist. 65, disserens adversùs errores Joannis Hierosolymitani, inquiens : *In Symboli Fidei et Spei nostræ, quod ab Apostolis traditum non scribitur in chartâ et atramento, sed*

in tabulis cordis carnalibus post confessionem Trinitatis, et unitatem Ecclesiæ, omne christiani dogmatis carnis resurrectione concluditur. Hinc non extensiorem Symboli propositionem in sanctis primorum seculorum Patribus hâc Hieronymi invenies, si demas Tertullianum, qui lib. de Virginibus velandis quosdam, non omnes, articulos innuit, et hos satis contractè. *Regula Fidei*, ait, *una omninò est, sola immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et Filium ejus Jesum Christum natum ex Virgine Mariâ, crucifixum sub Poncio Pilato, tertiâ die resuscitatum à mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos per carnis etiam resurrectionem.* Cæterùm ipse divus Augustinus idem cavebat, unde monebat Catechumenos de Symb. ad Catech. lib. 1, cap. 1, *Symbolum nemo scribit*, ut legi possit; sed ad recensendum, ne fortè deleat oblivio, quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria. Idem suis dicebat S. Petrus Chrysologus ser. 58 qui est 2 de Symb: *Accepturi ergo Symbolum... pectora parate, non chartam: sensum acuite, non calamum, et audita non atramento, sed spiritu ministrante describite;* et rationem rei subinfert: *Ne profanus arbiter, ne improbus, quod dilaceret, discussor inveniat; et fiat ad contemnentis et ignorantis ruinam, quod confitentis et credentis donatum est ad salutem.* Eâdem ratione Zozomenus testatur lib. 1, cap. 29, à piis et amicis viris admonitum se fuisse, ne in suis Commentariis Nicænum Symbolum, ut destinaverat, insereret, quòd sacramenta hujusmodi *à sacerdotibus solùm et episcopis deberent cùm dici tum audiri. Eorum sanè se approbare consilium; nam verisimile est nonnullos qui non sunt initiati mysteriis, hunc librum perlecturos.*

V. Ad usquè tempus igitur Nicænæ synodi, ex quâ Symbolum novâ formâ prodiit, illud Apostolicum Ecclesia est amplexata paucissimis vel additis, vel omissis, vèl immutatis in quibusdam Ecclesiis ad dogma fortè ab hæreticis impugnatum altiùs inculcandum, quod tamen non obfuit quominùs Apostolicum Symbolum et diceretur et haberetur. Ruffinus hoc advertit, cùm ait l. c., n. 3: *Illud non importunè commonendum puto*, quòd in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In Ecclesiâ tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego pro eo esse arbitror, quòd neque hæresis ulla illic sumpsit exor-[illegible]ium... In cæteris autem locis, quantùm intelligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ sensus crederetur excludi.

VI. Cùm autem Arius evomuisset virulentas blasphemias in consubstantialitatem Filii Dei, visum est Nicænæ synodo novum Symbolum disertis verbis conficere, quod obviam iret hæresi nefandæ. Putabit fortassè non nemo auctorem ejus Hermogenem fuisse ex Epist. 82 sancti Basilii ad Patrophilum, quia ibi ait: Hermogenes *hostis* Arii *improbatæ opinionis, quemadmodum manifestum est ex Fide, quæ primùm ab illo viro* Nicææ *pronuntiata est*, etc. Quem etiam epist. 74, episcopum Cæsarææ, qui synodo Nicænæ interfuit et subscripsit; *putatur*, ait Baronius ad ann. 325, num. 33, *sanctus Basilius* (*quod humanum est*) *memoriâ lapsus esse, cùm* Leontii *successorem* Hermogenem *sedisse ait cum Patribus in Nicæno concilio.* Hosius igitur auctor Nicæni Symboli creditur: quod quanquàm Hermias Sozomenus caveret in suâ historiâ referre ne ad profanos deveniret, ut supra dictum est; in Ecclesiâ tamen passim à Patribus et piis viris non ampliùs veritis ipsius profanationem, fide satis stabilitâ et vulgatâ, ore et scripto cœpit sic promulgari, ut in Synaxis quoque mysterio statuerent decantandum, ut mox videbitur. Sed novâ hæreseos peste grassante Nicæno aliquid additum fuit in concilio Constantinopolitano; quo recentibus occurrebatur erroribus, ita tamen ut aliquando vetus nomen servaverit; et Symbolum Constantinopolitanum dictum quoque Nicænum à pluribus, præcipuè à magistro Sententiarum lib. 1, dist. 11, manifestè reperies. Additamentum autem, teste Nicephoro Callixto lib. 12, cap. 13, opus fuit Gregorii Nysseni, qui quæ de Spiritu sancto habentur inseruit. *Etiam*, ait, *Spiritûs sancti gloriam, utpote similem* atque æqualem Patri et Filio, sancto Nicænæ fidei Symbolo adjecerunt, Gregorio Nysseno id, quod illi deesset, supplente. Approbans verò Damasus pontifex acta concilii à Patribus sibi oblata, ut videre est in epistolis quas idem Callixtus l. c., cap. 16 et 17, refert, in causâ esse potuit quare aliquando ipse creditus fuerit auctor Symboli in missâ cantandi. Hoc sanè habet Durandus Rational. lib. 4, cap. 25, *Nicænum, scilicet,* « Credo in unum Deum. » Damasus papa ex condicto universalis synodi apud Constantinopolim celebratæ instituit in missâ cantare patenter. Verùm hujus cantationis originem aliam fuisse patebit infra.

VII. Tantam interim apud orbis Ecclesias, et præcipuè apud Romanam, quæ cæterarum caput est et mater, Constantinopolitanum Symbolum, et talem sibi venerationem indeptum est ut religio haberetur vel apicem addere ulteriùs aut minuere. Nam cùm processu temporis additum fuisset *Filioque*, ad innuendum contra novas Græcorum aliorumque hæreses sancti Spiritûs à Filio æquè ac Patre processionem, additamentum Romana non admisit Ecclesia non damnans vocis novitatem, sed venerans prioris formulæ vetustatem. Occasio autem additionis in Occidente error Priscillianistarum fuit, contra quem Hispaniarum concilia insurgentia formulam fidei statuerunt, quam post concilium Toletanum 1 in edit. Garsiæ Loaisæ reperies; non tamen ab eo conflatam credas, cùm illud ærâ Hisp. 438, i. e., anno Christi 400, celebratum sit: et in regulæ illius titulo mentio habeatur Leonis I papæ, qui ab anno Christi 440 ad annum 461 Petri cathedram occupavit. Pertinet igitur ad aliud concilium quod periit, ait Loaisa, et alio loco, celebratum tempore Leonis papæ asserit Pagius anno nempe 447, ut suspicatus fuerat Baronius. Vide Pagium ad annum 405, num. 16. Sic autem habet Hispana Confessio, *Credimus*, etc... *Spiritum quoque Paracletum esse, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed è*

Patre Filioque procedens. Sanctus vero Leo scribebat ad Turibium Asturicensem episcopum epist. 93, cap. 1, de Priscillianistarum erroribus : *Primo itaque capitulo demonstratur quàm impiè sentiant de Trinitate divinâ, qui et Patris, et Filii, et Spiritûs sancti unam atque eamdem asserunt esse Personam, tanquàm idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur, nec alius, qui de utroque processit.* Viden' usurpata à Patribus Hispanis verba ipsa Leonis, ut meritò credas, quòd in confessione Fidei adeò dilucidè assertam processionem Spiritûs sancti etiam à Filio, quòd eam Hispani ab ipso Leone hausissent?

VIII. Ex Hispaniâ ad Gallias Symbolum sic quatuor syllabis auctum pertransiit. *Quo anno, incertum,* ait Natalis Alexander in sec. 4, dissert. 37, art. 3, *forsan in concilio Gentiliacensi, quod an.* 827, *præsente* Pipino *rege, celebratum est : in quo Latinos inter et Græcos de Spiritûs sancti processione fuit disputatum.* Sed hoc concilium non an. 727, sed an. 767, celebratum fuit teste Adone, qui ait disertis verbis : *Synodus anno incarnationis Domini* 767, *et quæstio ventilata inter Græcos et Romanos de Trinitate, et utrùm Spiritus sanctus sicut procedit à Patre, sic procedat à Filio.* Insuper Pipinus, sub cujus regno dicitur concilium Gentiliacense celebratum, non dicitur rex nisi anno 752, ut vult Pagius ex Annalistis : non ergo anno 727, sed anno 767, synodus est acta. Verùm ante hoc quoque tempus Galliæ additionem videntur admisisse; nam Gregorius Turonensis, qui decessit anno 594, in exordio lib. 1 Histor. Francor. sic habet : *Credo sanctum Spiritum à Patre et Filio processisse.* Ita ille reddens rationem Fidei suæ, antequàm historiam suam exordiatur, ne minùs Catholicus haberetur. Quod ergo Gallicana Ecclesia jam receperat, cæteræ quoque Francico regi subditæ recepêre provinciæ, et jam uno ore Gallià et Germaniâ confitentibus Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, additamentum et Italia amplexa est. Primus qui occurrat inter Italos, qui hâc usus est formulâ, est Paulinus noster, qui in Symbolo quod anno 796 in concilio Forojuliensi protulit conceptis verbis habet, *qui à Patre Filioque procedit.* Et quidem è re natâ hoc erat faciendum. Etenim eâ in synodo de erroribus incarnationem Filii Dei ac processionem Spiritûs sancti impetentibus æquè actum fuit. Ideòque in eâ, quam post Symbolum addidit, declaratione, velut præmansum in os inserens, sic habet : « Spiritus sanctus verus Deus verè et propriè Spiritus « sanctus est, et non est personaliter Pater, vel Fi- « lius, sed ex utroque procedit. »

IX. Græci, qui hunc fovebant errorem, quot turbas pro hâc re excitaverint, non est in ecclesiasticâ historiâ quispiam adeò peregrinus, qui ignoret. Illud verò valdè mirandum, quòd Græci ipsi fuerint deprehensi ab Occidentalibus sæpè scripta Patrum, fide verè Græca corrupisse. Jam advertit Binius in Notis ad concilium Romanum sub Agathone papâ, an. 680, congregatum, quòd in epistolâ synodicâ à Patribus Romanis ad concilium Constantinopolitanum missâ ablatæ fuerint quatuor syllabæ *Filioque* professioni fidei insertæ. *Græci impostores,* ait, Epistolam synodicam *corruperunt, eoque loco quo legebatur olim :* Credimus in Spiritum sanctum Dominum et vivificatorem, ex Patre Filioque procedentem : *illi nomen* Filioque *expunxerunt.* Quam corruptionem ipsis objectam in concilio Florentino à Juliano cardinali post Emmanuelem Calecam ibidem advertit. Ex eâ factum, ut falsarii Scripturarum dicerentur, et, ut verbis utar Chronologistæ Brietii ad annum 780, *in professione Fidei cùm scriptum esset Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, Græci nomen* Filii *turpiter expunxêre : facilè crediti librorum corruptores.* Nec illâ vice tantummodò falsitatis et adulterinæ corruptionis Græci postulati sunt. Quandoquidem cùm Zacharias pontifex in Græcum sermonem transtulisset Dialogos Gregorii Magni pontificis, eos vitiâsse textum, et abrasisse nomen *Filii,* Joannes Diaconus scriptor vitæ Gregorii ait his verbis cap. 75 : « Quos libros Zacharias sanctæ Romanæ « Ecclesiæ episcopus, Græco Latinoque sermone doctis- « simus temporibus Constantini imperatoris post annos « fermè centum septuaginta quinque in Græcam lin- « guam convertens, Orientalibus Ecclesiis divulgavit; « quamvis astuta Græcorum perversitas in commemo- « ratione Spiritûs sancti à Patre procedentis, nomen « Filii suaptim radens abstulerit. » Locus ex corruptis in Gregorio est lib. 2 Dialogorum, cap. 38, seu ultimo, ubi verba Gregorii latina sunt hujusmodi : Cùm enim constet quia Paracletus Spiritus à Patre semper procedat et Filio, etc. In Græco sic legitur : Φανερὸν οὖν ὑπάρχει ὅτι τὸ παράκλητον Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς προέρχεται, ἐν δὲ τῷ Υἱῷ παραμένει. Quod sic vertitur : *Apertè igitur patet quòd Paracletus Spiritus à Patre procedit, et in Filio permanet.* Quis non videt textûs corruptionem? quis non cognoscit Græcam spongiam delentem, et Græcam manum novum sensum substituentem et verba? Basnagius ipse hoc non inficiatur, sed ut homo qui omnem ansam insurgendi arripit in Romanam Ecclesiam, captat hinc occasionem criminandi Zachariam pontificem, in observatione circa Dialogos Gregorii Magni et eorum fragmenta inserta in Henrici Canisii antiq. lect. tom. 2, part. 1, pag. 88, edit. Amstel., an. 1725, sic blaterans : *Est observatione dignum Zachariam pontificem, in eâdem sede Romanâ collocatum et Latinâ, Gregorii primi Græco idiomate reddentem penitùs immutâsse sententiam decessoris sui : quippe cùm Gregorius scripserit hæc verba,* Dialog. lib. 2, cap. 38 : Cùm enim constet quia Paracletus Spiritus à Patre semper procedat et Filio, *in Græco* Zachariæ *legatur :* Apertè igitur patet quòd Paracletus à Patre procedit et in Filio permanet. « Itaque Zacharias amplectieba- « tur sententiam Græcorum circa processionem Spiri- « tûs sancti à Patre solo, et quod mirandum magis, « contribulium suorum sententiam Gregorii nomine « decorabat, et ipsi contra mentem adjudicabat. Quæ « fides hominibus etiam cœlestibus, ut vocant, est « habenda, si supinis lectoribus ita possint imponere? » Bellus homo Basnagius, qui ex fimbriâ textum dijudicat! Novimus hominem, cui convenit illud : Οὗτος ἐν θεῶν ἀγορᾷ συφημήσει. i. e., *hic vel in deorum conventu ma-*

ledicet. Quis deorum descendit ut diceret Basnagio Græcum illum, qui textum Gregorii corrupit, ipsum fuisse translatorem Zachariam? Joannes Diaconus, qui seculo altero à Zachariâ floruit, asserit à Græcis translationem Zachariæ, non à Zachariâ textum Gregorii vitiatum. Insuper Anastasius in Zachariâ edit. Roman. 1718, num. marg. 219, hoc de sanctissimo pontifice testimonium reddit : « Hic beatissimus vir juxta ritum « ecclesiasticum et fidei suæ sponsionem orthodoxam, « synodicam Ecclesiæ misit Constantinopolitanæ, si- « mulque et aliam suggestionem dirigens serenissimo « Constantino principi. » Qui fieri potest, ut credatur Zacharias adulterator textûs Gregorii in articulo fidei cum primis ponendo in gratiam Græcorum suorum contribulium, qui ipsis Græcis Constantinopolitanis et eorum principi juxta orthodoxam fidei suæ sponsionem, synodicam misit? Sed sinamus virum citra vinum quandoque temulentum.

X. Anno 809, quidam Joannes monachus Hierosolymis refricuit quæstionem de processione Spiritûs sancti, quæ controversia in Occidentem delata in causâ fuit, cur imperator Carolus M. ab Arduennâ Aquisgranum adveniens mense novembris synodum cogeret de quâ Ado et cæteri annalistæ Francorum uno ore conveniunt. Sit pro omnibus Bertinianus sub ann. 809 : « Imperator de Arduennâ Aquas reversus « mense novembris concilium habuit de processione « Spiritûs sancti. Quam quæstionem Joannes quidam « monachus Hierosolymis primo commovit. Cujus de- « finiendæ causâ Berenharius episcopus Wolmatiensis « et Adalardus abbas monasterii Corbeiæ Romam ad « Leonem papam missi sunt. » Baronius ad ann. 809, num. 53, ait hìc actum non de Spiritûs sancti processione, sed an benè legitimèque additum ab Hispanis, Gallis, Germanis in symbolo *Filioque*. Et reverà quæ à Berenhario et Adalardo cum Leone III acta et dicta sunt, quæ recensuit Zamaradus abbas, et quæ per extensum habet Baronius, in eo versantur, num ab ipsis esset erratum in eo quòd annuente ac probante Leone symbolum cantarent cum additione *Filioque*. Verùm actum verè fuisse de processione Spiritûs sancti, et mota quæstio ab Hierosolymitano monacho, cui nihil rei erat cum additis ab Occidentalibus Symbolo syllabis, et consensus omnium scriptorum satis evincit. Hoc innuit Theodulphus episcopus Aurelianensis, qui in præfatione ad Collectionem sententiarum veterum Patrum de processione Spiritûs sancti à Patre et Filio, imperatori Carolo directam, sic illum affatur, v. 26 :

Tuque maxum injicies, vegetat quem Spiritus ille,
Causa tuo cujus tempore cœpit agi.

Causa igitur erat non præcisè de additione, sed de ipsâ processione, quæ etiam antea, ut visum est, in Oriente et in Hispaniis est actitata. Leo autem papa legatione Caroli acceptâ ex concilio Aquisgranensi (quod celebratum novembri, legatorum adventum Romam in an. 810 sequentem transfundit), pluribus egit ut suaderet legatis, quanquàm verissimum esset Spiritum à Patre et Filio procedere, et fide catholicâ omninò tenendum : attamen non esse in Symbolo aliquid addendum, quòd multam alia mysteria, quæ indubitanter de Fide sunt, in Symbolo non essent inserta. Videsis acta hujusmodi apud Baronium. Concludebat itaque Leo curandum, ne Symbolum cum additamento cantaretur; exemplum ab regis palatio procedere debere omittendo additionem *Filioque*, ubi usus intermissus in eo foret, cæteras Ecclesias faciliùs exemplum regium secuturas. Interim Leo, tenacissimus veterum rituum, duo veluti ancilia seu scuta argentea erexit, in quorum altero Latinè, altero Græcè, Symbolum sine additamento inscripsit. Anastasius in Leone III, num. 410 : « Hic (Leo) pro amore « et cautelâ orthodoxæ Fidei fecit ubi supra (id est, « in Basilicâ B. Petri Apostoli) scuta argentea duo « scripta utraque Symbolo, unum quidem litteris « Græcis, et alium Latinis sedentia dextrâ lævâque « super ingressum corporis, pensan inibi libras no- « naginta quatuor et uncias sex. » In Basilicâ verò B. Pauli aliud erexit, de quo idem Bibliothecarius n. 411 : « Fecit et supra in ingressu corporis scutum ex ar- « gento purissimo, in quo orthodoxæ Fidei Symbo- « lum scribi fecit, *quod pensan libras triginta et duas.* » Hæc Anastasius de Leone.

XI. Verùm quod in venerationem antiquioris Ecclesiæ praxis fecerat Leo, id ipsum eodem seculo Photius schismaticorum antesignanus in sui erroris probationem proferebat. Res sic se habuit : Ante an. 883, cum Photio Constantinopolitano patriarcha Aquileiensis per litteras communicavit, quem sine nomine profert historiam narrans sub hoc anno Baronius. Verosimile autem est Walpertum fuisse, qui saltem usque ad annum 884 sedem tenuit, succedente sibi Friderico. Verosimilius videtur Palladio juniori histor. Forojul. part. 1, lib. 3, fuisse Gradensem dictum quandoque Aquileiensem, quia Gradenses patriarchæ majorem faciliorem que communionem et consuetudinem cum Græcis habebant, quàm Aquileienses, olim Longobardis tunc imperio Occidentali devoti. Sic proni sumus de sinu sordes excutere et in socium vicinumque versare. Si quid hìc occurreret, quod decus nostris afferret, vereor ut Palladius meus partem fecisset Gradensibus. In istis nullum invenio, qui his temporibus non laudabili vitâ probitateque floruerit : ut ex Ughello in Gradensib. ab anno 854 usque ad annum 897 nullus apparet, qui communionem Romanæ Sedis non habuerit, ut ex obtentu pallii, vel convocatione ad concilia liquidò constat. Walpertum autem ex nostris hujus erroris damnare grave durumque videtur, quia communionem cum Romano pontifice habuisse evincitur ex Epistolâ Joannis papæ VIII, in ordine 48, indict. X, quæ recidit in annum 877, ut ex præcedentibus et sequentibus epistolis apparet, di recta Joanni Ravennati, Ansberto Mediolanensi, et Valperto (pro Walperto) Aquileiensi archiepiscopis, quam videre est in concilior. tom. 11, edit. Ven. 1730. Lupus Valpertum præcessit, et Lupum Hindelmarius, qui anno 857 sedem tenebat, ut patet ex Ludovici II diplomate, quod V. Cl. Apostolo Zeno suggerente

profert additor Ughellianus dat. indict. V, in hunc annum 857 incidente anno imperii Ludovici X, quæ tamen inter se non conveniunt. Annus enim 858 signatur indict. V, sed est Ludovici annus secundus. Annus autem decimus Ludovici est annus 866 notatus indict. XIV; fortè in notâ indictionis omittuntur duo primi caracteres X et I. Hindelmario sedem protraxit ad annum vigesimum primum; adeòque decessio ejus cadet in annum 877, qui est annus quo Valpertus accipit à Joanne papâ litteras; et inter Hindelmarium et Valpertum Lupum collocant; cujus Cathedræ tempus, si hæc omnia admittantur, invenire non datur. Si refugis credere Epistolam ad Photium esse vel Hindelmarii, quia nimis tempore procedit, vel Valperti, quia communicaverat cum Romanâ Ecclesiâ, vel Friderici, quia tempore posteriori adeòque quemquam istorum schismaticum fuisse, ut ait Baronius, vide num Lupus, qui non magni temporis et nominis episcopus fuit, ferre possit hanc notam : et sicut nomine, ita et re in ovili Christi lupus exstiterit. Quisquis igitur is fuerit, scripsit Photio Constantinopolitano patriarchæ : *Schismaticus schismatico, et perfidus perfido*, ait Baronius. Scripsit autem, ut, cùm inter Latinos solus hujus sententiæ videretur, imploraret à Græcis. Non defuit oratis Photius, prolixamque Epistolam, callidam tamen æquè ac eloquentem remisit, et quâ laudando mittentem et missum allatorem, quâ exaltando propriam et deprimendo oppositam sententiam, quâ Patres traducendo in obliquum, synodos malè interpretando, in summâ ferè semper mentiendo conatur funditùs evellere orthodoxam doctrinam, et patriarcham Aquileiensem, in errore confirmare. Accipe pauca verba. Sic autem habet titulus : « Photii patriarchæ Constantinopolitani ad archiepiscopum « Aquileiæ, videlicet Venetiarum, de his qui blasphemo ore Spiritum sanctum à Filio etiam procedere affirmant. Beatitudinis tuæ litteræ nobis allatæ « significabant primò mentem tuam, quòd sit secundùm Deum, Spiritûs etiam dilectionem, quòd magna sit et excelsa, et vulgarium hominum conditionem superet. Admirati deinde sumus illum qui « nobis eas attulit... Pervenit ad nostras aures quòd « nonnulli occidentalium divinum et sanctissimum « Spiritum non solùm ex Deo Patre, verùm etiam à « Filio procedere novo dogmate introducunt. Quod « nullo pacto est ferendum. » Postquàm verò pro se stare buccis crepantibus effutierat sedes patriarchales, Leonem etiam magnum, qui damnando Eutychen et Nestorium, Spiritum sanctum à Patre procedere dixit, non autem à Filio, pro se stare malitiosè inferebat addendo : « Similiter et junior Leo, qui « non solùm nomen, verùm etiam fidem illius est « æmulatus... ut nullo pacto barbarâ linguâ corrumperetur immaculata nostræ fidei doctrina; Græca « lingua Occidentalibus sanctam Trinitatem glorificandam et celebrandam tradidit. Et non solùm « sermone et mandato id faciendum curavit, verùm « etiam quibusdam ancilibus, quasi clypeis constructis et columnis erectis illam inscripsit, et in conspectu omnium statuens ad Ecclesiæ valvas collocavit. » Sic quod tunc prudens Leo III fecerat, in causæ suæ patrocinium traducit.

XII. Epocham additionis *Filioque* quæ processu temporis Symbolo inserta ab Ecclesiâ Romanâ recepta tandem fuit, statuere arduum est, nec adhuc in comperto, quis primus fuerit auctor. Manuel Calecas lib. 4 contra Græcos Damasum ait aliquos fecisse auctorem. Aiunt quoniam post primam synodum hæresis quædam quæ Filio Patris nomen applicaret; Græcè υἱοπα τρία dicta pullulavit, dicens Filium Patrem esse Spiritûs sancti : ipsum verò Spiritum nepotem Patris. « Quapropter Damasus, qui tunc erat « Romanus episcopus, coacto concilio, Symbolo ad« jecit : Ex Filio profectò genitus esse non potest. » Verùm Alexio Aristeno, Damasum pariter facienti auctorem additionis, respondet Natalis Alexander, Hist. Eccl. sec. IV, dissert. 37, art. 3, videlicet, quòd Theodoretus, qui synodicam Damasi refert, hujus rei non meminerit, quod profectò non omisisset, si Damasus additionem primus recepisset. Quòd autem in Symbolo, quod Damasi nomine inter Hieronymi opera circumfertur, hæc verba *Filioque* legantur, flocci est faciendum, doctioribus cunctis convenientibus Symbolum illud Damasi non esse. Qui enim fieri potuit, ut si Damasus statuisset addendum Symbolo *Filioque*, aliquot post seculis Leo III additionem ab Hispanis Francisque factam adeò durè improbaret, et mordicus Symbolum sine illâ additione tueretur? Bellarminus Controv. tom. 1, lib. 2, cap. 21 et 29, de Christo, tempus additionis refundit in VI seculum : sic enim ait : *Non ignorabant* (Græci) *additionem factam, et tamen per annos circiter CCC siluerunt, nec schisma fecerunt, ut patet, quia additio facta est circa annum* DC; et præmiserat : « Nam Hormisda in epistolâ ad Justinium Imperatorem disertè scripsit *ex Patre Filioque Spiritum procedere.* » At contra hoc Bellarmini assertum militat eadem responsio, videlicet quòd Leo III non ægrè tulisset additionem, si à quopiam è suis antecessoribus statuta fuisset. Hormisda autem eâ in epistolâ, quæ est 79 tom. 5 concil. edit. Ven., non loquitur præcisè de Symbolo, sed de mysterio Trinitatis, et verba faciens de Spiritu sancto subdit : *Notum est quia proprium Spiritûs sancti ut de Patre et Filio procederet sub unâ substantiâ Deitatis.* Non enim quia invenitur passim in Patribus hæc veritas inculcata, inferri potest admissam etiam in Symbolo additionem.

XIII. Si licet hâc in re conjectari, probabile quidem admodùm fit, non statuto alicujus generalis concilii, vel Romani pontificis, circa tempora Nicolai I, cùm particulares Ecclesiæ jamdiù recepissent additionem, quia novum et petulantius schisma Græcorum id exigebat, invectam fuisse etiam in Romanæ Ecclesiæ Symbolum eam additionem et receptione magis quàm decreto aliquo comprobatam : vel, si mavis, concilium aliquod minus, puta Forojuliense, quod primum in Italiâ anno 796 ad quod se non vocatos fuisse dolebant Græci, adeòque plenarium non erat, particulam *Filioque* addidit. Ac-

probante autem usu ipso novitatem, et pontifice ratam habente, creditum fuit fortè ab aliquibus, sed perperàm, à pontifice, et synodo generali decreto aliquo confirmatam. Sic enim tenere videtur divus Thomas 1 p., q. 36, art. 2, ad 2 : « Insurgente, ait, errore quorumdam, « in quodam concilio in Occidentalibus partibus con- « gregato, expressum fuit auctoritate Romani pontifi- « cis, cujus auctoritate etiam antiqua concilia congre- « gabantur et confirmabantur. » His verbis in *quodam concilio*, generale concilium non videtur indicatum. Concilium enim generale non adeò levis momenti est, ut sub nomine *cujusdam concilii* soleat indicari. Quod addit Angelicus « expressum auctoritate Romani pontificis, » nihil aliud innuit nisi auctoritatem Romani pontificis accessisse ad roborandum id quod à concilio factum fuerat. Adducendo enim divus Thomas in exemplum vetera concilia confirmata à pontifice, indicat, non præcisè de suo mandato insertam particulam *Filioque*, sed à Patribus insertam, confirmando concilium ratam habitam à pontifice. Hanc conjecturam confirmat querela ipsa Græcorum, cujus meminit tractatus ille Constantinopolitanus scriptus à fratribus Prædicatoribus in ipsâ Constantinopoli anno 1252, quem inter observationes et notas in libros Calecæ ex variis monumentis Græcis collectas profert Petrus Stevartius ad calcem operum ejusdem Manuelis Calecæ. In eo enim sic legitur : *Secunda causa divisionis (Græcorum à Latinis) fuit, quia non fuerunt vocati ad concilium Ultramontanum, quando illa dictio* Filioque *fuit apposita.* Non ergo concilium generale erat. Fortè autem Ultramontanum hoc concilium fuit Aquisgranense anni 809, uti dictum est.

XIV. Dionysius Petavius Theol. dogm. tom. 2 de Trinit. lib. 7, cap. 2, num. 4, ex Encyclicâ Photii mox citandâ, vel Nicolao I, vel circa ejus tempora, syllabas illas *Filioque* additas autumat Symbolo. Idem quoque opinari videtur Natalis Alexander Hist. Eccles. sec. IV, dissert. 37, art. 3; et quidem si de tempore agitur, res ejus temporis id suadent, et ipsa verba Photii subindicant, quæ mox proferentur. Ipsum autem Nicolaum I fuisse additionis in Romanâ Ecclesiâ auctorem, Baronius noster satis probabiliter negat ad annum 883, n. 35. « Si id fuisset, ait Photius, altiùs in ipsum Nicolaum « pontificem declamâsset, qui eam in Symbolum intu- « lisset; sed cùm duabus epistolis acerbissimè in Ro- « manam Ecclesiam invehatur, nunquàm cum eo no- « mine sugillat, quòd ea in Nicænum Symbolum in- « tulisset. » Inter verba autem Photii, quæ habet in Encyclicâ epistolâ ad Alexandrinam et cæteras patriarchales Orientis sedes directâ calumnias imposturasque enormes continente, citata à Petavio et Natali Alexandro, hæc ad nostrum propositum facientia sunt : *O mali dæmonis machinamenta! Spiritum sanctum non ex Patre solum, sed etiam à Filio procedere vanissimè prædicantes.* Baronius integram epistolam profert ad annum 863, n. 34, ex versione Fedrici Metii, qui, « collatis codicibus Vallicellano et collegii Græcorum, summâ diligentiâ in Latinum vertit, et in his perquirendis plurimùm laboravit. » Sunt Baronii verba. Vertit autem ipse sic : *O mali dæmonis artes! Spiritum sanctum non ex Patre solum, sed etiam à Filio procedere noviter docentes.* Duo autem verba difficultatem enodant, si versionem Metianam admittis. Si enim Photius insurgit in errores, ut impostor dicebat, Latinorum noviter ab ipsis introductos, loquendo de additione *Filioque* Symbolo factâ, manifestissimum fit sub his temporibus additum verbum fuisse. Græca autem sic se habent apud Petavium, l. c. : Ὦ τῆς τοῦ πονηροῦ, μηχανημάτων τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνον, ἀλλάγε καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐπορεύεσθαι κενολογήσαντες. Quidem κενολογήσαντες per ε scriptum *vaniloquens* importat, si verò diphthongo αι scribatur videlicet καινολογήσαντες, *nova loquentes* interpretandum est. *Vanum* enim κενόν : καινόν autem *novum* significat. Quid scripserit Photius incertum. Affinitas dictionis facilè inducere potuit amanuenses, ut unum pro alio acciperent. Verosimilius autem videtur secundum positum et *nova loquentes* interpretandum, quia novitatem doctrinarum et rituum Photius Latinis objiciebat. Quidquid tamen sit circa scriptionem verbi, Photius novitatem additionis accusare volebat, ex cujus accusatione colligitur Romanam Ecclesiam circa hoc tempus adjecisse Symbolo verbum *Filioque.*

XV. Sed quandonam Symbolum in Synaxi cantari cœpit? Caranza, in Sum. concil. ad calcem canon. concilii I Carthag. Marcum papam Sylvestri successorem rei profert auctorem : quod Durandus lib. 4, cap. 25, confirmat, cùm priùs dicat *à Damaso institutum cantari patenter;* subdat etiam : *Quanquàm et Marcus papa primus statuisset illud altâ voce cantare.* Hujus mentis inter recentiores est Dominicus Macer in Hierolexico V, Symbolum. Verùm nullo modo, meo judicio, probabile fit Romanos pontifices auctores fuisse ritûs, quem ipsi in suâ Ecclesiâ non admittebant, et serò tandem consuetudinem receptione alibi jam usurpatam receperunt et approbârunt. In liturgiis Orientalium Ecclesiarum à priscis temporibus Symbolum invenitur. In libris Dionysii Areopagitæ nomine circumferri solitis, et præcisè Ecclesiast. Hierarch. cap. 3, part. 2, nomine laudis et confessionis, quæ præcedunt impositionem panis sancti et calicis benedictionis in altari juxta Scholiastem Staplutensem Symbolum Fidei intelligitur; quod si verum est, de Symbolo Apostolico est intelligendum quòd cætera omnia antiquitate præcedit. In liturgiâ S. Basilii Magni in litaniâ III, hæc rubrica apponitur : « Diac. : Intendamus et canamus Symbolum. Et cantant omnes Symbolum, incipiente Archidiacono. » Symbolum Basilii, si non est Apostolicum, non aliud esse potest quàm simplex Nicænum. Etenim Constantinopolitanum nonnisi ex concilio Constantinopolitano an 381, prodiit. Basilius autem fato functus est an. 374, kal. januar. Aliud tamen dicendum est de Symbolo, quod in liturgiâ S. Joan. Chrysost. nomine vulgatâ habetur. Nam cùm Chrysostomus sedem Constantinopolitanam adierit, an. 398, i. e., post actum concilium Constantinopolitanum, nuper ab ipso emanârat. Quod etiam manifestius fit ex collatione Symbolorum; nam factorem cœli et terræ in-

venies in Symbolo Chrysostomi, quæ verba addita à Constantinopolitano, desunt in Nicæno. Quòd si contendis Symbolum in hisce liturgiis posterioribus auctorum suorum seculis additum fuisse, adhuc Orientales nostras præcessisse hâc in re Ecclesias evincitur. Etenim Theodorus lector Collectaneor. lib. 2, et quem ipse sequitur, Nicephorus Callistus, Histor. Eccles. lib. 16, cap. 35, aiunt auctorem Symboli in synaxi cantandi Timotheum fuisse. « Timotheus ab « amicis rogatus, sunt verba lectoris, Symbolum fidei « trecentorum decem et octo patrum per singulas « synaxes dici curavit ad reprehensionem videlicet « Macedonii, quasi ille Symbolum hoc non receperit, « cùm antea semel tantùm in anno in parasceve scili- « cet Dominicæ Passionis tempore quo episcopus cate- « chizabat, recitatum esset. » Timotheus hic decessit anno 511. Alii tamen apud laudatum Nicephorum lib. 15, cap. 28, inter inventa Petri Cnaphei hùc quoque reponunt : « Ut Symbolum sanctum, quod semel « tantùm antea magno et sancto Parasceves die dici « solitum fuerat, in Synaxi et conventu Ecclesiæ quo- « vis decantaretur. » Cardinalis Bona Rerum liturg. lib. 2, c. 8, n. 2, conciliare conatur has opiniones sic. Sed hic (Capheus, qui tempore Zenonis floruit, i. e., sub finem seculi IV et ante Timotheum è vivis excessit) fortassis in Antiochenam, ille (Timotheus) in Constantinopolitanam Ecclesiam hunc morem induxerunt, quem postea Hispani primi inter Latinos receperunt.

XVI. Ritûs hujus in Occidente propagationem pluribus exponit P. Le Brun, tom. 2, dissert. 5 de Liturg. Hisp., seu Mozarab. art. 1, altioremque scaturiginem indigatur, quam hìc sit operæ pretium prodendo immorari. Sufficiat nôsse in concilio Toletano 3 sub Pelagio II Pontifice jussu Reccaredi regis congregato, 8 id. maii, ærâ Hispan. 1617, sibi proposuisse Patres concilii Ecclesias Orientales hâc in re imitandas. Capitulum autem secundum est hujusmodi : « Pro reverentiâ « sanctissimæ fidei, et propter corroborandas homi- « num invalidas mentes consultu piissimi et glorio- « sissimi Domini nostri Reccaredi regis sancta consti- « tuit Synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ vel « Galliæ secundùm formam Orientalium Ecclesiarum « concilii Constantinopolitani, hoc est centum quin- « quaginta episcoporum Symbolum fidei recitetur, ut « prius quàm Dominica dicatur oratio, voce clarâ à « populo decantetur. » P. Le Brun, non *à populo*, sed *populo decantetur* habet. Quam quidem puriorem genuinamque lectionem credimus. Juxta hujus capituli sanctionem in Liturgiâ Mozarabicâ cardinalis Ximenes Symbolum apponitur recitandum ante communionem. Sic ibi præcipitur : *Elevet Sacerdos Corpus Christi, ut videatur à populo, et dicat chorus Symbolum, bini, ac bini, videlicet.* Credimus in unum Deum, etc. *Post hæc frangit Sacerdos presbyter Eucharistiam.* Idem habetur in Liturgiâ à sancto Leandro in usu habitâ, nisi quòd in hâc non postea, sed dum cantatur Symbolum *Sacerdos frangit Eucharistiam per medium.*

XVII. Sicuti autem ab Hispanis ad Gallos, deinde ad Germanos, et ad nostrates Carnos, seu Forojulienses, Germanis finitimos, Symbolum cum additione *Filioque* pertransiit : ita ritus cantandi Symboli ad missam ab Hispaniâ in hasce provincias commigravit. Tempus, quo hoc fieri cœpit, assignare difficile est. Valafridus Strabo, qui paulò post Carolum M. floruit de Reb. Eccles. cap. 22, ait : *Apud Gallos et Germanos post dejectionem Felicis hæretici, sub gloriosissimo Carolo Francorum rectore damnati, idem Symbolum latius et crebrius* postea factum dicitur, patet antea quidem factum, quamvis restrictius et rarius. Hoc tamen Galli incoæsulto Romano pontifice, non fecerunt ut apparet ex Dialogo missorum Caroli M. ex concilio Aquisgranensi anno 809, cum Leone 3, quem affert Baronius eodem num. 54 et seqq., qui n. 60, sic ait dixisse missos Caroli ad Leonem : *Numquid non à te ipsum Symbolum non est data in Ecclesiâ cantandi licentia? Numquid à nobis hùc usus ille cantandi processit?... Papa : Ego licentiam dedi cantandi ; non autem cantando quippiam addendi*, etc. Franci igitur non ipsi primi ritum invexerunt, sed aliundè, puta ex Hispaniis, acceperunt, et non nisi facultate à Romano pontifice impetrata usurpârunt, quam cùm Leo fateatur se dedisse, ante annum 795, quo dictus est pontifex, dare non potuit, adeòque post concilium Francofurtanum anni 794, in quo hæresis Feliciana proscripta fuit. Quæ proscriptio cùm in causâ fuerit Symbolum frequentiùs cantandi, ut cum Strabone dictum modò est, videtur inferendum sub initium pontificatûs Leonis Symbolum crebriùs cœpisse in missis cantari. Quamvis autem Leo anno 809, cum legatis Caroli omnibus nervis ageret, ut ritus tolleretur ab Ecclesiâ Gallicanâ eò quòd ipse nimiùm abhorreret à novitate additionis *Filioque*, et suaderet ut in regiâ capellâ ab hoc ritu abstinerent, ut cæteræ Ecclesiæ tantociùs dedisserent, quod ab exemplo regiæ capellæ fortè didicissent, inanis tamen cessit conatus. Nam eodem seculo ritus ubique propagatus ab omnibus Ecclesiis Gallicanis est receptus, ita ut episcop. statuta conficerent ad ritûs hujus observationem. Hujusmodi est illud Herardi episcopi Turonensis latum num. 16, in capitulis anni 858, Indict. 6, anno episcopatûs ejus 3, 17 kalend. Junii, in Synodo traditis, quod sic est : *De Oratione Dominicâ et Symbolo, ut memoriter omnes teneant : et* Gloria Patri, *ac* Sanctus, *atque* Credulitas, *et* Kyrie eleison, *à cunctis reverenter cantatur. Psalmi similiter distinctè à clericis. Et ut secreta Presbyteri non inchoent antequàm Sanctus finiatur, et cum populo Sanctus cantent.* Si excipias prima verba, cætera ad missam indubiè videntur pertinere. Symbolum quod appellat, quia memoriæ præcipit mandandum, apostolorum est. *Credulitatem* verò, ipsum Nicænum, seu Constantinopolitanum in missâ, de quâ ibi sermo, cantandum intelligit. *Credulitatem* autem ipsum Symbolum esse colligitur etiam ex epistolâ generali Caroli M. ad archiepiscopos regni Francorum tom. 1 capitul., pag. 485, ab illo Apostolorum distinctum, nempe Nicænum. Ait enim se velle scire quomodò sacerdotes doceant plebem *de Symbolo quæ sit ejus interpretatio secundum*

Latinos. De Credulitate *quomodò credendum sit in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus, et in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, et cætera quæ sequuntur in eodem Symbolo.* Duo habet Symbola : priùs est Apostolorum, aliud, quod *Credulitatem* appellat, est ipsum Nicænum, sive Constantinopolitanum.

XVIII. Tandem Romana Ecclesia ritum cantandi Symbolum in missâ amplexata est ann. 1014, sub Benedicto VIII, instante sanctissimo imperatore Henrico. Rem narrat ipse, qui gestis interfuit, Berno abbas Augiæ majoris sive Divitis. Is in libello de quibusdam ad missam spectantibus cap. 2, loquens de hymno angelico *Gloria in excelsis*, qui à quibusdam non canebatur, quia Romani tunc perrarò cantarent, subdit: « Nam si illum angelicum hymnum prohibemur in « festivis diebus canere, eò quòd Romanorum presbyteri non solent eum canere, possumus simili modo « post Evangelium Symbolum reticere, quod Romani « usque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati cur ita agerent, me coram assistente audivi eos hujusmodi responsum reddere, videlicet « quòd Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla « hæreseos fæce infecta, etc. At Dominus imperator « non ante desiit quàm omnium consensu in Domino « Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam missam illud decantarent. Sed utrùm hanc consuetudinem servent adhuc affirmare non possumus quia « certum non tenemus. » Hæc scribebat Berno post annum 1024, quo decessit Sanctus Henricus, et ante annum 1048, quo ipse fato functus est, quæ tamen antea acciderunt, nempe anno 1014, quo Romæ degebat imperator, coronam imperii suscepturus à Pontifice. Ab hoc igitur anno cœpit cantari in ritu Romano Symbolum, quod antea non fiebat, adeoque hujus non meminerunt Alcuinus, Amalarius, Rabanus, Remigius, et quotquot ante hoc tempus de Ordine missæ Romanæ scripserunt, nec apparet in veteribus sacramentorum codicibus vestigium si credis eminentissimo cardinali Joanni Bonæ qui hoc advertit Rer. Liturg. lib. 11, cap. 8, num. 11.

XIX. Verùm jam contrahamus vela, sermonemque ad Aquileiense Symbolum convertamus:

Atque equidem extremo jamjam sub fine laboris
Vela traho, et terris festino advertere proram.

Symbolum hoc non aliud est ab Apostolico si paucula verba demus vel variata, vel addicta, vel omissa. Accipe illud purum putum à presbytero ipsius Aquileiensi Ecclesiæ Ruffino, et confer cum vulgari, videbisque quanta additio, vel detractatio, vel mutatio sit inserta. Est igitur hujusmodi :

« Credo in Deo Patre omnipotente invisibili et impassibili ; et in Christo Jesu unico Filio ejus Domino nostro ; qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine : Crucifixus sub Pontio Pilato, et sepultus descendit ad inferna : Tertiâ die resurrexit à « mortuis : Ascendit in cœlos : sedet ad dexteram Patris : Inde venturus est judicare vivos et mortuos: « et in Spiritu sancto. Sanctam Ecclesiam : remissionem peccatorum : hujus carnis resurrectionem. »

Hoc est Symbolum Aquileiense apud Ruffinum, prout edidit post opera Cypriani Stephanus Baluzius, sive absolutor operis à Baluzio cœpti monachus quidam Benedictinus è congreg. S. Mauri. Du Pin in recensione Symboli Aquileiensis in aliquibus ab hoc variat et credit errore amanuensium dictum *Credo in Deo, etc.* Et reponit *in Deum*, etc. Adnotator Ruffini tribus MSS. codicibus suam lectionem tuetur. Et exemplo aliorum Symbolorum apud Hieronymum et Augustinum Pamelio reponenti in Deum sic respondet: « *Pamelii* rationes probant illud quidem in plerisque « Symbolis dici solere, *Credo in Deum*; at minimè « probant sic etiam exstitisse in Symbolo Ecclesiæ « Aquileiensis. Quin etiam quo usitatior erat accusati« vus in Symbolis, eò minùs probabile est librarios « vel incuriâ vel de industriâ ablativum in hoc Sym« bolo posuisse. At minimè mirum si cùm reperirent « ablativum, novitate offensi accusativum inseruerint. « Quamobrem codices, in quibus legitur : *Credo in Deo,* « etc., *et in Christo, et in Spiritu sancto*, videntur mihi « accuratiùs consuetudinem Ecclesiæ Aquileiensis *reti« nere*, quàm qui accusativum usurpant. Hæc autem « Symboli pronuntiandi ratio non videtur ab hâc Eccle« siâ adscita sine consilio fuisse ; sed ut trium personarum divinarum clarior esset distinctio ab articulis « sequentibus, *Sanctam Ecclesiam, etc.* » Et quidem apud Ruffinum nostrum non reperitur *Credo* ad *Sanctam Ecclesiam*, ut reperitur apud Du Pin : et hinc collige rationem ablativi positi in personis Trinitatis, in quibus credimus ad discrimen accusativi, quo effertur fides, quâ credimus esse Ecclesiam, ut innuit Ruffinus, l. c., num. 36, et Venantius Fortunatus initio lib. 11.

XX. Tria notata adduntur hoc Symbolo, in primo scilicet, in quarto, et in ultimo articulo. In primo sic habetur. *Credo in Deo Patre omnipotente invisibili et impassibili.* Hoc omittitur apud Du Pin, et tamen Ruffinus rationem additionis profert in exposit. Symb. Apostol. § 4 et 5, his verbis : « Sciendum quòd duo « isti sermones in Ecclesiæ romanæ Symbolo non habentur : constat autem apud nos additas hæreseos « causâ Sabellii illius profectò, quæ à nostris Patropassiana appellatur, id est quæ per Patrem ipsum « vel ex Virgine natum dicit, et visibilem factum, vel « passum affirmet in carne. Ut ergo excluderetur talis « impietas de Patre, videntur hæc addidisse majores et invisibilem Patrem atque impassibilem dixisse. » Cùm tamen additionem hanc in Symbolo Orientalium reperies, ob eamdem rationem credito insertam.

XXI. *Descendit ad inferna*, articulus videtur peculiaris Symboli Aquileiensis, quippe qui in aliis Symbolis nullibi inveniatur, præterquàm in vulgari, *descendit ad inferos. Sciendum est*, ait Ruffinus § 18, *quòd in Ecclesiæ romanæ Symbolo non habetur additum*, Descendit ad inferna, *sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo* : *vis tamen* verbi eadem videtur esse

in eo *quòd sepultus dicitur* : hinc quia deest in cæteris, à plerisque expositoribus Symboli expositio ejus omittitur. Qui autem exponere susceperant, Richardus eremita et Bruno Herbipolensis episcopus, non à vulgari *descendit ad inferos*, sed ab Aquileiensi *descendit ad inferna*, verba exponenda hauserunt. Venantius Fortunatus, l. c., qui Symbolum Aquileiense, scriptor natali et origine conterminus, optimè noverat, habet : *Descendit ad infernum*, quod sic exponit : « Descendens ad infernum injuriam non pertulit, « quod fecit causâ clementiæ, velut ut rex intrans « carcerem, non ut ipse teneretur, sed ut noxii solve- « rentur. » Cur desit in cæteris in causâ est, si credis Macris in Hierolex. 5 *Symbolum*, quod nulli dubium de veritate adhuc enatum est, nec hæreticus ullus dogma hoc impetivit. Equidem Bellarminus tom. 1, lib. 4, cap. 6, de Christi animâ fatetur, quòd *hæc particula*, Descendit ad inferos, *hoc tempore habetur ubique. Et ita etiam legitur Catechismus Lutheri major et minor, item Calvini, Brentii, et aliorum. Ita quoque legunt Centuriatores. Cent.* 1, *lib.* 2, *cap.* 4, *et Petrus Martyr in libello de Symbolo, imò Calvinus lib.* 2 *Instit., cap.* 16, § 8, *dicit* hunc articulum in præcipuis habendum esse. Sed in hoc suspectum habeas Calvinum, nam loco proverbii est senarius ille :

Λόγον γὰρ ἐχθροῦ μὴ ποτ' ἡγήσῃ φίλον,
Verba inimici nunquàm amica putes.

Calvinus magnificat articulum descensionis Christi ad inferos, ut adstruat illud nefarium et impium dogma suum de cruciatibus Christi in inferno, et pœnis damnatorum. Quamvis autem articulus hic oppugnatores hæreticos haud habeat, oppositore tamen, verò ne an apparente, non cernit, teste Petavio de Incarnat. lib. 13, cap. 15. Erasmum intellige, qui de hoc articulo disserens, ait Petavius, *nuper sententiam tulit parùm æquam catholicæ professioni, et in eam propensum se esse monstravit.* Postquàm autem cap. 16 et 17, innumera ferè dixerim, Patrum tum Græcorum tum Latinorum protulisset testimonia adstruentia hujus articuli veritatem, insurgit et perstringit cap. 18 Erasmum, qui etsi dogma non impugnet apertè, minùs reverenter tamen loquitur quàm de articulo Fidei par est sentire. Placet Petavii aliqua selecta proferre, à quo condignè vapulat Erasmus. « Nec audiendus « Erasmus, qui in Catechismo, cap. 4, ad illud Sym- « boli descendit ad inferna, eò rem deducit, ut etsi « non improbandam penitùs particulam istam putet, « nec temerè damnandam propter auctoritatem Eccle- « siæ, non tamen adeò certè constare velit, quam « etiam ad Symbolum adjunctam fuisse suspicatur. « Et ad hunc locum multa congerit absurda sanè, et « non levi castigatione digna. Horum primum est « quòd Cyprianum ait dicere illum articulum in Sym- « bolo Romano non haberi, ac ne apud Orientis qui- « dem Ecclesias addi. Quem Cyprianum ita nominat, « Cyprianus non est, sed Ruffinus, quod hodiè nemo « paululùm eruditus ignorat. Atque hic lapsus in alio « dissimulari poterat quem existimare possemus cur- « sim tantummodò peragrantem opusculum illud inter « Cypriani opera ex ec decerpsisse periodum istam, « nec cætera legisse. At in Erasmo locum non habet « hæc excusatio, qui Cyprianum edidit accuratèque « recognovit. Quis igitur ἀπροσεξίαν, et incogitantiam « hominis, ne quid dicam asperiùs, non miretur, qui « animadverterit, quàm in illo tractatu multa sint, quæ « non prorsùs hebetem admonere possent non eum « Cypriani esse, sed alterius ætate longè posterio- « ris?..... Item Aquileiensem Ecclesiam nominat, in « quâ baptismo se initiatum asserit. Hæc sanè quem- « libet stupidum hominem docere poterant illud opus « esse Cypriani. » Pergit Petavius vitilitigatoris nænias refutare, quem videsis; neque enim vacat omnia recensere.

XXII. Extremus Symboli Aquileiensis articulus sic habet, *hujus carnis resurrectionem*, qui cùm diceretur, signo crucis manu frontem tangendo, ut moris fuit et est apud pios, caro contingebatur, in quâ et non in aliâ carne quisque se profitebatur surrecturum. Ruffinus postquàm varia ex Scripturis testimonia ad carnis resurrectionis veritatem firmandam et præcipuè ex libro Job collegit n. 45, sic pergit : Quod adjunctum est hujus vide quàm consonum sit omnibus his quæ de exemplis divinorum voluminum memorabamus. Quid enim aliud indicatur in dictis Job, quæ superiùs exposuimus, cùm dicit : *Qui resuscitabit pellem meam, quæ hæc nunc haurit*, id est, quæ ista tormenta perpetitur, nonne apertè hujus carnis dicit resurrectionem futuram, *hujus*, inquam, quæ tribulationum et tentationum cruciamenta nunc sustinet. Simile habet lib. 1. Invectivar., non longè à principio, ubi postquàm dixerat regeneratum, signaculum Fidei consecutum per sanctos viros Chromatium tunc presbyterum, Jovinum archidiaconum, et Eusebium diaconum Sancti Volerrani, subdit : « Ad majorem rei fidem.... « præcipuum Ecclesiæ nostræ mysterium pando... « sancta Aquileiensis Ecclesia, Dei Spiritu futuras ad- « versùm nos calumnias providente ubi tradit carnis « resurrectionem, addit unius pronominis syllabam, et « pro eo quòd cæteri dicunt, *carnis resurrectionem* « nos dicimus : *Hujus carnis resurrectionem*, quo scili- « cet frontem, ut mos est in fine Symboli signaculo « contingentes, et ore carnis hujus videlicet quam « contingimus, resurrectionem fatentes, omnem vene- « natæ adversùs nos linguæ calumniandi aditum per « struamus. » Occurrebat Ruffinus qui pro Origene sexuum differentiam in resuscitandis amovente, stabat, objectioni, quæ sibi poterat inferri. Sed casso labore Nam sanctus Hieronymus Apologiâ 2 adversùs Ruffinum artem detexit : « Non quæro, ait, quod scribis « eamdem carnem resurgere, in quâ vivimus, nullo « membro amputato, nec aliquâ parte corporis dese- « ctâ : hæc enim tua verba sunt. Sed quæro quod Ori- « genes negat, utrùm in eodem sexu quo mortua sunt « corpora suscitentur... Hæc aut dicere debueras aut « negare. » Huc facit quod Gregorius lib. 14, cap. 29 Moral., in illud Job, *et rursùm circumdabor pelle meâ*, refert : videlicet Eutichium Constantinopolitanum negantem veram corporum resurrectionem adeò à se

convictum, ut moriens pellem manûs suæ teneret dicens : *Confiteor quia omnes in hâc carne resurgemus.*

XXIII. Hæc sunt addita in Symbolo Aquileiensi. Quæ verò, desunt præcipua sunt *communionem sanctorum*, et *vitam æternam ;* primum etsi non inseratur, intelligitur in verbo Ecclesiæ; adeòque ejus articuli potiùs est expositio quàm singulare Fidei aliquod caput, uti docemur per catechismum Romanum sect. 24. *Vitam* autem *æternam* deest non solùm in Aquileiensi, sed et in Orientali, et in Romano, quod verè Apostolicum est, et non nisi in vulgari reperitur. S. Hieronymus Epist. 61, adversùs errores Joannis Hierosolymitani : « Post confessionem Trinitatis, et unitatem Ecclesiæ, « omne Christiani dogmatis sacramentum carnis re- « surrectione concluditur. » Sed hìc in resurrectione carnis comprehenditur, ut innuit Ruffinus loc. cit., num. 45 : « Erit ergo corpus quod resurget à mortuis, « incorruptibile et immortale non solùm justorum, sed « etiam peccatorum. » Et si corpus, ergo et anima, per quam vitam vivet æternam.

LAZERI VITA.

Lazerus (Petrus), natione Gallus, decimo et septimo seculo floruit. Paucissima de gestis ejus et scriptis afferunt biographiarum scriptores, tantummodòque de ejus cognomine, patriâ, et inter Patres Societatis Jesu cooptatione concordant. Nec plura suppeditant annales societatis hujus celeberrimæ. Mirum certissimè est et deplorandum, talis ingenii scriptorem, tam illustri addictum congregationi, ab historiarum conquisitoribus prætermissum fuisse. Huic nostræ historicorum vituperationi manus libens dabit, quicumque optimum lucu. lentissimumque fragmentum perlegerit, quod ex eo detractum, nostro operi assuimus. Cæterùm, pauca ab eo decerpsimus; pauca de eo dicere licebit.

DE ANTIQUIS FORMULIS FIDEI,

EARUMQUE USU,

Exercitatio.

1. Nihil est, quod, meo quidem judicio, luculentiùs illustrare Ecclesiæ traditionem, atque apertiùs demonstrare possit (cui quidem traditioni exponendæ atque illustrandæ quilibet vero nomine theologus studia sua potissimùm impendere ac consecrare deberet) quàm formularum fidei, quæ in catholicis Ecclesiis obtinuerunt, solers et accurata inquisitio, ac docta prudensque explicatio. Nam Patrum uniuscujuslibet scripta, privatum hominis unius sensum significare plerumque possunt; hæ verò formulæ universi populi illius cum pastore atque episcopo suo Fidem. Itaque mirum mihi quandoque accidit cogitanti, quantoperè in Patrum operibus eruendis, recognoscendis, illustrandis, recentiorum præsertim eruditorum hominum laboraverit industria (et sanè meritò, non enim eos reprehendo, sed laudo, et commendatione omnium atque præconiis dignos judico), cùm formulas has neglexisse penitùs videantur. Non me præterit, Binghamum hominem heterodoxum quasdam illarum antiquissimas collegisse (1); Joannem Garnerium virum doctissimum atque acutissimum Pelagianorum historiæ explicandæ hoc quoque addidisse, ut de libellis fidei scriptis ab auctoribus, et præcipuè defensoribus hæresis Pelagianæ, dissertationem scriberet (1); item Quesnellum (2) de fidei libellis, quæ in canonum Codice illo suo invenerat. Verùm qui diligentiùs formulas antiquas omnes aut illustriores saltem editas conquisierit, collegerit, illustraverit, equidem novi neminem (3). Atqui acuere homines debebat hæreticorum ipsorum exemplum, qui fidei eorum recentiores formulas (quod in eo se præsidium aliquod reperire posse credebant) collegerunt : exstatque opus inscriptum, *Corpus et syntagma Confessionum fidei* (4). Nec Catholicorum modo, sed Garnerii exemplo, Heterodoxorum etiam suas colligere oportebat, quod hoc quoque ad eorum errores cognoscendos, refutandosque juvare plurimùm posse videatur. Speramus tamen, cùm dies semper aliquid afferat novi, novum etiam hoc Ecclesiasticæ traditioni præsidium aliquando non

(1) Origin. Eccles. lib. 10, cap. 4.

(1) Dissertat. 5, pag. 283.

(2) Dissert. 14, ad Oper. S. Leon., tom. 2, pag. 376

(3) Antonius Augustinus Touttée ad Cyrill. Hierosol. in observat. ad Symbol. Hierosol., pag. 80, suam quamdam Symbolorum collectionem memorat, ut nostram Symbolorum collectionem vel leviter inspicienti patet. Sed hanc nunquàm videre potui.

(4) Genevæ 1654.

defuturum. Nos, quibus nunc scheda duntaxat adolescentibus nostris, exercitationis argumentum scribenda est, brevissima capita quædam, quæ ad hujusmodi formularum usum spectant, attingemus.

2. Antea tamen diversa formularum ipsarum genera distinguenda. Nam aliæ, ut diximus, catholicarum Ecclesiarum sunt, quibus Fidem suam adversùs hæreticos, à quibus infestabantur, explicabant, atque aliæ sunt ipsorum hæreticorum, quos quidem formulas has variàsse identidem, nullâ aliâ necessitate, quàm tuendi erroris, vel declinandi argumenta Catholicorum consuevisse, ex historiâ constat, præter Hæreticorum ipsum ingenium, *quorum sermo*, ait S. Hilarius (1), *in orbem semper, et circulum erroris inflexus, nihil tenens et in nullo consistens, indefinitæ sententiæ cursu recursuque jactatur*. Sunt præterea ex ipsis vel catholicis vel hæreticis formulis aliæ quæ omnia fidei capita præcipua explicant; aliæ, quæ unum, vel alterum duntaxat; quod illud nimirùm profiteri maximè ii, quorum causâ formula condita est, deberent aut vellent. Tale est Symbolum quod fidei Elipandianæ dicitur (2), et quod inscribitur (3): Professio fidei Gerberti Remorum archiepiscopi. Diversitates formularum alias negligimus, quòd ad institutum nostrum necessaria non est earum distinctio. Omittendum tamen non est, etsi aliæ aliis longiores sint formulæ, ut formulæ tamen sint, brevitatem aliquam servare debere. Quare Magnus Senonensis archiepiscopus (4), *Est breve Fidei verbum, et olim à prophetâ prædictum, quoniam verbum breviatum faciet Dominus super terram*. Apostolicum Symbolum, formularum omnium fontem, *brevem et perfectam fidei confessionem* vocat S. Leo (5). Brevitatem hanc requirebat rudium puerorumque institutio, cui fidei formulæ pleræque inserviebant : præcipuè cùm scribi à Catechumenis non possent, sed essent mandandæ memoriæ. Atque hinc Augustinus (6) : « Est autem fides « catholica in Symbolo nota fidelibus, memoriæque « mandata, quantùm res passa est brevitate sermonis, ut « incipientibus atque lactentibus paucis verbis credendum constitueretur, quod proficientibus, et ad divinam « doctrinam surgentibus multis verbis exponendo esset « perficiendum. » Postremum hoc opus, quod ad *proficientes* spectabat, tractatus communiori vocabulo dici consuevit; formulæ verò fidei μαθήματα, quòd memoriter discerentur, à Catechumenis, ut Valesius explicat (7), et usitatius etiam Symbola, cujus postremi nominis varias interpretationes PP. (8) afferunt; ego certissimam puto, quæ idem ita explicat, quòd sit tessera quædam et signaculum, ut Maximus Taurinensis etiam interpretatur (9), quo inter fideles perfidosque secernitur. Itaque Ruffinus (1), Hincmarus (2), iisdemque verbis Theodulphus (3), aliique indicium interpretatur, et signum. *Indicium*, ait Hincmarus (4), *quia per id indicatur fidei integritas : signum, quòd eo benè retento et intellecto fideles ab infidelibus secernuntur*. Sed de nominibus non est meum disserere, eaque explicavit Bingamus, nec tamen omnia : quare et hoc postremum, quo indicium et signum dicitur, præteriit.

3. Atque hic primus Symbolorum sive formularum Fidei usus, ut ad pueros et rudes præsertim in fide instituendos informandosque adhiberentur; ut ita facilè possent summa et præcipua capita Christianorum dogmatum cognoscere et memoriâ retinere. Atque hinc nimirùm traditio Symboli; hinc Symboli redditio, hinc etiam Scrutinium, quæ in liturgicis libris toties occurrunt. Nam ad Symbolum, utrùm nimirùm memoriâ illud Catechumeni tenerent, pertinuisse Scrutinium, indicat Magnus Senonensis (5) : « A scrutando dicitur « Scrutinium, quia tunc scrutandi sunt Catechumeni, « si rectam jam noviter fidem Symboli eis traditam « firmiter teneant. » Alii à scrutandâ potiùs eorum voluntate, et in proposito amplectendæ christianæ religionis constantiâ, deducere videntur, ut Leidradus (6) : « Eò quòd, inquit, ibi scrutarentur corda credentium et dubitantium à sacerdotibus, ut intelligerent « quis ad baptismum jam ritè admitteretur, quis ad« hùc differretur; » quam rationem attigit etiam laudato loco Magnus. Ex hâc veluti duplici scrutatione, quòd eorum voluntatem in fide amplectendâ, et quòd scientiam in tenendo Symbolo periclitarentur, factum puto; ut duplex esset modus Symboli enuntiandi; indicativus unus, alter, ut aiunt, interrogativus. Antiquissimum esse hunc modum, interrogando fidem de singulis fidei articulis à Catechumenis exquirere, tradit Menardus (7) ex Dionysio Alexandrino, Cypriano, Optato, etc. Sed alium exclusisse non puto, atque unum alteri junctum, uti nunc etiam fit in ipso baptismatis sacramento; atque olim factum, præter cætera illud indicat, quod in Sacramentario Gregoriano Pameliï legitur (8) : In sabbato sanctæ Paschæ ad reddentes dicit Dominus papa post πιστευεις, quam lectionem, de quâ vir doctus dubitat, Amalarius confirmat (9). Indicativo verò modo Symbolum pronuntiatum, et cùm reddebatur, et in ipso baptismo, ex ritualibus antiquis libris constat. Interrogativus ergo ille eo pertinebat, ut exploraretur voluntas, fidem, et quæ fidei sunt dogmata profitendi : itaque erat professio et testimonium quod ab ipsis reddebatur, ut de eorum voluntate constaret. Atque ita explicari posse credo, quæ de nunc-

(1) In Psalm. 1, num. 3.
(2) Tom. 13 Biblioth. PP. edit. Lugdun., pag. 363
(3) Coll. CC. Hard., tom. 6, part. 1, col. 725.
(4) De Myster. Baptism.
(5) Ep. 27 ad Pulcher.. cap. 4.
(6) Lib. de Symbol. cap. 1.
(7) Ad Socrat. lib. 1, c. 8.
(8) V. Rufin. Expos. Symb. Bedam lib. 2, cap. 2 Comment. ad Proverb. Hincmarum, etc.
(9) Hom. in Symb.

(1) L. all.
(2) Lib. de Baptismo, cap. 1.
(3) De Ordin. Baptism.
(4) Ep. ad Presb. Remens. de Baptism.
(5) De Myster. Baptismat. ap. Marten., tom. 1, vet. edit., pag. 158.
(6) Lib. de Baptism. cap. 1.
(7) In Sacrament. Gregor. not. 321.
(8) Tom. 2, pag. 265.
(9) De Ecclesiast. Offic., lib. 1, cap. 23.

ro scrutiniorum vario in eâdem Ecclesiâ, iisdemque temporibus leguntur ; quòd scilicet prima scrutinia, quibus voluntas præcipuè explorabatur, necdùm Symbolum traditum erat, in scrutiniorum numero non haberentur. Quod fecisse videtur Jo. S. R. E. Diaconus in epistolâ ad Senarium, quam Mabillonius produxit (1). Respondens enim Senario interroganti : quare tertio ante pascha scrutinentur infantes? scribit : « Dehinc quodam profectu, atque provectu ille qui « dudùm exsufflatus diabolicis laqueis pompisque renuntiaverat, Symboli ab Apostolis traditi, jam meretur verba suscipere ; ut qui paulò antè solùm Catechumenus dicebatur, nunc etiam vocetur competens « vel electus. Conceptus enim est in utero matris Ecclesiæ, et vivere jam incipit, etiamsi nondùm sacri « partûs tempus expleverit. Tunc fiunt illa quæ ab « ecclesiasticâ consuetudine scrutinia dictitantur. » Notum est in Romanâ ecclesiâ ante ipsam Symboli traditionem aliquot scrutinia fieri consuevisse ; quæ scrutiniorum numero habere non videtur Joannes ; ideò fortassè positum est in eâ interrogatione *tertiò*. Quanquàm commodiùs fortassè referas ad numerum dierum ante Pascha ; nam ex ordine Romano (2), « quarta feria apud cultores Ecclesiæ in apertione « aurium dicitur. Eâdem die agitur scrutinium tertium, quod maximum est inter septem scrutinia..... « eâdem die percipiunt Orationem Dominicam, et « Symbolum ad reddendum in sabbato sanctæ Paschæ. »

4. Alter est usus Symboli, quo inter sacras preces adhibetur in sacramentis administrandis, decantandis officiis divinis, et sacra liturgia. Verùm hâc de re tam multi ex liturgicis scriptoribus (3), ut neque hæc illorum describere videatur fore operæ pretium, et quod illis addam habeo nihil. Commemorabo illud duntaxat ; Symbolo Apostolorum, et Nicæno, aliud additum, nomine S. Athanasii. *Hæc tria Christianæ Religionis principia* (4) appellat Anselmus Beccensis. Mysticas verò significationes quasdam in modo ea pronuntiandi, Vaurensis Concilii PP. (5) agnoscunt. Sed quod ex usu hoc ecclesiastico, in quo *S. Athanasii Symbolum* appellatur, pro vero ejus auctore asserendo Athanasio, argumentum repetit Bellarminus (6), infirmum omninò est. Nam præterquàm quòd nunc quoque in ecclesiasticis libris nonnulla leguntur adscripto Augustini, Hieronymi, Ambrosii, aliorumque PP. nomine, quæ eorum nequaquàm esse, communi veluti consensu ab eruditioribus criticis decernitur, seriùs usu receptum est, ut in divinis officiis Symbolum hoc recitaretur. Cùm in regulâ S. Benedicti nulla ejus mentio habeatur, colligunt seculo 6 minimè inductum esse hunc morem ; etenim alia ibidem commemorantur. Quin etiam ante seculum 8 probari non potest id factitatum fuisse, sive ante Hattonem Basileensem, id statuentem in Capitulari (1) ; *ut Fides S. Athanasii à Sacerdotibus dicatur, et ex corde die Dominico ad primam recitetur.* Addebat Bellarminus S. Augustini testimonium ; idque inculcavit etiam Labbeus, licet ab incerto auctore esse Latinum hoc Symbolum fateatur. Verum esse illud suppositum nunc vulgò eruditiores agnoscunt. Nam diu est, cùm Lovanienses in recensione operum S. Augustini ea verba abesse à mss. codd. testati sunt ; itemque Maurini monachi à suis, et Muratorius à vetustissimo bibliothecæ Mediolanensis exemplo : itaque de fide ejus dubiâ Tillemontius, Montfauconius, Hermant admonuerunt ; atque ante hos Petavius (2). Quod quidem ideò volui hoc loco ponere, quod mirum accidit mihi, id criticæ intemperantiori tribui à recens edito polemico auctore (3) ; hujus verò auctoritati opponi auctoritas potest omnium fermè recentiorum eruditorumque scriptorum (4). Unum vidi, qui non sine laude pro Athanasio Symboli auctore certat, auctorem dissertationis Gallicè scriptæ et Lugduni ann. 1730 editæ (5). Verùm, ut hoc quoque dicam, argumentum quod toto articulo 7 versat de mss. codd., et quo præcipuè niti videtur, ei nocere potiùs quàm favere puto. Atque ille quidem manuscriptorum codicum recensionem desumpsit à Cl. Montfauconio, qui diligenter iisdem enumeratis statuerat, Symbolum hoc esse Athanasio adjudicandum. At quid illi auctori nostro prosunt? Primus codex antiquissimus mutilus est. Ergo nulli favet. Sed ille vult esse præsumendum, nomen præ se tulisse Athanasii (6) : quo jure? quo argumento? Alteri quem Usserius appellat, hic est titulus : *Fides Catholica.* Hic ei potiùs nocet ; neque enim, si Anathasii esset, omissum fuisset celeberrimum nomen, et tanta, quæ ex illo accedebat, operi commendatio. Ita devolvimur ad Pipini ætatem

(1) Tom. 1 Mus. Ital., pag. 69, edit. Paris. 1724.
(2) Apud Hittorp. p. 22, edit. Rom. 1561
(3) Card. Bona lib. 2, RR. LL. cap. 5, Martene lib. 1, cap. 4 ; Dominicus Georgius de Liturg. R. P. tom. 2, cap. 20 ; Cl. Alexander Lesleo ad Missale Mozarab., pag. 543, etc.
(4) Collect. CC. Hard. tom. 6, part. 2, col 1697.
(5) Ibid. tom. 7, col. 1806.
(6) De Script. Eccl. in Athanas.

(1) Tom. 4 Spicil. Dacher. vet. edit.
(2) De Trinit. lib. 3, cap. 8, num. 7.
(3) Tom. 2, pag. 71.
(4) Le Quien, Dissertat. Damasc. 1, num. 17, pag. 9. *Hanc quidem Fidem Athanasii M. Alexandrini non esse, certò certius est.* Mabillonius à Papebrochio laudatus in Resp., art. 13, num. 31 : *Symbolum Athanasii non esse, eruditissimi plerique consentiunt, quamvis cujus determinatè sit auctoris inter se non consentiant.* Benedictus XIII in synodico Beneventano, art. 7, pag. 56 : *Symbolum* quicumque vult salvus esse *S. Athanasio in Breviariis hodiernis adscriptum,.... illius non esse, eruditissimi plerique sentiunt.* Coillier tom. 5, pag. 292 : *Il paraît démontré qu'il n'est point de S. Athanase.* Præter Quesn. Dissert. 14 ad S. L. : *Jam omnium ferè eruditorum consensu constat opusculum istud S. Athanasii Alex. fœtum non esse.* Tillemont. tom. 8, not. 34 : *Presque toutes les personnes habiles conviennent aujourd'hui, etc.* Dupin : *Présentement tout le monde convient qu'il n'est point de lui.*
(5) *Dissertation touchant l'auteur du Symbole* Quicumque, *etc., par un licencié de Sorbonne.*
(6) *On a sujet de présumer qu'il portait le nom de Saint Athanase.*

et seculum 8 quo scriptus, ut putatur, Sangermanensis codex habet quidem : « Fides S. Athanasii episcopi Alexandriæ. » Sed quis vel mediocriter doctus hujusmodi testimonium recipiat; de antiquiori nimirùm re illorum temporum, quibus cùm Carolus M. instaurare scholas vellet, vix grammaticæ magistros duos reperire potuit; et cùm innumera monumenta neglecta ab omnibus intercidissent, apertissimus campus patuit hominibus aut fraudulentis, aut semidoctis, qui cùm se ignorare quod nesciebant (qui mos est horum) fateri nollent, aut majorem operibus commendationem adjungere, nomina scriptorum commutare, nova cudere, dubia venditare pro certis, aliaque facere, quæ periti horum temporum sciunt, consuêvere. Cùm ergo ab hâc solùm ætate in mss. codd. Athanasii nomen compareat, nullum ex illis argumentum desumi potest pro vindicando hoc opere Athanasio : præsertim cùm antiquissimus eorum qui hoc Symbolum explanârunt, Fortunatus seculo 6 eum ne verbo quidem appellârit; atque in vetustissimo codice, quem Muratorius vidit (1), legatur duntaxat *Expositio Fidei Catholicæ Fortunati;* uti alia quoque Expositio, quam idem vir doctus (2) ait se in illo eodem codice reperisse.

5. Redeo ad harum formularum usus, quorum inter præcipuos is fuit, ut recens electi pontifices fidem suam aliquâ formulâ scriptâ manu suâ testarentur. Atque hujusmodi puto eam fuisse, quam in Gregorii M. Vitâ Joannes Diaconus descripsit (3) præfatus : « Denique in specula sanctæ universalis Ecclesiæ vir to« tius humilitatis, austeritatis, ac orthodoxiæ, unde « videri et audiri clariùs Evangelicus præco valeret, « consistens, oris sui divinissimo gladio, et rectam Fi« dem munivit, et cunctas hæreses uno Symbolo dissi« pavit. » Atque huic Symbolo subjicit Joannes Gregorii Synodicam, quam « Gregorius, inquit, secundùm « priscum decessorum suorum morem Joanni Con« stantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio An« tiocheno, Joanni Hierosolymitano, et Anastasio pa« triarchæ Antiocheno destinavit. » In eâ professio quædam fidei continetur; « quia, ait, corde creditur ad « justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut « sancti Evangelii 4 libros, sic 4 concilia suscipere, et « venerari me fateor, etc. » Explicavit hæc optimè Garnerius *librum Diurnum* recensens Romanorum pontificum, quo hæc omnia continentur (4); docuitque I. Romanum pontificem electum, necdùm ordinatum ad corpus Apostolorum principis profiteri solitum fidem. II. Ordinatum eam iterùm exposuisse. III. Denique de fide concionem in urbe habuisse, misisseque ad universam Dei Ecclesiam. Uniuscujusque harum formulas habere Diurnus censetur. Primæ hoc titulo apud Garnerium (5) : *Indiculus pontificis;* in editione Holstenii (1) : *Indiculus pontificis electi*, indiculum autem admonet ibidem Garnerius esse, quam *professionem fidei* vocant Juo, Gratianus, atque horum exemplo Antonius, Augustinus et Baronius : qui omnes eam desumunt ex libro Diurno, etsi eam recitant quæ 9 seculo adhibebatur; itaque auctam et interpolatam : Garnerius verò puram se producere affirmat, et παραλλήλως illis alteri exhibet. Alterius exemplum esse videtur quæ apud laudatum Garnerium subjicitur titulo : *Secunda professio fidei* (2), et apud Holstenium (3) : *Professio fidei electi pontificis;* cui demùm additur exemplum tertiæ, titulo apud Garnerium (4) : *Tertia professio fidei post ordinationem;* apud Holstenium (5) : *Allocutio plebis.* Suspicor tamen alteram illam professionem, ipsam quoque tertiæ exemplum fuisse. Nam si quis eam diligentiùs inspiciat, videbit duabus constare partibus, quarum prima ipsa est concio quæ à pontifice habita est ad populum; altera fidei suæ testificatio. Vidit id Garnerius, comparavitque primam cum sermone S. Leonis; qui quidem olim inscribebatur : *In die anniversario assumptionis ejus ad Romanæ sedis culmen et onus;* apud Quesnellum : *In octavâ consecrationis ejus.* Garnerius sermone toto producto docet (6) ipsam esse concionem quam in die ordinationis suæ ad populum Romanum habuit. Qui S. Leonis opera diligenter Romæ nuper recensuit, et ad Vaticanos codices recognovit, animadvertit has in antiquioribus illorum inscriptiones occurrere : *Incipit sermo S. Leonis papæ de natali ipsius. De Assumptione suâ ad pontificatum gratiarum actionis sermo. De Ordinatione suâ :* quæ quidem inscriptiones Garnerii opinionem confirmant. Idem dico de tertiâ fidei professione in Diurno positâ. Alterius igitur, quæ quidem nuda professio sit, exemplum non occurrit; nec ea apud S. Leonem invenitur, quòd nimirùm, ut Garnerius benè conjectavit, omissa sit à librariis, sive à sermonum collectore, quòd forma esset communis, et à Symbolo Apostolico Romano non diversa; vel etiam quòd à primâ non differret. Nam hanc quoque alteram factam esse coram B. Petri corpore, testatur ejus subscriptio apud Garnerium et Holstenium : « *Ill.* (7) episcopus sanctæ Catho« licæ atque Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ, huic « professioni rectæ et orthodoxæ fidei, sicut superiùs « legitur, subscripsi, eamque ad corpus tuum, beate « Petre Apostole, obtuli consolidandam. » Tertiæ cur non sit à librariis opposita, eadem causa esse potuit, quòd bis eadem exscribere eos pigeret, nec verò necessarium esse judicarent. Formularum fidei hic usus non ita Romani pontificis proprius erat, ut ad alios

(1) Tom. 2 Anecdot.
(2) Ibid., pag. 228. Vide et Danielem Waterland, pag. 88.
(3) Lib. 2, num. 2, tom. 4, edit. Oper. S. Greg. MM. Paris., col. 45.
(4) Cap. 2 *de ordinatione Summi Pontificis.*
(5) Pag. 26.

(1) Pag. 41.
(2) Pag. 32.
(3) Pag. 46.
(4) Pag. 44.
(5) Pag. 63.
(6) In Append. ad Diurn., § 5, pag. 172.
(7) Notum est *Ill.* indicare nomen ponendum, idemque valere, quod nunc *N. N.* Litteram *N.* loco nominis proprii Menardus *ad Sacrament. S. Gregor.* paulò ante annum M. poni cœpisse putat. Mabillonius ante annos octingentos; quod adnotavit Ducangius. V. lib. 2. A. Diplom., cap. 22, num. 17.

episcopos non pertineret, quod ex eodem libro Diurno colligitur (1). Postea est ad alios etiam translatus, ut multi docuerunt (2). Nec in electione solùm id episcopi faciebant; sed cùm adducti in alias regiones communionem eorum episcoporum petebant; præsertim verò Romæ si essent, et Romanæ Ecclesiæ communionem postularent; aliqua verò de iis suspicio emanâsset.

6. Habemus hujus postremi generis exempla multa, ut Marcelli Ancyrani apud Epiphanium (3); de quâ quidem professione, quæ ibi legitur, etsi dubitaverit Baronius (4), an ea sit quæ est tum Julio pontifici oblata, nos tamen minimè in suspicionem esse adducendam censemus. Alia formula sive ἔκθεσις πίστεως, id est, fidei expositio edita est à Montfauconio (5), nomine ejusdem, atque ipsius clericorum; cùm, ut ibidem aiunt, in crimine vocarentur, quòd aliena à fide sentirent. Nullam S. Athanasii, qui cum Marcello in communionem à Julio receptus est (6), fidei formulam aut expositionem habemus, vel quòd scelerum potiùs quorumdam quàm violatæ fidei accusaretur, vel quòd satis perspecta Julio esset illius fides. Nam quæ Athanasii nomine nunc quoque exstat fidei expositio, se ipsa prodit suppositam sanctissimo doctissimoque viro fuisse (7), et est etiam inscripta Liberio. Alia etiam causa esse potuit, quòd, cùm ille, ut Hilarius, et multi, hunc novarum condendarum fidei formularum morem non satis probare viderentur, id fecisset ex consuetâ et vulgari Nicænâ formulâ. Ita etiam interpretor quod de Hilario Sulpicius Severus narrat (8): « Is ubi Seleuciam venit, magno cum favore exceptus, omnium in se animos et studia converterat: ac primum quæsitum ab eo, quæ esset Gallorum fides; quia tum Arianis prava de nobis vulgantibus suspecti ab Orientalibus habebamur, trionymam solitarii Dei unionem secundùm Sabellium credidisse: sed expositâ fide suâ, juxta ea quæ Nicææ erant à Patribus conscripta, Occidentalibus perhibuit testimonium. » Quanquàm formularum hujusmodi loco haberi possunt conclusiones illius operis de Trinitate, et præcipuè alterius quàm Constantio Augusto inscripsit (9). Ex quibus etiam perspicitur, amâsse quosdam has formulas, etsi à nemine postularentur, scribere; aut alia cùm scriberent, illis inserere. Hæreticorum verò, aut quorum in suspicionem adducta fides fuerat, exstant harum formularum multæ, sive catholicæ, cùm ecclesiasticæ communioni reddebantur, sive hæreticæ cùm in eorum erroribus obfirmabantur. Hujusmodi est Theodori Mopsuesteni Symbolum à Maurio Mercatore productum et refutatum (1), et Arianorum illæ multæ, quas Athanasius et Hilarius referunt: Ursacii et Valentis Arianæ factionis principum libellus Julio pontifici datus, Catholicus (2), Theodoreti professio fidei, quam Baronius etiam recitat (3): item Leporii qui à Sirmundo recensitus (4) inscribitur *libellus emendationis seu satisfactionis;* eumque Augustini esse opus contendit Quesnellus (5): quanquàm hujus uberior sermo ab hoc genere formularum, de quo dicimus excludere possit.

7. Atque hinc nimirùm celeberrimus et frequentissimus harum formularum sive libellorum usus, quibus ad catholicam Ecclesiam redeuntes hæretici cogebantur errores suos damnare, veramque fidem profiteri. Hunc inter modos quibus Ecclesiæ reconciliabantur, qui ab eâ sejuncti fuerant numeravit S. Gregorius (6): Equidem ab antiquâ Patrum institutione didicimus ut « quilibet apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manûs, aut solâ professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manûs Occidens, per unctionem verò sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ catholicæ Oriens reformat. Monophysitas verò, et alios ex solâ verâ confessione recipit; quia sanctum Baptisma, quod sunt apud Hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit; cùm vel illi per impositionem manûs Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei sanctæ et universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. » Difficilis visus est hic locus viris doctis, maximè si cum aliis comparetur Siricii (7): « Arianos nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem septiformis Spiritûs, episcopalis manûs impositione, Catholicorum conventui sociamus; quod etiam totus Oriens Occidensque custodit; » et S. Innocentii (8): « Arianos, cæterasque hujusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ, ac S. Spiritûs sanctificatione per manûs inpositionem suscipimus; » item S. Leonis (9): « Qui baptismum

(1) Tit. 6, etc.
(2) V. SS. D. N. Benedictum XIV de Synod. Diœc. lib. 5, cap. 2.
(3) Hæres. 82, n. 3, et ap. Coustant., pag. 390.
(4) Ad ann. 341.
(5) Collect. nov. PP., tom. 2, p. 1.
(6) V. Jul. epist. ex recens. Coust. n 9, col. 367.
(7) V. eumdem Coust. Append., col. 95.
(8) Lib. 2, cap. 42.
(9) *Intelliges à me in Sacramento solius Dei veri, et quem misit Jesum Christum, prædicari unum Deum Patrem, ex quo omnia, et unum D. J. C. per quem omnia, natum ex Deo, qui est ante tempora æterna, et erat in principio apud Deum, Deus Verbum, qui est imago Dei invisibilis, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; qui cùm in formâ Dei esset, humilians se salutis nostræ causâ, formam servi ex conceptu Spiritûs S. de Virgine accepit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; et post resurrectionem mortis, deinde in cœlestibus sedens, aderit judex vivorum et mortuorum, et rex omnium æternorum seculorum. Est enim Unigenitus Dei, et Deus verus, et Deus magnus, et super omnia Deus; et omnis lingua confitebitur, quia D. J. C. in glorià Dei Patris est. Ilæc ego in Spiritu S. ita credidi, ut ultra hanc de D. J. C. fidem non possim doceri, etc.*
(1) V. Part. 2, edit. Garn., p. 251.
(2) V. Athanas. in Apol. contra Ar. 2, 58, p. 176.
(3) Ad ann. 444, num. 25.
(4) Exstat etiam tom. 7 Bibl. PP. edit. Lugd.
(5) In Ep. 134 S. Leon., tom. 2, pag. 508.
(6) Lib. 11, Ind. 4, ep. 67, t. 2 Op. col. 1167.
(7) Epist. ad Himerium, cap. 1.
(8) Ep. 24, n. 4, edit. Coust., col. 853.
(9) Ep. 85.

« ab hæreticis acceperunt solâ invocatione Spiritûs « sancti, per impositionem manuum confirmandi sunt. » Quid enim Orientis morem à consuetudine Occidentis segregat Gregorius; unum eumdemque esse affirmat Siricius, cum Innocentio et Leone? Et tamen ad *antiquam Patrum institutionem* provocat Gregorius, ad *synodi constitutum* Siricius. Præterea quid de Occidente narrat Gregorius? Solâ manuum impositione, in hæreticis reconciliandis Occidentem usum? At exstat Arausicanæ synodi canon 1 : « Hæreticos in mortis « discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si « desit episcopus, à presbyteris cum chrismate et be- « nedictione consignari placuit. » Exstat Epaonensis canon 16 : « Presbyteros propter salutem animarum « desperatis et decumbentibus hæreticis, si conversio- « nem subitam petant, chrismate permittimus subve- « nire. » Nodum hunc ut solvam, antea adstringam fortiùs aliis quæstionibus. I. Confirmationis sacramentum videri in Occidente frequentiùs designari solitum nomine impositionis manuum, et invocationis septiformis Spiritûs; in Oriente verò unctionis. De materiâ sacramenti Confirmationis non disputo. Unctionem quoque adhibitam ex Tertulliano (1), ex Cypriano (2) aliisque novi; solere etiam unam tantùm significari, etsi utraque adhibeatur, vel à posteriorum temporum scriptoribus edocti sumus. Mabillonius (3) Vitam S. Cuthberti proferens, atque animadvertens Bedam, qui ejus scriptor esse perhibetur, in facti cujusdam narratione solam manuum impositionem nominâsse, anonymum verò alium ejusdem vitæ enarratorem unctionem quoque commemorâsse, utramque intervenisse colligit. Itaque alio etiam in loco lectorem admonet : *Ubi solam manuum impositionem Beda nominat, etiam chrismationem intellige.* II. Quidquid præcipuum esse censebatur in Confirmationis sacramento administrando, videtur adhibitum in hæreticis reconciliandis. Intelligere aliter non possumus qui fieri potuerit ut Cyprianus, ut Firmilianus, ut Carthaginienses PP. crediderint non existimâsse Romanos Confirmationem ab hæreticis collatam validam esse, et redeuntes ad Ecclesiam consuevisse iterùm confirmare. Atqui id eos existimâsse, demonstrat argumentum quod ex Confirmatione repetebant pro Baptismate, ut invalidum in hæresi collatum probarent. Ita Cyprianus (4) : « Cur « non in ejusdem Christi nomine illic et manus baptizato « imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum? cur « eadem ejusdem majestas nominis non prævalet in « manûs impositione quam prævaluisse contendunt in « Baptismi sanctificatione? » Ita idem alibi (5) : « Quod « si secundùm pravam fidem baptizari aliquis foris et « remissam peccatorum consequi potuit; secundùm « eamdem fidem consequi Spiritum sanctum potuit, « et non est necesse venienti manum imponi, ut Spi- « ritum sanctum consequatur, et signetur : aut utrum- « que enim fides foris potuit, aut neutrum eorum, qui « foris fuerat, accepit. » Ita apud eumdem(1) Firmilianus : « Si in nomine Christi foris valuit Baptisma ad « hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine va- « lere illic potuit manûs impositio ad accipiendum Spiri- « tum sanctum. » Ita denique in Carthaginiensi III, sub Cypriano (2), Nemesianus à Thuburis : « Malè ergo sibi « quidam interpretantur, ut dicant, quòd per manûs « impositionem Spiritum sanctum accipiant, et sic « recipiantur; cùm manifestum sit, utroque sacra- « mento debere eos renasci in Ecclesiâ catholicâ : » quo loco manûs illam impositionem, quæ nimirùm confirmatoria erat, sacramentum appellat, usurpans Cypriani similia verba (3) : « Baptizari eos oportet qui « de hæresi ad Ecclesiam veniunt; ut qui legitimo et « unico S. Ecclesiæ Baptismo ad regnum Dei regene- « ratione divinâ præparantur, Sacramento utroque « nascantur. » Jam verò tribuemusne hoc Africanis PP. et Firmiliano, et Cypriano, ut si notabilis aliqua discrepantia inter utrumque esset, hanc ignorarent? ut tam confidenter, re ignoratâ, hoc pacto argumentarentur? III. Quæro de Gregorio ipso; num eam divisionem ita instituerit, ut solòm id quod nominatim exprimit, adhibitum in reconciliatione hæreticorum intelligeret, ac non potiùs id expresserit, unde discrepantia colligi poterat, cætera etiamsi adhiberentur, non nominaret? Ita profectò videtur. Nam professionem Fidei ab omnibus omninò hæreticis requisitam, nunquàm omissam, vel ex Laodiceno constat, hoc nimirùm imperante (4) : « Novatianos, vel etiam Quar- « todecimanos, quos Græci Tessaradecatites appel- « lant... sed et catechumenos eorum, vel fideles non « recipi, priusquàm condemnent omnem hæresim ple- « nissimè; ante omnia autem in quâ detinebantur. « Et nunc qui apud eos fideles dicuntur Symbo- « lum fidei doceantur, atque ita unctos sancto chri- « smate divino sacramento communicare conveniet. » IV. Quæro de Synodo, quam Siricius appellat, quæ ea sit? Constantinopolitanam I esse, et canonem 7 appellari Holstenius (5) putavit, quem reliqui fermè sequuntur. Sed mirum esset eos Siricium canones appellâsse, quos nec admisit, nec probavit Ecclesia Romana. Prætereo quæ de numero canonum Constantinopolitanæ hujus synodi disputantur; cùm Græci tantùm sequioris ætatis, Photius, Arsenius, Aristenus septem numerare videantur; cæteri vel duos commemorant, ut synodus ipsa Damaso scribens, vel tres, ut apud Gratianum Anselmus cardinalis, vel quatuor, ut Dionysius Exiguus; et Simeon ipse Logotheta ex Græcis : Itaque non vana est suspicio eorum qui, cùm verba hujus canonis omnia inveniant in epistolâ quæ seculo V data legitur martyrio Antiocheno (6), inde hunc canonem translatum in concilii hujus Acta censent. Canone verò hoc Constantinopolitano rejecto,

(1) De Baptism., cap. 17, lib. 3 contr. Marc. cap. 22, etc.
(2) Epist. 59.
(3) Sec. 2, part. 2, pag. 903.
(4) Ep. 74.
(5) Ep. 73.

(1) Ep. 75.
(2) Cap. 5.
(3) Ep. 73.
(4) Canon. 7.
(5) Dissert. 2 de Confir.
(6) V. Jus Græco-Roman. Leunclavii pag. 290.

nullum nunc habemus canonem, quem spectare Siricius potuerit, nisi Laodicenum quem recitavimus. Laodicenum ergo appellàsse Siricius videtur, qui quidem Laodicenus ita est restituendus, quem admodùm nos eum produximus. Nam quòd in vulgatis nonnullis præter Novatianos et Quartodecimanos legantur *Photiniani*, existimandum est omninò intrusam fuisse eam vocem, vel quòd antiquiores codices eam non habent, ex quibus est Sangermanensis, ante annos mille exaratus, teste Ceillier (1), vel quod pariter deest in antiquissimis versionibus, qualis est Ferrandi. Sed et Quartodecimani, qui ibidem nominantur, non alios esse à Novatianis judico, sed eorum genus, qui nimirùm orti sunt à Sabbatio Quartodecimano, de quo Socrates (2) inter Novatianos schisma fecisse refert, atque adjunctis presbyteris duobus Theoctisto et Macario, affirmàsse Pascha *juxta morem Judæorum observari oportere*. His nodis adstrictam quæstionem solvere mihi facilè posse videor, et Gregorium cum Siricio, cæterisque decessoribus suis conciliare, hæc asserendo : quod nimirùm in Confirmatione manûs impositio olim in Occidente præcipuè spectaretur, in Oriente unctio; atque hoc pacto reconciliatio hæreticorum fieret; ideò Gregorium sigillatim, quæ fierent, consideranlem Orientis morem à more Occidentis distinxisse; sed quòd uterque modus Confirmationem vel confferret, vel repræsentaret; ideò iis verbis expressisse, quo apud Occidentales exprimi Confirmatio solebat; id est, manuum impositione. Hunc modum præscripsisse Laodicenum, cùm de solis Novatianis ageret, et Confirmationis sacramentum intellexisse, quòd Novatiani in Baptismate conferre eam non solerent, teste Theodoreto (3) : « Iis quos baptizant sanctis- « simum chrisma non conferunt, ideòque cùm ab hâc « hæresi ad Ecclesiæ corpus reverterentur venerandi « illi PP. ungi præceperunt. » Posteriora concilia id maximè spectantes quod erat à Laodiceno statutum, hunc morem ad omnes hæreticos extendisse; eâ præterea ratione ductos, quòd hoc præcipuè sacramento Spiritus sanctus conferri dicitur. Jam verò Spiritûs sancti gratia, et sacramenti Baptismatis effectus tunc primùm operatur cùm hæretici in Ecclesiâ Catholicâ esse incipiunt, tunc enim, ut Augustinus ait (4) : *Accipiunt quod non habebant, ut salubriter habere incipiant, quod tanto perniciosius quanto indigniùs habebant:* atque, ut ibidem addit, *non ut destruantur Ecclesiæ sacramenta, sed ut ea ipsa intùs salubriter habeant.* Ideò sub quàdam sacramenti Confirmationis imagine (si jam sacramentum hoc in hæresi accepissent) reconciliatus fuisse; uti etiam *sub imagine Pœnitentiæ* (quod in Pœnitentiâ quoque manus imponerentur) reconciliatos eosdem ait Innocentius (5). Cùm verò semper in reconciliatione hæreticorum, aut ipsum Confirmationis sacramentum occurrat, aut imago sacramenti, quæ quidem verum existere sacramentum indicat, ut hominis imago significat verum existere hominem; hinc nihil juvantur hæretici sacramenti Confirmationis traditionem evertere conantes (quod objicit Holstenius) ab iis qui ritus omnes, et nomina sacramenti Confirmationis ibi etiam admittunt, ubi verum Sacramentum non est. Hoc pacto ab iis recedimus, qui in hæreticorum reconciliatione chrismate factâ semper agnoscunt Confirmationis sacramentum.

8. Prætermittimus formularum fidei usus minùs celebres, ut ad eum veniamus, qui primus fuit et obtinere inter eos præcipuum locum debet, ut scilicet quæ sint Christianæ fidei dogmata definirent, et quæ credenda essent fidelibus proponerent. Antiquissimi Ecclesiæ Patres formulis his utebantur. Nunc canonibus res tota peragitur, atque in eos conjiciuntur cùm quæ ad Fidem, tùm quæ ad doctrinam pertinent. Nec verò nego quod doctissimus Feltriensis episcopus docuit (1), fidei dogmata *Canonis* nomine nuncupari aliquando, atque hanc etiam doctrinæ partem, in quâ de fide agitur, canonico jure contineri : item in codicem canonum fidei definitiones fuisse relatas, quod videre licet etiam in codice à Quesnello producto; quem tamen esse non putamus, qualem titulo illo haberi voluit, Codicem Ecclesiæ Romanæ. Cæterùm apud veteres dicimus frequentiùs canones, atque definitiones ipsas fidei solere distingui, Pelagius II (2) de generali synodo scribit : *Omnes novimus quòd nunquàm Canones, nisi peractis definitionibus fidei, nisi perfectis synodalibus gestis habeantur, ut servato ordine, cùm priùs synodus ad fidem corda ædificet, hinc per regulas canonum mores Ecclesiæ actusque componat.* Facundus Hermianensis (3) cognovisse ait Marcianum : sibi cedere non posse impunè, vel *quæ jam de fide Christianâ ritè fuerant constituta, discutere quod nullatenùs licet; vel novos constituere canones, quod nonnisi multis et in unum congregatis primi ordinis sacerdotibus licet.* Atque hinc de Eutychis libello Dioscorus : *Numquid habet, quia canon? non est canon : aliud canon, aliud definitio :* hic vocis *canon* vulgatior postea et communior usus. Nihilominùs quòd Symbolum regula esset credendi; hinc Ruffinus (4) de Apostolis : *Hanc credentibus dandam esse regulam statuunt.* Augustinus (5) : *Regula fidei quod Symbolum dicitur*, et paulò superiùs : *Symbolum est breviter complexa regula fidei.* Tertullianus (6) : *Regula est autem fidei, quâ creditur unum omninò Deum esse*, etc.; atque alibi (7), *Regula autem fidei una omninò est, sola, immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem*, etc. Hieronymus (8) de Montano : *Primum in fidei regulâ discrevamus*, etc. S.

(1) Tom. 4, pag. 727.
(2) Lib. 5, cap. 21.
(3) Lib. 5 Hæretic. fabul., cap. 5.
(4) Lib. 2 contra Crescon.
(5) Epist. 21, num. 4.

(1) Instit. Jur. Canon., cap. 1.
(2) Ep. ad Eliam Aquilei, cap. 17.
(3) Lib. 12, cap. 3.
(4) Expos. Symbol.
(5) Lib. 1 de Symbol. cap. 1.
(6) De Præscript. cap. 13.
(7) De veland. Virgin. cap. 1.
(8) Ep. 41, num. 3, ad Marcell.

Leo (1) *regulam fidei* vocat Symbolum *per auctoritatem Apostolicæ institutionis acceptam* : ubi animadvertere licet *regulam* vocari adjecto nomine *fidei*, quòd alteram significationem vocis *Canon* subindicat. Ita *regula veritatis* simili modo dictum Symbolum reperitur. S. Irenæus (2) : *Cùm teneamus nos regulam veritatis, id est, quia sit unus Deus Omnipotens*, etc. Novatianus (3) : *Regula exigit veritatis, ut primò omnium credamus in Deum Patrem et Dominum Omnipotentem*, etc.; et alibi (4) : *Eadem regula veritatis docet nos credere vost Patrem etiam in Filium J. C.* Græcè eodem modo τῆς πίστεως τὸν κανόνα. Nicænum Symbolum vocat Chalcedonense (5). Omitto similia nomina : ut *Regulam Catholici et Apostoli Symboli*, quod occurrit apud S. Leonem (6). Contra etiam fidei definitiones quæcumque sint Symbolum vocantur, atque hæc nomina conjunguntur et permiscentur. Ipsa Synodus sub Sergio patriarchâ lecta imperatoris Heraclii Ectesi (quæ in Lateranensi sub Martino (1) continetur) exclamavit : *Hæc sunt Patrum dogmata, hæc sunt præsidia Ecclesiæ, hæc orthodoxæ fidei stabilitas, hæc sanctorum quinque conciliorum Symbola.* Quando etiam S. Cyrillus et Jo. Antiochenus patriarcha simul convenerunt, quod tunc editum est fidei decretum, Symbolum appellatum fuit : *Objiciunt nobis*, ait Cyrillus, *adversarii quòd novum Symbolum receperimus* (2). Justinianus (3) : *Fidei definitionem, hoc est, sacrosanctum* (μάθημα) *documentum sive Symbolum retinemus atque custodimus à SS. Patribus* 318 *expositum.* Et in ejusdem edicto adversùs 3 Capitula (4) : *Anathematizaverunt eos qui aliam definitionem fidei, sive Symbolum sive documentum tradunt ;* ut pro eodem habeat ὅρον πίστεως, Σύμβολον, μάθημα. Atque hinc fortassè non malè legunt mss. codd. quidam in Leone M. (5) de Attico : *Chalcedonensis Symboli definitionem de fide.... profiteatur*, licet alii habeant synodi.

(1) Serm. 60, cap. 2.
(2) Lib. 5.
(3) De Trinit. cap. 1.
(4) Cap. 9, cap. 19.
(5) Act. 3.
(6) Serm. 23.

(1) Sect. 3 (tom. 3 Collect., col. 799).
(2) In epist. ad Jo. tom. 5 Oper. part. 2, pag. 112.
(3) L. 7, c. de Sum. Trin.
(4) Tom. 3 Coll. Hard., col. 303.
(5) Ep. 132, al. 128.

KILBER VITA.

« Kilber (Henricus), ex Provincià ad Rhenum superiorem, in cujus Herbipolensi collegio sacros libros ex « planabat anno 1766. Ibidem antea theologiam scholasticam fuerat professus. » Hæc tantummodò in Supplemento ad Alegambum inserta leguntur, singulari auctoris indifferentiâ, quâ virum scriptis maximè nobilitatum vix aliquot verbis commemorare dignatus est. Incredibiliore autem oblivione, famosissimam ejus Theologiam ideæ Alegambi continuator prætermisit, quæ inscribitur : *Theologia dogmatico-polemico-scholastica prælectionibus academicis accommodata*, et in toto orbe inclaruit notissima cognomine *Theologiæ Wirceburgi*, 12 vol. in-8° 1767. Eximium opus typis rursùs mandari exigunt ipsius et inopia et excellentia, siquidem multis in bibliothecis Lutetiæ Parisiorum aliarumque civitatum acerrimè perquisitum, Germaniæ Europæque publicis privatisque librorum collectionibus expostulatum, desiderabamus, cùm fortuitò RR. PP. societatis Jesu in manibus unicum exemplar tandem invenimus ; ex ore celeberrimorum professorum didicimus, hanc Theologiam, quam verba ad verbum transcripsimus, nullis præteritis præsentibusve imparem, strictis refertam argumentis, immensâ inter ipsos laude et auctoritate frui, et ut fontem purissimæ doctrinæ quotidiè exhauriri. Quâ re cognitâ, stupendum etiam duximus præclarissimæ huic societati famæque suorum studiosissimæ, in mentem non incidisse ut novis repetitisque editionibus egregium, sibique acceptissimum opus popularem in orbe faceret, sicque de religione sodalique suo optimè mereretur. Quatuor tomis nostris similibus, inclusa hæc Theologia, quatuorque constans magnis Franciæ nummis argenteis, rectè compensatis editoris sumptibus vulgaretur, doctissimorumque plausu excepta, in lucem rursùs prodiret. Ad quod suscipiendum, seu privatum, seu *Societatem* ipsam fidenter hortabimur, paucissimisque detractis, vel additis, vel mutatis, ut consentanea ævo nostro in quibusdam scientias et leges olentibus præstentur, certissimum est editorem in theologiam beneficium grande collaturum.

TRACTATUS DE FIDE.

Pars prima.

DE OBJECTO FIDEI.

CAPUT PRIMUM.

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI IN GENERE.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam in genere sit objectum materiale fidei.

Quæstio principalis hìc agitatur cum hæreticis, qui triplicem fidem distinguunt, historicam nempe, miraculorum et promissionum, et postremam subdividunt in generalem et specialem, quarum priores duas nec utiles, nec ad salutem et justificationem necessarias asserunt. Porrò *fidei historicæ* pro objecto tribuunt tum res omnes olim gestas, tum comminationes divinas, tum pœnas peccantibus inflictas, quæ in Scripturâ perhibentur; *fidei miraculorum* omnipotentiam divinam, quæ omnia possit etiam naturam omnem creatam excedentia; *fidei promissionum generalis* promissam omnibus in Christum credentibus salutem : *specialis* misericordiam Dei, seu remissionem peccatorum et justificationem, quam quilibet in individuo sibi per justitiam Christi imputatam confidat, seque justum et prædestinatum pro certissimo habeat. Ita Calv. l. 3 Inst. c. 2.

Dico 1° : Objectum materiale fidei theologicæ est omnis ac sola veritas à Deo revelata; sive ea sit divina seu de Deo, ejus perfectionibus, aut decretis liberis, sive creata. Probo primam partem : Objectum materiale fidei theologicæ est omne ac solum id quod propter solius Dei auctoritatem creditur; cùm hanc solam fidem theologicam vocemus, quæ Deo dicenti exhibetur; sed omnem et solam veritatem à Deo revelatam propter ipsius revelantis auctoritatem credimus, ut ex terminis liquet : ergo. Dixi : *Veritas*, tum quia Deus falsum aut mendacium dicere ac revelare nequit; tum quia mendacium quidem subjectum fidei esse potest, minimè verò propositio falsa aut mendax ut talis credi fide divinâ. Pars secunda ex jam dicendis clariùs patebit.

Dico 2° : Objectum materiale fidei ad justificationem et salutem requisitæ est quodcumque à Deo revelatum etiam ad fidem historicam et miraculorum pertinens. Probo primam partem. Omne id est objectum fidei requisitæ, quod negari salvâ fide non potest; sed quodcumque à Deo revelatum est salvâ fide negari non potest : ergo. Confirmatur : Marc. 16, 16, sine exceptione dicitur : *Qui crediderit, salvus erit;* et Apostolus nihil inter fidem ac fidem distinguens ad Hebr. c. 11, v. 16, *Sine fide*, inquit, *impossibile est placere Deo;* ac ad Ephes. 4, 5 : *Unus Deus, una fides, unum baptisma;* quam unam fidem Cyrillus, catech. 5 et 9, Chrysostomus, hom. 29 in 1 ad Cor. 12, ob universalitatem ad omnia revelata se porrigentem vocant *Catholicam*. Ergo objectum materiale fidei ad salutem requisitæ sunt omnia à Deo revelata. Probo secundam partem : Ad fidem *historicam* pertinent tum mysteria quasi speculativa, quale est de Deo existente et remuneratore, tum practica seu actu impleta, uti Incarnatio, Passio Christi et similia; sed horum fides etiam necessaria est ad salutem, ut patebit ex dicendis seq. cap. : ergo. Probo tertiam partem : Illa fides est utilis ad salutem ab adulto obtinendam, de quâ Marc. l. c. dicitur : *Qui crediderit salvus erit : qui non crediderit condemnabitur;* sed hæc ipsa est ea fides, de quâ Dominus continuò subdit : *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur*, etc., et quam hæretici vocant fidem miraculorum : ergo. Confirmatur : Fides theologica et ad salutem requisita ex Epistolâ ad Hcb. 2, 1, *est sperandarum substantia rerum;* ergo eamdem fides, quæ debet omnibus esse communis, etiam se extendit ad omnipotentiam divinam mirabilia operaturam, si expedit; unde ibidem subjungit Apostolus : *Sancti per fidem vicerunt regna, extinxerunt impetum ignis*, etc.

Dico 3° : Objectum materiale fidei theologicæ, ad salutem requisitæ, non est specialis erga particularem hominem misericordia divina, condonans illi peccata. Probo : Nemo in individuo potest certitudine fidei theologicæ credere se esse justum et salvandum, nisi in individuo habeat revelationem divinam, sibi in individuo et absolutè applicari et convenire revelationem de promissionibus generalibus conditionatis factam. Sed fidelium etiam nemo habet ejusmodi revelationem absolutam ac in individuo, saltem ordinariè et singulari privilegio excepto, quod hæretici probare non possunt; ut uberiùs ostenditur tum de justificatione, in tractatu de Gratiâ, tum de spiritu privato hic; ergo fides illa specialis nequidem est theologica : ergo nec objectum materiale fidei theologicæ ad salutem necessariæ potest esse illa misericordia divina.

Objectiones.

Objicies contra primum : 1° Potest Deus habere et alicui revelare hoc decretum : nolo ad ullum fidei actum cum quâcumque rationali creaturâ concurrere,

Sed hoc casu daretur aliquid à Deo revelatum, et tamen non esset credibile : ergo non omne revelatum est objectum materiale fidei. 2° Solus Deus est *subjectum* fidei, tum quia in omni actu fidei divinæ creditur Deus, tum quia non potest aliquid credi, nisi habeat ordinem ad Deum. 3° Non omnia revelata sunt æquè vera, quia divina sunt veriora creatis : ergo nec omnia sunt æquè credibilia ; ac proinde saltem non omnia spectant ad objectum directum fidei, nec sunt immediatè credenda.—Respondeo ad primum, transeat antecedens, distinguo consequens : Ergo factâ suppositione ejusmodi aut aliâ exoticâ non omne revelatum est objectum, concedo ; eâ omissâ et secundùm ordinariam præsentemque providentiam, nego. Ad secundum, nego assumptum ; ad probationem primam, distinguo : In omni actu creditur Deus ut objectum formale, concedo ; ut objectum materiale distinctum à formali, nego. Ad probationem secundam, distinguo : Nisi habeat ordinem intrinsecum et antecedenter actualem ad Deum, nego ; extrinsecum et aptitudinalem, transeat. De facto quidem plurima revelata per se ordinantur ad finem supernaturalem ; aut illis proximè subordinatur ad finem supernaturalem, vel saltem à Deo ordinari possunt ad faciliorem Dei cognitionem : nihil tamen impedit ex parte actûs fidei, cur etiam non ordinabile, si à Deo revelatum sit, actu theologico credatur. Præterea in his Deus tantum est objectum materiale indirectum, remotum, et respectivè ad fidei actum se impertinenter habens. Ad tertium, distinguo antecedens : Non sunt æquè vera in se seu necessaria in essendo, aut prout per principia intrinseca possunt attingi, concedo ; non sunt æquè vera in ratione credibilitatis, et prout cognoscuntur per testimonium divinum, nego. Ad hæc objectum directum fidei dicitur, quod à revelante directè enuntiatur, et à credente per se creditur : cui non obstat, quòd à loquente vel credente cognitio objecti ad aliud ordinetur. Porrò sicut omne revelatum immediatè substat auctoritati divinæ, ita et immediatè creditur : ordo enim rerum inter se non variat ordinem seu conjunctionem immediatamr evelationis cum revelato : unde et revelatum creditur *præscindendo* ab ordine rerum, et ab ignorante hunc ordinem.

Objicies contra secundum : Firma fiducia aliquid supra vires obtinendi est fides miraculorum : sed hæc fiducia non oritur ab eo habitu, à quo procedit fides dogmatica, seu fides theologica tum mysteriorum, tum promissionum, tum minarum, tum gestorum : ergo nec fides miraculorum est idem aut habet idem objectum materiale. Confirmatur 1° : Fides theologica est communis, et requiritur in omnibus : sed fides miraculorum nec est communis, nec requiritur in omnibus : ergo. 2° Fides theologica debet esse in nostrâ potestate, et incredulitas ei opposita facit hominem infidelem, habitumque fidei expellit : neutrum autem convenit *fidei miraculorum*, tum quia patrare miracula non est in cujuslibet potestate, tum quia si quis non crederet in his vel illis circumstantiis non fore patrandum miraculum, non peccaret contra fidem, cùm nemo dixerit Petrum, ubi super aquas ambulans timuit mergi, commisisse infidelitatem : ergo. — Respondeo : Distinguo minorem : Firma fiducia aliquid obtinendi supra naturæ vires est fides miraculorum in sensu tropico, sumendo effectum pro causâ, concedo ; in sensu proprio et formali, nego. Fides, quatenùs est assensus intellectualis ob auctoritatem Dei promissa sua revelantis, dicitur *fides miraculorum ;* quia prærequiritur ad petendum cum fiduciâ miraculum, habetque pro objecto materiali omnipotentiam et fidelitatem Dei in promissis, pro formali revelationem divinam, quâ Deus dixit se facturum quidquid in Christi nomine petierimus, sicut petere oportet. Ad hunc fidei actum sequitur fiducia obtinendi miraculum, quæ in homine justo immediatè oritur ex habitu spei theologicæ, pro objecto materiali habens miraculum impetrandum, pro formali fidelitatem Dei in explendis suis illis promissis, si hìc et nunc ita sit conveniens, et aliæ etiam conditiones ex parte nostrâ fuerint impletæ.

Ad confirmationem primam, distinguo minorem : Fides miraculorum quoad substantiam et suum effectum primarium non est communis, nec requiritur in omnibus, nego ; quoad accidentalia et effectum secundarium, concedo. Fiducia in præsentibus circumstantiis ad petendum et impetrandum miraculum applicata, fidem generalem accidentaliter ratione firmitatis majorem ac intensam consequitur, et speciali instinctu Dei vel circumstantiarum prudenti consideratione concitatur ; quæ cùm abesse possint et sæpè soleant, patet nec fiduciam illam fidei susbtantiæ esse debitam, nec ejusdem effectum esse primarium, nec omnibus necessarium aut convenientem. Ad secundam, nego minorem ; ad probationem primam respondeo : Aliud est *fides*, aliud *donum* miraculorum. Prima est in nostrâ potestate ex nuper dictis. Secundum est singularis gratia gratis data à Deo uni vel alteri, cum potentiâ proximâ impetrandi ipsum effectum miraculosum ; quod utique in nostrâ potestate non est. Ad probationem secundam respondens, distinguo : Si quis non crederet, in his vel illis circumstantiis patrandum fore miraculum, ille non peccaret contra fidem, si illa incredulitas præcisè sit defectus fiduciæ aut firmitatis accidentaliter intensæ, concedo ; si sit defectus ipsius fidei quoad substantiam vel proprium objectum, nego. Tum Petrus super aquam ambulans, tum Apostoli in naviculâ jactati, et à Christo ob modicam fidem reprehensi, retinuerant ipsam fidei substantiam de potentiâ ac fidelitate Christi, ob levem solùm firmitatis ac fiduciæ diminutionem, teste S. Hieronymo, in cap. 17 Matth. correpti.

Objicies contra tertium : Fides ex Apostolo est *hypostasis sperantium*, ut legit S. Augustinus ; sed et hypostasis per se significat exspectationem, quemadmodùm ex Ps. 38, 8, et ex Ep. ad Hebr. 3, 14, apparet, et per τὸ sperantium determinatur ad significationem expectationis ; ergo fides est expectatio ac proin fiducia : ergo et ejus objectum materiale singularis illa

Dei misericordia. — Respondˉ 1° : Nego minorem : Nam cùm inprimis ibidem addatur : *Argumentum non apparentium*, ex hujus significatione etiam hypostasis ad significandam substantiam determinatur. Et Ps. 38. 8, sic habet : *Et substantia* (hypostasis) *mea apud te est;* ubi licet vox hebræa dicatur significare exspectationem vel spem, septuaginta Interpretes rectè reddiderunt sensum; cùm ibidem non significetur actus spei, sed res sperata, nempe Deus, quique hoc sensu potuit appellari substantia nostra; quam usurpationem et rationem nemo *fidei* tribuerit. Porrò dùm ad Hebr. 3, 14, dicitur : *Si tamen initium substantiæ* (hypostasis) *ejus usque ad finem teneamus*; inde tamen hypostasin hìc pro spe usurpatam non evincent hæretici, licet addant in eodem capite, præmissa fuisse hæc in vers. 6 : *Si fiduciam et gloriam spei ejus usque ad finem firmam retineamus.* Quæ enim significatio hypostasis sit fidei applicata, docuit nos inter Græcos eloquentissimus S. Chrysostomus, qui hom. 12 *in* Epist. ad Hebr. : « Quia ea, inquit, quæ sunt in spe, « sine substantiâ esse putantur, fides eis tribuit sub- « stantiam, aut potiùs ipsa est essentia eorum, ut pu- « ta, resurrectio necdùm facta est, et necdùm est in « substantiâ, sed fides facit eam subsistere in animâ « nostrâ, id est, quod dicit substantia. » Unde etiam vers. 6 potuit signatè poni spes, vers. 14 autem fides ut fundamentum spei, aut aliud quodvis spectans ad eumdem finem. Postremò nec illud adjunctum *sperantium* determinat vocem hypostasis ad significationem exspectationis, cùm sensus diversus hâc lectione non evadat, quia subsistentia rerum, quæ sperantur, præsupponitur, ut homo speret : præterquàm quod novatores communiter fermè nobiscum legant, hypostasis rerum speratarum. Respondeo 2° : Transmisso syllogismo, nego ultimam illationem : nam cùm expectatio sit futurorum, fiducia autem, quam novatores fingunt, sit de re præsenti, nihil concluditur pro eorum errore.

Inst. 1° : Ad fidem spectat credere *Deo*, credere *Deum*, credere *in Deum* : sed credere in Deum dicit actum voluntatis; neque alium quàm fiduciam : ergo. — Respondeo 1° : Nego primam partem minoris : Non enim significantur diversi actus, sed ejusdem actûs fidei diversæ habitudines, connotationes aut relationes. Et quidem juxta S. Thomam, 2-2, q. 2, a. 2, credere *Deo*, dicitur actus fidei, prout tendit in Deum ut objectum formale : credere *Deum*, prout affirmat Deum ut objectum materiale expressum : credere *in Deum*, videtur connotare habitudinem ad Deum, tanquàm ad finem ultimum, ad quem voluntas tendens movet ad actum fidei; quin tamen requiratur actualis motio voluntatis, cùm satis esse possit habitualis. Cùm verò S. Epiphanius et Cyrillus Hierosolymitanus, etiam in Symbolo dicant : *Credo in S. Ecclesiam;* alii cum Suaresio putant asseri posse, quòd credere in Deum, solùm connotet relationem ad Deum tanquàm objectum formale. Respondeo 2° : Transmissâ primâ parte nego secundam : tum quia ex modo dictis sufficit actus tendens in Deum ut finem ultimum, quam expositionem etiam S. Augustinus, tr. 29 in Joan. permittit, ut peccator dicatur credere in Deum vel Christum; tum quia actus fiduciæ non sufficit, si adoptetur alia explanatio S. Augustini, l. c., et serm. 144, juxta quam credere in Deum vel Christum est credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari; quam sententiam dùm D. Thomas, 2-2, q. 1 et 9, ad 3, sectatur, simul dicit peccatores symboli initium duntaxat in personâ Ecclesiæ proferre.

Inst. 2° : Justificatio in adultis non potest obtineri sine actu voluntatis; ergo fides justificans præter assensum revelatis datum constituitur per actus voluntatis, quales à Calvini sectatoribus enumerantur, 1° assensus *fiducialis* et practicus, quo homo Evangelium non tantùm judicat verum, sed et bonum amore dignum; 2° actus *refugii* in voluntate ad propositam per Evangelium præcipuè hominis miseriam Deique gratiam ortus, quo homo miseram suam conditionem agnoscens confugit ad Christum; 3° actus *receptionis*, quo homo gratiam Christi apprehendit, Christo adhæret, eique se unit. Super hos demùm actus ubi homo se reflectit, agnoscit se habere fidem justificantem esseque justificatum, unde tamen consolatio et confidentia, tanquàm effectus fidei profluit. — Respondeo : Nego consequens : Quia potiùs inferendum erat simpliciter : ergo præter fidem requiruntur ad justificationem actûs voluntatis, quod est verissimum; negatur etiam suppositum consequentis, quia dùm dicitur à novatoribus fides justificans, intelligitur fidem *per se solam* justificare, cùm tamen non dicatur justificans, nisi quatenùs est prima dispositio ad justificationem. Quod actus recensitos attinet, negamus postremos haberi posse aut vocari *actus fidei*, sed de ultimo statim plura.

Inst. 3° : Ut homo justificetur, debet apprehendere justitiam Christi : sed hanc debet apprehendere per fidem : non autem apprehendere potest per solam *fidem historicam* : ergo per fidem specialem seu fiduciam. Confirmatur : Actus receptionis est, quo homo amplectitur Christum et in ejus meritis unicè confidit : sed hic actus non est *spes*; quia hæc non excludit timorem : ergo debet esse *fiducia*, utpote certa et infallibilis. — Respondeo 1° : Distinguo minorem : Debet apprehendere justitiam Christi, hoc est, debet se disponere ad justitiam à Deo accipiendam, eamque impetrare aut mereri de congruo, concedo; hoc est, debet suâ actione quasi trahere ad se atque sibi unire justitiam Christi, nego. Primus sensus est catholicus, in quo actiones nostræ bonæ justificationem præcedentes statuuntur tanquàm præparationes et dispositiones ad gratiæ et sanctificationis donum ab ipsâ Christi justitiâ distinctum, quod Deus nobis et quidem per sacramenta, tanquàm manum suam invisibiliter extentam dat, eoque nos formaliter justos constituit. Secundus est erroneus, tum quia supponit quòd homo justificetur formaliter per justitiam Christi homini imputatam, tum quia actio hominis propriè non justificat, cùm neque sit causa efficiens neque forma-

lis justificationis. Respondeo 2° : Nego minorem : Non enim sola fides est, quæ dispositio aut apprehensio activa in quocumque sensu dici queat ; sed requiruntur etiam alii actus, spei nempe, charitatis, pœnitentiæ, etc. Quàm parùm verò inde quis illos actus cum fide confundere poterit, tam parùm id licet respectu fiduciæ specialis, quam sine particulari revelatione nequidem prudenter esse possibilem certum est.

Ad confirmationem : Omisso interim falso majoris supposito, respondeo : Nego minorem ; ad probationem, nego suppositum, quòd spes et fiducia nostra debeat excludere omnem timorem, cùm apertum sit Apostoli monitum ad Ephes. 6, 5 : *Cum timore et tremore operamini salutem vestram* ; nego etiam suppositum consequentis. Fiducia de se nec certa est, nec infallibilis, sed firma duntaxat, et certa solùm dicitur quatenùs fundatur in actu intellectûs certo et infallibili : undenam autem hæc *fides specialis* ac fundamentum talis fiduciæ habetur, qualem Novatores asserunt ? Quamvis enim Deus nobis promiserit peccatorum remissionem vitamque æternam, ac id revelaverit ; non revelavit tamen, quòd ego sim veniam et vitam consecuturus *absolutè*, neque *absolutè* promisit ; sed si credidero et fecero quæ Deus ad ea consequenda exigit, quorum tamen neutrum Deus revelavit.

Articulus II.

An veritas formaliter implicitè revelata sit objectum materiale fidei ?

Nota 1° : Illud dicitur *formaliter revelatum*, quod ipsâ locutione significatur, seu quod à loquente dicitur vi significationis terminorum juxta sensum à loquente intentum et intentionem manifestatam ; quæ postrema adjicimus, quia etiam Deus loquens adhibet metaphoras usitatas, in quibus proinde sensus est attendendus. *Formaliter explicitè* revelatum dicitur, quod ipsi locutionis termini clarè et signanter exprimunt : *formaliter implicitè* revelatum, quod formaliter continetur, seu formaliter idem est cum explicitè revelato ; sic continetur definitio in definito, partes physicè essentiales in toto, propositio particularis in universali, conclusio in præmissis. Dicuntur autem hæc implicitè revelata ; quia licet formaliter continentur in explicitè revelato, tamen propositâ revelatione non statim apparent, sed per aliam propositionem debet explicari sensus revelationis, et revelatio ad illis assentiendum applicari. Sic dùm *explicitè* revelatum est Christum esse hominem, omnibus hominibus statutum esse mori, omnem Apostolorum die Pentecostes accepisse Spiritum sanctum, Matthæumque esse Apostolum ; *implicitè* revelatum est Christum esse animal rationale et compositum ex corpore et animâ, Petro statutum esse mori, Matthæum die Pentecostes accepisse Spiritum sanctum. Porrò propositio exponens et revelationem explicitam applicans, ipsa etiam potest esse revelata, ut patet in exemplo de receptione Spiritûs sancti ab Apostolis : vel esse *metaphysicè* aut *physicè* certa, ut liquet in exemplo de statuto moriendi ad omnes homines pertinente : vel solùm moraliter certa, ut in hoc syllogismo exhibetur : Omne legitimum concilium habet assistentiam Spiritûs sancti ; Tridentinum fuit concilium legitimum : ergo habuit Spiritûs sancti assistentiam : vel denique tantùm probabiliter nota, cujus exemplum exstat in sequenti discursu : omnis contritus legitimè confessus et absolutus est in statu gratiæ : sed Petrus est contritus, legitimè confessus et absolutus : ergo est in statu gratiæ.

Nota 2° : Objectum fidei materiale etiam proximum aliud est tale quoad se, aliud quoad nos. Primum est, quod est revera revelatum, quamvis notitia de tali revelatione non sit sufficiens ad illius objectum fide credendum ; secundum est, de cujus revelatione sufficientem notitiam nos habemus ad fidem. Hinc patet, cur revelata columba licet etiam *quoad se* sit revelata ejus definitio seu essentia metaphysica et partes physicæ essentiales, tamen ea non sint revelata *quoad nos* ; item cur plures propositiones obscuræ ante definitionem Ecclesiæ fuerint duntaxat objectum materiale fidei *quoad se*, postmodùm accedente decisione pontificum vel conciliorum evaserint etiam fidei objectum *quoad nos*. Similiter aliud est esse credibile, seu quod potest fide divinâ credi, aliud esse credendum, seu quod debet fide divinâ credi. Ad primum enim sufficit quod aliquid sit revelatum, habeaturque de ejus revelatione sufficiens notitia ; cum hoc casu adsit objectum materiale et formale, et sufficiens applicatio utriusque, atque hinc omnia ad fidem requisita ; ad secundum requiritur etiam notitia intentionis divinæ nos obligantis ad objectum aliquod credendum.

Dico 1° : Veritas formaliter contenta in aliquâ propositione explicitè revelatâ est quoad se objectum materiale fidei et credibile. Probatur : Aliquid esse credibile *quoad se* ac esse objectum materiale fidei, nihil aliud est, quàm esse talem veritatem, quæ à Deo simpliciter et absolutè revelatur aut dicitur : ut patet ex tendentiâ fidei, quæ non attigit modum dictionis clarum et explicitum, sed simpliciter sic fertur : Credo, quia Deus dixit. Sed dùm aliquid à Deo explicitè revelatur, etiam simpliciter et absolutè dicitur ac revelatur id quod in illo formaliter continetur, quia aliàs cùm quod formaliter continetur in alio, sit formaliter idem cum alio, formaliter idem diceretur et non diceretur, quod implicat. Ergo. Confirmatur 1° : Revelatio seu locutio accipienda est in sensu obvio, morali, et juxta intentionem tum usitatam tum debitam loquentis ; sed revelatio in tali sensu sumpta formaliter significat, quidquid formaliter in tali objecto continetur : ut patet tum ex communi loquendi modo, quo significamus definitionem per definitum, partes per totum, particulares per propositionem universalem ; tum quia formalis continentia talis est, ut vi termini continentis intellectus terminorum peritus statim hæc ac sine aliquo intercedente motivo objectivo alio percipiat : ergo. S. Greg. Naz. orat. 37 de Sp. S. q. 5 de Theol. seu n. 66, sic scribit : *Si te bis quinque aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim colligerem, aut ex eo quòd animal ratione vœditum et mortale diceres, hominem esse con-*

cluderem, an tibi nugari viderer? nequaquàm profectò, cùm tua dicerem. Ex quibus constat, verè et propriè dici objectum aliquod in alio formaliter contentum, si dicatur illud, quod quid formaliter continet.

Dico 2° : Ut ejusmodi veritas sit objectum materiale fidei et credibile quoad nos, requiritur, ut certitudine excludente prudentem formidinem certum sit eam veritatem in explicitè revelato formaliter contineri; nec sufficit hoc tantùm esse probabile. Probatur prima pars : Ut aliquid quoad nos sit fide theologicâ credibile, sufficit quòd sit reverà revelatum, et existentia revelationis sit nobis ejusmodi certitudine certa; sed utrumque habetur, si certum sit certitudine excludente etiam formidinem prudentem, veritatem formaliter contineri in explicitè revelato; quia veritatem formaliter contineri in revelato est veritatem formaliter esse revelatam ac consequenter revelationem existere. Ergo. Confirmatur : Qui certus est duo et tria esse quinque, potest vi illius revelationis, quæ perhibet Christum quinque panibus saturâsse quinque hominum millia, credere Christum duobus et tribus panibus totidem millia hominum saturâsse, ut Arriaga, licet adversarius, concedit : ergo idem dicendum est de omni veritate formaliter contentâ in revelato.

Probatur secunda pars ex damnatis ab Innoc. XI, inter quas vigesima prima, nostræ assertioni contradictoriè opposita, hæc est : *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitiâ solùm probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidat, ne non sit locutus Deus.* Altera est vigesima : *Potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.* Ex hâc sic arguitur : Per assensum fidei supernaturalis intellectus objecto credito ita firmiter adhærere debet, ut fidelis non possit illum assensum prudenter repudiare, imò potiùs vitam quàm fidem velit deserere. Sed si posset fide divinâ credi veritas probabiliter tantùm in alio contenta, primum facilè fieret, si nempe probabiliores in oppositum occurrerent rationes; secundum autem irrationabiliter præstaretur, si pro incerto bono certum relinqueretur : ergo. Confirmatur : Ex oppositâ sequentiâ sequeretur, posse illum, qui probabilissimè elicuit amorem Dei super omnia, aut ritè sit confessus et absolutus, credere fide divinâ se esse in gratiâ, quia universalis propositio est revelata, quòd amans Deum super omnia, aut ritè confessus et absolutus, gratiæ statum obtineat. Sed hæc secuela nequit admitti contraria conc. Tridentino, sess. 6, c. 9 : *Nullus scire valet certitudine fidei cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Ergo.

Objectiones.

Objic. 1° contra primam : Christum esse hominem est una veritas revelabilis, et Christum esse animal rationale est alia veritas seorsim revelabilis : ergo prior veritas revelari potest, quin alia reveletur : ergo uno revelato non revelatur aliud in eo formaliter contentum. Confirmatur 1° : Si revelato de Christo esse hominem, revelaretur esse animal rationale; etiam revelaretur essentiam hominis esse animal rationale; hoc est falsum : ergo. 2° Deus revelans Noe dimisisse columbam ex arcâ, non revelavit essentiam columbæ; et similiter loqui licet de unione hypostaticâ, aliisque. Ergo. — Resp. : Dist. secundam partem ant. Ex supposito quòd animal rationale sit definitio hominis, est alia explicitè veritas, concedo; alia formaliter implicitè, subdist. : Seorsim explicitè revelabilis, concedo; illa explicitè revelata, hæc est seorsim implicitè non revelata aut revelabilis, nego. Ad conf. primam, resp. : Nego. min. Ratio est quia ut reveletur animal rationale esse essentiam hominis, opus est, ut id de prædicato hujus propositionis. Christus est homo, etiam explicitè reveletur, sic nempe : Homo essentialiter est animal rationale. Quia verò de Christo non revelatur nudum hominis nomen, sed essentia quæ supponitur esse animal rationale, per revelationem quâ Christus dicitur esse homo, implicitè revelatur esse animal rationale, eo nempe modo, quo homo implicitè est animal rationale. Ad secundam, dist. ant. : Non revelavit essentiam columbæ, hoc est, non revelavit, quomodò et per quæ prædicata columba sit definienda vel constituatur, hoc est, ne quidem formaliter implicitè revelavit de prædicatis essentialibus et constitutivis columbæ, quidquid revelavit de columbâ, nego.

Inst. Deum aliquid revelare est Deum proferre verba, seu aliquod signum manifestativum objecti cum intentione, ut audiens intelligat : sed dùm Deus profert verba cum intentione, ut audiens intelligat objectum formaliter explicitè manifestatum, non hoc ipso habet etiam intentionem, ut intelligat id quod in objecto manifestato formaliter implicitè continetur; imò potest habere intentionem contrariam : ergo. Conf. primò : Potest definitum esse proximè credibile quoad nos, quin definitio sit quoad nos proximè credibilis : ergo primum etiam potest quoad se esse credibile, quin secundum etiam quoad se sit credibile. Secundò solum probabile est, formaliter implicite contentum in explicitè revelato esse revelatum : sed de quo probabile duntaxat est esse revelatum, id nequit credi fide divinâ, ut claret ex num. 65. Ergo.

Resp. : Dist. primam partem min. Non hoc ipso habet intentionem ut audiens intelligat implicitè id quod in objecto manifestato formaliter implicitè continetur, nego; non habet hoc ipso intentionem ut audiens id intelligat explicitè, subdist. : Non habet intentionem absolutam, concedo; conditionatam, nego. Cùm cognitio explicita definiti sit implicita cognitio definitionis aut formaliter contenti, Deus non potest velle ut audiens primum intelligat explicitè, et non intelligat implicitè secundum; quia alioquin cognitionem aut fidem vellet ac non vellet : unde secunda pars min. simpliciter negatur. Potest quidem loquens non habere intentionem absolutam ut audiens explicitè intelligat quod loquens nonnisi implicitè manifestat, et implicitè tantùm in manifestato continetur; imò potest hoc loquens absolutè nolle, et sic secunda pars min. intellecta admittitur. Idem tamen nequit habere intentionem conditionatam, quâ velit ut, si audienti affulgeat

cognitio explicita sensûs impliciti revelationis, audiens non intelligat id quod formaliter implicitè revelavit, reverà esse formaliter implicitè revelatum. Quo sensu non potest habere intentionem oppositam conditionatam.

Ad conf. primam, resp. : Nego cons. disp. Ut quid sit credibile quoad nos, requiritur ut id per cognitionem certam nobis proponatur revelatum ; potest autem hæc cognitio certa haberi de definito, et de definitione non haberi, eò quòd nequidem cognitionem prædicatorum essentialium veram et propriam teneamus : è contra ut quid sit credibile quoad se, sufficit quòd sit absolutè et simpliciter objectum immediatum revelationis, sed definitum nequit esse objectum immediatum revelationis, quin etiam sit definitio, quia aliàs de re formaliter eadem, qualis est definitum et definitio, verificarentur hæc contradictoria : esse et non esse objectum immediatum revelationis. Ad secundam, resp. : Dist. min. Est probabile quoad auctores sententiæ contrariæ, transeat ; quoad nos, nego. Licet hìc nobis præscindere ab improbabilitate absolutâ contrariæ sententiæ : tum quia illa Innocentii damnatio non agit de quæstionibus reflexis circa certitudinis qualitatem inter theologos controversis, uti in aliis pluribus patet ; tum quia, si reipsà falleremur in eo quod certum existimamus, et actu fidei credere conamur, non habere nos assensum fidei supernaturalem ac verum, sed naturalem duntaxat et purè existimatum, ultrò damus.

Objic. 2° : Propositio universalis æquè non continet formaliter particulares, ac universale non continet individua ; vel si contineat, tantùm confusè significat propositiones particulares : ergo vi propositionis universalis revelatæ vel planè non, vel confusè duntaxat et indeterminatè credibiles sunt particulares.—Resp. : Nego primam partem. Ant. disp. est, quia *universale* utpote à singularitatibus abstractum non potest continere singularia ; propositio autem utpote pro singularibus supponens debet eas continere. Secundam partem dist. : Propositio universalis quoad se et ex institutione vocis significat confusè particulares, nego ; quoad nos et ex defectu cognitionis de omnibus individuis, concedo. Unde et secundam partem conf. dist. : Ergo confusè tantùm et indeterminatè credibiles sunt quoad se, aut si nobis constent, nego ; quoad nos, quamdiù nempe nobis certò et distinctè non innotescunt particulares propositiones earumque in universali continentia, concedo.

Inst. 1° Ut quis assentiatur propositioni particulari sub universali contentæ, indiget discursu ; sed in hoc discursu minor, exponens particularem contentam esse in universali, non semper est revelata ; consequenter nec illa nec conclusio illi innixa est credibilis ; aut si etiam est revelata, uti in his præmissis : Omnis Apostolus accepit Spiritum sanctum, Matthæus est Apostolus ; tamen huic conclusioni : Ergo Matthæus accepit Spiritum sanctum ; non assentior, nisi ob identitatem extremorum cum termino medio. Ergo. — Resp. : Transmitto maj. ; quia si Deus revelaret aliquid de omnibus in scholâ mihi præsentibus, possem id de Petro mihi præsente affirmare sine discursu, sed prævià duntaxat cognitione de Petri præsentiâ. Ad primam partem min., nego seq. de conclusione, quia hæc minor exponens non habet se ut motivum fidei, sed tantùm ut *conditio*, quæ explicat et applicat nobis revelationem ; unde etiam ad credibile quoad nos duntaxat pertinet ; quoad se autem conclusio est credibilis per hoc quòd sit revelata in universali, in quâ formaliter continetur. Ad secundam partem min. dist. : Tamen huic conclusioni : Ergo Matthæus accepit Spiritum sanctum, non assentior nisi propter identitatem extremorum cum medio, si illi assentiar præcisè ex motione præmissarum, concedo ; si assentior ex motione revelationis divinæ, nego. Possum nempe dupliciter assentiri etiam conclusioni ex præmissis revelatis : primò, propter præmissas quæ revelatæ sunt, continentque formaliter conclusionem, et hic assensus est theologicus, secundò, non propter præmissas, sed tantùm propter revelationem præmissarum, quæ implicitè est revelatio conclusionis, utpote in illis formaliter contentæ ; et hic est assensus fidei.

Inst. 2° Si veritas certò formaliter contenta in universali propositione revelata esset credibilis, quæcumque veritas naturaliter certa, v. g., nos nunc existere, esset fide divinâ credibilis. Consequens est absurdum. Ergo. Maj. prob. Hæc universalis est revelata : Quidquid Deus cognoscit ita esse, id ita est. Certum autem est Deum cognoscere nos nunc existere ; ergo.—Resp. 1° : Juxta aliquos, quia ejusmodi veritates jam præsupponuntur antecedenter notæ, quàm divina scientia de illis proponatur, Deus non videtur illas revelare per propositionem universalem de suâ omniscientiâ, et ex eâ ortâ certitudine de rerum existentiâ ; quamvis enim Deus suam existentiam, auctoritatem etiam præsuppositivè jam notam revelavit, tamen id discriminis adhuc intercedit, quòd postrema revelârit non ex uno fine manifestandæ hujus veritatis, sed fidei et ad fidem necessariæ certitudinis gratiâ ; cùm è contra pro revelandis in illâ universali omnibus veritatibus naturalibus non haberi videatur alius finis, quàm manifestatio ; qui tamen superfluus est nec necessarius, præsuppositâ jam earum veritatum certâ notitiâ. Unde nego maj., et ad prob. nego supp. Quod Deus revelando illam universalem intenderit etiam revelare particulares propositiones, seu veritates sub eâ formaliter contentas.—Resp. 2° : Dist. seq. maj. : Omnes veritates naturales sumptæ independenter, aut seorsim ab universali propositione revelatæ, essent credibiles fide divinâ, nego ; sumptæ ab illâ dependenter et perassensum illi revelationi innixum essent credibiles, subdist. : Saltem quoad se, concedo ; semper etiam quoad nos, nego. Ad hoc enim per modum præviæ dispositionis requiritur, ut nobis etiam veritas certò proponatur ut revelata.

Inst. 3° : Licet de fide sit omnem hominem ab Adamo generatione naturali descendentem esse conceptum in peccato originali, tamen de fide non est, v. g., Ciceronem esse in peccato originali conceptum : ergo propositione universali revelatâ particularis non

est de fide. Ant. prob. Si hoc esset de fide, foret etiam de fide Ciceronem exstitisse : hoc non admittitur ; ergo. Maj. prob. Revelato toto, revelatur etiam illius pars essentialis hujus propositionis : Cicero est conceptus in peccato originali, est illius existentia ; ergo.

Antè responsionem suppono revelationes universales de subjecto complexo : hoc est, ut affecto aliquâ circumstantiâ, maximè quæ ad prædicatum conducit, esse *conditionatas* quales sunt : homo verè contritus justificatur ; omnis hostia consecrata continet corpus Christi ; omnis homo ex Adamo descendens, etc. : has verò propositiones tantùm *formaliter conditionatè* continere singularia, v. g., si hic homo est verè contritus, justificatur ; si hæc hostia est verè consecrata, etc. Ratio est, quia locutio conditionata est, quæ aliquid enuntiat dependenter à circumstantiâ quam non enuntiat : sic autem habere illas revelationes universales, liquet primò, quia hæ propositiones etiam extenduntur ad individua, quæ absolutè et reipsà non afficiuntur tali circumstantiâ, cùm vi primæ revelationis vera sit hæc conditionalis : si Judas verè fuisset contritus, fuisset justificatus : secundò, quia Deus non habet intentionem manifestandi talem circumstantiam absolutè convenire huic et illi individuo, cùm frequenter sit impertinens ad fidem catholicam aut necessariam vel utilem : tertiò, quia aliàs negans illam circumstantiam de particulari individuo satis notam, peccaret contra fidem. Quamvis verò purificatâ conditione propositio conditionata soleat fieri absoluta, et hinc etiam particularis, quæ purificatam conditionem involvit, contineatur sub universali conditionatâ, atque sic ob hanc revelatam illa etiam fide credibilis fiat ; tamen id inprimis saltem quoad nos non fit, nisi post certam cognitionem de purificatione conditionis. Deinde particularis est de fide duntaxat ex suppositione : denique illa quoad omnes suas partes scilicet subjectum seu conditionem non est de fide, sed tantùm quoad prædicatum seu conditionatum ; eò quòd quamvis locutio et revelatio ejusmodi compleatur ac integretur, sicut votum aut promissio, per conditionem positam, tamen hæc positio seu purificatio conditionis dicta et revelata non fuit : quod autem revelatum non est, credi nequit. — Jam resp. : Nego ant., quia suppositâ Ciceronis existentiâ et descensu ex Adamo ejusque certâ cognitione, nobis absolutè credibilis est ejus conceptio in peccato originali. Ad prob. nego maj., quia hæc existentia non est revelata, sed solùm naturaliter cognita. Ad ejus prob., dist. maj. : Revelato sine ullâ conditione toto, eoque quidditativè et quoad omnes partes, etiam revelatur ejus pars essentialis, concedo ; revelato sub conditione toto denominativè tantùm et quoad aliquam ejus partem, subdist. : Revelatur etiam pars essentialis, quæ se habet per modum conditionati, concedo ; quæ se habet per modum conditionis, nego. Propositio particularis in has duas resolvitur : Cicero exstitit descenditque ex Adamo, et fuit conceptus in peccato originali. Cùm igitur propositio universalis, quòd omnes ex Adamo descendentes peccaverint, sit conditionata, vi illius non fuit revelata prima propositio exponens, sed tantùm secunda ex supposito existentiæ et descensûs.

Inst. 4° Juxta probabilem per omnem actum fidei etiam creditur ipsa revelationis existentia, et non tantùm supponi prævièpotest illam existere : ergo etiam in hoc actu fidei, Cicero fuit conceptus in peccato originali, Ciceronis existentia et descensus ex Adamo non tantùm prævièsupponi, sed de fide credi debet ; quod tamen, cùm non sit revelata ejus existentia, fieri nequit. — Resp. : Nego cons. disp. Quia ex sententiæ illius principiis revelatio se ipsam exercitè revelat, et hinc non est tantùm conditio, sed objectum formale quod actus fidei, unde per eum et affirmatur et creditur : è contra existentia Ciceronis per revelationem propositionis non revelatur nec dicitur, sed solùm attingitur per modum conditionis ; unde fide divinâ credens Ciceronem conceptum fuisse in peccato originali, non credit, sed quantùm attinet ad objectum materiale hujus fidei, supponit ex parte subjecti Ciceronem exstitisse et fuisse conceptum ; ac si diceret : Cicero, conceptus et descendens naturali generatione ex Adamo, contraxit peccatum originale.

Inst. 5° In propositione particulari de tertio adjacente in materiâ contingente et prædicatione actualis denominationis, qualis est illa de Cicerone, affirmatur subjecti existentia : ergo si creditur ejusmodi propositio, debet credi subjecti existentia ; sicut dùm de fide est canem Tobiæ præcucurrisse, de fide etiam est eum exstitisse. — Resp. : dist. cons. Ergo si creditur absolutè et sine factâ suppositione, seu excludendo etiam conditionem illam implicitam universali propositioni intrinsecam, debet etiam, etc., concedo ; siquidem absolutè creditur, non tamen cum illâ exclusione aut sine suppositione declaratâ, nego. Ad prob. disp. est. Quia illa de cane Tobiæ est revelata immediatè in se ipsâ et in particulari, absolutissimè etiam et ex integro tam quoad subjectum quàm prædicatum ; alia de Cicerone est revelata mediatè ac in aliâ quoad modum significandi, eâque universali ac conditionatâ, adeòque non absolutissimè, ex integro et etiam quoad subjectum ; unde patet illam revelatam esse tam quoad secundum, quàm quoad tertium adjacens ; hæc verò duntaxat est revelata quoad tertium adjacens, et quidem ex supposito secundi adjacentis.

Objic. contra secundam. Potest dari fides theologica infirma ac imperfecta, ut patet in Petro cui dixit Christus, Matth. 14 : *Modicæ fidei, quare dubitâsti ?* in patre energumeni qui, Marc. 9, exclamavit : *Credo, Domine ! adjuva incredulitatem meam !* In quem locum sanctus Chrysostomus : *Si credit*, inquit, *quomodò dicit : Adjuva incredulitatem meam ? dicamus igitur quòd multiplex est fides, introductoria scilicet, et perfecta.* Sed talis dici potest fides, quæ conjungitur cum probabili solùm cognitione revelationis divinæ : ergo. — Resp. dist. M. : Potest dari infirma et imperfecta fides theologica naturalis, concedo ; supernaturalis, subdist. : Infirma et imperfecta ex defectu motivi formalis et modi tendendi in illud propter formidinem prudentem, nego ; ex defectu sufficientis affectionis

voluntatis aut fiduciæ fidem subsequentis, aut propter formidinem indeliberatam, concedo. Atque hoc ipsum constat ex testimoniis allatis; nam Petri fides primùm supernaturalis erat, sed infirma ob deficientem postea fiduciam; dein verò solùm naturalis erat, quando dubitabat, de quo audiendus est S. Aug. Hom. 14 de Verb. D.: *Titubatio Petri quasi mors fidei fuit; sed ub exclamavit, fides resurrexit, non ambularet, nisi crederet, sed nec mergeretur, nisi dubitaret.* V. d. n. 60. In quonam incredulitas alterius fuerit, ostendunt verba ipsius priora, dùm ait: *Dixi discipulis tuis, ut ejicerent spiritum mutum, et non potuerunt.... sed si quid potes, adjuva nos.* Itaque fides ejus perfecta et bona fuit in eo quòd Deo et in eum credenti omnia possibilia sint, quam Christus antecedenter ab illo postulabat. Incredulitas autem adjuvanda versabatur in eo quòd cùm Apostolos, invocato nomine Jesu, nihil profecisse advertisset, de ipsius etiam potestate ac divinitate dubitaret, atque hinc ejus fides non quoad objectum formale et firmitudinem, sed quoad objectum materiale deficeret; atque hinc etiam requisita ad miraculum confidentia careret. In hunc sensum exponenda est fides, quæ à S. Chrysost. vocatur introductoria, cui scilicet opponitur perfecta tam secundùm objectum formale ac materiale, quàm secundùm effectum fiduciæ et voluntatis affectionem efficacem.

Inst. 1° Etsi amor Dei supernaturalis debeat esse super omnia, tamen non excludit amorem delectabilis Deo leviter oppositi, et stare potest cum peccato veniali: ergo etsi etiam fides debeat esse super omnia, tamen non excludit omnem formidinem de opposito, et sic stare potest cum notitiâ probabili de revelationis existentiâ. Conf. Ascensus fidei cum probabili tantùm notitiâ non foret supernaturalis, quia esset falsus; sed talis assensus quandoque posset esse verus; ergo tum saltem posset esse supernaturalis. — Resp. Dist. ant.: Amor supernaturalis Dei super omnia non excludit à suo actu amorem delectabilis Deo leviter oppositi, et in eodem actu potest stare peccatum veniale, nego; non excludit à subjecto amorem delectabilis, et sic peccatum veniale simul in eodem subjecto stare potest, concedo. Si actus amoris esset simul actus *leviter peccaminosus* non posset esse supernaturalis, utpote quem honestum ex omni parte oportet esse: quamvis verò ex dict. n. 36, peccatum veniale non impediat, ne possit elici amor Dei super omnia, tamen id de fide supernaturali non tenet; utpote quæ habet modum tendendi in utrumque suum objectum firmissimum, qui talis esse nequiret, stante de revelationis existentiâ per alium etiam actum formidine. Ad conf., resp.: Nego causam maj. Ideò enim à priori non est supernaturalis quia non provenit ab habitu vel lumine fidei supernaturali, et consequenter non habet modum tendendi proprium actui fidei supernaturalis. Hoc verò non tantùm contingit, dùm actus reipsà est falsus, sed et etiam dùm cum formidine elicitur, aut in certitudine de revelationis existentiâ non fundatur.

Inst. 2°: Ad hoc ut voluntas possit prudenter imperare actus aliarum virtutum, sufficit quòd probabiliter detur earum objectum: ergo etiam ad hoc ut prudenter eliciatur actus fidei supernaturalis, sufficit probabiliter dari ejus objectum. — Resp.: Nego cons. disp. Actus aliarum virtutum sunt piæ affectiones voluntatis, ad quas quamvis requiratur, ut judicium proximum, quo judicamus aliquid in his vel illis circumstantiis esse honestum aut licitum, semper debeat esse certum, tamen judicium speculativum, quo res aliqua judicatur in se honesta aut ita esse, quoque remotè dirigitur voluntas et operatio, potest esse probabile tantùm: tum quia sæpiùs ad certitudinem speculativam pertingere non possumus, et si ad operationem virtutis necessaria semper foret, multi actus virtutum deberent omitti, v. g., eleemosyna pauperibus præbenda, honor parentibus pendendus, adoratio hostiæ præstanda, etc.; tum quia voluntatis operatio recta, bona et honesta est, quatenùs est conformis dictamini rectæ rationis, quod in judicio practico et proximo certo residet, quodque hâc ratione potest facere, ut sit honestum et licitum quod reipsà non est. E contra *actus fidei* est actus intellectûs, cujus objectum est verum, et firmissimus; jam verò judicium probabile de revelationis existentiâ nequit facere ut aliquid non revelatum reipsà sit revelatum, ac consequenter credibile; neque etiam prudenter imperare intellectui, ut firmissimè assentiatur dari objectum fidei ac revelationem.

Inst. 3°: Quamvis habeatur tantùm probabilitas de existentiâ revelationis, voluntas tamen præstare potest, ut intellectus eliciat actum firmissimum; nam damnata est ab Innocentio IX prop. 19: *Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Ergo. — Nego ant. ad prob., resp. sensum propositionis damnatæ esse hunc, quòd voluntas non possit efficere vi sui imperii, ut assensus fidei supernaturalis nixus motivo intrinseco fidei, hoc est, divinâ auctoritate revelante, habeat majorem firmitatem intellectualem et adhæsionis, seu majorem certitudinem, quàm mereantur rationes extrinsecæ, seu signa credibilitatis et Ecclesiæ auctoritas, quæ tantùm pariunt certitudinem cum falsitate absolutè adhuc possibilem; unde fieret assensum fidei supernaturalem non esse infallibiliter verum; contra ac conc. Trid., sess. 6, c. 9 enuntiat. Ex quo liquet damnationem minimè ad nostram quæstionem pertinere.

Inst. 4°: Si credi nequit, de quo tantùm probabiliter constat esse revelatum, ergo infidelis, cui mysteria fidei nostræ præ suis erroribus tantùm probabiliùs videntur revelata, non tenetur credere; sed ab eodem pontifice damnata est hæc prop. 4: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.* Ergo. — Resp.: Dist. maj. Non excusatur ab infidelitate per hoc quòd non statim et cum probabili tantùm notitiâ revelationis credat, nego; quòd alia non faciat, ad quæ ex notitiâ revelationis acceptâ tenetur, concedo. Infidelis in hoc casu nec tenetur, nec potest credere, ut ex n. 59 patet; quia tamen homini ejusmodi lux aliqua affulget de verâ fide, quæ est medium omninò necessarium ad salutem, tenetur diligen-

ter inquirere et media ad eam obtinendam adhibere, quibus adhibitis Deus illi non deerit, perducetque ad notitiam sufficienter certam de revelatione. Quare hæc omittens peccat *in materiâ fidei*, non quia non credit, sed quia veritatem non inquirit, ut deberet; cùm in materiâ virtutis non solùm committatur peccatum tunc, quando quis sufficiente habitâ præcepti notitiâ illud violat; sed et dùm vincibiliter seu culpabiliter id ignorat; et è contra qui hanc diligentiam præstat excusatur ab infidelitate, eò quòd impleat præceptum fidei jubentis, eo in casu melius inquiri veritatem; non autem quia sequitur opinionem minùs probabilem, quam habet de suâ sectâ quod unum in hâc propositione damnatum fuit : eò quòd nunquàm liceat sequi opinionem minùs probabilem, ubi datur lex, consuetudo, vel conventio de sequendâ probabiliori, aut ubi periculum gravis damni imminet, quod evitare non pendet ab opinionis probabilitate.

Inst. 5° : Potest credi Christi præsentia in hâc numero hostiâ, tum quia scandalosum esset dicere, non esse *de fide* in hâc numero hostiâ populi adorationi expositâ non esse Christum, tum quia ex *Cæremoniali Romano*, aliisque diœcesanis, sacerdos, viaticum administrans, dicere jubetur : *Credis, frater, hoc esse corpus Domini nostri Jesu Christi?* et infirmus, respondere : *Credo.* Ergo, cùm probabiliter tantùm constet hanc hostiam ritè consecratam esse, sufficit probabilis notitia de formali continentiâ particularis in universali revelata. — Resp. : Nego ant., vel dist. : Potest credi actu fidei implicitè conditionato, si nempe hostia verè sit consecrata, conc. ; actu fidei absoluto, subdist. : Relatè ad hostiam ut sic verè consecratam, concedo; relatè ad hanc numero hostiam, nego. Ad prob. 1° resp. : Quamvis id coram imperito vulgo occasio posset esse scandali, tamen reipsà et coram theologis scandalosum non est, cùm hæc propositio nihil aliud sonet, ac non esse revelatum à Deo hanc hostiam esse verè consecratam. Unde nec esset absolutè martyr, qui pro hujus propositionis veritate moreretur. Ad prob. 2° resp. : Et præceptum illud et actum fidei esse absolutum relatè ad existentiam Christi sub hostiâ verè consecratâ, implicitè conditionatum autem relatè ad hanc numero hostiam.

Inst. 6° : Hostia quæ ita probabiliter est consecrata, ut non detur motivum positivum prudens de opposito, est absolutè adoranda : ergò etiam absolutè credi potest Christi ibidem præsentia; tum quia adoratio æquè exhibetur in obsequium divinum, ac actus fidei; tum quia ut hostia possit absolutè adorari, debet priùs absolutè credi, sub illâ dari objectum adorationè dignum. — Resp. : Conc. ant. ; quamvis enim adoratio hæc à quibusdam dicatur præsuppositivè conditionata, quatenùs nempe præsupponit cognitionem, quâ prudenter judicat esse hostiam verè consecratam et adesse Christum, non est tamen formaliter aut terminativè conditionata, quasi diceret : Adoro te, Christe, si fortè es sub his speciebus. Nego cons. Disp. est quia adoratio est actus *virtutis moralis*, atque ad voluntatem pertinens, ac consequenter remotè fundari potest in judicio solùm probabili, ut proximè dictum fuit; de quo tamen ulteriùs adverte, judicio huic in præsenti casu nec positivum nec negativum dubium adjungi, quia nec rationes in contrarium æquales illis quæ adsunt pro verâ consecratione, nec etiam nullas rationes pro utrâque parte habemus; potest nihilominùs *levis* quædam *formido* ex eo oriri, quòd possibile sit hostiam non esse verè consecratam, vel ex defectu legitimæ ordinationis vel intentionis in sacerdote; quæ tamen si prudenter impedire possent adorationem, omnes hostiæ eâ carerent. His adde, quòd supposito etiam defectu consecrationis reipsà factæ non committatur *idololatria* saltem *formalis*, quia non adoramus hìc objectum, quodcumque ibi fuerit, sed ea refertur in Christum. Unde licet intellectus invincibiliter erret judicando ibidem existentiam Christi, non errat tamen voluntas, quæ in solum Christum tendit, quem, quia judicatur ibi contineri honestum, decernit adorari. Ad prob. primam, resp. : Dist. : Æquè, hoc est, uterque actus exhibetur in obsequium divinum, conc.; hoc est, eodem modo, nego. Diversissimum autem modum tendendi in actu fidei supernaturalis hactenùs satis indicavimus, eumdem uberiùs infra declaraturi. Ad prob. primam, nego ass. Nequidem enim certum judicium speculativum in hoc et aliis virtutum moralium actibus requiri, similiter dictum est supra.

Articulus III.

An veritas virtualiter solùm ac mediatè revelata sit objectum materiale fidei.

Nota 1°. Pro ratione continentiæ unius prædicati vel propositionis in alio dicitur aliquid *formaliter* vel *virtualiter* revelatum; si aliquid sit formaliter idem cum altero, uno revelato etiam aliud formaliter idem cum altero, uno revelato etiam aliud formaliter revelari, virtualiter verò dicitur revelari aliquid in alio, si quid tantùm realiter idem est cum altero formaliter revelato, cujusmodi sunt proprietates etiam methaphysicæ respectu essentiæ. Sicut verò formalis revelatio solet dici immediata, sic etiam virtualis dicitur mediata; quæ quidem duplex est, scilicet vel *mediata* ex parte *subjecti*, ubi Deus non immediatè per seipsum, sed per prophetas et Apostolos aliquid revelavit; quam tamen hìc non usurpamus : vel mediata ex parte objecti, ubi aliquid nec in seipso formaliter etiam continetur in alio explicitè revelato ; sed tantùm continetur virtualiter in alio tanquàm in causâ et radice, aut cum eo sic connectitur, ut per legitimam consequentiam ex eo necessario deducatur.

Nota 2°. Licèt cognitio divina non possit esse præcisiva, adeòque Deus cognoscendo alicujus rei essentiam etiam debeat cognoscere illius proprietates; revelatio tamen divina saltem externa potest esse *præcisiva*, adeòque Deus ad extra potest revelare essentiam, quin revelet ejus proprietatem metaphysicam aut physicam. Ratio utriusque est, quia Deus cognoscendo est *necessarius* ; unde quidquid est cognoscibile ratione suæ omniscientiæ cognoscere debet : in revelando autem est *liber*, atque ad revelationem utitur signis creatis aut vocibus secundùm liberam institu-

tionem manifestativis; quæ cùm exprimant unam formalitatem, quin aliam etiam realiter identificatam manifestent, etiam Deus potest unam sine alterâ revelare. Præterea etiam, cùm revelatio non sit manifestatio quæcumque, sed talis quæ, interpositâ loquentis auctoritate, tendit ad notitiam alicujus rei dandam audienti, sequitur voces et signa ex se posse audientem deducere in cognitionem cujusdam objecti, quin tamen illud propriè ac testando à loquente revelatum sit, ac consequenter credibile.

Dico : Veritas virtualiter duntaxat et mediatè in altero explicitè revelato contenta non est objectum materiale fidei. Prob. Quod non creditur aut non credi potest tantùm vi loquentis Dei ac revelationis, non est objectum materiale fidei, quia formalis tendentia actûs fidei est hæc : Credo hoc, quia Deus dixit, seu revelavit ; sed veritas *virtualiter* duntaxat et *mediatè* in altero explicitè revelato contenta sic non creditur nec credi potest ; nam actus fidei, quo crederem, v. g., risibilitatem Christi, cò quòd humanitas Christi revelata fuit, inprimis non potest habere hanc tendentiam : Credo Christum esse risibilem, quia Deus dixit eum esse hominem, ut patet ex ipsis terminis, eò quòd sic non importetur motivum fidei afficiens objectum materiale seu risibilitatem. Deinde, neque istam : Credo Christum esse risibilem, quia Deus dicit esse hominem, et omnis homo est risibilis ; nam talis actus partialiter nititur illi rationi philosophicæ, quòd omnis homo sit risibilis. Denique nec hanc : Credo Christum esse risibilem, quia Deus hoc dixit ; nam supponitur Deum tantùm dixisse Christum esse hominem : dicere autem Christum esse hominem, secundùm se non importat intentionem ingerendi aliquem formalem conceptum de risibili, neque intentionem manifestandi formalem conceptum seu mentem de risibili, quæ tamen intentio saltem implicita requiritur ad propriam locutionem. Ergo. Conf. 1° : Revelatio Dei *ad extra* potest esse præcisiva, et etiam de facto est, quia prout ad nos pertingit, est signum vel vox quæ formaliter et immediatè tantùm nobis inferunt conceptum essentialem rei per ea significatæ : ergo ex hoc quòd Deus revelet formaliter essentiam, revelationi divinæ non substant proprietates et alia prædicata, formaliter et ratione ratiocinata distincta. 2° Ideò formaliter revelatâ præcisè essentiâ etiam proprietates essent de fide, quæ in illâ *virtualiter* continentur, quia Deus illam explicitè revelando has etiam implicitè revelare intenderet ; sed hoc nec constat *ex se*, et vi ipsius revelationis probatur ; nec *ex facto*, cùm potiùs inde sciamus, Deum proprietates etiam explicitè revelâsse, quales sunt passibilitas et mortalitas respectu Christi, dùm eas credi voluit ; nec *ex fine*, cùm Deus specialem habere possit et habeat sæpè finem ad revelandam essentiam, v. g., humanitatem Christi, quàm ad revelandam proprietatem, v. g., passibilitatem, vel risibilitatem ejusdem. Ergo.

Objectiones.

Objic. 1°. Revelato aliquo prædicato, revelantur omnia cum ipso realiter identificata, quia quidquid verificatur de uno, verificatur etiam de aliis realiter cum illo identificatis : ergo. — Resp. : Nego ant. ; ad prob. dist. : Quidquid verificatur de uno formaliter accepto, verificatur etiam de aliis realiter cum illo identificatis, nego ; quidquid verificatur de uno realiter accepto, subdist. : Verificatur etiam quomodocumque, nempe vel vi naturalis connexionis vel vi revelationis, de aliis realiter identificatis, concedo ; verificatur præcisè vi revelationis, nego. Minimè autem ex his inferri posse contradictionem, vel ipsi adversarii probant, dùm fatentur essentiam revelari formaliter et immediatè, proprietates autem virtualiter duntaxat et mediatè. Quòd porrò nec formaliter reveletur proprietas revelatâ formaliter essentiâ, et revelatio essentiæ sit præcisiva, ex superioribus satis liquet.

Inst. 1° : Deus revelando aliquam rem, eam revelat juxta suam naturam, quam reipsà habet ; tum quia revelatio Dei est manifestatio scientiæ, quam habet Deus de illâ re ; tum quia Deus revelando, v. g., *Christum esse hominem*, non voluit dicere eum esse hominem metaphysicum, seu metaphysicè sine proprietatibus sumptum ; tum quia revelat juxta communem et humanum modum loquendi, secundùm quem quando dicitur, v. g., homo, non solùm dicitur ejus essentia, sed etiam ipsius connaturalis status, ut moles corporis cum suâ extensione, quantitate et organisationibus ; tum quia revelato de Christo esse hominem, est de fide Christum habuisse omnia ad statum connaturalem pertinentia, nisi specialis ratio vel fides ipsa nos cogat aliquid excipere. Ergo. — Resp. : Dist. ant. : Revelat secundùm naturam quam reipsà habet, et in quantum eam revelatio externa exprimit, concedo ; simpliciter secundùm naturam, quam reipsà habet, nego. Equidem nihil revelat de aliquo, quod reipsà non habeat ; non tamen omnia, quæ habet, revelat. Ad prob. primam, resp. : Dist. : Revelatio est manifestatio vel adæquata vel inadæquata scientiæ, quam Deus de aliquâ re habet, concedo ; semper adæquata, nego. Ad secundam, resp. : Non voluit dicere Christum esse hominem metaphysicum, etc., hoc est, noluit dicere Christum habere tantùm essentiam metaphysicam hominis, non autem proprietates, concedo ; hoc est, noluit vi hujus revelationis solùm manifestare ac credendam proponere essentiam hominis metaphysicam de Christo, nego. Ad tertiam, dist. : Secundùm communem loquendi modum, dùm dicitur homo, per se loquendo dicitur etiam hujus status connaturalis, etc., nego ; per accidens et si ex circumstantiis loquentis intentio colligitur, dicitur etiam status connaturalis, etc., concedo. Hoc postremo modo, v. g., si interroganti an sacrificium missæ sit cultus Deo gratus, quis responderet : Ipse Christus id instituit, per hoc implicitè omninò diceret id Deo placere, quamvis hæc complacentia solùm sit terminus, quocum connectitur Christi institutio : hinc Paulus 1 ad Cor 15, ex resurrectione Christi *ut causæ exemplaris et meritoriæ* probat esse de fide nostram omnium resurrectionem ; ut ibid. explicat lect. 2 S. Thomas. Ad quartam. dist. : Ex vi illius revelationis secundùm se

spectatæ de fide est Christum habuisse omnia, etc., nego; simul cum aliis circumstantiis sumptæ, aut vi aliarum revelationum, ubi Christus, ad Hebr. 4, dicitur homo nobis per omnia similis absque peccato, concedo. Nempe quamvis ad propriam locutionem de aliquâ veritate requiratur, 1° signum externum aptum ad illam formaliter manifestandam seu ingenerandam formalem ejus notitiam saltem implicitam, et 2° loquentis intentio hoc faciendi; tamen cùm utrumque locutioni possit convenire non tantùm per se loquendo, sed etiam per accidens ratione circumstantiarum extrinsecùs occurrentium, fit ut illa verba : Christus est homo, ut affecta aliis circumstantiis ac contextu, significent Christum habuisse corpus organicum perfectum cum omnibus, quæ ad connaturalem hominis statum pertinent.

Inst. 2° : Deus agendo ad extra nequit producere essentiam metaphysicam, non productâ ejus proprietate metaphysicâ : ergo nec revelare, præsertim quia sicut ad extra operando operatur secundùm rerum exigentiam, nisi velit patrare miraculum, sic etiam debeat dici revelare. — Resp. Disp. Productio terminatur ad rem, prout hæc est à parte rei et in esse physico; revelatio autem terminatur ad rem prout substat intentioni loquentis ad cognitionem audientis directæ atque hinc in esse intentionali; unde quidem implicat produci rem sine alterâ sibi realiter identificatâ, quia idem aliàs esset et non esset productum : non verò repugnat unam formalitatem distinctam ab alterâ sine hâc revelari. Ad rationem, nego supp. cons., quia nec revelatio, utpote quæ potest esse præcisiva, nec proprietas tanquàm formaliter distincta, exigunt ut revelatâ essentiâ reveletur proprietas.

Inst. 3° : Revelatâ universali hâc : *Omnis homo est mortalis*, credi potest hæc particularis; hic studiosus est mortalis, licet non includatur formaliter in illâ; cùm hujus subjectum non includatur formaliter in subjecto illius, eò quòd homo formaliter non sit studiosus. Conf. Ex eo quòd revelatum sit Christi corpus esse in Eucharistiâ, de fide est, juxta Trid., etiam ibi adesse sanguinem, animam et divinitatem vi naturalis connexionis et concomitantiæ; ergo etiam ex eo quòd Christum esse hominem sit revelatum, de fide erit eum esse risibilem. — Resp. : Dist. : Particularis credi potest quoad prædicatum, concedo; credi potest quoad subjectum, nego. Similiter illud additum, dist. : Particularis non includitur formaliter quoad prædicatum, nego; quoad subjectum, concedo. Patet ex dictis præced. art. subjectum propositionis particularis in universali contentæ non credi, sed supponi, quia in universali non revelatur absolutè subjectum, sed duntaxat prædicatum; cùm verò hoc, nempe mortalitas, formaliter sit idem in propositione particulari et universali, supposito ut certo quòd hic studiosus sit homo, possum fide credere quòd sit mortalis. Ad conf. dist. ant. : De fide etiam est adesse sanguinem, animam et divinitatem præcisè ac vi solitariæ connexionis et concomitantiæ naturalis, nego; vi connexionis ac concomitantiæ ut substantis alteri revelationi, concedo; Christi corpus in Eucharistiâ habere sanguinem et animam saltem formaliter implicitè revelatum est in illo ad Rom. 6, 9 : *Scientes quòd Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Quòd habeat divinitatem, similiter revelatum est in eo Joann. 1, 14 : *Verbum caro factum est*. Quæ bina cum illo Matth. 26, 26 : *Hoc est corpus meum*, constituunt quasi præmissas revelatas, in quibus illa conclusio de præsentiâ sanguinis animæ ac divinitatis formaliter continetur. Vi autem verborum illorum, *hoc est corpus meum*, sicut juxta Trid. ne quidem formaliter ponitur sanguis et anima, sic etiam non creditur.

Inst. 4° : Revelatâ re metaphysicè connexâ cum termino aliquo, revelatur etiam terminus, quia ex hoc Genesis 1 dicto : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, ubi revelatur actio, potest credi existentia cœli et terræ, creata à Deo tanquàm effectus : sed terminus metaphysicæ connexionis non continetur *formaliter* in re connexâ; ergo credi potest aliquid etiam formaliter non contentum in revelato. Conf. Revelato uno correlativo etiam revelatur alterum, quia correlativa sunt simul naturâ et cognitione : ergo etiam revelatâ essentiâ, revelantur proprietates, quia essentia radicans et proprietates radicata sunt duo correlativa. — Resp. : Nego maj.; si enim non revelantur realiter identificata, multò minùs termini metaphysicæ connexionis revelantur; ad prob. nego cons. Nam dicere : Deus creavit cœlum et terram, est formaliter dicere quòd Deus dederit esse et existere cœlo et terræ, cùm propositio activa et passiva formaliter idem enuntient. Revelationes autem non sunt accipiendæ in sensu grammaticali, sed morali et humano secundùm intentionem loquentis, prout ex contextu et aliis circumstantiis colligi potest. Si autem ita attendatur illud testimonium Scripturæ, absque dubio formaliter hìc revelata significatur existentia cœli et terræ à Deo creata. Ad conf., resp. : Ex modò dictis, dist. ant. et cons. Revelato correlativo quà tali, et essentia quà radicante, revelatur saltem implicitè aliud correlativum et proprietas radicata, concedo; revelato illo quod est correlativum aut essentia radicans, nego.

Objic. 2° : Ad hoc ut aliquid sit de fide, sufficit ut illi possim assentiri propter testimonium Dei; sed si constet de identitate hominis cum risibili, possum assentiri risibili propter testimonium Dei revelantis hominem; ergo. Conf. 1° Quando revelatur proprietas aut actio unius, vi hujus revelationis potest etiam credi illius essentia et existentia; ergo à contrario dùm revelatur essentia, credi potest proprietas. 2° Ad fidem sufficit revelatio mediata ex parte *subjecti*; item connexio revelationis cum objecto revelato; ergo etiam mediata ex parte *objecti*, item connexio proprietatis cum essentiâ ut revelata. — Resp. : Dist. maj. : Sufficit ut illi possim assentiri propter testimonium Dei, ut illud dicentis, concedo; ut dicentis aliud, cui illud est identificatum aut connexum, nego. Sic enim non creditur propter testimonium, sed assentimur illi propter identificationem vel connexionem, unde quidem

scientia theologica, seu actus ad habitum theologiæ pertinens; non autem actus fidei theologicæ sequitur. Ad conf. primam, nego cons. Disp. est, quia regulariter loquendo si ex parte prædicati revelatur proprietas vel actio, simul ex parte subjecti revelatur ejus essentia et existentia; cùm hæ sint quasi prædicata superiora, quæ in inferioribus formaliter continentur; è contra revelatâ essentiâ, proprietas nec ex parte prædicati nec subjecti revelatur; quia hæc in essentiâ æquè parùm, ac inferiora in superiori, formaliter continetur. Ad secundam, disp. est, quia revelatio ex parte *subjecti* mediata extendit se ratione sui et formaliter ad objectum; quæ autem se tenet ex parte objecti, non ratione sui objectum mediatum afficit, sed solùm ratione identitatis realis aut naturalis connexionis connotat. Item quia prior connexio est ipsa revelatio divina infallibilis adeòque fidei objectum formale; posterior est vel identitas vel necessaria connexio quæ objectum formale scientiæ, non item fidei esse possunt.

Inst. 1° : Ad habitum charitatis non solùm pertinet amare Deum propter seipsum, sed etiam proximum propter Deum. Ergo et ad habitum fidei non solùm credere essentiam propter revelationem divinam, sed proprietatem quoque propter essentiam revelatam. Conf. 1° : Quamvis creaturæ contineantur in Deo solùm virtualiter, tamen earum cognitio in beatis pertinet ad lumen gloriæ; ergo et quamvis proprietas virtualiter duntaxat in essentiâ contineatur, tamen assensus de proprietate potest factâ essentiæ revelatione spectare ad habitum fidei. 2° Actus, quo detestor peccatum propter malitiam ejus ut offensæ Dei, est actus theologicus pertinens ad charitatis habitum, licet eo immediatè non attingam Dei bonitatem tanquàm objectum formale quod : ergo et actus, quo credo risibilitatem ut realiter identificatam essentiæ revelatæ est actus propriè theologicus et pertinens ad habitum fidei, licet eam non credam immediatè propter revelationem divinam. — Resp. : Nego. cons. Disp. est, quia sicut proximus à bonitate divinâ essentialiter pendet et ad eam refertur, sic etiam supponitur amari propter illam; unde in amore proximi est motivum formale charitatis, ob quod amor ille meritò refertur ad charitatis habitum : è contrario revelatio divina non connectitur cum proprietate, à quâ dicens, essentiam præscindit; adeòque nequit esse motivum ad eam credendam. Ad conf. primam, resp. : Dist. ant. : Cognitio creaturarum in quocumque medio à beatis habita pertinet ad lucem gloriæ, nego; formaliter in verbo seu in divinâ essentiâ à beatis habitâ, concedo. Quia verò ad hanc habendam requiritur, ut actus, quo cognoscitur essentia divina, idem sit quo cognoscuntur creaturæ, et præterea Dei essentia sit ratio formalis ac motiva, cur creaturæ cognoscantur; patet hanc formalem in verbo cognitionem creaturarum omninò pertinere ad lumen gloriæ : cùm ex oppositâ ratione assensus proprietati præstitutus ad fidem pertinere nequeat. Ad secundam, resp. : Ejusmodi actum detestationis (si supponatur tam objectum materiale, scilicet peccatum, quàm formale scilicet malitiam aversari, neque habere pro objecto formali *ut quod* saltem partiali bonitatem divinam quam prosequatur) non esse theologicum, neque pertinere ad habitum charitatis, utpote cujus objectum formale à quo tamen tam actus aversativus quàm prosecutivus virtutis specificari debet, *ut quod* non attingit. Si verò ejusmodi detestatio sit quidem aversativus objecti materialis, sed tamen vel partialiter vel totaliter prosecutivus ratione objecti formalis, erit quidem theologicus et spectans ad charitatem; sed quia hinc etiam proprium motivum charitatis habet, apertè discrimen inter ant. et cons. elucescit.

Inst. 2° : Multa sunt de fide quæ virtualiter tantùm sunt revelata; prob. quæ Ecclesia definit sunt de fide : sed Ecclesia multa definivit quæ tantùm sunt virtualiter revelata : v. g., Christum habere duas voluntates, quod tantùm virtualiter revelatum erat in revelatione duplicis in Christo naturæ. Ergo. Conf. Negans Christum esse risibilem censeretur hæreticus, quia revelatum est Christum esse hominem; imò esset formaliter hæreticus quia qui negat proprietatem, negat etiam essentiam, et hinc negatâ risibilitate, negaret humanitatem revelatam : ergo aliquæ veritates sunt de fide ex vi revelationis, in quâ virtualiter tantùm continentur. — Resp. : Nego ass. Ad prob., dist. maj. : Quæ Ecclesia definit ut credenda, sunt de fide, concedo; quæ definit tantùm ut theologicè certa, nego. Similiter dist. min. : Ecclesia multa definit ut credenda, quæ tantùm sunt virtualiter revelata, nego; ut theologicè certa, concedo. De fide credendum nihil Ecclesia proponit, nisi quod implicitè saltem est revelatum in verbo Dei scripto vel tradito : potest tamen id quod virtualiter in revelato continetur, proponere tanquàm theologicè certum, ita ut oppositum illi sentire sit temerarium et schismaticum, non verò hæreticum; duas enim in Christo esse voluntates revelatum est immediatè in Scripturâ. Ex hâc constat Deum habere propriam voluntatem, et Christum esse Deum ac consequenter habere voluntatem divinam : præter hanc autem alteram adhuc fuisse in Christo voluntatem, nempe humanam, similiter habetur in sacris Litteris ubi Christus, Luc. 22, dixit : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Cæterùm hìc non suscepimus definire in particulari, sitne de fide hæc vel illa veritas singularis.

Ad conf., resp. : Dist. primam prob. ant. : Censeretur hæreticus quia præsumeretur negare humanitatem explicitè revelatam, concedo; quia etsi præcisè negaret aut connexionem inter humanitatem et risibilitatem, aut revelationem risibilitatis, nego. Circa hunc syllogismum : Omnis homo est risibilis; Christus est homo, ergo Christus est risibilis; triplex casus est possibilis : 1° ut quis non penetret connexionem essentiæ ac proprietatis; quo casu ille negaret majorem, nec dici posset hæreticus ut per se liquet. 2° Ut quis, penetratâ connexione illâ et præmissis concessis, neget consequentiam; quo casu quia præsumitur negare conclusionem non ex eo quòd neget evidentem illationem, neque etiam præmissam naturaliter evidentem, sed quòd neget præmissam revelatam, quæ est

obscura, etiam præsumitur et arguitur esse hæreticus; quamvis si reipsà non negaret revelatam præmissam, reverà non foret hæreticus. 3° Ut quis penetret illam connexionem et concedat etiam totum, sed neget consequens esse de fide; et sic non foret nec præsumi posset hæreticus, sed responderet secundùm nostræ sententiæ principia. Ad secundam prob. nego ass. prob., dist. : Qui negat proprietatem, negat etiam essentiam ut emanantem talem proprietatem, concedo; negat eam absolutè sumptam, secundùm se, et prout est revelata, nego. Potest enim quis ex proximè dictis negare connexionem proprietatis cum essentiâ adeòque negando proprietatem non negare essentiam.

Observa. Ex priore præsentique articulo corollarii more inferri decidique solet, num fide divinâ credi possit, quòd hoc numero concilium repræsentet Christi Ecclesiam; præsens Romanus pontifex sit verus papa et Christi vicarius; hic sanctus solemniter à papâ canonizatus fruatur æternâ beatitudine. Sed quia singulares sunt cum hæreticis æquè ac catholicis controversiæ de majore revelatâ et minore naturaliter certâ, quæ tanquàm præmissæ afferuntur pro illis veritatibus in conclusione affirmandis; hinc ad illas controversias in alterâ parte pleniùs respondere licebit.

CAPUT II.

De objecto materiali fidei in specie.

Nomine objecti materialis fidei *in specie* designamus hic articulos fidei catholicæ, qui id ultra objectum fidei materiale addunt, quòd sint fidei propositiones de re ejusmodi, quæ per se ad fidem spectet, et specialem credendi difficultatem contineat. In hujus autem argumenti pertractione primò quidem de symbolis, utpote articulos fidei nostræ continentibus, tum de articulis ipsis, demùm de quibusdam eorum affectionibus disseretur.

ARTICULUS PRIMUS.

An objectum materiale fidei convenienter tradatur in Symbolis fidei?

Nota : Symbolum *vi nominis* collationem significat, ex usu sumitur pro indicio ac tesserâ; prout fidei applicatum dicitur summa vel comprehensio fidei seu credendorum simplex, brevis et plena; ut nempè simplicitas ruditati, brevitas memoriæ, plenitudo consulat doctrinæ. Finis symboli hujuscemodi conficiendi generatim fuit triplex : 1° ut docentes haberent unam eamdemque fidei regulam, quam omnibus proponerent; 2° ut discentes tenerent fidei formulam, quam memoriæ facilè mandarent et frequenter profiterentur; 3° ut fideles secum invicem consentirent, ab infidelibus discernerent et à falsis doctoribus tuerentur. Symbolorum præcipuorum tria communiùs referuntur. Primum dicitur Apostolicum, habetque pro auctoribus Apostolos, ac incipit : *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Secundum dicitur à S. Thomâ Patrum, ab aliis Nicæno-Constantinopolitanum, quia à Patribus in concilio Nicæno I, inchoatum, in Constantinopolitano I, auctum fuit, incipit : *Credo in unum Deum.* Tertium dicitur Athanasianum, atque tribuitur S. Athanasio, episcopo Alexandrino, et incipit : *Quicumque vult salvus esse.*

Dico : Objectum materiale fidei in memoratis tribus Symbolis convenienter traditur. Convenientia hæc patet 1° ex *argumento* Symbolorum, tum quia in iis continetur quidquid explicitè credi debet; tum quia in iis ponitur quod per se pertinet ad Dei, beatitudinis nostræ, Christi, viæ salutis nostræ, aliorumque mediorum cognitionem, propter perfectionem et obedientiam intellectûs, spem firmandam et excitandam charitatem; tum quia alii magis particulares fidei articuli in his generalibus virtualiter continentur. 2° Ex particularibus Symbolorum *finibus*, qui in primo erat instructio fidelium, in secundo refutatio hæresum tunc natarum, in tertio major declaratio et mysteriorum explicatio. 3° Ex *auctoritate* Symbolorum, quam non auctores eorum duntaxat de quibus mox dicetur, sed et Ecclesiæ propositio conciliavit; cùm illa fecerit hæc symbola sua, et Apostolicum omnibus fecerit commune, illud Patrum singulis dominicis et festis solemnioribus sacerdotibus in Missæ sacrificio, ministris autem Athanasianum in officio divino recitandum præceperit.

Observa. Equidem fidei articuli omnes non in his Symbolis sed in Professione fidei juxta præceptum concilii Tridentini apertè continentur; verùm nec illud Symboli ratio permittebat aut exigebat, nec necessitas errorum oppositorum urgebat, nec ratio disciplinæ patiebatur. Hinc quamvis articulus de Eucharistiâ antonomasticè vocetur mysterium fidei, tamen in nullo Symbolorum vel de illo vel de alio sacramento præter Baptismum fit mentio; quia Apostoli et Patres voluerunt duntaxat tradere compendium doctrinæ fidei de iis quæ spectant ad fidem speculativam, et quæ indiscriminatim, ab omnibus adultis credi debent antè Baptismum; reliqua enim explicabantur tunc, quandò per Baptismum erant facti aliorum sacramentorum participes, et eorum urgebat præceptum; quod ipsum de Eucharistiâ testatur S. Aug., tract. 11 in Joan. Quod dissonantiam lectionum præsertim circa Symbolicum Apostolicum attinet, aut ad particulas quasdam et verba ab hoc Symbolo omissa, ab alio asserta spectat; negandum non est, occasione posteriorum hæresum nonnulla doctrinæ substantiam nihil immutantia fuisse adjecta, vel quia rudibus jam abundè nota neque tum controversa, subinde esse omissa.

De Christi verò ad inferos descensu, quem David, Psalm. 15, 10; Petrus, Act. 11, 22, prædicavit, notandum venit, ipsum dogma ab antiquissimâ Patrum traditione confirmari, cùm de eo testentur, Iren., lib. 5 adversùs hær. cap. 26; Tertull. de Animâ, cap. 32; Athan. de Sal. advent. Christi, Hilar. Pictav. in Ps. 53 et 134; Aug. in Ps. 83 et lib. 20, de Civit., cap. 15; Hier. in cap. 2 Jonæ, S. Leo Magnus in serm. 8 de Pass. Dom., etc. Quanquàm verò Symbola Patrum de eo mentionem non faciant, id tamen articuli veritati minimè officit, tum quia exstat in symbolo apud Cyrill. Hier. Catech. 4, et apud Epiphan. lib. 2 adversùs hær. in compendio fidei, qui ambo floruerunt seculo quarto; tum quia si omissum est, testante Rufino in Exposit. symbol., id evenit, quia videtur hic articulus intelligi in verbis præcedentibus, *mortuus*

et sepultus est; tum si recens adjectum fuit, id factum est ob majorem Apollinistarum et Lucianistarum Arianorum animam Christi negantium, confutationem; quin tamen hunc articulum referre deberent Patres Nicæni, qui, dùm adversùs universam Arianorum sectam et cum Patre Christi consubstantialitatem et passionem profiterentur, hoc ipso et Apollinistarum et Acacianorum errorem confodiebant.

QUÆSTIO PRIMA. — *An Apostoli condiderint Symbolum, quod dicitur Apostolicum?*

Nota 1° : Triplici modo symbolum dici potest Apostolicum; primò, quatenùs Scripturis et Apostolicæ doctrinæ non repugnat; secundò, quatenùs ab Apostolorum temporibus jam traditum ac pervulgatum fuit; tertiò, quatenùs ita est ab Apostolis traditum, ut ab iis quoque conditum sit atque digestum. Quoad duplicem priorem usurpationem consentiunt plerique omnes, Symbolum rectè dici Apostolicum; unde et Calv. lib. 2 Inst., cap. 16 : *Neque enim dubium est*, inquit, *quin à primâ statim Ecclesiæ origine, adeòque ab ipso Apostolorum seculo instar publicæ et omnium calculis receptæ confessionis obtinuerit.* Veritas autem ipsa patet ex testimoniis antiquissimorum Patrum, quæ recitat Nat. Alex. dissert. 12 sect. I, ex quâ sufficiat laudâsse Iren., Tertull. et Hieron. quorum primus, lib. 1, adv. hær., cap. 2 de Symbolo, cujus partem repetierat, ait: *Ecclesiam per omnem terrarum orbem dispersam ab Apostolis eorumque discipulis illud accepisse;* alter adv. Praxeam de eodem scribit *hanc regulam ab initio Evangelii decurrisse;* postremus, epist. 38 ad Pammach. asserit *Symbolum fidei et spei nostræ ab Apostolis traditum.* Quoad postremam verò acceptionem Apostolicam negant contra unanimem ferè Catholicorum sententiam alii non pauci, inter quos post Calvinum et Erasmum præcipui sunt Gerard. Vossius diss. primâ de S. Symbolis, Dupinin Nov. Biblioth., om. 1, auctor Anglus in hist. Symbol. Apost.

Nota 2° : A quæstione hâc controversâ distinguendæ sunt aliæ duæ, quæ versantur circa *tempus* et *modum*, quo Symbolum ab Apostolis conditum fuit; quamvis enim temporis, finis ac modi cognitio admodùm explorata non habeatur, id tamen ipsam rerum narratarum substantiam minimè elevat; si quidem hæc non repugnat et validis testimoniis firmatur. De *tempore* quidem sententiæ præcipuæ sunt, 1° quorumdam qui editum Symbolum putant in eo cœtu 120 virorum, de quo, Act. 1 mentio habetur. 2° Baronii ad an. 44, qui arbitratur conditum anno secundo Claudii paulò post mortem Jacobi M. 3° Rufini in exposit. symb. et Isidori Hispal., qui statuunt illud esse confectum statim post adventum Spiritûs S., ubi Apostoli ab invicem discessuri normam prædicationisbaptiz, àndorum catechesin, et Ecclesiarum institutionem in unam formulam conferendam existimârunt. De *modo* autem prima sententia est auctoris serm. 115, Leon. M. in epist. 13 ad Pulcheriam, aliorumque, qui volunt singulos articulos Symboli à singulis Apostolis esse statutos; secunda est Ratherti Paschasii et communior Recentiorum qui putant Apostolos condidisse hoc Symbolum in commune consulentes eâ ratione, quâ eduntur Canones in synodis episcoporum. — Resp. : Ipsi Apostoli Symbolum Apostolicum condiderunt. Probatur ex Patrum testimoniis, supra laudatis, quibus accedunt S. Ambrosius, lib. 1 epist. 7 ad Siric. et sermone ultimo de jejunio Eliæ, Cœlestinus I in epist. ad Nestorium, Rufinus et Leo M., l. c., Cassian. lib. 6 de Incarn. cap. 3 et 4, S. Maxim. hom. de tradit. Symbol., Patres conc. Ephesini in relatione ad Imp. de Nestorii depositione, aliique qui illud Symbolum vocant *Apostolorum* vel dicunt *Apostolorum signatum sententiis*, vel *per Apostolos traditum* aut *ab Apostolis traditum acceptumve* pronuntiant; atque hæc quidem non ex proprio quasi invento sed ex traditione prædecessorum proferunt. Unde Rufinus de Symbolo præfationem his verbis orditur : *Tradunt majores nostri;* Hieron. verò, August. aliique Symboli interpretes illud tanquàm vetustissimum et à primis Christianis acceptum laudant. Conf. juxta S. Aug. regulam, lib. 4 de Bapt. cont. Donat. cap. 24 datam, *quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicâ*, hoc est, ab ipsis Apostolis auctoribus, *traditum rectissimè creditur.* Sed Ecclesia universa inprimis tenet hoc Symbolum ipsis adversariis fatentibus : idem dein semper seu à primis jam seculis retentum fuit cùm Patrum productorum quidam seculo secundo et tertio floruerint, et alii testentur de antiquitate Symboli : ex quo denique liquet, idem non fuisse editum in concilio Œcumenico, quorum primum seculo quarto habitum fuit. Præterea autem, cùm particulare concilium nullum assignari possit, neque etiam ostendi quomodò à particulari editum fluxerit ad universam Ecclesiam, neque singularis aliquis auctor unquàm fuerit proditus aut cum fundamento atque auctoritate ad universalem adeò receptionem necessaria proferri queat; sequitur, Symboli originem nonnisi ab Apostolis repeti posse.

Nec dicas 1° : Si Symbolum esset ab Apostolis compositum; Lucas hoc retulisset in Actis Apostolorum, vel Apostolus alius suis inseruisset epistolis. 2° Deberet esse pars Scripturæ ac canonicum, licet ab aliis scriptum, uti sunt Epistolæ Pauli, quarum illa ad Ephesios per Tychicum, ad Romanos per Phœben, ad Philippenses per Epaphroditum scripta est. 3° Idem fuisset in omnibus Ecclesiis; cùm tamen diversa sint, quæ Orientales habent, ab usurpatis in Ecclesiâ Occidentali, et in hâc etiam Romanum ab Aquileensi et Ravennatensi. — Resp. : Nego seq., ad primum, resp. : S. Lucas, ut notat Hieron., *multa prætermisit historiographi licentiâ*, nec omnia ab Apostolis dicta aut facta perscripsit. Ratio verò cur ipse et alii in epistolis canonicis prætermittere Symbolum poterant, erat tum ejusdem divulgatio jam facta et ad omnes fideles perlata notitia, tum quòd eo fine editum fuit, *ut non atramento aut chartâ scriberetur, sed in tabulis cordis*, ac memoria retineretur, ut affirmant Hieron. ad Pammach. et August. serm. 75 de diversis. Ad secundum, nego seq. quoad partem Scripturæ ex modò dictis; ex qui-

bus uti et ex Rufino, loco citato, et Chrysologo, serm. 62, constat Symbolum vivâ solùm voce, non autem scripto, fuisse ab Apostolis conditum; quomodò autem quod traditum est et non scriptum, Scripturæ pars dici potest? Ad vocem *canonicum*, dist.: Deberet esse canonicum hoc sensu, quo aliquid tale dicitur, quod est in Scripturæ canone, nego; quo dicitur tale, quod est canon sive regula fidei, quâ ratione etiam traditiones non scriptæ canonicæ dicuntur, concedo. Quæ de scriptoribus Paulianarum epistolarum adduntur, lapsus sunt Basnagii et divinationes; cùm memorati transtulisse quidem illas epistolas, non autem scripsisse legantur. Ad tertium, nego seq. Diversitas autem symbolorum, quæ ad voces duntaxat aut quædam additamenta ex dictis pertinet, mira videri non debet, cùm symbolum quod unâ duntaxat linguâ, hebraicâ scilicet aut syriacâ, compositum et solâ traditione erat diù servatum, in diversarum linguarum translatione facilè aliquam mutationem tulerit. Cæterùm in Romanâ Ecclesiâ eâdem formâ, ordine, ac sententiâ Apostolicum Symbolum fuisse recitatum, quibus fuit conditum, testantur Rufinus et Ambrosius ad Siric.

Nec dicas 1°: Symboli nec erat *necessitas*, quia hæc oritur ab hæresibus, quarum tamen nullæ Apostolorum tempore natæ fuerant; nec *usus*, quia Patres primorum seculorum auctoritate hujus symboli nunquàm conati sunt doctrinam catholicam contra hæreticos stabilire; unde videtur illis aut ignoratum, aut persuasum fuisse, illud non fuisse editum ab Apostolis; neque *æstimatio*, cùm in missâ non conatur symbolum Apostolicum sed Constantinopolitanum. 2° Tertullianus in relatione symboli non refert articulos de Christi descensu ad inferos, de Spiritu sancto, de Ecclesiâ et sequentibus. Hieronymus verò et Rufinus notant symbolum Apostolicum concludi articulo Resurrectionis, et sic postremum de vitâ æternâ abesse; unde nec Romanum dici potest Apostolicum, nec illi possunt intelligi de Apostolico jam vulgato. 3° Vox *catholica* Ecclesiæ in symbolo addita neque in Aquileensi habetur, nec legebatur à Rufino et S. Augustino; cùm ille hanc vocem non exposuerit, iste autem declarationis tantùm causa in lib. de Symb. ad Catechum. addiderit; quin nec verosimile est, hanc vocem ab Apostolis esse appositam, tum quia modo post tempora Apostolorum Ecclesia fuit catholica, hoc est, universalis et per totum orbem diffusa; tum quia eo tempore Christiani necdùm dicebantur catholici, nec Ecclesia, catholica, ut scribit S. Pacian, epist. 1 ad Sympronianum.—Resp.: Nego triplicem partem; ad primum, resp.: Falsum est inprimis, tum temporis non fuisse natas hæreses, cùm grassarentur Simoniani, Cerinthiani et Ebionitæ, et fidelibus obreperent pseudoprophetæ ac falsi fratres, ut notat S. Paulus in suis epistolis. Deinde poterant et volebant Apostoli fidei et Ecclesiæ consulere in futurum. Ad secundùm, resp.: Similiter falsum esse quòd Patres symbolo non fuerint usi ad refellendos hæreticos, cùm contrarium manifestum sit ex S. Irenæo et Tertulliano. Præterea cùm Patres impugnarent hæreticos ex Scripturâ, quam ferè unam isti ad probationem admittebant, quæque articulos Symboli clarè continet, opus non erat confutare hæreses ex symbolo. Ad tertium, resp.: Cùm Constantinopolitanum non sit diversum ab Apostolico, sed hujus tantùm majòr explicatio contra novas hæreses, recitatione illius in missâ et hoc satis commendatur, quanquàm Romana Ecclesia etiam Apostolicum ter saltem quotidiè in divinis officiis, et in privatis precibus frequentissimè recitet.

Ad secundum, resp.: Non Tertullianus solùm, sed et Irenæus, aliique totum Symbolum, ut ab Apostolis traditum, non exscribunt, sed præcipuâ aut plurima tantùm capita, prout videbantur contra hæreticos necessaria reddunt; atque hinc etiam iidem variis in locis verba varia usurpant. Cæterùm Tertullianum ex industriâ etiam omisisse memorata, probabile fit ex ejus cum Montanistis commercio, qui peccata graviora irremissibilia contendebant, et Ecclesiam Catholicam, quam vel in tribus laicis conservari posse dicebant, injurioso Psychicorum nomine infamabant. Vitam æternam quam non addunt Hieronymus et Rufinus, legerunt Ambros. et Chrysol. cum aliis. Præterea, ut notat S. Th. 2-2, q. 1, a. 8, vita æterna pars est gloriæ spectans ad animam, quam profitemur per carnis resurrectionem de corpore; quin et ipse Rufinus sic priorem de resurrectione articulum exposuit, ut in eo illum de vitâ æternâ intelligi doceret.

Ad tertium, resp.: Concedunt aliqui τὸ catholicam non fuisse additum symbolo Apostolico, cùm hæc non sit nota nascentis et quasi infantis Ecclesiæ. Alii communiùs id negant, cùm et Cyr., Hieron. in Catech. 18, Chrys. et auctor tractatûs de Symbol. hanc vocem legerint. Poterant verò eam usurpare Apostoli, tum quòd catholicum non restringatur ad unam locorum universalitatem, tum quòd Apostoli præscii futuræ dilatationis per orbem universum hanc notam sine falsitate potuerint Ecclesiæ tribuere. Quantumvis autem salva maneat S. Paciani auctoritas, liquet tamen ex Eusebio, lib. 5 historiæ Ecclesiasticæ, cap. 15 et 16, Christianorum Ecclesiam et à Smyrnensibus in epistolâ encyclicâ et ab Apollinari Hieropol. jam ante nominatam fuisse catholicam.

Quæstio secunda.—*An S. Athanasius auctor sit symboli quod incipit:* Quicumque vult salvus esse, etc.?

Nota 1°: Quæstio hæc meri facti personalis est, ac nullatenùs, prout inter criticos etiam catholicos agitatur, cum fidei dogmate connexa. Qui enim ex illis negant symboli hujus auctorem esse S. Athanasium, contendunt nihilominùs id esse certissimam fidei regulam, ab Ecclesiâ et approbatam et fidelibus omnibus credendam propositam; ac præterea symboli ejus doctrinam omnem quoad sensum contineri in S. Athanasii operibus; quâ ratione se distinguunt à Græcis schismaticis, qui olim impudenter dixerant, symbolum hoc ab Athanasio ebrio atque aliorum Patrum omnium sententiam deserente fuisse conscriptum; item à Socinianis aliisque Romanæ Ecclesiæ hostibus qui id symbolum Satanasii sacrilegâ ignominiâ dixerunt. Porrò

critici negantes de alio auctore nec ipsi inter se conveniunt; aliis nempe Anastasium Sinaitam ex vocabulorum vicinitate divinantibus, aliis Eusebium Vercell. supponentibus, pluribus laudantibus Vigilium Tapsensem, in Africâ episcopum, qui, circa finem seculi quinti florens, cùm fateatur in præfatione cujusdam dialogi se dialogum adversùs Arianos aliosque hæreticos sub nomine Athanasii scripsisse, occasionem suspicandi dedit symbolum à se confectum nomine etiam Athanasii insignivisse; quamvis de hoc nihil simile professus fuerit.

Nota 2° : Nec hic disceptatur aut argumentum quoddam deduci potest ex *tempore* et *modo* seu *fine*, quo editum fuit hoc symbolum. Sicut enim ista controversia nihil obest veritati de Symbolo ab Apostolis condito, neque etiam antiquitati Symboli, quicumque, Vigilio aut alteri cuidam asserti; sic nec obstare debet sententiæ, quæ symbolum postremum S. Athanasio vindicat. Porrò quidam volunt S. hunc præsulem id conscripsisse in puteo Trevirensi, ubi diù latuerit ad Arianorum insidias declinandas; sed conveniunt plerique falsum hoc esse et natum ex historiâ Rufini, qui lib. 1, cap. 18, scribit Athanasium per sexennium in cisternâ siccâ, in Ægypto tamen, non verò Treviris, latuisse. Verosimilius alii dicunt Athanasium id scripsisse, quando Romæ apud Julium papam, an. 339 ab Eusebianâ factione petebatur calumniis, ac præter fas damnatus fuerat in Synodo Tyriâ; finem autem habuisse hunc, ut expositâ uberiùs suâ professione et declararet fidem, et calumnias retunderet et injustitiam conciliabuli ostenderet; ut innuunt Manuel Calecas, lib. cont. Græcos et Baron. ad an. 340.

Resp. : Omninò probabiliter teneri potest, symbolum memoratum à S. Athanasio fuisse conditum. Ratio est, quia præter auctoritatem Ecclesiæ Romanæ, quæ illud symbolum in officiis divinis recitandum proponens adhuc inscribit S. Athanasio, præter consensum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Servianæ, Bulgaricæ, Russicæ ac Moscoviticæ, quæ teste Joanne Sarmata in epist. 1 ad Calvin. idem tenent tanquàm genuinum et Athanasianum, præter sensum etiam communem auctorum post seculum duodecimum ferè innumerorum cum S. Thomâ in hoc conspirantium; stant pro auctore symboli S. Athanasio testes licet non antiquissimi, tamen et ab antiquitate et ab auctoritate venerandi. Inter hos quos plures recensent monachi S. Benedicti è cong. S. Mauri in diatribe ad hoc symbolum, tom. 2 oper. S. Athan. inserta, præcipui sunt 1° : Patres conc. Augustodunensis an. 663 vel 670 sub S. Leodegario ep. habiti, qui hunc canonem edidérunt : *Si quis, presbyter, diaconus, subdiaconus, vel clericus symbolum quod, inspirante S. Spiritu, Apostoli tradiderunt, et fidem S. Athanasii præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab episcopo condemnetur.* Quibus eatenùs jam præluxerunt PP. conc. Toletani IV, quod c. 1 quædam ex hoc symbolo protulerint. 2° Idem præceptum dedêre Abitho Basileensis episcopus seculi noni initio, et sub ejus finem Hincmarus, archiep. Rhemens.; Theodulphus verò Aurelian. episcopus seculo octavo, et Ratramnus Corbeiens. monachus, et hoc symbolum Athanasio tribuunt, et ex eodem plura desumunt. 3° Eodem sub Athanasii nomine usi sunt Apocrisiarii, quos Gregorius IX Constantinopolim anno 1233 ad Græcos Latinis conciliandos miserat. Denique Eugenius IV in decreto de unione Armenorum anno 1439, commemorat *compendiosam illam fidei regulam per beatissimum Athanasium editam.* Conf., quia præterquàm quòd argumenta opposita pleraque sint negativa, ac simili ferè modo contra symbolum Apostolorum intorqueri possint, patianturque instantiam in aliis sententiis auctorum (uti Sandini contra Nat. Alexandrum in editâ de symbolo hoc dissertatione ostendit), ea non sunt ejusmodi quæ probabili responsione nequeant dissolvi.

Nec dicas 1° : Stylus sermonisque contextus ostendit symbolum esse hominis Latini non autem Græci, qualis fuit S. Athanasius. 2° Deest in hoc symbolo vox consubstantialis; quæ tamen tessera erat catholicæ fidei, cujusque professio urgebatur constanter à Catholicis. 3° Ipse Athanasius, in epist. ad Antiochens., testatur procul se abesse à novâ fidei formulâ condendâ, et laudat Sardicenses PP. quòd sanciverint nullam fidei professionem novam edendam; eò quòd symbolum Nicænum sufficeret, hostesque fidei inde occasionem captarent criminandi, quasi Nicæna fides foret imperfecta. 4° Hæreses post Athanasium ortæ, Nestorianæ scilicet et Eutychianæ, disertè adeò et expressè refutantur in hoc symbolo, ut ejus auctor non potuerit non intendere illarum refutationem, atque hinc ætate posterior esse debeat. — Resp. ad primum : Præterquàm quòd in symbolo occurrant idiotismi græci, quales sunt resurgere *habent* pro debent; *per omnia* est veneranda, pro omninò; confiteamur, *quia Deus et homo est*, pro Deum et hominem esse; certè si etiam symbolum dicatur latinè scriptum, eò quòd exemplaria latina concordent, cùm ex adverso græca varient; nihilominùs ab Athanasio condi potuit, utpote qui latini æquè ac græci sermonis peritus fuit, ut constat ex Marcellino et Faustino seculi quarti scriptoribus, qui in libello Precum affirmant, ab Athanasio libros Luciferi Calaritani in græcum translatos fuisse. Ad secundum, resp. : Dist. : Vox illa deest quoad sonum et expressè, concedo; quoad sensum et æquivalenter, nego. Profecto pluribus sententiis dogma illud explicavit, dùm dixit trium personarum divinarum æqualitatem, et unam ac eamdem deitatem, essentiam, potestatem, etc. Cùm autem hoc symbolum reliquos omnes articulos copiosiùs declaratos dederit, idem etiam de consubstantialitate observatum fuit. Ad tertium, resp. : Dist. : Abfuit à condendâ et laudat præceptum de non edendâ fidei formulâ novâ aut Nicænæ contrariâ, aut ob illius imperfectionem adjiciendâ, concedo; à formulâ novâ Nicænæ omninò consonâ, ac eam duntaxat explicante ac apertiùs proponente, nego. Priori sensu longissimè aberat Athanasius, et prohibuerant Sardicenses facere aut fieri aliam fidei formulam præter Nicænam; sicut autem Athanasius etiam criticorum hic adversantium

calculo scripsit opusculum, quo exposuit fidem catholicam, quod incipit : *Credimus in unum Deum*; sic scribere quoque potuit expositionem symboli, seu symbolum cum majore credendorum explicatione. Ad quartum, resp. : Dist. : Ejus auctor non potuit non intendere refutationem illarum hæresum quoad personas, nego, quoad errores, transeat. Imprimis fatentur adversarii symboli doctrinam in operibus Athanasii reperiri, quin tamen inde similis objectio contra ea opera formari queat; deinde Nestoriani ac Eutychiani erroris semina olim jam, teste Euthym. parte 2 Panopliæ, à quibusdam jacta fuerant; unde eadem jam profligari poterant. Denique Spiritui sancto usitatum est Ecclesiam suam munire adversus futuras hæreses, atque has etiam hodiè natas Ecclesia desumptis ab antiquitate ac traditione armis confodere solet, nemo tamen audebit hinc Patribus sua negare opera, ex quibus illa tela capiuntur

Nec dicas : Hoc symbolum desideratur inter opera Athanasii in antiquissimis et probatissimis codicibus manuscriptis. Item neque Athanasius neque ulli auctores coævi aut qui ante seculum VII scripsêre, hujus symboli meminerunt; nec Patres Græci usi fuerunt hoc symbolo in conc. Ephesino ac Chalcedonensi contra Nestorium et Eutychetem; quamvis Athanasii auctoritas tum maximè valuisset; nec Latini hoc telo pugnârunt contra Græcos orto schismate Photiano de processione Spiritûs S.; quod tamen certò faciendum præsertim à S. Cyrillo Alexandrino videtur. — Resp. ad primum : Nec assertum verum est; cùm in cit. Diatribe PP. Benedictinorum numerentur ampliùs duodecim Athanasii nomen jam ab annis plus mille inscriptum ferentes, et alios addiderit Michael Lequien in diss. Damasc.; nec si verum foret, quid evinceret, cùm symbolum à coævis vel supparibus scriptum, ut alia plura, possit esse deperditum, vel adhucdùm proferri in lucem ut plura alia S. Athanasii opuscula anecdota à P. Bern. Montfaucon publici juris facta sunt. Ad secundum, resp.; argumentum hoc utpote merè negativum, ex adversariorum etiam receptâ alibi opinione, probare parum. Adde quòd nec scriptores ecclesiastici meminerint semper editorum omnium opusculorum, nec scripta etiam omnia supersint, quæ opuscula hæc recensent. Præterea sunt etiam qui probabiliter defendant S. Greg. Nazianz. hujus symboli jam meminisse. Is enim in Oratione de laudibus S. Athanasii hæc habet : « Primus ille (Athanasius) et solus, aut cum admodùm paucis, veritatem palam apertisque verbis promulgare non dubitavit, unam trium personarum divinitatem et essentiam scripto confessus : et quod « multis illis Patribus circa Filium priùs concessum « fuerat, idem ipse postea in asserendâ Spiritûs S. divinitate superno afflatu consecutus : atque imperatori (Joviano) donum verè regium et magnificum « offert. » Hæc vero verba contendunt intelligi non posse de Symbolo Nicæno, sed de alio expressiùs damnante hæresim, postea *Macedonianam* dictam, et apertiùs contestante Spiritûs S. divinitatem : neque etiam intelligi posse de epistolâ, cui fides Nicæna fuerit inserta; tum quia Nazianzenus non loquitur de epistolâ, sed confessione; tum quia epistola illa brevis et inclusi Symboli Nicæni bajula forte dicenda non videtur *donum verè regium et magnificum*. Quanquàm verò Theodoretus et Nicephorus testentur Joviano transmissam fuisse ab Athanasio fidem Nicænam, ejus tamen nomine venire potest Athanasianum Symbolum, utpote fides Nicæna duntaxat ampliùs declarata, et quidem id exigente imperatoris voluntate ob exorientem tum Macedonii hæresim.

Ad tertium respondeo : Nec hoc argumentum ex silentio desumptum validè quidpiam probare; quia aliàs nec epistola ad Epictetum Corinth. Ep., ad Jovianum ab Athanasio scripta, nec alia ejus opera essent genuina, ex quibus, licet illæ hæreses impugnari poterant, tamen à Patribus illis non fuerunt impugnatæ. Ratio itaque silentii apud Græcos esse poterat, quòd symbolum hoc illis adhuc incognitum vel saltem sub Athanasii nomine necdùm cognitum esset; id quod de scripto privato mirum videri non debet, cùm S. Augustinus, epist. 110, ipse de se fateatur, canonem, quo Patres Nicæni prohibuerant, ne prædecessore vivente alius jam episcopus successor initiaretur, palàm et œcumenico concilio latum ignorâsse. Licet verò id forsan tempore Photiani schismatis non ampliùs tenuerit; Athanasii tamen symbolum necdùm universali auctoritate ab Ecclesiâ donatum fuerat, cujus facti epocha, utut incerta, tardior tamen statuenda videtur.

Articulus II.

An articuli fidei catholicæ sint evidenter credibiles.

Nota 1° : Credibilitas est meritum extrinsecum, ut aliquid firmissimè credatur tanquàm à Deo revelatum : fundatur in motivis quæ primariò et immediatè tendant ad persuadendam existentiam revelationis divinæ, secundariò autem et mediatè ad persuadendum illud esse verum : spectari autem credibilitas ista potest vel absolutè ac sine comparatione, an sit major vel minor respectu oppositi; vel comparativè ac respectivè ad aliud. Utraque consideratio hìc à nobis adhibetur. Porrò sectæ religioni catholicæ oppositæ reducuntur ad tres classes : 1° est paganismus, et est illorum qui nec vetus nec novum Testamentum admittunt, cujusmodi sunt athei, polythei, Mahometani; 2° Judaismus, et est eorum qui, veteri lege admissâ, respuunt novam, aut Messiam adhuc exspectant; 3° hæresis, et est illorum qui utrumque Testamentum quidem credunt, sed non eo modo quo Ecclesia vem, quæ est executrix ac fidei regula.

Nota 2° : Motiva credibilitatis pro Ecclesiâ et fide catholicâ ad tria capita referri possunt : primum est triplex doctrinæ quam Ecclesia proùtetur, conditio : veritas nempe, sanctitas et efficacia. Veritas quidem in plurimis rationi maximè consentaneis elucet per sese; in supernaturalibus autem tum ex convenientiâ ad Deum et ejus excellentiam, tum ex testibus aliisque modis probantibus assensum etiam præstandum iis

quæ captum excedunt; sanctitas perspicitur tum ex ipsis legibus et præceptis religionis, tum ex hominibus ejusdem cultoribus accuratis; efficacia denique intelligitur ex admirando modo quo primùm introducta, deìn per totum mundum propagata, ac tandem inter tot difficultates semper servata fuit. Secundum est testium auctoritas, consensus ac multitudo; præter Christum enim, fidei auctorem, testimonium ferunt patriarchæ et prophetæ, quorum figuræ ac prædictiones in Christo atque ejus Ecclesiâ expletæ sunt; Apostoli, doctores, martyres ac confessores omnes, qui tum prædicatione et scriptis, tum opere ac perpessionibus veritatem fidei confirmârunt. Tertium sunt miracula ferè innumera, quæ in fidei confirmationem seculis omnibus patrata sunt, quò etiam pertinet potestas à Christo Ecclesiæ tradita in dæmones, fatentibus ipsis se vel invitos à corporibus expelli.

Nota 3° : Evidentia est quasi videntia seu visio objecti, quod intellectui proponitur, ac si illud præ oculis haberet : unde ultra certitudinem importat specialem claritatem, ex cujus defectu actus fidei licet metaphysicè certus tamen non est evidens. Communiter dividitur in objectivam seu fundamentalem et formalem. Objectiva est apparentia objecti tam clara, ut intellectum attendentem et proposita sibi penetrantem convincat seu necessitet ad assensum independenter ab imperio voluntatis; eaque vel est immediata, quando clara apparentia ipsius objecti in se habetur, vel mediata, quando est talis apparentia in alio ; quo sensu argumenta et rationes, ex quibus aliqua res clarè deducitur, dicuntur evidentia fundamentalis et objectiva. Formalis est ipse actus intellectûs, quo iste ita clarè apparens objectum percipit. Utraque subdividitur in metaphysicam, physicam et moralem. In harum explicatione variant auctores, dùm alii communiùs illas explicant per impotentiam metaphysicam, physicam et moralem, ne illi apparentiæ subsit falsum : alii per impotentiam dissentiendi metaphysicam, physicam et moralem : alii tandem eas distinguunt ex motivo metaphysicè, physicè vel moraliter connexo cum veritate.

Porrò de evidentiâ morali majus etiam est dissidium. Communior sententia videtur supponere, quod de ratione evidentiæ propriæ generatim sit, intellectum ita convincere, ut ratione claritatis excludat omnem formidinem etiam imprudentem de opposito, dummodò expendantur et penetrentur termini vel motiva. Atque hoc videtur desiderare ipsius vocis etymon; unde sicut positâ applicatione oculi non possum suspendere visionem objecti visibilis, sic positâ applicatione intellectûs ad objectum evidenter apparens, non possum suspendere assensum, et consequenter nec formidare. Accedit præter alias rationes etiam differentia, quæ est inter probabilitatem, certitudinem et evidentiam ; cùm enim solâ probabilitate positâ possim prudenter formidare de opposito, et hinc requiratur imperium voluntatis, ut inclinetur intellectus potiùs ad ad hoc quàm illud : positâ autem solâ certitudine, intellectus adhuc possit formidare imprudenter : sequitur et hanc formidinem excludi debere ab evidentiâ, utpote cui aliquid ultra certitudinem tribuendum est.

Dico 1° : Articuli fidei catholicæ sunt evidenter credibiles assensu firmissimo tanquàm à Deo revelati, evidentiâ propriâ et simpliciter tali, seu excludente omnem formidinem etiam imprudentem. Probatur 1° ex auctoritate. Nam primò Scripturæ : Psalm. 92, 5, dicit : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis ;* Psalm. 97, 2 et 3 *: Notum fecit Dominus salutare suum..... Viderunt omnes termini terræ salutare Dei ;* Sap. 6, 17 *: Clara est sapientia, et quæ nunquàm marcescit, ac facilè videtur ab his qui quærunt eam ;* 1 Joan. 1, 2 *: Vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem et apparuit nobis.* Secundò, Patres, inter quos S. Chrysostomus, oratione, *Quòd Christus sit Deus,* de signis credibilitatis inquit : « Nullus his contra- « dixerit, nisi qui valdè insanus et totus stupidus sit. » S. Augustinus de iisdem, l. 12 contra Faust. c. 43. « Quid ad hæc, ait, respondetis, insani? nempe ista « manifesta sunt : nempe omnes, non dico calumnias « contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis ex- « pellunt. » Idem verò cæterique ferè omnes dicunt Ecclesiam, Matth. 5, fuisse significatam per *civitatem supra montem positam, quæ nequit abscondi.* Tertiò, D. Thomas, hìc, q. 1, a. 4, ad 2, inquit : « Non enim « crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter « evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmo- « di. » Et q. 5, a. 2, dicit : « Quòd intellectus convin- « catur, ut judicet esse credendum, quamvis non « convincatur per evidentiam rei, id est, veritatis « credendæ. »

Jam verò hæc ipsa vel expressè enuntiant evidentiam propriè talem, vel satis indicant claritatem talem quæ excludat omnem formidinem etiam imprudentem ; eò quòd nimia credibilitas dicat aliquid plus quàm certitudinem moralem requisitam ad actum fidei, et verba videri, notum aut manifestum esse, apparere, sint ea ipsa, quibus Scriptura exprimit evidentiam existentiæ Dei, quæ sanè est propria ac simpliciter talis. His positis sic arguitur : vel illa evidens credibilitas à Scripturâ et Patribus asserta pertinet ad omnes et singulos fidei catholicæ articulos, vel immediatè tantùm afficit doctrinam, quam Ecclesia catholica proponit credendam : si primum, explicitè dicuntur et sunt articuli fidei catholicæ evidenter credibiles : si secundum, implicitè saltem dicuntur et sunt tales, quia doctrina Ecclesiæ catholicæ formaliter includit illos articulos.

Probatur 2° : Prudens credibilitas articulorum fidei assensu firmissimo propter divinam revelationem deducitur ex præmissis evidentibus propriâ evidentiâ talibus : ergo eadem evidentia est credibilis. Antecedens probatur in hoc syllogismo : Quoties est moraliter certum, Deum aliquid revelâsse, prudenter id credibile est assensu firmissimo tanquàm à Deo revelatum : sed ex signis credibilitatis est moraliter certum, Deum revelâsse articulos fidei catholicæ : ergo hi sunt prudenter credibiles assensu firmissimo, tanquàm à Deo revelati. Major est evidens ex terminis ;

minor etiam est evidens ; quia evidens est, prædicta signa habere summam vim ad movendum quemlibet cordatum ac sapientem, adeò ut sine notâ levitatis et imprudentiæ non possit formidare de veritate religionis et dogmatis catholici, quam vim quilibet potest experiri in seipso, et se expertum fatetur S. Augustinus contra epistolam Fundamenti, cap. 4.

Dico 2° : Articuli fidei catholicæ etiam comparativè ad alias sectas considerati sunt simili ratione evidenter credibiles. Probatur : Nulla secta catholicæ religioni comparata remanet prudenter credibilis, nec tanta habet signa credibilitatis, quanta habet religio catholica, ut evidenter constat : ergo articuli catholicæ religionis non tantùm absolutè, sed comparativè sunt evidenter credibiles. Pars prima probatur : Quia evidens est nullam sectam esse quæ non neget aliquid Deo debitum, aut non affirmet quid Deo indignum, aut non admittat quidpiam vel turpe vel rationi suæ repugnans, ut singulas sectas percurrenti constat : contrarium autem omninò in fide catholicâ esse, non minùs manifestum est; ergo. Pars secunda probatur : Evidens est, sectas alias vel nulla habere credibilitatis signa, vel si quæ afferantur, esse paucissima, dubia ac suspecta; cùm è contra pro catholicâ religione sint ferè innumera et ita certa ac contestata, ut hinc Richardus Victorinus, l. 1 de Trin. c. 2, rectè scripserit : « Domine, si error est, à te decepti sumus. Nam ista « (fidei nempe nostræ dogmata) in nobis tantis signis « et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ non « nisi per te fieri potuerunt. » Unde S. Augustinus, l. contra epist. fund. l. c., inquit : « Multa sunt quæ « in ejus (Ecclesiæ catholicæ) gremio me justissimè « tenent : tenet consensio populorum et gentium, te- « net auctoritas miraculis inchoata, spe aucta, cha- « ritate firmata, et vetustate nutrita ; tenet ab ipsâ « sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Domi- « nus mandavit, usque ad præsentem episcopatum « successio sacerdotum ; tenet denique ipsum catho- « licæ nomen, quod non sine causâ inter tam mul- « tas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit sola, » etc. Confirmatur : Motiva credibilitatis pro fide catholicâ ex dictis sunt simpliciter evidentia : ergo evidenter repugnat, quamcumque religionem aliam contrariam esse æquè vel magis credibilem ; quia aliàs vel utrique simul assentiri possemus, quod implicat, cùm sibi contradicant ; vel contrariam præ nostrâ amplecti, quod veritati antecedentis priùs demonstratæ non minùs apertæ repugnat.

Objectiones.

Objicies contra primum : Si articuli fidei essent evidenter credibiles, etiam forent evidenter possibiles : sicut si essent evidenter impossibiles, forent evidenter incredibiles : unde prior propositio concedi debet, cùm bona sit illatio à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis. Sed primarii saltem articuli non sunt evidenter possibiles ut liquet in mysteriis Trinitatis, Incarnationis ; ergo. — Respondeo 1° : Nego sequelam majoris : Quia possibilitas habetur ab intrinsecâ non repugnantiâ prædicatorum, credibilitas verò à signis credibilitatis extrinsecis ; unde licet credibilitas supponat possibilitatem, non tamen debet supponere evidentiam ejus, cùm diversa motiva sint pro hâc et illâ. 2° Nego paritatem : Cùm impossibilitas proveniat ab intrinsecâ repugnantiâ prædicatorum, hoc ipso, si ea evidenter innotescat, non potest fieri credibilis, quantumcumque multi testes contrarii accedant ; atque hinc impossibilitas evidens excludit positivè suî credibilitatem : è contra cùm evidens credibilitas adveniat tantùm ab extrinseco, etiam res de se impossibilis sub motivis extrinsecis proponi potest ut credibilis ; atque hinc licet aliquid non sit evidenter possibile, non excludit credibilitatem, præsertim cùm ipsa possibilitas rei sæpè ex motivis extrinsecis colligatur. 3° Nego : Quòd allatæ propositiones utpote modales sint contradictoriæ, cùm non negetur modus ; sed sunt contrariæ duntaxat, quæ licet non possint esse simul veræ, falsæ tamen esse queunt. Porrò ut legitimè concluderent, sic erant ponendæ : si articuli fidei essent evidenter impossibiles, non forent evidenter credibiles : ergo si evidenter credibiles, non forent evidenter impossibiles ; quæ tamen argumentatio nihil nostræ sententiæ officit, cùm articulos fidei nec dicamus evidenter possibiles nec evidenter impossibiles permittamus.

Inst. 1° : Objectum denominatur credibile ab actu fidei, sicut intelligibile ab intellectione ; sed objectum ab actu fidei, utpote obscuro, nequit denominari evidenter credibile ; ergo. — Respondeo : Distinguo majorem : Denominatur credibile ab actu fidei tantùm, nego ; à motivis etiam prævîis ad actum fidei et potentiam prudenter credendi constituentibus, concedo majorem et minorem, ac distinguo consequens : Non est evidenter credibile vi actûs fidei, concedo ; vi motivorum credibilitatis et actûs prudentiæ ad fidem præambuli, nego ; evidentia credibilitatis potest afficere ipsum actum fidei, quòd aliqui dicunt credibile evidenter ; sed hæc à nobis non statuitur, cùm actus fidei debeat esse obscurus : potest autem etiam appellare potentiam credendi, seu quòd evidens sit, objectum prudenter credi posse actu fidei obscuro ; et hoc communiter dicitur evidenter credibile, atque à nobis tantùm asseritur.

Inst. 2° : Nihil est evidenter credibile, nisi evidens sit, ipsum prudenter credi posse : sed non est evidens articulos fidei nostræ prudenter credi posse ; tum quia non est evidens eos credi posse fide divinâ infallibili et infusâ ; cùm aliàs evidens esset possibilitas fidei supernaturalis ; tùm quia non est evidens credi posse fide fallibili et naturali ; cùm in terminis implicet fide fallibili et naturali aliquid credi, quod est credibile assensu infallibili et firmissimo, qualis debet esse fides divina ; ergo. — Respondeo : Nego minorem, ad probationem distinguo secundam partem : Implicat credi fide fallibili, quod est credibile assensu infallibili et firmissimo, tam ex parte potentiæ adhærentis veritati, quàm ex parte ipsius indefectibilitatis veritatis, concedo ; assensu tantùm firmissimo et infallibili ex parte potentiæ firmissimè scilicet adhærentis veritati, nego ;

fides tum objectivè seu motivè quàm principiativè divina et sic supernaturalis requirit utramque firmitatem, adhæsionis scilicet ex conatu et voluntatis imperio profectæ, indefectibilitatis à vero, quæ est in actu supernaturali; objectivè autem tantùm divinâ postremâ infallibilitate carere potest et priorem habere. Unde utraque pars etiam transmitti potest, quin tamen probetur intentum, quia datur adhuc medium, nempe quòd articuli sint evidenter credibiles eâ fide, quam homo conari et adhibere potest. Qualis autem sit hæc fides, an infusa et supernaturalis, an acquisita et naturalis, non est evidens, sed solùm moraliter certum et evidenter credibile, quod sit supernaturalis; quatenùs nempe hoc est unum ex articulis seu mysteriis fidei nostræ, quæ dicimus moraliter esse certa ac evidenter credibilia.

Inst. 3° : Non est evidenter credibile, cui obstant argumenta magni ponderis, sed articulis fidei nostræ obstant talia; quia mysterio, v. g., Trinitatis repugnat illud principium per se notum : *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* et Eucharistiæ illud principium physicum : Substantia panis est, ubicumque sunt panis accidentia; ergo. — Respondeo : Distinguo majorem : non est evidenter credibile, cui verè ac reipsà obstant argumenta magni ponderis, concedo; cui obstant tantùm apparentur, subdist. : Si tam absolutè ac secundùm se, quàm comparativè ad intellectum penetrantem signa credibilitatis appareant obstare, concedo; si tantùm secundùm se et absolutè considerata obstent, aut comparativè ad intellectum non penetrantem appareant, nego; jam verò principia illa allata et alia similia secundùm se et absolutè considerata apud intellectum signa credibilitatis non attendentem aut assequentem, multùm apparentiæ habent contra illos articulos; si verò cum signis credibilitatis conferantur, ac etiam perpendatur Deum esse infinitum ac incomprehensibilem, argumenta hæc exigui sunt ponderis, nec movere possunt ad formidinem vel imprudentem de prudenti credibilitate. Cæterùm, quod rei veritatem attinet, primum principium intelligendum est de identificatis cum tertio sine distinctione virtuali vel aliâ æquivalente, et hoc modo explicatum est quidem per se notum, sed non repugnat Trinitati; alterum non est evidens, quando adsunt fundamenta quæ probant esse per miraculum victam connexionem physicam substantiæ cum accidentibus, ut ostendunt de Eucharistiâ signa credibilitatis.

Inst. 4° : Argumenta repugnantia evidenter debent solvi, ut articuli dicantur evidenter credibiles; sed hæc ab indoctis nequidem probabiliter, à viris doctis autem saltem evidenter non solvuntur; ergo. — Respondeo : Distinguo majorem : Argumenta debent solvi evidenter evidentiâ directâ, seu quæ faciat mysteria ipsa evidenter esse vera, et opposita evidenter falsa, nego; debent solvi evidentiâ reflexâ, seu quæ faciat credibilitatem esse evidentem, et solutionem oppositorum esse evidenter credibilem, concedo; primum fieri nec potest nec debet, quia sicut mysteria fidei non sunt evidenter vera ex dicendis, sic nec argumenta contraria sunt evidenter falsa; secundum autem et potest et debet fieri ob evidentiam credibilitatis : sic etiam in aliâ materiâ evidenter credibile est, v. g., hunc esse legitimum principem vel superiorem, simulque evidens est obligatio illi obediendi; argumenta tamen contraria forsan ne quidem à viris doctis solvuntur evidenter evidentiâ directâ rei. Præterea tamen à doctis solvuntur directè solutione certâ, quoad *an est*, nempe certâ quoad hoc quòd opposita nihil evincant contra mysterium, quamvis non semper certâ quoad quomodò est, seu quoad modum quo nempe opposita concilientur cum mysterio; indocti autem, licet nullam solutionem directam præstare possint, possunt tamen adhibere reflexam evidentem evidentiâ credibilitatis et quoad *an est*, quia si considerent signa credibilitatis, contemnent illa argumenta ut sophistica, præsertim cùm perfectè etiam non capiant eorum vim contra mysterium, quamvis non intelligant in quo fallacia consistat. Exemplum habes in rustico, qui propositas sibi difficultates de motu locali non quidem solvet, sed tamen contemnet, quia evidenter scit motum localem esse.

Inst. 5° : Ubi occurrunt duæ evidentiæ oppositæ, altera physica, altera moralis, evidentia physica, utpote major, elidit moralem; sed evidentiam physicam habet principia illa articulis memoratis opposita; ergo elidunt evidentiam credibilitatis duntaxat moralem. — Respondeo : Distinguo majorem : Physica evidentia elidet moralem, nisi moralis persuadeat physicam connexionem per miraculum esse victam, concedo; si hoc persuadeat, nego. Equidem si, v. g., mihi testimonio fide dignissimorum moraliter evidens sit Petrum esse auctorem homicidii, quod tamen ego ipse à Paulo factum vidi, hæc physica evidentia elidit illam moralem. At si plures fide dignissimi testentur occisum fuisse revocatum ad vitam, vel sanatum ex lethali vulnere, licet mihi physicè evidens sit cum ex vulnere decessisse aut decedere debuisse, hæc physica evidentia eliditur ab illâ morali, quia evidentia moralis est de eo quòd per miraculum victa sit evidentia physica. Idem accidit in casu objectionis, quia signa credibilitatis persuadent victam per miraculum esse connexionem physicam accidentium cum substantiâ panis. Utriusque ratio est quia in similibus casibus illæ evidentiæ non sunt oppositæ; nam moralis affirmat miraculum, quod neque affirmat neque negat physica evidentia, eò quòd hoc sit extra ejus sphæram.

Inst. 6° : Infideles et hæretici non solùm mysteria fidei, sed et prudentem ipsorum credibilitatem imprudenter negant; ergo non sunt evidenter credibilia evidentiâ morali propriè tali. Confirmatur 1° : In tantùm aliquis articulus est evidenter credibilis, in quantùm evidens est eum esse revelatum à Deo, sed hoc modo articulus nequit dici evidens, quia aliàs intellectus necessitaretur ad assensum articulo præbendum; ergo. 2° Evidentia moralis propria facit necessitatem simplicem; sed cum hâc nequit componi libertas et obscuritas fidei; ergo nec cum evidentiâ morali. —

Respondeo : Nego consequens : quia quæstio et conclusio nostra sunt de evidentiâ objectivâ et fundamentali, quæ consistit in signis credibilitatis : de his dicimus quòd, si attentè perpendantur ab intellectu capaci, generent evidentiam propriam formalem ; quæ cùm non sit immediata ex terminis, sed mediata ex motivis et argumentis, eò magis considerationem requirit, imò et discursum, cùm nec immediata quidem evidentia valeat quidpiam in eo qui est distractus aut animum considerationi applicare non vult. Porrò gentiles et hæretici docti voluntariè avertunt intellectum à considerationc signorum, victi nempe difficultate singula firmissimè credendi et vivendi ad regulam fidei ; alii etiam interiùs quidem vident credibilitatem, sed ob fines temporales exteriùs negant ; pueri autem ac rudes hæretici sæpè invincibiliter illam evidentiam ignorant, eò quòd de illis signis nihil audiant, aut de suâ sectâ nullam rationem dubitandi advertant. Ad confirmationem primam respondeo : Nego minorem : Non enim evidenter verus est ipse articulus, nec ipsa revelatio divina in se, nec hoc judicium evidens est, quod Deus de facto tale mysterium revelaverit, sed evidens duntaxat est, quòd prudenter judicari possit, Deum hoc dixisse ac revelâsse, ut in q. seq. pluribus dicetur. Ad secundum, distinguo majorem : Cum evidentiâ morali propriâ, quòd aliquis articulus sit credibilis seu prudenter judicari possit articulum esse revelatum, nequit componi libertas et obscuritas fidei, nego ; cum evidentiâ quòd articulus sit verus et à Deo revelatus, concedo. Primum necessitat tantùm ad judicium, quo statuam evidens esse, me prudenter agere in assensu mysteriis dando : eo autem judicio non obstante potest voluntas non imperare intellectui assensum, imò quandoque imperare dissensum, quamvis imprudenter ; unde liquet voluntati libertatem non adimi, sed locum relinqui piæ affectioni.

Objicies contra secundam : Duæ propositiones contradictoriæ possunt simul esse æquè evidenter probabiles ; ergo etiam æquè evidenter credibiles tanquàm dictæ à Deo. Confirmatur : Saltem metaphysicè non est impossibile quòd Deus tantam apparentiam credibilitatis permittat pro religione falsâ, quantam dat pro verâ : ergo ex hâc apparentiâ religio nostra non est evidenter credibilis. — Respondeo : Distinguo consequens : Potuerunt simul esse æquè evidenter credibiles, evidentiâ unam proponente ut prudenter præ aliâ credibilem, et imprudenter solùm præ aliâ repudiabilem, nego ; evidentiâ tali quæ ad hoc solum valeat, ut intellectus neutri earum præ alterâ prudenter assentire vel dissentire possit, transeat. Esto enim, hoc postremum fieri queat ; certum tamen est quòd ad assensum fidei theologicæ prudenter imperandum prior evidentia omninò necessaria sit, et de facto circa articulos nostræ fidei habeatur, cùm quæ motiva eos faciunt evidenter credibiles, sic etiam persuadeant esse credendos, adeòque obligationem credendi pariant. Jam verò si doctrina contraria foret æquè credibilis, nulla posset esse credendi obligatio ; cùm motiva se mutuò eliderent, ideòque intellectus necessariò hæreret suspensus. Ad confirmationem respondeo : Nego antecedens : quamvis enim hoc permittatur respectu cujusdem hominis particularis fieri posse, negatur tamen respectu apparentiæ absolutæ ac universalis, juxta illud Richardi à S. Victore, num. 92.

Inst. 1ª : Signa credibilitatis non faciunt evidenter incredibiles omnes alias sectas, tum quia vix aliquis etiam litteratus novit quot sint sectæ et quæ earum notæ credibilitatis, tum quia aliqua secta forsan à fide nostrâ solùm discedit in puncto speculativo, et prudenter credi potest sufficere ad salutem ut in præcipuis articulis conveniamus. Ergo nec faciunt evidenter credibilem religionem nostram. — Respondeo : Nego antecedens ; ad probationem primam, nego id requiri, sed satis est illas considerare sub genericâ ratione Gentilismi, Mahometismi, Judaismi, quæ mediocriter doctis satis notæ sunt ; quod hæreticorum sectas diversas attinet, et horum celebriores adhuc vigentes nôsse sufficit, aliæ verò vel non notæ, vel jam exstinctæ, hoc ipso indignæ sunt aliquâ consideratione ; quin nec celebriorum sectarum errores quis perspectos habere debet, sed satis est nôsse motiva credibilitatis fidei catholicæ, simulque scire æqualia non adesse sectæ oppositæ, id quod vel ex eo constat, quia sectarii talia non afferunt, allaturi certò, si possent. Ad probationem secundam, nego primum membrum ; in quocumque puncto sit discrepantia, habetur error practicus, tum quia est dissensus ab Ecclesiâ, et ecclesiasticæ divinæque auctoritatis contemptus, tum quia et speculativum dogma aliquando credendum est, cui obligationi dùm non fit satis, peccatum nascitur, quod est error practicus circa illud dogma. Membrum secundum falsum esse proximè ostendetur, ubi de distinctione hæreticorum in articulos fundamentales et non fundamentales.

Inst. 2ª : Si articuli fidei nostræ præ aliis sectarum essent evidenter credibiliores, minor esset in illis præ his credendis difficultas, quia actus facilior est censendus, ubi sunt motiva validiora ad illum impellentia ; sed consequens est falsum, quia sublatâ difficultate credendi, tollitur etiam fidei meritum ; ergo. — Resp. : Nego majorem ejusque probationem ; inprimis enim ad meritum non requiri absolutè difficultatem seu operis arduitatem, si libertas et cætera requisita adsint, patet in Christo, qui Deum sine difficultate amabat, et hoc amore perfectissimè merebatur ; deinde nec ipsa credibilitatis evidentia omnem credendi difficultatem removet, eò quòd per illam non impediatur quo minùs ratio naturalis plura argumenta opponat, ac præterea satis arduum sit solam credibilitatis evidentiam præferre naturalibus ejusmodi rationibus circa ipsam articuli veritatem, quæ evidenter falsæ non demonstrantur.

Articulus III.

An articuli fidei catholicæ sint etiam evidenter veri ?

Nota 1ª : Res evidenter vera tunc est, quando res vel in se ipsâ ac immediatè, vel in motivo infallibili

ac mediatè ita se habere clarè cognoscitur, sicut actus enuntiat. Quia verò illud motivum, quo articulus fidei verus esse cognoscitur, est testimonium Dei loquentis, evidentia prior dicitur rei attestatæ vel revelatione divinâ dictæ ac confirmatæ; posterior autem vocatur evidentia in attestante seu de revelatione. Sed hæc iterùm potest esse vel immediata vel mediata, quia ipsa revelatio in se potest esse evidens, qualem subinde habuisse prophetas concedunt plures; vel potest esse evidens in et ex signis credibilitatis, qualem non negant dæmonibus signa hæc profundiùs penetrantibus, et forsan non negandam esse viris quibusdam sapientioribus putat Suaresius, hìc, disp. 3, sect. 8, n. 5. Porrò articuli fidei catholicæ alii versantur circa doctrinam juris naturalis, alii circa doctrinam juris supernaturalis.

Nota 2ª: Supponi hìc potest 1° articulos plures circa doctrinam juris naturalis per seipsos et evidentiâ immediatâ esse evidenter veros; alios etiam naturali ratione posse demonstrari positivè tanquàm veros; 2° è contra articulos circa doctrinam juris supernaturalis nec immediatè ac ex terminis evidenter esse veros, nec ratione positivâ demonstrari posse, ut ostenditur in tractatu de Trinitate contra Raymundum Lullum, et docet S. Thomas, p. 1, q. 32, a. 1, in o, ubi frivolos quorumdam in demonstrandâ Trinitate conatus retundit, eosque dupliciter fidei derogare probat; 3° articulos fidei circa utrumque jus per signa credibilitatis id saltem consequi, quòd sint moraliter certi, atque hinc omnem circa eos prudentem formidinem excludi, in quo moralis certitudo consistit. Quæstio itaque duntaxat versatur de evidentiâ veritatis articulorum mediatâ per signa credibilitatis, an scilicet ex signis credibilitatis ita evidens fiat religio catholica et veritas articulorum fidei, ut ne quidem imprudenter quis de eâ veritate formidare possit, sed absque voluntatis imperio intellectus evidentiâ signorum convictus rapiatur ad assensum.

Dico: Articuli fidei nostræ communiter loquendo non sunt evidenter veri seu evidentes in attestante, evidentiâ propriè tali excludente formidinem etiam imprudentem.

Probatur: Rudes et indocti nec penetrant nec considerant signa credibilitatis: quamvis verè auctoritas parochi et instructorum valeat plurimùm apud illos, et forsan plus quàm signa credibilitatis apud doctos, hæc tamen apparentia quantacumque non est stricta evidentia; tum quia non rapit intellectum ad assensum, excluditque formidinem imprudentem; tum quia hâc exclusione etiam gratis datâ, id non facit claritas signorum credibilitatis, sed inadvertentia rudium, et quòd non occurrant motiva contraria: unde fit ut, si alius æqualis auctoritatis proponat oppositum, rudis statim hoc credat vel formidet de veritate ipsi antea propositâ. Si verò articuli fidei essent evidenter veri et revelati evidentiâ strictâ et propriâ viris etiam cultioribus et doctis, communiter loquendo, 1° non foret ipsis arduum credere; 2° nullam experirentur tentationem contra fidem; 3° difficiliùs illis accideret cohibere intellectum ab assensu, quàm ad hunc impellere; 4° imò ex naturâ evidentiæ raperentur ad assensum fidei, et non requireretur imperium voluntatis ad firmiter et immobiliter credendum, nec esset libertas credendi. Sed hæc omnia repugnant tum experientiæ, tum aliis principiis fidei; ergo. — Respondent 1°, assensum fidei non esse quidem immediatè liberum, quatenùs suppositâ evidentiâ signorum et veritatis articulorum possit assentire vel dissentire; esse tamen mediatè liberum, quatenùs voluntas liberè applicat intellectum ad consideranda hæc signa. Sed contra est 1°, quia pari ratione libera posset dici scientia seu actus scientificus et evidentia, quæ ex visione oculorum habetur; 2° quia ipse fidei assensus in se debet esse liber, ut liquet primò ex Marc. 16, ubi Christus exprobrat incredulitatem eorum qui, dùm viderant Christum et audierant signa credibilitatis de ejus resurrectione, non crediderunt; secundò, ex concilio Arausicano II, canone 5, ubi credulitatis affectus quo credimus, dicitur donum Dei et gratia, quæ necessitatem non infert; tertio, ex Tridentino, quod liberam dicit fidem post auditam prædicationem, et consequenter penetrata credibilitatis signa, cùm, sess. 6, cap. 6, sic loquatur: *Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitùs revelata et promissa sunt.* Respondent 2° fidem manere eatenùs liberam, quatenùs voluntas per piam affectionem vel imperat assensum non propter evidentiam signorum, sed propter solum testimonium Dei, ita ut voluntas parata sit credere, etsi non haberet illam evidentiam, vel quatenùs in reverentiam auctoritatis divinæ imperat assensum firmiorem quàm mereantur signa credibilitatis, cùm firmitas indefectibilitatis in actu fidei supernaturalis major sit illâ firmitate, quæ provenit à naturali tantùm evidentiâ objecti sive per se, sive per credibilitatis signa. Sed contra utramque partem est quòd in evidentiâ, utpote necessitante, rapiatur intellectus, quin imperium voluntatis in hoc negotio assensùs partem ullam habere possit; et si haberet locum, deberet semper dici actus duplex fidei, alter nempe necessarius, prout evidentiæ correspondet, alter liber quoad assensum vel præcisè testimonio præstitum, vel cum majore firmitate indefectibilitatis elicitum, quod quia non experimur, gratis omninò fingi convincitur.

Singulariter verò contra partem primam est, tum quia ejusmodi voluntas imperium vix ullus nisi doctus, ac nonnisi in articulis ad doctrinam juris naturalis pertinentibus experiri solet, tum quia intellectus etiam liber non est ad testimonium Dei repudiandum vel amplectendum, cùm supponatur esse evidens; adeòque etiam voluntas non possit eligere assensum propter hoc potiùs, scilicet testimonium, quàm propter aliud; tum denique quia assensus fidei communiter loquendo est absolutus et directus, neque eam conditionem aut actum reflexum connotat, quâ dicat voluntas: Parata forem assentiri, etsi non haberem illam evidentiam. Contra secundam partem est, tum

quia intellectus per fidem non solùm captivatur ad firmissimè, sed etiam ad simpliciter assentiendum, quod tamen hìc non fieret per fidem liberam à conciliis et Patribus absolutè assertam, sed per evidentiam necessitantem; tum quia firmitas intensiva, seu quæ se tenet ex parte voluntatis majorem conatum in se firmandâ adhibentis, non spectat ad substantiam et essentiam actûs fidei etiam supernaturalis; firmitas verò indefectibilitatis, quæ est in actu supernaturali, cui implicat subesse falsum, habetur unicè ab infallibilitate objecti maximâ atque connexione actûs cum illâ, non autem à voluntatis imperio et libertate, utpote cui non datur discretio ac electio inter actum supernaturalem, qui talem firmitatem infert, et naturalem, ex dictis alibi.

Objectiones.

Obj. 1° : Evidens credibilitas nostræ religionis est evidens credibilitas supra omnes alias sectas, imò illas evidenter facit prudenter incredibiles; sed hoc ipso infert evidentiam veritatis nostræ religionis; ergo. Minor constat, quia hæc sunt duo principia evidentia : Religio in mundo cæteris credibilior est vera; et illa religio est vera, quæ sola est prudenter credibilis; ergo, si sola nostra evidenter sit prudenter credibilis ac credibilior præ aliis, est evidenter vera. Antecedens tanquàm fundamentum adversarium probatur : 1° Evidens est Deum non posse permittere falsæ religioni tantam apparentiam veritatis, aut majorem credibilitatem, ac permisit nostræ, quæ vera est; ergo. 2° Evidens est quòd non conqueramur de Deo, tanquàm de seductore, in materiâ religionis; sed evidens est nos posse conqueri de Deo tanquàm seductore, si religio cæteris credibilior et sola prudenter credibilis esset falsa; ergo. 3° Evidens est aliquam religionem in mundo esse veram; sed evidens est alias sectas esse falsas, utpote prudenter incredibiles; ergo. 4° Evidens est Deum esse colendum, etiam speciali illo modo quo ipse vult : sed evidens est modum quo ipse vult coli, esse illum qui nobis evidenter proponitur ut credibilior, et qui solus proponitur ut prudenter credibilis; ergo. — Respondeo : Nego majorem, ad ejus assumptum distinguo antecedens : Hæc principia sunt evidentia absolutè et sine factâ suppositione prævià, nego; ex suppositione quâdam prævìè admissâ, concedo. Duo sunt quæ supponere oportet, 1° quòd Deus instituerit aliquam religionem supernaturalem, quæ multa doceat præter illa quæ sunt juris naturalis, quodque illam voluerit esse necessariam ad salutem; 2° quòd nullum detur peccatum inficiens humanum genus, in cujus pœnam permittat ut omnes etiam prudenter operando decipiantur. Geminâ hâc suppositione factâ evidens quidem est utrumque principium; quia si his suppositis falsa esset religio prudenter credibilior aliis, Deus sine ullâ nostrâ culpâ redderet generi humano inevitabiliter impossibilem consecutionem ultimi finis, quod evidens absurdum est; neutrum tamen absolutè est evidens; quia utraque illa suppositio antecedenter ad fidem solum est moraliter certa, tanquàm geminus articulus ex articulis nostræ religionis : non enim evidens est Deum instituisse religionem supernaturalem ut medium necessarium ad salutem; neque evidens est Deum non permittere communem deceptionem in pœnam alicujus peccati communis : stante autem hâc in evidentiâ nequit esse absolutè evidens veritas religionis prudenter credibilioris, quia ex hujus falsitate nullum apparet evidens absurdum, cò quòd in hoc casu Deus non absque culpâ ac merito injiceret necessitatem amittendi finem ultimum. Sub simili distinctione respondeo ad probationes omnes quæ non sunt nisi phrases diversæ de eâdem re.

De tertiâ tamen præterea notandum, illius majorem esse veram, si sumatur indeterminatè; non tamen evidens est determinatè hanc vel aliam esse veram, multò minùs autem hanc supernaturalem. Ad quartam etiam distinguo majorem : Evidens est modum quo Deus reflexè vult coli, esse illum qui nobis evidenter proponitur ut credibilior, concedo; modum quo directè vult coli nego. Deus etiam reflexè vult coli per mendacium ab illo qui invincibiliter judicat hìc et nunc esse mentiendum ad Dei honorem : directè tamen et per se non vult talem cultum. Quia nempe evidens est Deum velle nos operari juxta dictamen conscientiæ invincibiliter proponentis aliquem Dei cultum ut debitum, Deus reflexè vult coli cultu prudenter credibiliori; unde tamen non sequitur evidens esse quòd Deus directè velit talem cultum, neque quòd iste directè sit verus Dei cultus.

Obj. 2° : Ex Scripturâ et Patribus Ecclesia et vera religio est visibilis, potest discerni et inveniri. Sed talis esse nequit, nisi sit evidenter vera; ergo. Confirmatur 1° : Patres, in libris quos pro nostrâ religione scripserunt, contenderunt demonstrare ipsius veritatem, et evidenter convincere adversarios, ut patet ex S. Augustino, l. de verâ Religione, cap. 2; S. Chrysostomo, oratione *Quòd Christus sit Deus;* Arnobio, l. 2 contra Gentiles; Origene, hom. 30 in Matth., aliisque quos recitat Elizalde; ergo. Confirmatur 2° : Miracula et prophetiæ evidenter ostendunt veritatem catholicæ religionis; nam præterquàm quòd S. Thomas, hìc, q. 5, a. 2, et p. 3, q. 47, a. 5, hanc virtutem miraculis tribuat, ostenditur hoc 1° quia evidens est veram esse religionem in cujus confirmationem facta sunt vera miracula et impletæ prophetiæ; sed evidens est hæc contigisse in confirmationem fidei nostræ; ergo. 2° Quia Judæi videntes signa et miracula facta à Moyse, evidenter cognoverunt veritatem suæ religionis; ergo idem dicendum est de religione nostrâ. — Respondeo : Distinguo minorem : Ecclesia est visibilis, potest discerni, etc., credibiliter seu per evidentiam credibilitatis, concedo; scientificè et per evidentiam veritatis, nego. Idem sensus est S. Thomæ, dùm q. 1, a. 4, ad 2 : « Dicendum, ait, quòd ea quæ sunt fidei dupliciter « considerari possunt : uno modo in speciali, et sic non « possunt esse simul visa et credita : alio modo in ge- « nerali, scilicet sub communi ratione credibilis, et « sic sunt visa ab eo qui credit. » Ad confirmationem primam, distinguo antecedens : Contenderunt demonstrare religionis veritatem ut evidenter credibilem et

credendam, concedo; veritatem ipsam ut evidentem seu evidentiam veritatis, nego. Idem est, si cum Bellarmino, l. 4 de Notis ecclesiasticis, cap. 3, dicatur contendisse quidem demonstrare veritatem evidentiâ consequentiæ, non autem consequentis. Illi enim positis et admissis Scripturis, evidenter deducebant veritatem religionis nostræ contra hæreticos et Judæos Scripturarum receptores, cujus credibilitatem duntaxat ex signis aliis ostendebant. SS. Patres veritatis evidentiam non intelligebant talem, quæ formidinem etiam imprudentem excludat et rapiat ad assensum, sed minùs propriam tantùm, tum quia ipsi se distinguebant à Manichæis, qui nihil credendum contendebant, nisi priùs ratione demonstraretur tanquàm verum, contra quem errorem aliquandò suum S. Augustinus agit, l. de Utilitate credendi; tum quia ipsi commendabant laudabilem liberamque fidem, ad quam evidentia credibilitatis et obligationis credendi proposita alios perducere satagebant.

Ad confirmationem secundam respondeo : Distinguo assumptum : Miracula et prophetiæ evidenter cognita ostendunt evidenter veritatem, concedo; non evidenter cognita, seu ut communiter cognoscuntur, nego. Auctoritatem S. Thomæ ad evidentiam credibilitatis tantùm pertinere, liquet ex textibus citatis. Ad probationem primam nego minorem : ad evidentiam miraculorum ac prophetiarum requiritur evidens cognitio, quòd sit verè miraculum aut verè prædictum spiritu prophetico ac Deo inspirante, et quòd simul factum fuerit aut inspiratum à Deo in confirmationem alicujus doctrinæ. Hæc autem evidentia communiter loquendo non habetur, cùm miracula nobis solùm proponantur à scriptoribus sapientissimis quidem et sanctissimis ac ecclesiasticis historiis, sed quæ solùm faciant evidentiam credibilitatis et moralem certitudinem de veritate miraculorum ac prophetiæ, ac consequenter etiam de veritate religionis. Quin cardinalis de Lugo, non dissentiente Suaresio, judicat miracula etiam visa ab Apostolis et Judæis, v. g., resurrectionem Lazari, non attulisse illi strictam evidentiam de veritate per illa confirmatâ, tum quia videntes hæc imprudenter saltem formidare poterant an essent vera miracula, an dæmonum præstigiæ à Deo in pœnam alicujus peccati permissæ; tum quia æquè imprudenter formidare poterant de intentione Dei in patrando miraculo, eò quòd evidens non sit quòd Deus nequeat concurrere ad verum miraculum, quo minister insensibiliter abutatur in confirmationem falsæ doctrinæ; unde Judæi, quamvis imprudentissimè, dicebant Christo : *Tu dæmonium habes, et in principe dæmoniorum ejicis dæmonia.* Similiter de prophetiis non est evidens vaticinia veteris Testamenti esse veras prophetias, quia non est evidens illorum sensus, neque evidens est ea non fuisse merè casualiter impleta. Hinc ad secundam probationem potest negari antecedens; sed eo etiam transmisso, nihil contra nos infertur, tum quia respectu nostri habetur apertum discrimen, tum quia solùm asserimus communiter loquendo non dari evidentiam.

Objicies 3° : Quæcumque argumenta proximè allata sunt contra evidentiam veritatis, etiam pugnant contra evidentiam credibilitatis; ergo vel neutra, vel utraque evidentia est asserenda. Confirmatur : In materiâ religionis, quod est moraliter certum est moraliter evidens, tum quia omnis certitudo comparata per rationes est evidentia, tum quia certitudo moralis proponit objectum ut indubitabile; sed ex signis credibilitatis etiam juxta nos oritur moralis certitudo de veritate mysteriorum; ergo. — Resp. : Nego antecedens; disparitas est; ad hoc ut aliquid sit evidenter credibile, sufficit adesse tam clara motiva, quibus convincatur intellectus, quòd possit prudenter adhiberi fides. Jam verò licet miracula, v. g., absolutè loquendo possint esse falsa, vel imprudenter existimari esse permissa in confirmationem falsi, tamen extorquere possunt illud judicium prudens de fide habendâ, quia non illud tantùm fide prudenti dignum est, quod absolutè aliter esse nequit, sed etiam illud quod certò apparet ita esse, quamvis absolutè aliter esse queat. E contra, sicut ad veritatem rei requiritur ut absolutè aliter non sit, aut de facto esse non possit, et actus enuntiat, ita ad evidentiam veritatis requiritur, ut motiva convincant intellectum quòd res aliter non sit, aut de facto esse non possit ac motiva ostendunt; id verò præstare nequeunt motiva ejusmodi, quæ ipsa fortè falsa sunt, aut absolutè falsa esse possunt, aut saltem imprudenter sic existimari queunt. Ad confirmationem, respondeo : Nego majorem, ut patet ex supra tertio loco notatis initio hujus articuli, et ex cujus supposito hic tantùm loquimur. Ad probationem primam, distinguo : Certitudo comparata per rationes evidentes est evidentia, concedo; per rationes inevidentes, nego; ad secundam, distinguo : Certitudo moralis in materiâ religionis proponit objectum ut indubitabile quoad credibilitatem, concedo; quoad veritatem, subdistinguo : Indubitabilitate prudentiæ, hoc est, ut prudenter indubitabile, concedo; indubitabilitate scientiæ ac evidentiæ, nego.

Objicies 4° : Credibilitas mysteriorum est credibilitas cujuslibet mysterii ut veri, sicut amabilitas objecti est amabilitas objecti ut boni; ergo sicut evidens amabilitas infert evidentem bonitatem, ita evidens credibilitas infert evidentem veritatem. Confirmatur : Evidens credibilitas mysteriorum fidei est evidens locutio quâ Deus nobis illa revelavit; item evidens credendi tas est evidentia de Dei præcepto ut credamus; ergo est etiam evidentia veritatis, quia evidens est Deum non posse revelare falsum, nec præcipere posse ut credatur falsum. — Respondeo : Nego consq.; disparitas est, quia credibilitas mysterii ut veri nihil aliud est nisi apparentia veritatis extrinseca seu proveniens ab argumentis rei extrinsecis; cùm autem veritas habeatur tantùm ex eo quòd res ita se habeat in seipsâ, etiam evidens apparentia veritatis non infert veritatis evidentiam, siquidem res in se falsa aliquando habet magnam, imò evidentem apparentiam veritatis. E contra, amabilitas objecti est ipsa bonitas intrinseca objecti, aut saltem sic debet supponi; si enim non hæc, sed extrinseca duntaxat et in motivis bonitatem objecti

extrinsecò suadentibus posita intelligatur, potest aliquid evidenter etiam apparere amabile; quin tamen in se sit bonum, atque hinc evidentia amabilitatis non inferat evidentiam bonitatis. Ad confirmationem, respondeo 1° : Nego primam partem antecedentis, tum quia etiam vera miracula aliaque signa credibilitatis, prout verè physicè sunt, non sunt in seipsis locutio divina secundùm communem theologorum opinionem ; tum quia evidens etiam credibilitas nostra non fundatur in illis signis, prout physicè vera sunt in seipsis, eò quòd ex dictis nuper non sit evidens, illa esse vera miracula aut verè ad locutionem Dei firmandam facta ; sed fundatur in illis inevidenter quoad hanc veritatem cognitis, ac plerumque ut traduntur in historiis ac monumentis fide dignis, quæ tamen non faciunt evidentiam de illorum veritate. 2° Secundam partem distinguo : Evidens credenditas est evidentia de Dei præcepto directo ut credamus, nego; de præcepto reflexo, concedo. Similiter etiam probatur secunda ; distinguo consequens : Evidens est Deum non posse directè præcipere ut falsum credamus, concedo ; non posse præcipere reflexè, nego.

Articulus IV.

An articuli fidei catholicæ sint evidenter credendi ?

Nota 1° : Credendum illud est quod quis non tantùm prudenter potest sed etiam tenetur credere. Sumitur vel negativè vel positivè ; negativè credendum est, quod quis negare non potest, vel quod cuiquam non permittitur liberum, ut credat vel non credat, assentiatur vel dissentiatur : positivè credendum est, circa quod quis tenetur elicere assensum fidei. Porrò fides elicienda potest esse vel explicita vel implicita : explicita est, quâ quis aliquem articulum credit in particulari, eò quòd in particulari sciat esse articulum revelatum, et sic credimus mysterium Trinitatis, Incarnationis, etc. ; implicita dicitur, quâ quis aliquem articulum solum credit in communi, credendo scilicet quidquid Deus revelavit et Ecclesia credit, licet in particulari non sciat aliquod mysterium esse à Deo revelatum ; et sic etiam simplex rusticus credit singula mysteria, licet aliqua in particulari ignoret. Fides explicita subdividitur in necessariam necessitate medii vel præcepti : necessaria necessitate medii est, quæ ex naturâ ipsius rei necessaria est ad justificationem et salutem, seu quæ de aliquo explicitè credendo ita requiritur, ut qui illud etiam invincibiliter ignorat, salutem non consequatur : necessaria necessitate præcepti est, quæ solùm ex præcepto Dei positivo requiritur ad salutem, seu quæ de aliquo explicitè credendo positivè quidem præcepta est, ita tamen ut qui illud invincibiliter ignorat, non hoc ipso impediatur à consequendâ salute. Jam verò convenit quidem inter Catholicos, paucos articulos necessariò esse explicitè credendos necessitate medii, imò ne quidem omnes credendos explicitè necessitate præcepti, sed sufficere fidem implicitam circa plures veritates à Deo revelatas ; atque hoc sensu concedunt alios articulos dici posse fundamentales, nempè illos qui sunt necessariò credendi necessitate medii ; alios autem dici non fundamentales, qui nempe non sunt hâc ratione necessariò credendi : verùm et unanimiter negant ullam veritatem à Deo revelatam dari, quæ non sit credenda negativè, hoc est, quam quis negare liberè possit, aut affirmare vel inficiari cuiquam liberum sit.

Nota 2° : Diversus ab hâc sententiâ error est non tantùm Libertinorum seu Indifferentistarum quasi paganorum, qui quemlibet docent in suâ sectâ salvari posse, modò unum Deum agnoscat, eumque juxta sectæ suæ leges seu propriam rationem colat ; sed etiam Adiaphoristarum, Syncretistarum aut Indifferentistarum Christianorum, qui pro diversitate suarum classium vel articulos de Deo tantùm et Christo confusè cognito, vel mysteria etiam præcipua Christi et S. Trinitatis, vel Symboli apostolici aut etiam Athanasiani articulos fundamentales, substantiales, essentiales, et ad salutem consequendam necessarios ; reliquos verò omnes vocant accidentales, arbitrarios, adiaphoros et non fundamentales, seu tales, quos credere vel non credere quis possit pro libitu et citra periculum salutis. Horum errores refutandi sunt.

Dico 1° : Articuli nostræ fidei evidenter credendi sunt assensu firmissimo, seu explicito, seu implicito. Probatur : Quoties est moraliter certum Deum aliquid revelâsse, hoc credendum est assensu firmissimo, sed ex signis credibilitatis moraliter certum est Deum revelâsse articulos fidei nostræ : ergo credendi sunt assensu firmissimo, etc. Major est evidens ex terminis, sicut evidens est, obediendum esse superiori, quando moraliter certum est illum aliquid præcipere ; Deus enim dùm aliquid revelat, sicut etiam homo dùm loquitur, exercitè exigit nostram fidem : certum item est ex terminis irrogari injuriam illi, cui non creditur, si moraliter certum sit eum fuisse locutum.

Dico 2° : Distinctio articulorum fidei in fundamentales et non fundamentales ex sensu Indifferentistarum facta nullatenùs est admittenda. Probatur 1° : Omnes articuli à Deo revelati sunt æqualiter veri ac certi, quia nituntur eâdem auctoritate divinâ infallibili : ergo vel omnes vel nullum negare possumus, aut negativè credere tenemur, quia qui negat articulum non fundamentalem, æquè spernit Dei auctoritatem ac negans fundamentalem. Confirmatur : Quivis verè christianus debet habere hunc actum : Credo omnia quæ Deus revelavit ; quia dùm credit unum articulum fundamentalem quia est revelatus, si revelatio divina vera sit causa cur hunc credat, hoc ipso implicitè credere debet et alia revelata ; aliàs locum habet illud S. Augustini, l. 13 contra Faustum, cap. 3 : *Qui in Evangelio, quod vultis creditis quod non vultis, non creditis, vobis potiùs quàm Evangelio creditis.* Ergo nullum articulum, à Deo in Scripturâ vel alibi revelatum excludere potest à suâ fide aut negare ; quia aliàs sibi contradiceret, affirmatâ scilicet universali et negatâ particulari propositione. Probatur 2° : Distinctio articulorum in fundamentales et non fundamentales eorumque determinatio nec potest ostendi ex Scripturâ, utpote quæ nullam hujus rei mentionem facit ; nec accepta est ab

Ecclesiâ ; quia si hæc orthodoxa sumatur, contradicit apertè : si autem confingatur ex omnibus sectis, jam hos jam illos et quidem contradictoriè oppositos designat : neque repeti debet à spiritu privato, quia hic insanus est omnium errorum magister et auctor dissensionum. Confirmatur : Quicumque statuuntur ab Indifferentistis articuli fundamentales, sunt ejusmodi, præter quos Ecclesia catholica alios adhuc credendos proponit ; sicut in prioribus seculis contra Arianos, Nestorianos, Eutychianos, etc., proposuit. Ergo et alii non fundamentales habiti credendi sunt juxta illud Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*

Dico 3° : Ad salutem non sufficit ut quis credat articulos fundamentales, si interim aliorum satis propositorum unum non credat, sed neget vel discredat. Probatur 1° : Ad salutem non sufficit ut quis servet plura præcepta, si vel unum violet, juxta illud Jac. 2, 10 : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus ; qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit et : Non occides.* Ergo nec ad salutem sufficit, hos vel illos articulos credere, si quis alios à Deo revelatos et satis propositos non credat ; quia sicut ibi contemnitur legislator, sic hic etiam præter contemptum Ecclesiæ illatum spernitur fidei auctor ; neque fides in hoc casu perfecta est ac integra, sicut nec in illo justitia seu obedientia ; unde Augustinus de Donatistis in Psal. 54 sic inquit : *In multis sunt mecum, in paucis non mecum : sed in his paucis, in quibus non sunt mecum, non prosunt illis multa.* Confirmatur 1° : Nullus hæreticus potest salvari in suâ hæresi juxta illud ad Tit. cap. 3, 10 : *Hæreticum hominem... devita, sciens, quia subversus est, et delinquit ;* et S. Augustinus, lib. contra Petil., cap. 6, ubi, *nihil prodest*, ait, *hæreticis ad salutem, quòd extra Ecclesiam verum baptisma per ignorantiam et tradunt et tenent.* Sed qui dissentit cuicumque veritati à Deo revelatæ, est hæreticus : ergo. Confirmatur 2° : Si sufficiat ad fidem ac salutem credere articulos quos vocant fundamentales, ergò Apostolus malè scripsisset ad Galat. 5, 2 : *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit ;* et concilia Patresque à primordiis Ecclesiæ usque ad hæc tempora malè dixissent anathema hæreticis, quorum plurimi articulos fundamentales, hoc est, Symboli apostolici credebant, cùm etiam ex S. Hilario, l. 2 ad Constant. liqueat : *Neminem hæreticorum esse, qui se non secundùm Scripturam prædicare ea quibus blasphemat, mentiatur.* Neutrum videtur prudenter admittendum : ergo.

Probatur 2° : Fides ad salutem sufficiens et necessaria debet esse una, ut patet ex Apost. ad Ephes. 4, 5 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma,* unde vera et salvifica fides etiam Dan. 2, 44, vocatur : *unum regnum ;* Matth. 24, 25 : *una domus ;* Joan. 10, 16 : *unum ovile,* etc. Sed apud Indifferentistas, etiam Symbolum apostolicum credentes, non est una fides seu unitas in fide : ergo non potest esse fides ad salutem sufficiens et necessaria. Minor probatur 1° : quia horum, utpote variis sectis addictorum vel ab omnibus sectis et Ecclesiâ catholicâ se distinguentium variæ sunt in aliis articulis discrepantiæ ac contradictiones ; 2° quia nec in ipsâ Symboli explicatione ac intelligentiâ est unitas ; atque hinc nec una fides articulorum fundamentalium ; ut patet ex articulis de Christi pro omnibus morte, de descensu ejusdem ad inferos, de Ecclesiâ, de remissione peccatorum, etc. ; 3° quia apud hos negari posset ac è medio tolli tota Scriptura, supremum Ecclesiæ caput, aliaque adminicula ad fidei unitatem facientia.

Objectiones.

Objic. Sacra Scriptura tribuit salutem credentibus articulos fundamentales, ut patet 1° ex Joan. 17 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum ;* 2° ex Joan. 3 : *Ut omnis qui credit in ipsum* (Christum) *non pereat, sed habeat vitam æternam ;* item : *Qui credit in Filium, habet vitam æternam ;* 3° ex Marc. ult. : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ;* ergo. Confirmatur : Latro in cruce solum Christum credidit, et tamen, Luc. 23 audire meruit : *Hodie mecum eris in Paradiso.* Item Philippus, Act. 8, eunuchum Candacis baptizavit, quin verisimile sit illum tam modico tempore aliquid præter Christum fuisse doctum ; ergo. — Respondeo : Distinguo antecedens : Scriptura tribuit negativè salutem credentibus articulos fundamentales, seu hoc sensu, quòd sine hâc fide seu implicitâ seu explicitâ non obtineat salus, concedo ; positivè seu hoc sensu, quòd obtineatur salus cum hâc fide, subdistinguo : Suppositis et adjunctis etiam cæteris, quæ aut credenda aut facienda sunt, concedo ; sine illis, nego. Sicut per alia Scripturæ testimonia, ubi virtuti cuidam aut operi promittitur vita æterna non excluditur necessitas etiam aliorum ad beatitudinem consequendam requisitorum : sic idem est tenendum de testimoniis fidei beatitudinem promittentibus maximè cùm alias contra communiorum Indifferentistarum opinionem articuli fundamentales ad duos tantùm restringerentur. Ad confirmandum respondeo : Distinguo antecedens : Latro et eunuchus solùm crediderunt explicitè in Christum, et quoad animi præparationem saltem implicitè etiam credebant aut jam proposita aut proponenda sufficienter ad credendum, concedo ; solùm crediderunt in Christum, ita ut alia sufficienter proposita negarent, ut faciunt sectarii, aut non haberent per animi præparationem fidem implicitam, nego. Hinc etiam simpliciter, nego consequens, ob manifestum inter illos et sectarios discrimen.

Inst. 1° : Nec in Judaicâ nec in christiana Ecclesiâ impediebant quædam dissensiones fidei unitatem et Ecclesiæ fundamentalem ; ut patet de Judaicâ, quæ conflata fuit præsertim sub finem ex Pharisæis, Sadducæis et Essenis, quibus unum erat templum et unus exspectabatur Messias : de christianâ verò vel sub ipsa primordia patet ex dissensione, Act. 15, inter Apostolos de observatione circumcisionis et legalium ; item inter Paulum et Barnabam de Marco recipiendo, ex dissensione inter fideles, qui, Act. 11, disceptârunt contra Petrum, quòd cum non circumcisis conversa-

retur et manducaret; item ex dissensione Corinthiorum, quorum schisma recensetur 1 Cor. 1 et 3. — Respondeo : Distinguo assumptum : Dissensiones in quibusdam factis moralibus vel etiam in rebus fidei nondùm definitis non impediebant unitatem fidei et Ecclesiæ, concedo; in rebus fidei jam definitis, nego. Patet distinctio ex ipsis exemplis allatis. Nam 1° dissensio circa legalium observationem res erat necdùm definita, neque lex utut mortua statim ab initio Ecclesiæ christianæ erat mortifera. 2° Pauli et Barnabæ ad diversa discessus agebatur de Marco in socium evangelicæ prædicationis assumendo, et hinc penitùs fidem non tangebat. 3° Fidelium dissensio à Petro scandalum erat ex infirmitate eorum ortum nescientium adhuc, per Evangelium sublatas fuisse leges Judaicas de communione cum gentilibus vitandâ. 4° Schisma Corinthiorum de præstantiâ duntaxat eorum fuit, qui ipsis Evangelium annuntiaverant, dùm alii dicerent : Ego sum *Pauli;* alii : Ego *Apollo;* alii : Ego *Cephæ;* aut si fuerat etiam circa res fidei, Corinthii tamen non erant pertinaces ad morem sectariorum, sed docibiles et veritatis intelligendæ cupidi, nunquàmque ad separationem prosilierant.

Porrò quidquid sit de Judæorum diversis sectis, fuerintne Pharisæi, Sadducæi et Esseni, omnes hæretici, de quo eruditorum diversa est sententia, id certum est à Judaicâ Ecclesiâ ad christianam argumentum et comparationem institui nec posse nec debere. Quamvis enim Sadducæi, spirituum ac resurrectionis negatores, in Judæorum communione tolerabantur, Paulus tamen et ab Ecclesiæ communione rejecit et fidem perdidisse declaravit illos qui aliquid diversum ab Ecclesiâ de resurrectione senserant, sic enim scribit 1 ad Timoth. 1, 19 et 20 : *Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ;* et 2 ad Tim. 2, 17 : *Ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorumdam fidem.*

Inst. 2° : Qui credit ea quæ sunt necessaria necessitate medii et præcepti, potest salvari; sed qui credit Symbolum Apostolorum hæc omnia credit, quia, ut dictum est supra ex S. Augustino, aliove auctore sermonis 115 de Tempore, Symbolum hoc est *regula fidei brevis et grandis;* ergo. Atqui non catholici duntaxat, sed et sectarii plerique credunt Symbolum; ergo. Confirmatur primò : Quæ Christus reliquit creditu libera, non debent obtrudi tanquàm dogmata fidei necessaria; sed pleraque dogmata quæ in symbolo non continentur et inter Catholicos et sectarios controversa sunt, Christus reliquit creditu libera, utpote quæ nec in Scripturâ sunt clarè expressa, nec in primis seculis credita; ergo. Confirmatur secundò : Plura sunt dogmata de quibus antea dubitare licuit, et de facto quædam sunt de quibus in scholis catholicis controvertitur; quin ipsi Catholici passim distinguunt articulos in necessarios et non necessarios, seu, ut S. Bonaventura, lib. 3 Sententiarum, dist. 25, in antecedentes, uti Scripturam et Dei quædam attributa, constituentes, nempe articulos Symboli, et consequentes, hoc est, ex illis prioribus deductos; neque tamen determinare possunt quinam articuli sint necessarii necessitate medii, et quinam tantùm necessarii necessitate præcepti; ergo.— Respondeo : Distinguo majorem : Qui, quæ credenda sunt necessariò, credit quomodocumque, potest salvari, nego; qui credit eo modo quo credi oportet, concedo; negatur autem sectarios etiam articulos Symboli modo quo oportet credere, tum quia eos non credunt in genuino sensu ac vero, tum quia potiùs ex motivo humano quàm propter Dei auctoritatem credunt, cùm aliàs deberent omnia à Deo revelata etiam credere; ex quo similiter constat ad veram fidem requiri, ne aliqua revelata expressè negentur aut discredantur, aut ne teneantur articuli alii erronei, in quo utroque tamen fides sectariorum delinquit. Ad confirmationem primam, respondeo 1° : Nego suppositum majoris, quòd Christus modo à sectariis intento possit aliquid revelatum relinquere nobis creditu liberum; nam Deus, quæ revelat, ad ea nos obligat vel explicitè vel implicitè credenda, ut probatur supra, dic. 1°. Respondeo 2° : Transmissâ majore, nego minorem, quia quæ controversa sunt inter nos et sectarios fidei dogmata, et ex Scripturâ, et ex traditione, primorumque seculorum fide ostenduntur pro nostrâ parte, ut per decursum theologiæ probatur. Ad confirmationem secundam respondeo : Quoad primum et secundum, distinguo : Licuit et licet de facto dubitare de quibusdam, antequàm et dùm necdùm definita erant aut sunt, atque hinc necdùm quoad nos credenda, concedo; postquàm fuerunt definita, et si etiam quoad nos sint credenda post declarationem Ecclesiæ, nego. Hoc ipsum admittendum est ab adversariis communiter auctoritatem quatuor primorum conciliorum œcumenicorum venerantibus; ante quæ licebat sine fidei detrimento de quibusdam nondùm explicitè declaratis dubitare, non quasi reipsà credenda non fuerint, aut implicitè non crederentur, sed quia apertè nondùm omnibus tanquàm explicitè credenda innotuerant. Quoad tertium : Constat inprimis ex supra dictis non hoc sensu negari à Catholicis articulos quosdam necessarios, ac si liberum foret eos negare aut discredere; sed quatenùs eorum explicita confessio ac notitia non sit præcepta, aut ad salutem obtinendam requiratur. Porrò eamdem mentem fuisse S. Bonaventuræ liquet ex ipsius ibidem doctrinâ, quâ declarat illa dogmata, quæ antecedentia et consequentia vocat, esse creditu necessaria non quidem ut articulos principales, sed ut radicatos in Symbolo Apostolico. Demùm quamvis nec inter Catholicos determinatum sit quænam sit necessitate medii necessaria fides explicita, certum tamen inter eos ac determinatum est, tum quòd aliorum articulorum fides explicita sit necessaria ex se ipsâ ad salutem, aliorum autem positivè præcepta, tum quòd fides implicita requiratur eorum quæ à Deo revelata sunt.

Inst. 3° : Inter res revelatas multa sunt quæ parvi aut nihili referunt, an credantur : ergò in his licebit

cuilibet salvâ fide et salute pro lubitu sentire. Confirmatur 1° : Catholici non obstante ignorantiâ vel errore circa multos fidei articulos possunt salvari : ergo idem contingere potest sectariis. 2° Sunt admodùm pauci qui adhærent Ecclesiæ Romanæ ; quia si totus terrarum orbis dividatur in quatuor et viginti partes, vix quinque sunt christianæ, ex quibus si demantur heterodoxi, pauci restabunt Catholici. Sed incredibile est quòd tam pauci, attendendo præcisè fidem, salventur, cùm Deus seriò velit omnes homines salvos fieri : ergo præter Catholicos et cum solâ saltem fide fundamentalium articulorum etiam aliis salus concedi debet. — Respondeo : Nego, vel distinguo antecedens : Multæ sunt veritates, quæ parvi referunt an credantur spectando præcisè notitiam earum, concedo ; spectando obedientiam, quam Deo loquenti debemus, et auctoritatem Dei, quam discredendo spernimus, nego. Certè non parvi aut nihili refert quod Deus verum aut falsum sit locutus, aut ejus auctoritati injuria aut contra obligationem inobedientia exhibeatur ; quæ tamen evenirent, si nobis sumeremus assentire vel dissentire revelatis. Ad confirmationem primam respondeo : Nego consequens ; disparitas est, quia Catholici in hoc casu credunt saltem generatim quidquid Ecclesia credit et credendum proponit, et ex supposito semper parati sunt errores deponere, ubi eis Ecclesiæ doctrina proponetur ; unde vi hujus dispositionis animi habent fidem quamdam implicitam eorum dogmatum, quæ ignorant. Nihil ejusmodi suffragatur sectariis, si sua principia sequantur, nec statuantur duntaxat hæretici materiales, et errare ex ignorantiâ invincibili. Ad secundam transeat major ; quia calculationem illam non admodùm exactam ostendunt plures, qui Catholicos non in Europâ duntaxat degere nôrunt, sed eorum per alias orbis partes maximas Ecclesias ex ordine recensent. Nego minorem, cùm paucitas salvandorum potiùs Scripturæ plurimùm sit conformis, quàm ut imprudenter credibilis asseratur. Ad probationem respondeo : Dei quidem salvandi omnes voluntatem esse seriam, non tamen absolutam, sed conditionatam, nempe si et ipsi homines salvari velint, eaque præstent qui requiruntur.

Quæres an articuli fidei successu temporis creverint ?

Nota : Dividentur fidei articuli in principales et minùs principales. Principales sive ob dignitatem sive ob necessitatem primò credendi, duo communiter referuntur generales, nempe de Dei existentiâ ac de ejus circa salutem hominum providentiâ, et duo particulares, scilicet de Dei in personis Trinitate et de ejus circa salutem hominum per Christum procurandam providenti dispensatione ; minùs principales circa varia Dei præcepta positiva, sacrificia et sacramenta aliaque salutis media ac circumstantias Redemptoris nostri et Ecclesiæ versantur. Dicuntur autem articuli, seu eorum numerus, crescere vel simpliciter, vel secundùm quid : simpliciter crescunt, si aliquid de novo revelatur antèà necdùm revelatum ; secundùm quid, si aliquid ante revelatum incipit quoad nos esse credibile. Hoc autem fieri potest tripliciter, 1° dum revelatio olim jam facta, sed obscura, per infallibilem interpretem magis explicatur ; 2° dùm similis, sed controversa, per infallibilem controversiam judicem certificatur ; 3° dùm revelatio universalis per legitimam auctoritatem applicatur ad singularia. Porrò, sicut triplicem hanc potestatem Ecclesiæ convenire, sic similiter certum, Ecclesiam nihil unquàm definisse fide divinâ credendum, nisi quod aut explicitè aut formaliter implicitè fuerit revelatum. — Respondeo 1° : Articuli principales fidei nunquàm creverunt. Probatur, quia inprimis articuli duo generales jam ab ortu mundi constabant omnibus fidelibus, eò quòd, teste Apostolo, *sine fide impossibile sit placere Deo ; accedentem verò ad Deum oporteat credere quia est, et inquirentibus remunerator sit.* Duo autem articuli particulares obscuriùs saltem jam lege naturæ ac Moysis revelat fueranti et credebantur, præsertim de Christo, explicitè à patriarchis, magistris et principibus populi Hebræorum ; à vulgo autem profitente fidem veræ Ecclesiæ credebantur implicitè, quamvis distinctè non cognoscerentur. Confirmatur ex SS. Patribus, inter quos S. Irenæus, cui consentit Nazianzenus in Oratione de Machabæis fratribus, fideles omnes ante Christum natum dicit fuisse verè Christianos ; S. Augustinus autem, epistolâ 157 ad Optat., sic scribit : *Eadem est fides nostra et illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos factum ;* et tractatu 45 in Joan. : « Tempora, inquit, variata sunt, non fides ; quia et ipsa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur, alium sonum habet : venturus est, alium sonum habet : venit. Mutandus est sonus, venturus est, et venit : eadem tamen fides utrosque conjungit, et eos, qui venturum esse, et eos qui eum venisse crediderunt. »

Si ais 1° : Deus, Exod. 6, ait Moysi : *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonaï non indicavi eis.* David, Ps. 118, dicit : *Super senes intellexi.* 2° S. Paulus ad Ephes. 3, 5 : *Quod aliis,* inquit, *generationibus non est agnitum* (mysterium Christi) *filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et prophetis in spiritu ;* et v. 9 : *Illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo.* 3° Præterquàm quòd nihil de Trinitatis mysterio in veteri Testamento apertè contineatur, Gregorius Magnus, homiliâ 1 in Ezech., notat per Testamentum novum in corde fidelis populi fidem Trinitatis crevisse. Ergo simpliciter crevisse dicenda est fides in Deum, Incarnationem et Trinitatem. — Respondeo universim : Nego consequens ; ex his enim duntaxat probatur, minùs claram horum articulorum olim notitiam fuisse, quàm post exortam Evangelii lucem, neque ita ad omnem etiam populum et quoscumque pervulgatam, ut postea factum est, dùm Apostoli mittebantur ad docendas omnes gentes et prædicandum omni creaturæ. Specialim ad primum respondeo, sensum textûs primi esse : Ego Deus patribus cognitus fui et vocatus *Adonai, Elohim, El, Saddai,* quæ nominâ certam aliquam perfectionem instar qualitatis in Deo significant, nempe Domini, gu-

bernatoris, fortis, liberalis, omnipotentis; tibi verò nomen meum essentiale (ponitur enim, non *Adonai*, sed *tetragrammaton*) revelo, quod ipsam substantiam in se et essentiæ meæ significat; unde liquet clariorem duntaxat divinitatis cognitionem Moysi præ Abrahamo, Isaaco et Jacobo datam fuisse, quemadmodùm cum Gregorio Magno, homiliâ 16 in Ezechielem, aliisque Patribus interpretes exponunt. Sensus secundi textûs litteralis est, Davidem adhuc juvenem sapientiorem fuisse multis senibus ob studium suum assiduum in meditandâ lege Domini. Quòd si verò præcellentiorem Dei cognitionem sibi ante patriarchas antiquos his verbis tribueret David, nihil diceret nobis contrarium. Ad secundum, respondeo contextum ostendere quòd Paulus non tam de mysterio Christi, sed de mysterio vocationis gentium ad fidem et gratiam Christi loquatur. Utrumque verò non aliter dicitur incognitum à seculis, quàm quòd tantâ claritate itaque expressum et circumstantiis vestitum non innotuerit patriarchis et prophetis antiquis, atque experimento cognitum fuerit ab Apostolis novique Testamenti prophetis, eò quòd Isaias aliique jam ante prophetaverint de vocatione gentium ad Christi fidem, et patriarchæ olim ac prophetæ notitiam de Christi incarnatione habuerint, ut Christus testatus est de Abrahamo, Joan. 8, 56 : *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum; vidit et gavisus est.* Ad tertium, respondeo : Tam in libris Moysis quàm in Psalmis et prophetis non obscurè revelatum fuit mysterium SS. Trinitatis, ut videre est in sacrâ Scripturâ dogmaticè et polemicè explicatâ; apertiùs tamen in Evangelio est annuntiatum, ut adeò merito et ratione hujus tempus novæ legis potuerit ab Apostolo dici lux, quæ noctem veteris legis subsecuta sit, atque hoc, non alio sensu intelligendus est S. Gregorius.

Respondeo 2° : Articuli minùs principales ab Adamo usque ad Christum et Apostolos inclusivè creverunt simpliciter. Probatur, quia, ut ex sacris Litteris patet, Deus multa successivè revelavit Adamo, Abrahæ, Moysi, Davidi aliisque prophetis, et vel maximè in novo Testamento per Christum et Apostolos; sed inter hæc non paucæ sunt veritates quas supra fidei articulos minùs principales diximus; ergo.

Si ais : Conclusio S. Thomæ, 2-2, q. 1, a. 7, hæc est : *Articuli fidei temporum successione creverunt, non quidem quantùm ad substantiam, sed quantùm ad explicationem et expressam professionem; nam quæ explicitè et sub majori numero à posteris credita sunt, eadem omnia à superioribus patribus implicitè et sub minori numero credita fuerunt*, nempe in binis illis articulis generalibus; respondeo S. Thomam substantiam articulorum sumere valdè generatim et confusè, quatenùs nempe omnes articuli reduci possunt aliquâ ratione vel ad Deum, vel ad Dei providentiam; non verò propriè et speciatim, quatenùs omnes articuli secundùm se et veritatem suam singularem et specificam formaliter etiam tantùm implicitè continerentur in illis binis articulis revelatis. Neque is etiam loquitur de merâ et simplici explicatione, quæ sit declaratio, certificatio aut applicatio veritatis cujusdam jam antèà revelatæ; sed de explicatione, quæ sit nova propositio et revelatio distincta ab omni aliâ priore revelatione; ut patet in articulis præsertim objecta contingentia habentibus, cò quòd, cùm, verbi gratiâ, hæc vel illa, septem vel tria sacramenta dari non magis pertineat ad veritatem revelatæ propositionis de divinâ providentiâ, septem præcisè et hæc dari sacramenta nec ut definitio in definito, nec ut pars in toto, nec ut particularis veritas in universali fuerit contenta, et consequenter implicitè revelata. Quare nec implicitè credi poterant, nisi valdè improprio et hoc duntaxat sensu, quòd fideles antiqui parati essent credere omnia objecta, quæ substare possent divinæ auctoritati revelanti.

Respondeo 3° : Articuli fidei à tempore Christi et Apostolorum non creverunt simpliciter, sed tantùm secundùm quid. Probatur prima pars, quia Apostolis communicata fuit omnium veritatum fidei perfecta notitia, ut patet 1° ex Scripturâ, ubi Christus, Joan. 15, 15 : *Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis;* et Joan. 16, 13 : *Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 2° Ex Patribus et conciliis, ex quibus sufficiat Epiphanius, hæresi 66, scribens Apostolos accepisse donum, quo Spiritus sanctus omnia ipsis clarè exposuerit; et Trid., sess. 4, in decreto de canonicis Scripturis, Evangelium Christi proponit tanquàm *fontem omnis salutaris veritatis et morum disciplinæ;* additque *hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt.* 3° Ex eo quòd fides catholica sit simul apostolica, atque ab Apostolis hæreditariâ successione ad nos transmissa : item quòd sit *superædificata*, ut ad Ephes. 2, 20, dicitur, *super fundamentum Apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu;* quæ non haberentur, si articuli fidei quidam fuissent illis incogniti.

Confirmatur : Quia, si crevissent post Apostolos articuli, per Ecclesiæ definitiones crevissent : atqui hæ non sunt novæ revelationes, sed duntaxat explicationes secundùm unum ex tribus scilicet modis; et ex ipsâ Ecclesiæ praxi liquet in definitionibus faciendis juxta S. Cypriani datum epistolæ 74 monitum : *Si in aliquo nutaverit veritas, ad originem Evangelii et traditionem Apostolorum revertitur.* Quod ipsum ex actis conciliorum omnium cognosci potest, ac manifestè declaravit Tridentina sessio 6, in fine proœmii, affirmans se non aliud *intendere*, quàm *exponere omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam Sol justitiæ Christus Jesus fidei nostræ auctor et consummator docuit, Apostoli tradiderunt, et Ecclesia catholica, Spiritu sancto suggerente, perpetuò retinuit;* in quem sensum etiam loquitur sess. 13, in initio decreti de sanctissimæ Eucharistiæ sacramento. Pars secunda probatur, quia experientiâ et repetito sæpiùs usu constat quòd ex tempore Apostolorum, occasione hæresum vel alterius necessitatis, Ecclesia

per varias definitiones multos fidei articulos et traditiones clariùs explicavit, aut quædam certò revelata esse pronuntiavit, aut revelationes ad objecta particularia tanquàm implicitè revelata extendit, assistente semper Spiritu sancto, ut alibi ostenditur, ne in ejusmodi decisionibus erraret; ergo.

Nec dicas 1° contra primam partem : Apostoli non habuerunt perfectam et plenam articulorum fidei notitiam, tum quia hæc illis necessaria non fuerat, tum quia multa credere non potuerant, utpote quorum objecta tempore eorum necdùm exstiterant, qualia sunt, concilium Tridentinum esse legitimum, hunc numero hominem esse Christi vicarium, aut verè sanctum; tum quia dici nequit an Apostoli eam notitiam acceperint statim in die Pentecostes, an successu temporis. — Respondeo ad primum : Distinguo assumptum : Non habebant perfectam et plenam fidei articulorum per se singularium notitiam, nego; articulorum particularium in universali revelatâ contentorum, subdistinguo : Non habebant notitiam generalem et ex parte conditionati, nego; particularem et ex parte conditionis, concedo. Propositiones singulares de mysteriis fidei nostræ jam à temporibus Apostolorum notæ et creditæ erant fidelibus, ut patet tum ex Scripturâ, tum ex traditione, quæ fontes sunt ex quibus Ecclesia suas definitiones habet; postea verò vel hæreticorum improbitas, vel fidelium oscitantia, fecit ut per concilia et pontifices rursùs declaranda et explicatiùs etiam proponenda forent, quæ à majoribus simpliciter credebantur. Propositiones autem particulares de iis quorum objectum tempore Apostolorum necdùm exstiterat, non poterant credi distinctè et in particulari, eò quòd nullæ species individuæ de illis aderant, neque constabat an purificata esset in subjecto particulari conditio, sub quâ universalis propositio prædicatum enuntiabat. Credebantur tamen ab Apostolis propositiones universales, particularibus etiam subjectis applicandæ, si conditio purificaretur, quod ad fidem apostolicam et iis superædificatam satìs erat. Unde ad probationem primam, nego assumptum, ex datâ modò ratione de fide apostolicâ. Ad probationem secundam, distinguo : Multa credi non poterant explicitè et in particulari, concedo; implicitè et in universali, nego. Ad probationem tertiam, respondeo, probabilius videri quòd Apostoli die Pentecostes fuerint quidem instructi fidei mysteriis, quæ tunc nòsse oportebat ad docendos Judæos, quibus primò prædicandum erat Evangelium; successu verò temporis pleniùs edoctos esse alias veritates, prout necessitas postulabat. Hujus ratio est, tum quia Joannes in Apocalypsi multa mysteria de novo revelata accepit, tum quia Petrus, Act. 10, per visionem didicit gentiles æquè ac Judæos pertinere jam ad fidem Christi; tum quia, Act. 15, Apostoli dubitabant de observandâ à gentilibus conversis circumcisione et legalibus in concilio Hierosolymitano, in quo Spiritus sanctus non tantùm eo modo, ut postea in aliis Ecclesiæ conciliis, sed per novam revelationem videtur astitisse; eò quòd pro novâ Ecclesiâ novæ etiam revelationes desiderari videantur, quæ Ecclesiæ aliquandò plenè constitutæ necessariæ non sunt, cùm factæ Apostolis ac fidei patriarchis sufficere queant, et ob unitatem debeant.

Nec dicas 2° : Post Apostolorum tempora inprimis multa sunt privatim revelata, deinde etiam publicè vel miraculis vel vocibus de cœlo lapsis prodita et confirmata; denique quæ anteà impunè negari poterant, à conciliis et pontificibus definita; quod fieri non potuisset, nisi novæ eorum revelationes accessissent.— Respondeo : Nos non loqui de revelatione privatâ, neque etiam de publicâ qualicumque; sed de eâ quæ pertinet ad fidem catholicam, seu totam Ecclesiam ad credendum obligat. Dari enim revelationes ad peculiarem quorumdam directionem pertinentes, facilè concedimus cum S. Hieronymo, super illud Matth. 11 : *Omnes prophetæ et lex usque ad Joannem;* et S. Augustino, lib. 5 de Civ. c. 26, etc. Denique existentia novæ revelationis probari nequit ex eo quòd nunc quædam credenda sint, quæ antea impunè negari poterant; hoc enim licebat non ex defectu revelationis de ipsis reipsà existentis, sed ex defectu sufficientis applicationis; atque hinc illa quidem etiam olim reipsà ac materialiter de fide erant, non autem de fide obligante.

Nec dicas 3° : Debent de facto fieri novæ revelationes, tum quia Spiritus sanctus æquè nunc assistit Ecclesiæ loquenti ac definienti, ac olim assistebat prophetis et scriptoribus canonicis, tum quia quæ Ecclesia definit æquè credenda sunt, ac illa quæ illi olim pronuntiaverant, adeò ut qui negaret veritatem ab Ecclesiâ definitam, foret hæreticus; ergo.— Nego antecedens; ad prob. primam, 1° nego paritatem, vel distinguo : Æquè assistit, ut novas et olim necdùm revelatas veritates definiat, et sic simpliciter novos articulos condat, nego; ut revelatas olim veritates infallibiliter cognoscat, explicet, et ad particularia in illis verè contenta applicet, atque sic articulos duntaxat secundùm quid novos proponat, concedo. Assistentia Spiritûs S. respectu prophetarum consistebat in revelatione seu locutione Dei, vi cujus illi agebantur potiùs quàm agebant, eò quòd cognitio prophetica, licet vitaliter procederet ab intellectu, tamen indeliberatè fiebat, et ad loquendum impellebat; assistentia autem Spiritûs S. Ecclesiæ concessa stat in speciali providentiâ Dei, quâ dirigatur mens prælatorum Ecclesiæ ad inquirendam per apta media veritatem, removeantur impedimenta assecutionem veritatis impedire potentia, et illuminetur intellectus ad veram à falso infallibiliter discernendum. Ad prob. secundam, 2° distinguo : Æquè sunt credenda formaliter et directè, nego; indirectè et per quamdam quasi consequentiam, concedo. Auctoritas enim Ecclesiæ aut ejus definitio non est ratio seu objectum formale fidei, sed motivum duntaxat et fundamentum obligationis ad credendum; unde etiam qui negat veritatem ab Ecclesiâ definitam, est hæreticus, non quia negat Ecclesiæ factas revelationes aut potestatem condendi articulos, sed quia negat Ecclesiam esse infallibilem in proponendis aut explicandis divinis revelationibus.

Nec dicas contra secundam partem : 1° Probationes allatæ evincunt nihil latuisse Apostolos; ergo nequidem secundùm quid creverunt articuli. 2° S. Thomas, 2-2, q. 1, a. 10, ad 1, ait quòd *in doctrinâ Christi et Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicata*; et a. 7, ad 1, docet eos perfectiùs cognovisse, qui fuerunt viciniores adventui Christi sicut magis illuminantur qui sunt propinquiores soli. — Resp. : Nego antecedens; cùm enim Apostolis sufficerent veritates, pro statu rerum sui temporis necessariæ, et generales pro futuris temporibus, ad Ecclesiam constituendam et in futurum etiam apostolicam dicendam, frustrà quis et gratis probationes allatas extenderet ad cognitionem veritatem particularium, et non necessariam et propheticam. Ad secundum respondeo : S. Thomam per primum nihil velle, nisi veritatem fidei fuisse olim sufficienter explicatam pro tempore Christi et Apostolorum; minimè verò, quòd successu temporis non fuerit necesse, quædam magis explicare, ad fidei controversias decidendas ac vitandos errores : continuò siquidem ita pergit : *Sed quia perversi homines apostolicam doctrinam et cæteras doctrinas et Scripturas perverlunt ad sui ipsorum perditionem, sicut dicitur 2 Petr. ult.; ideò necessaria fuit temporibus præcedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores.* Alter textus ad præsentem quæstionem non pertinet, cùm loquatur de notitiâ articulorum fidei clariore apud eos qui circa Christi adventum vixerant præ illis qui in lege naturæ et scriptâ antea positi minùs clarè mysterium Incarnationis noscere poterant. Cæterùm paritas à sole desumpta adæquata minimè est, cùm sol agens sit necessarium, Christus verò agens liberum, illuminetque homines et prout vult, et prout temporum ratio desiderat.

Articulus V.

Quinam articuli sint necessariò credendi necessitate medii ?

Nota : Quæstio articulos attingit principales. Ex iis generales controversiæ minùs patiuntur quàm particulares. Proponuntur autem ab Apost. ad Hebr. 11, 6 : *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*; ubi sub ratione Dei existentis intelligitur saltem ens perfectissimum et principium rerum omnium; sub ratione remuneratoris autem Dei providentia et justitia, qui cuique pro merito suo reddat mercedem, bonis nempè præmia, malis pœnas. Cùm verò providentiæ media alia possint esse naturalia, alia supernaturalia, pœnæ etiam ac præmia et hujus et alterius vitæ; nonnulla inter autores discrepantia est, quibusdam negantibus articulum de remuneratore supernaturali esse per modum medii necessarium, aliis tamen communiter id infirmantibus.

Dico 1° : Articulus de Deo ut existente et ut remuneratore explicitè credere, necessarium est necessitate medii. Prob. ex sententiâ Pauli citatâ, quæ sic incipit : *Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem*, etc. Sermonem hic autem esse de fide explicitâ, inde patet quia fides implicita Dei existentis dari nequit, cùm primum omnium sit credere Deum; si autem fides explicita requiritur Dei existentis, eamdem quoque de Deo remuneratore ex copulatione asseri debet; necessitatem mèdii satis declarat membrum primum de impossibilitate, cui alterum per particulam *enim* adjunctum explicat duplex necessariæ fidei objectum. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc 22 : *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.* Confirmatur, quia, sublatâ fide remuneratoris, tollitur omnis spes præmiorum et timor pœnarum, ut S. Thomas, lect. 2 ad textum Pauli, inquit : *Non solùm est necessarium credere quòd Deus sit, sed quòd habeat providentiam de rebus; aliter nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso*; item tolleretur amor amicitiæ perfectæ erga Deum; hic enim, teste Philosopho, lib. 8 Ethic., est *amor mutuus et amicis patens*, seu illis non incognitus, infertque mutuam bonorum communicationem; unde sine fide Dei remuneratoris amor quidem benevolentiæ simplicis, non autem amor amicitiæ perfectus haberi posset.

Dico 2° : Articulus necessariò credendus de Deo ut remuneratore, intelligitur de remuneratore supernaturali. Prob. : Apostolus, loco citato, docens fidem Dei remuneratoris esse absolutè necessariam, expressè agit de remuneratore per bona supernaturalia et vitam æternam : nam 1° vox Græca, μισθαποδότης, significat, *redditionem mercedis*; sed justi in hâc vitâ sæpè nullam suæ pietatis ac virtutis mercedem ferunt, et è contrario perpetuis afflictionibus exercitantur; ergo Apostolus vult credi retributorem bonorum supernaturalium ac vitæ æternæ. 2° Ibidem, v. 1, vocaverat fidem *sperandarum substantiam rerum et argumentum non apparentium*; sed res sperandæ inprimis procul dubio vel maximè sunt bona supernaturalia nobis proposita et promissa; unde et ibidem de Patribus veteris Testamenti, quorum fidem magnificè laudaverat, addit, v. 35 : *Alii autem distenti sunt, non suspicientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem*; et v. 39 : *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem.* Deinde verò res non apparentes dicuntur non solùm illæ quæ oculis non usurpantur, sed et quæ naturali ratione investigari nequeunt, juxta 1 ad Cor. 2, 9 : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus his qui diligunt illum; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Ergo Apostolus requirit fidem rerum supernaturalium ac vitæ æternæ, atque remuneratoris supernaturalis. Confirmatur : Illa fides remuneratoris est necessaria necessitate medii, quæ ex naturâ rei requiritur ad amorem amicitiæ perfectum, consequendam justitiam et salutem; sed ad hæc requiritur fides remuneratoris supernaturalis, quia amor amicitiæ perfectus cum Deo supponit cognitionem mercedis aut donorum à Deo promissorum, et fides ad justitiam ac salutem, tanquàm supernaturalia de facto nobis proposita, perducens includit cognitionem ipsius justitiæ et salutis; ergo.

Objectiones.

Obj. 1° : S. Paulus, l. c., intendit duntaxat fidem esse necessariam ad justificationem per bona opera, non verò fidem de omnibus iis rebus quæ ibidem referuntur, cùm certum sit Saram potuisse salvari, etsi nihil audivisset de promissione illi; similiter Noe et alios sine aliorum ibi relatorum cognitione. Confirmatur 1° : Rudes interdùm errant circa aliquod attributum divinum : ergo non habent conceptum veri Dei : ergo vel non habent fidem necessariam, vel fides Dei non est necessaria. Confirmatur 2° : Juxta D. Thomam, q. 14 de Verit., dicendum est, quod de Deo non est fides, quantum ad id quod naturaliter de Deo est cognitum, sed quantum ad id quod naturalem cognitionem excedit ; sed nec existentia Dei nec ejus remuneratio excedit cognitionem naturalem ; ergo. — Respondeo : Distinguo : Paulus non intendit fidem esse necessariam de omnibus quæ quomodocumque ibi hoc capite referuntur, concedo; quæ referuntur tanquàm credenda, nego. Tria præcipuè in hoc capite docet Paulus, 1° fidei essentiam et necessitatem ; 2° objectum fidei necessarium ; 3° fidei utilitatem ex objectis quibuscumque revelatis ac ejus operibus. Primum et secundum ostendit in v. 1 et 6, tertium in reliquo capitis argumento. Ad confirmationem primam, respondeo : Nego primam consequentiam ; habetur enim conceptus veri Dei, quando habetur idea entis perfectissimi aut supremi, vel talis, qui soli Deo vero conveniat, cumque distinguat à falso vel ficto, licet eidem addantur quædam prædicata, illi reipsà non congruentia ; modò conceptum priorem non claré evertant, vel manifestè illi repugnent in cognoscentis intellectu : atque ita subinde accidit non rudibus duntaxat, sed et doctis, qui inculpabiliter aliquid Deo reverà non conveniens tribuunt. Qui verò quid agnoscit repugnare vero Deo, aut culpabiliter prædicatum repugnans eidem tribuit, rectum veri Dei conceptum evertit, neque verum Deum credit. Ad secundam, respondeo : Distinguo minorem : Non est fides per cognitionem naturalem, et medium scientificum de eo quod naturaliter est de Deo cognitum, concedo; non est fides per motivum proprium, seu auctoritatem divinam de eo, etc., nego; sed de hoc vide disputationem de fidei objecto formali et obscuritate.

Obj. 2° : Si fides explicita Dei remuneratoris esset necessaria necessitate medii, ergo ideò qui ex naturâ rei esset necessaria ad amorem Dei justificativum et perfectum, et consequenter ad justitiam et salutem : atqui ad hunc non est necessaria fides Dei remuneratoris, quia ad hunc sufficit fides de Deo summè bono : vel saltem non est necessaria fides explicita, quia eliciens actum charitatis sæpè non cogitat de vitâ æternâ ; ergo. — Respondeo : Concedo majorem cum communiore theologorum ; nam quamvis aliqui necessitatem fundent tantùm in eo quòd Deus decreverit in hâc providentiâ non concurrere ad actum charitatis, nisi simul adsit aut præcedat fides remuneratoris, vel in eo quòd moraliter impossibile aut valdè difficile sit hominem assurgere et prosilire ad actum charitatis, quin sensim per actus alios præcedentes, præsertim spei ad illum fuerit dispositus, tamen ex antea dictis fundanda videtur illa necessitas in ipsâ naturâ. His adde quòd sicut dùm Apostolus dicit : *Sine fide impossibile est placere Deo*, significat physicam fidei necessitatem et in naturâ rei fundatam ; sic etiam, dùm subjungit : *Accedentem ad Deum oportet credere quia Deus est, et remunerator sit*, eamdem necessitatem indicat, eò quòd posterior sententia sit duntaxat explicatio prioris, ubi per accessum ad Deum intelligitur placere Deo, et per credere Deum ac remuneratorem declaratur fides vel ejus objectum, sine quâ impossibile est placere Deo. Ad minorem, respondeo 1° : Nego primam partem ejus probationis, quia fides de summo bono præcisè potest quidem fundare æstimationem, complacentiam et amorem simplicis benevolentiæ, non autem amicitiæ amorem; prior autem amor ex naturâ suâ morali justificativus non est, nec expulsivus peccati mortalis ; quemadmodùm enim peccatum hoc reipsà est aversio ab ultimo fine et amicitiâ divinâ, sic et amor ejus expulsionem in ordine morali de congruo exigens debet esse conversio ad ultimum finem et divinam amicitiam, qualis nec est amor simplicis benevolentiæ, nec sine fide Dei tanquàm amici remuneratoris haberi potest. — Respondeo 2° : Negatâ etiam secundâ parte probationis, distinguo : Sæpè non cogitat virtualiter de vitâ æternâ, nego : formaliter subdistinguo ; signatè et reflexè, concedo; exercitè ac directè, nego. In actu charitatis virtualiter saltem adest fides de Deo ut remuneratore, quæ formaliter anteà præcesserat, aut plerumque adest formaliter fides de Deo tanquàm auctore supernaturalium, sub quo conceptu virtualiter continetur ratio remuneratoris ; aut denique exercitè ac directè fides alterutra non deest, eò quòd qui sæpè fidei et charitatis actum exercet, formaliter attingat motivum, licet illud studiosè ac cum reflexione non consideret : id quod ad evitandos scrupulos de contritione ad obtinendam salutem in praxi observandum plerique monent.

Inst. 1° : Amor tendens in Deum ut remuneratorem est amor concupiscentiæ, non amicitiæ : sed ad justificationem non requiritur ex naturâ rei amor concupiscentiæ, tum quia amor amicitiæ justificativus potest elici, quin præcesserit amor concupiscentiæ seu spes ; tum quia etiam spes præcedens nihil conferre potest ad eliciendum amorem amicitiæ : ergo sicut non requiritur amor tendens in Deum ut remuneratorem, sic nec fides necessaria est. — Respondeo : Distinguo majorem : Amor tendens in Deum ut remuneratorem præcisè propter remunerationem passivam, tanquàm motivum suum formale, est amor concupiscentiæ, concedo; propter remunerationem activam, seu benevolentiam Dei amicabilem. Nego majorem, et transeat minor consequentis. Transmisimus verò minorem, tum quia quamvis absolutè elici queat amicitiæ amor sine prævio amore concupiscentiæ, moraliter tamen loquendo id vix contingit, eò quòd voluntas connaturaliter inclinet in bonum proprium, adeòque ad amicitiæ amorem per concupiscentiæ motum præambu-

lum ascendat; tum quia spes omninò disponit ad amorem, ut à Tridentino sess. 6, c. 6, docemur, præstatque ut firmiter et efficaciter Deum diligamus : unde utramque probationem nihil evincere manifestum est.

Inst. 2° : Motivum charitatis justificativæ est bonitas Dei essentialis; sed Deum esse remuneratorem non est bonitas vel prædicatum Dei essentiale : ergo. — Respondeo : Distinguo majorem : Est bonitas Dei essentialis ita, ut sumatur cum exclusione omnis voluntatis Dei liberæ, nego; est bonitas essentialis, per quam non intelligatur voluntas Dei libera exclusa, concedo; ratio finis ultimi et amicabilis boni omninò est essentialis Deo, nec illi advenit ab extrinseco : Deus tamen liberè voluit esse de facto finis noster ultimus supernaturalis et amicabilis communicator suorum bonorum. Liquet autem ex dictis, charitatem justificativam esse amorem amicitiæ, atque hinc bonitatem essentialem absolutam pro motivo non habere.

Obj. 3° : Ad justificationem et salutem sufficit credere Deum remuneratorem per bona naturalia. Probatur : Talis fides sufficit ad eliciendum amorem amicitiæ supernaturalem; tum quia per talem fidem cognoscitur ut remunerator; tum quia Deus etiam ut auctor naturæ potest amore supernaturali diligi; sed amor amicitiæ supernaturalis est justificativus : ergo. Confirmatur 1° : Sufficit credere Deum esse remuneratorem per bona quidem supernaturalia, sed non æterna. Probatur : Quia stante tali fide, cum errore Origenis inculpabili, homo cognosceret et posset amare Deum amore amicitiæ; ergo. 2° Sufficit saltem fides, quia quis credit Deum esse remuneratorem per bona alterius vitæ, licet præscindat à duratione et supernaturalitate bonorum. Probatur : Tum quia talis fides non foret falsa, atque hinc posset esse supernaturalis, fundareque supernaturalem amorem amicitiæ; tum quia non videtur necessaria cognitio supernaturalitatis, utpote cujus conceptus etiam doctis dubius et obscurus est. — Respondeo : Nego majorem, rationem primam distinguo : Per talem fidem cognoscitur Deus ut remunerator benevolus et amicabilis, nego; ut remunerator simpliciter, concedo. Ad remunerationem amicabilem, quæque fundet amorem amicitiæ perfectum, requiritur ut alter alteri velit communicare suam præsentiam, visionem intuitivam et amorem fruitivum; unde licet amor Auctoris naturæ possit esse supernaturalis, non tamen foret amor amicitiæ perfectus, neque etiam posset esse firmus et perfectus cùm Deus se diligentes non soleat semper remunerari per bona vitæ præsentis. Ad confirmationem primam respondeo : Nego assumptum; tum quia talis fides esset falsa adeòque solùm naturalis, tum quia amicitia ex eâ orta non posset esse perpetua, qualis tamen requiritur ut sit perfecta, appretietque amicum amore super omnia firmo. Ad probationem respondeo : Distinguo : Posset amare amore amicitiæ imperfecto, concedo; perfecto et justificativo, nego. Ex eo autem quòd error sit inculpabilis, impeditur quidem ne fides aut amor ejusmodi sit vitiosus; non autem præstatur ut justitiæ sortiatur effectum, quemadmodùm in aliis etiam necessariò ad aliquid efficiendum reipsà requisitis patet. Ad secundum respondeo : Distinguo ultimam sequelam : Posset fundare amorem amicitiæ supernaturalem perfectum, nego; imperfectum, concedo. Cùm enim fides præscinderet à supernaturalitate ac duratione æternâ, hoc ipso non proponeret Deum tanquàm amicum perfectum ac perpetuum, adeòque non posset fundare amorem amicitiæ justificativum ex duplici defectu. Item non requiritur cognitio supernaturalitatis quoad *an est*, nego; quoad *quid est*, concedo. Requiritur enim et sufficit ut fidelis credat vitam æternam, quam viribus propriis et naturalibus nequeat consequi.

Observa : Cùm fides de remuneratore supernaturali dari nequeat sine fide immortalitatis animæ, ac necessitate gratiæ, communior etiam assertio theologorum est de his fidem necessariam esse necessitate medii. Quia tamen qui credit et sperat remuneratorem supernaturalem, satis hoc ipso etiam credit animæ perpetuitatem et necessitatem auxilii melioris ad salutem, fides horum explicita et per distinctos conceptus non semper in re et actualiter necessaria existimatur.

Quæres 1° an etiàm articuli de Christo et S. Trinitate necessariò necessitate medii sint explicitè credendi.

Nota 1° : Conjungimus utrumque articulum, eò quòd unus sine altero rectè intelligi nequeat, ut consideranti facilè perspicuum erit : illum autem de Christo alteri de Trinitate præponimus, propterea quòd qui primi necessitatem asserunt, inde posterioris necessitatem deducant, ut videre est in S. Thomâ, hìc, q. 2, a. 8. Quæstio porrò est 1° de necessitate respectivè ad omnes, scilicet gentiles, Judæos et Christianos, in antiquo Testamento seu ante Christi adventum æquè ac in novo et post adventum Christi; 2° de fide explicitâ, non autem de implicitâ tantùm, quâ nempe fidelis quilibet credit vera esse omnia quæ divinitùs sunt revelata, inter quæ etiam est Incarnatio Verbi et mysterium Trinitatis; 3° de certo gradu fidei explicitæ; habet enim ita plures gradus secundùm rationem magis expliciti, ut passim observant doctores. Inter hos de Christo primus est, si Deus creditur ut justificator et salvator generis humani per media ab eo ordinata, ignorando tamen media in particulari, quorum unum est Incarnatio; atque hic gradus idem est cum fide de Dei providentiâ, seu Deo remuneratore. Secundus, si creditur aliquis redemptor et mediator inter Deum et homines, ad hos salvandos, ignorando adhuc modum redemptionis, et an redemptor sit homo Deus. Tertius, si creditur divinitas redemptoris, sed ignoratur etiamnùm modus redemptionis per passionem scilicet, mortem et resurrectionem Redemptoris divini. Quartus, si explicitè etiam creditur humanitas et divinitas Christi et modus proximè memoratus, quo redemptio completa fuit.

Nota 2° : Circa quæstionem sic expositam auctores abeunt in diversas sententias : prima est, fidem penitùs explicitam in Christum fuisse ad salutem necessariam pro omni omninò tempore; ita quidam apud

Bannez. Secunda, talem fidem non quidem fuisse necessariam tempore veteris Testamenti, esse tamen nunc in novo Testamento; ita Valentia, Lorca cum plurimis Thomistis. Tertia, fuisse semper necessariam fidem alicujus mediatoris secundùm gradum secundum supra expositum; ita Alex., Albert., Bonav., Scot., Becan., Simonet, qui iidem statuunt post adventum Christi ejus fidem in gradu quarto explicitam esse necessariam. Quarta, fidem omninò explicitam nunc quidem esse necessariam ad salutem consequendam, non autem ad ipsam justificationem; ita Canus, Ledesma, Castro, Bannez et nonnulli. Quinta absolutè docet fidem explicitam de Christo mediatore ac redemptore nequidem in novo Testamento et ad salutem consequendam esse necessariam necessitate medii; ita Suares., Haunold., et præter alios Lugo, qui eam inter RR. vocat communem, et Layman, qui hanc saltem æquè probabilem censet. Statuitur verò ab universis fidem explicitam in novo Testamento utriusque articuli fidem esse necessariam necessitate præcepti etiam primarii; unde et Suaresius eam saltem in voto necessariam dicit necessitate medii, quâ ratione baptismus in voto necessarius enuntiatur, eò quòd fides hæc explicita est à Deo instituta tanquàm medium ad salutem obtinendam, sicut baptismus fluminis.

Resp. 1° : Videtur certum fidem explicitam Christi quoad divinitatem, humanitatem et modum redemptionis non fuisse medium necessarium in veteri Testamento. Probatur : Medium ad salutem absolutè necessarium debet publicè ita esse promulgatum aut notum, ut non à quibusdam duntaxat sanctioribus et doctioribus, sed à multitudine et omnibus cognoscatur; alioqui Deus sufficienter non provideret saluti omnium, neque voluntati seriæ omnes salvandi satisfaceret; sed in veteri Testamento fides explicita Christi quoad divinitatem, humanitatem et modum redemptionis, sic nec promulgata nec nota erat omnibus, ut patet 1° ex ipsâ S. Scripturâ, quæ Christi fidem valdè obscuram significat in Epistolâ ad Gal. 3, 23 : *Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat;* 1 Cor. 10, 4 : *Bibebant autem de spirituli consequente eos petrâ : petra autem erat Christus;* 2 ad Cor. 3, 14 : *Usque in hodiernum diem idipsum velamen in electione veteris Testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur), sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum;* 2° ex Tridentino, quod cùm sess. 6, c. 2, dicat *Christum et ante legem et legis tempore multis sanctis Patribus declaratum ac promissum*, clarè innuit non omnibus fuisse revelatum; 3° ex ipsâ notitiâ, cujus apud gentiles vix ullum vestigium deprehendi potest : apud Judæos autem ita depravatum erat, ut vulgaris error esset solùm exspectari Redemptorem corporum, non animarum.

Nec dicas 1° : S. Augustinus, lib. 18 de Civ. c. 47, scribit : *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitùs revelatus est unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quemadmodùm nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque fides per ipsum omnes in Dei civitatem, in domum Dei, Dei in templum prædestinatos perducat ad Deum;* l. de Naturâ et Gratiâ, c. 44, autem ait : *Ea quippe fides justos sanavit antiquos, quæ sanat et nos, id est, mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis et resurrectionis ejus.* Similia habet l. de Peccato originali, c. 24, et alibi. Nec S. Thomas, 2-2, q. 2, a. 7 : *Post peccatum,* inquit, *fuit explicitè creditum mysterium Incarnationis Christi, non solùm quantùm ad Incarnationem, sed etiam quantùm ad passionem et resurrectionem, quibus humanum genus à peccato et morte liberatur. Aliter enim non præfigurâssent Christi passionem quibusdam sacrificiis et ante legem et sub lege.* — Respondeò ad primum : S. Augustinus ex omnibus Patribus maximè inclinare in contrariam sententiam, ad quam deligendam fortè concitatus fuit à perpetuâ cum Pelagianis pro asserendâ peccati originalis existentiâ concertatione, quamvis illud in veteri Testamento, nonnisi implicitè multitudini certè traditum esse constet. Ne tamen ob ejus auctoritatem divinam misericordiam ac in salvandis hominibus liberalitatem restringamus, benignè explicandus est dicendo nempe, assertam ab eo fidem explicitam Christi ut Redemptoris ac etiam modi Redemptionis pro sanctioribus et doctioribus duntaxat; pro multitudine autem fidem implicitam tantùm Christi sub solo generico conceptu Salvatoris, non autem conceptu specifico Mediatoris; et fidem implicitam sanguinis, crucis, mortis et resurrectionis sub generico conceptu medii aut modi Deo Salvatori convenientis ac liberi, non autem sub clarâ ideâ et modi determinati ac Redemptori convenientis. Fundamentum aliquod huic explicationi præter theseos rationes præbet tum ipse status ac imperfectio Ecclesiæ antiquæ, tum ipse S. Augustinus, qui lib. 19 contra Faustum, c. 14, comparationem inter legis Mosaicæ et gratiæ fideles instituens, illorum fidem *occultam* horum *revelatam* vocat; tum ex S. Thomâ, s. c. ad 3, ubi sic loquitur : *Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris, quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divinâ providentiâ, credentes Deum esse liberatorem hominum secundùm modos sibi placitos.* Hinc ad secundum respondeo similiter, præsertim quia S. doctor, post verba objecta subjungit : *Quorum quidem sacrificiorum significatum explicitè majores cognoscebant : minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes ea divinitùs esse disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem.*

Respondeo 2° : Probabilius videtur in veteri Testamento nequidem necessariam fuisse necessitate medii fidem explicitam in Christum ut Mediatorem inter Deum et homines. Ratio : quia generalia S. Scripturæ de Messiâ pronuntiata nihil edicunt de munere Redemptoris seu Mediatoris inter Deum et hominem, sed simpliciter salutare Dei aut Salvatorem proponunt, qualia habentur Genes. 49, 10; Habac. 2, 3; Aggæ. 2, 8, etc.; alia verò magis determinat non mediatorem

duntaxat, sed et prædicata illius singularia, divinitatem scilicet et humanitatem simul, modumque Redemptionis declarant vel innuunt. Confirmatur à S. Chrysostomo, qui hom. 37 in Matth : *Qui ante Christum*, inquit, *obierunt, atque ideò ipsum non cognoverunt, si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorârunt, si præterea honestè vitam peregerunt, æterna bona et beatitudinem adipiscentur.*

Nec dicas 1° : S. August., locis suprà citatis, saltem intelligi debere de fide in Christum ut Mediatorem necessariâ, eò quòd in hoc puncto habeat etiam alios Patres sui sequaces, inter quos Gregorius Nazianzenus, Oratione 20 de Machabæis, generatim sic pronuntiat : *Quin etiam mystica quædam et occulta ratio mihi quidem atque omnibus Dei amatoribus valdè probabilis est, neminem eorum, qui ante Christi adventum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christo consequi potuisse.* Nec 2° : Esse de fide, etiam docente Suaresio, quòd semper, et sic in omni lege, fuerit necessaria necessitati medii fides aliqua Christi ad justificationem et salutem adultorum. Hoc verò dici nequit de fide implicitâ; ergo de explicitâ. Nec 3° : Magis necessaria est fides de Christo, utpote de fundamento nostræ salutis, quàm de immortalitate animæ et gratiæ necessitate; contrarium enim dicere esset injuriosum Christo; ergo. — Respondeo ad primum : Nego assumptum, quia vel credendum est auctoritati S. Augustini etiam quoad illa quæ signantibus verbis de fide in divinitatem et modum Redemptionis Christi docet; vel si ejus verba explicare benigniùs quoad illa datur, idem concedendum quoad fidem in Christum. Ad rationes respondeo : Præter dicta superiùs duplicem generatim ad textus sanctorum Patrum respondendi viam esse : prima pertinet ad eos textus, quibus dicitur sine fide Christi neminem fuisse justificatum aut justificari posse, nempe sinefi de Christi tanquàm causâ morali justificationis, hoc est, sine meritis Christi, concedo; sine fide Christi tanquàm objecto, nego, vel subdistinguo : Sine fide implicitâ, et sub conceptu generico Dei Salvatoris, concedo; sine fide illius explicitâ, et sub conceptu Dei mediatoris, nego. Secunda ad textus alios spectat, qui asserunt omnes per eamdem fidem fuisse justificatos et salvatos; respondetur enim, id factum per eamdem fidem entitativè, scilicet supernaturaliter et ex meritis Christi collatam, concedo; per eamdem fidem repræsentativè, subdistinguo : Quoad objectum genericum, concedo; quoad objectum particulare, nego. Ad secundum, respondeo : Nego majorem; fides enim Christi talis sufficit, qualis absolutè loquendo necessaria requiritur contra errores duos, Judæorum alterum, qui existimabant Christum esse duntaxat redemptorem corporum, alterum Pelagii, qui negabat gratiæ à peccato liberantis necessitatem, atque hinc Christum etiam justis veteris Testamenti profuisse inficiabatur, cùm ejus exempla et doctrinam non haberent. Uterque autem error convincitur etiam per hoc quòd Deus sit Salvator necessariò credendus non corporum tantùm, sed animarum, non naturalis duntaxat et per media naturæ debita, sed supernaturalis et per gratiam propriè dictam; quæ omnia per fidem Christi primo modo explicitam creduntur. Plus requiri saltem pro multitudine et necessitate medii non evincit Simonet, aut contra priorem suam assertionem testimoniis ex Scripturâ allatis probat etiam fidei quoad alia Christi prædicata explicitæ necessitatem. Ad tertium, respondeo : Nego hoc esse Christo injuriosum, cùm enim absque injuriâ dici possit explicitam fidem de Deo tanquàm primariâ et unicâ causâ efficiente salutis nostræ requiri, implicitam verò sufficere de Christo tanquàm causâ duntaxat morali; etiam citra injuriam dici potest magis necessariam esse fidem implicitam de animæ immortalitate et gratiæ necessitate, cùm illa explicita de Deo fides haberi nequeat sine fide implicitâ de his.

Respondeo 3° : Æquè probabile saltem est, nec in novo Testamento fidem explicitam de Christo esse medium necessarium ad justificationem aut consecutionem salutis. Probatur prima pars : Deus nihil exigit tanquàm medium necessarium in adultis ad justificationem, nisi quod ex naturâ rei morali est necessarium necessitate medii ad illam de congruo merendam; tum quia in hoc conceptu statuenda est necessitas medii prout distincta à necessitate præcepti; tum quia Deus, quantum est de se, vult omnes homines salvos fieri, atque hinc, dummodò illi ponant, quantum ex naturâ rei necessarium est ad promerendam justificationem, ipsos justificat. Sed fides in Christum explicita non est ex naturâ rei morali necessaria necessitate medii ad justificationem; tum quia hæc necessitas ex rei naturâ declarari nequit; tum quia sine illâ ex solâ fide Dei remuneratoris potest elici actus amicitiæ supernaturalis perfectus et justificativus; tum quia potest stare fides sola Dei ut remuneratoris, ac consequenter etiam amor Dei, nondùm habitâ fide Christi : nam quòd dicant adversarii, vel negare Deum suum concursum in hâc providentiâ ad amorem Dei eliciendum sine præsuppositâ fide explicitâ in Christum, est petitio principii; vel Deum homini, inter barbaros educato et illustrato fide in remuneratorem supernaturalem ac benè juxta legem naturalem viventi, missurum hominem vel etiam angelum, qui eum de Incarnationis mysterio edoceat; hoc, inquam, est divinare, cùm nullibi promissa sit tam extraordinaria et miraculosa instructio, ac rursùs est petere principium; ergo.

Confirmatur 1° : Ut aliquid aceatur medium necessarium ad justificationem, si etiam id ex ipsâ rei naturâ cognosci nequeat, debet saltem ut tale ita clarè à Deo esse propositum ac promulgatum omnibus omninò hominibus, ut id nullius notitiam effugiat, ac de eo nullus prudenter dubitare queat, quod patet tum ex paritate de primariis præceptis naturalibus, tum ex paritate præcepti positivi, quod sub dubio tantùm promulgatione seu existentiâ non obligat. Sed fidem explicitam in Christum esse medium necessarium ad justificationem, ita clarè non est à Deo propositum et revelatum. Nam 1° clarissimus locus Scripturæ de naturâ et absolutâ necessitate fidei etiam in novo Testamento, est ille S. Pauli ad Hebr. 11, ubi tamen

fides in Christum non requiritur, sed sola in Deum ut existentem et remuneratorem. 2° Alii textus explicari possunt aliter, quàm de necessitate medii. 3° De hâc necessitate non dubitant tantùm, sed eam negant patroni nostræ assertionis, iique multi doctrinâ et pietate commendati; ne quid dicam de eo quòd fides illa nulli nota fiat, nisi solerter instituatur, hæc autem institutio ad plurimas gentes non pertingat.

Confirmatur 2° tum à paritate: Quia fides omninò explicita in Christum juxta communissimam, et hinc explicita quoad mediatorem in veteri Testamento juxta probabiliorem, non fuit necessarium medium ad justificationem: ergo nec fides omnimodè explicita potest probabiliùs dici necessarium medium in novo Testamento; tum quia justificatio non debet dici facta esse difficilior, et bonitas divina ac salvandi voluntas ad pauciores restricta post adventum Christi; tum quia justificatio jam inter gentiles à commercio Christianorum abscissos non debuit tribui miraculo, quæ antea sine eodem et communius haberi poterat; tum à difficultate mysteriorum Incarnationis ac Trinitatis, quæ vero aliquo conceptu præsertim muti et surdi à nativitate vix apprehendere possunt, ac reverà obscuritate excedunt apprehensionem Remuneratoris etiam ut supernaturalis; tum à fundamento necessitatis; nam fides in Christum explicita nec est formaliter justificativa, ut certum est contra hæreticos; nec ex naturâ rei requisita, ut ostensum est; sed solùm ideò necessaria, quia omninò decet ut justificatus agnoscat auctorem et causam moralem suæ justificationis; atqui hæc decentia non arguit necessitatem medii, sed solùm præcepti; cùm sufficienter suppleri absolutè queat per fidem remuneratoris Dei, qui prima et primi alis causa justificationis est; ergo.

Pars secunda probatur iisdem argumentis; tum quia nec Patres nec scholastici antiqui distinguunt inter necessitatem ad salutem ultimam seu gloriam et inter necessitatem ad salutem primam seu gratiam et justificationem; tum quia gratia dat jus ad gloriam, nec aliud est necessarium, quàm ut illa servetur, quod juxta Tridentinum, sessione 6, c. 11, fieri potest saltem tempore brevissimo, si nempe justus statim amentiâ perpetuâ vel morte corripiatur: tum quia, quamvis ad consecutionem vitæ æternæ dicatur necessaria hæc fides, tamen non major evincitur necessitas hujus fidei quàm baptismi, sine quo reipsà suscepto tamen salus in aliquo casu obtineri valet; tum quia Scripturæ textus qui pro adversâ parte afferuntur, magnam partem spectant ad justificationem, de quâ sermo est Act. 10, 11, 15, 26; ad Galat. 2; ad Rom. 3; ergo.

Ex his infero nec fidem explicitam SS. Trinitatis esse in novo Testamento medium necessarium ad justificationem et salutem, eò quòd allatæ rationes idem omninò evincant, et multò minora sint fundamenta auctorum pro hâc parte, quam deducunt ex assertione de Christo, utpote cujus explicita fides quoad divinitatem nequit haberi sinè cognitione hujus mysterii.

Nec dicas 1°: Sacra Scriptura pluribus textibus inculcat necessitatem fidei, quorum triplex classis statui potest: ad primam pertinent 1° illud Joann. 11, 25: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet;* 2° ad Rom. 3, 22: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum;* 3° Act. 26, 18: *Nunc ego mitto te ..... ut accipiant* (gentes) *remissionem peccatorum et sortem inter sanctos per fidem quæ est in me.* Ad secundam spectant 1° illud Joan. 3, 14: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat;* 2° Act. 4, 12: *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;* 3° Joan. 17, 3: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Ad tertiam referuntur 1° illud Joan. 3, 18: *Qui credit in eum* (Filium hominis) *non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii;* 2° verba Christi, Joan. 8, 24: *Si non crediderilis quia ego sum, in peccato vestro moriemini;* 3° ad Galatas 2, 16: *Scientes quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi et non ex operibus legis.* Ergo. — Respondeo: Nego antecedens, quod nimiùm probat, nempe nec veteris Testamenti homines salvari potuisse sine fide divinitatis et aliorum prædicatorum Christi, nec posse salvari de facto ullum, nisi post explicitam nominis Jesu confessionem. Itaque universim loquendo prima classis probat duntaxat fidei in Christum efficaciam, secunda necessitatem meritorum Christi, tertia necessitatem fidei in Christo tantùm de præcepto, et ex supposito prædicationis de Christo, quam qui non susceperint, vel ob ignorantiam vincibilem, vel ob defectum fidei imperatæ peccant, ac jure damnantur. Speciatim verò respondeo ad classem primam: et quidem ad primum, hâc significari quid et Christus tanquàm causa meritoria, efficiens, exemplaris et finalis, homini præstet, quidque fides viva ac formata charitate in homine præstare valeat, quin tamen indicetur quid in defectu hujus fidei vel ex naturâ rei, vel ex liberâ Dei ordinatione per præceptum manifestatâ mali at pœnæ sequatur. Similiter in secundo efficacia duntaxat fidei in Christum declaratur, non autem absoluta ejus necessitas, *nisi per fidem Christi* intelligatur fides ex meritis et doctrinâ Christi; sed hæc etiam est fides de Deo remuneratore, quæ simpliciter necessaria est. Eadem est responsio ad tertium, ubi fides in Christum non tantùm ad divinitatem, mortem et resurrectionem Christi restricta intelligitur, quod auctores contendunt, sed etiam ad alia fidei objecta et singulares revelationes, cùm immediatè hæc præmittantur: *Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populo et gentibus in quas nunc ego mitto te,* etc.

Ad classem secundam respondeo quoad primum: 1° Hic exponitur necessitas mortis Christi ad salutem hominum comparandam; 2° autem mortis hujus et fidei in Christum efficacia asseritur: ex hâc tamen malè argumentaris: sicut olim à serpentibus admorsus non

sanabatur, nisi distinctè aspexerit serpentem æneum; ita nisi quis distinctè crediderit Christum crucifixum, non salvatur. Nam hoc argumento fit progressus ultra litteram et sensum textûs, cùm nequidem sit omnimoda paritas hìc instituta; alioquin et Christum corporaliter aspicere oporteret. Quoad secundum respondeo : Prædicari hìc à S. Petro Christum nostrum redemptorem, ejusque meritorum necessitatem ad salutem universi mundi, non autem necessitatem fidei in ipsum, nisi ex præcepto et pro iis qui, sicut Judæi, tum temporis haberent occasionem discendi mysteria Christi. Quoad tertium respondeo : Cùm S. Thomas, p. 1, q. 12, a. 4 et 6; item 1-2, q. 3, a. 4, et l. 3 contra gentiles, c. 61, ac alibi verba hæc accipiat in sensu formali, ideò cum illo multi probabiliùs statuunt, textum hunc non intelligi de fide, sed de visione beatificâ Dei et Christi. Si verò verba etiam sumantur causaliter, necdùm ostenditur hìc adstrui æqualitatem necessitatis inter fidem utriusque objecti, tum propter manifestam disparitatem de necessitate ex naturâ rei intercedentem inter duplicem hanc fidem, tum propter proportionem fidei ad visionem beatificam, quæ postrema quoad essentiam haberi potest sine visione Christi, ut patet in angelis ante Incarnationem beatis.

Ad classem tertiam respondeo : Textus primus loquitur de non credente culpabiliter in Christum, cui sufficienter proposita est doctrina ejus et Fides. Ut enim nihil dicam quòd opera aut omissiones solùm culpabiles ad judicium, de quo hic sermo est, pertineant, verba subjuncta id manifestant : *Hoc est judicium, quia lux*, nempe Christus testificans de se ipso et prædicans, *venit in mundum : et dilexerunt homines*, scilicet Judæi hæc videntes ac audientes, *tenebras magis quàm lucem; erant enim eorum opera mala*, hoc est, avertebantur à Christi agnitione, quia ejus doctrina adversabatur eorum vitiis, quibus quasi tenebris magis delectabantur. Idem de secundo dicendum constat ex contextu. Tertii sensus, ut ex toto capite patet, duntaxat loquitur, opera Judaicæ legis ad salutem nihil prodesse, sed absque his solam fidem Christi utilem esse. Porrò quamvis necessitatem fidei hic supponat, eam tamen non extendit nisi ad eos, quibus Apostoli prædicârunt Evangelium, atque hinc ignorantia nullo modo patrocinari poterat. Hoc idem applica textibus ad Rom. 10, 8 *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum et in corde credideris, quia Dominus illum suscitavit à mortuis, salvus eris*, *item* Marc. 16, 15 et 16 : *Euntes in mundum universum, vrædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*, etc. Ili enim omnes loquuntur duntaxat ex suppositâ prædicatione et auditu.

Nec dicas 2° : Pro necessitate absolutâ fidei in Christum explicitæ stant Patres; ergo. Probatur : S. Athanasius, postquàm in Symbolo explicaverat articulos de SS. Trinitate et Mysteriis Christi, sic concludit : *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* S. Augustinus, lib. de Naturâ et Gratiâ, dicit : *Si non gratis mortuus est Christus, ergo omnis humana natura justificari et redimi ab irâ Dei nullo modo potest, nisi per fidem et sacramentum sanguinis Christi;* lib. de Prædestinatione sanctorum, c. 7, ait : *Si p sset* (Cornelius) *sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus;* lib. de Correptione et Gratiâ, c. 7 : *Nemo*, inquit, *liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi; et tamen ab hâc damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audivisse Evangelium.* S. Thomas autem, in 3, dist. 25, q. 2, a. 2, quæstiunculâ 2, ait : *Post adventum Christi, redemptionis mysterium omnes tenentur explicitè credere*; et q. 14 de Verit., a. 11, similiter dicit : *Tempore gratiæ tum majores, tum minores teneri ad Trinitatis et Christi fidem explicitam habendam.* — Respondeo : Nego antecedens; auctoritas S. Athanasii probat necessitatem fidei explicitæ de judicio universali ac resurrectione corporum, et consequenter nimiùm, cùm et illi articuli cum aliis ibidem contineantur. Itaque dicendus est tantùm velle quòd salvus esse nequeat qui hæc mysteria culpabiliter ignorat, negat, aut ne implicitè quidem sub conceptu generico credit. De S. Augustino dici potest ad primum textum, per fidem Christi hìc intelligi ejus merita uti ex adjuncto de sacramento sanguinis et ipso sensu patet. Ad secundum, respondeo indicari necessitatem fidei ex præcepto pro illis qui audire possint evangelium, sicut Cornelius centurio, ad quem Petrus non ad fidem duntaxat, sed et ad baptismum conferendum missus erat. Præterea eumdem centurionem ante fuisse justificatum quàm Christum explicitè crederet, satis declarat ipse Augustinus, l. 4, de Baptismo, c. 21, scribens : *Esse cœperat justitia Cornelii priusquàm ipse esset in plebe christianâ;* quod idem colligitur ex Scripturâ, cùm de illo Petrus, Act. 10, 34, dixerit : *In veritate comperi quia non est acceptor personarum Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam acceptus est illi.* Ad tertium dici potest, ex argumento quod S. doctor ibi tractat, hæc duo tantùm haberi, 1° neminem adultorum liberari nisi per fidem eorum quæ Christus docuit, non autem per fidem in Christum, aut omnium eorum quæ continet Evangelium, siquidem et hoc ipsi adversarii fatentur, et verba Augustini in rigore sumi nequeunt, cùm aliàs nec salvari posset qui per illustrationem tantùm divinam acciperet fidem Christi, quia addit : *Cùm fides ex auditu sit.* Jam verò et fides eorum quæ nos necessaria media dicimus, potest dici fides Christi secundùm sensum priorem. 2° Neminem posse conqueri de Deo, si condemnetur propter originalem labem, à quâ per illam Christi fidem et amorem amicitiæ inde profectum purgatus fuisset, si audivisset Evangelii prædicationem, sicut nec parvuli injustè à Deo condemnantur ob originale peccatum, à quo liberati fuissent, si accepissent gratiam baptismi. Neutrum verò horum ostendit explicitam in Christum fidem esse medium necessarium in re ipsâ. S. Thomam etiam nobis Thomistæ apud Suaresium et Layman nostris partibus vindicant, tum ob testimonium ejus supra recitatum, tum ob aliud

p. 3, q. 69, a. 4, ad 2, ubi ait: *Ante baptismum Cornelius et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per fidem Christi et desiderium baptismi implicitè vel explicitè.* Quare, quia etiam locis objectis utitur solùm voce, *tenentur*, potest ibi intelligi de necessitate non medii, sed præcepti, qui sensus stare potest, licet ibidem addat, homini qui ex suâ parte omnia præstaret, per extraordinariam illustrationem vel submissum prædicatorem inferendam esse fidem Christi, quia sentire potuit hanc liberalem Dei providentiam locum habere in necessariis necessitate primariâ præcepti.

Nec dicas 3°: Necessitatem absolutam probant concilia; ergo. Probatur: In concilio Lateranensi, cap. *Firmiter*, de summâ Trinitate definitur, *unam esse fidelium universalem Ecclesiam, extrà quam nullus omninò salvatur.* Sed qui non credit in Christum est extra hanc Ecclesiam, cujus scilicet caput est Christus; ergo. Tridentinum verò, sessione 6, c. 6, agens de dispositionibus ad justificationem necessariis inter eas reponit fidem in Christum: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam..... credentes vera esse quæ divinitùs revelata et promissa sunt; atque illud inprimis à Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.... De hâc dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quòd inquirentibus se remunerator sit.* Item c. 8, sic ait: *Cùm Apostolus dicit justificari hominem per fidem et gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et expressit; ut scilicet per fidem ideò justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis; sine quâ impossibile est placere Deo.* — Respondeo: Distinguo majorem: Qui non credit in Christum nec sub conceptu generico, nec sub specifico, concedo; qui quidem non sub conceptu specifico, sed tamen sub generico credit, subdistinguo; est extra hanc Ecclesiam externè et apparenter, concedo; internè reipsà et quoad statum animæ, nego. Loquitur autem concilium Lateranense tantùm de eo qui nequidem internè et quoad animæ statum est intra Ecclesiam; aliàs nec salus obtineri posset per baptismum flaminis aut sanguinis. Concilium Tridentinum verò cùm in utroque loco textum S. Pauli ad Hebr. 11, tanquàm rationem asserti adducat, hoc ipso ostendit, se cautè ac studiosè præscindere à necessitate fidei Christi explicitæ, ne nostræ sententiæ præjudicium ferret, cùm eo ex textu sola explicita fides Dei et remuneratoris necessaria declaretur. Præterea primo loco Tridentinum non agit tantùm de necessariis necessitate medii, sed de communi ac ordinario modo se præparandi ad justificationem; alioqui necessitate medii etiam requireretur, fidem concipere ex auditu, timere justitiam Dei, aliasque ex ordine actiones elicere, quæ ibidem recensentur: in secundo autem primario duntaxat decernit fidei divinæ in genere necessitatem et gratuitatem; non nisi secundario autem intelligi potest de fide in Christum, ob connexionem scilicet cum præcedente, cap., ubi de baptismo mentio facta fuit.

Nec dicas 4°: Necessitatem absolutam definierunt pontifices; ergo. Probatur: Innocentius XI damnavit hanc propos. 64: *Absolutionis capax est homo, quantùmvis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.* Ex hâc autem condemnatione sequitur, non tantùm illicitam, sed invalidam esse absolutionem talis ignorantis, quia declaratur ille incapax, qualis non dicitur quis propter solam culpam contra præceptum commissam; eò quòd, si aliàs seriò doleret de culpâ cum proposito implendi præceptum, jam esset capax absolutionis. — Respondeo: Ex damnatione illius propositionis nihil inferri posse; 1° quia etsi ex eâ probaretur absoluta necessitas notitiæ horum mysteriorum ad absolutionem, non probaretur tamen necessitas ad contritionem, atque hinc ad salutem; 2° quia pars prima propositionis loquitur illimitatè, et intelligi etiam potest de ignorantiâ Dei remuneratoris; secunda agit de ignorantiâ culpabili; unde quidem utraque rectè damnata est, sine noxâ tamen sententiæ nostræ, quæ neutrum asserit; 3° quia damnatio evincit tantùm incapacitatem absolutionis licitæ, non autem validæ in subjecto inculpabiliter quidem ignorante hæc mysteria, sed reliqua tamen ad Pœnitentiæ sacramentum requisita præstante; unde et Carden. in crisi ad hanc propositionem docet, sacerdotem in casu necessitatis, et ubi instructio mysteriorum fieri non posset, teneri absolutionem dare sub conditione. Atque hinc etiam nego sequelam, quæ ex eo non tenet, quia licitè absolvi non potest ejusmodi ignorans, quantùmvis dolens et proponens implere præceptum, partim ob præsentem pontificis declarationem, partim ob prohibitionem aliam ejusdem Innocentii, qui damnavit propositionem primam, quâ asserebatur licitè agi posse secundùm sententiam probabilem, quando agitur de valore sacramenti, ubi contraria est tutior et probabilis, quod in præsenti casu locum habet.

Nec dicas 5°: Rationes et facta pugnant contra positam assertionem; nam 1° fides in Christum magis est necessaria in novo quàm in veteri Testamento, item quàm aliorum articulorum particularium; sed in veteri Testamento fides implicita in Christum erat necessarium medium, et fides aliorum articulorum est necessaria necessitate præcepti; ergo in novo Testamento fides explicita Christi est necessaria, et quidem necessitate medii. Confirmatur, quia in novo Testamento Incarnationis mysterium adeò clarè et universim est revelatum, et fides de eo inculcata, ut, quantùm est ex parte Dei, omnibus et singulis innotescat, adeòque vincibiliter ignorari nequeat, aut, si invincibiliter ignoretur, id non Deo, sed hominibus sit imputandum; ergo convenientissimum est ut ab omnibus explicitè credatur. 2° Planè conveniens est ut nemo salvetur, nisi qui credit Auctorem et Viam salutis; sed hic est Christus; ergo. 3° Cornelius, licet ex dictis supra jam justificatus, misso tamen etiam per miraculum Petro edoctus est mysterium redemptionis Christi; quin et Patrum in veteri Testamento justificatorum nullus

absque fide in Christum consecutus est æternam salutem, in quam rem iis in limbo detentis revelatio Messiæ facta fuit à prophetis et patriarchis; ergo ad salutem saltem fides explicita Christi est medium necessarium. — Respondeo : Nego assumptum; ad primum, distinguo primam partem majoris : fides in Christum in novo Testamento magis est necessaria necessitate præcepti quàm in veteri, concedo; magis necessaria necessitate medii, nego. Etiam secundam distinguo : fides in Christum magis necessaria est necessitate eâdem et præcepti quàm fides aliorum miraculorum, nempe necessitate præcepti primariâ, cùm aliorum fides sit tantùm necessaria necessitate præcepti secundariâ, concedo; magis necessariâ necessitate diversâ et medii, nego.

Ad confirmationem, transeat antecedens : Sub simili distinctione, nego consequens; ex clarissimâ etiam propositione mysterii solùm sequitur, quòd omnes teneantur sub præcepto illud credere fide explicitâ et perfectâ; non autem quòd fides illius explicita sit medium necessarium : cùm si necessaria esset ex naturâ rei, debuisset etiam antiquis proponi; quod autem nec ex naturâ rei nec ex ordinatione divinâ etiam nunc sit medium necessarium, supra ostensum est. Falsum præterea est, quòd adeò universim Incarnationis mysterium post Christi adventum fuerit revelatum, ut omnes et singuli, qui illud inter gentes etiam nonnisi ab aliquot seculis cognitas antea nescierunt, vincibiliter ignoràrint : quamvis enim illi ob peccata sua actualia neglectumque eorum faciendorum quæ, quantùm in ipsis erat, facere poterant ac debuerant, justo Dei judicio prædicationem Evangelii fortè non audiverint; æquè parùm tamen illi damnati sunt ob hanc ignorantiam et fidei in Christum eliciendæ omissionem, ac ob non observatas alias leges christianas, quas unà cum prædicatione Evangelii fuissent docti.

Ad secundum, distinguo primam partem minoris : Planè conveniens est ut nemo salvetur, nisi qui credit auctorem primarium et qui est causa physica et principalis salutis, concedo; nisi qui crediderit auctorem secundarium et qui est causa solùm moralis, subdistinguo; nisi qui credit eum saltem implicitè, concedo; explicitè, nego. Similem distinctionem etiam applica secundæ parti, et concedendo majorem, nego consequens. Convenientiæ hujus ratio nihil aliud exigit, quàm quòd fides in Christum explicita sit necessariâ necessitate præcepti primariâ; loquendo enim de necessitate medii, utique misericordiæ et bonitati divinæ convenientius est, ut non exigat aliquid tanquàm necessarium medium ad salutem, quod ex naturâ rei ad illam non requiritur. Ad tertium respondeo: Nego consequens : De Cornelio autem notandum, rationem mittendi ad eum Petri sufficientissimam fuisse, ut is etiam crederet necessariâ necessitate præcepti ac baptizaretur, utpote ad quæ tenebatur, aliàs laboraturus ignorantiâ vincibili et omissione culpabili. Non enim Deus vult ut homines tantùm habeant necessaria media, sed capiant etiam necessaria necessitate præcepti, si occasio illorum sit, qualis fuit illi centurioni in Judæâ et inter Judæos viventi. Addo hanc revelationem et missionem non fuisse factam propter unum Cornelium, sed propter universas gentes Ecclesiæ Christi adjungendas, ad instructionem Petri, exemplum conversionis, aliosque similes fines. Causa necdùm concessæ beatitudinis Patribus in limbo detentis propria hæc erat, quòd non deceret ullum redemptum ante Redemptorem ipsum capere redemptionis mercedem, et membra beari ante caput cœlestis curiæ Christum : præterquàm quòd ratio assignata etiam non teneat ex eo capite, quòd fides illa Patrum in limbo fuisset extra statum viæ, et hinc ad consequendam gloriam minimè necessaria per modum meriti.

Observa : Ostensa hactenùs assertionis nostræ probabilitas in praxi minimè obesse debet aut fidelium in addiscendis his articulis diligentiæ, aut Pastorum in iis docendis curæ ac sollicitudini. Cùm enim thesis nostra probabilitatis limites non excedat, ac præterea ex unanimi omnium sententiâ gravis sit obligatio præcepti, post promulgatum Evangelium notitiam fidei habendi istorum mysteriorum, à neutris quidpiam omittendum est, ex cujus defectu salus aut propria aut aliena in periculum incurrere queat.

Quæres 2° quænam necessariò credenda sint necessitate præcepti?

Nota : Fides respectu materiæ dividitur in fidem speculabilium et fidem operabilium; quatenùs nempe, quæ fide tenere oportet alia per se ac immediatè tantùm notitiam ipsam mysteriorum ratione sui postulant, alia verò propter operationem vel vitam rectè instituendam cognosci debent. Quamvis verò saltem quoad postrema quædam scientia naturalis satis esse videatur, fides tamen certior, et errori non æquè ac ratio obnoxia, desideratur à lege, quæ, quod communiter necessarium est, attendit ac providet, atque hinc præcipit fidem ut multis per se necessariam in re præsenti. Jam verò convenit inter omnes, ex gravi præcepto obligari omnes ad credenda, quorum fides est medium necessarium, atque hinc etiam oportere credi ex parte Dei, cum esse creatorem omnium, finem ultimum supernaturalem, auctorem justitiæ et remissionis peccatorum, legislatorem ac præmiatorem æquè et vindicem : ex parte creaturæ autem animam esse immortalem, gratiam necessariam, peccatum offensam Dei. Nec minùs exploratum est apud omnes post Evangelii promulgationem sub gravi obligatione præceptam esse fidem explicitam Incarnationis et sanctissimæ Trinitatis. — Respondeo 1° : Quoad speculabilia quilibet adultus ex gravi obligatione præcepti tenetur explicitè nôsse et credere omnes articulos symboli Apostolorum, saltem quoad substantiam. Ita communis cum S. Thomâ, 2-2, q. 2, a. 5, et scripta ex conciliis Agath., Bracchar. et Cabillonensi apud Suaresium et Haunold., atque ex usu et traditione Ecclesiæ non admittentis ad baptismum, nec absolventis in confessione, nec sponsos benedicentis, nisi symbolum sciant. Ratio est : quia quàm explicite

debeat esse fides Christianorum, certior regula non est præ eâ, quam Apostoli tradiderunt, id quod etiam ex inductione mysteriorum patet, quæ sunt vel divinitatis, vel Christi, aut aliorum, atque in symbolo continentur. Dixi : Saltem quoad substantiam. Nam 1° non videtur esse obligatio sciendi aliquas circumstantias, verbi gratiâ, quòd passio Christi contigerit sub Pilato; quòd resurrectio facta sit die tertiâ, quamvis et ista cum aliis addiscenda sint. 2° Non est opus, habere conceptum omninò distinctum atque perfectam intelligentiam, cujus nempe nec omnes capaces, nec plerumque gnari sunt; sed sufficit conceptus aliquis rudis ac minùs perfectus, qui tamen mysterium in se proponat, discernatque à rebus aliis. Itaque non est necesse dignoscere quomodò futura sit resurrectio, dummodò credatur mortuos iterùm suo in corpore victuros : neque opus est scire in quonam propriè constituatur sanctorum communio, sed nósse satis est, in collectione fidelium intercedere communicationem quamdam in operibus bonis, orationibus, etc. 3° Neque datur obligatio verba omnia symboli articulorumque ordinem memoriâ tenendi, si modò res ipsa ac veritas cognoscatur; quanquàm et longè utilius et rudibus præsertim maximè conveniens sit, symbolum verbatim continere memoriâ.

Respondeo 2° : Quoad operabilia adultus quilibet similiter tenetur scire 1° præcepta decalogi; tum quia hæc quivis observare debet : tum quia principia tantùm generalia legis naturalis non sufficiunt sive quoad Deum, sive extra materiam justitiæ, sive quoad interna; neque à plebe facilè ad particulares materias et actus applicari possunt; 2° præcepta Ecclesiæ, saltem illa quæ quemvis concernunt, ex eâdem ratione; 3° sacramenta, saltem ea quoad substantiam, quæ quis suscipere debet, qualia pro omnibus sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, de quibus et fructum et necessariam dispositionem, ad ea dignè suscipienda, simul nósse oportet; 4° his adjungitur communiter notitia formandæ crucis et Orationis Dominicæ, tanquàm necessaria ex præcepto, quia turpissima et fors aliquando per accidens, saltem ratione scandali, graviter peccaminosa esse posset negligentia circa hoc addiscendum et ignorantia.

CAPUT III.

DE OBJECTO FORMALI FIDEI.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam sit objectum formale fidei divinæ.

Nota 1° : Actus fidei divinæ habet objectum formale, sicut omnis assensus intellectualis, et generatim quidem fides innititur auctoritate loquentis; sic fides divina debet niti auctoritate Dei testantis, ex 1 Joan. 5, 9 : *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est;* hoc est, si assentimur ob testimonium hominum, multò magis assentiri debemus ob testimonium Dei. Non autem potestas divinæ voluntatis est objectum formale fidei nec imperium; tum quia illud secundùm se spectatum, hoc verò de se non est connexa cum existentiâ mysterii; tum quia neutrum deducit in mysterii cognitionem ut ratio objectiva, sed tantùm ut movens intellectum per modum mediatè vel immediatè efficientis.

Porrò nec *lumen fidei habituale*, seu habitus, quia hic habet se tantùm ex parte potentiæ, non autem objecti, neque est medium ut quod cognitum, cùm prævièque non cognoscatur à credente; nec *lumen fidei actuale*, seu actus intellectûs et illustratio aut actus voluntatis et inspiratio, quia et hi actus tenent se ex parte potentiæ, aut suadent et movent moraliter per propositionem alicujus objecti formalis, consequenter ipsum formale objectum minimè dici possunt. Multò minùs humana ratio potest esse objectum formale fidei. Hinc ad Cor. 2, 4 : *Prædicatio mea*, inquit Apostolus, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei*; hoc est, ne fides vestra fundetur in sapientiâ mediis et humanis rationibus acquisitâ. Hinc, 2 ad Cor. 10, 5, commendat *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, scilicet per fidem; quæ autem esset captivatio intellectûs si ea duntaxat crederet, quæ per rationem cognosceret esse vera? Hoc ipsum Christus et Evangelistæ asserunt de præcipuis quibusdam fidei actibus; nam ille Matth. 11, 25 : *Confiteor*, ait, *tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelâsti ea parvulis*; v. 27 : *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare*, et c. 16, Petro Christi divinitatem profitenti respondet, v. 17 : *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis* (hoc est, natura et ratio ejusque vires), *non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*; Joan. 1, 18, dicitur : *Deum nemo vidit unquàm; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*; 3° Sancti Patres frequentissimè commendant fidei simplicitatem, nec illi volunt officere ignorantiam, nec ad eam requirunt scientiam. Instar omnium sit Augustinus, qui serm. 1 de Trinitate : *Considera*, inquit, *quòd voceris fidelis, non rationalis. Denique accepta hoc baptismo dicimus : Fidelis factus sum, credo quod nescio*; et tractatu 40 in Joannem : *Credimus ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus.*

Nota 2° : Auctoritas Dei potest attingi vel in recto, ac ut constitutivum objecti formalis, vel in obliquo et duntaxat ut connotatum; potest præcisè sumi ut est in, essendo seu secundùm naturam et essentiam, seu divinitatem; vel in loquendo, seu secundùm aliquod attributum, vi cujus Deus mereatur assensum, etsi alia omnia prædicata abessent vel præscinderentur; hinc examinandæ hic veniant quorumdam sententiæ, quarum prima vult solam revelationem Dei esse objectum formale fidei, auctoritatem divinam duntaxat connotari in obliquo; secunda autem auctoritatem quidem divinam statuit pro objecto formali, sed sub ratione deitatis, ac sic auctoritatem in essendo.

Dico 1° : Auctoritas Dei est constitutivè, seu in recto, objectum formale fidei divinæ. Probatur primò, auctoritate; quia Scriptura passim assignat pro motivo nostræ fidei Deum ut pollentem auctoritate seu di-

gnitate tali, quæ mereatur fidem, et cui fides innitatur. Sic enim Genes. 15, 6, dicitur : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam ;* quod ad Rom. 4, declaratur esse *scriptum propter nos*, nempe ut fidem illam modumque credendi imitemur, quem se imitatum fuisse testatur Apostolus, 2 ad Tim. 1, 12 : *Scio cui credidi et certus sum ;* quibus verbis fatetur suam fidem fideique certitudinem fundatam esse in Deo, seu dignitate illius cui credidit. Hinc etiam 1 ad Thess. 2, 19 : *Gratias agimus*, inquit, *Deo quoniam cùm accepistis à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei ;* scilicet quoniam in credendo non à meâ, sed Dei auctoritate moti estis. Quin et ipse Christus ad conciliandam sibi fidem affert dignitatem suam et Patris, dùm Joan. 8, 18 : *Ego sum*, ait, *qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater ;* Joan. 1, 18, dicit : *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ad Scripturæ sensum unanimiter loquuntur Patres : Chrysostomus quidem in verba Geneseos recitata, hom. 26, dicit, *per fidem intendi mentem nostram in dignitatem Dei ;* Ambrosius, lib. 2, epist. 12 : *Cui magis*, inquit, *de Deo quàm Deo credam ?* Augustinus, lib. 1 de Trinitate, c. 31 : *Divinæ auctoritati humana cedat infirmitas ;* Leo Magnus, serm. 7 de Nativ. : *Divina est auctoritas cui credimus.* Secundò ratione quia, 1° credere alicui non est utcumque assentiri rei dictæ, neque propter quascumque rationes aliunde notas, sed propter aliquam loquentis perfectionem, cujus ratione illum existimamus dignum sensu, si loquatur ; sed hæc perfectio et dignitas intelligitur nomine auctoritatis ; ergo ; 2° fides distinguitur à scientiâ et opinione, quòd hæ nitantur ratione, illa autem auctoritate, ut patet ex S. Augustino et Bernardo ; 3° fides est obsequium intellectuale et exercita protestatio de loquentis dignitate ; undè nemo est qui non ipsâ naturâ dictante putet sibi honorificum quòd ipsi credamus, ut indicatur Joan. 3, 33 : *Qui accipit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est ;* et è contra injuriosum quòd ei non credamus, juxta illud 1 Joan. 5, 10 : *Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio.*

Confirmatur : Objectum formale fidei adæquatum inprimis non est sola revelatio externa et passiva, connotans duntaxat auctoritatem divinam ; nam hæc revelatio est aliquid creatum, nec entitativè divinum ; sed objectum fidei divinæ debet aliquid esse entitativè divinum ; neque ad virtutem theologicam sufficit connotari tantùm prædicatum divinum, cùm aliàs non distingueretur à pluribus moralibus ; ergo hæc revelatio nequit esse objectum fidei formale adæquatum ; deinde nec revelatio interna et activa est objectum formale adæquatum ; nam præterquàm quòd hæc propriè revelatio aut locutio Dei non sit, vel hæc consistit præcisè in volitione loquendi juxta mentem formaliter præcisâ ab omni alio, et jam non sufficit ad motivum formale fidei certæ ac infallibilis, quia sic formaliter est indifferens ad veritatem vel falsitatem mentis, et consequenter ad conformitatem vel difformitatem locutionis cum re ; vel consistit in volitione loquendi juxta mentem ut divinam et infallibilem ; et tunc illa volitio non connectitur formaliter ratione suî cum veritate mysterii, sed solùm exigitivè ac ratione sapientiæ, à quâ formaliter provenit quòd mens sit infallibilis ; adeòque intellectus credens formaliter non sistit in eâ volitione, atque hinc ea nequit esse objectum formale ; vel consistit in complexo ex hâc volitione et infallibili cognitione Dei de objecto de quo vult loqui ; sed sic pro revelatione affertur quod ab aliis dicitur constitutivum auctoritatis ; vel alio intellecto non sufficit pro motivo formali, ut infra dicetur ; ergo.

Dico 2° : Auctoritas Dei in loquendo est objectum formale fidei. Probatur : Cultus fidei non est reverentia qualiscumque aut humilitas erga majorem potentioremque, aut obedientia erga præcipientem, sed observantia audientis erga loquentem per assensum ejus dictis præstitum exhibita ; ergo objectum etiam formale ejusdem intra hanc lineam esse debet ; atqui ad hanc lineam sola pertinet auctoritas in loquendo ; ergo.

Confirmatur : Auctoritas motiva fidei formaliter consistit in eâ excellentiâ et dignitate, quâ præcisè intellectâ movetur audiens ad credendum loquenti et existimandum esse verum quod dicitur ; et quâ præcisè non intellectâ sic non movetur audiens, quantumvis aliæ perfectiones in loquente resideant : sed præcisè intellectâ Dei auctoritate in loquendo, sic movetur audiens ; præcisè autem intellectâ Dei auctoritate in essendo seu deitate, audiens sic non movetur : ergo. Minor probatur 1° : Licet Deus non haberet auctoritatem in essendo, aut non esset Deus, sed solam haberet auctoritatem in loquendo, aut esset duntaxat infallibilis in cognoscendo et dicendo, dignus tamen esset assensu firmissimo ; ergo. 2° Vel deitas metaphysicè accepta constituitur in ente à se, vel in omni perfectione ; si primum, per deitatem non intelligitur talis perfectio, quæ moveat audientem ad assensum, cò quòd hæc perfectio duntaxat dicat Deum sibi sufficientem ad existendum, per quod formaliter non intelligitur verum esse id quod à tali ente pronuntiatur ; si secundum, habetur quidem in deitate illa etiam perfectio quæ movet audientem ad assensum ; deitas tamen ut tale totum metaphysicum seu omniperfectum nequit dici ratio motiva. Nam sola infallibilitas in cognoscendo et dicendo non est deitas ; sed sola illa infallibilitas est perfectio, quâ præcisè intellectâ movetur audiens ad assensum : ergo perfectio, quâ præcisè movetur audiens, non est deitas.

Objectiones.

Obj. contra primum : Communis modus credendi inter fideles præsertim rudes, est credere nihil cogitando de auctoritate divinâ. Confirmatur : Tempore Christi et Apostolorum multi credebant propter miracula, juxta illud Joan. 14 : *Alioquin propter opera ipsa credite.* Ergo motivum credendi non erat divina auctoritas. — Respondeo, nego antecedens : Licet enim sub his terminis non cogitent neque cognoscant divinam auctoritatem, communiter tamen et vel ex

ipso nomine christianæ doctrinæ intelligunt eas veritates sibi tradi ut doctrinam Dei certam et infallibilem; cujus signum est, quòd diverso modo et animo tum audiant, tum teneant, quæ in catechesi, ac quæ alio in colloquio vel instructione percipiunt : hoc autem est, rudi saltem ac vulgari minervâ concipere divinam auctoritatem et propter illam credere, præsertim adjuvante gratiâ, quæ multùm in pueris ac rudibus supplet. Ad confirmationem respondeo : Si miracula concipiantur ut locutio Dei informata ejus auctoritate, qualia esse defendit cardinalis de Lugo, credere propter miracula hoc modo accepta, jam est credere propter auctoritatem Dei in loquendo; unde nego consequens. Si verò non sunt Dei locutio, et consequenter nec informantur Dei auctoritate in loquendo, ut communiter alii tenent, distinguo antecedens : Credebant propter miracula, τῷ propter appellante rationem formalem credendi, nego; rationem manifestandi divinam revelationem et motivum credibilitatis, concedo.

Instabis : Sola divina locutio est de se sufficiens motivum actûs fidei ergo. Confirmatur 1° : præcisè adveniente revelatione mysterium redditur proximè et formaliter credibile : ergo locutio Dei seu revelatio sola est objectum formale fidei; sicut juxta nos sola auctoritas Dei in loquendo et non Deitas est motivum, quamvis hæc auctoritas Deitatem præsupponat, ut locutio præsuppositivè connotat auctoritatem; 2° solum auxilium divinum est objectum formale spei, ut patet ex D. Thomâ, q. unicâ de Spe, a. 4, dicente : *Spei autem, secundùm quòd est virtus theologica, objectum formale est divinum auxilium, cui inhæret :* ergo et solum testimonium divinum est objectum formale fidei. — Respondeo : Nego antecedens; locutio enim sive externa, sive interna, sive formalis, ex utrâque priore conflata, de se et præscindendo à sapientiâ ac veracitate Dei, est aliquid ad veritatem vel falsitatem indifferens; unde illi accidentale ac extrinsecum est, quòd sit actu connexa cum re ac mente loquentis. Ad confirmationem respondeo : Distinguo antecedens : Præcisè adveniente revelatione, et jam præsuppositâ auctoritate ut objecto formali vel adæquato vel inadæquato, mysterium redditur proximè et formaliter credibile, concedo; non præsuppositâ auctoritate, nego; ad probationem, disparitas est, quia auctoritas formaliter tribuit infallibilitatem divinæ locutioni, adeòque non habet se ut merum aliquod prærequisitum aut fundamentum, sed tanquàm ratio formalis et motivum ad fidem; è contra Deitas non constituit formaliter auctoritatem, sed est quasi radix, cur sit in Deo, adeòque nec ad fidem pertinet ut ratio motiva et formalis. Ad secundum respondeo, nego antecedens : Tum quia auxilium est quid creatum : tum quia non possumus sperare nobis adfuturum auxilium, nisi ex motivo omnipotentiæ, fidelitatis, vel similis prædicatè divini. Porrò Angelicus, loc. cit., non loquitur de auxilio nudè ac secundùm se sumpto, sed quatenùs informato et auctoritatem adepto ab omnipotentiâ vel fidelitate divinâ, adeòque includente prædicatum divinum; in quâ ratione si sumatur etiam divinum testimonium ut includens divinam auctoritatem, rectè quidem instituitur paritas, quam ipse S. Doctor, ib. a. 1, posuit dicens : *Sicut objectum formale fidei est veritas prima, ita objectum formale spei est auxilium divinæ potestatis;* sed tunc non excluditur divina auctoritas à ratione motivi.

Obj. contra secundum. Scriptura et Patres revocant fidem in Deum nullâ factâ mentione attributorum : ergo Deitas sufficit ad fidem. Confirmatur 1° : Fides nostra dicitur divina à deitate; quia si aliud subjectum à Deo distinctum esset etiam summè sapiens et verax, assensus illi præstitus tamen non diceretur fides divina : ergo Deitas tanquàm ratio distinctiva fidei divinæ, debet esse objectum formale. 2° Ex eo præcisè quòd intelligatur Deus aliquid dixisse, jam obligamur ad fidem habendam, tum quia ob deitatem obligamur ad honorem illi habendum, qui si loquenti præstatur, debet esse fides : tum quia excellentia deitatis auctoritatem tribuit locutioni divinæ sicut regia dignitas locutioni regiæ, cui qui non credit, graviùs delinquit, quàm qui non credit verbis subditi : tum quia Deus per se etiam est dignior fide, quàm beati, quamvis et illi sint determinati ad non mentiendum. Ergo deitas debet esse ratio motiva fidei. 3° Idem est objectum formale visionis in patriâ et fidei in viâ : sed objectum visionis beatificæ in patriâ est Deus sub ratione deitatis; ergo. — Respondeo, distinguo antecedens : Scriptura et Patres loquentes in sensu reali et objectivo revocant fidem in Deum, concedo; loquentes in sensu formali et præcisivo, de quo in explicatione auctoritatis divinæ proximè afferentur testimonia, nego; Scriptura et Patres non tam revocant fidem in deitatem quàm in Deum; cui hoc tribuunt sicut creare, misereri, etc., quin tamen ex hoc inferant auctores, Deitatem præcisam ab attributis, aut omniperfectionem formaliter vel adæquatè esse potentiam creandi, miserendi, etc. Ad confirmationem primam respondeo, distinguo antecedens : Dicitur divina à deitate tanquàm à ratione specificante subjectum, in quo est auctoritas, concedo; tanquàm à ratione ipsâ motivâ fidei, nego. Fides in genere specificatur formaliter ac motivè ab auctoritate loquentis, materialiter autem tantùm ab auctoritate loquentis Dei vel hominis. Ad probationem distinguo : Assensus ejusmodi non diceretur fides divina ex defectu subjecti pro auctoritate, quæ est ratio motiva in fide divinâ, concedo; ex defectu ipsius rationis motivæ ad fidem divinam, nego.

Ad secundum respondeo : Nego antecedens, si sumatur hìc deitas pro auctoritate in essendo præcisè et ut præcisa ab attributis. Ad probationem primam, nego minorem. Honor enim ille præcisè staret in reverentiâ, non autem in assensu; sicut enim si per impossibile Deus non foret summè sapiens et verax, non esset irreverentia Deo non credere assensu certissimo, quem nempe exigere non posset, quia deesset fundamentum talis assensûs; sic quia, si omninò præscindatur sapientia et veracitas, non spectatur fundamentum ad assensum fidei, honor et reverentia, quæ hìc concipitur, non stare debet in assensu. Ad probationem secundam, nego suppositam paritatem : Quod

autem magis censeatur delinquere, qui non credit regi, ratio est quia præsumitur ejus eminentiam comitari sapientia et veracitas, cui si non adhibeatur fides, illata per hoc injuria et offensa ex dignitate personæ crescere potest. Ad probationem tertiam, nego id provenire formaliter ex deitate; sed quia Deus ex naturâ suâ est summè sapiens et verax; cùm beati sapientiam et veritatem duntaxat habeant ab extrinseco, illisque non insit scientia omnium saltem in particulari juxta probabiliorem alibi sententiam. Ad tertium, respondeo, nego majorem: idem quidem est objectum materiale primarium, non autem formale, cùm visio beatifica propriè objectum formale non habeat, eò quòd sit clara et immediata Dei intuitio, feraturque in eum nullo alio mediante per modum objecti præcogniti, et sub hâc ratione ad Dei visionem determinantis.

Inst.: Omnis veritas est prædicatum natum ad movendum et se tenens in lineâ veri: ergo cùm deitas sit prima veritas in essendo, debet esse apta ad movendum intra lineam veri; ac consequenter non est excludenda à ratione motivâ fidei. Confirmatur 1°: Deus quà prima veritas in cognoscendo et discendo est objectum formale fidei: sed Deus quà Deus est prima veritas in cognoscendo et dicendo, seu summa sapientia et veracitas; ergo quà Deus est objectum formale fidei. 2° Deitas quà talis removet à Deo omnem imperfectionem, consequenter et falsitatem, adeòque eum reddit falsitatis incapacem; ergo reddit testimonium ejus infallibile, atque hinc facit fide divinâ credibile. 3° Ultima fidei resolutio fit in deitatem; quia si quæras ex fideli: cur credis Verbum esse incarnatum? dicit: quia Deus summè sapiens et verax hoc revelavit; si instes: cur Deus est summè sapiens et verax? respondet: quia est Deus et infinitè perfectus; ergo deitas est objectum formale fidei. — Respondeo, distinguo antecedens: Omnis veritas quæ est prædicatum formaliter et excludens mendacium et errorem, est prædicatum, etc., concedo; quæ est attributum entis ratione cujus præcisè ens repugnat chimæræ, subdistinguo; est natum ad movendum ad assensum fidei, nego; ad aliam cognitionem vel assensum quemcumque, concedo. Per primam autem veritatem in essendo nihil aliud intelligitur nisi attributum Dei transcendentale, quatenùs est verum ens ac verus Deus. Ad confirmationem primam respondeo, nego minorem vel consequens. Quia mutatur acceptio ac proinde fiunt quatuor termini; cùm τὸ *quà* in majorem denotet rationem formalem, sub quâ est motivum assensûs fidei; in minorem autem duntaxat causam virtualem et radicem motivi seu veritatis in cognoscendo ac dicendo.

Ad secundum respondeo, distinguo antecedens: Deitas quà talis realiter accepta removet omnem imperfectionem à Deo, concedo; formaliter accepta, subdistinguo: removet per se ipsam et formaliter omnem imperfectionem, nego; radicaliter et per perfectiones, quas exigit sibi realiter esse identificatas, concedo; Deus excludit formaliter imperfectiones, quibus formaliter opponitur; unde si formaliter constitui concipiatur in ente a se, formaliter solùm excludit non ens et esse ab alio, alias verò imperfectiones tantùm excludit radicaliter. Hæc porrò exclusio potest esse immediata, si nempe imperfectiones immediatè repugnent perfectionibus in deitate radicatis, quales sunt impotentia, mutabilitas, peccabilitas, etc.; vel potest esse mediata, si imperfectiones mediatè repugnent divinis perfectionibus, quales sunt formido, dubitatio, falsitas et alia ejusmodi, quæ oppositionem actûs habent ad potentiam; nam falsitas, verbi gratiâ formalis locutionis non opponitur immediatè veracitati, sed formali veritati, ad quam veracitas per modum habitûs et principii determinat; atque hinc sapientia formaliter immediatè exclusiva est ignorantiæ et veracitas mendacitatis. Quia tamen sapientiæ et veracitati non solùm potentia, sed actus etiam contrarius opponitur formaliter, non potest ex illo intermedio sumi argumentum pro Deitate, utpote quæ radicaliter tantùm hujusmodi imperfectionibus opponitur.

Ad tertium, respondeo: Nego suppositum, quæstionem ultimam et responsionem pertinere ad assensum et motivum fidei, cùm spectet ad assensum et motivum scientiæ vel opinionis; quando enim quæritur cur Deus sit summè sapiens ac verax, non jam quæritur de ratione formali cur fidelis credat Verbum incarnatum, sed cur judicet Deum ita esse infallibilem; sicut dùm quæritur cur quis sit superior, non quæritur de ratione formali cur superiori sit obediendum. Præterea manifesta instantia habetur in actibus spei et charitatis, de quibus eadem resolutio fieri potest, quin tamen auctores concedant harum virtutum objectum formale stare in Deitate.

Quæres 1° *per quænam prædicata formaliter constituatur auctoritas Dei in loquendo.*

Respondeo 1°: Sapientia formaliter constituit auctoritatem Dei in loquendo. Probatur: Christus, Joan. 3, 18, ad excitandam in Nicodemo fidem, sic loquitur: *Amen, amen, dico tibi quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur;* Paulus, 1 ad Cor. 2, 6: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam verò non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio;* quibus verbis non tantùm Dei consilium, sed et scientia Dei infallibilis commendatur. Confirmatur: Sicut fides divina requirit assensum firmissimum, sic et auctoritatem summam pro objecto formali exigit; sed hæc formaliter non est summa, si non formaliter constituatur in infallibilitate cognoscendi veritatem, seu summâ sapientiâ, cùm aliàs formaliter non impediret formidinem ne loquens fallatur; ergo.

Respondeo 2°: Idem etiam præstat veracitas. Probatur: Scriptura sæpè revocat fidem nostram ad Dei veracitatem, ut patet ex Joan. 8, 26: *Qui me misit, verax est; et ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo;* et ad Rom. 3, 3: *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax;* ergo. Confirmatur: Auctoritas Dei in loquendo formaliter non est summa, ac consequenter assensus fidei non est formaliter firmis-

simus, nisi illa formaliter impediat formidinem ne loquens fallat aut falsum dicat.

Igitur nec sola sapientia, nec veracitas sola sufficit; sed utraque requiritur ad auctoritatem Dei in loquendo constituendam, quia sapientiæ formaliter talis munus unicum est excludere ab intellectu errorem ac ignorantiam, et veracitatis similiter sumptæ officium unicum est excludere mendacium seu locutionem contra mentem; auctoritas autem in loquendo, ut sibi fidem et assensum conciliet, loquenti tribuere debet, tum quòd loquens non fallatur, sed judicet de rebus prout reverà ipsis convenit, tum quòd loquens non velit fallere, sed loquatur prout animo sentit.

Quæres 2° an auctoritas Dei, in sapientiâ et veracitate consistens, sufficiat pro quâcumque locutione divinâ et fide theologicâ?

Respondeo 1° : Auctoritas Dei in loquendo, per sapientiam et veracitatem constituta, universim sufficiens est motivum fidei theologicæ cujuscumque. Probatur : Ad objectum formale fidei sufficit duas habere conditiones : primam quâ fundet assensum verissimum per conformitatem actûs judicii cum re judicatâ; secundam, quâ fundet assensum certissimum per exclusionem omnis dubii ac formidinis de errore vel deceptione. Sed in assignatâ auctoritate divinâ utraque conditio reperitur : ex eo enim quòd Deus sit summè sapiens et verax, sequitur eum loqui non posse nisi verum, et proinde fundare assensum verissimum, cùm assensus conformis locutioni verissimæ necessariò sit verissimus; cùm verò evidens sit Deum esse summè sapientem et veracem, rursùs sequitur, si aliunde constet Deum esse locutum, dubitari non posse aut formidari quin res ita se habeat, prout Deus loquitur, adeòque fundari assensum certissimum.

Respondeo 2° : Auctoritas divina, per sapientiam et veracitatem constituta, speciatim etiam sufficit tanquàm motivum fidei theologicæ circa revelationes decretorias. Probatur : Vi revelationis, verbi gratiâ, promissoriæ hujus : *Cras dabo tibi gloriam*, Deus duo enuntiat; alterum de præsenti, nempe voluntatem absolutam dandi mihi gloriam; alterum de futuro, crastinam scilicet collationem gloriæ : sed utrumque fide divinâ credere possum propter solam Dei loquentis sapientiam et veracitatem; nam sufficienter mihi propositâ hâc promissione ut facta à Deo possum hunc actum elicere : firmissimè judico, ô Deus! te habere voluntatem absolutam dandi mihi gloriam, eamque cras absolutè mihi dandam; atque hoc ideò solùm firmissimè judico, quia tu id dixisti, qui cùm sis infinitè sapiens, ignorare non potes, utrùm illa duo ita se habeant, necne; et cùm sis infinitè verax, non diceres illa sic se habere, nisi illa sic se habere certissimè scires. Porrò evidens est primò, hunc actum fundari in solâ Dei loquentis sapientiâ et veracitate tanquàm motivo credendi adæquato; evidens est secundò, per eumdem actum credi omne ac totum quod vi illius revelationis promissoriæ Deus loquitur; evidens est tertiò, eum ab omni falsitatis ac deceptionis periculo esse remotissimum; ergo evidenter sequitur ex auctoritate quam in unâ sapientiâ et veracitate reponimus, haberi fidem divinam revelationis promissoriæ. Confirmatur : In locutionibus purè assertoriis fides nec habet nec habere potest aliud motivum, quàm auctoritatem Dei ex unis sapientiâ et veracitate compositam; ergo nec fides in locutionibus decretoriis; tum quia locutio Dei promissoria non est nisi locutio assertoria duplicis objecti, nimirùm unius de præsenti, quod est voluntas in Deo faciendi aliquam gratiam creaturæ, et alterius de futuro, quod est rei promissæ executio in tempore facienda, adeòque tantùm ratione objecti materialis differt à purè assertoriâ quatenùs hæc non enuntiat decretum Dei.

Articulus II.

An et qualis locutio præter auctoritatem Dei sit objectum formale fidei.

Nota : An locutio divina sit objectum formale partiale, et sic cum auctoritate constituat unam rationem formalem motivam adæquatam ac totalem, hìc controvertitur. Quamvis revelatio, ex D. Hieronymo in cap. 1 ad Galat., sit quasi remotio veli, quo res occultabatur, locutio autem instituì etiam queat de rebus aliàs patentibus, tamen utraque hìc confunditur, et locutio Dei ad extra sumitur pro manifestatione rei, prout est in mente divinâ, ad creaturas specialiter directâ. Communiter dividitur in immediatam, quâ Deus per seipsum loquitur, et in mediatam, quâ loquitur per angelos aut alios ministros : Immediata subdividitur in intellectualem, imaginariam et sensitivam; quarum prima est, quâ Deus loquitur per signa spiritualia solo intellectu perceptibilia; secunda, quâ loquitur per signa materialia phantasiæ propria; tertia, quâ loquitur per signa materialia propria sensuum externorum. A quibusdam tamen præmittitur alia locutionis divisio in activam seu internam, in passivam seu externam, et in completam seu ex utrâque hâc complexam; secundùm hanc activa consistit in actione Dei immanente, hoc est, in volitione nobis manifestandi in tempore divinum conceptum per signum creatum ad audientes directum; passiva stat in hoc signo creato; completa autem, quæ etiam rationalis ac propria locutio est, habetur per signum ejusmodi externum, volitione saltem virtuali ad aliquid manifestandum directum. Scotistæ sine respectu ad hanc divisionem, locutioni duntaxat tribuunt rationem conditionis sine quâ non; alii verò, qui eamdem tanquàm objectum formale partiale admittunt, dissentiunt in designandâ locutionis specie : Cajetanus enim, Gonet aliique Thomistæ solùm locutionem activam internam volunt pertinere ad motivum fidei; Hurtad. et Marin. cum quibusdam assignant solùm locutionem passivam; reliqui communiùs locutionem formalem ac rationalem seu ex activâ et passivâ conflatam intelligunt. Cum his

Dico 1° : Locutio seu revelatio divina constitutivè pertinet ad motivum fidei, et est ejusdem objectum formale partiale. Probatur auctoritate : Scriptura primò, revocat fidem nostram non minùs ad testimo-

nium seu locutionem Dei, ac ad auctoritatem 1 Joan. 5, 6 : *Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas;* et 1 ad Thess. 2 : *Cùm accepissetis verbum auditûs fidei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed ut verè est verbum Dei.* Huc pertinent etiam formulæ illæ : *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor. Verbum Domini, quod factum est*, etc. *Hæc dicit Dominus*, etc. Secundò, extollit ipsum testimonium Dei supra testimonium hominum, ut videre est Joan. 1, 9 : *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est;* nempe in movendo ad credendum, ita ut fides ipsi testimonio innitatur; unde additur : *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Idem explicârunt Samaritani, qui mulieri dixerunt, Joan. 4, 42 : *Quia jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus*, etc. Tertiò, inculcat ipsius firmitatem, Matth. 24, Luc. 21 : *Verba autem mea non transibunt;* et 2 Petr. 1, 19 : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes.* Jam verò si testimonium ac locutio Dei foret mera applicatio auctoritatis divinæ seu conditio, sine quâ non movet auctoritas, fides haberet suam firmitatem unicè ab auctoritate, et moveret hæc sola, dummodò reipsà extaret revelatio. Confirmatur ex SS. Patribus, inter quos Athanasius, oratione *quòd unus sit Christus : Fideles*, inquit, *non habent humilem quamdam rationem ut credant, sed sublimem*, scilicet, *attestationem* Dei. S. Ambrosius, serm. 21 de Epiph., scribit Patrem in voce descendisse in Filium, quia fides *auditâ Patris voce* credit. Similia habet S. Augustinus tractatu 22 in Joan., et tractatu 23, ad illa verba : *Testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.*

Probatur ratione : Dc ratione fidei constitutivâ universim est quòd sit assensus propter auctoritatem dicentis, ita ut *τὸ quia dicit*, sit ratio motiva, et non tantùm conditio, tum quia sicut scientiam demonstratio, ita fidem testimonium seu locutio distinguit ab aliis actibus; tum quia speciale prædicatum essentiale derivat in fidem, utpote quæ non est assensus quiscumque, neque etiam assensus cuicumque veraci ac sapienti præstitus; sed talis qui alteri non tantùm ut veraci ac sapienti, sed ut loquenti seu testanti adhibetur.

Dico 2° : Locutio constitutivè pertinens ab objectum formale fidei divinæ complectitur tam activam quàm passivam locutionem. Probatur : Locutio constitutiva objecti formalis est locutio verificans hanc propositionem : *Deus id loquitur ac testatur*, siquidem essentialis tendentia et ratio formalis fidei hanc propositionem includit. Sed locutio verificans hanc propositionem debet complecti utramque locutionem; nam scire tantùm signa apta ad rem significandam, eaque velle ponere, est quidem scire modum loquendi ac *velle loqui*, non autem est *loqui*, utpote quod ipsam positionem signorum et ad alios transeuntem includit, per quæ audiens ducatur in rei significatæ notitiam; ponere autem signa externa sine directione cognitionis ac determinatione voluntatis illa ordinantis ad audientem, non est propriè formaliter ac rationabiliter loqui; ergo locutio constitutiva objecti formalis utramque complecti debet. Confirmatur : Locutio constitutivè pertinens ad fidei objectum illa est quæ nobis à Scripturâ proponitur ut fundamentum nostræ fidei, et de quâ ad Hebr. 1, 1, legitur : *Multifariàm multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissimè diebus istis locutus est vobis in Filio;* sed hæc locutio complectitur tum internam, quia non erat materialis duntaxat ac sine cognitione et volitione significandi; tum externam, quia in *prophetis* ac *Filio*, et, ut Zacharias, Luc. 1, 7, ait : *Per os sanctorum* est locutus; ergo.

Objectiones.

Objicies contra primum : Actus fidei non habet essentialiter hanc tendentiam; credo hoc, quia Deus dixit, ergo. Probatur 1° : Deus revelabat prophetis, et ipsi credebant Deo, per judicium infusum de veritate objecti : sed hoc judicium non habebat illam tendentiam; quia non reflectebat supra seipsum ut formale motivum, ergo. 2° Si Deus revelat aliquid sub conditione, illud potest absolutè credi conditione purificatâ; sed non potest absolutè credi, eò quòd Deus dixerit; cùm Deus non dixerit absolutè, ergo. Confirmatur 1° : Licet interroganti, cur credam Incarnationem, rectè respondeam : quia Deus illam revelavit; tamen ulteriùs interroganti, cur Deo Incarnationem revelanti firmissimè credam, solum respondere possum : quia Deus, qui revelavit, est infinitè verax et sapiens : ergo ratio formalis credendi ultima et sola est auctoritas Dei. 2° S. Thomas, 2-2, q. 1, a. 1, in o, de fide ait : *Si consideremus rationem formalem objecti, nihil est aliud quàm veritas prima*, ergo. — Respondeo ad primam probationem : Nego majorem : Nam posito etiam quòd Deus prophetis locutus sit per judicium infusum, quod scilicet objectum formaliter, mentem autem divinam de tali objecto instrumentaliter repræsentat; auditio tamen hujus locutionis consistebat in aliâ cognitione reflexâ, quâ perceperunt illud judicium infusum et mentem divinam de objecto per id manifestatam; ac proinde multò magis fides et assensus isti locutioni spirituali præstitus : unde falsum est eos per judicium infusum credidisse Deo. Ad secundam probationem nego minorem : Sicut circumstantiæ extrinsecæ vocibus sæpè tribuunt significationem, quam ex se non habent; sic etiam constituunt et determinant sæpè signa et locutionem in esse talis vel locutionis simpliciter, præsertim si accedat intentio loquentis; atque hinc purificatio conditionis in hoc casu potest revelationem constituere absolutam, et à Deo assumi pro signo locutorio ac complemento revelationis absolutæ.

Ad confirmationem primam respondeo : Concedo antecedens, sed nego suppositum, quòd postrema quæstio pertineat ad assensum et motivum fidei, sicut non pertineret, si quærerem, cur Deum judicet esse veracem ac sapientem. — Respondeo 2° : Distinguo : Ad secundam quæstionem respondere solùm possum, quia Deus, qui revelavit, est infinite verax et sapiens; ita tamen ut, si sit responsio ad quæstionem de motivo actûs fidei, *τὸ* qui revelavit habeat se per modum motivi inadæquati, concedo; ut se habeat per modum

meri prærequisiti aut conditionis, nego. Ad secundum respondeo, distinguo antecedens : Nihil est aliud quàm veritas prima nudè sumpta, nego; ut revelans, concedo; hinc ibid. continuò subjungitur : *Non enim fides, de quâ loquimur, assentit alicui, nisi quia est à Deo revelatum.* Porrò Angelicum stare pro parte nostrâ, liquet ex pluribus; nam q. 14 de Verit., a. 8, ad 6 : *Ipsum testimonium,* inquit, *primæ veritatis se habet in fide, ut principium in scientiis demonstrativis;* et p. 1, q. 1, a. 8, ad 2 : *Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis et prophetis factæ.*

Instabis 1° : Revelatio est indifferens ad verum vel falsum, aut saltem totam infallibilitatem habet à divinâ auctoritate; ergo vel nullam habet connexionem cum vero, aut fides divina suam infallibilitatem aut connexionem cum veritate accipit ab unâ auctoritate. Confirmatur à paritate : 1° Propositio revelationis facta per Ecclesiam non est motivum fidei nostræ, sed mera applicatio motivi; ergo et revelatio est mera applicatio motivi, scilicet auctoritatis divinæ. 2° Promulgatio est mera conditio, et tota vis ad obligandum stat in lege, aut saltem promulgatio non est motivum obedientiæ; ergo etiam revelatio est mera conditio, et tota vis movendi ad assensum fidei habetur in auctoritate. 3° Quæstor regius solvit pecuniam, ostensis sibi litteris regiis, quin hæ sint motivum, sed applicatio duntaxat motivi, voluntatis scilicet regiæ; ergo similiter se habet fidelis respectu revelationis. — Respondeo ad primam partem : Distinguo antecedens : revelatio materialiter aut præcisè secundùm se sumpta est indifferens, concedo; formaliter pro verbis Dei auctoritatem summam habentis, vel complexivè cum divinâ auctoritate acceptâ, nego antecedens et primam partem consequentis. Connexio debet consistere in objecto formali adæquato, illique non obest quòd resultet ex extremis secundùm se indifferentibus, ut patet in objecto formali conclusionis, quod est complexum ex utrâque præmissâ, quarum quælibet seorsim ab aliâ potest esse indifferens ad illam conclusionem. Illa itaque signa materialiter sumpta sunt indifferentia, v. g., ad existentiam incarnationis; quin etiam divina auctoritas, quæ communiter in prædicato Dei necessariò statuitur, est ex se indifferens ad quamcumque veritatem contingentem; at verò signa hæc, prout sunt verba informata ab auctoritate divinâ, non sunt indifferentia, sed metaphysicè infallibilia, et sic etiam sunt motivum fidei. Ad secundam partem antecedentis, distinguo : Revelatio ab auctoritate habet totam suam infallibilitatem præcisè conformitatis cum objecto, transeat; conformitatis cum objecto ut et quia revelato, nego antecedens et secundam partem consequentis. Fidei infallibilitas et certitudo non habet suam rationem præcisè à conformitate cum objecto, cùm assensus beatorum intuitivè videntium auctoritatem vel sapientiam divinam propter hoc motivum alicui objecto præstitus nec fides sit, nec habeat fidei infallibilitatem; sed debet esse infallibilitas conformitatis cum objecto ut et quia revelato, cùm hæc sit essentialis tendentia fidei, ut supra dictum est. Jam verò hæc infallibilitas non desumitur à solâ auctoritate divinâ, sed partialiter formaliter provenit à divinâ revelatione, utpote à quâ formaliter oritur quòd objectum sit revelatum. Dixi : *Transeat,* quia si divina auctoritas consistat in prædicato Dei necessario, actus fidei suam infallibilitatem conformitatis præcisè cum objecto desumit ab auctoritate divinâ ut applicata objecto, sicque revelationem includente.

Ad confirmationem, transmisso antecedente, nego consequens quoad primum; disparitas est quia, ex communi theologorum sententiâ, Ecclesiæ locutio, licet à Spiritu sancto directa, non est verbum Dei nec motivum fidei intrinsecum, sed extrinsecum duntaxat spectans ad actum fidei præambulum, et applicatio verbi divini se habens (cum infallibilitate tamen) ad morem bibliothecarii qui ignoranti dicit hæc vel illa scripta esse hujus vel illius auctoris; cùm verò fides sit assensus propter testimonium Dei, quæ est revelatio seu locutio, hæc non applicatio duntaxat auctoritatis divinæ, sed ipsa etiam intrinsecum fidei motivum est. Quoad secundum, rectè distinguitur inter obligandum et obediendum, cùm alia sit ratio obligandi, quæ est ipsa lex promulgata, alia ratio obediendi, seu motivum et objectum formale obedientiæ, quæ est honestas relucens in conformitate operis cum lege; unde disparitas prima est quia juxta probabilem vis obligandi præcisè à legislatoris auctoritate et voluntate, et consequenter à solâ lege formaliter habetur; è contra vis movendi ad assensum fidei ac veritatis ut dictæ, debet stare in auctoritate et revelatione seu dictione. Disparitas secunda est quia ad honestatem conformitatis operis cum lege promulgatâ, lex et ejus promulgatio habent se tantùm præsupposititè, neque attinguntur ab actu obedientiæ intrinsecè et ut quod, cùm forsan etiam obedienti displiceant; è contra per actum fidei attinguntur intrinsecè tum auctoritas tum revelatio, neque postrema habet se duntaxat præsuppositivè, ut ex sæpè dictis liquet. Quoad tertium, alterutra ex modò datis disparitas tenet.

Inst. 2° : Sola auctoritas sufficit pro hoc assensu : *Quidquid Deus revelat, verum est;* ergo etiam sufficit pro assensu cujuslibet particularis contenti in illo universali; dummodò ipsius continentia certò nobis constet per revelationem tanquàm veram conditionem. Consequentia probatur : Motivum sufficiens ad hunc assensum : omnis homo est redemptus, sufficit etiam pro hoc alio; Petrus est redemptus; dummodò per modum conditionis certò cognoscatur Petrum esse hominem; ergo à pari. Confirmatur : Plures sunt assensus fidei, qui nequeunt pro formali motivo partiali habere revelationem : primò, assensus, quo credo Deum esse veracem, quia stultum est, credere aliquem esse veracem, quia ipse dixit se esse veracem : secundò, assensus, quo credo Deum existere; tum quia sic crederetur Deus existere, quia existit, cùm Deum loqui involvat eum existere; atque sic idem per idem, aut idem prius et posterius cognoscerem : tertiò, assensus de ipsâ revelationis existentiâ, quam

per actum fidei affirmo vel suppono; quia ipsa nequit esse motivum judicandæ suæ existentiæ. — Respondeo 1°, retorqueo : Sola sapientia sufficit pro hoc assensu : quidquid Deus cognoscit verum esse, verum est; et sola omnipotentia sufficit pro hoc alio : quidquid Deus potest, est possibile; ergo. Respondeo 2°, distinguo antecedens et consequens : Sufficit pro hoc assensu, qui sit fidei, nego; pro assensu qualicumque, seu qui non sit fidei, transeat. Fides, ut sæpè jam dictum, non est quicumque assensus certus fundatus in prædicato quodam divino, sed debet inniti divinæ auctoritati revelanti : dixi, transeat; potest enim ille assensus universalis sumi conditionatè, ita ut sic sonet : Si Deus aliquid revelet, verum est; et similiter particularis sic; si Deus revelat incarnationem, vera est, etc. Potest autem etiam sumi absolutè et cum revelatione jam existente, ita ut particulares etiam propositiones sint absolutæ, verbi gratiâ, incarnatio quam Deus revelavit, est vera. Jam verò auctoritas quidem sufficere potest pro assensu in primâ acceptione, minimè verò in secundâ et pro assensu absoluto. Ratio est quia divina auctoritas connectitur cum quâcumque veritate conditionatè, si nempè veritas reveletur : juxta communem autem sententiam, quæ divinam auctoritatem in prædicato Dei necessariò constituit, hæc auctoritas nec cum veritate contingente nec cum revelatione connectitur absolutè. Unde patet etiam responsio ad probationem; assensus enim ille postremus universalis est absolutus, immediatèque continet sub se particularem, ac niti potest divinæ auctoritati revelanti : idcòque idem motivum sufficit ad utrumque, et quilibet potest esse assensus fidei.

Ad confirmationem, respondeo ad probationem primam, distinguo : Stultum est credere aliquem esse veracem, quia ipse dicit se esse veracem, si veracitas ejus non supponatur aliunde nota, transeat; si aliunde nota supponatur, subdistinguo; si ex parte voluntatis datur motivum rationabile imperandi talem assensum, nego; sin minùs, concedo; quamvis nonnulli contendant, per idem testimonium posse proponi Deum ut existentem, veracem et sapientem, ac simul loquentem; cum communiorē tamen loquendo, assensus fidei præsupponit notitiam tum de existentiâ, tum de auctoritate Dei aliunde, scilicet vel per lumen naturale, vel per aliud quodcumque judicium prævium, habitam. Hâc notitiâ suppositâ potest voluntas prudenter imperare assensum, quo intellectus credat Deum existere, esse veracem, habere auctoritatem; sicut etiam in humanis usuvenit, ubi si quis testetur se non aut nunquàm mentiri, et aliunde notam habeam ipsius veracitatem ex illius probitate, possum hoc ipsum prudenter credere, quia ipse dicit. Atque hoc potiori jure tenet in fide divinâ, ubi ex parte voluntatis dantur plura motiva rationabilia ad imperandum etiam circa res notissimas assensum fidei; qualia sunt : 1° ut subjiciam Deo intellectum; 2° ut ipsi, fidem præcipienti, obediam; 3° ut adipiscar fidei meritum; 4° ut maximam de re certitudinem ac firmitatem acquiram, cùm fides divina ex suo motivo præ omni etiam evidentiâ naturali certior sit. Ad probationem secundam distinguo : Crederetur Deus existere simpliciter, quia existit simpliciter, nego; quia existit dicens, concedo; itaque cognosceretur idem per idem, idem etiam cognosceretur bis, idem cognosceretur prius ac posterius, scilicet sub diverso respectu; quæ omnia nec insolentia nec absurda sunt. Ad probationem tertiam, nego assumptum : Cujus falsitas ex ipsâ objecti formali naturâ detegitur; utpote quod per se et ratione sui attingidebet.

Objicio contra secundum : Ad objectum formale fidei constituendum debet admitti vel sola locutio activa, à quâ res dicta accipit veritatem; et quæ sicut determinat Deum ad loquendum verum, ita audientem determinat ad credendum; et quæ præcisè credentem à non credente fidelem ab infideli discernit : vel sola passiva, quæ est locutio propriè talis, seipsam et objectum manifestans; ergo. Confirmatur : Quoties ad loquendum alicui necessaria sunt signa externa, in illis, et non in actibus internis consistit locutio; hinc Scriptura assignat pro motivo locutionem quæ auditur, *Fides ex auditu.* Ad hæc fides divina est virtus theologica : sed hujus objectum formale debet esse prædicatum divinum, non autem creatum, qualis est locutio externa; ergo. — Respondeo, nego antecedens : nam quoad primum nec interna nec externa locutio dat veritatem rei dictæ, sed eam supponit. Revelatio interna seu activa cum imperet et quasi causet manifestationem externam, cum quâ simul constituit propriam et formalem locutionem, Deum tantùm inadæquatè determinat in ratione locutionis. Distinguitur fidelis ab infideli, discretione totâ in eo positâ, quòd fideli credat, infidelis non credat, undecumque demùm, propter illud complexum, in quo consistit objectum formale adæquatè sumptum. Quoad secundum, locutio propriè talis est, quæ secundùm id quod dicit in recto, se ipsam et objectum manifestat; et hoc ipso nequit sola externa esse locutio formalis, quia hæc in recto signum externum, in obliquo actum internum importat. Ad confirmationem distinguo majorem : In illis et non in actibus internis consistit locutio materialis et impropria, concedo; formalis et propria, nego. Universaliter non credimus alteri etiam auctoritate prædito, quia purè materialiter seu externè dicit, aliàs quoque illi in somno aut ebrietate loquenti crederemus; sed quia rationali modo dicit, et dat signa externa ex directione cognitionis circa eorum significandi aptitudinem et ordinatione voluntatis ad significandum per eadem. Scriptura in sensu positivo assignat locutionem, quæ auditur, non in sensu exclusivo. Locutio, de quâ Scriptura agit, est locutio propria et rationalis; hæc autem licet secundùm id quod dicit in obliquo, nempe secundùm internam locutionem, non audiatur, eam tamen à se, quæ in recto sumpta auditur, non excludit. Objectum formale virtutis theologicæ saltem inadæquatum debet esse prædicatum divinum; et revelatio conjuncta divinæ auctoritati et ab hâc informata secundùm omnes fit infallibilis.

Quæres an revelatio privata pertineat ad objectum formale fidei theologicæ?

Nota : Revelatio privata seu singularis est illa quæ fit à Deo personæ privatæ de rebus sive ad se sive ad alios pertinentibus, quin tamen ab Ecclesiâ proponatur credenda; publica seu universalis ac catholica communiter dicitur, quæ ab Ecclesiâ proponitur ut credenda. Quæstio mota præcipuè versatur circa sufficientiam revelationis privatæ sufficienter propositæ, quia quæcumque revelatio antecedenter ad fidem debet certò saltem credibilis proponi, ex cujus propositionis defectu plures revelationes etiam publicæ ac expositæ in sacrâ Scripturâ, non creduntur positivè ac explicitè fide divinâ præsertim ab indoctis. Thomistæ communiter eam sufficere ad fidem theologicam negant; alii communiùs affirmant, quam sententiam, ut testatur Catharinus in Apolog. contra Sotum, c. ultimo, P. Laynez acriter contra Sotum, in Tridentino communi concilii approbatione roboravit. Sed aliâ ex parte oritur etiam hic controversia cum hæreticis tum antiquis tum recentioribus, apud Bosium, lib. 1 contra Brentium, et apud Bellarminum lib. 3 de Verbo Dei, c. 3, qui negabant sufficere pro omnibus ad fidem revelationem publicam, sed exigunt eam fieri unicuique immediatè à Deo. — Respondeo 1° : Ad assensum fidei divinæ sufficit revelatio privata sufficienter proposita, de quâcumque materiâ. Probatur : Assensus fidei theologicæ ex suo conceptu essentiali solùm exigit ut sit assensus supernaturalis, liber et obscurus, propter Dei loquentis auctoritatem; sed totum hoc haberi potest, ubi revelatio duntaxat privata intercedit, cùm hæc nulli ex memoratis prædicato repugnet; ergo. Confirmatur primò : Tridentinum, sess. 6, c. 12, declarat neminem posse certò scire, nisi per specialem revelationem, quinam sint à Deo electi; et can. 16 definit neminem certum esse posse certitudine absolutâ et infallibili de suâ gratiâ et perseverantiâ, nisi id ex speciali revelatione didicerit; ergo supponit privatam revelationem posse conferre certitudinem fidei, hancque ex illâ esse possibilem, cùm aliàs inepta evadit exceptio concilii de quo contrarium testatur Catharinus loco supra citato. Secundò, Scriptura præsertim ad Hebr. 11, recenset plurimas revelationes factas Patribus veteris Testamenti, et alibi similes profert beatissimæ Virgini, S. Josepho, Zachariæ, etc., indicatas; quas nemo dubitat ad fidem eorum theologicam suffecisse : historia ecclesiastica addit non pauca exempla de ejusmodi revelationibus privatis, circa prædestinationem, et obitum sanctorum aliasque res plurimas; quibus fidem abnegare temerarium ac imprudens foret.

Nec dicas 1° : Fides theologica non potest habere aliud fundamentum, quàm Apostolorum et prophetarum, ad Ephes. 2, 20. Sed hoc fundamentum est sola revelatio publica et toti Ecclesiæ facta; ergo hinc etiam S. Thomas docet, fidem nostram inniti revelationi, Apostolis ac prophetis, non autem aliis doctoribus factæ. Nec confirmatur primò : S. Augustinus pluribus in locis censuit non posse fidem adhiberi nisi revelationibus publicis, seu per Ecclesiam propositis; hinc l. contra epist. Fundam. c. 5 : *Evangelio*, inquit, *non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas*; et in epist. 19 ad Hieronymum : *Solis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc honorem*, (nempe fidei) *deferre*. Item in Enchir. c. 9 asserit, *fide ea tantùm credi, quæ ad religionem communem pertinent*. Nec 2° concilium Lateranense V, can. 11 prohibet, ne revelationes privatæ prædicentur, nisi ab Ecclesiâ fuerint approbatæ; et Innoc. III, c. *Cùm ex injuncto* de Hæret., statuit ut revelatione speciali fides non adhibeatur, nisi miraculo confirmetur. Ergo judicârunt revelationes ejusmodi non sufficere ad fidem. — Respondeo : Distinguo majorem : Fides theologica, ut simul est positivè catholica, nequit habere aliud fundamentum, concedo; præcisè ut theologica est, nego. Omnis quidem fides catholica est theologica, sed non vice versâ. Conveniunt enim in eò, quòd utraque nitatur divino testimonio; atque hoc fidei essentiale ac necessarium est; differunt verò quòd fides theologica præscindat à testimonio Dei publico vel privato; catholica autem ut talis nitatur testimonio publico, hoc est, vel ad totam Ecclesiam directo, vel Ecclesiâ mediante proposito. Cùm verò hæc differentia se habeat duntaxat, vel ex parte subjecti fidei, vel ex parte modi aut medii recipiendi revelationem à Deo, eademque maneat ratione divinæ auctoritatis loquentis, manifestè sequitur fidem manere substantialiter unam et unitate habitûs ac objecti formalis, solamque differentiam esse accidentalem. Apostolus loquitur de doctrinâ quam oportet esse publicam in Ecclesiâ, et omnibus ejus membris communem; S. Thomas similiter hic loquitur de fide ut catholicâ, quod abundè designat tum loco primo, ubi ait : *fides nostra*, nempe communis et omnium fidelium, supponitque aliis etiam revelationem fieri posse, atque fidem privatam esse possibilem; tum aliis locis antea laudatis, ubi propositionis per Apostolos aut prophetas factæ non meminit.

Ad confirmationem primam, respondeo similiter, distinguo : Censuit non posse adhiberi fidem catholicam, concedo; præcisè theologicam, nego. Cæterùm in primo textu S. Augustinus solùm ostendit Ecclesiam esse regulam infallibilem et medium ordinarium à Deo destinatum ad cognoscendum quid sit pro Evangelio et Scripturâ canonicâ recipiendum, Deumque secundùm ordinariam providentiam de veritate Evangelii per Ecclesiam ejusque auctoritatem, non verò per privatas revelationes instruere, atque hinc ab illâ præscindendo non dari facilè motivum sufficiens credibilitatis. Hoc autem non prohibet quominùs si S. Augustinus privatam de Evangelii veritate revelationem habuisset, eâdem ad credendum Evangelio moveri potuisset, perinde ac plures sancti : in secundo jure negat honorem fidei theologicæ exhibendum aliis scriptorum quorumcumque auctoribus, cùm et si verbum Dei non loquantur in tertio autem, verba

ipsa declarunt sermonem esse de fide catholicâ. Ad secundum respondeo : Distinguo consequens : Indicârunt ejusmodi revelationes non sufficere ad fidem eliciendam ab eo, cui à Deo immediatè factæ et sufficienter propositæ sunt, nego ; ad fidem eliciendam ab aliis, concedo. Aliud est adhibere fidem revelationi sibi factæ et satis propositæ, aliud eamdem prædicare publicè, ac credendam aliis proponere. Primum nec prohibetur à concilio, nec prohibere potuit : secundum meritò prohibitum est propter impios et fanaticos, qui revelationem privatam sibi factam mentientes, commenta sua et errores cum præsenti seductionis alienæ periculo venditare solent : atqui huic Ecclesiæ præcepto ; quod audire à Deo ipso jubemur omnes, est obediendum, neque revelationes privatæ etiam indubitatò factæ à Deo prædicandæ sunt, nisi priùs fuerint ab eâ examinatæ et probatæ. Simili ratione intellige Innocentium.

Nec dicas 2° : Ex thesi assertâ sequuntur plura absurda ; primò, assensum revelationi privatæ præstitum pertinere ad donum prophetiæ ; secundò, illum cui revelatio facta et sufficienter proposita est, teneri credere ; tertiò, non credentem ejusmodi revelationi amittere habitum fidei, imò esse hæreticum ; quartò, infidelem, habitu fidei destitutum et reliquis articulis non credentem, posse credere fide theologicâ, si Deus privatim ipsi aliquid revelet. — Respondeo ad primum : Nego sequelam ; nam prophetia latissimè sumpta, seu instinctus propheticus qui à Deo quidem immissus versatur maximè circa occulta et præsertim futura contingentia, non tamen agnoscitur esse à Deo, aut unde proveniat, aut quis verus sensus sit, satis per hæc manifestè discrepat à fide ; nec minùs prophetia latè sumpta, quæ est manifestatio rei per actionem quamcumque etiam à locutione Dei diversam, nempe per scientiam supernaturalem aut lumen etiam naturale, angelum vel hominem propriâ auctoritate loquentem data, differt à fide divinâ. Quamvis verò prophetia strictè dicta sit manifestatio rei per locutionem divinam Deique auctoritatem interpositam, et hinc assensus illi à prophetâ præstitus possit esse actus fidei, tamen nec omnis actus fidei etiam in revelatione privatâ fundatæ est cognitio prophetica, utpote quæ tanquàm gratia gratis data immediatè pertinet ad utilitatem aliorum ; nec etiam omnis cognitio prophetica est actus fidei, cùm illa possit esse evidens ac frequenter etiam habeat evidentiam in attestante. Ad secundum, respondeo illum teneri non discredere revelationi sufficienter propositæ, non tamen teneri eamdem assensu positivo ac elicito statim credere, nisi interveniret speciale Dei præceptum credendi statim, vel aliquid ex illâ exequendi. Hinc si Sara et Zacharias reprehensi sunt ob tarditatem in credendo revelationi privatæ, id contigit vel ex dicto capite, vel quia aliquo modo discrediderunt, vel quia per se loquendo est positiva imperfectio et veniale peccatum, revelationi hâc ratione propositæ non statim credere. Ad tertium respondeo : Concedo primam sequelam : habitus enim fidei, ut ex Tridentino, sessione 6, c. 15, liquet, amittitur per infidelitatem positivam ; est autem positiva infidelitas dissentire revelationi sufficienter propositæ ex impiâ voluntate non subjiciendi intellectum in Dei obsequium, ad quam nihil refert, an revelatio publica fuerit, an privata. Itaque negatur hanc sequelam esse absurdam. Quoad secundam sequelam, Sanch. Vasq. et Layman negant ejusmodi infidelem dicendum hæreticum, cum talis strictè loquendo sit tantùm is, qui pertinaciter negat quæ proponit Ecclesia ; alii cum Suarezio concedunt illum ferè hæreticum quoad culpam et in foro Dei, non autem quoad pœnas et in foro externo Ecclesiæ : primum quidem, quia ille dissensus contrariè opponitur fidei et quidem cum pertinaciâ, resistendo revelationi sufficienter propositæ : secundum, quia Ecclesia non punit nisi apostatas à suâ, hoc est, catholicâ fide. Quòd si dissensus ille contineret hunc alium : prima veritas non est infallibilis ; vel continet solùm internè, et sic pœnis Ecclesiæ non subjicitur : vel etiam externè, prodendo scilicet se non credere revelationi divinæ, et sic erratur etiam in doctrinâ catholicâ. Ad quartum respondeo : Distinguo : Infidelis ejusmodi posset credere fide habituali, nego, fide actuali, ex supposito præsentis auxilii necessarii transeuntis, transeat ; quod nego esse absurdum, sicut absurdum non est peccatorem habitu charitatis carentem, sed auxilio transeunte, adjutum elicere actum charitatis. Dixi tamen, transeat, quia communis sententia tenet infidelitatem positivam ita opponi assensui fidei, ut dissentiens uni objecto sufficienter propositâ revelatione non possit assentiri alteri, in sensu composito prioris dissensûs ; eò quòd divina fides importet voluntatem credendi Deo super omnia et ut ummæ auctoritati in quâcumque materiâ.

Respondeo 2° : Ad credendum fide theologicâ non equiritur revelatio privata seu singulis hominibus immediatè à Deo facta. Probatur ex praxi continuâ, quam in tradendâ et propagandâ veræ fidei doctrinâ Deus constanter servavit. Et quidem in veteri Testamento manifestum est revelationes non omnibus promiscuè fidelibus, sed paucis patriarchis et prophetis immediatè fuisse factas, ab his verò communicatas deinde aliis : idem patet in præceptis, queis Deus fideles antiquæ legis voluit specialiter sibi teneri obstrictos, quæ non omnibus ac singulis, sed certis duntaxat personis à Deo immediatè propositæ sunt, per easdem aliis deinceps promulgandæ ac tradendæ. Hinc angelus de Abrahamo, Gen. 18, 19, inquit : « Scio quòd præceptu-rus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, ut faciant judicium et justitiam ; » nempe secundùm ea quæ Deus illi immediatè præceperat. Et Exod. 14, 31, dicitur : *Crediderunt Domino* et Moysi servo ejus ; Deo nempe tanquàm loquenti immediatè ad Moysen, Moysi verò tanquàm proponenti, quæ à Deo acceperat. Similiter in novo Testamento missus est primò Joannes Baptista, *ut testimonium perhiberet de lumine*, hoc est de Christo : postea Deus ipse in sumptâ carne immediatè docuit eos ad quos pervenerat ; ad alios autem misit Apostolos, juxta Matthæum 28,

19 : *Euntes ergo, docete omnes*, etc.; et Act. 1, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Samariâ, et usque ad ultimum terræ*. Confirmatur : Si immediatè ex parte Dei revelatio foret singulis credentibus necessaria, illa etiam sola sufficeret, cùm et debitam rationem objecti formalis habeat, et certitudinem etiam nancisci supponatur; sed ex hoc varia absurda atque cum modernâ Dei providentiâ in Scripturis revelata pugnantia sequerentur, nempe frustra esse verbum Dei scriptum et traditum, superfluas instructiones per Ecclesiæ ministros, vivam et animatam fidei regulam nullam necessariam, aliaque plura quibus sublatis fidei unitas et erga legitimos pastores obedientia ac subjectio tolleretur, hæreses è contrario ac divisiones innumeræ nascerentur.

Si ais 1° : Jerem. 31, 33, dicitur : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam;* ac v. 34 : *Non docebit ultra vir proximum suum, et frater fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me;* respondeo : Legis evangelicæ, de quâ hìc sermo est, promulgandæ quidem fit promissio, quin tamen dicatur singulis immediatè per Deum vel Christum eam esse revelandam, sed aliquibus immediatè, aliis mediatè per Apostolos et eorum successores, quibus proinde mandatum illud Matth. 28 impositum fuit. Porrò lex hæc dicitur *scribenda in cordibus fidelium*, non per revelationes immediatas singulis faciendas, sed per interna gratiæ auxilia, quæ externam propositionem et auditum supponunt, tantòque copiosiùs danda sunt, quantò lex christiana præ lege Mosaicâ est perfectior. Similiter per versum alium instructio externa et mysteriorum per Apostolos et Ecclesiæ ministros propositio non excluditur, sed significatur duntaxat in doctrinâ legis novæ, tum discendâ tum opere complendâ, præcipuas fore partes divinæ gratiæ, quam abundantissimam supremus Magister Christus suâ nobis morte promeruit, juxta illud 1 ad Cor. 3 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Si ais 2° : 1 Joan. 2, dicitur : *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est et non est mendacium;* respondeo dictum hoc esse propter pseudoprophetas; significat ipse versu præcedente : *Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos*, quo monentur fideles cavere sibi à doctoribus falsa dogmata spargentibus, et adhærere doctrinæ ab Apostolis traditæ. Unctionis autem nomine hìc non venit immediata revelatio vel rerum credendarum propositio, sed interna illustratio et inspiratio quâ homines excitantur ad ea credenda quæ per Apostolos et Ecclesiam credenda proponuntur; unde etiam præmiserat Apostolus : *Vos quod audistis ab initio in vobis permaneat.*

Articulus III.

An auctoritas et locutio divina etiam credatur in actu fidei de mysterio revelato?

Nota : Omne judicium, nisi versetur circa veritatem ex terminis notam aut immediatam, affirmat vel negat objectum suum materiale propter aliquod motivum seu objectum formale; adeòque intellectus in ejusmodi actu motivum attingit, et quidem intrinsecè, si motivum non tantùm moveat intellectum ad judicium, sed ab ipso etiam judicii actu cognoscatur; uti fit in actu fidei, qui intrinsecè attingit auctoritatem et locutionem divinam, utpote objectum formale proprium virtutis, ad quam pertinet, et à quo in ratione theologici specificatur. Imò utramque intrinsecè ut quod attingit, quia utramque affirmat, cùm ita tendat fides : credo, verbi gratiâ, Trinitatem, quia Deus, qui est summæ auctoritatis, revelavit. Præterea, alii statuunt motivum fidei theologicæ ac præsertim auctoritatem divinam cognosci per se ac immediatè, atque hinc tanquàm veritatem lumine naturæ notam affirmant; alii contendunt illud cognosci per aliud et sic mediatè, nempe per revelationem, atque hinc tanquàm veritatem etiam revelatam affirmari per actum fidei seu credi. Ad quod intelligendum præmittunt, dupliciter posse revelari tam auctoritatem quàm locutionem divinam : 1° quidem reflexè ac explicitè : sic revelata est Dei omniscientia ad Hebr. 4, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus;* et veracitas ad Rom. 3, 4 : *Est autem Deus verax, et omnis homo mendax;* ac revelatio facta Matth. 2, 15 : *Ut adimpleatur quod dictum est à Domino per prophetam : Ex Ægypto vocavi Filium meum.* 2° Exercitè ac implicitè, quando nempe Deus revelans aliquod mysterium et proponens ut credendum, hoc ipso etiam implicitè dicit se loqui et fide dignum esse, atque hinc suam locutionem et auctoritatem implicitè et exercitè revelat. De primo modo controversia nulla est, sed tantùm de secundo.—Respondeo 1° : In actu fidei de mysterio revelato non affirmatur auctoritas et locutio divina ut lumine naturali nota, nec sufficit eam sic affirmari. Probatur prima pars, quia partim multi fideles rudiores non habent evidentem cognitionem de auctoritate Dei et falli et fallere nescià, cùm etiam doctiores quidam existimaverint id non esse satis clarum; partim locutio divina evidenter non proponitur, neque ex ipso lumine naturali innotescit. Probatur secunda pars : Assensus fidei theologicæ est supernaturalis et altioris ordinis; ergo fundari nequit in notitiâ ordinis naturalis; est etiam ratione sui motivi certior quocumque alio assensu naturali, ergo similiter in minùs certo niti minimè potest.

Si ais primò Deum esse veracem et sapientem, est principium lumine naturæ notum, tum quia quivis facilè intelligit veram esse hanc propositionem saltem in sensu indefinito : *Deus est summè sapiens et verax;* tum quia hæc conditionalis saltem est immediatè nota : *Si Deus loquitur, verum loquitur.* Ergo. 2° Assensus fidei ut supernaturalis non debet inniti motivo per assensum supernaturalem asserto, tum quia supernaturalitas actûs non desumitur à motivo; tum quia non omnia ad fidei actum concurrentia debent esse supernaturalia, ut patet in potentiâ naturali ad actus supernaturales eliciendos concurrente; ergo. 3° Quamvis auctoritas et locutio divina cognoscatur cognitione naturali, tamen per seipsam habet infallibilitatem ob

jectivam ; neque cognitio supernaturalis aut fidei tribuit illi majorem infallibilitatem ; ergo frustra requiritur assensus fidei auctoritati et locutioni præstandus ad certitudinem obtinendam. Nec 4° divina auctoritas et revelatio per actum fidei asseruntur in ordine ad mysteria per modum suppositi seu exercitè supponendo illas aliunde existere, tum quia multa in assensibus tantùm supponuntur tanquàm aliunde nota, ut per se patet, et S. Augustinus, lib. 8 de Trinit. cap. 5, docet : *Credimus Dominum Jesum Christum natum de virgine, quæ Maria vocabatur ; quid sit virgo, quid sit nasci et quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus* ; tum quia actus fidei, v. g., hîc : Credo Trinitatem, quia Deus summæ auctoritatis revelavit, sic exponitur : Certissimum mihi est Deum esse trinum, quia, ut suppono, Deus summæ auctoritatis revelavit.

Ad primum, respondeo : Nego antecedens ; nam 1° nec rudis aut quilibet hoc etiam de Deo in sensu indefinito facilè et evidenter intelligit, tum quia non quilibet de Deo cogitans eum sibi proponit sub conceptu omniperfecti entis, sed sub ideâ potiùs causæ primæ aut superioris, ex quâ non ita colliguntur perfectiones illæ sapientiæ ac veracitatis. 2° Hæc conditionalis ideam ejusmodi de Deo supponit, quæ saltem omnibus immediatè et per se nota non est. Ad secundum respondeo : Nego antecedens ; nam 1° supernaturalitas actus non desumitur à motivo ; exigit tamen illud affirmari assensu supernaturali, sicut exigit illud supernaturali illustratione proponi. Non omne quod concurrit ad actum supernaturalem potest esse supernaturale, neque etiam supernaturalitatis rationem tribuit ; è contra motivum saltem ut propositum et assertum debet esse supernaturale, quia est cogitatio sancta et objectiva motio ad actum supernaturalem ; præterea etiam est illud principium, quod in actum fidei transfundere debet formalitatem firmitatis super omnia. Ad tertium, respondeo : Distinguo primam partem antecedentis : Habet infallibilitatem objectivam quoad se, concedo ; quoad modum movendi ad assensum fidei firmissimum, nego. Modum movendi auctoritas et locutio divina acquirit ab illo actu, per quem intellectui credentis proximè applicatur et judicatur existere ; nisi itaque judicetur existere actu firmissimo fidei, nequit movere intellectum ad assensum fidei firmissimum de objecto fidei materiali. Hinc etiam distinguo secundam partem antecedentis : Cognitio supernaturalis non tribuit auctoritati et locutioni majorem infallibilitatem *ut quod* et ex parte ipsius objecti præcisè, concedo ; *ut quo* et ex parte modi movendi ad assensum fidei firmissimum, nego. Ad quartum, nego assumptum : nam quæ asseruntur, exercitè saltem debent vel propter se, vel propter aliud asseri ; unde exercitè saltem non tantùm supponi, sed intrinsecè saltem et *ut quod* attingi debet vel propria evidentia ; vel aliud motivum propter quod asseruntur. Ad probationem primam distinguo : Multa in assensibus proponuntur tanquàm aliunde nota, quæ per illos assensus non asseruntur, concedo ; quæ asseruntur, nego. Rectè hinc quidem S. Augustinus dixit quòd, dùm credimus Christum natum de Virgine Mariâ, non per hoc credamus *quid sit virgo, quid sit nasci, quid sit nomen proprium*, quia nempe Deus, primum revelando, non etiam locutivè testatus est quid sit nasci, virginem ac nomen proprium esse ; unde etiam sicut à nobis hæc non creduntur, sic etiam non asseruntur ; sed quia et motivum fidei, auctoritas scilicet et locutio, per actum fidei à nobis asseruntur, et quia Deus revelans aliquod mysterium auctoritatem suam et locutionem simul exercitè revelat, hæc non supponi duntaxat, sed asseri et credi possunt ac debent. Ad probationem secundam, nego assumptum ; ex communi consensu propositio illa ad normam aliarum omnium causalium sic exponitur : Certum mihi est Deum esse trinum, certum mihi est Deum summæ auctoritatis et revelâsse ; et ideò illud mihi certum est, quia hoc mihi certum est.

Respondeo 2° : In actu fidei de mysterio revelato auctoritas et locutio divina exercitè credi potest et debet. Probatur prima pars : Deus revelans aliquod mysterium, exercitè simul revelat suam auctoritatem et locutionem : ergo credi potest in actu fidei de mysterio revelato. Antecedens probatur : Quandocumque Deus revelat aliquod mysterium, intendit nos obligare et obligat etiam reipsà ad illud infallibiliter credendum propter auctoritatem et locutionem suam, adeòque per modum motivi interponit auctoritatem et locutionem : sed quandò Deus sic nos obligare intendit et obligat ad credendum propter auctoritatem suam et locutionem interpositam, exercitè ac implicitè saltem revelat suam auctoritatem et locutionem ; quia sic exercitè revelat se hoc loqui, et scire rem quam loquitur, et veracem se in hâc locutione esse ; ergo quandocumque revelat Deus aliquod mysterium, exercitè simul revelat suam auctoritatem et locutionem. Confirmatur : Objectum formale, quod determinat ad cognoscenda vel amanda alia objecta, non indiget novo formali objecto distincto, ut ipsum cognoscatur vel ametur ; sed est formalis ratio attingendi simul se et alia propter se ; secus enim daretur processus in infinitum : ergo et objectum formale fidei nempe auctoritas et locutio divina, quæ determinat ad aliud objectum credendum, non indiget novo objecto formali distincto, ut ipsum seu auctoritas et locutio divina credatur : sed potest esse ratio formali attingendi simul se et alia propter se.

Probatur secunda pars : Objectum formale non potest movere ad assensum, nisi ut cognitum : ergo nec ad assensum certum, nisi ut certò cognitum : ergo nec ad certum super omnia, nisi ut cognitum certò super omnia. Confirmatur : Actus fidei tanquàm virtualiter discursivus nequit esse certior suo motivo : sed si auctoritas et locutio divina non crederetur, et quocumque naturali assensu affirmaretur, hoc ipso actus fidei certior esset quàm motivum ; quia fidei certitudo excedit omnem certitudinem aliam ; ergo :

Si ais 1° : Deus aliquid revelans manifestat suam auctoritatem et locutionem solùm materialiter, quia etiam Deus revelans intendit nostram instructionem, quin tamen hæc locutio manifestet. 2° Per actum fidei

asseritur auctoritas et locutio solùm in ordine ad mysterium; ergo non habet actus fidei aliam certitudinem ex motivo quam in ordine ad mysterium. 3° Assensus fidei est mediatus : sed assensus motivi propter se non est mediatus : ergo non est assensus fidei. Denique mysterium quia est obscurum, non potest credi propter se, sed debet credi propter aliud : ergo cùm revelatio et auctoritas sit æquè obscura, non potest propter se credi. — Respondeo ad primum, nego assumptum : quamvis enim non omnibus signis externis et vocibus etiam conveniat, ut formaliter et locutivè se manifestent, sed tantùm materialiter, tamen hoc dici nequit de revelatione tali, cui quis vult credi propter suam locutionem et auctoritatem, quia hoc ipso virtualiter reflexè proponit et affirmat se loqui et fide dignum esse, sicut vult et facit, ut cognoscamus illum loqui et ob auctoritatem mereri fidem. Instructio aliaque ejusmodi sicut sunt finis extrinsecùs tantùm, sic etiam extrinsecè se habent tum ad Deum loquentem tum ad actum fidei : auctoritas verò et locutio pertinent intrinsecè ad actum fidei, et intrinseca tendentia revelationis etiam est ad obligandum ad fidem; unde et utriusque manifestatio locutiva saltem exercitè fieri potest ac debet. Ad secundum respondeo : Distinguo antecedens : Per actum fidei motivum solum explicitè et signatè asseritur in ordine ad mysterium, concedo; nequidem exercitè et implicitè in ordine ad se asseritur, nego. Constat ex dictis motivum non posse asseri fide divinâ in ordine ad mysterium, nisi asseratur etiam ipsum actu fidei : quod autem dicatur fidei motivum, uti omnia objecta formalia, asseri propter materiale, non prohibet quominùs etiam dicatur asseri propter se, quia *τὸ propter se* excludit duntaxat aliud motivum distinctum, non autem objectum materiale, quòd unà cum formali vel affirmatur tantùm vel creditur. Ad tertium respondeo : Distinguo majorem : Assensus fidei est mediatus respectu objecti materialis, concedo; respectu objecti formalis, nego. Sicut enim actus fidei respectu objecti materialis, quod expressè revelatur, habet motivum à se distinctum, et hinc mediatus assensus est; sic respectu objecti formalis, utpote quod exercitè tantùm revelatur, habet motivum indistinctum, et hinc mediatus esse nequit. Denique sicut motiva credibilitatis immediatè afficiunt revelationem, hâc autem mediante tantùm revelatum, et hinc non æquè afficiunt utrumque; sic nec utrumque æquè obscurum est, sed extrinsecè saltem notior revelatio præ revelato : quippe mysterium, quod seipsum non revelat, non habet motivum in se credendi, adeòque propter se credi nequit : cùm verò auctoritas et locutio exercitè reveletur, rationem credendi à se indistinctam continet, atque hinc credi propter se potest : ab hoc autem non impedit obscuritas etiam motivo conveniens, eò quòd ad assensum fidei non determinetur intellectus ab evidentiâ objecti, sed suppositâ credibilitatis notitiâ à voluntate, quam per speciale Dei auxilium præsertim adjutam, intellectus in obscuris sæpissimè sequitur.

Articulus IV.

In quid ultimò resolvatur actus fidei?

Nota : Analysis hìc est reductio fidei ad rationem motivam, in quâ credens ultimatò conquiescat, et ex quâ sciens ac prudens valeat reddere rationem de suâ fide, juxta illud 1 Petr. 3 : *Parati semper ad satisfaciendum omni poscenti vos rationem de eâ quæ in vobis est spe.* Tota difficultas in eò est ut fidei nostræ rationem poscenti quare credamus, respondeatur sine petitione principii et circulo vitioso, sic ut prudenter dubitari non possit quin actus credendi sit et prudentissimus et certissimus. Quia verò in fidei negotio plures actus interveniunt, illa interrogatio : Cur credis hoc mysterium? est æquivoca, et spectari potest vel secundùm hunc vel alium actum aut fidem hoc vel illo modo sumptam, ita ut sensus sit : Quare assentiris huic mysterio, et illud certum esse affirmas? vel quare vis credere, aut cur imperas hunc assensum certissimum? vel quare judicas hoc mysterium esse credibile vel credendum ut à Deo revelatum?

Dico 1° : Fides creditivè sumpta ultimò resolvitur in divinam auctoritatem et locutionem exercitè revelatam, et per ipsum fidei actum creditam. Probatur : In illud et illo etiam modo resolvitur ultimò actus fidei, sistendo intra terminos fidei proprios, quod et quo modo est tota et adæquata ratio formalis seu intrinseca assentiendi per fidem veritatibus à Deo revelatis. Sed hæc est auctoritas et locutio divina, et quidem intrinsecè, ut quòd non tantùm affirmata, sed etiam credita; ergo.

Dico 2° : Fides affectivè sumpta ultimò resolvitur in illam honestatem objectivam, propter quam voluntas imperat assensum fidei. Probatur : Fides affectivè sumpta resolvitur in illud motivum, propter quod credens vult credere; sed hoc motivum est honestas objectiva, propter quod voluntas imperat assensum; ergo. Hæc honestas est illa quæ relucet in ipso actu volendi assentiri divinæ revelationi sufficienter propositæ, quia hæc est objectum formale proprium specialis virtutis, quam *piam affectionem credendi* vocamus. Quanquàm cùm actus fidei imperari possit ab aliis virtutibus, v. g., obedientiâ, charitate, etc., poterit quidem etiam resolvi in aliarum virtutum honestatem, sed minùs propriè nec proximè.

Dico 3° : Fides dispositivè sumpta ultimò resolvitur in signa credibilitatis. Probatur : Fides sic sumpta est judicium credibilitatis inducens ad actum fidei : sed hoc judicium ultimò resolvitur in signa credibilitatis, quia si quis interrogetur cur judicet mysteria fidei esse per fidem credibilia, ita respondebit ut ultimo sistat in hâc ratione objectivâ per illud judicium attractâ, nempe, quia dantur tot signa suadentia Deum illa revelâsse : inde etiam est, cur theologi cum hæreticis et paganis confligentes ad signa credibilitatis, per quæ nostræ Ecclesiæ credibilitas præ sectis oppositis demonstratur, recurrant. Ergo.

Observa : Ultima resolutio alicujus assensûs mediati, per se et manendo intra propriam lineam, non

potest fieri nisi in motivum proprium intrinsecum ac specificativum talis assensûs in quo ultimo quiescit. Per accidens tamen et transeundo ad aliam lineam etiam fieri potest in motivum extrinsecum; et hinc fides etiam propriè dicta, si transeatur ad actum voluntatis seu piam affectionem credendi, aut ad actum judicii prævium credenditatis et credibilitatis, potest resolvi in assignata motiva utrique actui singularia et propria. Quamvis verò hæc non nisi certa aut tantùm naturaliter evidentia sint, nihil tamen id obest certitudini ac firmitati maximæ assensûs fidei, cùm ea tantùm intelligantur esse motiva impellentia, de quibus ex damnatâ ab Innocentio XI propositione 19 constat, quòd præ eorum certitudine possit ipse fidei actus habere majorem firmitatem. Sunt ergo signa hæc nec motivum intrinsecum fidei ut fides est, cùm eam secundùm nullum prædicatum essentiale specificent aut intentionaliter constituant; nec sunt motivum fidei ut certissima ac firmissima est, cùm ab illis summa fidei certitudo ac firmitas non habeatur; nec sunt motivum sub aliâ proprietate: ergo nec in illâ fides vel partialiter etiam resolvi propriè ac intrinsecè potest.

Quæres quidnam Ecclesiæ auctoritati in resolutione fidei sit concedendum?

Nota: Spectatur à theologis duplex Ecclesiæ auctoritas, humana et divina. Humana dicitur, quam habet Ecclesia secundùm se considerata, seu ut est congregatio hominum unam rerum divinarum doctrinam perpetuâ traditione profitentium, in quâ plurimi fuerunt viri sanctitate, sapientiâ et miraculis clari, plurimi martyres, eamdem doctrinam, sanguine profuso, sunt testati; aliaque ejusmodi suppetunt signa, ex quibus illi congregationi conciliatur fides et auctoritas humana quidem, sed tamen longè major, quàm quæ alioquin historicis probatissimis tribuitur. Divina est quæ Ecclesiæ debetur propter assistentiam Spiritûs sancti specialem illi promissam ac infallibilitatem in proponendis mysteriis fidei; quæ utraque nobis constat ex verbo Dei seu revelatione divinâ; de hâc auctoritate præcipuè quæritur.

Respondeo 1°: Fides propriè ac creditivè sumpta non resolvitur ultimatò in auctoritatem Ecclesiæ. Probatur: Ultima resolutio fidei propriè sumptæ nequit fieri, nisi in motivum actui fidei intrinsecum; sed auctoritas Ecclesiæ, seu definitio ac propositio ejusdem, etiam ut habentis assistentiam spiritûs sancti, non est motivum fidei intrinsecum, cùm non sit moraliter verbum Dei aut revelatio reflexa de directâ revelatione, sed solùm propositio et applicatio externa infallibilis revelationis divinæ; ergo. Quippe Deus Ecclesiæ aliquid definienti aut credendum proponenti nec revelat novam veritatem, aut priùs jam revelatam recens aperit, nec illi præcipit ut ejusmodi revelationem nomine Dei proponat; sed solùm illi assistit, ne in revelationis olim factæ sensu vero designando, aut controversiam decidendo, aut particulari universalem applicando erret. Confirmatur: Si fides ultimò resolveretur in Ecclesiæ auctoritatem divinam, resolutio hæc committeret vitiosum circulum, et foret petitio principii: nam interroganti: Quare credis hoc mysterium? deberes primò reponere: quia Deus revelavit. Urgenti: Quare credis hoc Deum revelâsse? secundò responderes: Quia Ecclesia cui infallibiliter assistit Spiritus sanctus, hoc credendum proponit; ulteriùs instanti: Quare credis Ecclesiæ assistere Spiritum sanctum? dicere oporteret: Quia hoc Deus in Scripturis revelavit. Hæ verò Scripturæ ut canonicæ cùm deberent credi propter propositionem Ecclesiæ sub Spiritûs sancti assistentiâ, ista autem assistentia vicissim propter Scripturas, manifestum est fieri circulum vitiosum et principii petitionem. Respondeo 2°: Fides directivè sumpta potest resolvi in auctoritatem Ecclesiæ, non tamen ultimatò. Probatur prima pars: Certum est Ecclesiam esse regulam extrinsecam infallibiliter proponentem quæ sint vel non sint à Deo revelata; unde sequitur quidquid illa proponit ut dictum à Deo, hoc ipso esse sufficienter credibile, adeòque voluntatem non solùm prudenter posse, sed etiam debere assensum fidei imperare; ergo et fides directivè sumpta in Ecclesiæ auctoritatem resolvi potest. Probatur secunda pars: Quia si dicas te ideò hoc vel illud credere velle, quia Ecclesia ipsum à Deo dictum esse testatur, atque ut tale credendum proponit; redit quæstio cur credas aut unde scias Ecclesiam id testantem non errare? Huic verò quæstioni non facies satis, nisi afferendo rationes alias quæ intellectum tuum convincant, ut judices aut credas Ecclesiam non posse errare; unde constat resolutionem illam non esse ultimam.

Respondeo 3°: Resolutio fidei in auctoritatem Ecclesiæ, spectatâ præcisè assensûs fidei naturâ secundùm se, non est absolutè necessaria. Probatur: Ad eliciendam fidem alicujus mysterii nullus ex parte credentis actus requiritur, qui necessariò nitatur auctoritate Ecclesiæ, revelationem à Deo factam proponentis; quia hic actus esset talis, quo judicamus revelationem esse factam, vel quo judicamus eam esse credibilem; sed inprimis neuter præ altero designari potest; deinde si etiam alteruter vel uterque necessarius asseratur, asseritur falsum; cùm revelatio privata ad fidem sufficiat; ergo. Confirmatur: Quidquid ad fidem ex ejus naturâ secundùm se spectatâ requiritur, sine eo nullus fidei assensus circa quamcumque veritatem haberi potest; sed datur aliqua veritas, cujus assensus potest haberi independenter ab Ecclesiæ proponentis auctoritate imò dependenter ab eâ haberi nequit; nempe hæc veritas: *Ecclesia est infallibilis fidei regula*, utpote quæ à Deo est revelata, et tamen ab ipsâ Ecclesiâ gentili ad fidem convertendo proponi nequit; cùm is ad judicandum hanc veritatem esse credibilem et credendam nequeat ex auctoritate Ecclesiæ de se id dicentis moveri; ergo.

Pars secunda.

DE ACTU FIDEI.

CAPUT PRIMUM.

DE ACTIBUS FIDEM PRÆCEDENTIBUS.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ et quales cognitiones prævie ad fidei actum requirantur?

Nota : Ordo actuum qui in fide eliciendâ communiter interveniunt, hìc ut plurimùm assignatur. 1° Proponitur mysterium, revelatio de mysterio, et motiva credibilitatis, seu rationes de existentiâ revelationis circa propositum mysterium; 2° hæc motiva ponderantur et examinantur; 3° inde oritur notitia de existentiâ revelationis; 4° hanc sequitur cognitio reflexa tum de credibilitate, tum de credenditate mysterii; 5° cognitâ hâc credendi honestate et obligatione, voluntas ad fidem efficitur, imperatque intellectui assensum præstandum; 6° consequitur actus, quo intellectus credit, hoc est, veritati revelatæ assentitur cum firmitate appretiativè summâ propter auctoritatem et revelationem divinam. Hoc ex ordine cognitionem duntaxat de existentiâ revelationis, ac de credibilitate et credenditate mysterii, hìc examinamus. Cognitiones præviæ sunt judicia, quorum primum vocari solet directum et speculativum de revelationis existentiâ, alterum reflexum et practicum, seu dictans honestè ac prudenter credi posse ac debere mysterium ob revelationem; de his quæritur an sufficiat esse probabilia, an verò requirantur certa, aut etiam evidentia

Dico 1° : Requiritur et sufficit ut judicium speculativum actui fidei infusæ prævium sit moraliter certum. Probatur prima pars : Ad assensum fidei infusæ non sufficit notitia solùm probabilis de existentiâ revelationis, ut patet ex dictis art. 3 prioris hujus tractatûs partis; ergo requiritur notitia certa. Sed certitudo omnium minima est in judicio moraliter certo : ergo saltem judicium moraliter certum prærequiritur. Confirmatur : Assensus innixus revelationi solùm probabiliter cognitæ vel habet certitudinem adhæsivam, vel non? Si primum, ergo imprudens est ac temerarius, siquidem assentiatur cum omnimodâ firmitate objecto ob motivum probabiliter duntaxat notum; si secundum, ergo non est assensus fidei infusæ, quæ ex naturâ suâ adhæsionem summam exigit. Probatur secunda pars : Ex unâ parte evidentia stricta et propriè talis passim à fidelibus non habetur de existentiâ revelationis; ex alterâ autem incredulitas hæreticorum fundatur in eo principio quòd nolint credere, et credi posse negent, nisi evidentia de revelatione adsit, ut ex eorum errore de spiritu privato liquet; ergo evidentia ejusmodi necessaria non est, sed certitudo moralis de revelatione existente sufficit. Confirmatur : Per certitudinem memoratam excluditur formido ac dubium prudens de revelationis existentiâ, et voluntas satis habet fundamenti, ut prudenter imperet assensum divinæ locutioni conformem; ergo sufficit ad fidei infusæ assensum, hoc est, ad prudentem et firmissimum.

Dico 2° : Prærequiritur etiam judicium practicum moraliter saltem certum; quin et hoc absolutè loquendo sufficere potest. Probatur prima pars : Ad fidem infusam prærequiritur aliquod judicium practicum prudentis credibilitatis, tum quia assensus fidei, utpote prudens, prærequirit judicium practicum prudentiæ; tum quia fidei debit debet præcedere imperium voluntatis, cui certè non minùs ac aliis voluntatis actibus prælucere debet dictamen certum. Sed non sufficit judicium duntaxat probabile; ergo. Confirmatur : S. Augustinus, lib. de Prædestinatione sanctorum, c. 2 : *Quis enim*, inquit, *non videat prius esse cogitare quàm credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi priùs cogitaverit esse credendum.* Sed cogitare esse credendum est judicium practicum, et quidem moraliter saltem certum, cùm S. Augustinus ibidem dicat illud cogitare esse ex gratiâ Dei, juxta illud 2 ad Cor. 3 : *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est;* ergo. Probatur secunda pars : Si non sufficere posset certitudo moralis, sed absolutè requiratur propria ac strictè talis evidentia; ergo id proveniret ex ipsâ rei naturâ, nempe vel quia generatim ad omnem actum bonum prærequiritur judicium practicum evidens, vel speciatim id exigit conditio et natura fidei infusæ : primum negant omnes, qui ritè distinguunt inter evidentiam et certitudinem; secundùm itidem negatur, tunc quia ratio firmitatis in assensu fidei non habetur ab hoc judicio practico, sed à revelatione et auctoritate divinâ, quæ appretiatur super omnia, sicut motiva aliorum motivorum theologicorum, tum quia hæc ipsa evidentia à plurimis auctoribus confunditur cum certitudine formidinem duntaxat prudentem excludente.

Dixi : Absolutè loquendo sufficere potest. Non enim nego, judicium credibilitatis reflexum evidens haberi posse, quin et illud plerumque adesse, si sit experimentale et reflexum supra certitudinem de existentiâ revelationis moralem, quam in mente experimur; inde tamen nihil sequitur, nisi evidentiam hujus dictaminis arguitivè ac illativè, aut materialiter potiùs, esse

necessariam; non autem formaliter ex parte ipsius fidei ac absolutè.

Observa : Quæ de serie actuum in fidei œconomiâ diximus, præcipuè pertinent ad eos qui primò credere incipiunt, aut mysterium aliquod, cujus notitiam antea non habuerant, recens fide credendum addiscunt : qui enim fidei actum prius jam frequentârunt, iis pristinæ cognitiones facilè sufficiunt, ut ubi objectum rursùs occurrit, intellectus per species relictas excitetur ad judicandum, id esse credibile et credendum. Præterea sicut judicium practicum sæpè duplex habetur, de credibilitate alterum, alterum de credenditate; ita è contrario facilè fit ut judicium practicum et speculativum in unum confluant, neque formaliter ac signatè inter se distincta sint.

Articulus II.

Qualis aebeat esse certitudo judiciorum actum fidei antecedentium.

Nota 1° : Certitudo, vel, ut alii passim loquuntur, evidentia credibilitatis, ex communi theologorum sententiâ comparativè ad diversum intellectum dividitur in absolutam et respectivam. Absoluta est, quæ tot tantisque motivis nititur, ut ista penetrata et ponderata sufficiant respectu cujuslibet intellectûs etiam sagacis et acuti, ad ingerendam cognitionem credibilitatis et revelationis existentis, excludentem omne dubium et formidinem prudentem de opposito; respectiva dicitur, quæ nititur motivis talibus vel ita consideratis, ut ea satis sint ad cognitionem, quæ exclu dat omnem de opposito formidinem prudentem, non quidem respectu intellectûs cujuscumque, sed alicujus duntaxat ratione particularis dispositionis, verbi gratiâ, quia vel puer, vel idiota, vel non admodùm sagax est, qui nequeat omnia ritè perpendere. Atque hæc certitudo in judicio credibilitatis potest dici practico-practica, quia reflectens supra statum revelationis in mente credentis proponit objectum, ut hìc et nunc ab ipso credibile; certitudo absoluta autem speculativo-practica, quia absolutè et universaliter proponit objectum ut prudenter credibile. Praxis porrò hujus respectivæ certitudinis sic evenire solet : pueri et indocti audiunt ex unâ parte parochum, catechistam, parentes, aliosque, inter quos versantur, constanter ac seriò affirmare Deum religionem nostram vel articulum particularem revelâsse, et exigere à nobis fidem firmissimam (si addatur unum vel alterum credibilitatis motivum, melius fit, et utique fieri debet) ex alterâ parte non occurrit illis aliqua ratio dubitandi aut formidandi, ne fortè instructores fallere velint aut fallantur; unde concipiunt notitiam divinæ revelationis excludentem omnem formidinem de opposito. Certitudine hâc directâ comparatâ progrediuntur ad judicium reflexum credibilitatis, præsertim ex illo principio evidenti, quòd pueri et rudes cùm ipsi res sufficienter discutere aut à falsis discernere nequeant, teneantur in rebus ad fidem et christianos mores pertinentibus sequi ductum eorum, qui ad illas res docendas vel à republicâ vel à naturâ constituti sunt; dummodò non appareat ratio positiva in contrarium.

Nota 2° : Ad judicium credibilitatis moraliter certum præter signa externa ac motiva concurrit etiam gratia actualis et illustratio Spiritûs sancti interna : eamdem aliquid conferre ad hujusmodi certitudinem satis colligitur ex D. Thomâ, hìc, q. 1, a. 4, ad 2, dicente : *Non enim crederet nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum vel propter aliud hujusmodi;* et q. 2, a. 9, ad 3 : *Inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ, miraculis confirmatæ, et quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis;* cui præluxisse videtur S. Augustinus, epist. 102 ad Evod., ubi docet rudes pervenire ad veram fidem *miris modis per altitudinem sapientiæ et scientiæ Dei.* Porrò modus adjumenti ab illustratione supernaturali provenientis triplex excogitari potest : primus est, si Deus per illam non solum intellectum directè circa signa credibilitatis et existentiam revelationis præteritæ illustraret, sed etiam per illam actu internè et reflexè revelaret se quondam hæc mysteria revelâsse; quo casu illustratio foret nova revelatio, adeòque per se motivum et lumen suasivum *ut quod* credendi; secundus est, si Deus reflexè illustraret credentem se habere tantam apparentiam internam et directam credibilitatem de revelatione divinâ verâ, quantam Deus non potest dare aut permittere de revelatione solùm existimatâ, quo casu illustratio rursùs esset novum motivum et lumen suasivum *ut quod* credendi, quia esset experimentale discerniculum, ut vocant, vel ratio per quam credens discernat revelationem veram à purè existimatâ; tertius est, si per illam Deus nec actualiter revelet mysteria hæc aliquando esse revelâta, nec reflexè illustret de tantâ apparentiâ credibilitatis internâ, quantam non potest permittere de revelatione purè existimatâ, sed solùm directè illustret circa vim motivorum credibilitatis, quo casu illustratio est lumen suasivum duntaxat *ut quo*, quia solùm subjectivè se habet, nec reflexè cognoscitur, nec etiam reflexè cognita habet se per modum motivi objectivi aut luminis suasivi *ut quod;* unde et hìc distinguimus præsentem illustratio nem ab illo discerniculo *ut quo*, quod exercitè faci talem propositionem articuli veri, ut nunquàm detu similis propositio articuli falsi, quodque quidem Sua rez dicit probabiliter asseri posse, communiùs tamen ab aliis negatur.

Nota 3° : Sententia negans certitudinem credibilitatis respectivam sufficere, duplici ratione ac viâ progreditur : secundùm priorem enim requirit certitudinem absolutam; secundùm posteriorem, certitudinem quidem respectivam admittit esse sufficientem, non tamen se solâ, sed unà cum illustratione certitudinis defectum supplente. Quamvis verò à plerisque facilè concedatur Deum ordinariè pueros ac rudes per illustrationem juvare modo tertio supra exposito, bina tamen auctorum classis hoc certitudinis adminiculo non acquiescunt : prima est hæreticorum, qui spiritum privatum pro fidei suæ regulâ applicante statuentes, exigunt illustrationis modum primum; secunda est Catholicorum quorumdam, qui alterum illustrationis modum tanquàm necessarium adoptant : inter hos,

secundùm Perez, rudis, proposito articulo vero, experitur in se quòd de eo dubitare non possit; proposito autem falso, quòd nequeat non dubitare; secundùm Pallavicinum, illustratio illa supernaturalis de se ipsâ, ubi verum articulum proponit, quasi dicit : Ego sum vox Dei, à naturâ non imitabilis, et reddo te certum quòd instructor hunc articulum docens verum dicat; secundùm Esparzam, res ita procedit : propositio mysterii revelati, dùm fit ab instructore fideli, est extrinsecè et quoad modum supernaturalis, quatenùs hæc substituitur fidei supernaturali et conceptui supernaturali de divinâ doctrinâ, à quo illa etiam propositio oritur. Porrò ex hâc in audiente supernaturaliter benè disposito nascitur cognitio illius conceptûs in instructore existentis, seu illuminatio supernaturalis et instinctus Spiritûs sancti; hujus denique beneficio rudis discernit quòd instructor verum mysterium docens proponat doctrinam divinam, unde tandem ad judicium credibilitatis determinatur.

Dico 1° : Sufficit certitudinem judiciorum, fidem infusam præcedentium, quo rudioribus esse respectivam. Probatur : Sufficit ea judiciorum certitudo, quam Deus instituit, et quâ fideles semper acquieverunt in negotio fidei; sed Deus respectu rudiorum instituit certitudinem respectivam, et ea fideles semper acquieverunt; ergo. Pars prima minoris patet ex Levit. 10, 11, et Deut. 1 ac 4, ubi Deus mandavit sacerdotibus docere populum legem et cæremonias; unde Malach. 2, 7, dicitur : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Deinde idem officium injungitur parentibus, Deut. 6, 7 : *Narrabis ea filiis tuis;* et 32, 7, dicitur minoribus : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi.* Denique Christus, Matth. 23, 1 : *Locutus est ad turbas et discipulos suos, dicens : Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite.* Pars secunda liquet ex plurimis exemplis credentium populi et parvulorum tum in veteri, tum maximè in novo Testamento, ubi ad simplicem verbi divini prædicationem, aut ad signa quædam certitudinem absolutam non præstantia fides sæpè ab auditoribus habita fuit; qualia in Act. Apostolorum passim prostant. Accedunt quotidiana exempla conversorum ab hæresi vel infidelitate rudiorum ad fidem, apud quos vel ingenii hebetudo vel prædicationis ratio sæpè majorem respectiva certitudinem aut non permittit, aut de se non affert. Confirmatur tum ex testimoniis S. Augustini supra laudatis; tum ex effectu hujus respectivæ certitudinis, qui est exclusio prudentis dubii ac formidinis de existentiâ revelationis.

Nec dicas 1° : Certitudo respectiva est communis articulo vero et falso, ut patet in casu, quo parochus eodem modo proponeret incarnationem Verbi et Spiritûs sancti, ergo non sufficit ad fidem infusam, sicut ad scientiam non sufficit certitudo communis objecto scientifico et non scientifico. Nec confirmatur primò : Certitudo et credibilitas respectiva habet prædicatum, quòd si cognosceretur, fundaret prudentem formidinem, scilicet posse convenire articulo falso : sed non sufficit ad fidem infusam certitudo et credibilitas, habens simile prædicatum; tum quia aliàs sufficeret notitia tantùm probabilis cum inadvertentiâ probabilitatis oppositæ; tum quia hæc certitudo fundatur in ignorantiâ; unde adveniente notitiâ de illo prædicato, prudenter repudiari posset assensus fidei supernaturalis, quod tamen proscriptum est ab Innocentio XI, in propositione 20 aliquoties jam recitatâ. Nec confirmatur secundò : Ut aliquid credatur fide divinâ : totâ Ecclesiâ, debet esse absolutè certum; ergo idem etiam dicendum est respectu cujuslibet fidelis. — Respondeo : Distinguo majorem : Certitudo respectiva, prout est in se circa articulum verum, est communis articulo vero et falso, nego; prout discernibiliter nobis apparet, concedo. Prior certitudo respectiva importat illustrationem divinam tum directam de articulo ut revelato, tum reflexam de ipsius credibilitate; hæc verò saltem directa illustratio circa articulum falsum dari nequit. Cùm verò credens non discernat inter illustrationem illam ac naturalem cognitionem de eodem objecto falsam, hinc, prout certitudo et credibilitas discernibiliter apparet, communis est articulo vero ac falso. Scientiæ certitudo importat evidentiam veritatis, adeòque communis esse nequit objecto non scientifico : è contra certitudo fidei potiùs evidentiam abesse desiderat; certitudo autem credibilitatis evidentiam ex dictis non exigit, sed sufficiens agnoscitur, si prudentem oppositi formidinem excludat. Ad confirmationem primam, respondeo : Transmissâ majore, nego minorem; nam 1° etsi hìc et nunc non detur advertentia ad probabilitatem oppositam, tamen qui probabiliter cognoscit, experitur se non certificari de objecto propter debilitatem motivorum quibus nititur; si verò ratione inadvertentiæ contingat intellectum firmiter adhærere objecto ejusmodi, jam non est cognitio formaliter probabilis, sed respectivè certa, et cum prudenti formidine incompossibilis; 2° certitudo illa per accidens et negativè tantùm in fundatur ignorantiâ, per se autem et positivè fundatur in auctoritate instructorum, et quorumdam motivorum credibilitatis, quibus multùm roboris addit divina illustratio; 3° sensus propositionis damnatæ, quo ab auctoribus tradita fuit, teste Cardenas, obscurus est, et quamvis propter sententiam nimis generalem per se damnari potuerit, tamen probabilius videtur fuisse hìc, quòd possit quis prudenter repudiare assensum fidei supernaturalem, quem priùs habuit, quantumvis maneat eadem, aut saltem æqualis apparentia veritatis et credibilitatis; ita enim colligitur ex contextu propositionis antecedentis, cum quâ per particulam *hinc* connectitur, et sequentis : nam propositio 19 hæc est : *Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in seipso sit magis firmus quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium;* 21 autem : *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitiâ tantùm probabili revelationis.* Unde patet sensum auctoris fuisse quòd assensus fidei sit merè probabilis, adeòque possit prudenter repudiari non

minùs quàm assensus probabilis, manente eâdem apparentiâ veritatis et credibilitatis, præsertim cùm repudiare non sit simpliciter dimittere aut amittere, sed nolle assensum, cùm haberi aut retineri possit. Jam verò nec certitudo respectiva est assensus probabilis, nec, stante certitudine respectivâ, repudiari juxta nos potest fides; quin sublatâ etiam certitudine, illa nequidem mutatio prudenter fieret circa assensum fidei verè talem; nam prudentia per se exigit ut rem semel pro articulo fidei habitam non facilè deseramus, sed veritatem priùs debitâ ratione indagemus. Hoc verò et, quod in se est, facienti Deus non deerit, sed illustratione suâ aut medio alio juvabit, ut assensum fidei supernaturalem semel elicitum possit prudenter retinere. Ad confirmationem secundam disparitas est; quia Ecclesia ex Spiritûs sancti assistentiâ habet infallibile donum, discernendi revelationem veram à falsâ, quod donum cuilibet fideli minimè datum est.

Nec dicas 2° : Certitudo respectiva est solùm negativa; stans in eò quòd rudis non habeat prudentem rationem dubitandi : sed hæc inprimis non sufficit ad eliciendum actum fidei, sicut non sufficit ad hoc ut credat quis se esse in statu gratiæ : deinde non impedit quominùs posset rudis non credere; cùm negando assensum non negaret, quæ Deus dixit, sed tantùm id esse à Deo revelatum, quod instructor proponit, atque hinc non faceret mendacem Deum, sed instructorem, nec contra fidem, sed contra pietatem peccaret; ergo. Nec confirmatur 1° : Rudis sub certitudine respectiva credens ita credit, ut, si contrarium ipsi proponeretur ab eodem vel majore instructore, crederet contrarium : sed sic credens non habet fidei firmitatem, quam requirit Apostolus ad Galat. c. 1, scribens : *Licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquàm quòd evangelizavimus vobis, anathema sit;* ergo. Nec confirmatur 2° : Multi infideles habent certitudinem respectivam suorum dogmatum; quia hæc illis per suos instructores eodem modo proponuntur quo rudibus nostris proponuntur veritates catholicæ; ergo, si respectiva certitudo sufficit, etiam infideles tenentur firmissimè credere sua dogmata : ergo et illa credunt supernâ Spiritûs sancti motione. — Respondeo : Nego majorem; sed est positiva, licet non absoluta quia rudis positivè scit parochum ad doctrinam cœlestem docendum esse publicè constitutum, idem credere alios Christianos, et parentes, quos ipsa natura ipsi magistros constituit; adeòque positivum fundamentum, et hinc certitudinem positivam, licet respectivam duntaxat habet. Hinc ad primum disparitas est; quia ad fidem de verâ pœnitentiâ aut statu gratiæ hominis particularis habendam non dantur positiva signa credibilitatis, nec præceptum divinum, hoc credendi, adeòque fides firmissima prudenter elici nequit; quæ tamen pro nostro casu interveniunt. Ad secundum respondeo : Sicut regi est injurius, qui legem sibi sufficienter propositam negat esse promulgatam, et quâvis transgressione culpam admittit, etiamsi regis auctoritatem ad leges credendas non neget; ita cùm incredulis condemnabitur, qui negat revelationem, in nostro casu rudibus sufficienter propositam, etsi veracitatem divinam non inficietur.

Ad confirmationem primam respondeo : Distinguo majorem : Rudis ita credit, hoc est, credit cum tali animo, ut, si contrarium proponeretur, illud crederet, nego; ita credit, ut fundet in nobis hoc judicium, quod, si contrarium proponeretur, illud crederet, concedo. Rudis ex notitiâ respectivè certâ de revelationis existentiâ non cogitat de illo casu, quo alius cum æquali apparentiâ instrueret illum de opposito, nec expedit, ut de illo cogitet : quin exercitè supponit, talem casum esse impossibilem. Nos tamen nihilominùs prudenter judicamus, ab eo tunc credendum esse falsum : sicut aliquando prudenter judicamus pœnitentem esse ritè dispositum, et is etiam firmissimum habet propositum non peccandi; quamvis nihilominùs etiam prudenter judicemus, eumdem superveniente gravi tentatione iterùm peccaturum. Ad illud Apostoli respondeo esse hyperbolen, et supplendum per conditionem hanc : si id fieri posset quare non intendit immobilitatem fidei pro illo casu impossibili, sed firmitatem de præsenti super omnia, ac præcipuè super auctoritatem judaizantium, seu qui Judaismum prædicabant : hæc verò apud Galatas insufficiens erat ad extinguendam certitudinem etiam respectivam, quam habebant ex prædicatione Apostoli.

Ad confirmationem secundam respondeo : Concedo antecedens; de infidelibus idiotis, distinguo primam consequentiam : Tenetur firmissimè credere fide supernaturali, quæ scilicet essentialiter est vera, nego; fide naturali ac humanâ, concedo. Hinc etiam distinguo secundam consequentiam : Illa credunt supernâ Spiritûs sancti motione, quæ sit ad conatum et imperium voluntatis, transeat; quæ sit ad actum credendi, proponendo illius objectum ut verum, nego. Concedimus itaque cum S. Augustino, et communiore sententiâ; dari interdùm ignorantiam invincibilem nostræ religionis in pueris et idiotis educatis inter hæreticos, iisque posse suam sectam proponi ab instructoribus ut moraliter respectivè certam : supponimus tamen, quòd facientibus, quod est in se, Deus non deneget gratiam ad credenda saltem necessaria necessitate medii. In eo etiam casu damus quòd infidelis ejusmodi debeat conari credere suam sectam ut revelatam à Deo, sicut invincibiliter judicans teneri se ad mendacium pro vitâ proximi tuendâ tenetur mentiri; sed tunc nec fides subsequens erit, nisi naturalis et humana, nec hìc intervenit illustratio divina, proponens objectum ut revelatum.

Dico 2° : Ut certitudo respectiva in rudibus sufficiat, non requiritur discerniculum experimentale. Prob. primum *universim*. Discerniculum hujusmodi gratis omninò statuitur, cum quia experientia illud non testatur, cùm rudium nullus id se expertum esse unquàm asserere est ausus, et quam certitudinem rudes fideles appellarent, ad eamdem etiam provocarent rudes sectarii; tum quia illud ratio nulla solida persuadet, partim quòd ad firmitatem ac certitudinem fidei habendam sufficiat certitudo, excludens omnem formi-

dinem prudentem à judiciis fidei actum præcedentibus, quæ per respectivam certitudinem præstatur, partim quòd firmitas fidei, utpote meritoria, non debeat provenire ex notitiâ experimentali revelationis divinæ, sed potiùs ex libero imperio voluntatis captivantis intellectum in obsequium auctoritatis divinæ obscurè propositæ. Confirmatur : Quia hoc discerniculo admisso, sequeretur 1° nec rudibus opus esse externa fidei regula, cùm per illum instinctum discernere possent verum Scripturæ sensum à falso, sicut parochi propositionem discernunt, nec aliis etiam necessarium esse controversiarum judicem, cùm ex unius pueri aut simplicis rustici responso res omnis decidi posset; 2° illitteratos feliciores esse theologis scientissimis, inter se non rarò dissidentibus circa propositionem an illa de fide sit, necne; 3° nullum rudem posse in hæresim merè materialem deflectere, cùm, stante hoc discerniculo, error non foret inculpabilis; 4° instructorem ex inculpabili errore falsum dogma proponentem continuò posse erroris à rudi coargui, etc.

Probatur secundum *speciatim*, et quidem contra Perez, 1° hæretici tam parùm sæpè dubitant de suis dogmatibus falsis, ac catholici de veris, illisque se adhæsisse appreciativè super omnia etiam post conversionem seriò testantur. 2° Vel illa experientia patet, ac est discernibilis, vel ambigua est, ac discerni nequit? Secundum dici nequit; alias non determinaret ad judicium evidens credibilitatis : neque primum, quia fidelium nemo, secluso speciali gratiæ privilegio, in se experitur miraculosam hanc dubitandi aut formidandi impossibilitatem. 3° Nemo experiri potest an possit vel non possit dubitare, nisi in ipso assensu fidei aut eo posito : cùm ergo judicium credibilitatis assensum fidei præcedat, illa indubitabilitas per discerniculum nequit afficere judicium credibilitatis. Contra Pallavic., 1° ejus discerniculum reipsà est revelatio privata, et quidem non tantùm mysterii, sed et miraculi, aliorumque signorum, ab instructore narratorum in mysterii propositi confirmationem; unde proximè saltem accedit ad spiritum privatum hæreticorum; 2° si non est revelatio, ergo debet esse vel illustratio subjectivè tantùm movens, ac non discernibilis; adeòque nihil à communi sententiâ eximium aut singulare dicitur : vel objectivè movet ac discernitur, atque hinc argumentis, ad universim probandum allatis opinio hæc jam devicta est; 3° vel rudes tenentur intellectum hoc instinctu illuminatum, submittere Ecclesiæ, vel non? Si secundum, pro rudibus inutilis est Ecclesiæ infallibilitas; si primum, ergo ut credant, scire debent quòd Ecclesia idem sentiat; adeòque ille instinctus ut abstrahens à definitionibus Ecclesiæ, non sufficit rudi ad judicandum articulum à parocho propositum super omnia esse credendum. Contra Esparzam : 1° Incredibile est rudem hàc viâ posse infallibiliter discernere supernaturalem assensum fidei in instructore, quem hìc ipse non nisi arguitivè dicere potest, utrùm supernaturalis sit; 2° rudis fide divinâ credere non posset articulum etiam revelatum, si instructor eum proponens tum temporis conceptum supernaturalem non haberet, aut hæreticus foret occultus, quantumvis doctrinam catholicam profiteretur, 3° quicumque rudis, Scripturam sacram legens, certus fieret per similem instinctum de vero ejus sensu; cùm verbum scriptum non minùs conceptui substituatur, ac voce prolatum.

Nec dicas 1° : Illustratio supernaturalis habet rationem testimonii et veræ locutionis divinæ internæ; hinc enim Psal. 84 Davîd dicit : « Audiam quid loquatur in me Dominus; » et S. Augustinus, tractatu 3 in 1 Epist. Joannis : *Sonus verborum nostrorum*, inquit, *aures percutit; Magister intus est.... si non sit intùs, qui doceat, inanis fit strepitus noster.... quos Spiritus sanctus intùs non docet, indocti redeunt.* Ergo est lumen suasivum ut quod. 2° Objectum fidei proponitur à parocho non nomine proprio, sed nomine Dei revelantis; ergo illustratio divina, vel ad ejusmodi propositionem, vel ad ejus perceptionem pertinens, fungitur officio revelationis. 3° Hoc ipso quòd illustratio dicatur aliquid conferre ad certitudinem, illa partialiter saltem facit judicium certum, adeòque rudis supra hanc certitudinem reflectens potest habere discerniculum articuli veri à falso per illustrationem. — Resp. : Ad primum, dist. ant. : Illustratio prophetica aut alia extraordinaria habet rationem locutionis ac testimonii divini, concedo; ordinaria et qualiscumque, subdist. : Habet rationem locutionis propriè et strictè talis, quæque objectivè et per modum motivi ac rationis formali moveat, nego; habet rationem locutionis minùs propriè talis, quæque subjectivè duntaxat et per modum comprincipii agat, concedo. De illustratione primi generis loquitur David, eamque non prophetis duntaxat et Apostolis, sed et sanctis aliis, ac præsertim martyribus, etiam rudibus ac puerulis, in fide ejusque professione constantibus, non nego datam sæpè fuisse, juxta illud Christi promissum, Matth. 10, 19 : *Nolite cogitare quomodò aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini.* Quin et ejusmodi illustrationem locum habere in perpetuo surdis ac mutis, aut aliunde non habentibus sufficientem certitudinem credibilitatis respectivam (inter quos etiam gentiles facientes, quod in se est, sed homine instructore carentes numerari possunt) maximè ad actum fidei circa necessaria necessitate medii eliciendum non abnuo; sed hæc extraordinaria et rariora sunt, imò in ordine ad judicia fidei prævia accidere non debent aut possunt, cùm ea aliàs statui deberent actus fidei formaliter tales. De secundi generis illustrationibus sermo est apud Augustinum, qui rectè illustrationem non foris duntaxat sonantem, sed intùs loquentem, præter externas duntaxat gratias à Pelagianis priùs admissas, exigit. In his verò asserendis minimè S. doctor laboravit ut iis prædicatum novæ revelationis aut discerniculi aut motivi objecti tribueret; sed potiùs vires illis ex parte subjecti vindicatum ibat, cùm has illustrationes non ad *faciliùs*, sed ad simpliciter, modo salutari scilicet ac supernaturali, intelligendum necessarias esse contenderet.

Ad secundum, nego antecedens : non enim requiritur ut parochus strictè loquatur nomine Dei, sicut

prophetæ olim loquebantur; sed sufficit quòd proponat doctrinam à Deo revelatam, confirmatam per miracula, et ab Ecclesiâ catholicâ creditam; hâc enim ratione rudis habere potest certitudinem respectivam quòd parochus veram doctrinam proponat.

Ad tertium, nego secundam partem antecedentis : quamvis enim rudis supra certitudinem de rebus ab instructore doctrinæ cœlestis reflectens possit habere discerniculum suæ adhæsionis ad hanc veritatem potiùs quàm ad aliam profanam, aut ab alio propositam, id tamen non præstat talem certitudinem, quæ nequeat adæquari ab adhæsione ad articulum fidei falsum; hinc per reflexionem etiam factam articulus à falso discerni nequit.

Articulus III.

An proxiè ad actum fidei requiratur pia affectio?

Dico : Ad omnem actum fidei supernaturalis et infusæ requiritur pia affectio seu voluntatis imperium immediatum, positivum et directum. Ita cum Suarezio, Lug., alii communiter. Probatur auctoritate : Ad Rom. 1, 5, dicitur : *Accepimus gratiam ad obediendum fidei :* obedientia autem pertinet ad voluntatem; unde S. Thomas in hunc locum, lect. 2, citans S. Augustinum, probat quòd *his quæ sunt fidei, voluntate consentiamus.* Ad Rom. 10, 10 : *Corde creditur ad justitiam;* ubi nomine cordis significatur voluntas, ut explicat S. Thomas, l. 1; unde Act. 8, 37, Philippus dixit : *Si credis ex toto corde,* hoc est, ex totâ voluntate, sicut de amore Dei ex toto corde præcepto intelligitur. Quæ quamvis detorqueri soleant in alium sensum, et explicentur aut de voluntate permittente, aut de mediatâ, tamen interpretatio hujusmodi, quæ nimis violenta per se intelligitur, apertè à S. Thomâ, hìc, q. 2, a. 9, ad 2, rejicitur. Araus. 2, c. 5, docet *initium fidei esse credulitatis affectum, eumque inesse nobis per inspirationem Spiritûs sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate.* Tridentinum, sessione 6, c. 6, ait : *Fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum credentes :* ubi libera voluntatis motio ponitur post conceptam ex auditu fidem, hoc est, post judicium credibilitatis. Augustinus, tractatu 26 in Joan. : *Multa,* inquit, *potest facere homo non volens; credere autem non potest, nisi volens;* et l. de Prædest. SS., c. 5 : *Non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ; sed quia in electis præparatur voluntas à Domino.*

Confirmatur ratione : 1° Ad assensum determinatum et positivum intellectûs requiritur causa positiva determinans : sed fides est talis assensus, neque illius determinans causa positiva est ipse intellectus, qui in obscuris ab alio determinari non debet : non est motivum, quia et hoc inevidens est, non obstantibus præviis cognitionibus : nec est objectum materiale, utpote quod, etsi etiam ipsum sæpè obscurum non foret, actum fidei non facit aut infert; ergo. 2° Assensus fidei debet esse liber et meritorius saltem moraliter et denominativè; ergo. 3° Quantumcumque etiam evidentiam habeant cognitiones præviæ, et quantumvis voluntas non resistat, illæ ad summum determinant intellectum ad assensum innixum illi evidentiæ, et quoad firmitatem proportionatum, minimè autem ad assensum obscurum innixum soli revelationi divinæ et firmiorem, quàm mereantur illa motiva; ergo præter illas cognitiones etiamnùm aliud requiritur, imperium nempe voluntatis.

Objectiones.

Objic. 1° : Intellectus movetur et rapitur à vero; ergo non à voluntatis imperio. Confirmatur 1° : Voluntas necessitatur ad amorem objecti, quod ut bonum quamvis inevidenter proponitur; ergo etiam intellectus ad assensum objecti quod proponitur ut verum licet inevidenter. Confirmatur 2° : Dæmones non habent piam affectionem, et tamen Jacobi 2, 19, credunt et contremiscunt : ergo fides absolutè haberi potest sine voluntatis imperio. — Resp. : Dist. maj. : Intellectus movetur et rapitur à vero evidenti, concedo; à vero obscuro, aut solùm probabili, nego. In his, ubi evidentia veritatis abest, subjectivè determinatur à voluntate per suum imperium quodammodò supplente defectum evidentiæ; quod quidem si fieri non posset, locum haberet propositio 19 ab Innocentio XI damnata.

Ad confirmationem primam, disp. est, quia obscuritas ac evidentia, quâ intellectui veritas proponitur, est quoddam malum intellectûs et quædam species negativa falsi, adeòque sufficiens est, ne rapiatur intellectus ad assensum; nam sicut voluntas solùm necessitatur ad amorem objecti, si proponitur ut bonum sine advertentiâ ad rationem mali seu positivi, seu negativi; sic etiam intellectus tantùm in ratione veri necessitatur. Obscuritas autem et inevidentia bonitatis non est malum voluntatis nequidem negativum, saltem ita proprium ac est malum intellectûs; adeòque non sufficit ad suspendendum exercitium amoris. Ad confirmationem secundam, resp. : Dist. ant. : Dæmones credunt actu fidei supernaturali, nego; naturali, subdist. : Qui sit liberum obsequium intellectuale ac præcisè respectu auctoritatis divinæ, nego; qui talis non sit, concedo. Dæmonum assensus ad res revelatas nec liber omninò est, nec unicè in auctoritate Dei revelantis nititur, cùm ex naturali intellectûs sui excellentia moralem saltem de fidei mysteriis aut de revelationis existentiâ habeant evidentiam; inde verò is etiam assensus in dæmonibus non est apprætiativè summus, sed proportionatus duntaxat motivis credibilitatis, adeòque ad illum non requiritur imperium voluntatis, quæ potiùs in illis veritati reluctatur.

Objic. 2° : Objectum formale fidei sufficienter applicatur intellectui, mediatè per signa credibilitatis, immediatè per illustrationem supernam; ergo superfluum est voluntatis imperium. Confirmatur 1° : Evidentia credibilitatis non relinquit locum positivo dissensui, quia determinat ad hoc judicium : revelatio non potest prudenter negari : sed etiam determinat ad hoc : assensus circa revelationem non potest prudenter omitti; ergo. Confirmatur 2° : Ad credendum

aliquid fide humanâ non requiritur pia affectio, dùm enim viri plures iique graves rem aliquam factam affirmant, intellectus sine voluntatis imperio ad consensum inclinatur : ergo nec ad credendum fide divinâ illa affectio requiritur.

Distinguo antecedens : Sufficienter applicatur, ut intellectus assentiatur ex determinatione objecti, nego; vis objecti formalis obscuri non est determinativa, sed duntaxat objectivè motiva, ita tamen ut hanc vim exercere nequeat nisi mediante voluntatis imperio et determinatione : uti patet in motivo merè probabili. Ad confirmationem primam, resp. : Dist. Determinat ad judicium quo asseritur non posse omitti assensum ob inhonestatem omittendi, concedo; ob fundamentum evidens et rapiens ad assensum, nego. Cùm judicium credibilitatis non afferat veritatis evidentiam, non excludit fundamentum omittendi, et licet asserat assensum non posse prudenter omitti, hoc ipsum tamen propter inhonestatem asserit, cum quo componi potest omissio imprudens, ut accidit quandocumque voluntas peccat omittendo actum præceptum. Ad confirmationem secundam, resp. : Dist. ant. Ad credendum fide humanâ non requiritur pia affectio seu voluntatis imperium in rebus quoad se facilè perceptibilibus et factibilibus, nullamque in credendo difficultatem afferentibus, transeat; in rebus arduis, extraordinariis aliisque, quibus præsertim vel rationes vel animi affectus repugnant, nego. Hujusmodi autem pleraque fidei mysteria esse constat. Præterea disp. est, quia objectum fidei humanæ non rarò est evidenter verum ; ipse assensus non adhæret objecto firmissimè; animus etiam credendi nec universalis est, nec passim in reverentiæ aut obsequii testimonium præstatur : objectum autem fidei divinæ saltem formale manet semper obscurum ; ipse assensus firmissimus et excedens firmitate meritum rationum ad fidem impellentium ; animi præparatio generalis ad credenda firmissimè etiam creditu difficillima ; protestatio denique reverentiæ et intellectûs captivatio in obsequium fidei semper adest ad meritum obtinendum.

Articulus IV.

An actus, fidem præcedentes sint entitativè supernaturales?

Nota. Primam mysterii, revelationis ac motivorum propositionem supernaturalem esse, videtur communis acceptio probare, quâ hæc nomine illustrationis supernæ usurpatur; pro examine autem loquitur illud, Act. 16, 14, de Lydiâ muliere testimonium : *Cujus Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur à Paulo.* Denique pro utroque judicio speculativo, altero quidem affirmante revelationis existentiam, altero affirmante mysterii credibilitatem, stat utriusque necessitas vel ad fidei actum ipsum vel ad piam affectionem requisita. Agimus verò hic duntaxat de piâ voluntatis affectione et judicio credibilitatis practico seu proximè dirigente voluntatem ad imperandum fidei assensum supernaturalem, quod aliàs judicium credenditatis appellatur.

Dico 2° : Pia affectio seu voluntas credendi est entitativè et quoad substantiam supernaturalis. Ita communis theologorum. Probatur argumentis iisdem, quibus necessitatem piæ affectionis ab auctoritate stabilivimus. His præter alia in tractatu de Gratiâ allata accedit testimonium S. Augustini, lib. de Sp. et Lit. c. 34, scribentis : *Visionum suasionibus agit Deus ut velimus et credamus... His ergo modis, quando Deus agit cum animâ rationali, ut ei credat (neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio, cui credat) profectò et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos*, etc. Confirmatur : Tum quia voluntatis imperium per se disponit, et immediatè ac necessariò inducit ad actum fidei supernaturalem, adeòque juxta communissimam in tractatu de Gratiâ doctrinam, debet et ipsum esse entitativè supernaturale : tum quia sicut actus fidei excedit vires naturæ, sic et voluntas efficax illum actum amplectendi easdem vires superat : tum quia hæc affectio et de se meritoria est, et rationem meriti tribuit assensui fidei.

Nec dicas 1° : Fides à Scripturâ et Patribus dicitur initium meriti et salutis : ergo affectio pia eamdem præcedens nequit statui meritoria, ideòque supernaturalis. Confirmatur : Ad judicium credentitatis supernaturale non prærequiritur voluntas supernaturalis imperans : ergo nec ante actum fidei supernaturalem requiritur. — Respondeo : Distinguo antecedens : Fides sumpta in abstracto, seu prout præcisè est actus intellectûs, dicitur meriti et salutis initium, nego; fides sumpta in concreto, seu prout fidei nomine intelligitur unum concretum morale, liberum ac meritorium, constans scilicet ex actibus fidei præviis, maximè voluntatis imperante, et intellectûs imperato, transeat. Patres initium meriti ac salutis tribuentes fidei non locutos unicè fuisse de assensu intellectuali, vel una controversia cum Pelagio ejusque reliquiis agitata abundè demonstrat. Dixi, transeat; partim quia nec fidem sic acceptam esse primam gratiam ac initium merendi, patet ex propositionibus Quesnelli damnatis, 26 : *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem*; 27 : *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum* : partim quia et ante fidem dispensantur infidelibus tempore opportuno et urgente præcepto sufficienter gratiæ, uti ostendit damnata ab Alexan. VIII : *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum : adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratiâ sufficiente.* Ad confirmationem, respondeo : Nego consequens ; disparitas est, quia judicium credentitatis, utpote actus plerùmque evidens, non est obsequium intellectuale liberum respectu Dei, quale tamen actus fidei tum à Scripturâ tum à Patribus statuitur; adeòque illud, ad imitationem hujus, nec requirit, nec præsupponit voluntatis imperium. Præterea dictamen illud spectat ad id genus actuum, quos in nobis Deus sine nobis liberè cooperantibus operatur; è contra fides, utpote meritoria, nonnisi liberè nobis cooperantibus ponitur; cùm verò libertatem hanc nec in se ipsâ formaliter habeat, nec ab intellectu obtinere

queat, voluntatis imperium præire necesse est à quo et liberi et meritorii denominationem participet.

Nec dicas 2° : Potest quis converti ad veram fidem propter regnum, divitias, aut alia commoda naturalia acquirenda, vel mala vitanda, ut experientia docet; sed talis intentio seu voluntas amplectendi fidem non est satem supernaturàlis; ergo. Confirmatur : Ipsa voluntas, etiam supernaturalis, credendi, potest imperari à voluntate venialiter malà; ergo et actus fidei poterit immediatè imperari à voluntate venialiter malà, ac consequenter naturali. — Resp. : Dist. maj. Propter illa naturalia vel acquirenda, vel vitanda potest quis mediatè et remotè converti, concedo; immediatè et proximè, subdist. : Potest quis converti ad fidei confessionem externam vel ad fidem merè humanam et naturalem, concedo; ad fidem internam, eamque theologicam et supernaturalem, nego. Possunt quidem illa motiva naturalia impellere hominem, ut indaget veritatem, et ex motivis credibilitatis ad judicia fidei prævia pertingat, quæ tandem pia affectio et fides subsequatur; ad ipsam verò fidem motivum seu objectum formale esse nequeunt, ut per se patet; neque etiam motivum impulsivum ex se sufficiens dici possunt. Cùm enim captivatio intellectûs et assensus firmissimus veritati obscuræ præstitus meritò inter opera ardua et libertati æquè ac nativæ volubilitati repugnantia ferè præcipuum locum obtineant; moraliter loquendo impossibile videtur, ut quis propter motiva ejusmodi sola fidem internam ac veram suscipiat. Hinc S. Augustinus, l. de Catechis. Rud., c. 5 : *Rarissimè accidit*, inquit, *imò verò nunquàm, ut quisquam veniat, volens fieri christianus, qui non sit aliquo timore Dei perculsus. Si enim aliquod commodum spectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando, vult fieri christianus; non fieri vult potiùs quàm fingere : fides enim non est res salvandi* (alii legunt *salutantis*, hoc est, assensum gestu significantis) *corporis, sed credentis animi*. Ex eo autem capite multò minùs illa motiva sufficiunt ad fidem supernaturalem, cùm hæc non sit sine gratiâ, gratia autem ordinariè donetur tempore opportuno, quod certò non habetur per illas intentiones prorsùs terrenas, aut etiam peccaminosas. Ad confirmationem respondeo : Transeat antecedens; nam propriè loquendo actio supernaturalis non potest fieri ex fine malo, sed duntaxat cum malo fine aut affectu. Nego consequens, disparitas est, quia in priori casu voluntas credendi honesta supponitur habere propriam libertatem et motivum honestum : adeòque de se, intrinsecè et formaliter sicut honesta est, sic etiam supernaturalis esse potest, quamvis extrinsecè ac denominativè etiam mala ab actu præcedenti dici queat : cùm verò ex adverso actus fidei de se ac intrinsecè liber non sit, ac proin nec formaliter honestus ac meritorius, nisi voluntatis imperium honestum ac moraliter bonum præcedat, nec fundamentum quidem adest pro actûs fidei supernaturalitate.

Nec dicas 3° : Si admittatur pia affectio supernaturalis debet etiam statui supernaturalis illius habitus : sed dici nequit qualis ille sit, et ad quam virtutem pertineat; ergo. — Resp. : Nego minorem : Sicut dictum est supra specialem esse honestatem propositam piæ affectioni, quæ scilicet reluceat in subjectione intellectûs ad auctoritatem loquentis et assensu revelationi præstando; sic etiam dicendum est, specialem dari virtutem moralem per se infusam, distinctam inprimis à reliqua virtutibus moralibus ob formale objectum diversum; deinde etiam diversam ab habitu fidei, qui ad intellectum pertinet, cùm illa sit propria voluntatis, quamvis mutuò conjungantur, nec unus sine altero habitu infundatur aut maneat; denique aliam omnino à charitate, utpote ab hâc separabilem, et ob defectum motivi divini non theologicam.

Dico 2° : Judicium credibilitatis practicum, seu dictamen credenditatis, est quoad substantiam supernaturale. Probatur : Juxta Apost. 2 ad Cor. 3, 5 : *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est* : quem textum concilia et Patres communiùs interpretantur de cogitatione per se ad justificationem et salutem pertinente ac disponente; qualis præ aliis omnibus dicenda est judicium practicum. Hinc Araus. II, cap. 7, sic loquitur : *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare; ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritûs sancti, hæretico fallitur spiritu, non intelligens illud Apostoli : Non quòd idonei sumus, cogitare aliquid ex nobis*, etc. Similiter S. Augustinus eumdem textum usurpans, l. de Præd. SS. c. 2, judicium credibilitatis esse supernaturale contendit; quin ex eodem evincit etiam alias cogitationes, affectionem voluntatis præcedentes à Dei dono proficisci; dum l. 2 ad Bonif. c. 8, sic scribit : *Cogitare aliquid, utique bonum, minus est autem cogitare quàm cupere. Cogitamus quippe omne quod cupimus, nec tamen cupimus omne quod cogitamus. Cùm igitur minus sit, cogitare quàm cupere, potest enim homo cogitare bonum quod nondùm cupit; et proficiendo postea cupere quod antea non cupiendo cogitavit : quomodò ad id quod minus est, id est, ad cogitandum aliquid boni, non sumus idonei tanquàm ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; et ad id quod est amplius, id est, ad cupiendum aliquid boni sine divino adjutorio idonei sumus ex libero arbitrio?* Confirmatur 1° : Sicut, juxta can. 4 concilii Carthaginensis, quod nomine Milevitani II aliàs laudatur, *donum Dei est scire quid facere debeamus*, sic idem etiam dicendum est de judicio practico credibilitatis, quo scimus, quid credere debeamus; cùm gratiam non minùs ad initium fidei, quàm ad operis exordium necessariam esse, constet ex dogmate Ecclesiæ contra Semipelagianos : ergo judicium illud supernaturale esse conficitur. Confirmatur 2° : Inter omnes cogitationes præambulas nulla est, quæ magis disponat per se, ac positivè inducat ad supernaturalem piam affectionem, quàm judicium practicum credibilitatis; sed nihil merè naturale per se ac positi-

vè disponere ac inducere potest ad su; ernaturale; ergo.

Nec dicas 1° : Judicium illud non exigit concursum gratiæ ratione objecti, quia obligatio credendi naturaliter cognoscibilis ac evidens est; nec ratione potentiæ, utpote quæ ex se vires sufficientes habet ad ejusmodi objectum cognoscendum; nec ratione piæ affectionis, tum quia sufficere potest naturalis cognitio voluntatem supernaturalem præcedens, tum quia supernaturalitas piæ affectionis non desumitur à cognitione dirigente sed à principio supernaturali influente. — Resp. Permissâ primâ et secundâ parte, nego consequens, quia desideratur auxilium gratiæ ratione ipsius cogitationis salutaris et ut expedit, quemadmodùm Arausicanum loquitur. Ad tertiam partem, nego assumptum. Quoad primam prob., rursùs nego assumptum ob rationem in conf. secundâ datam; cui accedit tum quòd sicut ad actum voluntatis spiritualem requiritur cognitio spiritualis, ad actum materialem potentiæ appetitivæ cognitio materialis; ita ad volitionem supernaturalem cognitio ejusdem ordinis præmitti debeat; tum quia aliàs ratio congruentiæ non adesset pro necessitate fidei supernaturalis ad placendum Deo contra Script. et concilia; cùm etiam hìc per cognitionem aut fidem naturalem posset quis moveri ad amandum Deum. Quoad secundam probationem, concedo assumptum, sed nego supp. quòd inde supernaturalitatem piæ affectionis deducamus aut hoc argumento utamur. Non enim arguimus sic : Cognitio prævia est supernaturalis; ergo et pia affectio : sed è converso pia affectio est supernaturalis; ergo et cognitio practica, tanquàm prævia dispositio ultima proportionàta.

Nec dicas 2° : Sive dicatur pia affectio sequi necessariò ad judicium practicum, sive non, potest colligi, judicium hoc non esse supernaturale; nam in primo casu quia nec pia affectio, nec fides essent liberæ ac meritoriæ, consequenter nec supernaturales, frustra omninò requireretur supernaturalitas judicii prævii; in secundo autem sequeretur voluntatem posse negligere suasionem judicii prælucéntis; unde et ex supposità judicii supernaturalitate profluceret hoc absurdum, quòd homo simul haberet actum supernaturalem et simul esset infidelis. Confirmatur : Rursùs pro hoc judicio statuendus esset habitus supernaturalis; qui tamen vel assignari non potest, vel pro libitu assignatus auget numerum supernaturalium sine necessitate. — Resp. 2° : Nego assumptum. Permissâ utràque probatione, nego, in secundo casu evenire majus absurdum, quàm ex eo quòd quis illustrationem ac motionem supernam, quam habet, non sequatur; aut intelligens obligationem servandi præcepta, ea nihilominùs violet. Ad confirmationem, resp. assignari inprimis à nobis pro habitu specialem prudentiam infusam, dictantem debitum et obligationem credendi; hanc verò ab habitu prudentiæ generalis infuso distinguimus; tum quia hic est directivus virtutum moralium, fidem sequentium, illa autem per se saltem fidei habitum præcedit; tum quia prudentia generalis superna amittitur peremte charitate, ad cujus comitatum æquè ac virtutes morales, pertinet; specialis autem nonnisi cum fidei habitu desinere videtur ex datâ proximè ratione. Deinde verò non multiplicari habitus sine necessitate, probat diversitas objecti formalis et modi tendendi, quæ non sinit hoc judicium practicum reducere ad habitum fidei, ut Thomistæ contendunt.

CAPUT II.

DE NATURA ACTUS FIDEI.

ARTICULUS PRIMUS.

An actus fidei supernaturalis necessariò sit verus?

Nota. Naturæ nomine solet hìc intelligi tum ipsa rei essentia, tum proprietas. De essentiâ fidei, hoc est, de objecto materiali formali et modo tendendi proprio dictum hactenùs; proprietates ejusdem sunt libertas, honestas, supernaturalitas et meritum; magis autem controversæ sunt veritas, certitudo et obscuritas; et de his agendum. Falsitas fidei haberi potest vel ex objecto materiali non ita se habente, ut creditur, vel ex objecto formali non existente, propter quod creditur. Unde hìc duplex quæstio proponitur : prima, an res à Deo revelata, etsi per se sit contingens, sit infallibiliter vera, absolutâ infallibilitate ex hypothesi divinæ revelationis? Secunda, an ad actum fidei supernaturalis sufficiat revelatio apparens tantùm et existimata? Prior porrò dependet à gemino hoc quæsito : An Deus non tantùm nunquàm falsum revelaverit, aut mentitus sit, sed et falsum revelare aut mentiri de potentiâ, ut vocant, absolutâ nequeat; posterior autem circa duos casus versatur, quibus revelatio reipsà non facta, existimari tamen ac apparere potest tanquàm facta; alter nempe est si objectum in se falsum vel impossibile, verbi gratiâ, quòd tota Trinitas sit incarnata per errorem putatur esse revelatum à Deo : alter si objectum quidem in se sit verum, non tamen à Deo revelatum, et nihilominùs per errorem revelatum esse judicetur.

Dico 1° : Deus falsum nunquàm revelavit, nec absolutè revelare potest; adeòque sicut objectum à Deo revelatum infallibiliter verum est, sic etiam fidei divinæ actus necessariò est verus ex parte objecti materialis. Probatur prima pars. Quamvis respectu creaturarum diversa et separabilia sint, dicere physicè falsum, dicere moraliter falsum, ac formaliter mentiri; hæc tamen in Deo sunt realiter idem, nec à se invicem separantur quia, primò, quidem Deus necessariò et infallibiliter scit esse falsum, quod physicè falsum est, adeòque illud dicens etiam scienter falsum diceret; secundò autem, quia Deus infallibiliter scit obligationem ortam ex dictamine suæ sapientiæ, quòd nempe sibi loquendum non sit contra veracitatem ac mentem suam, ne reddat se fide indignum adeòque dicens physicè ac scienter falsum mentiretur formaliter. Atqui Deum nunquàm esse mentitum, Scriptura testatur, Num. 23, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, neque ut Filius hominis ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? Locutus est, et non implebit?* Ad Tit. 1, 2 : *Spes vitæ æternæ quam promisit, qui non mentitur Deus.* Ad Rom. 3, 4 : *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cùm judicaris.*

Ad Hebr. 6, 17, 18 : *In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*, etc. ; ergo. Confirmatur : Deus nunquàm aliquid egit quod repugnaret alicui perfectioni divinæ, quia judice S. Ambrosio in Num. 23, *est impossibile Deo quod naturæ ejus contrarium est.* Sed si Deus aliquod falsum revelàsset, et ad illud credendum propter auctoritatem suam nos obstrinxisset, ut fieri implicitè in omnibus à Deo revelatis, alibi ostensum est, egisset contra veracitatem et sapientiam suam, ejusque dictamen ac obligationem ; ergo.

Probatur secunda pars : Deus necessariò ac essentialiter est infinitè sapiens, verax et bonus ; tum quia hæ sunt perfectiones simpliciter simplices, necessariò convenientes Deo, tanquàm enti secundùm omnem rationem infinitè perfecto : tum quia alioqui non foret Deus, seu ens quo excogitari non posset melius ; cùm ens, quod nec falli, nec fallere posset, Deo his perfectionibus destituto præstaret : ergo nec absolutè quidem revelare falsum potest. Inde enim illud est dictum Apostoli : *Impossibile est mentiri Deum*, et Augustinus, l. 22 de Civ. c. 25 : *Si volunt invenire quod Omnipotens non potest, habent prorsùs ; ego dicam : Mentiri non potest.* Confirmatur : Si Deus posset revelare falsum, non esset summâ fide dignus, neque nos teneremur illi firmissimè credere, consequenter corruerent omnia fidei nostræ fundamenta, fides nostra foret inanis, spes incerta, et securitas nulla. Sed Deus ob suas perfectiones simplices summâ fide dignissimus est, atque hinc meretur firmissimam à nobis credulitatem, ergo.

Si ais 1° : Sufficit ad fidei nostræ certitudinem, quòd Deus decreverit, verum semper loqui. Respondeo : Nego : tum quia, ubi Deus dicitur verax, et omnis homo mendax, oppositio veracitatis divinæ et mendacitatis humanæ non habet se unicè ratione actûs secundi, quandoquidem et plures homines mentiti non fuerint ; sed ratione potentiæ et actûs primi ; tum quia admissâ in Deo possibilitate revelandi falsum, certus omninò esse nequeo, an Deus hoc suum decretum revelando verum dixerit necne.

Si ais 2° : Sufficit Deum non tantùm dixisse se habere illud decretum, sed etiam gravi præcepto nos obligare, ut sibi hoc loquenti credamus. Resp. : Nego ; tum quia, si Deus falsum loqui potest, vel negatâ, vel non impediente perfectione divinâ, eadem aut similis non obstabit, quominùs ad illud credendum nos etiam obligare possit ; tum quia sicut Deus in oppositâ sententiâ dicere potest, se habere decretum, quod reipsà non habet ; sic posset etiam dicere se voluntatem nos obligandi habere, quæ tamen reipsà illi non adesset : adeòque homo certus minimè redderetur, utrùm fictè ac simulatè, an verè ac seriò Deus præcipiat. Quæ ratiocinatio congruit cum illâ S. Augustini, quâ, l. de Mendaci., c. 8, probat omnem naturæ ac doctrinæ institutionem destrui, si dicatur mendacium aliquando esse licitum : *Quomodò*, inquit, *credendum est ei, qui putat aliquando esse mentiendum, ne forsè et tunc mentiatur, cùm præcipit ut credamus. Unde enim scire potest, utrùm et tunc habeat aliquam causam, sicut ipse putat, mendacii..... Quo genere admisso atque probato, omnis omninò fidei disciplina subvertitur.*

Dico 2° : Actus fidei theologicæ supernaturalis necessariò requirit revelationem divinam actu existentem ; adeòque est necessariò verus etiam ex parte objecti formalis. Ita communissima.

Probatur : Nec fides propriè talis, nec fides theologica, nec supernaturalis denique haberi potest, ubi Deus reipsà objectum non revelavit, aut non est locutus. Pars prima patet ex naturâ et motivo fidei ; sicut enim vera scientia demonstrationem, ita fides locutionem requirit tanquàm specificativum suum essentiale : ergo illâ reipsà deficiente fides propriè talis haberi non potest, sed credulitas duntaxat quædam et conatus vel affectus credendi. Pars secunda liquet ex supra dictis ; quia fides theologica, quæ hoc prædicatum saltem à motivo participare debet, non affirmat unum objectum materiale, sed et ipsam revelationem divinam asserit ac credit : ergo, supposità revelationis absentiâ, et destituitur prædicato rationem actûs theologici conferente, et caret speciali suâ tendentiâ, adeòque non erit theologica. Pars tertia probatur : Sicut repugnat actus supernaturalis peccaminosus, sic etiam supernaturalis falsus implicat, quia non minùs in ordine divino per participationem, ad quem actus entitativè supernaturalis ab omnibus refertur, quàm in eodem ordine per essentiam imperfectio et intellectualis et moralis, habere locum nequit ; ergo actus fidei supernaturalis revelatione purè existimatâ niti non potest, cùm in casu primo ratione utriusque objecti, in secundo autem saltem ratione objecti formalis, actus falsus evaderet.

Confirmatur : Tridentinum, sess. 6, c. 9, loquens de actu fidei circa statum gratiæ, inquit : « Cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum : » quibus verbis si non decernit, saltem supponit, nec ex parte objecti, nec ex parte motivi, falsitatem in actu fidei theologicæ locum habere ; ergo, cùm falsus esset actus fidei saltem ex parte motivi, qui niteretur revelationi merè existimatæ, verus fidei actus revelationem divinam actu existentem exigit.

Objectiones.

Objicies contra primum : Teste Scripturâ Deus decipit Pseudoprophetas, Ezech. 14 : *Propheta cùm erraverit et locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum ;* utitur spiritibus malis ad decipiendos homines in peccati pœnam, ut docet S. Augustinus, l. 83 Quæst. q. 53, et liquet ex l. 3 Reg. 22 : *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum ;* et 2 ad Thessal. 2 : *Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio* ; fefellit, licet bis consultus, Judic. 20, Israelitas, eosque in errorem et cladem iteratam, à Benjamitis acceptam, induxit. Ergo Deus videtur mentitus esse, aut revelàsse falsum.

— Respondeo : Distinguo primam partem antecedentis : Deus decipit Pseudoprophetas negativè ac permissivè duntaxat, concedo ; positivè et activè, præcipiendo scilicet, infundendo aut intendendo mendacium vel deceptionem, nego. Sicut in tractatu de Peccatis ex infallibili Scripturarum fide, et naturæ divinæ sanctitate negavimus, Deum esse causam propriam ac per se auctoremque peccati, sic ex iisdem Scripturis ac sapientiâ veracitateque Deo essentiali negandum, Deum esse causam propriam et auctorem deceptionis vel mendacii. Porrò ex dictis ibid. intelligitur diversus modus, quo Deus se in rebus ejusmodi permittendis habere possit. Secundam partem distinguo similiter ; quod S. Augustinum attinet, is suum dictum ibidem apertè pluribus pro nostrâ sententiâ explicat ; ex his pauca ista sufficiant : *Non itaque Deus deceptor est, quod credere nefarium ac impium esse, quis non intelligat? Sed meritorum justissimus distributor, faciens quædam per seipsum, quæ illo solo digna sunt, eique soli conveniunt, sicuti est illuminare animas et seipsum eis ad perfruendum præbendo beatas præstare ; alia per servientem sibi creaturam, integerrimis legibus pro meritis ordinatam, quædam eorum jubens, quædam permittens, etc.* Eadem est responsio ad tertiam partem, quæ etiam simpliciter negari potest ; cùm enim neutra ex binis Israelitarum quæstionibus, quibus Deum consuluerant, versaretur de eventu prælii, clades iteratò accepta divinæ deceptioni minimè adscribi potest. Quòd verò spem eorum erroneè conceptam permiserit Deus, nec ejus veracitati nec sapientiæ repugnat ; quin illius permissionis justissima ratio fuerat, ut nempe peccata idolatriæ ab Israelitis priùs commissa, et eorum præfidentia culpabilis, quam, cap. cit., vers. 22, apertè docet, pœnis commeritis plecterentur.

Inst. 1° : Deus vel per se, vel per prophetas multa prædixit, promisit aut comminatus est, quæ caruerunt effectu ; sic, 4 Reg. 20, denuntiatum est Ezechiæ : *Morieris tu, et non vives.* Genes. 4, Caïno, timenti ne occideretur promisit Deus : *Nequaquàm ita fiet.* Jonæ 3, propheta nomine Dei minatus est : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.* — Respondeo : Distinguo antecedens : Deus reipsà et absolutè prædixit, promisit aut comminatus est quæ caruerunt effectu, nego ; vel reipsà non prædixit, vel conditionatè duntaxat, concedo. Exemplum secundum pertinet ad illa quæ Deus minimè prædixit ; Caïno enim non promiserat simpliciter libertatem à morte violentâ, sed solùm quòd à quolibet primùm obvio et impunè non esset occidendus ; sic enim textus habet, et quidem timori Caïni respondens : *Nequaquàm ita fiet : sed omnis qui occiderit Cain, septuplùm punietur.* Primum et tertium sunt exempla prædictionum conditionatarum, scilicet moriendum Ezechiæ, et Ninivitis esse percundum, nisi illius precatio humilis et horum sera pœnitentia intercessura sit. Tacitam autem conditionem hujusmodi tum promissionibus tum minis divinis fuisse sæpiùs adjunctam, probat et ipsa conditionis expressa mentio in aliis Dei prædictionibus, et eventus rerum prædictioni specie tenùs contrarius, ex quo velut à posteriori innotuit, prædictionem non fuisse absolutam et à conditione præcisam, cùm ex Scripturâ perfectionibusque divinis ejus infallibilitas ac fidelitas manifestè constet ; 2 ad Tim. 2, 13 : *Ille fidelis permanet, seipsum negare non potest.* Regula porrò universalis dignoscendi num promissa aut minæ divinæ sint absolutæ ac universales, an conditione tacitâ affectæ, vel cum quâdam exceptione intelligendæ (sæpiusculè enim occurrunt in Scripturâ propositiones non nisi in sensu morali universales, ubi, quòd parùm nihilo reputetur vox *omnis* pro plerisque aut ferè omnibus usurpatur), dari non potest ; sed disci ac colligi debent vel ex ipsis promissionis aut comminationis verbis aut circumstantiis, vel ex alterius Scripturæ comparatione, vel ex gravi ac evidenti ratione, vel etiam ex traditione aut declaratione Ecclesiæ.

Instabis 2° : Angeli, prophetæ et viri sancti mentiti sunt. Primum accidit in Raphaele, qui Tobiæ comitem se offerens, dixit se nomine *Azariam*, magni Ananiæ filium, unum ex filiis Israel, et quidem ex tribu Nephthali. Secundum in Michæâ, qui, 3 Reg. 22, regem Israel allocutus : *Vade prosperè*, inquit, *et tradet eam* (urbem Galaad) *in manus regis.* Item in Elisæo, qui, 4 Reg. 8, promisit sanitatem Benadad, quamvis eventus utriusque dicti falsitatem probârit. Tertium in Abrahamo et Jacobo, quorum ille, Genes. 14, cùm iret ad montem, filium immolaturus, et hinc rediturus solus, tamen famulis dixit : *Revertemur ad vos* ; hic verò pluribus mendaciis induxit Isaacum ut sibi benedictionem daret. Sed hæc mendacia ipsi Deo videntur adscribenda, cùm ea prolata fuerint ab illis instinctu Spiritûs sancti ; ergo. — Respondeo, non omnia dicta vel facta quorumlibet etiam sanctorum et patriarcharum, quæ in Scripturis narrantur, à mendacio vel peccato saltem materiali excusari ; Deoque proin inspiranti adscribi possunt : ad exemplum primum, Raphael vero sensu dicere poterat se esse Azariam, hoc est, *auxilium Dei ;* filium Ananiæ, hoc est, *obnubilati* seu *latentis Dei ;* unum ex filiis Israel, hoc est, *videntis Deum ;* ex tribu autem Nephthali et captivitate Ninive Tobiam seque esse dicebat angelus, intelligens locum et terminum à quo ambo venissent. Conformando nempe responsum ad interrogationem Raguelis : *Unde estis?* Tobiæ 7, 3. Alii addunt, Tobiam juniorem reipsà ex hâc tribu descendisse, angelum autem se ex eâdem dixisse, non quòd reipsà esset, sed Azariam repræsentaret, inde oriundum. Ad secundum, Michæam hæc dixisse, per ironiam, quæ ex proferendi modo aliisque circumstantiis etiam audienti innotuit ; unde Scriptura prosequitur : *Dixit autem rex ad eum : Iterùm atque iterùm adjuro te, ut non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Domini.* Elisæus autem rectè dixit morbum Benadadi non esse lethalem ; adjunxit tamen obiturum, nempe ex Hazaelis scelere, unde sic respondit : *Vade, dic ei : Sanaberis. Porrò ostendit mihi Dominus quia morte morietur.* Ad tertium, Abrahamum non esse contra mentem locutum, duplex explicatio probat ; vel enim de se duntaxat verba faciens more Hebræorum, et nunc etiam principum, plurali

usus est loco singularis : vel fide cognovit aut certè speravit, Isaacum brevi post immolationem suscitatum iri, ut promissiones de illo factæ implerentur. Jacobum reipsà adeòque non ex inspiratione divinà, sed permissione tantùm mentitum esse, multorum Patrum opinio est : à mendacio illum excusat S. Augustinus, l. contra Mendacium, c. 10, eò quòd ipse typus et figura Christi fuerit, atque hinc omnia ipsius facta et verba in illâ historiâ figuratam ac mysticam significationem gerant Christi et Ecclesiæ : S. Thomas autem in scripto secundo ad Hannibald. et in 3, dist. 28, quæst. unic., a. 2, ad 1, ex eo capite eumdem à mendacio vindicat, quia id significare intenderit, ad quod Spiritus sanctus verba ordinabat. Jam verò, cùm Jacobus, secundùm revelationem divinam, Genes. 25, Rebeccæ factam : *Major serviet minori*, nôsset se ordinatum ad benedictionem primogeniti referendam, dicere poterat se esse primogenitum repræsentativè, seu secundùm jus et Dei dispensationem, fecisse quod sibi, ut hâc ratione primogenito, Isaac præceperat ad obtinendam benedictionem : potuit etiam adhortari patrem ad comedendum de venatione suâ, sub hâc impropriè sumptâ intelligendo carnem hædinam ad ferinæ imitationem paratam.

Inst. 3° : Christus ipse et Scripturâ sacra videntur multa falsa dixisse, et sibi sæpiùs contradixisse : Joan. 7 : *Non ascendo ad diem festum ipsum;* quamvis postea ascendisse legatur. Eccli. 49 : *Præter David et Ezechiam et Josiam omnes peccatum commiserunt;* cùm tamen et horum quædam alibi prodantur : Joann. 5 : *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*, et Joan. 8 : *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum;* Jeremias, 22, de Jechoniâ : *Scribe virum istum sterilem... nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Judâ;* cùm tamen 1 Paral. 3 dicatur : *Filii Jechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia*, etc., ac 1 Esdr. 2, Aggæi et Matth. 1, *Zorobabel filius Salathiel* legatur fuisse dux Israelitarum è captivitate redeuntium. Ergo. — Respondeo : Nego antecedens; ad exemplum primum, Christus unicè dixit se non ascensurum eo modo quo ascendere rogabatur, scilicet in comitatu fratrum suorum se rogantium, ac publicè ad gloriam suam manifestandam; hinc mox subjicitur : *Et ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.* Ad secundum, hoc elogio non omne, sed idololatriæ duntaxat peccatum excludebatur, quod, quia gentis Hebrææ quasi proprium et reliquis regibus commune fuerat, hic ab Ecclesiastico per antonomasiam intelligitur. Ad tertium, textûs primi sensus hic est : Si solus ego de me testimonium perhiberem, vestro quidem judicio (loquebatur enim Christus ad sententiam et confessionem Judæorum), non foret verum, hoc est, fide dignum; secundi autem sensus est, reipsà testimonium Christi esse verum, tum quia ex suâ naturâ falsum dicere non poterat, suamque ob auctoritatem merebatur omnem fidem; tùm quia non ipse solus, sed Pater cum et de ipso testabatur. Ad quartum, posteriora textûs membra docent nullam hic subesse antilogiam, cùm Deus non fuerit Jechoniæ comminatus sterilitatem absolutam et corporis, quâ negarentur proles qualescumque, sed respectivam et nominis, quâ negabantur proles et hæredes potestatis regiæ aut supremi magistratûs in Judâ. Id verò ex communi sententiâ contigit, eò quòd in diebus Jechoniæ de semine ejus non fuit vir, hoc est, filius, qui sederit super solium David, et potestatem habuerit in Judâ, Salathiele scilicet absque dignitate et in captivitate mortuo, quamvis Zorobabel ejus nepos prærogativam ducis in Judæam reversorum sit nactus. Alii cum P. Berruyer planiùs rem componunt, qui originem Salathielis et Zorobabelis, quorum inter duces et progenitores Christi Aggæus et Matthæus meminerunt, deducunt ex Johanan, seu Jechoniâ, primogenito Josiæ filio; non autem ex Jechoniâ, Joakimi filio et Josiæ tantùm nepote, quem minæ divinæ apud Jeremiam feriebant. Præterquàm enim, quòd Deus non videatur præservâsse singularem illam nasciturî olim Dei avorum prærogativam totiès maledictæ illi generationi, quam nec minimâ quidèm dignitate inposterum eximiam voluit; ægrè profectò genealogia à S. Matthæo pertexta et ab Aggæo duntaxat indicata conciliari potest cum illâ, quæ de junioris Jechoniæ posteris in Paralip. l. c. refertur. Plura de his interpretes, et Scriptura dogmaticè ac polemicè explicata.

Obj. 2° : Dolus non est intrinsecè malus; tum quia datur dolus pius : tum quia à S. Paulo est adhibitus dicente, 2 ad Cor. 12, 16 : *Cùm essem astutus, dolo vos cepi.* Ergo nec mendacium intrinsecè malum est : consequenter Deo est possibile. Confirmatur primò : Mendacium tantùm est malum, quia est prohibitum : ergo seclusâ prohibitione non erit malum. Sed Deo nihil est prohibitum, cùm superiorem non habeat : ergo mentiri Deo non est malum. Secundò, Deus Jacobo dispensavit in lege non mentiendi, ut Innoc. III, c. *Gaudeamus*, de diversis innuit : ergo à fortiori poterit ipse mentiri. — Respondeo : Nego antecedens; ad probationem primam distinguo : Datur dolus impropriè talis, qui dicitur bonus propter finem bonum eo intentum, concedo; datur dolus pius, qui sit propria deceptio, nego. Neque hic etiam moraliter pius seu bonus dici potest, cùm finis quantùmlibet bonus non excuset medium malum. Ad secundum nego assumptum : Hæc enim ab Apostolo non dici asserendo, manifestum facit ipse contextus. Ad Confirmationem primam respondeo : Distinguo antecedens : Mendacium est malum in creaturâ, quia est prohibitum lege scilicet tam naturali quàm positivâ, concedo; est malum in Deo, nego; equidem ubi non est lex, ibi non est prævaricatio; adeòque cùm respectu Dei lex propriè talis locum non habeat, nec in eo propriè peccatum datur : quia tamen voluntas nec mentiendi nec fallendi necessaria, ex Dei essentiâ et perfectionibus promanans, eum à mendacio non minùs impedit, ac lex aliqua, si daretur, abstinere posset; inde est, cur Deus non tantùm nequeat mentiri, sed et mendacium necessariò prohibeat, à quâ ratione mendacium forma-

liter malum esse in tractatu de actibus humanis ostenditur. Ad secundum respondeo Innocentium non dicere, dispensatum fuisse cum Jacobo ut mentiretur, sed ipsum excusari posse à mendacio, quia divinâ revelatione illi concessum erat, ut ejus verba verum sensum haberent, ideòque sine mendacio ita loqueretur : unde idem pontifex videtur supponere sententiam SS. Augustini et Thomæ tanquàm veram, non autem in aliorum Patrum sensu esse locutus.

Inst. 1° : Deus potest mendacium præcipere, ut patet in eo, qui invincibiliter putat mendacium ad salvandam suam vitam licitum, quia hìc lege naturali, ac consequenter divinâ tenetur mentiri : ergo etiam ipse mentiri poterit. — Respondeo : Nego assumptum; ad probationem distinguo : Tenetur lege naturali ac consequenter divinâ per accidens mentiri, et quidem prout mendacium in esse intentionali per judicium erroneum apparet bonum et licitum, concedo; per se tenetur, et prout reipsà mendacium est moraliter malum, nego. (Vid. Tract. de Actibus humanis.) Meritò Job, 13, 7, amicis objicit : *Numquid Deus indiget vestro mendacio?* et Plato, lib. 2 de Republicâ, statuit Deo semper indignum fore mendacium, etiamsi homini interdùm utile esse possit, quod testimonium etiam ethnicis à naturâ inditum laudat, lib. 6 Strom., Clemens Alexandrinus.

Instabis 2° : Deus potest in loquendo uti restrictione mentali; imò càdem usus est in comminatione per Jonam Ninivitis factâ; nec minùs eam adhibuit Christus, dùm, Marc. 13, interrogatus de die judicii, respondit : *De die autem illo vel horâ nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Ergo et mentiri poterit, quia per mentalem restrictionem audiens æquè decipitur, et loquens decipere intendit, ac per mendacium. — Respondeo : Distinguo antecedens : Deus potest uti, et de facto usus est restrictione purè mentali, nego; restrictione non purè mentali, concedo. Restrictio mentalis generatim describi potest unius alteriusve vocis reticentia, quâ fit ut verba exteriùs prolata, si per se præcisè considerentur, sensum falsum aut saltem sensui loquentis contrarium contineant, quamvis eadem cum verbis quæ mente reticentur, conjuncta, sensum verum vel menti loquentis conformem exprimant. Restrictio purè mentalis est quando sensus qui mente loquentis retinetur, ab audiente, quantùmvis attento et intelligente, percipi nullo modo potest, eò quòd nec verbis à loquente exprimatur, nec à circumstantiis hìc et nunc occurrentibus significetur, ut si quis rogatus an Petrum à se visum viderit, respondeat se non vidisse, subintelligendo non pedibus, sed oculis vidisse. Non purè mentalis est, quando sensus mente loquentis retentus ab auditore attento ac perito saltem ex circumstantiis colligi potest, licet humanis verbis non proferatur, ut si sacerdos rogatus de peccato in confessione audito, respondet se non audivisse, subintelligendo se non audivisse ita ut alteri revelare possit : nam licet hunc sensum verba *per se* non significent, ipsa tamen confessarii et confessionis circumstantia est ejusmodi ut prudens quilibet ac peritus hunc sensum cognoscere queat. Jam verò restrictio purè mentalis à mendacio non differt, ut declaravit Innocent. XI, damnans hanc ordine 26 : *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab eâ in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec perjurus est.* Nam in ejusmodi locutione verba de se, *spectatis omnibus circumstantiis*, sensum falsum, aut menti loquentis oppositum habere, per se liquet : eadem verò verba ut conjuncta cum eo quod loquens occultè subintelligit, nec alium sensum faciunt; etenim quæ occultè omninò subintelliguntur, sicut audienti per nihil innotescunt, ità pariter nihil significant; adeòque mutare vel modificare nequeunt sensum locutionis externæ, ac consequenter utens tali locutione nequit prudenter intendere, nisi ut audiens habeat judicium falsum, idemque judicet esse in mente loquentis, quod ipse vi verborum intelligit.

Unde iisdem argumentis evincitur, Deum non posse uti restrictione purè mentali, quibus supra ostensum mentiri non posse : ob contrariam tamen rationem illi permissus est usus restrictionis non purè mentalis : ideòque is in omnibus Dei locutionibus, restrictionem mentalem connotantibus, supponi potest ac debet, præsertim cùm aliunde intelligamus, circumstantias plerùmque aliquas Dei ac Prophetarum verba esse comitatas, quæ auditores facilè in notitiam qualemcumque sensûs in mente retenti ducerent. Sic Ninivitis non defuisse aliquid circumstantiarum, ex quo prudenter colligerent, decretum divinum de subvertendâ urbe non esse absolutum, satis liquet tum ex edicto regis Ninivitarum pœnitentiam imperantis, tum ex illâ ejusdem clausulâ : *Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur à furore iræ suæ, et non peribimus?* Similiter discipuli poterant ex circumstantiis prudenter colligere, quòd Christus solùm loquatur de scientiâ extremi judicii ex ordinatione Patris communicabili, non autem de scientiâ simpliciter tali : ex unâ enim parte sciverant, Christum etiam secundùm humanitatem habere scientiam rerum omnium ad ejus dignitatem pertinentium; ex alterâ autem à Christo audiverant, Deum velle occultum habere, et Apostolis non esse conveniens scire judicii diem. Hinc S. Augustinus, l. 83 Quæst., q. 60, scribit : « Ideò benè accipitur id quod dictum est, solum scire Patrem, sic dictum esse, quia facit Filium scire : et quod est, nescire Filium, sic dictum esse, quia facit nescire homines, id est, non prodit eis, quod inutiliter sciunt. »

Instabis 3° : Licèt æquivocatio et amphibologia in loquendo repugnet sinceritati, et illâ admissâ non staret firmitas fidei nostræ, cùm semper formidare possemus an Deus æquivocatione non fuerit usus, aliudque revelare intenderit, eâ tamen Deus, juxta communissimam omnium, uti potest; ergo, non obstantibus rationibus ferè similibus, Deus etiam mentiri poterit. — Respondeo 1° : Concedo antecedens, ex supposito quòd non intendatur, et sic per se so-

quatur deceptio, sed permittatur ea tantum, et sequatur per accidens. Locutio æquivoca vel amphibologica ea dicitur, quæ verbis constat plures sensus habentibus ex quibus quandoque contingit unum esse verum et à loquente intentum, alterum falsum et ab audiente acceptum; item unum obvium et frequentem, alterum rariùs usurpatum et infrequentem, unde perinde hìc nobis est an sit æquivocatio strictè dicta ubi scilicet verbum prolatum ex ipsâ hominum institutione habeat duplicem significationem; an autem sit æquivocatio minùs strictè dicta seu amphibologia, cujus duplex significatio ex alio capite, nempe circumstantiâ loci, temporis, rei aut personæ accipitur, aut per tropos ac figuras etiam fit. Ex hâc ipsâ autem descriptione liquet, locutionem ejusmodi de se non esse mendacium, atque hinc ex isto capite nec hominibus semper prohibitam, nec Deo indecentem. Quæ porrò conditiones requirantur ut hominibus licitus sit æquivocationis aut amphibologiæ et restrictionis etiam non purè mentalis usus, hujus loci non est definire; nobis hìc sufficiat in Scripturâ à Christo aliisque sanctis usurpatas, ac per Patres plurimos, maximè S. Augustinum, ab omni vitio liberatas esse locutiones, 1° hyperbolicas, juxta illud Genes. 22 : *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli et arenam quæ est in littore maris;* 2° dissimulatorias veritatis juxta illud Abrahæ dicentis *Saram sororem suam*, et Samuelis : *Ad immolandum Domino veni;* 3° ambiguas, juxta illud Christi : *Solvite templum hoc*, etc.; *Lazarus amicus noster dormit;* 4° figuratas, juxta illud Jacobi : *Ego sum Esaü*, etc.; 5° mysticas, juxta illud Raphaelis : *Ego sum Azarias, magni Ananiæ filius;* 6° cum restrictione non purè mentali conjunctas, quales de Christo negante, se *ad diem festum ascendere*, ac *judicii horam scire*, supra explicavimus, etc. — Respondeo 2° : Nego suppositum antecedentis; nam 1° quidem, licet sinceritas obliget ad mentem clarè aperiendam, si quis hanc alteri clarè aperire aliunde tencatur, tamen locutio ambigua sinceritati non repugnat, ubi quis mentem clarè aperire non tenetur, sed potiùs prudentem finem habet eam occultandi, qui quidem Deo negari nequit ad meritum fidei, Scripturarum studium diversi sensûs utilitatem præstandâm, præsertim cùm hujus rei admoneamur ab ipsâ Scripturâ. 2° Falsum est fidei nostræ ex hoc aliquid firmitatis decedere : non enim tenemur credere nisi quæ Deus clarè proponit, neque determinatè credimus, nisi constet ea determinatè in sensu revelationis contineri; si quid verò circa fidei mysteria dubii sensûs aut obscuri locutio habeat, tum sensus verus, tum certus haberi potest per Ecclesiam, utpote fidei regulam infallibilem, unde formido locum habere nequit.

Instabis 4° : Deus potest homini infundere, aut in eo per se causare errorem saltem speculativum; ergo et potest hominem verbis decipere ac mentiri. — Respondeo : Nego antecedens, tum quia sicut repugnat primæ veritati infundere homini mendacium sic etiam videtur repugnare ut infundat errorem cùm error non minùs ac mendacium veritatem primam dedeceat, tum quia per se et scienter producens in alio errorem, virtualiter mentitur, cùm virtualiter loquatur, licet ab audiente non advertatur loqui. Hinc sicut dùm in Scripturâ dicitur Deus *excæcare* hominem, Patres constanter exponunt de permissione divinâ, et directam aut per se factam excæcationem Deo minimè convenire posse statuunt, sic idem dicendum est de erroris productione, cùm inter hanc et excæcationem planè nullum discrimen reperiatur.

Obj. contra secundum : Actus formalis virtutum moralium potest versari circa falsam existimationem, ut patet in largitione eleemosynæ pauperi duntaxat putatitio factæ; ergo etiam actus fidei potest versari circa testimonium falsò existimatum. Confirmatur : Existimans revelatum esse, quòd beatitudo consistat in visione Dei oculis corporeis perficiendâ, circa hanc beatitudinem potest elicere spem theologicam et supernaturalem : ergo etiam fidem ejusmodi; cùm spes theologica fidem divinam supponat. — Respondeo : Distinguo antecedens : Potest versari circa falsam existimationem, quæ tamen relinquat sufficientem motivi et objecti formalis proprii rationem et applicationem ad movendam potentiam, concedo; quæ eam tollat, nego; primum quandoque contingit in actibus virtutis ad voluntatem spectantis, secundum verò in fide; unde et disparitas est. Nam quamvis judicium speculativum de verâ paupertate aut jejunii præcepto sit falsum, tamen judicium practicum prudentiæ verum est, quod dicit honestum esse, dare eleemosynam homini, qui probabiliter videtur pauper; cùm itaque actus misericordiæ tanquàm actus practicus et virtutis moralis nec veritatem suam desumat à conformitate sui cum ipsâ re, sed cum rectâ ratione, nec pro objecto formali ac motivo habeat paupertatis existentiam, sed honestatem illam expositam; etiam supposito judicio speculativo falso, adest sufficiens motivi vis et applicatio ad movendam potentiam. Fides è contra est actus speculativus et intellectualis, adeòque veritatem suam ab objecto verificationis, seu conformitate cum ipsâ re desumit, et pro objecto formali habet veritatem primam revelantem; quæ si reipsà non adsit, sed existimetur duntaxat, falsa existimatio hoc ipso tollit motivi vim et applicationem ad potentiam movendam. Ad confirmationem respondeo : Nego antecedens; quia spes theologica et supernaturalis non se extendit, nisi ad ea quæ sub ipsius objectum formale cadunt; hæc autem ea una sunt quæ vera fide theologicâ credimus à Deo esse promissa; unde sicut fide theologicâ ac supernaturali credi non possunt, nisi verè revelata, ita nec spe theologicâ et supernaturali possunt expectari, nisi verè promissa.

Instabis 1° : In casu quo quis invincibiliter existimat Deum revelàsse aliquid quod in se est falsum, simulque judicat se ad id credendum obligari, simplex ejusmodi tenetur credere; ergo potest, quia ad impossibile nemo tenetur. Confirmatur 1° : Voluntas credendi in hoc casu est supernaturalis, in eamque influit habitus piæ affectionis ad fidem infusam; ergo etiam ea

sensus intellectualis, qui per illum imperatur, foret supernaturalis, et ab habitu infuso procederet. 2° Rudis hic eliciendo actum fidei, haberet meritum; ergo et actum fidei supernaturalem.—Respondeo : Distinguo : Simplex ejusmodi tenetur credere eo modo quo potest, concedo; aliter quàm reipsà possit, nego. Quamvis itaque putet se teneri ad actum fidei verum et supernaturalem, tamen reipsà non tenetur nisi ad actum naturalem et falsum, quem etiam elicere potest. Talem autem ad falsum etiam obligationem indirectam et per accidens duntaxat invectam dari posse, constat ex tractatu de Actibus humanis. Ad confirmationem primam, aliqui negant Deum in hoc casu ad credendi voluntatem concurrere, aut habitum piæ affectionis infusum hoc permittere, utpote cujus natura sit esse instrumentum Spiritûs sancti moventis voluntatem ad veros, minimè autem falsos, fidei actus imperandos; unde, juxta eosdem, homo illâ ignorantiâ vel errore laborans, tenebitur credendi voluntatem elicere, qualem reipsà potest, nimirùm naturalem. Communiùs tamen, transmisso antecedente, negatur consequens. Disparitas eadem est quæ modò de actibus virtutum moralium data est, ad quod genus etiam affectio pertinet. Quare, cùm illa credendi voluntas immediatè non reguletur per existimationem revelationis sive veram, sive falsam, sed per judicium prudentiæ infusæ de æquitate et obligatione credendi, quod in præsenti casu practicè applicatum, tametsi speculativum judicium falsum supponat, verum est; nullum inconveniens oritur, si voluntas credendi tum supernaturalis esse, tum ab infuso piæ affectionis habitu procedere dicatur; cùm tamen è contrario, præter illa in probationibus allata, sequeretur actum falsum esse à Deo ut auctore et causâ per se, nosque nunquàm certos in fide nostrâ fieri posse, si revelatio purè existimata ad fidem supernaturalem sufficiat. Ad confirmationem secundam respondeo : Distinguo antecedens : Habet meritum ex ipso actu credendi, nego; meritum ex imperio voluntatis ortum, seu quatenùs liberè vult captivare intellectum in obsequium divinæ auctoritatis, quam quidem falsò judicat esse locutam, concedo antecedens, et nego consequens, quia ex dictis ipse assensus intellectualis non esset entitativè supernaturalis, sed ad summum denominativè, denominatione extrinsecâ aliquo modo desumptâ à prædictâ piâ affectione.

Inst. 2° : Poterant Judæi ante Christi adventum credere fide infusâ Christum esse venturum, et ille actus poterat perseverare post Christi adventum. Sed post Christi adventum fuisset falsus : ergo actus falsus potest esse fidei supernaturalis. Confirmatur : Si quis ex falsâ revelationis propositione crederet Filium et Spiritum sanctum esse incarnatum, haberet actum falsum simul et supernaturalem; ergo. — Respondeo, nego minorem : Nam actus ille semper respexisset idem tempus, in quo fuit primò elicitus, et comparativè ad hoc tempus Christum futurum affirmavit. S. Thomas, hìc, q. 1, a. 3, ait : *Dicendum quòd hoc ad fidem credentis pertinebat post Christi nativitatem, quòd crederet eum quandoque nasci; sed illa determinatio temporis, in quâ decipiebatur, non erat ex fide, sed ex conjecturâ humanâ; possibile est enim ex conjecturâ humanâ, hominem fidelem falsum aliquid æstimare; sed quòd ex fide falsum æstimet, hoc est impossibile.* Ad confirmationem, respondeo : Si ejusmodi credens habet duos actus distinctos de memoratis objectis, alter est verus et supernaturalis, alter falsus et naturalis; si autem unico duntaxat actu indivisibili copulative objectum utrumque affirmat, is simpliciter falsus est, ideòque ex dictis minimè supernaturalis.

Articulus II.

An actus fidei supernaturalis sit certus.

Nota : Veritas desumitur à conformitate actûs cum objecto; certitudo autem ab infallibilitate proficiscitur, quæ excludendo formidinem reddit intellectum certum. Formalis est ineluctabilis et necessaria conformitas actûs cum objecto, unde etiam certitudo inhæsiva, seu inhæsionis, et infallibilitatis, seu indefectibilitatis à vero dicitur. Subjectiva est imperturbabilis et immobilis alligatio vel adhæsio intellectûs ad objectum, seu firmitas quâ intellectus objecto adhæret, excludendo omne dubium ac formidinem; unde etiam certitudo adhæsiva, seu adhæsionis, firmitatis item ac indubitabilitatis vocatur. Objectiva est infallibilis sic se habentia objecti, stans in eo vel quòd objectum antecedenter et in seipso non possit aliter se habere, vel quòd ratio objectiva assentiendi talis sit ut ei non possit subesse falsum. De certitudine formali et subjectivâ actûs fidei, hoc est, de infallibilitate et indubitabilitate, eâque tam absolutâ et positivâ quàm respectivâ et comparativâ, nobis duntaxat sermo est.

Dico 1° : Actus fidei supernaturalis est certus certitudine infallibilitatis ac indubitabilitatis. Probatur prima pars, quia concilium Tridentinum, sess. 6, tum c. 9, tum can. 16, supponit infallibilem et absolutam certitudinem haberi per fidem, ubi dicit nullum scire posse certitudine fidei, cui nequeat subesse falsum se gratiam Dei consecutum, et damnat dicentem se certò, absolutâ et infallibili certitudine, habiturum donum perseverantiæ, nisi ex speciali revelatione id uterque didicerit. Confirmatur : Actus intrinsecè connexus metaphysicè cum objecto ita se habente, ut ipse enuntiat, est actus formaliter certus certitudine metaphysicæ infallibilitatis; sed actus fidei supernaturalis intrinsecè ita est connexus, tum propter tendentiam suam in objectum formale, quod utpote auctoritas et revelatio divina nec de potentiâ absolutâ ad falsum credendum movere nos potest; tum propter supernaturale lumen fidei tam actuale quàm habituale, quod similiter ad veritatem determinatum est; ergo.

Probatur secunda pars : Talis est actus fidei supernaturalis ex suâ naturâ, qualem, Act. 8, requisiverat ab Eunucho Philippus, cùm diceret : *Si credis ex toto corde, licet.* Sed fides ex toto corde dicit actum formaliter certum certitudine indubitabilitatis; unde et Basil., de Confess. fid., inquit : *Fides est assensus non hæsitans de his quæ audita sunt certitudine summæ veri-*

tatis, ergo. Confirmatur : Actus fidei supernaturalis concipitur sub judicio evidenti de prudenti credibilitate, atque hinc de eo quòd imprudens sit omnis dubitatio vel formido in oppositum ; ergo ita concipitur ut sit adhæsivè certus, atque suâ firmitate et adhæsione excludat tanquàm imprudentem omnem dubitationem ac formidinem. Confirmatur utraque pars ex Scripturis; nam Tob. 5, dicitur : *Pro certo habeat omnis qui credit in te* ; 2 ad Tim. 1 autem Apostolus inquit : *Scio cui credidi et certus sum* ; et Act. 2 : *Certissimè sciat domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum.* Quæ omnia, cùm certitudinem propriam significent, et infallibilitatem et indubitabilitatem demonstrant, quibus tanquàm cardinibus aut partibus vera certitudo nititur et constat.

Dico 2° : Actus fidei supernaturalis aliquo vero sensu est utràque certitudine certior, cognitionibus naturalibus certis. Probatur primò : Quoad excessum infallibilitatis, Luc. 21, 33 : Christus ait : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt;* quæ juxta interpretes non sunt dicta duntaxat ad manifestandam verborum Dei indefectibilitatem à vero, sed et ad excessum in hoc genere supra certitudinem aliam omnem. 2 Petr. 1, 19, Apostolus prophetiam fidemque illi innixam comparans cum certitudine ex physicâ scientiâ haustâ : *Habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes.* 1 Joan. 5, 9, scribitur : *Si testimonium hominum accipitis, testimonium Dei majus est ;* nempe fidem magis ob sui certitudinem meretur. Probatur secundò : Quoad excessum indubitabilitatis ex iisdem testimoniis, et SS. Patribus : Chrys. hom. 21 in c. 11 ad Hebr. : *Neque rursùs, si de iis quæ non cadunt sub aspectum, non apertius fuerit quisquam persuasus, quàm de iis quæ videntur, potest esse fides.* Augustinus, l. 2 Conf., c. 10 : *Faciliùs, ait, dubitarem vivere me, quàm esse veritatem quam audivi in corde meo.* Basilius in Ps. 115 : *Fides supra rationales methodos animam ad assensum trahens;* et de Confes. fidei : *Fides est assensus non hæsitans de his quæ audita sunt certitudine summæ veritatis.* Item epist. 43 ; *Potior est rerum comprehensione ipsa fides.*

Confirmatur utraque pars : 1° Assensus fidei supernaturalis est actus virtutis theologicæ, cujus essentia est ferri in motivum suum super omnia sibi opposita ; ergo inprimis est adhæsivè certior, quia veritatem primam debet appretiare super omnia cum quibus comparari potest ; deinde etiam est inhæsivè certior, quia cùm adhæsio illa non sit imprudens, sed vera etiam ac prudentissima, debet supponere certitudinem infallibilitatis majorem præ illis omnibus certis, præ quibus veritati primæ et objecto revelato adhæret. Confirmatur 2° : Ex damnatione Innocentii in propositione 19 latâ, voluntas potest efficere ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus quàm meretur pondus rationem ad assensum impellentium ; sed pondus rationum meretur assensum utràque certitudine certum ; ergo assensus fidei potest magis esse utràque certitudine certus, sive certior.

Objectiones.

Objicies contra primum : Actus fidei admittit has reflexiones : fortè fallor ; fortè revelatio non existit : ergo saltem non est simpliciter et absolutè certus adhæsivè. Probatur antecedens : Admittit hæc judicia : Tota apparentia credibilitatis, sub quâ mihi proponitur hoc mysterium, metaphysicè non connectitur cum existentiâ revelationis ; item non est metaphysicè impossibile quòd hoc objectum aliter se habeat ; denique forsan hic actus non est fidei supernaturalis ; ergo. — Respondeo : Nego antecedens, quia has reflexiones sive per ipsam fidei naturam, sive per piam affectionem excludi à fidei assensu, apertè constat ex dictis. Ad probationem, quoad primum, nego minorem : equidem nec apparentia et certitudo credibilitatis respectiva, nec etiam quatenùs nobis innotescit, metaphysicè connectitur cum existentiâ revelationis, licet illa connexio reipsà concedenda sit credibilitati perfectæ et absolutæ ; sicut tamen hoc judicium : Tota apparentia credibilitatis, sub quâ mihi proponitur Ciceronem exstitisse, non connectitur metaphysicè cum existentiâ Ciceronis ; sicut, inquam, hoc judicium non facit locum huic reflexioni : Forsan Cicero non exstitit, sic multò minùs id fit in fide : quia judicium credibilitatis certò suadet prudenter posse ac debere credi mysteria toto corde et sine ullâ hæsitatione ; adeòque ejusmodi reflexiones cedere oportet. Quoad secundum, nego majorem : Ratio, cur hoc judicium : Non est metaphysicè impossibile quòd hoc objectum aliter se habeat, non componatur cum fide, hæc est : quia actus fidei habet certitudinem metaphysicæ infallibilitatis, adeòque per actum fidei exercitè judicatur metaphisicè impossibilis alia habentia objecti. Quoad tertium, distinguo minorem : Admittit hoc judicium : Fortè hic actus non est fidei supernaturalis, quantùm ad entitatem actûs aut principium, à quo elicitur, concedo ; quantùm ad motivum, nego. Sensus distinctionis hic est : Certi non sumus quòd hic assensus, quem hìc et nunc præbemus mysterio revelato, sit reverà supernaturalis, adeòque de hoc formidare possumus, sicut de supernaturalitate aliorum actuum omnium ; eò quòd supernaturalitas non subjaceat experimento : stante tamen actu fidei non possumus formidare an hic actus, quantùm ex parte motivi, sit actus fidei, quia hoc esset formidare de existentiâ revelationis, quod fieri non potest : cùm actus fidei revelationem etiam attingat intrinsecè ut quod et firmissimè credat, adeòque exercitè dicat metaphysicè impossibile esse quòd objectum deficiat.

Inst. 1° : Fides assentitur tantùm mysterio assensu super omnia certò sub conditione quòd Deus sit locutus ; sicut etiam hæretici omne credunt esse verum, si Deus illud dixit. Item, si probabilis tantùm notitia revelationis præcederet, intellectus non posset prudenter affirmare esse moraliter impossibile, quod objectum aliter se habeat : ergo pariter præcedente tantùm notitiâ moraliter certâ, prudenter nequit affirmare esse metaphysicè impossibile quòd objectum se aliter habeat. — Respondeo : Nego antecedens ; ejus-

modi actus in hæretico est fides duntaxat de Dei veracitate, vel potiùs animi præparatio aut propensio ad fidem eliciendam, si quid à Deo revelatum proponatur. Ad secundum disparitas est, quia prudens formido exercitè vel signatè importata in notitiâ probabili ne quidem exercitè potest prudenter rejici, dummodò maneat et appareat prudens; at in ipsâ notitiâ moraliter certâ jam apparet imprudens formido, adeòque prudenter rejici potest; et sic evidenter apparere prudens credibilitas actu firmissimo. Quare enim supponens ut certam divinam auctoritatem revelantem potest exercitè affirmare esse omninò impossibile, v. g., *Verbum non esse incarnatum*, quatenùs assensus sine formidine nitens divinæ auctoritati est exercita certitudo et infallibilitas talis objecti. Instabis 2° : Assensus fidei solùm extrinsecè et ratione imperii voluntatis excludit formidinem de opposito; ergo dici nequit simpliciter adhæsivè certus. Antecedens patet, tum quia solùm opponitur cum formidine deliberatâ quòd signum est hanc oppositionem provenire à voluntatis imperio; tum quia hoc indicare videtur D. Thomas, q. 14 de Verit. a. 1, ubi intellectum per fidem captivatum dicit teneri *terminis alienis, non propriis*. Consequens similiter liquet, quia per adhæsivam certitudinem simpliciter talem intelligitur firmitas ipsius actûs et intrinseca. — Respondeo 1° : Nego antecedens; firmitas enim fidei partim est extrinseca, partim intrinseca, seu fidei ex se ipsâ etiam, et non tantùm à voluntatis imperio conveniens, ut ex propositione 19 damnatâ liquet; ratio est, tum quia, sicut adhæsio affectiva actibus voluntatis efficacibus, et evidentia actui evidenti intellectûs est intrinseca, sic etiam judicio certo, quale est fides, adhæsio intentionalis ad suum objectum debet esse intrinseca, ita ut ex suo modo tendendi physicè repugnet cum omni formidine etiam imprudente ac indeliberatâ circa articulum quem credit; tum quia fides est intellectualis appretiatio super omnia, sicut actus charitatis est affectiva appretiatio ejusmodi; atque hinc non minùs quàm ista per se ac ratione sui, adeòque intrinsecè etiam firmitatem dicit, excluditque formidinem. Ad probationem primam, nego assumptum; firmitas fidei, quæ à voluntatis imperio oritur, non impedit quominùs ipse actus fidei ex suo modo tendendi componi nequeat cum formidine circa suum objectum sive deliberatâ et prudenti, sive indeliberatâ et imprudenti. Hinc formido indeliberata apud pios, et deliberata apud improbos, aliique motus de contrario insurgunt duntaxat in credente, quandò actus fidei, morâ licet imperceptibili, præteriit, aut necdùm est; si tamen aliquando coexistat, vel formidinis actus non est judicativus, sed purè apprehensivus, vel potiùs non est in intellectu, sed in phantasiâ. Ad secundum respondeo, S. Thomam his verbis indicare voluisse firmam intellectûs adhæsionem, quanta in fide est, haberi mediante imperio voluntatis; non autem formaliter adæquatè consistere in voluntatis imperio. Respondeo 2° : Transmisso antecedente, nego consequens; loquimur de adhæsione prudenti, seu regulatâ à dictamine prudentiæ, quod dicit posse ac debere affirmari actu firmissimo, adeòque si probatio allata tenet, hoc ipso voluntas imperat actum etiam intrinsecè certum. Præterea verò, nisi *ex* simpliciter sumatur pro omnimodè ac ex omni parte, falsum est certitudinem simpliciter adhæsivam includere utramque : cùm sive intrinseca sive extrinseca certitudo sit, rectè dicatur certitudo adhæsiva, simpliciter talis.

Objicies contra secundum : S. Augustinus lib. 15 de Trin. ait : *Per scientiam roboratur fides.* D. Thomas, hìc, q. 4, a. 8, dicit, virtutes intellectuales, sapientiam, nempe scientiam et intellectum, esse certiores ex parte subjecti præ fide. Hugo à S. Victore : *Fides*, inquit absolutè, *est certitudo supra opinionem, et infra scientiam*; ergo fides non est certior cognotionibus nat. Confirmatur : Actus scientiæ includit potentiam antecedentem formidandi, et consequentem etiam recessum à se impedit : ergo major est certitudo scientiæ, quàm fidei, quæ nec ante nec post assensum excludit omnem formidinem, et quia sæpè est de objecto contingente, mutari potest. — Respondeo : Nego antecedens; probationem distinguo : Fides roboratur extrinsecè per scientiam, quatenùs per hanc penetrantur mysteria, et est infra scientiam seu minùs certa quoad nos et nostram innotescentiam, concedo; roboratur intrinsecè, et quoad se minùs certa est aut infra scientiam, nego. Distinctionem hanc insinuat S. Thomas, l. c., comparans fidei certitudinem cum memoratis virtutibus intellectualibus, ac ita disserens : *Certitudo dupliciter considerari potest. Uno modo ex causâ certitudinis; et sic certius dicitur illud, quod habet certiorem causam. Hoc modo fides est certior tribus prædictis, quia fides innititur veritati divinæ : tria autem prædicta nituntur rationi humanæ. Alio modo potest considerari certitudo ex parte subjecti : et sic certius dicitur, quod plenius consequitur intellectus hominis. Et per hunc modum, quia ea quæ sunt fidei, sunt supra intellectum hominis, non autem ea quæ subsunt tribus prædictis : ideò ex hâc parte fides est minùs certa. Sed quia unumquodque judicatur simpliciter quidem secundum causam suam, secundum autem dispositionem, quæ ex parte subjecti est, secundum quid : inde est, quod fides est simpliciter certior, sed alia sunt certiora secundum quid.* Ad confirmationem respondeo : Hoc unicè evinci, quòd assensus scientiæ sit necessarius, et tam in actu primo excludat formidinem, quàm post actum secundum; fides autem sit libera, ac formidinem tantùm removeat, dùm existit et in actu secundo : minimè verò sequitur adhæsivam certitudinem fidei esse minorem ac scientiæ. Nam quòd actus primus excludat, vel permittat formidandi potentiam, ab actibus præviis potiùs quàm ab ipsâ scientiâ aut fide habetur; deinde certitudinem adhæsivam pensandum non esse ab eo quod potest accidere post assensum, patet in amore Dei super omnia, qui quantumvis sit adhæsionis summæ, relinqui postmodùm ab homine, tanquàm actus liber, potest, licet non ita facilè à complacentiâ simplici, utpote necessariâ, recedatur. Denique observandum quòd quamvis objectum fidei, si est contingens, ab-

solutè et per se loquendo possit se aliter habere, tamen id nequeat ex supposito factæ revelationis divinæ, in quo fundatur actus fidei, ac consequenter exercitè judicat objectum jam aliter se habere non posse.

Quæres in quonam stet excessus certitudinis fidei supra alias cognitiones naturales certas?

Respondeo 1° : Excessus certitudinis quoad infallibilitatem actûs fidei supernaturalis supra cognitiones naturales moraliter vel physicè certas est formalis, et stat in eo quòd actus fidei sit metaphysicè infallibilis. Probatur : Infallibilitas metaphysica intensivè excedit infallibilitatem moralem et physicam; sed metaphysica infallibilitas convenit actui fidei supernaturalis; ergo excessus infallibilitatis fidei supra infallibilitatem actuum moraliter aut physicè certorum est formalis et intensivus, statque in metaphysicâ à vero indefectibilitate.

Respondeo 2° : Excessus certitudinis quoad infallibilitatem fidei supernaturalis supra cognitiones metaphysicè certas est tantùm radicalis, stans in eo quòd actus fidei ex suâ intrinsecâ perfectione et ex pluribus principiis sit infallibilis.

Probatur 1° : Ille excessus infallibilitatis in actu fidei intensivus et formalis præ cognitione naturali metaphysicè evidenti haberetur vel ex eo quòd plura vel nobiliora sint principia, à quibus fides suam infallibilitatem sortitur, vel ex eo quòd magis repugnet actum fidei esse fallibilem; ex neutro capite actui fidei vindicari potest formaliter et intrinsecè major infallibilitas : nam inprimis plura et nobiliora principia faciunt quidem infallibilitatem respicere plures titulos aut esse altioris ordinis, non autem formaliter ac intrinsecè majorem : deindè verò ex supposito illo impossibili, quo actus fidei ejusque principia adhuc exigerent, non esse falsa, dùm actus naturalis metaphysicè certus posset falli, eruitur duntaxat materialiter non autem formaliter major infallibilitas; ergo.

Probatur 2° : Certitudo actûs naturalis metaphysicè infallibilis provenit duntaxat ab eo quòd objectum hujus actûs se aliter habere non possit. Certitudo autem actûs fidei inde profluit, quòd ipse essentialiter exigat objectum, ita se habere ut enuntiat, quantumvis ex se contingens sit; tum quia pro objecto formali habet auctoritatem Dei revelantis, quæ metaphysicè connexa est cum veritate objecti; tum quia est actus habitûs fidei essentialiter determinati ad actus veros; tum quia ex participatione supernâ luminis actualis est intrinsecè supernaturalis, cui repugnat falsitas. Sed hæc infallibilitas est radicaliter major, statque in eo quòd actus fidei ex intrinsecâ perfectione sit infallibilis; ergo. Confirmatur : Tenet hæc argumentatio : Assensus fidei divinæ sic enuntiat; ergo res ita se habet; non autem tenet similis argumentatio in actibus naturalibus metaphysicè evidentibus; si enim per impossibile eorum objectum non esset necessarium, sed contingens, et aliter se habere posset ac naturalis actus metaphysicè infallibilis enuntiat, hic non foret metaphysicè infallibilis; unde ex hoc præcisè quòd hic actus ita enuntiet, nullâ habitâ ratione ad objecti necessitatem, non infertur formaliter quòd objectum sic se habeat. Ergo, cùm hujusmodi actus aliunde sint metaphysicè infallibiles, neque in hoc prædicato suscipiatur majus aut minus, superantur ab actu fidei in illâ intrinsecâ perfectione.

Respondeo 3° : Assensus fidei quoad certitudinem adhæsivam excedit excessu apprætiationis intellectualis omnes assensus naturales dependentes à voluntate, si non sint ne quidem putatitiè assensus fidei divinæ. Probatur prima pars : Assensus naturales à voluntate dependentes vel sunt actus opinativi, vel assensus moraliter aut etiam physicè certi; sed hos omnes excedit certitudine adhæsivâ assensûs fidei, tum quia actus opinativi formidinem prudentem non excludunt, tum quia in actibus etiam physicè certis potest adesse ratio formidandi nonnunquàm de sensuum illusione, vel de eo quòd miraculum intervenerit; ergo. Confirmatur : Assensus ille est altero adhæsivè apprætiativè certior, quorum alteruter si relinquendus foret, hic retineretur, altero negato et relicto, sed si vel assensus fidei, vel naturalis alius à voluntate dependens foret relinquendus, recedendum esset ab assensu tali naturali, non verò ab assensu fidei, ut jam à fideli fit in actu fidei de præsentiâ Christi in Eucharistiâ, et fieri debet ne committatur gravis irreverentia in auctoritatem divinam; ergo assensus fidei est adhæsivè apprætiativè certior quàm assensus alius naturalis à voluntate dependens. Probatur secunda pars : Non datur discerniculum ullum in fideli articulum verum credente, et voluntas æquè indubitabiliter imperat actum fidei existimatum ac verum, ut patet tum experientiâ in hæreticorum materialiter talium adhæsione, tum ratione ejusdem objecti formalis saltem invincibiliter existimati; ergo certitudo adhæsiva fidei veræ non superat certitudinem adhæsivam assensûs fidei divinæ tantùm putatitiæ.

Respondeo 4° : Assensus fidei quoad certitudinem adhæsivam non excedit assensus naturales metaphysicè certos seu evidentes, et à voluntate independentes, quin excessus apprætionis in fide supra nos assensus et impossibilis est, nec ad certitudinem fidei necessarius aut utilis. Probatur prima pars : In vero metaphysicè evidenti, tanquàm in suo centro perfectè possesso, immobiliter ac omninò indubitabiliter pondere naturalis sui appetitûs sistit et quiescit intellectus; ergo nequit adhæsio firmior in alio quocumque actu à voluntate imperari, tum quia nulla ratio dicendi est quòd imperium voluntatis hoc in negotio plus possit quàm evidentia; tum quia intellectus magis adhærere nequit quàm excludendo titubationem omnem ac formidinem, et modò quidem appetitum suum propriè adæquatèque satiante, id quod per evidentiam præstatur. Probatur secunda pars : Excessus apprætiativus adhæsivæ certitudinis in fide non est possibilis, respectivè ad et supra assensus; v. g. : *Quidlibet est vel non est; totum est majus suâ parte*, etc.; si credens non possit esse paratus ad hos assensus negandos, quando repugnare viderentur rei revelatæ; sed credens sic nequit

esse paratus, tum quia non potest esse paratus negare quod negare non est in ejus potestate; tum quia impossibile est quòd res proponatur ut fide credibilis, si in contrarium obstet certitudo metaphysica, seu evidentia; ergo. Probatur tertia pars : Si excessus appretiationis in fide supra assensus metaphysicè certos esset necessarius aut utilis, ergò per hoc quòd hâc ratione intelligeretur ejus certitudo supra omnia; atqui ad hoc obtinendum vel intelligendum non requiritur aut confert ille excessus, tum quia certitudo debet tantùm esse supra omnia sibi absolutè opposita, non autem supra omnia quæ tantùm sub hypothesi impossibili conditionatè opponuntur, eò quòd hæc chimærica sibi vix ullus proponat, nec ullus proponere aut comparare teneatur; tum quia ad amorem Dei super omnia habendum non requiritur voluntas, quâ dicam, v. g. : Odio prosequerer Deum, si hoc ipsi placeret, etc.; ergo.

Articulus III.

An et quomodò actus fidei supernaturalis sit obscurus?

Nota : Fidem aliquâ ratione obscuram esse, unanimis fert Catholicorum sententia contra hæreticos tum antiquiores, tum recentiores; atque hæc quidem obscuritas vocatur præcisa seu permissiva, quatenùs nullum fidei prædicatum ex naturâ suâ evidentiam aliquam aut ex parte objecti materialis, aut ex parte rationis humanæ exigit. Præter hanc quid non aliam videntur admittere fidei obscuritatem, quàm respectivam; eò quòd fides ex parte motivi sui proprii per se requirat aut habeat evidentiam, adeòque absolutè simpliciter ac positivè clara sit, et nequeat dici obscura, nisi comparativè et respectivè, quatenùs non est tam clara quàm evidentia physica aut metaphysica. Alii tamen communiter assensum fidei divinæ ex naturâ suâ et positivè obscurum statuunt, voluntque eum per se esse actum inevidentem, qui exigat habere defectum seu negationem evidentiæ, sive ratione motivi proprii et objecti formalis, sive ratione objecti materialis. Loquuntur autem omnes de fide theologicè sumptâ, qualis à nobis habetur in viâ, et elicitur ab habitu supernaturali proprio, de quo ex Script., conciliis et Patribus notitiam habemus.

Dico : Assensus fidei divinæ supernaturalis ex naturâ suâ et positivè est obscurus. Probatur : Apostolus ad Hebr. 11, 1 : *Est autem*, inquit, *fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* In quem locum S. Chrysostomus sic commentatur : *Si fides est argumentum non apparentium, quid est, quòd ea vultis videre, ut à fide excidatis?* Gregorius Magnus autem, hom. 26 in Evang. : *Profectò liquet quòd fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt; quæ enim apparent, jam non habent fidem, sed agnitionem.* 1 ad Cor. 13, 12 : *Videmus*, ait, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ubi videmus, idem est ac cognoscimus, prout S. Thomas ad hunc locum notat : adeòque fides ænigmatica tantùm, hoc est, obscura cognitio esse convincitur. Denique 2 Petr. 1, 19, fides appellatur *lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat*, etc.; quod auctor lib. de mysticâ Theol. c. 1, sic explicat : *Nimirùm per sacræ caliginis tenebras humanæ mentes nec possunt nec debent divina contemplari mysteria.* Accedunt tum illud Christi dictum : *Beati qui non viderunt, et crediderunt;* tum illud S. Thomæ Apostoli factum, quo *aliud vidit, aliud credidit;* tum plura testimonia Patrum, quale illud S. Athanasii, tractatu de Adventu Christi : *Non enim fides de re evidenti concepta fides dici poterit; sed fides est, quæ in impossibili* (apparenter nempè aut negativè) *possibilitatem credit.* Et illa S. Augustini quæstio, tractatu 40 in Joan. : *Quid est fides, nisi credere quod non vides?* Nec minùs assertio ejusdem serm. 1 de Trin. : *Fidelis factus sum, credo quod nescio*, etc. Unde S. Thomas, q. 14 de Verit. a. 3, ad 6, respondet veritatem primam non esse objectum proprium fidei, nisi sub hâc ratione, prout est non apparens.

Confirmatur 1° : Quamvis objectum fidei sit evidenter credibile, tamen non est evidenter verum; ergo et actus ipse fidei nequit esse evidens. 2° Fides nostra est libera, honesta ac meritoria; ergo requirit imperium voluntatis : sed si fidei actus ne absolutè ac simpliciter quidem obscurus foret, hæc illi non competerent; nam juxta S. Augustinum tractatu 40 in Joan. : *Hæc est laus fidei, si quod creditur videtur*, et juxta S. Gregorium Magnum, hom. 40 in Evang. : *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*, et ex ratione liquet, nec libertatem, nec voluntatis imperium locum habere, ubi evidentia obtinet ac necessitatem assensui imponit; ergo. 3° Si actui fidei posset convenire evidentia, nulla foret ratio cur habitus fidei infusæ non remaneret in beatis; nam et in beatis sunt judicia intuitiva auctoritatis divinæ et revelationem circa objecta quæ nos credimus, et olim ipsi crediderunt, donec erant in viâ; per quæ judicia ex naturâ rei nequeunt non assentiri objectis revelatis propter illud motivum : sed in communissimâ omnium sententiâ habitus fidei infusæ non remanet in beatis; ergo.

Objectiones.

Obj. : Obscuritas fidei est solùm respectiva, ea scilicet quæ comparatur *divino lumini, tenebra est*, ut S. Thomas, hic, q. 5, a. 1, ad 2, docet, et ipsi textus Scripturæ enuntiant. Nam 1 ad Hebr. Ἔλεγχος seu *argumentum* rerum non apparentium significet demonstrationem et convictionem, adeòque evidentiam. 2° Visio per *speculum* designat visionem claram, cùm speculum non rei imaginem, ut vulgus putat, sed rem ipsam oculis exhibeat. 3° Lucerna, ex eo quòd in caliginoso loco luceat, non potest dici positivè obscura, cùm Christus, qui Joan. 1 dicitur *lux quæ in tenebris lucet*, à S. Hilario, l. 2 de Trin., nihilominùs vocetur lux splendidissima, quam multæ tenebræ non possint vincere. — Respondeo : Nego assumptum : Hanc sanè obscuritatis acceptionem nec Scripturæ, nec Patrum præsertim phrasis innuere videtur, cùm aliàs speciatò quid et ignotum nos minimè doceret, et scientiam

etiam naturalem obscuram faceret. Quare cum S. Thomâ, ibid. q. 1, a. 4 et 5, clarissimè negat fidei claritatem demonstrationis et scientiæ, illius obscuritatem tantùm respectivam ad divinum lumen hìc non asserit; sed ostendere intendit illam obscuritatem non esse peccati pœnam, eò quòd ratione limitationis creatæ hæc ipsa etiam ante peccatum fuerit in homine et angelo. Ad probationem primam respondeo: Distinguo: Fides ut argumentum rerum non apparentium significat demonstrationem et convictionem, si consideretur secundùm judicia prævia et credibilitatem, concedo; si secundùm se spectetur et ipsum assensum mysteriis præstitum, subdistinguo: Significat demonstrationem et convictionem, attendendo præcisè effectum, nempe certitudinem infallibilitatis ac firmitatis, concedo; attendendo modum, nempe claritatem ac evidentiam, nego; sicut, dùm ibidem fides dicitur ὑπόστασις, seu subexistentia et existentia, vel fundamentum rerum sperandarum, non facit res ipsas verè ac reipsà existere, sed id tantùm præstat, ut futura tam certò ac firmiter credamus, ac si jam subsisterent, eaque coram haberemus; sic etiam, dùm vocatur ἔλεγχος seu demonstratio, non facit ea quæ non apparent, evidentia et clara, sed præstat ut nihilo magis de futuris atque à sensu remotis mysteriis obscurissimis dubitemus, quàm si oculis conspecta vel ratione à nobis comprehensa forent.

Ad probationem secundam respondeo: Distinguo: Visio per speculum qualiscumque est clara, transeat; quia quamvis speculum rem ipsam oculis exhibet, id tamen non præstat per radium directum, sed reflexum, ideòque non propriè, clarè, distinctè, sed quasi procul, obscurè et confusè rem repræsentat; visio per speculum in ænigmate, hoc est, obscura (quia ænigma est quæstio cùm involucris verborum proposita) est clara, nego. Ἔσοπτρον, quod Vulgata vertit *speculum*, juxta alios significat inspectorium, seu medium alicujus rei videndæ.

Ad probationem tertiam respondeo: Ex eo quòd lux omnis certo sensu et comparativè ad alia possit dici clara, non sequitur eam positivè obscuram non esse, cùm lux dubia, maligna et interfusa tenebris communi ac propriâ usurpatione etiam obscura vocari soleat. Quamvis itaque secundùm phrasin Hilarii Christus aut fides splendidissima lux dicatur, eò quòd à tenebris extingui omninò nequeat, tamen tum ex notione lucernæ, quæ lucem tectam sonat, tum ex adjuncto loci caliginosi, qui lucis radios tenebris suis intercipit, atque hinc ejus vim debilitat, fides nec clara nec evidens, sed obscura ac inevidens propriè ab Apostolo compellatur.

Inst. 1°: Fides in Scripturâ appellatur scientia et claritas: primum patet tum ex verbis Samaritanorum: *Jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est Salvator;* et ex 1 Joan. 1 asseveratione: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.... et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam;* tum ex Epist. ad Ephes. 3, ubi dicuntur fideles *scire supereminentem charitatem Christi;* et iterùm ex 1 Joan. 3, *scire quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus.* Secundum liquet ex 2 ad Cor. 3, ubi transitum à fide ad visionem beatificam intelligens Apostolus, *nos verò omnes*, inquit, *revelatâ facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem;* et c. 4, loquens de fide Christi, quam v. 4 dixerat *illuminationem Evangelii*, v. 6 sic prosequitur: *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ charitatis Dei.* Ergo obscura dici nequit. — Respondeo: Distinguo: Fides in Scripturâ vocatur scientia et claritas in sensu proprio et positivo, nego; minùs proprio et tantùm comparativo, concedo. Scientiæ nomen à sacris æquè ac profanis scriptoribus non rarò usurpatur pro notitiâ et cogitatione rei qualicumque, etiam incertâ et inevidenti: fides verò nomine scientiæ vestita in Scripturâ nonnunquàm sumitur pro objecto fidei, vel pro notitiâ ex fide ortâ, vel etiam pro conscientiâ de fide, ut S. Augustinus, l. 13 de Trin. c. 1, adnotat. Ad primam acceptionem pertinent verba Samaritanorum, ubi scientia usurpatur pro fide, quin tamen inde claritas cognitionis probetur, sicut dùm 1 ad Cor. 8 dicitur: *Sive scientia destruetur*, intellecta per illam fides, solùm dicitur γνῶσις, id est, cognitio, et quidem teste Chrys., Theod., Theoph., imperfecta, obscura et ænigmatica: ad secundam spectat locus Joannis de humanitate Christi à se sensibus externis perceptâ loquentis, quæ fidei annuntiatæ objectum erat: ad tertiam denique reducuntur reliqui textus, utpote de notitiâ ex fidei principiis haustâ intelligendi, quæ scientia ob certitudinem quidem, non autem ob evidentiam, appellatur ad morem omnis conclusionis theologicæ. Similiter claritas, quam quidam interpretes, locis citatis, de fide exponunt, positiva et propria non est, sed imperfecta et impropria, ac comparativa duntaxat vel ad legem veterem, ubi plurima fidei mysteria sub symbolorum ac figurarum velamine proponebantur involuta, cùm nobis ea explicitè ac distinctè sint exposita, et plurimis signis evidenter credibilia facta; vel ad tenebras ignorantiæ et erroris, quibus collata cognitio omnis, præsertim vera ac certa, lumen ac illuminatio vocatur: atque geminæ huic expositioni geminus textus allatus è diametro correspondet.

Inst. 2°: Actus, cujus objectum est tale, ut dicatur demonstratum ut nullus, nisi insanus, negare possit ut de eo aliquantulùm dubitare sit præcipitis arrogantiæ aut summæ dementiæ, positivè obscurus dici nequit, sed clarus. Sed objectum fidei tale est, ut secundùm priores conditiones asserit S. Chrysostomus in oratione contra Gentiles quam *Demonstrationem, quòd Christus sit Deus*, inscripsit; quoad postremam autem docet S. Augustinus, l. de Util. Cred., c. 12, et Richard. à S. Victore, l. 1 de Trin. c. 22; ergo. — Respondeo: Distinguo majorem: Actus ille nequit dici positivè obscurus, cujus objectum, quatenùs prudenter credibile est tale, ut dicatur demonstra-

tum, etc., nego; cujus objectum, quatenùs verum est tale, etc., concedo. Jam verò mysteria fidei non sunt evidenter vera, sed evidenter duntaxat credibilia. Præterea nullum ab adversariis fit discrimen inter evidentiam et certitudinem, quod tamen faciendum. Denique quamvis consequenter ad assensum fidei firmissimum liberè elicitum debeat esse certum omnimodè ac indubitatum, et revelationem existere et mysterium ita se habere, ut actus enuntiat, antecedenter tamen ad fidei assensum et ex vi præcisè signorum ac motivorum de existentiâ revelationis talis certitudo summa non habetur, nec nisi dubium et formido prudens excluditur.

Observa : Ex dictis colligitur actui fidei theologicæ connaturalem esse modum tendendi in objectum obscurum. Obscuritas tamen objectiva in ordine ad eam fidem non habet se ut ratio formalis motiva, cùm ea, sicut incertitudo aut fallibilitas in motivo probabili, nec persuadeat, nec alliciat aut moveat ad assensum, sed potiùs retardet, adeòque est conditio duntaxat necessariò requisita, ut fidei actus liber sit ac meritorius. Quamvis itaque dari possit quòd evidentia veritatis sit objectum formale partiale scientiæ, eò quòd illa inadæquata sit causa et ratio assensûs, id tamen ex oppositâ ratione negatur de obscuritate.

Quæres 1° an obscuritas actus fidei compatiatur evidentiam perfectam in attestante?

Respondeo : Non compatitur, seu actus fidei theologicæ supernaturalis ex naturâ suâ sic est obscurus, ut nequeat esse ex evidentiâ objecti sui formalis, vel nititi revelatione et auctoritate divinâ et utriusque connexione cum veritate objecti evidenter cognitis. Probatur : Assensus fidei infusæ dicit aliquam obscuritatem ita ut in credendo nequeat esse evidens; sed assensus ex evidentiâ objecti formalis, nimirùm divinæ auctoritatis ac revelationis, unicè profluens, seu illi innixus soli, non est obscurus, sed evidens; ergo. Minor probatur : Veritas innixa præmissis evidentibus ac bonitati illationis evidenti non obscura est, sed evidens, quia præter immediatam evidentiam objecti in seipso, ab omnibus admittitur mediata, per quam intellectus videt objectum in præmissis et in istarum connexione cum objecto. Sed veritas cui assentimur ex evidentiâ auctoritatis et revelationis divinæ, est veritas innixa præmissis evidentibus et bonitati illationis pariter evidenti, quia nititur his præmissis : *Quidquid Deus revelat, verum est; sed Deus hoc revelat ;* quæ præmissæ sunt evidentes, ut supponitur, earumque connexio cum veritate est pariter evidens, semel penetratis terminis, adeòque veritas, quæ est conclusio objectiva, innititur præmissis et bonitati illationis evidentibus; ergo non est obscura, sed evidens.

Si ais 1° : Plures de facto habuerunt fidem ex evidentiâ objecti formalis; nam primò in angelis viatoribus, teste S. Thomâ, hic q. 5, a. 1, erat fides; sed in illis, ac præsertim in angelo supremo, erat evidentia dicentis, quia hìc evidenter cognoscebat se non illuminari ab aliâ creaturâ, sed à Deo; ergo. 2° Lumen propheticum juxta S. Thomam est evidens, ideòque prophetæ dicebantur videntes; et tamen eorum fides inde orta similis erat nostræ; tum quia laudata præcipuè c. 11 ad Hebræos, tum quia illis non videtur meritum fidei negandum quod aliis datur. 3° B. Virgo et Apostoli habebant fidem; et tamen ex miraculis quæ in ipsis et per ipsos fiebant, cognoscebant evidenter illas veritates esse divinas, ut iterùm S. Thomas pluribus in locis affirmat. 4° S. Paulus post raptum ad tertium cœlum habuit probabilissimè fidem eorum quæ vidit et audivit; hanc autem aliundè non habuit, quàm ex evidentiâ in attestante, quia evidenter recordabatur eorum quæ viderat et audierat, ergo. 5° D. Thomas Ap. viso Christo, et hinc ex evidentiâ credidit, dicente ipso Domino : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* — Respondeo : Nego antecedens; ad probationem primam respondeo 1° : Nego majorem; probabile enim est, ut Durand., Alens., Bonav., aliique docent, angelos non habuisse fidem obscuram et liberam, sed cognitionem fide altiorem, vel, si ita loqui libet, fidem necessariam et evidentem; quorum aliqui idem docent de primo parente, necessitatem fidei reducentes ad statum naturæ lapsæ. Sub hâc verò ratione intelligi potest doctor Angelicus, et stare etiam potest libertas merendi per actum ab ejusmodi fide regulatum; propterea quòd cognitio evidens præsupposita ad omnem actum voluntatis non ideò voluntatem necessitet, quia ipsa est subjectivè necessaria; sed quia objectivè non est indifferens, hoc est, objectum non repræsentat indifferenter, sed sub purâ ratione boni amabilis vel mali odibilis. Respondeo 2° : Nego majorem; cùm enim angelus supremus sit talis duntaxat inter angelos actu existentes, non autem possibiles, poterat idem, saltem imprudenter, suspicari à Deo sibi ob altissimos fines occultari aliam creaturam se superiorem : adeòque non habebat evidentiam illuminationis vel revelationis à Deo sibi immediatè factæ.

Ad secundum respondeo : Distinguo primam partem : Lumen propheticum est evidens quantùm ad manifestationem signorum quæ videntur et audiuntur, concedo; quantùm ad manifestationem tum locutionis divinæ, tum sensûs prophetiæ, nego. Evidentiam de ipsâ existentiâ locutionis divinæ non fuisse necessariam prophetis, sed satis fuisse evidentiam credibilitatis, conficitur tum ex fide nostrâ, tum ex obligatione ad fidem illis habendam quæ evidenter credibilia sunt : non enim tam ex evidentiâ veritatis quàm ex cognitione occultorum ac futurorum, prophetæ dicebantur *videntes*, juxta illud Christi de Abrahamo, Joan. 8 : *Exultavit ut videret diem meum; vidit, et gavisus est.* Præterea verò prophetas non cognovisse semper quæ prophetârunt, docet S. Thomas hic, q. 173, a. 4, et expertus est, Dan. 12, 8 et 9, propheta, qui dixit : *Et ego audivi, et non intellexi;* ac ad quæstionem suam responsum accepit : *Vade, Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad præfinitum tempus.* Ad secundam partem, nego suppositum

quòd eorum fides orta sit ex evidentiâ locutionis divinæ ac veritatis revelatæ, quia alias ut necessaria laudari non potuisset, nec similis nostræ foret.

Ad tertium, respondeo : Nego secundam partem. Ratio est 1° quia cùm laudetur duntaxat actus liber, B. Virginis autem et Petri fides commendetur his verbis : *Beata, quæ credidisti; Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit*, etc., non poterat illa fides ex evidentiâ profluere, adeòque necessaria esse, quæ tantâ laude non foret digna; 2° quia miracula etiam visa non faciunt evidentiam veritatis, in cujus confirmationem fiunt, ut dictum est supra. Porrò quomodò et beata Virgo, et ipsi etiam patratores miraculorum Apostoli dubitare prudenter saltem potuerint, explicat hìc, disp. 2, card. de Lugo, quin nec fidem necessariò inde ortam fuisse ostendit Judæ proditoris factum, qui fidem de Christi divinitate solertissimè abjecit, licet in ejus confirmationem ipse miracula sit operatus. Hinc divi Thomæ assertiones intelligi possunt vel de evidentiâ credibilitatis, vel de aliâ quâpiam minùs propriè ac strictè sumptâ veritatis.

Ad quartum, respondeo : Transeat major, quia suppositâ veritate minoris, vel concedenda tantùm est scientia eorum quæ viderat, vel alia propositio obscura adjungenda, unde fides de eodem objecto etiam per scientiam cognito haberetur. Nego minorem; fundamentum negandi ortam ex evidentiâ memoriam rerum visarum et assensum, præbet ipse Apostolus, dùm de alio adjuncto inevidentiam fatetur, 2 ad Cor. 12, 2 : *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi ad tertium cœlum;* et simul etiam addit se audivisse *arcana verba*, ex quibus plures statuunt Apostolo nec olim accidisse visionem intuitivam, sed abstractivam et ænigmaticam.

Ad quintum, respondeo : Præterquàm quòd, teste S. Gregorio Magno, Thomas dici possit aliud vidisse, aliud credidisse, aut pro fidei objecto formali vel totali vel partiali desiderâsse visionem, ex quo plus etiam quàm adversarii optant sequitur, satis manifestum est hìc non intercessisse evidentiam metaphysicam in attestante, sed locum fuisse formidationi. Quæri hic etiam solet an habitus fidei supernaturalis et scientiæ naturalis in eodem intellectu possint simul operari, num in actus indistinctos, tum in unum eumdemque actum influendo; et his quidem verbis.

Quæres 2° an obscuritas facci compatiatur evidentiam rei attestatæ?

Respondeo 1° : Possunt in eodem intellectu circa eamdem veritatem, verbi gratiâ, circa unius Dei existentiam simul stare actus fidei supernaturalis et scientiæ evidentis, sive infusæ sive naturaliter acquisitæ. Probatur, in philosopho gentili, qui habens naturalem Dei unius demonstrationem, velit accedere ad Deum ut justificetur : nam non obstante scientiæ naturalis habitu et actu tenetur eamdem Dei unius existentiam fide supernaturali credere : ergo potest credere, simulque stare actus supernaturalis fidei cum naturali scientiæ de eâdem veritate assensu. Antecedens liquet ex vulgatâ illâ ad Hebr. 11 sententiâ : *Accedentem ad Deum oportet credere quia est;* quibus verbis manifestum est proponi verum præceptum de actuali fide Dei existentis : ut colligitur ex Trid. sess. 6, c. 6, quod ex hoc textu docet fidem de existentiâ Dei esse dispositionem ad justificationem; item ex Ecclesiâ in symbolo omnibus præscribente communem illam credendi formulam : *Credo in unum Deum;* denique ex damnatâ ab Inoc. XI hâc 23 : *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.* Consequens est evidens.

Si ais cum Thomistis 1° τὸ *credere* accipi hìc ab Apostolo pro quocumque assensu certo; 2° ibi requiri fidem de Deo ut auctore supernaturali; 3° solùm exigi præparationem animi ad credendum; 4° non esse sermonem de habentibus evidentiam, et in sensu composito evidentiæ; — respondeo : Nulla ex his tenet responsio : non prima, quia Apostolus præmiserat : *Sine fide impossibile est placere Deo;* quibus continuò subjungit : *Credere enim oportet;* certum autem est in prioribus verbis de fide propriè tali disseri; adeòque et posteriora verba eamdem usurpationem retinere, ut ex damnatâ manifestum est. Præterea quia concilium Tridentinum ex eisdem verbis fidem assignat tanquàm dispositionem ad justificationem non aliter ac spem, timorem, dolorem, etc.; sicut reliqui dispositionum actus in sensu suo proprio sumuntur, sic et fidem accipere oportet. Secunda rejicitur, quia Apostolus duo requirit, credere nempe, *quia est, et inquirentibus se remunerator sit;* primum autem significat simpliciter Deum existere secundùm interpretationem Patrum apud Suaresium, disp. 3, sect. 9; unde et in symbolo dicitur : *Credo in Deum creatorem cœli et terræ;* ergo non solùm de Deo ut auctore supernaturali, sed et ut auctore naturæ, fides requiritur. Tertia videtur æquè aliena à mente Pauli et Tridentini; nam Apostolus ait : *Credere oportet*, et concilium : *Credentes vera esse*, etc.; credere autem assensum significat, non verò solam animi præparationem ad credendum, sicuti sperare, diligere, etc., in Tridentino nequeunt de solâ animi præparatione ad sperandum et diligendum explicari. Quarta denique multò minùs subsistit, tum quia dici nequit quòd præceptum Apostoli pertineat tantùm ad idiotas et indoctos, cùm sine omni discrimine inter doctos et indoctos à Scripturâ proponantur credendæ perfectiones divinæ plures naturaliter demonstrabiles, et ex præcepto professio fidei omnibus facienda sit juxta symbolum; tum quia spertineat præceptum credendi ad omnes, etiam illi qui evidentiam de Deo existente habent, debent posse credere, adeòque conjungere actum fidei supernaturalis cum scientiâ naturali de eodem objecto; aut si id non possent, et imprudenter obligarentur illo præcepto, et fidei professionem edentes vel mentirentur vel falsum dicerent, et præ indoctis forent condito-

nis deterioris, carentes primâ ad justificationem ac summè necessariâ dispositione. Nec juvat dicere doctos debere mentem avocare à tali evidentiâ, tum quia hoc gratis ac sine fundamento petitur, tum quia hoc aliquando non est liberum.

Respondeo 2° : Etiam idem realiter actus potest esse fides theologica supernaturalis et scientia evidens, sive infusa, sive naturaliter acquisita. Probatur : In casu jam posito possunt intellectui simul obversari ambo motiva, nempe fidei motivum, quod est auctoritas divina revelans, et medium demonstrationis; ergo possunt utraque simul operari, seu potiùs intellectùs elicere assensum de existentiâ Dei ex utroque motivo, tanquàm in actu primo adæquato. Prædicata invicem opposita non cadunt supra actum eodem modo consideratum, sed prout ille nititur diversis motivis. Utrùm autem talis actus propriè dici possit fides theologica, ad modum loquendi pertinet.

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM AFFECTIONIBUS ACTUS FIDEI.

ARTICULUS PRIMUS.

Qualis fides necessaria sit necessitate medii ad justificationem et salutem.

Nota : Inter fidei affectiones ejus necessitatem ac oppositionem referimus. Fides potest intelligi vel strictè vel latè ; strictè sumpta nititur revelationi divinæ formali, quâ Deus liberè loquitur et testatur aliquid ad extra ; latè sumpta vocari potest quæcumque illustratio supernaturalis, aut assensus qui nititur revelationi divinæ solùm virtuali, quâ Deus quasi virtualiter loquatur per creaturas quascumque, quatenùs hæ indicant divinas perfectiones, juxta illud Psal. 18 : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Præterea fides spectari potest formaliter et in actu aliquo, vel tantùm virtualiter ac in voto. Quæritur itaque 1° an fides, quam alibi jam ostendimus esse medium necessarium ad salutem, sit strictè aut latè sumenda ; 2° an fides ipsa formalis et in actu requiratur, vel sufficiat ejus votum, seu in alio. Quòd fides debeat esse actus internus et supernaturalis, per se patet.

Dico 1° : Fides ad salutem necessaria debet strictè sumi, nec sufficit fides latè accepta. Patet ex propositione, ordine 23, ab Innocentio XI damnatâ : *Fides latè dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit.* Probatur 1° : Fides, sine quâ Apostolus ad Hebræos 11 dicit, impossibile esse placere Deo, ab eodem antecedenter definitur *sperandarum substantia rerum, et argumentum non apparentium*, ac postea asseritur fuisse in patriarchis, operatamque esse justitiæ ; opera et præmia ; sed hæc de solâ fide strictè sumptâ intelligi possunt, et ibidem etiam additis revelationibus declarata sunt ; ergo. Confirmatur : Tridentinum, sess. 6, c. 6, pro dispositione ad justificationem requirit fidem, quâ credantur ea *quæ divinitùs revelata et promissa sunt ;* simulque addit : *De hâc dispositione scriptum est, accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quòd inquirentibus se remunerator sit.* Ergo patet tum ab Apostolo, tum à concilio fidem strictè sumptam medium necessarium haberi.

Probatur 2° : Assensus existentiæ Dei præstitus ob testimonium creaturarum, est assensus scientiæ, non verò fidei ; tum quia pro motivo habet solam connexionem creaturarum cum Deo : tum quia producto etiam hoc universo, ex quo relucent divinæ perfectiones, potuit per illud suam auctoritatem quam in loquendo habet, interponere vel non interponere, cùm etiam virtualiter loqui ipsi sit liberum ; quòd autem eam interposuerit, ex creaturis intelligi nequit : tum quia hæc ipsa locutio virtualis per creaturas est solùm metaphorica, et impropriè sumpta, et ne quidem ejusmodi, qualis fit per miracula in confirmationem veri edita, cùm creaturæ non producantur à Deo tanquàm signum præcedentis loquelæ, sed solùm ut manifestatio materialis suæ omnipotentiæ. Ergo non est fides ad salutem necessaria. Confirmatur : Dùm Trid. sess. 6, c. 8, concilia et Patres secutum, fidem vocat initium salutis, fundamentum et radicem omnis justificationis illam non statuit tanquàm dispositionem merè passivam, et prævè requisitam, sed tanquàm meritum de congruo ; ut patet tum ex timore, spe, amore, aliisque dispositionibus ibidem, c. 6, fidei adjunctis quibus omnes rationem meriti tribuunt : tum quia aliàs auxilium supernaturale prævium ad fidem potius dicendum erat initium, radix et fundamentum, tum quia nec commendanda à concilio fidei libertas fuerat, ut tamen c. 5 et 6 factum ; sed sola fides strictè dicta utpote obscura, potest esse libera, et habere rationem meriti de congruo ; non verò fides lata, quæ cùm sit evidens, nec libera, nec meritoria esse potest ; ergo.

Dico 2° : Eadem fides debet esse formalis et actus reipsà elicitus, ita ut non sufficiat ejusmodi actus solùm in novo. Probatur : Si formalis actus fidei strictæ sumptæ non foret necessarius ad salutem, ergo fides latè talis posset illi æquivalere, ac illius defectum supplere ; sed fides latè dicta talis naturæ et efficaciæ non est ; ergo. Major patet à paritate de Baptismo et sacramento pœnitentiæ, quæ idcò dicuntur in voto duntaxat necessaria, quia illis æquivalent quoad efficaciam, et eorum defectum supplere possunt amor et contritio perfecta. Minor probatur : Si fides latè dicta posset supplere defectum fidei strictè talis, illud haberet vel ex ordinatione divinâ, vel ex ipsâ suâ naturâ ; sed ex neutro capite illi hæc vis convenit : non enim ex primo, quia nullibi Scriptura hanc illi efficaciam asserit ; neque ex secundo, quia omnis etiam supernaturalis cognitio ex creaturis hausta de Deo, solùm est de eo ut auctore naturæ, adeòque fundare nequit amorem amicitiæ perfectum et justificativum. Confirmatur 1° : Apostolus, loco citato, fidei, quam antea dixerat ad salutem necessariam, exempla proferens, non alia recitat quàm quæ fuerunt actus reipsà eliciti fidei strictè sumptæ. Item Christus, postquàm, Marc. 16, 16, dixisset : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, mox subjungit, nihil jam de baptismo commemorans : *Qui verò non crediderit, condemnabitur ;* unde colligitur, fidem magis ad salutem necessariam esse quàm baptismum ; ergo licet hic sufficiat in voto, fides ta-

men in voto non sufficiet. 2° Si fides in voto sufficeret, sequeretur, fidem omnium articulorum esse æqualiter necessariam; fides enim in voto virtualiter et implicitè extendere se debet ad omnes omninò articulos : sed fides de omnibus articulis non est æqualiter necesssaria, quia pauca sunt necessaria necessitate medii : alia verò primariò, alia secundariò præcepta.

Objectiones.

Objicies contra primum : Ad Rom. 10, 17, fides vera habetur ex auditu; sed ad fidem ex auditu habendam sufficit testimonium virtuale per creaturas; quia, quæ David, Ps. 18, de cœlis et firmamento, v. 5, dixerat, eadem hìc assumit Paulus, v. 18, dicens : *Numquid non audierunt? et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Ergo. — Respondeo : Nego majorem; ad probationem distinguo : Quæ David de cœlis et firmamento litteraliter dixit, eadem Paulus assumit allegoricè de Apostolis et Evangelii prædicatoribus, concedo; usurpat litteraliter de cœlis ac firmamento, nego; usurpationem allegoricam cum S. Augustino aliisque Patribus communiùs asserunt interpretes; et argumentum hujus capitis exigit, cùm Paulus ibidem loquatur de fide in Christum et Evangelii, quæ certè ex testimonio creaturarum hauriri nequit.

Inst. 1° : Apostolus, Act. 14, 16 : *Non sine testimonio*, inquit de Deo, *reliquit seipsum, benefaciens de cœlo, dans pluviam et tempora fructifera, implens cibo et lætitiâ corda nostra;* ergo opera Dei ut auctoris naturæ sunt sufficiens ad fidem testimonium; tum quia Chrysostomus in illum textum : *Deo siquidem*, ait, *tam loquenti, quàm mirabiliter operanti æquè credere et obedire oportet;* tùm quia secundùm probabilem theologorum sententiam miracula, etsi tantùm sint virtuale testimonium Dei, ad actum fidei movendum sufficere possunt. — Respondeo : Nego consequens : quia Paulus hìc non loquitur de testimonio sufficiente ad fidem strictè talem, ejusque objectum creditu necessarium per modum medii, sed de testimonio duntaxat sufficiente ad notitiam vel scientiam de Deo ut auctore naturæ existente; tùm quia opera illa, quæ testimonium Dei compellat, prorsùs naturalia sunt, neque aliter, quàm effectus suam causam, hoc est, naturaliter significant et manifestant : tùm quia de testimonio loquitur, quod infideles etiam habent, cùm ibidem dicat de Deo hæc operante : *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas;* quibus certè infideliter positiva universaliter dari nequit; aut negativa in peccatum suscipi posset cum Baio, cujus tamen prop. 68, hoc de Christi fide enuntians, damnata est. Ad probationem primam : Distinguo : Deo tam loquenti quàm mirabiliter operanti æquè credere et obedire oportet, si mirabilia operatur in confirmationem præviæ revelationis, atque nìnc ex intentione fidei eliciendæ, concedo; si sic non operetur, nego; Deo credere non possumus, nisi ipse liberè interponat suam auctoritatem, quam in loquendo habet; cùm igitur per hoc præcisè quòd aliquid producat, hanc auctoritatem non interponat, propter effectus præcisè à Deo productos eidem credere non possumus. Ad probationem secundam respondeo : Qui miraculis tribuunt vim intrinsecè et per modum objecti formalis partialis movendi ad fidem, simul supponunt præcessisse revelationem divinam, in cujus confirmationem ea eduntur; consequenter, quatenùs confirmatoria revelationis, moraliter dici possunt locutio divina iterata, et testimonium Dei virtuale non simpliciter tantùm, sed in ordine ad credendam rem à Deo revelatam; simile quid, ex defectu illius supposìti, minimè convenit cuicumque productioni creaturarum à Deo ad manifestandam materialiter gloriam suam factæ.

Instabis 2° : Hoc ipso quòd quis ex creaturis cognoscat Dei existentiam et perfectiones, potest prudenter supponere quòd Deus revelaverit suam existentiam et perfectiones; sicut ex eo quòd quis agnoscat dictamen suæ conscientiæ seu rectæ rationis, et sciat id nobis à Deo ut Legislatore inditum, potest certò scire Deum reipsà aliquid præcepisse aut prohibuisse, ergo et hoc ipso potest quis vi acceptæ à creaturis notitiæ, quasi reflexè etiam credere fide strictè dictâ. — Respondeo : Nego antecedens; vel enim revelatio ejusmodi præcisè ex solâ creatione prudenter supponi nequit, cùm revelatio Dei formalis sit nova actio Deo libera, quæque ex novo fine poni potest : vel exinde non potest supponi, nisi probabiliter, et quidem de existentiâ et perfectionibus Dei duntaxat ut Auctoris naturæ : verum nec probabilem notitiam de revelationis existentiâ sufficere ad fidem, nec fidem de Deo ut naturæ Auctore satis esse ad justificationem, alibi ostensum. Ad probationem, transeat antecedens, quod de Deo tantùm ut Legislatore naturalia præcipiente vel prohibente intelligi potest; negatâ consequentiâ, disparitas est, quia non potest cognosci dictamen conscientiæ obligantis sine cognitione alicujus superioris ac legislatoris, qui mandatum dederit, ut dictum in tractatu de Peccatis, potest tamen cognosci Dei existentia et perfectio quæcumque naturaliter cognoscibilis ex effectu creato, quin intelligatur Dei revelatio circa ejus modi prædicata.

Inst. 3° : Stante solâ fide latè tali vel homo potest Deum super omnia amare amore perfecto amicitiæ, vel amor amicitiæ strictè dictus non requiritur ad justificationem; postremum enim nec exigitur ex ordinatione divinâ, cùm hæc ad justificationem nihil exigat, quàm quod ex naturâ rei requiritur; nec etiam exigitur ex naturâ rei, cùm vi hujus sufficiat amor Dei supernaturalis et appretiativus super omnia, utpote per quem modo supernaturali Deus præponitur omni creaturæ, sicut per peccatum mortale fuit postpositus; talem autem amorem posse provenire ex fide latè tali, colligitur ex S. Augustino, l. 10 Conf. c. 6, dicente : *Cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt ut te amem, nec cessant dicere omnibus ut sint inexcusabiles;* ergo. — Respondeo. Nego utramque partem antecedentis : Cùm enim ex dictis liqueat amorem amicitiæ perfectum erga Deum haberi non posse, nisi ex fide de Deo ut remuneratore

supernaturali, fides autem latè dicta de eo esse nequeat : sequitur stante solâ fide latiùs acceptâ, homini hunc amorem non competere. Amorem verò amicitiæ ad justificationem extra sacramentum requiri dicimus inprimis ex ordinatione divinâ; quia ex hâc secundùm Apost. ad Hebr. *impossibile est placere Deo sine fide* Dei remuneratoris; adeòque cùm illa fides ordinetur ad amorem Dei, sicut necessaria est fides de Deo, ut benevolo, remuneratore et amico, sic etiam amor amicitiæ exigitur; deinde etiam asserimus ex naturâ rei necessitatem talis amoris ad justificationem; cùm enim ista formaliter consistat in jure filiationis Dei adoptivæ et amicitiæ, hæc autem in possessione Dei amicabili, consequens est, amorem ferri debere in Deum ut benevolum tali benevolentiâ amicabili, ut justificationem de congruo amor ille per se mereatur. Hinc ad primam probationem nego assumptum, et ex ratione adjectâ potiùs infertur contrarium. Ad secundam probat., rationem distinguo : Ex naturâ rei sufficit amor Dei supernaturalis et appretiativus super omnia, qui sit amicitiæ, concedo; qui sit concupiscentiæ duntaxat aut simplicis benevolentiæ, nego. Quod de peccato additur, pugnat pro nobis; sicut enim mortale est per se violatio amicitiæ divinæ, sic ad illud abolendum per se requiritur amor amicitiæ. Porrò S. Aug. loqui duntaxat vel de amore Dei naturali, vel de supernaturali quidem, sed imperfecto concupiscentiæ aut benevolentiæ, colligere licet ex verbis l. c. mox subjunctis : *Altiùs autem tu misereberis, cui misertus eris, et misericordiam præstabis, cui misericors fueris : alioquin cœlum et terra surdis loquuntur laudes tuas.*

Instabis 4° : Ante actum fidei strictè talis potest elici pia affectio credendi super omnia firmiter quæ divinitùs revelantur; item ex solâ fide latè tali potest quis elicere actum attritionis, et cum eâ suscipere sacramentum baptismi, sicque justificari sine omni actu fidei strictè acceptæ; ergo et amor perfectus potest elici ante fidem rigorosè dictam, et sine eâ obtineri justificatio. — Respondeo quoad primum : Nego consequens; disparitas est quia pia affectio credendi pro suo motivo formali habet solam honestatem quæ in eliciendo actu fidei propter revelationem divinam elucet; unde hæc sufficienter dirigitur per motiva credibilitatis et judicium prudentiæ supernaturalis; amor amicitiæ divinæ perfectus autem pro motivo formali habet Deum ut benevolum et amicabilem remuneratorem; cùm verò Deus ut talis nequeat cognosci ex creaturarum testimonio, sed ex revelatione divinâ, fidem strictè talem ex ipsâ rei naturâ requiri ad ejusmodi amorem sponte suâ consequitur. Quoad secundum, nego antecedens et ejus suppositum, quòd hic casus sit possibilis, tum quia homo ejusmodi non potest elicere attritionem pro justificatione, etiam cum sacramento requisitam; eò quòd attritio, juxta Tridentinum, sess. 14, c. 4, debet esse conjuncta cum spe veniæ; hæc spes autem regulari à fide strictè dictâ, quâ Deus cognoscatur certò esse placabilis; tum quia nequit habere sufficientem intentionem suscipiendi baptismum, nisi priùs saltem implicite crederet hunc esse remedium salutis, ac consequenter ex fide strictè tali notitia Dei ut supernaturalis Auctoris et Salvatoris habeatur. Sunt tamen qui dicant adultum ejusmodi solo originali peccato infectum forsan justificari et salutem nancisci, sed præcisè ut hæreditatem ad modum parvulorum.

Instabis 5° : Licet charitas à S. Patribus dicatur necessaria ad meritoria opera vitæ æternæ, hoc tamen non intelligi debet de charitate propriè usurpatâ habente pro motivo bonitatem divinam, sed de latiùs acceptâ, et quæ pro motivo habet quamcumque honestatem virtutis moralis ad Deum relatam; ergo similiter, licet ad salutem dicatur necessaria fides, hæc de strictè acceptâ intelligi necessariò non debet, sed potest accipi vel latè, vel pro fide præscindente ab utrâque ratione. Respondeo : Disparitas est quia tum ipsa Patrum verba et usurpatio charitatis manifestè ostendit aliam quàm stricti sensûs acceptionem, tum ipsa rei veritas ac natura probat rationem meriti non charitati duntaxat, sed hominis justi operibus supernaturalibus aliis convenire; è contra à Scripturâ et Patribus præter fidem strictè dictam non usurpatur fides alia ex testimoniis duntaxat creaturarum, ac ex eisdem ostensum etiam est fidem propriam ex ipsâ rei naturâ requiri.

Instabis 6° : Cornelius centurio, Act. Apost. c. 10, ante fidem erat *religiosus ac timens Deum, ejusque orationes et eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Ergo etiam ante fidem fuit justificatus. Confirmatur : Plures gentiles habuerunt solam fidem latiùs dictam, quia *cognoverunt Deum ex creaturis*, Rom. 1, 19, et tamen qui eorum Deum pro illâ cognitione non glorificaverunt, traditi sunt in pœnam suis desideriis ac *inexcusabiles* dicuntur ibid., c. 2; qui verò huic cognitioni sunt obsecuti, ea quæ *legis* sunt fecerunt; ergo ex solâ fide latâ tum poterant benè et salutariter operari, tum etiam meritoriè operati sunt, juxta v. 10 et 11 : *Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primùm et Græco, non enim est acceptio personarum apud Deum;* ergo fides strictè dicta non est simpliciter, sed tantùm ut faciliùs aut perfectiùs obtineatur justitiæ apex, juxta illud ad Rom. 1, 17 : *Justitia Dei in eo* (Evangelio) *revelatur ex fide in fidem.* — Respondeo : Distinguo antecedens : Cornelius ante fidem in Christum eamque explicitam erat religiosus ac timens Deum, concedo; ante fidem propriè dictam in Deum existentem et remuneratorem, nego; ad confirmationem, respondeo : Quamvis multi negent, ante fidem propriam haberi posse opera supernaturalia, nisi quæ vel ex seipsis vel ab operantibus referuntur ad obtinendam fidem, cùm Deus det gratias actuales ex intentione obtinendæ justificationis, adeòque in ordine ad fidem, quia tamen dogma catholicum est, gratias saltem remotè sufficientes dari etiam infidelibus (hæ autem gratiæ probabiliùs constituuntur illustratione et affectione supernaturali, quâ ad servandam legem naturalem infideles excitantur et adjuvantur), hinc distinguo primam consequentiam : Ex solâ fide latâ

poterant salutariter ac meritorie operari, et operati sunt opera supernaturalia mediatè ac remotè disponentia ad justificationem, concedo; immediatè ac proximè ad justificationem disponentia, nego. Inde verò secundam consequentiam falsam esse constat; quæ etiam nihil juvatur per textum Pauli, qui loquens de justitiâ Dei per Evangelium revelatâ, hoc ipso per fidem, ex quâ in fidem revelatur, non potuit intelligere cognitionem ex creaturis haustam, sed fidem veteris Testamenti in ordine ad fidem novi Testamenti, vel incipientem et imperfectam respectivè ad fidem proficientem, perfectam et charitate formatam, de quo vide Cornelium à Lapide.

Cæterùm ordo justificationis et salutis à fide latâ cœptæ à quibusdam hìc aptè statuitur: 1° ubi gentilis ex pulcherrimâ universi serie naturaliter cognoscit dari aliquem illius potentissimum et sapientissimum auctorem, Deus illum supernaturaliter illustrat de obligatione et honestate indagandi existentiam et essentiam hujus auctoris. 2° Si homo huic illustrationi cooperatur, pro illâ notitiâ capiendâ orat, facitque quantùm in se est, observando legem naturalem nec peccando; vel Deus cursum causarum secundarum ita disponit ut ab alio homine saltem possit instrui in necessariis necessitate medii, vel ministerio angelorum mediatè, aut immediatè privatâ ac internâ revelatione, in iisdem instruit. 3° Hâc instructione supposità Deus homini dat gratiam actualem ad eliciendum actum fidei circa Dei amicabilis remuneratoris existentiam, et subinde ad actus spei ac charitatis seu amicitiæ. 4° Posito amoris amicitiæ perfecto actu, homo justificatur, et à peccato originali emundatur per baptismum flaminis, in tali amore virtualiter inclusum. Hunc statum reliqua consequuntur, quæ aliis etiam in hominibus ad perseverantiam et salutem requisita contingere solent aut debent.

Inst. 7°: Si fides strictè talis est absolutè necessaria ad justificationem, ergo nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem, ac fides est prima gratia, et fons omnium aliarum: sed hæ sunt propositiones ordine 26 et 27 Quesnelli damnatæ in Bullâ *Unigenitus;* ergo. — Respondeo: Distinguo sequelam majoris: Ergo fides inchoata, initialis et imperfecta esset prima gratia et fons omnium aliarum, ac nisi per hanc nullæ darentur gratiæ, concedo; fides completa, perfecta et explicita etiam in Christum, nego. Prioris fidei nomine intelligimus quamlibet Dei cognitionem, si modò cœlitùs immissa sit, et tum gratias tum actiones salutares ad fidem sive proximè sive remotè disponentes; conformiter ad dicta S. Augustini, qui hæc et similia, l. 1 ad Simpl., q. 2, appellat *inchoationes quasdam fidei, conceptionibus similes.* De posteriore autem intelligenda est damnatio, prop. 26 et 27. Quod enim Jansenistæ docuerant in prop. 5 ab Alex. VIII damnatâ, nempe in Paganis, Judæis ac hæreticis voluntatem nudam esse ac inermem sine gratiâ sufficiente; quodque Quesnellus in prop. 29 asseruerat, extra Ecclesiam gratiam concedi nullam; hoc ipsum idem et instauravit et repetiit in illis propositionibus allatis, quibus negavit ante fidem in Christum, vel etiam in Deum remuneratorem, dari gratiæ auxilia prævenientia et quodcumque opus salutare.

Objicies contra secundum: Fidelis cum solâ fide virtuali potest elicere actum amoris justificativum; quia non semper requiritur ad actus meritorios eliciendos immediatè prævia fides formalis: ergo et id poterit infidelis; consequenter fide strictè sumptâ reipsà et actu non requiritur. Confirmatur 1°: Licet baptismus et pœnitentia formalis ac confessio dicantur necessaria necessitate medii, intelligi tamen hæc necessitas potest de iis vel in re vel in voto: ergo idem dicendum est de necessitate fidei strictè talis. 2° Juxta nos nomine fidei in Christum, potest intelligi fides implicita, sive in Salvatorem; ergo etiam idem dici poterit de fide in Deum ut amicabilem remuneratorem. — Respondeo: Nego consequentiam; disparitas est quia fides virtualis, quam apud fidelem sufficere dicimus, non est fides tantùm in voto, sed reipsà existens, et in actu, licet duntaxat tenui ac fermè imperceptibili, quæ eatenùs dicitur virtualis, quatenùs præsupponit formalem expressam et reflexam, ex cujus virtute procedit atque in aliquo effectu perseverat; talem autem apud infidelem reperire non est, utpote qui fide strictè tali semper caruisse supponitur. Ad confirmationem primam, nego consequentiam; disparitas est: Fidem in voto sufficere nuspiam Scriptura docet; ut tamen significat de baptismo et confessione, ubi actibus charitatis et contritionis vim justificandi tribuit, quam neque propter sacramentorum institutionem, et obligationem inde ortam, illis fuisse ablatam ullibi declarat. Præterea etiam assignari non potest actus alius intellectûs qui fidei strictè sumptæ æquivaleat, aut vim ejus præstet. Ad secundum, nego consequentiam, disparitas est, cùm fides in mediatorem hominem Deum, cum reliquis proprietatibus ac circumstantiis Redemptoris, nec ex naturâ rei, nec ex ordinatione divinâ ostendatur necessaria, fundamentum est fidem in Christum explicandi de fide implicità ac in Salvatorem, ubi illius mentio occurrit et necessitas asseritur; quia verò contrarium probavimus de fide strictè sumptâ, asserta fidei necessitas malè referetur ad fidem latam.

Observa. Fidem etiam necessariam esse ex præcepto, manifestè docemur tum ex ejus necessitate hactenùs assertâ, tum ex aliis Scripturæ textibus; Eccli. 2: *Qui timetis Deum, credite illi;* Joan. 3.: *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus,* etc. Unde ab Innocentio XI est proscripta hæc propositio 16: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundùm se;* item ab Alexandro VIII hæc ordine prima: *Homo nullo unquàm tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Porrò, cùm illud præceptum sit duplex, aliud scilicet negativum, seu prohibens, ne quis fidei mysteriis dissentiat, aut de iis dubitet, aliud affirmativum, seu præcipiens, ut iisdem veritatibus assensus actu detur, certum est primum obligare pro semper, quia nullum est tempus quo fidei mysteria sufficienter proposita repudiari

possint; secundum etiam aliquando quidem obligare liquet ex proximè dictis. Ad tempus verò præcisè determinandum facit tum censura ab Innocentio XI inflicta huic ordine 17 propositioni : *Satis est actum fidei semel* in vitâ elicere; tum universalis omnium sententia statuens, hoc præceptum sæpiùs urgere in vitâ et ratione suî, et per accidens. Nam per se quidem videtur urgere 1°, cùm fides catholica sufficienter proposita est infidelibus, hæreticis et iis qui in infantiâ baptizati rationis usum attingunt; 2° cùm gravis contra fidem pulsat tentatio, 3° cùm quis in hæresin vel dubitationem voluntariam circa fidei mysteria lapsus est; 4° cùm adest probabile mortis periculum. Per accidens autem, ubi sine actu fidei præcepta Dei vel Ecclesiæ, ut par est impleri, aut peccata vitari non possunt; sic seclusâ fide magis aut minùs explicitâ, nec dignè quis Deum orare nec peccatorum in sacramento remissionem consequi potest; sic etiam aliquando tam graves carnis contra spiritum insurgunt motus, ut certò succumbat qui non à fide robur quæsiverit, repræsentando sibi Deum judicem, qui corpus et animam gehennæ addicat.

Articulus II.

Quomodò opponatur fides infidelitati?

Nota 1° : Infidelitas triplex est : primò negativa, sive ignorantia inculpabilis rerum fidei, et est in eo cui fides vel simpliciter vel sufficienter non est sic annuntiata, ut credere possit et debeat. Hæc quidem peccati pœna est, non autem peccatum, ut ex damnatione Baianæ patet, quæ ordine 68 sic dicit : *Infidelitas purè negativa in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Secundò, privativa : est ignorantia culpabilis in eo qui quos potuit discere articulos fidei negligit, vel cui fides sufficienter est annuntiata ut credere debeat, omittit tamen credere, quin simul positivè dissentiat, vel ullum errorem fidei contrarium admittat. Hæc peccatum est quidem contra fidei præceptum, fidei tamen objecto formali directè non opponitur. Tertiò, positiva, sivè contraria, antonomasticè quasi definitur deliberatum ac pertinax judicium contra aliquem fidei articulum; magis autem genericè à cardinali de Lugo describitur esse peccatum quod ex objecto suo ita opponitur fidei actuali, ut quamdiù non retractatur, non possit homo habere voluntatem credendi vero et proprio actu fidei divinæ; atque hoc contingit quando quis vel dissentitur objecto fidei sufficienter proposito, vel assentitur objecto quod fidei repugnare cognoscit, vel de rebus fidei satis propositis voluntariè dubitat, vel deliberatè statuit aut omnia, aut aliqua fidei objecta non credere. Inde autem colligitur infidelitatem propriè talem nec haberi in errore inculpabili; cùm hic peccatum non sit; nec in errore culpabili ad culpabilem ignorantiam sequente : cùm in hujus consortio stare possit tum voluntas tum actus credendi articulos sufficienter propositos, et quorum ignorantia non adest : nec in negatione fidei externâ aut perversione aliorum ad falsam sectam, si negatio interna aut dissensus contra fidem absit; cùm hæc omnia, licet sint gravia contra fidem peccata, actui tamen fidei interno non opponantur ex parte objecti : nec in voluntate peccaminosâ, quâ quis universim nollet audire doctrinam aut fidem christianam, cùm eâ etiam stante dari simul queat voluntas efficax credendi illam doctrinam, quantùm est ex parte objecti; quia si in hoc casu vel fortuitò, vel coactè hauriret fidei notitiam, posset velle et etiam credere.

Porrò infidelitas propriè dicta nonnunquàm cum hæresi confunditur; communiter tamen universaliùs sumpta subdividitur in paganismum, Judaismum et hæresim. Denique apostasia universim sumpta est defectio à fide priùs susceptâ, atque ad unam ex memoratis infidelitatem, pro ratione scilicet tùm recessûs, tum fidei, reducitur; in specie autem et per antonomasiam est transitus Christiani ad paganismum vel Judaismum; in quo sensu defectio à fide catholicâ ad hæresim Calvini propriè non dicitur apostasia.

Nota 2° : Quæritur autem an infidelitas positiva circa unum articulum possit componi cum fide naturali vel supernaturali circa articulum alium, v. g., utrùm Lutheranus negans arbitrii libertatem possit fide divinâ, in sensu composito hujus erroris, credere Incarnationem Verbi, quam veram et revelatam profitetur? Communis sententia negat, universim enuntians, non posse amorem efficacem aut assensum absolutum unius objecti propter motivum aliis commune opponi cum odio aut dissensu alterius, quod sub eodem motivo continetur. Altera ex principio contrario, et factâ inter actus virtutis perfectos et imperfectos distinctione, cum Ripalda, Lug. Vivâ, Ulloâ, etc., tenet culpabiliter in aliquo discredentem, hoc est, infidelitate positivâ circa unum articulum laborantem, posse simul credere alium fide divinâ imperfectâ, etiam supernaturali. Ubi tamen Ripalda, disp. 131, advertit bifariàm hæreticum dissentire posse articulo fidei; 1° admittendo revelationem Dei, et negando illam esse infallibilem; quo modo discredens articulum unum juxta omnes nequit alium articulum credere; 2° admittendo omnem Dei revelationem esse infallibilem, sed negando existentiam revelationis aliàs sufficienter propositæ. Præterea autem observandum est assensum imperfectum et minùs firmum non esse fidem simpliciter talem, quæ sufficiat ad justificationem, hominemque denominet fidelem, cùm hujus nomine intelligamus ex supra dictis assensum appretiativum super omnia, qualis non est actus imperfectus, qui potiùs dicitur fides initialis vel fidei inchoatio.

Dico 1° : Discredens culpabiliter unum fidei articulum non potest simul credere alium fide divinâ perfectâ et simpliciter tali. Probatur : Fides divina perfecta et simpliciter talis debet appretiativè ferri super omnia divinæ auctoritati ac revelationi gravitet opposita; ergo tam parùm potest componi cum dissensu culpabili divinæ revelationis sufficienter propositæ de alio mysterio, quàm parùm actus perfectæ charitatis stare potest cum culpabili et gravi transgressione alicujus præcepti. Confirmatur : Assensus fidei perfectæ ac simpliciter talis prærequirit voluntatem efficacem subjiciendi et captivandi intellectum in om-

nibus divinæ auctoritati loquenti, tum quia hoc requiritur ad credendum ex toto corde, tum quia hoc exigit propria et adæquata intellectûs captivatio; sed hæc voluntas componi nequit cum nolitione credendi aliquem articulum sufficienter propositum, ut per se manifestum est; ergo.

Dico 2° : Discredens culpabiliter unum fidei articulum potest simul credere alium assensu fidei objectivè divinæ imperfecto, probabiliter etiam supernaturali. Probatur prima pars : Potest quis prosequi aliquod objectum materiale virtutis ex motivo universali, ita ut non afficiatur erga motivum universale in totâ suâ latitudine, velitque ex eo rem aliquam materiæ ac difficultatis minoris, quam accedente majore difficultate aut materiâ non præstaret; v. g., culpabiliter nolens restituere centum, potest simul velle restituere decem ex motivo justitiæ; potest amicus eâ dilectione diligi, quæ quidem non patiatur negari illi pecunias, quamvis non parata sit pro eo subire famæ et vitæ periculum : potest cum violatione præcepti difficilioris stare Dei amor remissus et imperfectus, vi cujus voluntas maneat determinata ad observanda faciliora præcepta. Ergo pariter voluntas potest ita affici erga divinam auctoritatem loquentem, ut ei præbeat assensum solùm in iis quæ perfectionem practicam religionis ac fidei facilem reddunt, non verò in iis quæ reddunt difficilem; aut circa ea quæ sibi proponuntur his vel illis argumentis credibilia, non autem quoad illa quæ minoribus argumentis persuadentur.

Probatur secunda pars : S. Augustinus, l. de Patientiâ, cùm quæsivisset quantum schismatici patientia pro Christo ac vero fidei articulo valeret, et an donum Dei esset, cap. 27, sic respondet : *Neque enim hoc non est bonum, ut credat homo æterno supplicio se esse puniendum, si negaverit Christum, et pro istâ fide qualecumque supplicium perferat, et contemnat humanum. Proinde sicut negandum non est hoc etiam esse donum Dei, ita intelligendum est alia esse dona Dei filiorum illius Jerusalem quæ sursùm libera est mater nostra.* Ergo fides hujusmodi hominis alium articulum negantis, patientiaque pro veritate illius est actus supernaturalis, quia phrasi Augustinianâ actum aliquem esse donum Dei idem est ac esse cum auxilio gratiæ supernæ elicitum, ut toto hoc libro aliisque in locis manifestè docet. Huic adde sententiam S. Chrysostomi, de Fide introductoriâ, supra, part. 1, art. 2, in responsione ad objecta, recitatam et expositam; item Augustini, lib. 1 ad Simplicianum, q. 2, fidem inchoatam et imperfectam distinguentis à perfectâ et auctâ, quam utramque tamen, lib. de Prædestinatione sanctorum, c. 2, donum Dei esse contendit. Confirmatur : Deus hæreticis ac infidelibus confert auxilia supernaturalia ad salutariter operandum; ergo etiam ad fidem tum articuli quem positivè discredunt, tum articuli quem verum existimant; ergo, cùm aliunde inter fidem istius imperfectam et alterius dissensum non detur repugnantia physica, possunt concipere ex auxilio supernaturali fidem unius articuli imperfectam et alterius dissensum, præsertim cùm gratis ac sine fundamento asseratur lex Dei negans supernaturalem concursum ad credendum unum, ubi aliud culpabiliter non creditur. Dixi : *Probabiliter supernaturali*, quia ad præsentem quæstionem etiam sufficit, modò detur assensus naturalis propter revelationem divinam, siquidem et hæc vera fides objectivè divina dici potest.

Objectiones.

Objicies contra primum : Actus perfectus, v. g., temperantiæ in unâ materiâ, componi potest cum actu intemperantiæ in aliâ materiâ; actus perfectus fidei humanæ aut scientiæ stare potest cum positivo dissensu in aliâ propositione, et sic de aliis : ergo idem pariter contingere potest circa fidem divinam. — Respondeo : Nego consequens : Præterquàm quòd dentur diversæ specie temperantiæ : auctoritas humana non æqualiter sit vel perspicax vel verax circa rem quamcumque; pro diversis conclusionibus requirantur diversa demonstrationis media ac principia, cùm tamen auctoritas divina sit omninò eadem, et revelatio supponatur æqualiter satis proposita; universim disparitas est, quia nec temperantia, nec fides humana, nec alia hujusmodi exigunt aut connotant voluntatem efficacem universalem amplectendi omnia objecta materialia, quæ subsunt eidem motivo, cùm appretiationem sui motivi super omnia non dicant; at verò actus fidei perfectæ ac simpliciter talis est appretiativus divinæ auctoritatis super omnia, atque hinc voluntatem importat efficacem ac universalem submittendi intellectum divinæ auctoritati, quotiescumque Dei testimonium sufficienter proponitur; quia hoc sic propositum contemnere gravis est irreverentia, quæ cum illius summâ appretiatione conciliari nequit.

Inst. 1° : Assensus intellectualis fidei ex se non est acceptatio ne quidem virtualis omnium revelationum, quæ sufficienter proponuntur : ergo neque pia affectio est ejusmodi acceptatio; præsertim cùm obsequium et cultus fidei erga divinam auctoritatem sit intellectualis; adeòque, quod ad intellectum non spectat, nec ad obsequium et cultum fidei erga divinam auctoritatem pertinere censeatur. — Respondeo : Nego consequens : Quamvis assensus fidei intellectualis implicitè ac virtualiter saltem affirmet verum esse, quidquid Deus revelavit, quatenùs datur propter infinitam auctoritatem, ut in omnibus infallibilem; non tamen assentitur etiam virtualiter tantùm existentiæ cujuscumque revelationis sufficienter propositæ; tum quia interdùm aliàs contingeret hunc assensum implicitum esse falsum, sicut accidit subinde proponi sufficienter ut revelatum, quod reipsà revelatum non est : tum quia ejusmodi virtualitates in eo fundantur, quòd motivum hujus actûs commune sit actibus vel objectis aliis; jam verò cùm motivum intrinsecum assentiendi divinæ revelationi sit exercita revelatio divina, hæc reipsà existens; hæc verò non adsit cuicumque revelationi sufficienter propositæ, patet motivum assentiendi huic revelationi per actum fidei non esse commune revelationi cuicumque sufficienter propositæ.

Itaque oppositio actûs fidei perfecti cum infidelitate formaliter consistit in piâ affectione et voluntatis imperio universali, efficaci et appretiativo divinæ auctoritatis super omnia; atque hinc illud saltem virtualiter dicit : Volo submittere intellectum cuilibet revelationi sufficienter propositæ ; licet actus fidei nequidem æquivalenter dicat : Amplector ut verè existentes omnes revelationes satis propositas. Ad probationem respondeo, obsequium nihilominùs dici posse intellectuale, licet in ipso assensu formaliter non consistat; quia saltem circa assensum tanquàm materiam ipsius obsequii et cultûs versatur.

Inst. 2° : Quamvis hæreticus faceret contra cultum divini testimonii, si illud admittens negaret veritatem revelatam, tamen contra hunc cultum non peccat, si neget existere testimonium divinum ; sicut homini loquenti irreverens non est, qui duntaxat negat eum fuisse locutum : ergo negatio hujusmodi componi potest cum assensu fidei perfecto alterius mysterii. — Respondeo : Nego secundam partem antecedentis et probationis : Ad summam enim erga testimonium divinum reverentiam intellectualem spectat recipere illud ubicumque sufficienter proponitur credibile : sicut enim non absque irreverentiâ respueretur testimonium regis, ubi illud prudenter et rationabiliter proponeretur esse regis ; sic idem in nostro casu locum habet potiori jure, cùm Deus fidem exigat, quotiescumque satis credibile est ejus testimonium ; unde dissensum semper positivam irreverentiam esse colligitur.

Instabis 3° : Si actus fidei perfectus cum infidelitate non foret compossibilis, sequeretur quòd Zacharias discredens aut saltem hæsitans de futurâ prole sibi ab angelo prænuntiatâ, amisisset perfectam fidem circa alia mysteria, ad fidem catholicam et universalem pertinentia ; sed hoc minimè videtur dicendum : ergo. — Respondeo : Nego majorem ; Zacharias in eâ hæsitatione quæ minùs deliberata fuit, et ex inconsiderantiâ proficiscebatur, non peccavit graviter, ut Cornelius à Lapide in cap. 1 Lucæ exponit, adeòque illa non fuit positiva et propria infidelitas, cui duntaxat fides appretiativè super omnia graviter opposita tendens contrariatur. Idem responderi potest de Sarâ, Genes. 18, quæ dubitâsse etiam, sed sine minoribus credibilitatis motivis, de revelatione per angelum factâ videtur.

Objicies contra secundum : Apost., 1 ad Tim. 1, jacturam fidei comparat cum naufragio, dicens : *Quidam repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragaverunt*, et, c. 6, de errantibus in uno articulo ait : *Si quis aliter dicit, superbus est et nihil sciens.* Nomine *naufragii* autem, et illâ negatione *nihil sciens*, videtur significari amissio omnis fidei et auxilii ad credendum. Accedunt S. Augustinus, lib. 1 contr. Epist. Parmen., c. 7, asserens hæreticos non reipsà, sed solo nomine esse Christianos, et S. Thomas, hìc, quæst. 5, a. 3, in corp., sic concludens : *Unde manifestum est quòd talis hæreticus circa unum articulum fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundùm propriam voluntatem.* — Respondeo : Nego hunc sensum erui ex Scripturâ ; comparatio enim hæreticorum cum naufragantibus non est adæquata, quandoquidem aliàs illi destituerentur omni gratiâ et illustratione etiam ad resipiscendum aut ad eliciendum quodcumque bonum : consistit itaque hoc naufragium in jacturâ omnium habituum supernaturalium, ac difficultate appellendi ad salutis portum ; quæ in hæreticis major est ac in Catholicis. Idem respondetur ad secundùm textum : hæreticus enim dicitur *nihil sciens*, tum quia licet subinde habeat actus, tamen spoliatus est habitu fidei et scientiæ supernaturalis : tum quia actus fidei et assensus in illo adeò infirmi et imperfecti sunt, ut scientiæ appellationem non mereantur. Quod ad auctoritatem S. Augustinus spectat, cum illo etiam nos consentimus ; Christianus enim reipsà is duntaxat est ac dici meretur, qui nullâ in re à professione christianâ deficit. S. Thomas verò vel loquitur de hæretico, qui negat veritatem, fatendo esse revelatam, quia non tenet revelationem metaphysicè cum veritate connexam, ut exponit Ripalda, propterea quòd S. doctor pro ratione assignat, quòd is non adhæreat primæ veritati tanquàm regulæ infallibili ; vel solùm negat fidem perfectam et simpliciter talem, ut indicat in responsione ad primum.

Inst. 1° : Qui detestatur unum mortale ex motivo universali ac omnibus communi, implicitè ac virtualiter detestatur omnia mortalia, atque hinc nequit simul habere complacentiam in aliquo mortali : cujus ratio est, quia libertas voluntatis nequit separare virtualem inclusionem unius in altero ; ut patet in efficaci amore finis, circa quem licet libera sit voluntas ad amandum, non potest tamen efficaciter amare finem, et simul nolle ponere media ; ergo pariter id obtinet in fide. — Respondeo : Distinguo antecedens : Qui detestatur unum mortale efficaciter efficaciâ adæquatâ et in totâ latitudine motivi, etc., concedo ; efficaciâ duntaxat inadæquatâ et restrictâ, nego ; ad rationem, nego assumptum, universaliter sumptum, cujus exemplum tantùm locum habet in efficaci amore finis, dicente efficaciam adæquatam ; contrarium enim liquet ex aliis exemplis, et ex illo absurdo, quòd aliàs actus quilibet honestus, ob conformitatem cum ratione elicitus, esset retractatio cujuslibet peccati priùs commissi, nec conjungi posset cum actu rationi difformi.

Instabis 2° : Qui discredit aliquid cum gravi irreverentiâ in divinam auctoritatem, non credit aliud mysterium ex solo motivo reverendi divinam auctoritatem, sed ex motivo, v. g., majoris facilitatis, commodi, etc. Ergo talis assensus nequit esse supernaturalis. Confirmatur : Si assensus quo hæreticus credit Incarnationem, foret supernaturalis, in eo non destrueretur habitus fidei infusus, cùm in hoc casu non esset otiosus ; sed hoc falsum esse constat ex Tridentini sess. 6, c. 15. Ergo. — Respondeo : Nego antecedens ; facilitas illa vel commodum non est ratio motiva assensûs, sed duntaxat remotio impedimenti, quod aliàs vim motivam impediret ; et limitatio etiam assensûs ex remissione efficaciæ in piâ affectione provenit, sicut diffusio ejusdem secundùm omnem motivi

latitudinem, ab adæquatâ affectûs et voluntatis efficaciâ ortum habet; ex quo non minùs quàm ex allatis supra exemplis falsitas asserti detegitur. Ad confirmationem, nego majorem; habitus fidei deperditur ab hæretico demeritoriè et ob specialem indignitatem; unde adjuncta ratio hìc nihil evincit, præsertim quòd id etiam ostendant exempla aliarum virtutum infusarum; habitus enìm supernaturalis temperantiæ, misericordiæ, etc., quamvis in peccatore otiosi non forent, nihilominùs à nullo restare dicuntur. Ubi verò in absentiâ habituum eliciuntur actus fidei, temperantiæ, etc., horum supernaturalitas habetur vel à gratiæ auxilio transeunte, vel ab omnipotentiâ Dei specialiter applicatâ, prout in tractatu de gratiâ explicatur.

Instabis 3° : Non dantur actus fidei supernaturales, qui sint formidolosi et fundati tantùm in notitiâ probabili revelationis; ergo nec dantur fidei assensus supernaturales imperfecti et minùs efficaces. Respondeo : Nego consequens ; disparitas est quia formìdo vel est culpabilis vel inculpabilis : si primum, est positiva infidelitas, quia secum importat judicium erroneum de incertitudine motivi ; implicat autem actum fidei supernaturalem coexistere infidelitati positivæ circa idem mysterium : si secundum, adhuc nequit stare cum fide supernaturali circa idem mysterium ; quia assensus formidolosus est imperfectio essentialiter et intrinseca ipsius assensûs, nec captivatio intellectûs circa idem mysterium, cui assentitur ; adeòque nec supernaturalitas simpliciter, nec fidei supernaturalitas convenit ejusmodi assensui. Similia non sunt in actu fidei accidentaliter imperfecto, de quo nobis sermo est : ac præterea patet possibilem esse affectum supernaturalem in aliquâ materiâ, qui componatur cum amore prohibito circa aliam materiam licet nequeat conjungi cum amore prohibito circa materiam eamdem.

DE PRÆCEPTIS FIDEI
ET DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

AUCTORE P. PATUZZI

CAPUT PRIMUM.

De præcepto fidei affirmativo.

Doctrina.

I. *Quænam scire oporteat ex præcepto, ut credantur. Tenentur scire omnes quæ continentur in Symbolo Apostolorum.* — II. *Necesse non est, ut simplices, et rustici noverint quæ abstrusiora sunt in articulis fidei. Quænam scire sufficiat.* — III. *Quænam alia præter articulos Symboli scire teneantur fideles.* — IV. *Episcopi, pastores, ac doctores explicatiorem tenentur de his habere notitiam.* — V. *Fidei præceptum obligat ad hujus virtutis actus eliciendos.* — VI. *Hoc præceptum obligat* per se, *ac naturâ suâ. Propositiones damnatæ.* — VII. *Quotics fides sufficienter proposita est, tenetur quis ad eliciendum actum fidei.* — VIII. *Ad eumdem actum tenentur pueri, cùm primum rationis lumen ipsis affulget.* — IX. *Obligat hoc præceptum in probabili periculo mortis.* — X. *Probabiliùs in solemnioribus festis ad actum fidei omnes obstringuntur.* — XI. *Quoties obliget* per accidens *idem præceptum.* — XII. *Tenemur etiam aliquando exteriùs fidem confiteri.* — XIII. *Doctrina S. Thomæ circa hujus præcepti obligationem.* — XIV. *Casus et circumstantiæ generales in quibus urget hujusmodi præceptum.* — XV. *Qui ab auctoritate publicâ de fide interrogatur, tenetur ad hoc præceptum implendum.* — XVI. *Nullâ etiam habitâ ratione scandali, quod fortè secuturum sit.* — XVII. *A privatâ personâ de fide interrogatus potest confessionem omittere, spectatis circumstantiis.* — XVIII. *Quandoque tenetur Christianus professionem suam manifestare.* — XIX. *Licita fuga est in persecutione fidei. Doctrina S. Thomæ.* — XX. *De præcepto Ecclesiastico emittendæ fidei professionis quibusdam imposito.* — XXI. *Eliquantur aliquæ difficultates circa hoc præceptum.* — XXII. *Formula hujusce professionis edendæ præscripta à Pio IV.*

I. Vidimus, quænam credenda ab omnibus sint necessitate medii ad justificationem, et salutem consequendam ; nunc de credendis necessitate *præcepti*, sive *de præcepto fidei affirmativo* videamus. Quâ in disputatione quatuor distinguere præcepta theologi solent : quorum primum continet illa quæ sciri oportet, ut credantur : alterum respicit assensum fidei, quem elicere quandoque tenemur ; tertium spectat externam fidei confessionem opportuno tempore faciendam : quartum denique professionem fidei ex Ecclesiæ præcepto ab aliquibus emittendam. Hæc autem quibusdam propositis regulis expediemus.

Regula prima. — Tenentur omnes explicitè scire et credere veritates, quæ continentur in Symbolo, vulgò Apostolorum nuncupato ; adeò ut si de singulis articulis interrogentur, ea noverint, et fide teneant. Hæc regula perpetua Ecclesiæ praxi nititur quæ semper à catechumenis requisivit, ut ante Baptismi susceptio-

nem articulos omnes, et singulos Symboli articulos sciri, saltem quoad substantiam : *Hæc verba*, inquit S. Augustinus de Symbolo loquens, *quæ pauca numero, sed magna sunt pondere, ex more omnium Ecclesiarum baptizandis intimantur.* Et S. Thomas 2-2, q. 2, art. 5, docet : *Quantùm ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut et tenetur habere fidem. Quantùm autem ad alia credibilia, non tenetur explicitè credere, sed solùm implicitè, vel in præparatione animi, in quantum paratus est credere quidquid divina Scriptura continet; sed tunc solùm tenetur explicitè credere, quando hoc ei constiterit in doctrinâ fidei contineri.*

Regula II. — Non est necesse, ut simplices, et rustici calleant abstrusiores ac subtiliores quæstiones de his quæ in articulis Symboli continentur. Ita S. Thomas, q. 2, art. 6, ad 2, dicens : *Simplices non sunt examinandi de subtilitatibus fidei, nisi quando habetur suspicio, quòd sint ab hæreticis depravati.* Eos tamen quoad substantiam, prout innuimus, scire debent, ita ut significationem verborum teneant, et, si interrogati sint, rectè respondeant. Quid verò sit eos credere quoad substantiam, relatè ad quoscumque articulos in Symbolo contentos, definiri vix potest. Nihilominùs hæc communior doctrina est. Si loquamur inprimis de articulis ad Divinitatem pertinentibus, scire et credere debent omnes explicitè Deum esse unum, omnipotentem, creatorem rerum omnium visibilium et invisibilium, Salvatorem generis humani, sanctitatis et gratiæ largitorem, qui peccatores justificat, et in adoptionem filiorum Dei restituit, gloriæque æternæ in sui clarâ visione positæ participes efficit : quòd tres sint personæ divinæ, quæ quidem inter se distinguuntur, sed nihilominùs sunt unus Deus.

Quoad Christum attinet, tenentur scire, et credere secundam sanctæ Trinitatis personam, scilicet, Filium Dei humanam carnem assumpsisse, adeòque Deum esse, et hominem, conceptum fuisse virtute Spiritûs sancti, et ex Mariâ Virgine natum esse : præterea ob nos redimendos à peccati ac diaboli servitute passum, et mortuum esse, ad inferos descendisse secundùm animam, à mortuis tertiâ die resurrexisse; ad cœlos postmodùm ascendisse, ac venturum tandem esse in fine mundi ad vivos, et mortuos judicandos. Quæ autem circa hæc, ac præsertim circa unionem divinæ, et humanæ naturæ excitari possunt, ac solent controversiæ, sicut etiam circumstantiam, quòd Christus passus fuerit sub Pontio Pilato, aliasque hujusmodi scire minimè obstringuntur.

Quod spectat alios articulos, credere citra dubium tenentur omnes, Spiritum sanctum tertiam esse Trinitatis personam; Ecclesiam Catholicam, remissionem peccatorum esse in hâc Ecclesiâ; resurrectionem omnium hominum in fine mundi, ac tandem vitam æternam, quam justi recipient, sicut etiam æternam mortem, sive damnationem, quam recepturi sunt impii, sive omnes, qui absque divinâ gratiâ sanctificante ex hâc vitâ decedunt.

Quoad duos tantùm articulos, qui continentur in Symbolo, disputare solent theologi; nimirùm quoad descensum Christi ad inferos, et sanctorum communionem. Missâ verò fusiore discussione, assero et hos esse credendos ab omnibus saltem modo aliquo confuso; adeò ut credant, Christum ad inferos descendisse, prout in Symbolo exprimitur, et communionem sanctorum esse in Ecclesiâ; quatenùs, dùm hanc concipiunt tanquàm fidelium omnium congregationem, sive corpus quoddam mysticum ex omnibus fidelibus conflatum, simul percipiunt, invicem hujus corporis membra juvari ac totius corporis bonorum participatione gaudere.

Regula III. — Præter illa quæ continentur in Symbolo Apostolico, alia scire quoque tenentur fideles, scilicet quæ spectant ad fovendam spem, ad dirigendos mores, et gratiam obtinendam. Hinc scire debent petitiones in Oratione Dominicâ contentas, quam Salvator ipse nos docuit, cui adjungenda est Salutatio Angelica juxta morem universalis Ecclesiæ, ut, mediante intercessione beatissimæ Dei Matris, ea quæ petimus faciliùs impetremus. Deinde ad informandos mores nostros decem præcepta Decalogi, ac ulterius septem sacramenta, ac præsertim ea quæ adultis omnibus necessaria sunt, Baptismum, Pœnitentiam et Eucharistiam. Audiamus quid de his omnibus statuerit in Actis concilii Mediolanensis, part. 4, S. Carolus : *Christianus omnis*, inquit, *si adultus est, sub pœnâ peccati mortalis scire debet articulos omnes Symboli Apostolorum, insuper et præcepta Dei, sanctæque Matris Ecclesiæ universa;* quibus complectitur etiam sacramenta quæ sub mortali obligant, et docentur communiter in scholis doctrinæ christianæ. Hisce addit concilium Mediol. V, Orationem Dominicam, et Angelicam Salutationem.

S. Thomas paucis verbis complexus est omnia, dùm p. 2, q. 76, art. 2, docuit : *Omnes tenentur scire communiter ea quæ sunt fidei, et universalia ejus præcepta : singuli autem ea quæ ad eorum statum, vel officium spectant.* Quæ verba ita declarat Sylvius in eumdem articulum : « Ea quæ scire tenemur sunt triplicis « generis. Primi generis sunt illa quæ pertinent ad « fidem Catholicam, ut sunt mysteria quæ celebran- « tur in Ecclesiâ, et septem sacramenta : nec possunt « ab errore propter aliquam simplicitatem excusari, « quantùm ad ea, de quibus Ecclesia solemnizat, et « communiter versantur in ore fidelium, sicut mys- « terium Trinitatis, nativitatis Christi, et alia hujus- « modi, ut ait S. Thomas, lect. 4 in cap. 1 ad Co- « rinth. — Secundi generis sunt, quæcumque ad mo- « res communiter et rectè informandos pertinent. « Tertii generis sunt, quæ ad singulorum statum ritè, « et christianè dirigendum requiruntur. Ea igitur om- « nia Christiani adulti distinctè et explicitè cogno- « scere, et credere tenentur juxta illud Augustini de « Fid., et Oper. cap. 1 : *Unusquisque scire tenetur « legem, et statum, quem profitetur.* »

Regula IV. — Quanquàm ea, quæ expressa sunt, scire, et credere debeant omnes et singuli fidelium, quidam tamen, ut episcopi, parochi, doctores, etc.,

ad explicationem cognitionem, et fidem de iisdem habendam tenentur. De hâc regulâ agit præceptor Angelicus, hic q. 2, art. 6, ubi quærit : *Utrùm omnes æqualiter teneantur ad habendam fidem explicitam?* Et quæstionem ita profundè, ac præclarè resolvit : « Explicatio credendorum fit per revelationem « divinam. Credibilia enim naturalem rationem excedunt. Revelatio autem divina ordine quodam ad inferiores pervenit per superiores, sicut ad homines per angelos, et ad inferiores angelos per superiores. « Et ideò pari ratione explicatio fidei oportet, quòd « perveniat ad inferiores homines per majores. Et « ideò sicut superiores angeli qui inferiores illuminant, « habent pleniorem notitiam de rebus divinis quàm « inferiores; ita etiam superiores homines ad quos « pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem « notitiam de credendis, et magis explicitè credere. »

§ 1. *De præcepto eliciendi actum fidei internum.*

V. Præceptum aliud præter jam expositum admittere necesse est circa fidem : quod duplex distinguitur, affirmativum alterum, alterum negativum. Istud, quod semper ac pro semper obligat, prohibet, ne unquàm dissentiamus mysteriis fidei, vel de eorum veritate dubitemus, de quo postea : illud verò, nempe affirmativum, præcipit fidei actum, quem debemus elicere. Hoc præceptum aliud est, quod per se obligat, ex vi nempe, et naturâ ipsius virtutis fidei : aliud per accidens, ut inquiunt, vi nempe alterius præcepti, quod satis impleri nequeat absque fidei actu, vel assensu elicito : quod non de fidei actu duntaxat, verùm etiam de actu spei et charitatis est in eligendum. Quo posito, regulas jam constitutas persequor. Unde sit

Regula V. — Generatim loquendo præceptum aliquod est, quod obligat ad eliciendos actus internos fidei. Mentio sæpè fit de hoc præcepto in sacrâ Scripturâ, cujus textus plures jam supra produximus. Præcepta autem virtutum, cujusmodi est fides, non respiciunt solos virtutum habitus, sed maximè actus, ad quos ipsi habitus ordinantur. *Dicendum est,* inquit S. Thomas, hic q. 2, art. 5, *quòd præcepta legis, quæ homo tenetur implere, dantur de actibus virtutum, quia sunt via perveniendi ad salutem.*

Regula VI. — Tenetur homo actus fidei, quemadmodùm et spei, et charitatis, elicere ex vi præceptorum ad has virtutes pertinentium. Exstiterunt theologi quidam, qui docuerunt, præceptum eliciendi actus fidei, non esse speciale præceptum, quod ex se obligationem induceret, sed solùm per accidens, quatenùs solum obligat hoc præceptum, quoties præceptum aliud adimpleri non potest sine actu fidei. *Omnibus perpensis,* docet unus ex ipsis : *Puto nunquàm obligari fideles ad credenda prædicta mysteria nec implicitè, nec explicitè, ex vi necessitatis præcepti fidei : sæpissimè verò obligari per accidens ex vi aliorum præceptorum.*

Sed hæc sententia damnata jam est à summis pontificibus Alexandro VII, et Innocentio XI. A priore quidem in hâc propositione : *Homo nullo unquàm tempore, tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Ab altero autem in istâ : *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundùm se.* Et meritò sanè. Primò quia, sicut fides est virtus specialis à cæteris virtutibus distincta, ac fundamentum Christianarum virtutum, necesse est, ut speciali præcepto præscripta sit à præceptis aliarum virtutum actus præscribentibus distincto : adeòque solius præcepti fidei vi obligamur actus ejusdem elicere erga potissimùm ea mysteria quæ medii necessitate credenda sunt.

Præterea juxta D. Paulum in Epist. ad Galat. 3, *justus ex fide vivit.* Sicut igitur vita corporis sine cibi sumptione non conservatur, ita neque vita animæ sine actu fidei. Ad hæc : procul dubio ad Deum tendere, et accedere debemus, ut ab eo illuminemur juxta illud : *Accedite ad Deum, et illuminamini.* Ad Deum autem primò non tendimus, nisi fidei actibus *Non enim,* ait S. Augustinus in illum locum Psalmi, *ad Christum ambulando currimus, sed credendo; nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Ideò illa mulier, quæ fimbriam tetigit, magis tetigit, quàm turba, quæ pressit. Ideò Dominus dixit :* Quis me tetigit? *Et mirantes discipuli dixerunt : Turbæ te comprimunt, et dicis :* Quis me tetigit? *Et ille repetivit : Tetigit me aliquis. Illa tangit, turba premit. Quid est tetigit, nisi credidit?*

Quare damnata quoque meritò est hæc alia propositio : *Satis est actum fidei semel in vitâ elicere.* Adductæ namque rationes frequentiores actus fidei exposcere luculenter evincunt. Hanc opinionem, sicut et præcedentem docuisse P. Tamburinum ex lib. 2 in Decal. cap. 1, apertè liquet, ubi etiam pro hâc sententiâ laudat Thomam Sanchez, et Aragonium. Et quasi semel in vitâ actum fidei elicere nos teneri opinio nimiùm rigida foret, subjicit benigniùs loqui Castropalaum t. 1, tract. 4, disp. 1.

Regula VII. — Quoties infideli Christiana fides est sufficienter proposita, sive quoties rationes, miracula, aliaque credibilitatis christianæ Religionis signa satis infideli perspecta sunt, et cognita, fidem amplecti, et actum fidei elicere tenetur. Idemque dicendum de quocumque etiam fideli, cui aliquod fidei dogma satis explicatur, et credendum proponitur. Si enim hoc casu suum assensum non præbeat, sed suspendat judicium suum, jam injuriam irrogat Deo revelanti, et mysteria sua proponenti, ut ab ipso credantur : de quo casu nulla est penès theologos disceptatio.

Regula VIII. — Tenentur pueri inter Catholicos enutriti, cùm primum ipsis affulget lumen rationis, in actum fidei interioris erumpere erga mysteria satis ipsis ad credendum proposita. Hæc est D. Thomæ, ac Thomistarum omnium doctrina, cui equidem refragati sunt aliqui inter Probabilistas. Sed post plures à summis pontificibus damnatas de hoc arguto propositiones, huic sententiæ subscribunt frequentiùs theologi, adeò ut ipse probabilista P. Dominicus Viva in primam propositionem Alexandri VII, n. 7, scripserit : *Inconcussa videtur sententia Thomistarum ex Angelico doctore, quòd quilibet teneatur ad actum amoris Dei in*

primo instanti usûs rationis. Actum autem amoris Dei in præsenti Providentiâ nemo elicere potest, prout ad salutem necessarius est, nisi fides præcesserit. Porrò instans rationis non physicè intelligi debet, sed moraliter, ac pro tempore congruo accipiendum est; nec æquè pueris omnibus ratio illucet, sed uni citiùs quàm alteri, ut experientiâ compertum est.

Regula IX. — Præceptum actûs fidei eliciendi per se obligat in probabili periculo mortis; quemadmodùm in eodem periculo obligat præceptum spei et charitatis, suscipiendi sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ. Siquidem si ullo unquàm tempore tenetur homo testimonium professionis suæ Deo exhibere, illud profectò est tempore mortis, quo vita fidei vivat, ut visionem beatam assequatur, quæ fidei virtuti respondet. Hanc exercendæ fidei obligationem, imminente morte, confirmat Ecclesiæ consuetudo, quæ, dùm infirmis sacrum Viaticum ministrat, eos per sacerdotem excitat monetque, ut fidei professionem edant, ac fidei actus repetant.

Regula X. — Saltem semel in anno tenetur homo ad fidei actum eliciendum. Ex propositionibus ab Ecclesiâ damnatis, quibus aliam adnectimus, quæ legitur in decreto Innocentii XI, n. 65 : *Sufficit mysteria Trinitatis, et Incarnationis semel credidisse*, quædam tanquàm omninò certa liquidò fluunt; nimirùm primò : quòd præceptum fidei per se obliget fideles ad eliciendos actus ejusdem virtutis : deinde quòd non sufficiat actum fidei semel in vitâ elicere; ac tandem quòd hoc præceptum transgrediatur, qui ultra quinquennium ejusmodi actum differt. Ex his ergo colligo tanquàm omninò certum saltem, semel in anno teneri fideles, aliquem fidei actum elicere per se, et ex vi præcepti hujus virtutis. Quandoquidem hoc fidei præceptum, quod per se et directè obligat, ex Ecclesiæ definitione certum est. Igitur hæc obligatio semel saltem in anno adimplenda est : neque enim afferri posse videtur divinum ullum præceptum affirmativum, quod nunquàm intra annum obliget. Otiosa namque lex esset, quæ sui executionem non imperaret nec intra unius anni spatium. Unde admisso præcepto fidei per se obligante, consequitur certò, fideles ad actum fidei eliciendum saltem intra annum urgeri. Dico saltem, quia cùm etiam præceptum Eucharistiæ semel saltem in anno obliget ex Ecclesiæ ordinatione, minorem statuere obligationem nemo audebit. Cæterùm auctores graves non desunt, qui frequentiorem fidei actum requirant, ut Scotus diebus festivis; alii quoties præcipua fidei mysteria celebrantur. Quorum doctrinæ tanquàm probabiliori et tutæ libens subscribo. Cùm mysteria fidei certis solemnioribus diebus ab Ecclesiâ proponantur ut fidelium excitent fidem, et vix ac ne vix quidem festos illos dies ritè sanctificare valeat populus Christianus, nisi priùs mentem in eorum consideratione defigat, et corde credat. Quare admoneri fideles debent ad ejusmodi actus frequentandos, ut ita securiùs conscientiæ suæ consulant; nec omittant id, ad quod fortassis divinâ obligatione tenentur.

Regula XI. — Præter præceptum obligans per se fideles ad eliciendum actus fidei, est etiam præceptum eamdem obligationem per accidens inducens, vi scilicet, et ratione alterius præcepti. Casus hujusce obligationis non unus, sed multiplex est. Et primò quidem quoties homo accedit ad sacramentum sive Baptismi, sive Pœnitentiæ ob justificationem obtinendam : quoniam ad hanc plures actus præmittere oportet, quos inter est actus fidei. Cùm enim supernaturales esse debeant actus hujusmodi, debent dirigi fide tanquàm causâ primariâ et principali. Unde hanc vocat concilium Tridentinum *fundamentum ac radicem justificationis*. Secundò, quoties homo ad suscipiendum accedit Eucharistiæ sacramentum. Tunc enim credere debet tum veritatem præsentiæ realis Christi in augustissimo illo sacramento, tum ejus virtutem, et efficaciam ad conferendam gratiam. Tertiò cùm diebus festivis tenetur audire Missam, aut Religionis opera exercere : in his tamen opus non est, ut actu formali et expresso quis dicat : credo, Domine, quem nunc oro, quem nunc suscipio, quem amo, etc., sed satis est implicitè, et virtualiter, quatenùs virtute fidei toties exercitæ actus illos peragit, ad quos præcepto urgetur. Quartò quando vehementi aliquâ tentatione pulsatur animus adversùs fidem, aut aliquod fidei mysterium; tunc enim ad eam repellendam medium videtur esse necessarium actus fidei. Si tamen haud valdè gravis tentatio sit contra fidem, satis erit, et medium fortassè opportunius eam contemnere, et alio mentem avocare. Denique si quis ad fidem christianam abjurandam urgeat, præceptum est nedùm fidei exteriùs confitendæ, de quo statim, sed etiam interior fides ob externam illam confessionem est necessaria.

§ 2. *De præcepto divino fidei exteriùs confitendæ.*

Regula XII. — Admittere oportet præceptum divinum fidem christianam, quam corde profitemur, exteriùs confitendi. Hæc regula ita generatim constituta, extra omnem posita est dubitationis aleam. Siquidem, sicut in Evangelio habemus, S. Matth. cap. 10, ex ore Christi : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo;* sic apud S. Lucam cap. 9, legimus : *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ.* S. Paulus quoque ad Rom. 10, ait : *Corde creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem.* Hinc S. Augustinus serm. 139 : *Quid prodest*, inquit, *corde credidisse ad justitiam, si os dubitat proferre, quod corde conceptum est?*

Regula XIII. Hoc præceptum confitendæ fidei, cùm sit affirmativum, non obligat pro semper, sed pro loco, et tempore. Ita S. Thomas, hìc quæst. 3, art. 2, his verbis : « Ea quæ sunt necessaria ad salutem, cadunt « sub præceptis divinæ legis. Confessio autem fidei, « cùm sit quoddam affirmativum, non potest cadere, « nisi sub præcepto affirmativo. Unde eodem modo « est de necessariis ad salutem, quo modo potest ca « dere sub præcepto affirmativo divinæ legis. Præ « cepta autem affirmativa, ut supra dictum est, non

« obligant ad semper, etsi semper obligent : obligant « autem pro loco et tempore, secundùm alias circum- « stantias debitas, secundùm quas oportet actum hu- « manum limitari ad hoc, quòd sit actus virtutis. Sic « ergo confiteri fidem non semper, neque in quolibet « loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco et « tempore. »

Regula XIV. — Casus, et circumstantiæ, in quibus obligat præceptum affirmativum confitendæ fidei, sunt illæ generales, quæ ibidem afferuntur ab Angelico præceptore; nimirùm quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, vel utilitas proximi impendenda. Si enim vel unum, vel alterum ex his occurrat inconveniens, tunc fidelis ad fidei confessionem obstringitur, quamvis mortis periculum immineret : id quod regulis sequentibus magis declarabitur.

Regula XV. — Si quis ab auctoritate publicâ interrogetur de fide suâ, hanc exteriùs confiteri tenetur, ita ut si in hoc casu sileat, aut dissimulet, præceptum affirmativum fidei transgrediatur. Ratio est, quia hoc in casu honori Deo debito præjudicium infertur, atque ita se gerere est erubescere Christum Jesum, ejusque Evangelium; adeòque mortaliter peccat, et à regno Dei excluditur juxta laudatam Christi sententiam : *Qui me erubuerit, et sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ.* Quarè meritò damnata est à summo pontifice Innocentio XI sequens propositio : *Si à potestate publicâ quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo : tacere, ut peccaminosum per se non damno.* Cui propositioni Clerus Gallicanus gravissimam hanc censuram inussit : *Hæc propositio scandalosa est, præceptis evangelicis et apostolicis apertè contraria, et hæretica.*

Hæc obligatio confitendi fidem in casu prædicto totam vim suam obtinet, sive ille qui interrogat, sit superior legitimus, sive potestate fruatur per tyrannidem et usurpationem, sive qui interrogatur, tali potestati subjectus sit, sive extraneus. Eadem quippe militat ratio. Unde S. Thomas absolutè, et absque ullâ distinctione definit, obligatum illum esse ad fidem confitendam, *qui interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera.* Atque ita se gesserunt primi Christiani, qui exemplo debent esse omnibus aliis; qui cùm à regibus et tyrannis de fide publicè interrogarentur, citra ullam interrogantium potestatum disctinctionem impavidè respondebant se esse Christianos.

Regula XVI. — Etiamsi Christianus interrogatus à publicâ potestate prævideat ex suâ confessione orituturum scandalum aliquod, puta magis accendi infideles ad persequendam Ecclesiam, non ideò confiteri fidem obligatus non est : quoniam semper in gloriam, et honorem Dei cedit ejus confessio, simulque in utilitatem proximi, qui ex suo exemplo inflammatur ad professionem fidei, et confessionem Jesus Christi absque ullo respectu, vel timore faciendam. Quòd si ex hoc infideles scandali occasionem sumant, et acriùs persequantur Ecclesiam, scandalum hoc *pharisaicum* est ex solâ ipsorum malitiâ profectum, quod Christus Dominus haud esse curandum docuit. Hinc ex martyrum historiis constat, timorem secuturæ novæ persecutionis ex parte infidelium impedimento nunquàm fuisse Christianis, ne liberè confiterentur nomen Jesu Christi.

Regula XVII. — Si quis interrogetur à personâ privatâ de fide suâ, et in his circumstantiis inveniatur, in quibus ex silentio suo neque ullus honor Deo debitus subtrahatur, neque ullius utilitatis confessio sit relatè, sive ad interrogantem, sive ad personas circumstantes, tacendo, aut dissimulando non peccat. Imò aliquando laudabile etiam esse potest, nullum præbere responsum, quemadmodùm animadvertit S. Thomas hìc ad 3. Cùm enim sibi objecisset, confessionem fidei vergere quandoque posse in aliorum scandalum et perturbationem, respondet : « Quòd si turbatio infidelium oriatur de con- « fessione fidei manifestâ absque aliquâ utilitate fidei, « vel fidelium, non est laudabile in tali casu fidem « publicè confiteri. Unde Dominus dicit, Matth. 7 : « *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras « spargere ante porcos, ut conversi dirumpant vos.* Sed « si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas ad- « sit, contemptâ perturbatione infidelium, debet ho- « mo publicè fidem confiteri. »

Regula XVIII. — Si contingat, quòd aliquis in periculo versetur abnegandæ fidei, aut illam publicè non confitendi coram judice ob tormentorum metum, nedùm qui tenentur ex officio alios instruere, et pusillanimes confirmare, sed etiam quilibet fidelis, qui auxilium periclitanti præstare valet, ad hoc tenetur, etiam manifestando fidem suam quam profitetur. Ita S. Thomas in resp. ad 2, ubi ait : *In casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem. Sed aliis temporibus instruere omnes de fide, non pertinet ad omnes fideles.*

Regula XIX. — Licet quandoque tyrannum fugere, ne quis ad fidem confitendam cogatur. Oppositum censuit Tertullianus; sed in errorem lapsum esse hoc docendo, observârunt SS. Patres Athanasius, Cyprianus, Nazianzenus, aliique. Siquidem pugnat cum apertis Evangelii textibus ejus opinio. Nam, Matth. 10, Christus dixit : *Cùm vos persequentur in civitate istâ, fugite in aliam;* et, cap. 14 : *Qui in Judæâ sunt, fugiant in montes.* Hoc quoque Christus exemplo suo comprobavit, fugiens nonnunquàm persecutionem Judæorum : comprobavit et Paulus, qui ut declinaret iram præpositi Damascenorum, per murum in sportâ se demitti passus est : comprobârunt et alii sanctissimi viri, quorum gesta cum laude commemorat Ecclesia. Quinimò circumstantiæ occurere possunt, in quibus fuga hujusmodi nedùm licita, sed etiam necessaria sit : ut si quis propriam imbecillitatem expertus, prævideat probabile periculum succumbendi tormentorum atrocitati, fidemque abnegandi; aut si persona sit bono

publico admodùm necessaria, aut valdè utilis.

Cæterùm quia specialis obligatio adstringit episcopos, parochos, aliosque pastores, qui animarum curam habentes, eas dimittere per fugam in persecutione non debent, propterea affero splendidam D. Thomæ doctrinam, qui huic materiæ illustrandæ plurimùm inservit. Angelicus ergo lect. 3, cap. 10, Joan. hæc scribit : « Non quia (mercenarius) fugit, sed quia « dimittit oves, vituperatur : unde si posset fugere « non dimittendo oves, non esset vituperabile. Con- « tingit enim aliquando quòd quæritur persona præ- « lati, aliquando totus grex. Manifestum est au- « tem quòd si quæritur sola persona prælati, pos- « sunt alii loco suî ad gregis custodiam deputari, « qui vice sui consolentur, et gubernent gregem. Un- « de si sic fugiat, non dicitur dimittere oves : et hoc « modo, et casu fugere licet. Si autem quæratur to- « tus grex, aut oportet quòd pastores omnes simul « sint cum ovibus, aut oportet quòd aliqui ex eis « remaneant, et aliqui recedant. Si autem totaliter « deserant gregem, tunc eis competit, quod hìc di- « citur : *Videt lupum venientem, et dimittit oves, et fu- « git : lupus rapit, et disperdit oves.* » Doctrinam hanc deprompsit S. doctor ex D. Augustino, qui de hoc argumento fusè disserit in Epist. ad Honoratum.

§ 3. *De præcepto Ecclesiastico edendæ fidei professionis.*

XX. Præceptum de fidei professione à quibusdam personarum generibus faciendâ juxta formulam ab Ecclesiâ præscriptam cùm merè Ecclesiasticum præceptum sit, juxta Ecclesiæ ejusdem dispositionem determinandum est. Igitur inprimis sacrosancta synodus Tridentina hæc sect. 24, cap. 12, de Reform. statuit : « Provisi de beneficiis quibuscumque curam anima- « rum habentibus, teneantur à die adeptæ possessio- « nis ad minùs intra duos menses in manibus ipsius « episcopi, vel, eo impedito, coram generali ejus vi- « cario Orthodoxæ suæ fidei publicam facere profes- « sionem, et in Romanæ Ecclesiæ obedientiam se « permansuros spondeant, et jurent. »

Hanc subinde obligationem extendit ad canonicos cathedralium inquiens : « Provisi autem de canonica- « tibus, et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, « non solùm coram episcopo, seu ejus officiali, sed « etiam in capitulo idem facere teneantur : alioquin « prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non fa- « ciant suos, nec illis possessio suffragetur. »

Idem præceptum repetit sess. 25, cap. 11, hoc pacto : « Præcipit igitur sancta synodus patriarchis, pri- « matibus, archiepiscopis, episcopis et aliis omnibus, « qui de jure, vel consuetudine concilio provinciali in- « teresse debent, ut in primâ synodo provinciali, post « finem præsentis concilii habendâ, ea omnia, quæ ab « hâc synodo definita, et statuta sunt, palam reci- « piant, necnon veram obedientiam summo Romano « pontifici spondeant, et profiteantur : simulque hæ- « reses omnes à sacris canonibus, et conciliis genera- « libus, præsertimque ab hâc eâdem synodo damnatas « publicè detestentur, et anathematizent. Idemque in « posterum quicumque in patriarchas, primates, ar- « chiepiscopos, episcoposque promovendi, in primâ « synodo provinciali, in quâ ipsi interfuerunt, omninò « observent. Quòd si quis ex supradictis omnibus, « quod absit, renuerit, episcopi comprovinciales statim « summum Romanum pontificem admonere sub pœnâ « divinæ indignationis teneantur. »

Iis in sanctâ synodo expressis, sanctus Pius V, in suâ constitutione, quæ incipit : *In sacrosancta*, obstrinxit eâdem obligatione etiam omnes doctores, magistros, regentes, concionatores, et cujuscumque facultatis professores. Atque hæc decreta sive concilii, sive pontificis sub gravi peccato obligare, communis theologorum sententia est, ubi saltem recepta sunt; ac superiores satagere debent, ut ad praxim demandentur.

XXI. Circa hujusmodi decreta quæstiones quædam institui solent; ac primùm, num qui ad beneficia eliguntur curam animarum habentia, teneantur intra bimestre à die pacificæ possessionis emittere fidei professionem in manu episcopi, vel ejus vicarii, aut officialis? Ad quam affirmativa sententia communis ac certa est : quoniam de his expressè mentio fit à concilio. Sub nomine autem beneficiati comprehenditur etiam commendatarius illius Ecclesiæ, de cujus fructibus disponendi facultate gaudet : est enim verè de beneficio provisus. Secus autem dicendum est, si episcopus commendet alicui Ecclesiam, quin de beneficio provideat, ut frequentiùs defendunt canonistæ; canonicos quoque, ac dignitates, cùm à concilio specialiter nominentur, eâdem obligatione teneri omninò dicendum eat.

Altera quæstio est, num beneficiarii, vel canonici, qui intra bimestre mandatum Tridentini concilii non adimplent, fructus beneficii restituere teneantur? In quâ negativa quidem sententia à theologis quibusdam defenditur : sed contraria affirmans prorsùs est tenenda; quia synodus Tridentina expressè declarat *eos non facere fructus suos*. Si autem fructus sui non sunt, jam alieni erunt; adeòque, sicut res alienæ, restituendi sunt : quod etiam eruitur ex aliis ejusdem concilii verbis, dùm de iisdem ait, illis possessionem non prodesse; et confirmatur ex propositione damnatâ ab Alexandro VII, quæ asserebat : *Restitutio à S. Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientiâ ante sententiam declarativam Judicis.* Iisdem namque verbis imposita est obligatio à Pio V, *beneficiatis non recitantibus*, ac imponitur à concilio Tridentino beneficiatis *intra bimestre fidei professionem non facientibus*. Hæc autem restituendi obligatio juxta probabiliorem sententiam arctat illos quoque, qui absque propriâ culpâ fidei professionem omitterent. Siquidem præfatæ leges, cùm sint conditionales, obligant absque ullo ad culpam respectu, et cum solo respectu ad conditionem quæ affixa legi est. Fructus porrò restituendi sunt à die elapsi bimestris ad diem usque, quâ emittitur præscripta confessio. Nec satis est juxta plures sacrarum congregationum decisiones ut

fiat per procuratorem; sed fieri debet per ipsum, qui beneficium recipit.

XXII. Quoniam verò non rarò facienda occurrit prædicta fidei professio, proderit illam hic exscribere, sicut proposita est à Pio IV, sicuti habetur in Bullar., et est ejusmodi :

« Ego N. firmâ fide credo, et profiteor omnia, et singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta « Romana Ecclesia utitur, videlicet : Credo in unum « Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et « terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in « unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula : « Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de « Deo vero : Genitum non factum, consubstantialem « Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos « homines, et propter nostram salutem descendit de « cœlis : Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Mariâ « Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro « nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est : Et « resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas : Et ascendit in cœlum; sedet ad dexteram Dei Patris « Omnipotentis : Et iterùm venturus est cum glorià « judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. « Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, « qui ex Patre, Filioque procedit : Qui cum Patre, « et Filio simul adoratur, et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum « baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto « resurrectionem mortuorum, et vitam venturi seculi. « Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissimè admitto et amplector. Item « sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, « et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de « vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto : nec eam unquàm, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor. « Profiteor quoque, septem esse vera, et propria sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino nostro « instituta, atque ad salutem humani generis, licet non « omnia singulis, necessaria; videlicet Baptismum, « Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium : illaque gratiam conferre : et ex his Baptismum, et Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio iterari non « posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiæ ritus « in supradictorum sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia, et singula, quæ « de peccato originali, et de justificatione in sacrosanctâ Tridentinâ synodo definita, et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter, in « Missâ offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis; atque in « sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, et « realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem unà « cum animâ, et divinitate Domini nostri Jesu Christi; « fierique conversionem totius substantiæ panis in « corpus, totius substantiæ vini in sanguinem, quam « conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub alterâ tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque « sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium « esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse; eosque « orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines « Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum sanctorum habendas et venerandas esse, atque « eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in « Ecclesiâ relictam fuisse, illarumque usum Christiano « populo maximè salutarem affirmo. Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam Matrem « et magistram agnosco : Romanoque pontifici beati « Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu « Christi vicario veram obedientiam spondeo ac juro. « Cætera item omnia à sacris canonibus et œcumenicis conciliis, ac præcipuè à sacrosanctâ Tridentinâ « synodo tradita, definita, et declarata indubitanter « recipio, atque profiteor : simulque contraria omnia, « atque hæreses quascumque ab Ecclesiâ damnata, « et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, « rejicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in « præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et immaculatam usque ad extremum « vitæ spiritum constantissimè, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque à meis subditis, seu illis « quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, et doceri, et prædicari, quantùm in me erit, « curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. « Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. »

CAPUT II.

CONSECTARIA.

I. *Peccant Christiani rudes, et ignari mysteriorum fidei, qui catechesibus non intersunt ad ea docenda institutis; sicut et parochi ea docere negligentes.* — II. *Christianus qui ea ignorat quæ scire tenetur, non debet absolvi, nisi illa addiscat, aut proponat addiscere.* — III. *Non sufficit fides implicita eorum quæ credit Ecclesia.* — IV. *Satis est, ut rudes, ac simplices mysteria aliquo modo explicitè noverint.* — V. *Examinandi non sunt de subtilioribus quæstionibus, nisi subsit erroris suspicio.* — VI. *Minores, qui à majoribus instruuntur, non habent fidem implicitam, nisi de his, quibus consentiunt fidei Ecclesiæ.* — VII. *Inter Christianos nunquàm admittenda est ignorantia invincibilis de his quorum fides necessaria est necessitate medii.* — VIII. *Satis non est, ut rudiores Symboli articulos calleant latinâ linguâ, nisi sensum illorum aliquo modo teneant.* — IX. *Quænam sacramenta Ecclesiæ potissimùm scire debeant Christiani.* — X. *Operam dare parentes, ac parochi debent, ut fideles memoriâ teneant articulos Symboli,*

præcepta Decalogi, Orationem Dominicam, etc.—XI. *Quid agere debeat Confessarius vocatus ad aliquem morti proximum, dùm ignarum eorum reperit, quæ scire tenetur.*—XII. *De hisce interrogandi quandoque sunt, qui ad sacramentalem confessionem accedunt.*—XIII. *Damnata censenda est propositio P. Tamburini circa præceptum eliciendi actum fidei.*—XIV. *Quemadmodum et alia eidem affinis P. Patritii Sporerii.*—XV. *Falsò asseritur à P. Leandro probabilius esse non obligare præceptum eliciendi actum fidei in articulo mortis.*—XVI. *Doctrina S. Thomæ circa præceptum fidei exteriùs confitendæ præ oculis semper habenda.*—XVII. *Quandonam confiteri aliquis fidem debeat, etiam non à personâ publicâ interrogatus.*—XVIII. *Tenetur etiam ad eamdem fidei manifestationem, qui impedire potest sacrarum rerum contemptum, aut profanationem.*—XIX. *Alius casus in quo idem præceptum obligat.*—XX. *Cavenda est publica fidei confessio imprudenter facta.*—XXI. *Ad hanc confessionem non tenetur, qui interrogatur à personâ etiam publicâ non in odium fidei, sed ob alias politicas rationes.*

Consectarium primum.—Peccant graviter Christiani qui, ignorantes fidei mysteria, præsertim quæ ad salutem necessaria sunt, interesse negligunt catechesibus, aut familiaribus instructionibus, quæ singulis dominicis, et diebus festivis fieri solent in ecclesiis parochialibus, vel in aliis, de præcipuis Christianæ doctrinæ capitibus. Gravis item peccati rei sunt parochi, qui catecheses, aut instructiones hasce prætermittunt; necnon parentes, et domini, qui filios ac servos, quos in doctrinâ Christianâ imperitos, ac rudes noverint, iisdem adesse catechesibus, et ediscere, quæ scire debent, non sinunt, aut non etiam compellunt.

Consectarium II.—Christianus qui ignorat Symbolum Apostolorum, aut alia præcipua fidei, aut legis divinæ capita, non debet absolvi à confessario, nisi vel illa priùs addiscat, vel, si ea scire necessitate medii necessarium non sit, saltem proponat addiscere. Hâc in re ita statuit S. Carolus in concilio Mediolanensi V: « Si confessarius pœnitentem reperiat omnium istorum (scilicet Symboli Apostolorum, præceptorum Dei et Ecclesiæ, et aliorum quæ docentur communiter in scholis doctrinæ christianæ) ignarum, non absolvat, quin primo quoque tempore in iis addiscendis operam daturum se promittat. Quamquàm si aut à confessario suo eodem, vel diverso, vel suâ ipse privatim conscientiâ, jam aliàs monitus (quod diligentissimè exquiretur) eam adhibere diligentiam neglexerit, quæ pro illius ingenii captu ad ea discenda sufficiens sit, non priùs absolvatur, quàm huic obligationi aliquâ saltem ex parte fecerit satis. Si verò eâ de re nusquàm ante monitus fuerit, poterit tum ei gratiam absolutionis impertiri; eâ tamen præmissâ semper instructione, quam pœnitenti sufficere censuerit, ut tanto beneficio non sit indignus. »

Consectarium III.—Quidquid olim aliqui scripserint, tenendum omninò est non sufficere ad justificationem, et salutem, ut homo etiam rudis solùm in genere credat, quidquid credit sancta Mater Ecclesia. Tenetur enim quilibet explicitè credere ea quæ continentur in Symbolo, ac præsertim quæ necessariò credenda sunt necessitate medii ac præcepti, juxta ea quæ jam diximus.

Consectarium IV.—Haud valdè tamen vexandi sunt sed benignè tractandi, qui adeò simplices, rudesque sunt, vel memoriâ deficiunt, ut vel Symbolum, vel præcepta Decalogi, vel sacramenta verbo tenùs retinere nequeunt. Satis quippe est ut saltem quoad substantiam articulos noverint; adeò ut, si interrogentur de hoc, aut de illo, ita respondeant ut eos aliquo modo nôsse patefaciant. Neque ab his clara, et omninò distincta exigenda notitia est: sufficit enim quòd modo suo rudi ac simplici se declarent, modò ex negligentiâ in addiscendo clariore notitiâ non careant.

Consectarium V.—Vulgares homines examinandi non sunt de quæstionibus fidei subtilioribus, nisi subsit aliqua suspicio quòd sint in aliquâ veritate ad fidem pertinente ab hæreticis depravati, aut quòd aliquem in eâ errorem imbiberint. Tunc enim eruditendi sunt, ut erroneam opinionem deponant, et acquiescant iis quæ ab Ecclesiâ Catholicâ definita sunt; cui si credere nolint, tunc tanquàm hæretici habendi sunt, ac tractandi.

Consectarium VI.—Minores, qui à majoribus instruuntur de rebus fidei, de quibus solùm fidem *implicitam* habere tenentur, *hanc fidem non habent*, inquit S. Thomas hìc q. 2, art. 6, ad 3, *nisi quatenùs majores adhærent doctrinæ divinæ. Unde humana cognitio non fit regula fidei, sed veritas divina: à quâ si aliqui majorum deficiant, non præjudicat fidei simplicium, qui eos rectam fidem habere credunt, nisi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant contra universalis Ecclesiæ fidem, quæ non potest deficere, Domino dicente, Luc. 22: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.* Quare moneri debent minores, ut earum veritatum, quæ distinctè nesciunt, et explicitè scire non tenentur, fidem implicitam habeant, non in fide aliquorum hominum particularium, sed in fide Ecclesiæ. Nam fidei Ecclesiæ nemo malè adhærere potest, quoniam Deus Ecclesiæ infallibilitatem promisit in his quæ fidei doctrinam spectant; fidei autem hujus, aut illius doctoris malè adhærere quispiam potest; puta si quis episcopo, vel doctori suo adhærere vellet, non obstante Catholicæ Ecclesiæ contrariâ definitione.

Consectarium VII.—Quamvis de quibusdam articulis, quorum notitia, et fides necessaria est duntaxat necessitate præcepti, admitti possit quandoque inter fideles ignorantia invincibilis; nunquàm tamen articulorum admittenda invincibilis ignorantia est, quorum fides est necessaria ad salutem necessitate medii: neque, si in aliquo inveniatur, facile, aut nunquàm est à peccato excusandus. Hæc est S. Thomæ doctrina, quam alii communiùs sequuntur. *Pertinet autem*, scribit doctor Angelicus in 1 ad Corinth. cap. 11, *aliquid ad disci-*

plinam fidei dupliciter. Uno modo directè, sicut articuli fidei, qui per se credendi proponuntur : unde error circa hos facit hæreticum, si pertinacia adsit. Non possunt autem à tali errore propter simplicitatem aliquam excusari, præcipuè quantùm ad ea de quibus Ecclesia solemnizat et quæ communiter versantur in ore fidelium, sicut mysterium Trinitatis, nativitatis Christi, et alia hujusmodi ; scilicet Christi passio, mors resurrectio, etc.

Consectarium VIII. — Si rustici, pueri ac rudiores memoriâ teneant articulos contentos in Symbolo latinâ linguâ quam ignorant; satis quidem esse potest, dùm aliquo modo, saltem quoad substantiam, eorum significatum intelligant. Si tamen ita ignari linguæ latinæ forent ut nihil prorsùs eorum perciperent, quæ memoriter sciunt, hæc notitia non sufficeret : nihil enim ipsis prodesset ; sed verba redderent veluti psittaci. Quare ut obligationi sciendi res fidei satis fiat, oportet ut saltem modo imperfecto et confuso noverint quod verbis exprimunt: consultumque magis erit, si parentes, et parochi pueros, et rusticos Symbolum, et alia ad credendum necessaria edoceant linguâ vernaculâ, cujus sensum faciliùs intelligunt.

Consectarium IX. — Quod ad sacramenta attinet, quæ sciri ab adultis omnibus debent, procul dubio sunt tria illa, quæ sunt omnibus necessaria ; Baptismus videlicet, Pœnitentia, et Eucharistia. Quin etiam callere tenentur dispositiones, quæ ad ea dignè suscipienda sunt necessariæ. Quoad alia verò, quamvis eadem de omnibus non sit theologorum opinio, certum inprimis est necessariam esse notitiam eorumdem, quoties suscipienda sunt. Tum deinde probabilius mihi videtur etiam ab omnibus, saltem aliquo pacto, scienda esse : quia septem sacramenta sunt veluti tesseræ Religionis Christianæ, ac veluti quædam signa, quibus nunc Catholici ab hæreticis recentioribus secernuntur, eaque Ecclesia in suis omnibus catechesibus proponit, ac vult ut eorum notitia à fidelibus habeatur.

Consectarium X. — Etsi ad præceptum divinum implendum sufficiat, ut fideles articulos Symboli, Orationem Dominicam, et alia hujusmodi, quoad substantiam noverint; operam tamen navare debent tum parentes, tum parochi, tum etiam ipsimet fideles, ut memoriâ teneant quæ sive ad credendum, sive ad sperandum, sive ad agendum sunt necessaria, ut in quibusdam conciliis præcipitur. Nam concilium Moguntinum ævo Caroli magni celebratum cap. 45, hæc habet : *Symbolum, quod est signaculum fidei, et Orationem Dominicam, discere semper admoneant sacerdotes populum christianum ; volumusque, ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt.* Concilium pariter Forojuliense sub idem tempus congregatum edicit *ut Symbolum et Orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis sexus, omnis conditio; masculi et fœminæ, juvenes, senes, liberi, pueri, conjugatæ, innuptæque puellæ : quia sine hâc benedictione nullus poterit in regnum cœlorum percipere portionem.* Et certè consuetudo in Ecclesiâ ita invaluit sciendi hæc non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad ipsa verba, ut culpa non careat, qui hæc memoriæ mandare neglexerit.

Consectarium XI. — Si Confessarius vocatus ad pœnitentem in mortis periculo constitutum, deprehendat eum ignorantiâ laborare mysteriorum fidei, si quidem mysteria quæ ignorat, ex iis sint, quæ credenda sunt necessitate medii ad salutem ; non debet illum absolvere, nisi prius ipsum instruat, et ad actum fidei eliciendum inducat. Non enim absque illorum notitiâ justificationis est capax. Si autem ignorantia versetur circa alia, quæ solâ præcepti necessitate sunt credenda, tunc sollicitus sacerdos sit ut doleat, et conteratur de culpabili negligentiâ præteritâ, proponatque emendationem. Quòd si tempus suppetat, poterit pœnitentem adjuvare, ut actus fidei eliciat hoc pacto, recitando Symbolum, et interrogando : *Credis unum Deum Patrem omnipotentem ? Credis Filium Dei, etc. ?* adeò ut pœnitens ad omnes has interrogationes respondeat : *Credo ;* ac subinde ad actus spei, et charitatis concipiendos permoveat.

Consectarium XII. — Quùm interdùm contingat nonnullos esse, qui ad Pœnitentiæ sacramentum accedant, præsertim paschali, aut jubilæi tempore, planè ignaros mysteriorum fidei, quæ scire et credere debent ; idcircò confessarius illos saltem, de quorum ignorantiâ dubitare meritò potest, interrogare tenetur. Sunt enim, qui licet ea in pueritiâ didicerint, postmodum curis et negotiis secularibus solùm intenti, illorum penitùs obliviscuntur, ut experientiâ comperi. Quapropter culpabilis sæpè negligentiæ rei sunt confessarii, qui in his interrogationibus faciendis deficiunt. Verùm illud admonere opus est, magnâ cum prudentiâ, et dexteritate officium hoc obeundum esse. Sæpè namque aliqui pœnitentes interrogationi factæ sub tali verborum formâ respondere nesciunt, qui tamen sub aliâ aptè respondent. Sic aliqui si interrogentur : *An Verbum divinum sit incarnatum ?* Fortè obmutescent. Si autem : *An secunda persona humanam carnem assumpserit ?* Continuò affirmabunt ; atque ita de aliis fidei articulis. Unde interrogationes variæ pœnitentium capacitati accommodandæ sunt.

Consectarium XIII. — Rejicienda est tanquàm damnata ab Ecclesiâ, vel saltem in damnatâ contenta hæc P. Tamburini doctrina, quam tradit lib. 2 in Decal. cap. 1 : *Puto, per se et directè nunquàm obligari fideles ad credenda prædicta mysteria nec implicitè, nec explicitè ex vi necessitatis præcepti fidei.* Conferatur hæc doctrina cum propositione damnatâ, quam supra recitavimus : *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundùm se ;* sicut etiam cum primâ pariter adductâ, proscriptâ ab Alexandro VII, et luce clariùs constabit, num illam Ecclesia damnaverit quidquid aliqui ex adverso contenderint.

Consectarium XIV. — Damnata itidem reputanda est sequens sententia P. Patricii Sporerii, quam ex aliis casuistis deprompsit tract. 2 in Decal., cap. 2, sect. 3 : *Eo assensu semel habito, præceptum hoc affirmativum fidei per se directè amplius non obligat.... Quia*

ex unâ parte nullum potest assignari tempus certum, et determinatum neque Christi, neque Ecclesiæ lege, quo per se directè obliget præceptum fidei, quoad actum internum... Ideò Christus Dominus prudenter creditur non voluisse imponere præceptum per se directum fidei. Ecclesia per summum pontificem Innocentium XI, anathemate confixit, præter alias, duas hasce propositiones; nempe: *Satis est actum fidei semel in vitâ elicere.* Et: *Sufficit illa mysteria semel credidisse.* Num eadem doctrina sit, quæ verbis citatis docetur à P. Sporerio, et ab aliis quos *suos* vocare solet: quis in dubium revocet?

Consectarium XV. — Falsò asseritur à Leandro, ac sustinetur ut probabilior, sequens opinio, quam effert tract. 2, disput. 2, num. 39, his verbis: *Probabiliùs respondeo, hoc divinum præceptum* (fidei) *nullo modo obligare per se, aut ex vi ipsius præcepti ad eliciendos actus fidei in articulo mortis, quia nec ratio, nec textus aliquis cogit ad oppositum asserendum.* Equidem plures sunt inter Probabilistas, qui negent in eo articulo hujusmodi obligationem. Verùm præterquàm quòd communior est sententia, quam tradidimus, cui illorum auctoritas prævalere non potest, textus omnes atque rationes, quæ convincunt præceptum eliciendi fidei actûs *per se, et ex vi præcepti* aliquo vitæ tempore, multò magis urgere probant in mortis periculo, ut dictum est.

Consectarium XVI. — Circa præceptum exteriùs confitendi fidem, ad casus plures resolvendos, qui occurrere possunt, tenenda sub oculis est doctrina illa à D. Thomâ tradita; quòd scilicet obliget, quoties *per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et utilitas proximi impendenda.* Hinc si persona, quæ interrogat, publica non sit, sed privata, frequentiùs fidem profiteri non tenetur; sed vel tacere potest, vel aliò sermonem convertere, vel ei reponere: *Quid tuâ hoc scire refert? quis te judicem constituit?* Deo quippe in ejusmodi casibus *nullus* plerùmque *debitus honor subtrahitur, neque utilitas, quæ proximo debeat impendi.* Contingere tamen potest ut quis ad confessionem in hoc casu obligetur, veluti si persona gravis auctoritatis interrogetur coram multitudine; tunc enim silentio suo grave scandalum causaret in populo.

Consectarium XVII. — Hinc etiam præceptum confessionis fidei urget, quoties interrogati confessio necessaria est ad fidem in aliis promovendam aut confirmandam. Quare etiamsi ab aliquibus privatis interrogeris, et ex tuâ confessione prævideas, fidem esse amplexuros, aliàs in falsâ religione permansuros, aut aliquos in verâ fide confirmandos, dùm periculum est ne vacillent, aut ab eâ deficiant, sicut etiam si non confitendo in causâ fores, ut alii magis in suâ infidelitate confirmarentur; confiteri teneris, quia in hisce casibus confessionem omittendo, *subtrahitur utilitas impendenda proximo. Ubi fides periclitatur,* jam vidimus ex D. Thomâ, *quilibet tenetur fidem suam propalare vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendam infidelium insultationem,*

Consectarium XVIII. — Atque ex his postremis sancti doctoris verbis colligas quoque quòd, si videas fidem christianam ab infidelibus contemni, vel sacra conculcari, Christi ac sanctorum imagines ludibrio exponi, blasphemari Dei nomen, templa profanari, etc., teneris id impedire, si possis, etiam cum vitæ tuæ periculo. Secùs verò, si impedire nequeas, et credas obfuturam potiùs quàm profuturam operam tuam.

Consectarium XIX. — Sed et alius casus, in quo urget præceptum fidei confitendæ, colligitur ex illis verbis S. doctoris: *Puta si aliquis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera;* cùm scilicet confessionis omissio censetur implicita fidei negatio. Ut si Eleazarus, de quo sermo est in libris Machabæorum, sollicitatus à regiis ministris, simulàsset se carnes porcinas manducâsse, tametsi carnes sibi licitas reapsè comedisset, hujusmodi ista reputata fuisset tanquàm Judaicæ Religionis abnegatio: adeòque eas sibi illicitam Eleazarus meritò existimavit. *Non enim,* dixit, *ætate nostrâ dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitrantes, Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur. Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manus Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam.* Sic etiam, si, dùm multi interrogati simul à tyranno, an sint Christiani, dùm alii impavidè affirmant, alii taceant, istisque abire permissis, alii ad mortem aut tormenta trahantur; tunc quilibet prudenter judicabit, dimissos fidem abnegâsse: adeòque à peccato, qui tacent, non sunt excusandi.

Consectarium XX. — Cavenda tamen est publica confessio fidei imprudenter facta. Hæc autem primùm est, dùm absque ullâ necessitate divini honoris, aut proximorum utilitate temerè quis semet exponit periculo tormentorum, quæ fortassè haud tolerare potest, atque adeò periculo fidei abnegandæ. Deinde dùm per confessionem sine necessitate peractam persecutoribus causa præbetur Deum offendendi, fidemque acriùs impugnandi. Tertiò demùm dùm absque eâdem necessitate vel honoris Dei, vel utilitatis proximi per manifestam confessionem fidei perturbatio in infidelibus excitatur; ut si quis vel synagogam Judæorum, vel Muhamedanorum fanum adiret, ut fidem publicè profiteretur. Unde S. Thomas, loco laudato, ad 3, dixit: *Si turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifestâ absque aliquâ utilitate fidei et fidelium, non est laudabile in tali casu fidem publicè confiteri.*

Consectarium XXI. — Si quis à personâ etiam publicâ interrogaretur, num sit Christianus, non quidem in odium fidei, sed ob politicas statûs rationes, aut aliâ simili de causâ, puta ut pecunias à Christianis extorqueret, aut aliquid de Christianorum rebus resciret, non teneretur professionem suam prodere, sed aut silentio, aut alio pacto eludere posset interrogationem, dummodò nec mendacium proferret, nec

ullam proximo, ita se gerendo, scandali occasionem præberet.

CAPUT III.

DE PRÆCEPTO FIDEI NEGATIVO.

Doctrina et Consectaria.

I. *Præceptum fidei* negativum *seu nunquàm abnegandæ fidei, aut quidquam adversùs illam agendi, disertè in Scripturis exprimitur.* — II. *Tres regulæ assignantur ad resolvendos plures casus ad hoc præceptum spectantes.* — III. *Quædam ex doctrinâ positâ consectaria. Qui olim dicti sunt* Libellatici, *rei fuerunt negatæ Religionis.* — IV. *Quidam tamen ab hoc crimine absolvi possunt.* — V. *Nunquàm licet, etiam mortis vitandæ causâ, thus adolere idolo, aut alia exhibere venerationis signa, etiam verâ fide in corde retentâ.* — VI. *Quæ contra ex Scripturis afferuntur, exempla diluuntur.* — VII. *Negationis fidei reus est, qui negat se esse* Christianum, *aut Ecclesiæ catholicæ Romanæ sectatorem.* — VIII. *Non tamen qui solum negaret officium, aut statum, puta se sacerdotem esse, vel* monachum. — IX. *Principi in odium fidei præcipienti, ut sibi deferantur ad comburendum Christianorum libri, non est obediendum.* — X. *Catholico transeunti per hæreticorum loca non licet esus carnium diebus ab Ecclesiâ vetitis, ut professionem suam occultet.* — XI. *Fidem implicitè negat, qui vestibus utitur ad falsam sectam designandam institutis.* — XII. *Non ita verò, si vestes, aut signa indifferentia sint ad eam significandam.* — XIII. *Haud peccat contra fidei suæ professionem Christianus, qui infidelium, aut hæreticorum templa ingreditur.* — XIV. *Si tamen princeps infidelis aut hæreticus juberet, subditos omnes frequentare templa sua, ritibus et concionibus interesse, parere minimè Catholici deberent.* — XV. *Idolothyta, urgente fame, comedi licitè possunt, modò absit superstitio, vel scandalum.* — *Reflexio.*

§ 1. *De obligatione hujus præcepti, et regulis ad illam dignoscendam idoneis.*

I. Præter præceptum fidei affirmativum, quod solùm obligat pro tempore, loco et circumstantiis, admittendum etiam omninò est præceptum negativum, quod semper et pro semper Christianos omnes obstringit, nunquàm scilicet fidem abnegandi aut quidpiam agendi, quod sit contrarium fidei quam profitentur. Præceptum hoc adeò disertè exprimitur in Evangelio, ut nullus relinquatur dubitationi locus. Christus Dominus, Matth. 10, expressè pronuntiat : *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Cui consonat Apostolus, 2 ad Timoth. cap. 2, dicens : *Si negaverimus, et ipse negabit nos.* Quod præceptum ipso jure naturali nititur : qui enim veram fidem negat, cultum Deo debitum subtrahit, Deumque ipsum, qui nobis fidei arcana revelavit, quantùm est in se, de medio tollit; quod clariùs explicari potest. Aut enim negatio externa simul est cum internâ abjuratione; et tunc est infidelitas suâpte naturâ mala : aut, fide interiùs servatâ, negatur exteriùs ob tormentorum atrocitatem, aut alias rationes; et tunc mendacium committitur, quod, cùm in materiâ gravi versetur, peccatum lethale est. Hinc semper Ecclesia aversata est Priscillianistas, qui nefas esse minimè credebant, fide in corde retentâ, illam exteriùs abnegare. Quare de hoc nulla est inter Catholicos opinionum discrepantia; et omnes fatentur, negationem fidei sive expressam, sive tacitam, sive verbo fiat, sive signis, sive factis, semper esse grave peccatum.

II. Verùm, tametsi conveniant Catholici omnes in generali doctrinâ, fas esse nunquàm abnegare fidem, aut agere quidpiam, quo præceptum hocce negativum violetur; dissident tamen in assignandis casibus, in quibus hujusmodi transgressio contingat. Tres hâc in controversiâ regulas statuo, quas certas existimo, quæ pluribus casibus resolvendis admodùm inservient.

Prima est : Nunquàm licet ullâ de causâ aut intentione simulare falsam religionem. Siquidem simulatio falsæ religionis negatio quædam est veræ fidei, ac mendacium in re gravi, quo divinus honor violatur, et scandalum proximo præbetur. Unde secundo Ecclesiæ seculo damnati sunt Ebionitæ qui inter alios errores asserebant simulationem in professione Religionis licitam esse, nullumque crimen esse effutiebant, si quis persecutionis tempore idola veneraretur, dummodò id ex animo non faceret, aut si quid contra fidem ore tenùs profiteretur, fide in corde servatâ, ut refert S. Epiphanius, hæres. 19.

Altera regula est : Verba, signa, et actiones omnes, quæ vel seipsis, vel relatè ad circumstantias loci, temporis, personarum, significare possunt, aut alios inducere ut credant aliquem interiùs non profiteri fidem christianam, vel catholicam, existimanda sunt peccata apostasiæ, aut abnegationis veræ fidei : quoniam, licet etiam ex seipsis ad hanc significationem non determinarentur, satis determinantur ex circumstantiis, in quibus fiunt.

Tertia regula : È contra verba, actiones, vel signa, quæ neque determinata sunt ex seipsis, neque ex circumstantiis loci, temporis, aut personarum, ut significent nullam tunc fieri fidei christianæ vel catholicæ professionem, censeri minimè debent veluti fidei abnegationes, adèòque neque criminosæ. Quibus positis, ad aliqua, quæ ex his regulis deduci possunt, consectaria devenio. Unde sit

§ 2. *Doctrinæ Consectaria.*

Consectarium primum. — III. Rei negatæ religionis censendi sunt Libellatici, quo nomine vocati sunt ignavi quidam Christiani, qui ut tormenta vitarent, vel ne ad magistratus pro fide traherentur, pecuniâ libellum obtinebant, in quo testimonium præbebatur quòd idolis sacrificium obtulerant, sive imperatorum edictis satisfecerant. Quoniam testimonium accipere idololatriæ quasi ab illis commissæ, etsi reapsè non commisissent, idem erat, ac velle pro idololatris reputari. Unde illos damnârunt Cyprianus, epist. 15 et 51 et 52, aliique Patres.

IV. Quidam tamen animadvertunt fuisse alios *Li-*

bellaticos, qui, nè humanâ fragilitate in tormentis deficerent, datâ magistratui pecuniâ, ab eo libellum obtinebant, in quo magistratus absque ullâ hujusmodi testificatione nihil aliud præstabat, nisi ministris et satellitibus suis præcipere, ne latorem libelli christianæ Religionis causâ comprehenderent. Atque hi excusari poterant, cùm nihil illicitum committerent. Licitum namque est redimere iniquam vexationem, seu persecutionem, sicut licet se ab illâ per fugam proripere Neque enim hoc aliud est, nisi pecuniam dare, ne tormentis quis urgeatur ad abnegandam fidem, vel immolandum idolis. Quòdque liceat iniquam vexationem pecuniâ redimere, colligi satis videtur ex facto Jasonis, et aliorum discipulorum Pauli, qui, sicut refertur, Act. 17, datâ pecuniæ summâ sese redemerunt à vexatione Gentilium et Judæorum Thessalonicensium.

Consectarium II. — V. Nunquàm licet, etiam vitandæ mortis causâ, thus adolere idolo, genu flectere coram ipso, aut alia exhibere religionis signa, etiam absque animo colendi, sed potiùs deridendi ipsum, vel intentione ad Deum aut ad Christum directâ. Quoniam hujusmodi externæ actiones ex se tendunt in honorem idoli, et ad hunc finem institutæ sunt, et spectatis circumstantiis, nonnisi ad illud ordinantur : unde, quæcumque alia sit intùs latens intentio, à superstitione minimè purgari queunt. Sicque declaratum est à sacrâ Congregatione de Propag. Fid., die 12 septembris 1645, declarationem approbante Innocentio X, relatè ad illos Christianos qui in Sinarum imperio genua idolo flectebant, et alia religionis officia peragebant, sed intentionem suam dirigentes ad Christum, vel ad crucem inter flores altaris latentem.

VI. Duo contra afferri solent ex Scripturis exempla, alterum Jehu, qui simulavit se velle sacrificium offerre Baal, quod 4 Reg. c. 10, Deum approbàsse legitur ; alterum Naaman Syri, quid ad veram fidem conversus, ab Eliseo licentiam petiit ut cum suo rege genua flecteret idolo Rammon, cui Eliseus respondit : *Vade in pace.* Sed ad utrumque paucis respondeo. Et ad primum quidem hanc ex D. Augustino responsionem præbet S. Thomas 2-2, *q.* 111, *art.* 1, *ad* 2, dicens : *Simulationem Jehu non est necesse excusari à peccato, vel mendacio ; quia malus fuit, utpote ab idololatriâ Jeroboam non recedens. Commendatur tamen, et temporaliter remuneratus est à Deo, non pro simulatione, sed pro zelo, quo destruxit cultum Baal.*

Ad exemplum Naamani dico, non petiisse ab Eliseo ut sibi liceret vel cultum exhibere idolo, vel simulare idololatriam, et cultu saltem externo colere idolum, sed ut obsequium humanum, quod regi præstabat extra templum, præstare etiam posset in templo ; atque adeò, quando rex ipsi innixus se incurvaret, adorare volens idolum, posset Naaman se quoque incurvare, non ad cultum simul cum rege idolo exhibendum, sed causâ humani istius officii, quod regi præstare solebat, ut etiam ex cap. 7 ejusdem libri constat. Et quamvis hujusmodi obsequium posset aliquando illicitum esse ratione scandali, hæc ratio tamen cessabat in Naamano, qui se veri Dei cultorem profitebatur, seque nolle deinceps idola colere prosa status est.

Consectarium III. — VII. Negationis fidei reus est, qui negat se esse Christianum, si interrogatio ab infidelibus fieret ad investigandam Religionem ; non autem si dirigatur ad deprehendendam patriam, nationem, aliasve rationes ad fidem aut Religionem minimè pertinentes. Prima pars traditur à D. Augustino, qui, tract. 113. in Joan. loquens de negatione Petri, sic ait : *Sanè in istâ, quæ jam cœpta est, negatione apostoli Petri debemus advertere, non solùm ab eo negari Christum, qui dicit, eum non esse Christum ; sed ab illo etiam, qui, cùm sit, negat se esse Christianum. Dominus enim non ait Petro :* Discipulum meum te negabis ; *sed :* Me negabis. *Negavit ergo ipsum, cùm se negavit ejus esse discipulum. Quid autem aliud isto modo, quàm se negavit esse Christianum?* Idemque judicium ferendum de illo est, qui ab hæreticis interrogatus num sit Papista, aut Pontificius, ob finem Religionis detegendæ negaret.

Altera pars satis evidens est : quoniam eo in casu negare se esse Christianum, etc., non esset negare fidem Christi, aut Ecclesiæ, cùm aliò quàm ad fidem interrogatio spectet.

Consectarium IV. — VIII. Si quis interrogetur ab infideli vel hæretico non de christianâ aut catholicâ professione, sed de munere, aut officio, quod in illâ exercet, puta num sit sacerdos, vel monachus ; non peccat contra fidem, si negat. Consistit enim professio christianæ aut catholicæ fidei absque eo quòd munus illud exerceat. Posset tamen peccare contra veracitatem, cùm ita responderet ut ejus responsio à mendacio purgari non posset ; quod sanè contingeret, cùm responderet cum mentali restrictione, aut alio simili modo, qui reverà mendacium sit. Idemque intelligendum de aliis responsionibus, quæ interdùm quidem absque fidei negatione proferri valent, non tamen absque mendacio saltem officioso.

Consectarium V. — IX. Si princeps hæreticus edictum ferat in suo regno, in quo præcipiat, ut sibi deferantur libri omnes in favorem catholicæ Religionis editi, ad eos comburendos, peccant contra fidem, qui hujusmodi libros deferunt. Siquidem cùm tale edictum in odium et contemptum Religionis catholicæ latum fuerit, eidem parere perinde est, ac principis infidelitati cooperari. Hinc qui olim, tempore Diocletiani jubentis ut sibi omnes traderentur Christianorum libri, ut comburerentur, ejus mandato paruerunt, veluti apostatas habuit Ecclesia, ac traditores vocati sunt.

Consectarium VI. — X. Non licet catholico transeunti per hæreticorum loca, aut cum hæreticis versanti, esus carnium diebus ab Ecclesiâ vetitis. Quamquàm enim carnium esus diebus illis non sit, neque ex naturâ suâ, neque ex lege signum falsæ sectæ protestativum, in his tamen locis ex utentium consuetudine tanquàm signum habetur, nisi constet de contra-

rio. Quoniam ab hæreticis frequentari solet prava illa consuetudo in contemptum legis ecclesiasticæ, vel certè in protestationem libertatis conscientiæ : cui contemptui aut protestationi nunquàm consentire fas est. Fieri tamen potest, ut in quibusdam circumstantiis hæc ratio locum non habeat, ut si qui carnes comedit diebus ab Ecclesiâ vetitis, testetur se iis indigere ad valetudinem, aut si palam constet aliquem esse catholicum, fideique catholicæ observantias ac præcepta servarè, ut reapse constat in oratoribus catholicorum principum in Angliâ vel Hollandiâ degentibus, qui, si diebus ab Ecclesiâ vetitis carnes edere conspiciantur, non ideò cum hæreticis consentire, aut prætensæ libertati communicare reputantur.

Consectarium VII. — XI. Fidem implicitè negant, falsamque sectam profiteri censentur, qui utuntur vestibus, aut signis sive ex lege, sive ex consuetudine institutis ad ministrum, aut professorem falsæ sectæ designandum. Equidem nemo unus dubitat licere uti vestibus, quæ sunt peculiares nationi, vel patriæ, in quâ infideles commorantur absque ullo ad Religionem respectu, quemadmodùm inter ipsos Catholicos variæ sunt indumentorum differentiæ. Nonnulli quidem theologi putant ex gravi causâ uti etiam licere iis vestibus, quæ juxta varia sectarum falsarum discrimina institutæ fuerunt ad designandos proprios cujusque sectæ ministros ac professores. Quorum tamen sententia probanda non est. Siquidem, tametsi usus talium vestium absolutè et ex naturâ suâ indifferens sit, posito tamen quòd vestes institutæ fuerint ad falsam Religionem protestandam, jam in communi hominum æstimatione falsam Religionem significant; et ab hâc significatione, moraliter loquendo, separari nequeunt, ita ut omnes, qui hisce indumentis indutum cernunt, statim judicent, ipsum talem, aut talem sectam profiteri, qualem vestimenta produnt. Hinc tanquàm laxa rejicienda est doctrina P. Antonii à Spiritu sancto, qui, Tract. 1, disput. 1, sect. 6, scribit : *Satis probabile existimo, quòd ex magnâ causâ, v. g., ad evitandam mortem, victoriâ et hostibus reportandam, posse Christianos uti veste institutâ ad profitendam falsam sectam, v. g., veste sacerdotali Turcarum, vexillo, ubi depictus sit Mahometus. Ratio est, quia licet signa sint apud Turcas protestativa falsæ sectæ, possunt etiam assumi ad ornatum, vel ad significandam falsitatem sectæ.*

Consectarium VIII. — XII. Quòd si contingat, vestem, aut signum aliquod esse in falsâ Religione, quo indifferenter utantur tum illius ministri, tum etiam alii qui ejusdem nationis sunt, adeò ut in communi existimatione nationis potiùs signum sit, quàm religionis; tunc, si Christianus signum aut vestem illam gestet, à peccato excusandum puto. Sic censent aliqui, quos inter est P. Contensonius, licitè mercatores in Turcarum imperio degentes uti tobaliis albis, sive, ut vocant, *turbante*, morem gentis imitantes : quoniam, aiunt, per ejusmodi usum minimè se profitentur Turcas esse, cùm nationis potiùs signum sit, quàm religionis. Alii tamen sunt, qui oppositum sentiunt. Quæ res facti cùm sit, non aliunde, quàm ex communi illius nationis consensu erui potest.

Consectarium IX. — XIII. Haud peccat contra suæ Religionis professionem Christianus, qui templa ingreditur infidelium, Judæorum, aut hæreticorum. Hujusmodi enim ingressus protestatio Religionis non est, ut ex consuetudine et usu communi constat. Siquidem cùm hæc professio in facto posita sit, juxta communem hominum existimationem est accipienda. Porrò communitèr homines sive fideles, sive infideles ingressum synagogæ, vel templi hæreticorum, aut infidelium, etiam dùm sacræ ab ipsis functiones peraguntur, sectæ illius protestativum non æstimant. Unde si qui infidelium templa ingrediantur, inque ritibus ac cæremoniis non communicent, nec ullum impendeat subversionis periculum; non est, cur ex hoc capite alicujus peccati contra fidem damnandi sint.

Consectarium X. — XIV. Si tamen princeps aliquis hæreticus publico edicto injungeret omnibus subditis suis frequentare hæreticorum templa, eorumque precibus, cœtibus, et concionibus interesse; parere minimè deberent Catholici, qui in ejus ditione versantur. Hinc, cùm rex Angliæ sub initium seculi præcedentis talem frequentiam Catholicis præcepisset, interrogatus Paulus V, an id ipsis liceret, re cum doctissimis theologis communicatâ, respondit, anno 1605, in hæc verba : *Accepimus compelli vos, gravissimis pœnis propositis, templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum interesse. Profectò credimus procul dubio, eos, qui tantâ constantiâ atrocissimas persecutiones, etc., perpessi sunt, ut immaculatè ambularent in domo Domini, nunquàm commissuros esse, ut coinquinentur communione desertorum divinæ legis. Nihilominùs zelo pastoralis officii nostri impulsi, et pro paternâ sollicitudine, quâ de salute animarum vestrarum assiduè laboramus, cogimur monere vos, atque obtestari, ut nullo pacto ad templa hæreticorum accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultûs ac vestræ salutis.*

Consectarium XI. — XV. Si urgeat famis necessitas, comedi possunt idolothyta, sive carnes, aut cibi idolis consecrati, dummodò species absit superstitionis, cultus falsæ sectæ, vel etiam scandalum. Hoc eruitur ex verbis Apostoli 1 ad Corinth. cap. 10, ubi primùm ait : *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit : Hoc immolatum est idolis; nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam : conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.* Ubi liquet, peccatum non referri nisi in scandalum, quod subesse aliquando potest. Quod clariùs explicat, cap. 8, dicens : *Quidam autem cum conscientiâ usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant : et conscientia ipsorum, cùm sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo : neque enim si manducaverimus, abundabimus : neque, si non manducaverimus, deficiemus*

Videte ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. In quibus manifestum est, nullam etiam S. Paulum culpam cognoscere in idolothytorum comestione, nisi scandalum, aut offendiculum, quod esse potest relatè ad alios. Hoc magis declarat S. Thomas in 4, dist. 38, quæst. 12, inquiens : *Satiùs est fame mori, quàm idolothyto vesci, scilicet cum scandalo : quia primum est malum pœnæ, secundum malum culpæ. Non tamen debet aliquis se dimittere fame mori, antequàm cum scandalo idolothytum comedat : quia injiceret sibi manus, et sic cum malo pœnæ adjungeretur malum culpæ.* Perspicuà quoque ratione comprobatur. Nam cibi instituti sunt ad corpus alendum, non ad profitendam religionem ; nec ulla reapsè in eorum usu infidelitatis protestatio est. Contemptâ proinde superstitione infidelium, et cessante scandalo, comedi licitè poterunt, urgente maximè necessitate alendæ vitæ.

REFLEXIO.

Qui me erubuerit, et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ. Valdè formidanda à Christianis omnibus, simulque serio animo ponderanda atque meditanda sententia. Quid enim timendum magis, quàm in supremi judicii die habere Christum judicem adeò infensum, ut nolit omnes, qui ipsum aut sermones suos erubuerint, inter electos agnoscere et computare, adeòque tanquàm reprobos abs se repellere, veluti dignos supplicio sempiterno? Quid attentiore ponderatione ac meditatione dignius, quàm tanta calamitas, quâ major nulla esse ac ne fingi quidem mente potest, quæ his superventura certò est, qui libero erectoque animo Christum confessi non fuerint? Sed quinam censendi sunt, quos Christus, *cùm venerit in majestate suâ, erubescet*, et tanquàm se et gloriâ suâ indignos ad æternum ignem condemnabit? Non ii duntaxat, qui coram tyrannis atrocia tormenta et mortem minitantibus, ipsum fidemque suam aut abnegârunt, aut impavidè professi non sunt. Perpendamus attentiùs Evangelica verba : *Qui me erubuerit*, inquit Christus Dominus, *et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ. Qui me erubuerit :* haud sanè hìc loquitur de divinitate suâ, de sapientiâ, de omnipotentiâ, de eximiis aliis prærogativis, quibus splendidissimè effulget : neque enim hæc sunt argumenta ruboris. Sed *qui me erubuerit* hominem pauperem, abjectum, humilem, opprobriis et ignominiis saturatum, persecutionibus exagitatum, crucifixum et mortuum. *Qui erubuerit sermones meos*, præceptiones, doctrinas quas tum aliàs, tum præcipuè *sermone* à me habito *in Monte*, discipulis meis præscripsi ; humilitatem quam prædico, patientiam, mansuetudinem, contemptum mundi, voluptatum fugam, tolerantiam crucis, pœnitentiæ amorem, fraternam dilectionem etiam erga inimicos, ac virtutum omnium exercitia. *Qui erubuerit me coram hominibus*, ut alibi habent ; qui magis mundo displicere timent, quàm mihi ; qui ob humanos respectus, ob improborum dicteria, aut irrisiones pietatis opera etiam debita derelinquunt ; qui, veluti quidam Judæorum princeps, de quo locutus sum, *diligentes gloriam hominum magis quàm gloriam Dei*, quanquàm *in me credant, propter Pharisæos non confitentur ut è synagogâ non ejiciantur*, sive ne veluti nimiùm rigidi traducantur, ne amittant cœtum hominum ad se confluentium, ne iis displiceant, quibus placere student, infracto animo doctrinas meas ac præcepta non eo modo, quo deberent, annuntiant, sed illa levigant, plus æquo emolliunt, corruptis hominum appetitionibus accommodant, atque pervertunt.

Hoc sensu explicanda ac intelligenda est præfata Christi sententia ; nec alio, ut arbitror quidem, intelligi rectè potest. Verùm, si res ita se habet, heu ! quot sunt inter Christianos qui, licet fidem Christi profiteantur, Christum tamen *erubescunt*, adeòque obnoxios reddunt sese terribili illi sententiæ, ut et ipse eos *erubescat, cùm venerit in majestate suâ!* Quot ubique Christianos invenias, qui verbis quidem Christum confitentur, factis tamen et moribus negant ; ac, dùm crucem ejus quotidiè signant in fronte, eos tamen pudet christianam sectari modestiam, humilitatem, aliasque ab ipso tantoperè commendatas virtutes ; vitâque suâ se carnis ac mundi potiùs discipulos confitentur, quàm Christi ! Quot sunt magistri in Israel, qui veritates Evangelicas *in injustitiâ detinent, ut loquantur hominibus placentia, et videant, ac sanam doctrinam non sustinentibus errores* cum sermonibus Christi apertè niniùm pugnantes doceant ! Nonne omnes hi aliique *erubescunt Christum et sermones ejus?* Erubescunt, inquam, sin minùs ut magistrum fidei, saltem ut magistrum morum ; quod perindè planè est : neque enim minùs oportet confiteri et profiteri Christum ut morum, quàm ut fidei doctorem atque magistrum.

Audiant hi omnes, quid in laudatum Evangelii textum scribat magnus S. Gregorius, homil. 32 : « Ecce « nunc apud se homines dicunt : Nos jam Dominum « et sermones ejus non erubescimus, quia apertâ « eum voce profitemur. Quibus ergo respondeo, quòd « in hâc plebe christianâ sunt nonnulli, qui Christum « ideò confitentur, quia cunctos Christianos esse « conspiciunt.... Nam si nomen Christi in tantâ hodiè « gloriâ non esset, tot professores Christi sancta « Ecclesia non haberet. Non ergo ad probationem « fidei vox sufficit professionis, quam defendit à vere- « cundiâ professio generalitatis, etc. De eo se quisque « interroget, et in confessione Christi se veraciter « probet, si non jam nomen ejus erubescit, si plenâ « virtute mentis humanum pudorem subdidit. Certè « enim persecutionis tempore erubescere poterant « fideles, substantiis nudari, de dignitatibus dejici, « verberibus affligi ; pacis autem tempore, quia hæc « à nostris persecutoribus desunt, est aliud, unde « ostendamur nobis. Veremur sæpè à proximis despici, « dedignamur injurias verbi tolerare. Si contingat « jurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores « satisfacere : cor quippe carnale, dùm hujus vitæ « gloriam quærit, humilitatem respuit. Pensemus

« facta veritatis, et videamus quò jaceant nostræ « pravitatis actiones. »

Audiant etiam S. Augustinum, Enarrat. in Psal. 39, ita disserentem : « Sunt Christiani : habent fidem in « corde, et inter paganos avaros, sordidos, infideles, « ineptos, insultatores, si exagitari cœperint, quia « Christiani sunt, habent in corde fidem, et timent « confiteri per labia; prohibent labia sua sonare, quod « nôrunt, sonare quod intùs habent. Sed reprehen- « dit hos Dominus : *Qui me confessus non fuerit coram « hominibus, confundar de illo, quia erubuit me confi- « teri coram hominibus, coram Patre meo;* id est, non « cum agnoscam; non cum confitebor coram Patre « meo. Dicant ergo labia, quod habet cor; hoc contra « timorem habeat cor, quod dicunt labia : hoc contra « simulationem labia, hoc contra habeant labia, quod « credit cor. Aliquando enim timor est; et non audes « dicere quod nôsti, quod credis : aliquando simula- « tio; dicis, et non habes in corde. Consentiant labia « tua cordi tuo. »

Non erubescamus igitur *Christum neque sermones ejus*, quibus nos docet paupertatis amorem, humilitatem, patientiam, cæterasque virtutes, ne et ille aliquando erubescat nos, *cùm venerit in majestate suâ*. Publicè gloriemur, sicut Apostolus præcipit, *in cruce Christi, in quâ est vita et resurrectio nostra*. Contemnamus inanes vanosque respectus in sectandâ fideliter Evangelicâ doctrinâ, eâque, si quandoque oporteat, asserendâ ac defendendâ ab iis qui vel eam corrumpere moliuntur, vel ut carni et sanguini oppositam amplecti dedignantur, omni posthabito timore displicendi hominibus; dicamusque cum eodem Apostolo : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem;* adeòque nec partem habiturus in regno suo.

CAPUT IV.

DE VITIO FIDEI OPPOSITO, SCILICET INFIDELITATE.

Doctrina.

I. *Duplex infidelitas; alia* negativa; *alia* positiva, *siv contraria.* — II. *Infidelitatis contrariæ peccati qualitas exposita.* — III. *Non ita hoc peccatum inficit in fidelium opera, ut omnia peccata sint.* — IV. *Species infidelitatis assignantur.* — V. *Doctrina S. Thomæ quoad disputationem de fidei veritatibus fidelium cum infidelibus.* — VI. *Quid sentiendum de celebri canone, quo* cuicumque laicæ personæ *prohibita videtur disputatio de fide catholicâ.* — VII. *Quænam ex jure præsertim naturali interdicta sit communicatio fidelium cum infidelibus.* — VIII. *Quænam ex jure positivo.* — IX. *Qui fidem nunquàm susceperunt, ad eam compellendi non sunt : qui autem professi jam sunt, ad illam metu etiam pœnarum urgendi.* — X. *Instituenda de novo non est, cùm id fieri potest, prælatio infidelium supra fideles : eadem tamen christiana sustinenda, dùm præexistit.* — XI. *Christiani principes permittere licitè possunt in suis ditionibus sectas, et ritus religiosos infidelium; præsertim si absque perturbatione et scandalo eos impedire nequeant.* — XII. *Momenta indicantur, quibus probat S. Thomas vueros infidelium baptizandos non esse, invitis parentibus.* — XIII. *Quid ex postremâ S. doctoris ratione consequatur.*

§ 1. *Notio et qualitas peccati infidelitatis.*

I. Vitium fidei oppositum infidelitas est. Hujus peccati germanam notionem, et ideam exhibet Angelicus, doctor 2-2, q. 10, duplicem in ipsâ considerationem distinguens. *Uno modo*, inquit, *secundùm puram negationem, ut dicatur infidelis ex hoc solo quòd non habet fidem : alio modo intelligi potest infidelitas secundùm contrarietatem ad fidem, quia scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam, secundùm illud Isaiæ* 53 : Quis credidit auditui nostro? *Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis; et secundùm hoc infidelitas est peccatum. Si autem*, subdit, *accipiatur secundùm puram negationem, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est.*

Duplicem ergo infidelitatem distinguere oportet : aliam, quæ *merè negativa* est, et in his locum habet, *qui nihil de fide audierunt*, seu quibus fides satis proposita non est; et hæc non est peccatum, sed peccati pœna ex peccato primi parentis profecta : adeòque qui hujusmodi infidelitate, seu ignorantâ divinorum laborant, *damnantur quidem*, inquit S. doctor, *propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt; non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit*, Joan. 15 : Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. *Quod exponens, Augustinus dicit, quòd loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Christum.*

At infidelitas *contraria* (ad quam aliqui revocant etiam *privativam)* semper peccatum est; et in eo consistit, quòd aliquis repugnet fidei, seu fidei veritati sibi sufficienter propositæ.

II. Hoc peccatum infidelitatis, sicut et fides, ut observat idem S. doctor, art. 2, *est quidem in intellectu, sicut in proximo subjecto; in voluntate autem, sicut in proximo motivo :* oriturque ex superbiâ, ex quâ homo subjicere renuit intellectum suum veritatibus fidei sibi propositis. Et quamvis non sit peccatorum maximum relatè ad peccata quæ opponuntur aliis virtutibus theologicis, ac præsertim charitati, gravissimum tamen est, ac *majus peccatis omnibus quæ contingunt in perversitate morum.* Nihilominùs quidpiam esse aliquando potest, quod ejusdem minuat gravitatem. Unde S. Thomas, art. 3, ad 2, expendens illa Apostoli verba : *Priùs fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordium consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate;* advertit *quòd infidelitas habet ignorantiam adjunctam, et habet renitentiam ad ea quæ sunt fidei. Et ex hâc parte habet rationem peccati gravissimi. Ex parte autem ignorantiæ habet aliquam rationem excusationis, et maximè quando aliquis ex malitiâ non peccat sicut fuit in Apostolo :* quod etiam asserere possumus de quibusdam simpliciori-

bus ac rudioribus maximè inter hæreticos, qui renituntur quidem veritatibus fidei catholicæ, et in hoc graviter peccant; sed tamen id non agunt *ex malitiâ*, sed ex solâ ignorantiâ, licet vincibili et culpabili.

III. At verò, cùm infidelitas isthæc *contraria* peccatum est, numquid tale peccatum censeri debet, ut inficiat et corrumpat omnia opera infidelium, adeò ut nulla sit ipsorum actio quæ non sit peccati labe polluta? Quæstionem hanc excitat S. Thomas sequenti art. 4, eamque fuso calamo pertractant plures theologi. Satis mihi est, quæ ad illam resolvendam affert S. doctor, ex quibus veritas in luce nitidissimâ collocatur. Respondet igitur : « Peccatum mortale « tollit gratiam gratum facientem; non autem tota- « liter corrumpit bonum naturæ. Unde cùm infideli- « tas sit quoddam peccatum mortale, infideles qui- « dem gratiâ carent : remanet tamen in eis aliquod « bonum naturæ. Unde manifestum est quòd infideles non possunt operari bona operæ quæ sunt ex gratiâ, « scilicet opera meritoria : tamen bona opera ad « quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari pos- « sunt. »

« Unde non oportet quòd in omni suo opere pec- « cent. Sed quandocùmque aliquod opus operantur « ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim habens « fidem potest aliquod peccatum committere in actu « quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel « etiam moraliter peccando; ita etiam infidelis potest « aliquem actum bonum facere in eo quòd non re- « fert ad finem infidelitatis. » Hæc ille, qui subinde solvit juxtà hanc doctrinam argumenta quæ sibi objecerat. Et in resp. ad 2, notat, quòd *fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis : sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis.*

§ 2. *Species infidelitatis.*

IV. Tres assignari communiter solent infidelitatis species; nempe *paganismus*, *judaismus*, et *hæresis*, ad quam reducitur *apostasia*; quemadmodùm atheismus et mahometismus ad paganismum. Hujusce divisionis pulchram affert rationem S. Thomas q. 10, art. 5, scilicet : « Cùm peccatum infidelitatis consistat « in renitendo fidei, hoc potest contingere dupliciter : « quia aut renititur fidei nondùm susceptæ, et talis « infidelitas est *paganorum*, sive gentilium; aut reni- « titur fidei Christianæ susceptæ, et hoc vel *in figurâ*, « et sic est *infidelitas Judæorum*, vel in ipsâ *manife- « statione veritatis*, et sic est *infidelitas hæreticorum*. « Unde in generali possunt assignari tres prædictæ « species infidelitatis. »

Ex tribus hisce infidelitatis speciebus definit S. doctor, art. 6, simpliciter graviorem esse infidelitatem *hæreticorum*, quàm Judæorum; et *Judæorum*, quàm paganorum, si culpa infidelitatis spectetur ex hoc quòd renititur fidei. Major namque culpa est reniti fidei susceptæ, quàm nondùm susceptæ; et major reniti fidei susceptæ in manifestatione veritatis, quàm in figurâ. Addit tamen, graviorem esse infidelitatem paganorum, quàm aliorum, prout scilicet consideratur corruptio eorum quæ ad fidem pertinent. quia in pluribus errant gentiles, quàm Judæi; et Judæi, quàm hæretici, nisi fortè quidam hæretici, ut olim Manichæi, errent in pluribus, et fortè nunc etiam *Socinani*, quorum hæresis pestilentior omnibus est, ac omnibus fermè Christianæ fidei veritatibus adversatur.

§ 3. *Num liceat cum infidelibus publicè disputari de fide?*

V. Circa publicam disputationem de fidei veritatibus fidelium cum infidelibus, hæc est solida ac limpidissima S. Thomæ doctrina. Duo ille distinguit, art. 7, in hàc disputatione : alterum quod se tenet ex parte *disputantis*, et aliud ex parte *audientium*. « Ex « parte quidem disputantis, ait, est consideranda « intentio. Si enim disputet tanquàm de fide dubi- « tans, et veritatem fidei pro certâ non supponens, « sed argumentis experiri intendens, procul dubio « peccat tanquàm *dubius in fide*, et infidelis. Si autem « *disputet aliquis de fide ad confutandum errores*, vel « etiam ad exercitum, laudabile est. » Quibus addere oportet idem judicium ferendum esse, si vel is qui disputationem cum infidelibus instituit, satis doctus sit ut possit eorum argumenta refellere, et disputationem suscipiat, ut vel fidem defendat, vel alios ad fidem convertat. Nam si indoctus esset, aut nesciret infidelium argumenta dissolvere, tunc et seipsum periculo perversionis exponeret, et aliis præberet occasionem ruinæ. Atque hoc quidem ex parte disputantis.

« Ex parte verò audientium, sequitur S. Thomas, « considerandum est utrùm illi qui disputationem « audiunt, sint instructi et firmi in fide, aut sim- « plices et in fide titubantes. Et quidem coram sa- « pientibus in fide firmis, nullum periculum est dispu- « tare de fide. Sed circa simplices est distinguendum. « quia aut sunt sollicitati, sive pulsati ab infidelibus, « puta Judæis, vel hæreticis, sive paganis nitentibus « corrumpere in eis fidem, aut omninò non sunt sol- « licitati super hoc, sicut in terris in quibus non sunt « infideles. In primo casu necessarium est publicè « disputare de fide, dummodò inveniantur aliqui ad « hoc sufficientes, et idonei qui errores confutare « possint. Per hoc enim simplices in fide firmabun- « tur, et tolletur infidelibus decipiendi facultas, et « ipsa taciturnitas eorum qui resistere deberent per- « vertentibus fidei veritatem, esset erroris confirma- « tio. Unde Greg. in 2 Pastor. : *Sicut incauta locutio « in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos « qui erudiri poterant, in errore derelinquit.* »

« In secundo verò casu periculosum est publicè « disputare de fide coram simplicibus, quorum fi- « des ex hoc est firmior, quia nihil diversum au- « dierunt ab eo quod credunt. Et ideò non expedit « eis, ut verba infidelium audiunt disputantium contra « fidem. »

VI. Circa hanc quæstionem controversia est circa rectam intelligentiam canonis Alexandri IV, cap. Qui-

tumque, tit. de hæreticis, ubi summus pontifex prohibet ne *cuiquam laicæ personæ liceat publicè vel privatè de fide catholicâ disputare : qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Quid nempe veniat nomine *personæ laicæ ?* Et quidem frequentior apud theologos expositio est, quòd significet personam *secularem*, prout contra ponitur *ecclesiasticæ :* adeòque dicunt, cuicumque seculari personæ vigore hujus canonis interdictum esse disputare cum infidelibus, sive pagani sint, sive Judæi, sive hæretici. Sed alii sunt doctissimi viri qui contra sentiunt eo vocabulo *illiteratam* personam intelligi; quia sic ferebat usus Latinæ linguæ temporibus, queis præfatus canon editus est, ut ita personæ quævis etiam ecclesiasticæ rudes et indoctæ nominarentur : idque probat pluribus in medium productis exemplis ex Glossario Du-Fresne Ludovicus Antonius Muratorius sub nomine *Lamindani Pritanii* in opere : *Riflessioni sopra il buon gusto*, p. 2, cap. 7, ubi etiam in confirmationem affert auctoritatem Oderici Vitalis, qui animadvertit tunc temporis doctum laicum *clericum* vocari cœptum fuisse, et contra ignorantes quoque ecclesiasticos *laicos* appellatos; et Gallos etiam olim doctum hominem pro *clerico* accepisse. Unde aiunt hujus sententiæ defensores, quos inter Cajetanus, Bannez, Ledesma, Granadus, Reginaldus, aliique, eo in canone nonnisi indoctis viris, sive seculares sint, sive ecclesiastici, prohiberi disputationem de fidei veritatibus cum infidelibus, quicumque fuerint pagani, Judæi aut hæretici.

In hanc ego quoque sententiam proclivior sum, tum quia graviora mihi videntur illius fundamenta, tum quia quæ afferuntur pro contrariâ, haud magni ponderis existimo. Quidquid tamen sit, cùm hujusmodi disputationes de fidei mysteriis cum infidelibus, præsertim publicè, rarissimè probandæ sint : ex iis namque nulla plerumque consequitur utilitas; si tamen eventus contingat aliquando ut vel necessitas poscat, vel magna utilitas meritò sperari valeat, puta si infidelis conaretur alios avertere à fide, nec adesset persona ecclesiastica quæ ejus sophismata dissolveret; tunc secularis doctus posset, quin et deberet hoc officium assumere, et infideles sive privatim, sive etiam publicè de errore convincere, ac fideles in fide confirmare. Tunc enim lex ipsa naturalis urgeret, ut, juxta Apostoli verba *eos, qui contradicunt, argueret*, et fidelibus periclitantibus opem ferret, etiam disputando, et veritates fidei defendendo.

§ 4. *De communicatione cum infidelibus.*

VII. Nedùm cum infidelibus disputare de fide minimè licet juxta ea quæ dicta modò sunt, sed nec etiam in quibusdam casibus communicare cum ipsis. Circa quod optimas regulas tradit S. præceptor art. 9, duplicem considerans prohibitionis rationem : aliam scilicet, quæ fit in pœnam illius cui communio fidelium subtrahitur; aliam, quæ sit ad cautelam eorum quibus interdicitur ne aliis communicent. « Primo ergo modo, ait, non interdicit Ecclesia fi- « delibus communionem infidelium qui nullo modo « fidem Christianam receperunt, scilicet paganorum, « vel Judæorum : quia non habet de eis judicare « spirituali judicio, sed temporali in casu, cùm inter « Christianos commorantes aliquam culpam commit- « tunt, et per fideles temporaliter puniuntur. Sed « isto modo scilicet *in pœnam*, interdicit Ecclesia « fidelibus communionem illorum infidelium qui à « fide susceptâ deviant vel corrumpendo fidem, sic- « uti hæretici, vel etiam totaliter à fide recedendo, « sicut apostatæ : in utroque enim horum excommu- « nicationis sententiam profert Ecclesia. »

Expendit deinde rationem alteram, cur hæc prohibitio fiat, scilicet ad cautelam fidelium, eisque distinctione opus esse propter diversas conditiones personarum, negotiorum, et temporum. « Si enim aliqui « fuerint firmi in fide, ita quòd ex communione « eorum cum infidelibus conversio infidelium magis « sperari possit, quàm fidelium à fide aversio, non « sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem « non susceperunt, scilicet paganis, vel Judæis, et « maximè si necessitas urgeat. Si autem sint simpli- « ces et infirmi in fide, de quorum subversione pro- « babiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infide- « lium communione, et præcipuè ut magnam familia- « ritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis « communicent. »

Hinc in resp. ad 3, sapienter animadvertit quòd dominus fidelis possit habere servum infidelem, sive paganum, sive Saracenum, eò quòd probabile magis sit quòd servus, qui regitur imperio domini, *convertatur ad fidem domini fidelis, quàm è converso; et ideò non est prohibitum quin fideles habeant servos infideles. Si tamen*, appositè subdit, *domino periculum immineret ex communione talis servi, deberet eum à se abjicere secundùm illud mandatum Domini :* Si pes tuus scandalizat te, etc.

VIII. Præter communicationem in ritibus et cultu superstitioso, quam nunquàm habere fas est cum infidelibus, sunt casus aliqui in quibus Ecclesia canonico jure eamdem vetuit præsertim cum Judæis communicationem. Et hi præcipui sunt : nimirùm ne Christiani cum Judæis habitent, comedant, simul laventur in balneo, ipsis famulatum præstent, multòque magis se ipsis tanquàm servos aut mancipia subjiciant, ne ad morbos curandos adhibeant, aliaque hujusmodi in quibus legitimæ inter Christianos observandæ sunt consuetudines, maximèque attendendus spiritus Ecclesiæ præcipientis qui eò tendit, tum ut subversionis præcaveatur periculum, tum etiam ne honor ac dignitas Christianæ Religionis violetur aut ullo modo lædatur.

§. 5. *De potestate Christianorum in infideles.*

IX. Ad hoc argumentum revocantur ea quæ traduntur à S. Thomâ sequentibus articulis, quæst. 8, de quibus quædam cursim dabimus. Primùm igitur art. 8, inquirit, num infideles ad fidem sint compellendi? Quà in quæstione duplex distinguit genus infidelium. Alii

namque sunt, qui fidem nunquàm susceperunt, sicut pagani, Mahometani, ac Judæi. Et hujusmodi nullatenùs ad fidem compellendi sunt, ut ipsi fidem amplectantur, et credant : quia credere voluntatis est; et coactio non est legitima, nisi quis jurisdictione gaudeat in eos qui coguntur. Porrò nec Ecclesia, nec Christiani principes jurisdictione gaudent in voluntatem prædictorum infidelium, sicut neque in personas, si sint extranei. *Sunt tamen*, subjicit sanctus doctor, *compellendi à fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. Et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent : non quidem ut eos ad credendum cogant; quia si etiam eos vicissent, et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent; sed propter hoc ut eos compellant, ne fidem Christi impediant* Possunt etiam, si Christianorum principum subditi sint, ab iis obligari, ne ea peragant, quæ legi naturali adversantur, et cogere ad hujusce legis observantiam : quoniam legum naturæ observantia, cùm ad rempublicam rectè administrandam conducat, sub potestate cadit principis temporalis. Atque etiam illos cogere possunt, aliqua pœna denuntiata, ut audiant fidei doctrinam, quemadmodùm et Romæ semel in hebdomadâ, et aliquando in aliis civitatibus Judæi adstringuntur.

Sed alii sunt infideles, qui fidem Christi jam susceperunt, aut eam professi sunt, ut hæretici et apostatæ. *Et tales*, inquit S. Thomas, *sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, et teneant quod semel susceperunt.* Sunt enim per Baptisma effecti subditi Ecclesiæ, quoad ea quæ ad salutem et Religionem pertinent; adeòque Ecclesia etiam censurarum metu compellere eos potest ad leges suas observandas, et principes ipsi Christiani pœnarum temporalium comminatione, dùm id expedire judicaverint.

X. Art 10, S. præceptor quærit *utrùm infideles dominium habere possint supra fideles?* Et hanc quæstionem solidâ ac dilucidâ doctrinâ resolvit, inquiens : « Circa hoc dupliciter loqui possumus. Uno modo de « prælatione, aut dominio infidelium supra fideles de « novo instituenda ; et hoc nullo modo permitti debet : « cederet enim hoc in scandalum, et in periculum « fidei. De facili enim illi qui subjiciuntur aliorum « jurisdictioni, immutari possunt ab eis quibus sub« sunt, ut sequantur illorum imperium, nisi illi qui « subsunt fuerint magnæ virtutis. Et similiter infide« les contemnunt fidem, si fidelium defectus cogno« scant, etc.

« Alio modo possumus loqui de dominio, vel præ« latione jam præexistente. Ubi considerandum est, « quòd dominium et prælatio introducta sunt ex jure « humano (à jure naturæ profecto). Distinctio autem « fidelium et infidelium est ex jure divino. Jus autem « divinum, quod est ex gratiâ, non tollit jus humanum, « quod est ex naturali ratione. Ideò distinctio fidelium « et infidelium secundùm se considerata non tollit do« minium, et prælationem infidelium supra fideles, Hoc confirmat in resp. ad 2, loquens de iis Christianis, qui erant sub dominio paganorum principum tempore primitivæ Ecclesiæ dicens : « Prælatio Cæsa« ris præexistebat distinctioni fidelium ab infidelibus : « unde non solvebatur per conversionem aliquorum « ad fidem, et utile erat quòd aliqui fideles locum in « familiâ imperatoris haberent ad defendendum alios « fideles. Sicut beatus Sebastianus Christianorum ani« mos, quos in tormentis videbat deficere, confortabat, et adhuc latebat sub militari chlamyde in domo « Diocletiani. » Plura animadverterem circa alia quæ habet in hoc articulo, quemadmodùm et in art. 2, q. 12. Sed quia hæc ad præsens institutum meum parùm aut nihil pertinent, ideò ea prætereo.

Quæstionem aliam movet S. doctor art. 11, circa ritus infidelium, gentilium præsertim, ac Judæorum : eamque resolvit præclarâ propositâ doctrinâ ab ipso supremo gubernatore Deo deductâ. « Humanum, in« quit, regimen derivatur à divino regimine, et ipsum « debet imitari. Deus autem, quamvis sit omnipotens « et summè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri « in universo, quæ prohibere posset; ne, eis sublatis, « majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala se« querentur. Sic ergo et in regimine humano illi qui « præsunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona « impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incur« rantur : sicut Augustinus dicit in lib. 2 de Ordine : « *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia « libidinibus.* Sic ergo, quamvis infideles in suis ritibus « peccent, tolerari possunt vel propter aliquod bonum, « quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum, « quod vitatur.

« Ex hoc autem (subdit specialiter loquens de riti« bus, quos etiam nunc observant Judæi) quòd Judæi « ritus suos observant, in quibus olim præfigurabatur « veritas fidei, quam tenemus, hoc bonum provenit, « quòd testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus; « et quasi in figurâ nobis repræsentatur quod credi« mus. Et ideò in suis ritibus tolerantur.

« Aliorum verò infidelium ritus qui nihil veritatis « aut utilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, « nisi fortè ad aliquod malum vitandum, scilicet ad « vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex hoc « posset provenire, vel impedimentum salutis eorum, « qui paulatim sic tolerati converturtur ad fidem. » Hinc S. Augustinus, Epist. 50, docet Ezechiam et Josiam, reges Judæ, in hoc commendari in sacris libris, quòd Deo vero famulatum præstiterint jubendo, ut luci, ac templa idolorum, ac excelsa, quæ adversùm Dei præceptum constructa fuerant, diruerentur. Et in lege Evangelicâ laudantur Constantinus Magnus, et alii Christiani imperatores, quòd idolorum templa claudenda præceperint. Hinc etiam in Viennensi concilio prohibetur, ne catholici principes permittant Saracenos sibi subjectos publicè Mahumetum invocare, aut peregrinationes ad ejus sepulcrum instituere.

XII. Demùm S. Thomas art. 12 proponit ac resolvit celebrem controversiam, num pueri Judæorum aliorumque infidelium baptizandi sint, invitis parenti-

bus? De quâ quæstione cùm frequentiùs à theologis disseratur in tract. de Baptismo, idcircò hìc tantùm ejus responsionem negantem attingo, ejusque fundamenta, quibus illam confirmat: quorum primum est, quòd Ecclesiæ consuetudo, quæ maximam hâc in re auctoritatem habere debet, nunquàm habuit, ut *Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur; quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, etc., qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi.*

Fundamentum alterum, profert ex periculo fidei. Si enim pueri nondùm usum rationis habentes Baptismum susciperent, postmodùm, cùm ad perfectam ætatem pervenirent, facilè possent induci à parentibus, ut eam desererent, quam ignorantes susceperunt, quod vergeret in fidei detrimentum.

Tertium fundamentum ex eo desumit, quòd id repugnet justitiæ naturali. Nam filius est naturaliter aliquid patris. « Et primò quidem, ait, à parentibus « non distinguitur secundùm corpus, quamdiù in « matris utero continetur: postmodùm verò, postquàm « ab utero egreditur, antequàm usum liberi arbitrii « habeat, continetur sub parentum curâ, sicut sub « quodam spirituali utero. Quamdiù enim usum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali; unde sicut bos vel equus est alicujus, ut utatur eo, cùm voluerit, secundùm jus civile, sicut proprio instrumento: ita de jure naturali est, quòd « filius, antequàm habeat usum rationis, sit sub curâ « patris. Unde contra justitiam naturalem esset, si « puer, antequàm habeat usum rationis, à curâ parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur, « invitis parentibus. Postquàm autem incipit habere « usum liberi arbitrii, jam incipit esse suus; et potest, « quantùm ad ea quæ sunt juris divini vel naturalis, « sibi ipsi providere. Et tunc est inducendus ad fidem « non coactione, sed persuasione; et potest, etiam « invitis parentibus, consentire fidei, et baptizari, etc. »

XIII. Ex quâ ratione consequens illud est, quòd si à parentibus infidelibus pueri ad Baptismum spontè offerantur ex aliquo motivo, quodcumque illud sit, puta ne à dæmonio vexentur, vel ut suæ indigentiæ provideant, tunc baptizari possint, quoniam hoc pacto puerorum saluti consulitur absque parentum injuriâ; cedunt enim proprio juri hoc ipso quòd illos spontè ad Baptismum offerant. Imò necesse tunc non est, ut ambo filios offerant, sed sufficit ut unus aut alter, sive pater sit, sive mater. Atque hæc de duabus speciebus infidelitatis, Judaismo scilicet, et Paganismo, satis. Nam de tertiâ, nempe hæresi, quædam speciàliter adnotanda sunt.

CAPUT V.

DE HÆRESI.

Doctrina.

1. *Hæresis definitio proposita, et explicata.* — II. *Amplior ex S. Thoma ejusdem declaratio.* — III. *Pertinacia hæresis propria est; eamque à cæteris peccatis distinguit.* — IV. *De dubio in fide. Quo pacto intelligendum sit illud effatum:* Dubius in fide hæreticus est. — V. *Quædam aliquando dubitatio est circa fidem absque hæresi.* — VI. *Dubitatio pertinax de aliquâ veritate ad fidem pertinente, saltem moraliter loquendo, nunquàm est sine hæresi.* — VII. *Apostasia multiplex. Quid sit prout est à fide.* — VIII. *De apostasiâ ab Ordine sacro.* — IX. *De apostasiâ à Religione. Quid ad hanc requiratur.* — X. *Verosimiliùs apostata non est, qui propriam Religionem absque licentiâ deserit, animo ad aliam Religionem transeundi.* — XI. *Communior ac verior sententia est non incurrere excommunicationem latæ sententiæ, qui licet suam Religionem deserat, illius tamen habitum non dimittit.* — XII. *Eam tamen incurrere, qui etiam cum voluntate non deserendi Religionem habitum temerè dimittit.* — XIII. *Pœnæ temporales, quibus hæretici mulctari solent.* — XIV. *Pœnæ spirituales in eosdem ab Ecclesiâ statutæ.* — XV. *Quædam observantur circa excommunicationem in hæreticos latam.* — XVI. *Nec hæretici purè mentales, nec solo externo actu hâc censurâ innodantur.* — XVII. *Benè verò, qui assensum interius errori præstantes, illum signo aliquo externo, etiam occulto, produnt.* — XVIII. *Prohibitio legendi hæreticorum libros, alia ex jure naturæ profluit; alia ex jure humano positivo. Utraque explicatur.*

§. 1. *Legitima notio hæresis explicatur.*

I. Hæresis, prout hoc nomen in præsenti sumitur, scilicet pro specie quâdam infidelitatis, quâ *quis fidem Christi profitetur, sed ejus dogmata corrumpit;* definiri frequentiùs solet: *Error intellectûs voluntarius, et pertinax contra aliquam veritatem fidei catholicæ in eo qui fidem recepit.* Dicitur inprimis *error intellectûs;* quia sicut fides ad intellectum pertinet, ita etiam hæresis, quæ fidei opponitur. Additur *voluntarius:* quoniam sine voluntate nullum peccatum est; et sicut assensus fidei pendet à pio voluntatis affectu, ita à perversâ voluntate fidei contraria hæresis originem trahit. Subditur *pertinax;* quæ particula maximè propria hæresis est, ac significat *electionem constantem*, sive obstinatam in errore deliberationem. Demùm error iste, ut hæresis dicatur, *in eo* sit oportet, *qui catholicam fidem recepit.* Qui enim fidem nunquàm recepit, non hæreticus, sed Judæus, Paganus, sive Mahumedanus dicendus est, cujus infidelitas ad aliam duplicem speciem jam expositam spectat.

II. Verùm quia legitima ac genuina hæresis notio necessaria admodùm est, propterea ex doctrinâ S. Thomæ, hìc, q. 11, art. 2, ampliùs declarandum censeo, circa quæ propriè hæresis versetur. « De hæresi (ita « perquàm luculenter S. doctor) nunc loquimur, se« cundùm quod importat corruptionem fidei chri« stianæ. Non autem ad corruptionem fidei christianæ « pertinet, si aliquis habet aliquam falsam opinionem « in his quæ non sunt fidei, etc., sed solùm quando « aliquis habet aliquam falsam opinionem circa ea « quæ ad fidem pertinent, ad quam aliquid pertinet

« dupliciter : uno modo, *directè et principaliter*, sicut « articuli fidei; alio modo, *indirectè et secundariò*, si- « cut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicujus « articuli : et circa utraque potest esse hæresis eo « modo quo et fides. »

Distinctionem hanc magis declarat lect. 4 in cap. 11 primæ Epist. ad Corinth. dicens : « Pertinet aliquid ad « disciplinam fidei dupliciter. Uno modo *directè*, sicut « articuli fidei, qui per se credendi proponuntur (qua- « les sunt articuli qui continentur in Symbolo Apo- « stolorum). Unde error circa hos facit hæreticum, si « pertinacia adsit . . . . . Quædam verò *indirectè* per- « tinent ad fidei disciplinam, in quantum scilicet ipsa « non proponuntur, ut propter se credenda, sed ex « negatione eorum sequitur aliquid contrarium fidei : « sicut si negetur Isaac fuisse filium Abrahæ, sequitur « aliquid contrarium fidei, scilicet sacram Scripturam « continere aliquid falsi. » Siquidem cùm in Scripturâ, quam ut verbum Dei proponit Ecclesia, utrumque contineatur, scilicet et articuli fidei, et Isaac fuisse Abrahæ filium, quemadmodùm et plurima alia ejus- modi facta, non possunt hæc negari, quin simul ver- bum Dei Scripturam esse negetur.

III. Subdit autem S. doctor : *Ex talibus autem non judicatur aliquis hæreticus, nisi adeò pertinaciter perse- veret, quòd ab errore non recedat, etiam viso, quid ex hoc sequitur ;* ut si quis in allato exemplo persisteret in negando Isaacum fuisse Abrahæ filium, quamvis ipsi ostenderetur id contineri in Scripturâ, quam Ecclesia ut verbum Dei proponit. Quare nemo hæreticus pro- priè, ac formaliter dici potest, nisi qui pertinaciter assentiri recusat vel articulo alicui fidei, vel Scripturæ, aut veritati in Scripturâ contentæ, quam ipsi Ecclesia proponit : nec ab errore recedere vult, etiamsi videat ex hoc consequi, vel Scripturam non esse verbum Dei, vel decipi Ecclesiam in veritate, sive dogmate proponendo. Hæc pertinacia illa est, quæ propriè *hæ- reticum* constituit; et sine hâc *errans* quidem aliquis dici poterit, sed non *hæreticus*. Quod etiam ex Can. *Dixit Apostolus*, 24, q. 3, comprobatur inquiente : *Qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam nullâ pertinaci animositate defendunt. . . . . corrigi parati, cùm invenerint veritatem, nequaquàm sunt inter hæreticos deputandi.* Qui canon desumptus videtur ex Augu- stino, qui, epist. 16, ait : *Sine pertinaciâ errare quidem volero ; sed hæreticus non ero.*

Neque verò hæc pertinacia in eo sita est, quòd quis errorem suum acriter, mordicùsque defendat : sed hoc satis est, quòd aliquis sciens et volens repugnet catho- licæ fidei sibi sufficienter propositæ juxta illud S. Au- gustini, lib. 4 de Bapt., cap. 16 : *Nondùm illum hære- ticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ catholicæ fidei resistere maluerit, et illud, quod tenebat, elegerit.* Suffi- cienter autem veritas catholicæ fidei proponitur ei, qui sibi conscius est se sentire contra id quod Ec- clesia catholica tenet, et fide certum proponit; nec tamen illi veritati vult submittere sensum suum, sed in suo errore persistit. Unde S. Thomas, hìc art. 2, ad 3, ad quamdam objectionem respondens, ait : *Sic ali- qui doctores videntur dissensisse vel circa ea, quorum nihil interest, utrùm sic, vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondùm erant per Ecclesiam determinata. Postquàm autem essent auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censere- tur.*

§ 7. *De dubio in Fide.*

IV. Ex his haud difficile mihi videtur quæstionem solvere, num hæreticus censendus sit, qui assensum quidem non præstat errori alicui fidei veritati contra- rio, sed solùm dubitat de eâdem. Super quâ longum theologi plures disputationis funem intexunt. Et quidem veluti axioma circumfertur : *Dubius in fide hæreticus est;* sed nihilominùs distinctione indiget, et explica- tione. Quædam namque dubitatio est, quæ ortum du- cit ex merâ ignorantiâ : veluti cùm quis ideò dubitat de aliquo fidei dogmate, eò quòd nescit, num sit, nec- ne ab Ecclesiâ definitum. Quædam ex tentatione, aut mentis infirmitate nascitur, ex quâ, licet quis non ignoret quidpiam esse definitum ab Ecclesiâ, vel ad fidem pertinere; quia tamen contrariis argumentis pulsatur, aut concutitur, nonnihil fluctuat, sive vacil- lat, sed absque perfectâ intellectûs advertentiâ, et voluntatis consensione. At quædam etiam dubitatio est, quæ provenit ex pravitate ac pertinaciâ : ut quando aliquis, postquàm doctrina catholicæ veritatis est ei sufficienter proposita, sciens et volens de illâ dubitat, sive anceps hæret, num sit vera vel falsa.

V. Qui primo, vel altero modo dubitat, hæreticus non est, imò ne mortaliter quidem peccat, si nec igno- rantia culpabilis sit, nec dubitatio plenè voluntaria : quemadmodùm contingere solet in iis, qui scrupulis agitantur, licet aliquando diù persistant, quantùmvis ipsorum voluntas repugnet. Si autem ignorantia cul- pabilis fuerit, vel manente voluntate credendi omnia, quæ fides proponit, dubitatio minimè repellatur, juxta negligentiæ quantitatem veniale, aut mortale pecca- tum est; neque tamen *hæresis* dicenda erit. Quoniam, ut ait S. Thomas, 1 ad Corinth. c. 11, lect. 4, *electio* quæ propria hæresis est, *firmam importat inhæsionem, et ideò hæreticus dicitur, qui pertinaciter proprium er- rorem sectatur.*

VI. Superest tertius dubitandi modus, qui à perti- nacià sejungi non potest, cùm quis videlicet certò co- gnoscens veritatem aliquam à fide, sive ab Ecclesiâ proponi, vult nihilosecius in eâ dubitatione persistere. De hoc Melchior Cano, lib. 12 de loc. Theolog. cap. 7, loquens, ita scribit : « Si metaphysicas leges inspicio, « neque hoc dubium constituere formalem hæreticum « assero. Quoniam dubium neque speciem habet, ne- « que formam, sed quid medium est. Non ergo con- « trarium fidei est. Quæ enim contraria propriè sunt, « ea duas esse formas maximè repugnantes constat. « At si moralis philosophiæ leges sequimur, quæ in « id spectat, quod frequentissimum est, incredibile « est hominem, pertinaciter dubitantem, nullum ha- « bere errorem fidei contrarium. » Igitur si rem me- taphysicè consideremus, dubitans de aliquâ fidei veri-

tate, si ita anceps fuerit, ut nullum eliciat assensum, vel dissensum, non est iste verè ac propriè dicendus hæreticus, quia nullam adhæsionem habet ad objectum fidei contrarium, prout ad hæresim formalem requiritur. Sed quia contingere vix potest, ut aliquis pertinaciter dubitet de objecto ad fidem pertinente, quin judicium aliquod in animo reflexum ferat, quo judicet, res fidei non esse omninò certas, et infallibiles, sed dubias : non enim de ipsis dubitaret, si certas omninò esse crederet; ideò in praxi hæretici judicandi sunt omnes, qui pertinaciter dubitant de aliquâ fidei veritate; meritòque theologi, ac judices ecclesiastici tanquàm hæreticos ejusmodi habent.

§ 3. *De apostasiâ à fide.*

VII. Apostasia multiplex esse potest, seu multipliciter intelligi. Si ea generatim spectetur, importat, ut docet S. Thomas, q. 12, art. 1, retrocessionem quamdam à Deo. « Quæ quidem diversimodè fit secundùm « diversos modos, quibus homo Deo conjungitur. « Primò namque conjungitur homo Deo per fidem; « secundò per debitam, et subjectam voluntatem ad « obediendum præceptis ejus; tertiò per aliqua spe« cialia ad supererogationem pertinentia, sicut per « religionem, et clericaturam, vel sacrum ordinem. » Porrò circa hujusmodi apostasias illud observat, contingere aliquem apostatare à Deo retrocedendo à Religione quam professus est vel ab ordine quem suscepit, sicut etiam per mentem repugnantem divinis mandatis : *Quibus duabus apostasiis existentibus, adhuc potest homo Deo remanere conjunctus per fidem. Sed si à fide discedat, tunc omninò à Deo retrocedere videtur. Et ideò simpliciter, et absolutè est apostasia, per quam aliquis recedit à fide, quæ vocatur* apostasia perfidiæ. *Et secundùm hunc modum apostasia simpliciter dicta, ad infidelitatem pertinet.*

Hinc apostasia, de quâ in præsenti sermo est, definiri potest *recessus hominis baptizati à totâ fide.* Quare apostata ab hæretico distinguitur, quòd hic aliquam christianæ fidei veritatem negat, sed alias admittit, et Christum, ejusdemque Religionem profitetur, aut profiteri jactat. Apostata autem universæ christianæ legi, ejusque auctori Christo, quem professus fuerat, renuntiat. Theologi inter se dissentiunt, num apostasia ab hæresi specie differat. Sed hanc quæstionem, cùm nullius arbitrer esse momenti, missam facio. Illud solùm adverto, quòd sive hæresis et apostasia specie differant, sive non, exprimere omninò debeat pœnitens in confessione, num simplex *hæreticus* sit, num *apostata*, et ad quas sectas, recedendo à fide christianâ, sese converterit; scilicet ad Judaismum, ad Mahometismum, etc. Adnoto etiam, pœnas easdem jure communi decretas esse apostatis, et hæreticis, ut liquet tum ex cap. contra Christianos de Hæret. in 6, tum ex eo, quòd in jure nulla distinctio fiat hæreticorum, et apostatarum. Prudens tamen confessarius graviorem pœnitentiam injungere debet apostatæ, quàm hæretico : illius quippe peccatum gravius est.

§ 4. *De apostasiâ ab ordine et religione.*

VIII. Præter apostasiam à fide, quæ omnium est gravissima, triplicem aliam hoc eodem articulo indigitat S. Thomas, à Deo scilicet, ab ordine, et à religione. Et de primâ quidem, de quâ interdùm mentionem faciunt divinæ Scripturæ, nihil hìc attinet dicere, quoniam communis est cuicumque peccato lethali, per quod aliquis voluntariè recedit à mandatis divinis, sive legitimorum superiorum, quatenùs iisdem obedire recusat. Unde eadem est, ac inobedientia. De duabus verò aliis pauca subjicio.

Apostasia *ab ordine* in eo posita est, quòd quis sacro jam ordine initiatus, clericalem habitum deserit, ut laicali more vivat. Hinc apostata non est, qui solùm recedit ab ordinibus non sacris, sive minoribus, tametsi et habitum ecclesiasticum dimittat, et uxorem accipiat; sed solùm qui deserit statum, in quo per sacri ordinis susceptionem collocatus est, et ad divinum servitium, et castitatem voto, vel lege ecclesiasticâ mancipatus. Unde ipsi aptari potest ea Christi Domini sententia : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Atque hic etiam incurrit pœnas in jure constitutas. Quamdiù enim in hâc apostasiâ persistit, ex cap. *Alieni* 2 q. 7, *infamis* declaratur. Ad dignitatem, vel ordinem promoveri non potest; et, si uxorem ducat, ipso facto excommunicationis censurâ innodatur, ut ex Clementinâ unicâ *de consanguineis, et affin.*

IX. Apostasia *à religione* est recessus à statu religioso, quem quis professus est, ad statum vitæ secularis, dimisso habitu religionis, vel cum animo ad illam non redeundi. Quia tamen non omnis hoc ipso solùm, quòd habitum religiosum exuat, statim efficitur *apostata;* propterea ad clariorem hujus apostasiæ intelligentiam quædam observo. Et primò quidem illud certum est apostatam esse, et excommunicationem incurrere ex cap. *Ut periculosa*, tit. *Ne Cler. vel Mon.* in 6, qui absque legitimâ auctoritate dimittit habitum religionis approbatæ quam professus est, cum animo excutiendi jugum obedientiæ regularis. *Dico cum animo excutiendi religionis jugum :* quoniam si is qui vel habitum dimittit, vel à religione recedit, non tamen cum intentione deserendi statum religiosum, ipsamque religionem, sed ex aliquâ vanitate, aut temeritate; graviter quidem peccat, at juxta gravium doctorum sententiam *apostata* dicendus non est.

X. Major videtur esse difficultas de religioso, qui suam religionem deserit cum animo ad illam non ampliùs redeundi, sed ad aliam transeundi ad quam ei transire non liceat : num hic *apostata* censendus sit, an ab hoc delicto excusetur? Quâ in quæstione quamvis non nemo apostatam judicet, nihilominùs alii graviores auctores, ut mihi videtur verosimilius, negant. En textus quorumdam, qui hanc sententiam tuentur, et hanc apostasiam luculentiùs declarant. Sylvester verbo *apostata* quæst. 4 : « Collige, inquit, quòd « apostata à religione est religiosus professus, sine « licentiâ exiens à monasterio cum intentione non « reintrandi illud, *vel aliud; sed vivendi irreligiosè, « puta clericaliter, vel laicaliter, vel inobedienter.* Unde

« si egrediatur quidem, sed intret monasterium « laxius, non est *propriè apostata.* »

Cajetanus in Comment. hujus art. S. Thomæ sic habet : « Quùm apostasia à religione sit retrocessio à religione; et aliud sit retrocedere à religione, aliud retrocedere ab hâc religione; consequens est, quòd si quis à suâ religione retrocedat in aliam laxiorem intrans, *non sit apostata à religione,* ac per hoc non incurrit pœnas contra apostatas statutas. Quamvis si ab ordine Mendicantium ad aliquam monachalem religionem, præterquàm Carthusiensem, transeat absque debitâ licentiâ, sit excommunicatus, non propter apostasiam, sed propter transitum ad talem, juxta statutum « Martini V. »

Navarrus quoque lib. 5, Consil. tit. de Apost. n. 5, sic ait : « Recessio ab aliquo monasterio alicujus religionis sine licentiâ prælati, cum animo tamen intrandi aliam religionem etiam laxiorem, si intret in illam, non dicitur *Apostasia :* quia licet sit recessio ab illo, vel illo monasterio, et ab illo ordine; non tamen est recessio à religione : et ita non incidit in pœnas apostatarum juxta determinationem Innocentii. » Et hanc sententiam plures alii amplectuntur canonistæ, ac theologi.

XI. Sed et hæc alia videtur esse communior, et verior sententia, quæ docet, spectato saltem jure communi, non incidere in excommunicationem latæ sententiæ, qui licet religionem deserat, habitum tamen suæ religionis non dimittit. Siquidem nullum exstat jus commune, quod hanc pœnam ipso facto incurrendam decernat. Nam cap. cit. *Ut periculosa,* non aliis religiosis excommunicationem infligit, nisi eis qui suæ religionis habitum temerè dimittunt : neque jus aliud aut affertur, aut afferri potest. Hinc Paulus IV, in Bullâ *contra apostatas* datâ anno 1658, jubet eos requiri, et ad monasterium reduci; si verò se inobedientes præstiterint : subdit : *Sint etiam auctoritate nostrâ majoris excommunicationis sententiâ innodati.* Quibus verbis satis indicare videtur, quòd ante illam inobedientiam sententiâ excommunicationis irretiti non sint. Dixi tamen : *spectato jure communi,* quoniam aliquæ religiones privilegio gaudent, quo earum apostatæ ipso facto excommunicationem incurrant, quanquàm religionis habitum non dimiserint.

XII. E contra verò in excommunicationem latæ sententiæ incidunt ex cap. laud. *Ut periculosa,* qui suæ religionis habitum temerè dimittunt, quamvis cum animo reassumendi illum, et permanendi in religione. Censetur autem *temerè* habitum dimittere, qui sic habitum exuit absque causâ ullâ rationabili, ut et mortaliter peccet, et juxta communem hominum sensum dici queat habitum dimisisse. Unde hanc censuram non incurrit, qui propter defensionem vitæ, vel famæ suæ vel proximi, aut ad grave scandalum devitandum, aut etiam ex quâdam levitate, etc., habitum ad breve tempus dimittit.

§ 3. *De pœnis contra hæreticos.*

XIII. Pœnæ, quibus mulctantur hæretici, duplicis generis sunt : aliæ namque sunt *temporales;* aliæ *spirituales.* Temporales infliguntur à catholicis principibus, qui tanquàm fidei christianæ protectores atque custodes, ad fidem in propriis ditionibus incolumem conservandam, in eos qui ipsam corrumpere moliuntur, easdem constituerunt : et hæ, cùm à principum arbitrio pendeant, non eædem constitutæ apud omnes fuerunt. Frequentiùs tamen hisce pœnis puniri solent : scilicet 1° confiscatione bonorum; 2° incapacitate ad publica officia obtinenda; 3° privatione jurisdictionis temporalis; 4° etiam pœnâ mortis. Sic enim declaratum est variis imperatorum legibus; et usus obtinet in quibusdam regnis. Et vel hanc etiam pœnam mereri hæreticos ostendit S. Thomas, hic q. 11, art. 3 : *Multò enim gravius est,* inquit, *corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quàm falsare pecuniam, per quam temporali vitæ subvenitur. Unde si falsarii pecuniæ, vel alii malefactores statim per seculares principes justè morti traduntur; multò magis hæretici statim, ex quo de hæresi convincuntur, possunt non solùm excommunicari, sed et justè occidi.*

XIV. Pœnæ spirituales, quas Ecclesia solùm infligit, sunt 1° excommunicatio major, quam plures summi pontifices sibi reservârunt; 2° privatio ecclesiasticæ sepulturæ; 3° irregularitas; 4° privatio jurisdictionis ecclesiasticæ, sicut etiam aliarum dignitatum, honorum et officiorum Ecclesiæ; 5° inhabilitas ad omnia beneficia : quæ pœnæ omnes constitutæ sunt in variis canonibus, quos brevitatis causâ prætermitto.

XV. Quoad excommunicationem attinet, quæ prima et potissima pœna est, quædam observo. Atque inprimis affero doctrinam Angelici doctoris, qui loco laudato post ea quæ recitavimus verba, statim subjungit : *Ex parte Ecclesiæ est misericordiâ ad errantium conversionem. Et ideò non statim condemnat; sed post primam et secundam correptionem, ut Apostolus docet* (ad Tit. cap. 3 : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita :* sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est). *Postmodùm verò, si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti provident, eum ab Ecclesiâ separando per excommunicationis sententiam : et ulteriùs relinquit eum judicio seculari à mundo exterminandum per mortem.* Sistit igitur Ecclesia juxta S. doctorem in solâ excommunicatione, dùm punit hæreticum, quoties præmissâ primâ et alterâ correptione, ille pertinaciter perstat in errore suo : ad quam pœnam pœnæ cæteræ spirituales jam enumeratæ consequuntur.

XVI. Porrò hæretici distinguendi sunt. Alii namque sunt purè mentales, qui mente hæresim concipiunt, eique pertinaciter inhærent; sed nullo exteriori signo errorem suum manifestant. Hi verè quidem hæretici sunt; sed non ideò excommunicationem incurrunt, ideòque à quolibet confessario absolvi possunt. Neque enim hoc peccatum reservatum est aut ratione sui, aut ratione censuræ, quam nullam habet adnexam : non quia Ecclesia potestate absolutè non gaudeat præcipiendi actus interiores, aut etiam puniendi, de quo

inter auctores controversia est, sed quia hoc peccatum internum nec Ecclesia sibi reapsè reservat, nec ullâ censurâ punit, ut ex communi theologorum consensu liquet.

Alii dicuntur hæretici solo actu externo, qui scilicet aliquid exteriùs quidem vel faciunt, vel proferunt, quod hæresim præfert; sed interiùs ipsi non assentiuntur, et acquiescunt Ecclesiæ judicio. Et hi quoque non incurrunt excommunicationem, aliasve pœnas ecclesiasticas, et à quolibet confessario absolvi queunt. Pœnæ siquidem ab Ecclesiâ contra hæreticos inflictæ in eos tantùm feruntur, qui reverà sunt hæretici. Ii autem reverà hæretici non sunt : cùm hæresis propriè consistat in voluntario assensu mentis catholicæ veritati repugnantis; quanquàm qui hoc peccatum committit, in foro externo pro hæretico facilè reputetur.

XVII. Alii verò hæretici sunt, qui et animo hæresi assensum præstant, et aliquo signo externo eam produnt, quantùmvis occulto. Et hi procul dubio excommunicationem reservatam incurrunt latam per summos pontifices Innocent. III, cap. *Excommunicamus* tit. de Hæret. et Honorium III, cap. *Noveritis* de sentent. Excommunicat. Dixi *quantùmvis occulto* : quoniam ad hanc excommunicationem incurrendam non est opus, ut hæreticus hæresim suam aliquibus manifestaverit, sed satis est, quòd illam verbo, scripto, nutu, vel signo aliquo prodiderit, etiam nemine aspiciente, aut audiente, ut si de hæresi suâ cogitans ita loquatur : *Non sunt tres sanctissimæ Trinitatis personæ; aut Christus verè non est in Eucharistiæ sacramento, etc.* Hujusmodi quippe hæresis jam ad forum externum pertinet, et quamvis probari non possit, quantùm tamen de se est, exterioris fori judicio subjicitur.

Illud tamen animadvertere oportet, non omne signum externum sufficere, ut aliquis interiorem hæresim suam prodidisse dicatur : sed tale omninò requiritur, et sufficit, ut spectatis circumstantiis, satis exprimat conceptum mentis, sive hæresim mente conceptam : ut, v. g., si quis animo hæretico imagines frangat, Sacramentum pedibus conculcet, aut verba proferat conceptum mentis errorem satis indicantia, etc. Si autem id quod exteriùs agit, aut loquitur, haud satis errorem mente conceptum exteriùs significet; veluti si quis cogitans Christum verum Deum non esse, aut non existere in Sacramento altaris, erumpat in hæc verba : *ita est;* aut caput inclinet, etc., sed cogitationem suam nemini probat; hæreticus exterior minimè censetur : ejusmodi siquidem actus haud magis signa sunt hæresis internæ, quàm alicujus rei ad hæresim nullatenùs pertinentis; nisi fortè circumstantiæ tales occurrant, quæ significationem externi illius signi determinent.

§ 6. *De prohibitione librorum hæreticorum.*

XVIII. Luculenti simum infidelium et hæreticorum libros abolendi ob maximum, quod pariunt legentibus, detrimentum, exemplum dedit omnibus Ecclesia primitiva Apostolorum tempore. Legimus namque in act. c. 19 : *Multi ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus.* Subinde verò magna Synodus 1 Nicæna libros Arii comburendos decrevit; et Constantinus imperator capitis pœnam tulit in eos qui istiusmodi libros occultàssent. Valentinianus quoque, et Marcianus publico edicto Nestorii libros igni adjudicârunt. Et habemus etiam in synodo V Constantinopolitanâ sess. 5 legem Theodosii, et Valentiniani adversùs hosce libros; sicut et alia multa de iisdem catholicæ Ecclesiæ decreta. At cùm omnes aboleri non possint, suppletur hoc prohibitionis lectionis horum librorum.

Porrò hæc prohibitio legendi hæreticorum librorum alia est ex jure ipso naturali : alia ex jure humano positivo. Prima obstringit omnes illos qui ex librorum lectione subversionis fidei periculum sibi imminere prudenter timent, mentemque suam gravibus adeò tentaminibus concuti sentiunt, ut in probabile saltem dubitandi de fide discrimen adducantur. Unde hujusmodi libros legentes, etiam habitâ quoscumque legendi facultate graviter peccant. *Qui* enim, inquit Scriptura, *amat periculum, in illo peribit.* Atque in hoc periculum sese conjiciunt saperdæ quidam, qui destituti solidioribus Christianæ religionis principiis, ac fundamentis, liberè legunt plures, non dicam hæreticorum tantummodò, verùm etiam Deistarum, aut Incredulorum libros, ex quibus venenum ebibunt absque antidoto, quo ex crassâ ipsorum imperitiâ carent. His planè, etiamsi licentias, sive facultates legendi se habere jactent, nihil omninò hæ suffragantur, dùm experientiâ deprehendunt, se ex lectione talium librorum grave damnum referre, multisque ipsorum mentes involvi dubitationum nebulis, quas discutere plerumque nesciunt.

Alia prohibitio legendi libros hæreticorum aliosque oritur ex jure humano positivo, sive ex auctoritate sedis Apostolicæ, sive aliâ legitimâ auctoritate. Et hæc obligat omnes, quibus peculiaris legendi facultas concèssa non est. Legem hanc justam esse quis in dubium revocat? Nam lectio librorum hæreticorum, aliorumve, periculi plena est relatè ad quoscumque indoctos homines, qui sæpè propter eam inficiuntur, et corrumpuntur in fide. Profectò si ex D. Paulo *corrumpunt bonos mores colloquia prava;* quantò magis ad hoc præjudicium inducendum idonea sunt scripta quæ scriæ meditationi subjici valent, et sæpè attentè perleguntur : unde contingit, quòd homines incauti et ignorantes, qui plerique sunt, facilè decipiantur! Nemo igitur qui facultate non fruatur obtentâ ab auctoritate legitimâ, absque peccato libros hujusmodi legere potest : præceptum enim legitimi superioris obligat in conscientiâ.

Vi tamen hujus prohibitionis non interdicuntur, nisi ii libri, qui in decretis sunt expressi; adeòque in eâ non comprehenduntur libri Judæorum, Mahumetanorum, aut Ethnicorum, nisi quandoque eorum aliqui exprimerentur. Communis quoque inter auctores sententia materiæ parvitatem admittit in illorum lectione; quæ tamen definiri vix potest, cùm hoc pendeat ex pluribus circumstantiis, scilicet ex conditione legentis.

ex periculo seductionis, ex qualitate controversiæ, et ex ipsâ materiâ quæ legitur.

CAPUT VI.

CONSECTARIA PRÆCEDENTIUM DUORUM CAPITUM.

I. *Illicita semper est communicatio fidelium cum infidelibus in iis quæ ad cultum superstitiosum attinent.* — II. *Peccant Christiani, qui ea ministrant, aut vendunt infidelibus, quæ vanæ suæ Religionis ritibus exercendis inserviunt.* — III. *Infideles communiter admittendi non sunt ad eas spectandas sacras functiones, quæ propriæ sunt Religionis Christianæ.* — IV. *In communicatione fidelium cum infidelibus jure positivo vetitâ, attendendus maximè est spiritus legis, et probata consuetudo.* — V. *Hinc licet aliquando comedere Judæorum azyma.* — VI. *Hinc etiam explicanda lex, quæ vetat Judæos admittere ad convivia.* — VII. *Nisi necessitas urgeat, vocandi Judæi non sunt ad curandos Christianorum morbos.* — VIII. *Hæresis gravius peccatum est, quàm aliæ infidelitatis species.* — IX. *Nullus formaliter est hæreticus, quamdiu judicium suum submittit Ecclesiæ.* — X. *Hinc quis potest ex ignorantiâ culpabili contra fidem peccare, quin tamen sit hæreticus.* — XI. *Plures sunt inter indoctos, qui hæretici dicendi non sunt, tametsi erroribus contra fidem haud careant.* — XII. *Ignorantia affectata ab hæresi excusat, dum provenit ex solo addiscendi tædio: non autem, si ex judicii Ecclesiæ contemptu proveniat.* — XIII. *Eadem habenda ratio est de illo, qui falsò putat dogma aliquod definitum esse ab Ecclesiâ, quod tamen definitum non fuit.* — XIV. *Cùm dissidium inter Catholicos est, num aliquid definitum sit ab Ecclesiâ, necne, hæreticus non est credendus; qui neganti parti adhæret.* — XV. *Hæretici sunt qui Ecclesiæ judicio non acquiescunt, nisi argumentis convincantur de proposito dogmate.* — XVI. *Qui exteriùs tantùm fidem negat, aut aliquid profert contra fidem, nec hæreticus formaliter est, nec hæreticorum pœnis obnoxius.* — XVII. *Qui de aliquo fidei articulo propriè dubitat inter hæreticos est accensendus.* — XVIII. *Contra fidem non peccat, qui ita scrupulis, aut tentationibus veluti obruitur, ut judicium suum suspendat, qui tamen consensum præbeat.* — *Reflexio.*

CONSECTARIUM PRIMUM. — Semper illicita est communicatio fidelis cum infideli in iis quæ pertinent ad superstitiosum ejus cultum, puta in ritibus, in sacrificiis, aliisque Religionis exercitiis. Communicatio autem in rebus civilibus absolutè considerata non est prohibita. Contingere tamen potest, ut hæc aliquando illicita fiat, ut si nimiùm familiaris, et frequens fuerit, et ex eâ aliquod immineat subversionis periculum, ut cùm præsertim personæ fideles infirmæ sunt, minusque in fide stabiles.

CONSECTARIUM II. — Peccant Christiani qui infidelibus, sive Judæi sint, sive Mahumetani, aut alterius sectæ, vendunt, aut ministrant ea, quæ vanæ suæ Religionis ritibus exercendis inserviunt, aut auxiliarem manum præstant in erigendis eorumdem templis, et sacris ministeriis obeundis. Ita cum cæteris theologis S. Thomas, 2-2, q. 169, art. 2, ad 4, ubi hæc habet: *Si quæ ars est ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato; per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directè aliis occasionem peccandi, puta si quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia.* Sed de his, aliisque similibus latiùs, cùm de cooperatione ad malum.

CONSECTARIUM III. — Infideles communiter admittendi non sunt ad eas inspiciendas sacras functiones, quæ propriæ sunt Religionis christianæ, puta ad Missæ sacrificium: quoniam nullum plerumque fructum ex hoc percipiunt, sed potiùs eas contemnendi, aut deridendi occasionem sumunt. Unde D. Thomas 3. p. q. 80, art. 4, ad 4, scribit: *Non baptizati autem non sunt admittendi etiam ad inspectionem hujus Sacramenti* (Eucharistiæ), *ut patet per Dionys. in lib. de Ecclesiast. Hierarch.* Hinc etiam ex antiquâ consuetudine catechumeni admitti quidem solebant ad conciones, et preces, ac Missam, quæ dicebatur catechumenorum, tanquàm Christianæ Religionis candidati; non autem ad sacratiora mysteria consecrationis corporis et sanguinis Domini, communionis, etc.

CONSECTARIUM IV. — Quùm plures sint casus, in quibus ex jure humano interdicta est communicatio Christiani cum infideli, nec ubique æquè obtinuerint; ideò in eorum observantiâ attendenda est regionum et locorum probata consuetudo, maximèque inspiciendus est spiritus, ac intentio legis ejusmodi communicationem prohibentis. Sic inprimis, dùm prohibetur cohabitatio fidelis cum infideli, ea intelligenda potissimùm est, quæ veram præfert societatem, ac familiaritatem. Quare vetitum Christianis non est habere in servum aliquem Judæum, ut colligitur cap. *Judæi* de Judæis. Nam servitus contemptionem prodit; intimam verò in eâdem domo familiaritatem vetat, ut Christianæ Religionis dignitas conservetur. Hæc tamen prohibitio non extenditur ad Saracenos, aliosque gentiles, quos propterea nedùm servos habere licet, sed in propriis dominiis detinere.

CONSECTARIUM V. — Dùm Christianis prohibetur ab Ecclesiâ comedere Judæorum azyma, hoc intelligi debet de comestione azymorum ritu Judaico, sive de azymis, prout sunt ad falsam Religionem profitendam instituta. Cæterùm comestio azymorum vel ad famem exsaturandam, vel ad alium finem interdicta non est: idque patet ex plurium Christianorum consuetudine edendi azyma; quam nemo unus peccati condemnat

CONSECTARIUM VI. — Fas equidem Christianis est in eâdem tabernâ cum Judæis manducare, quin etiam ad illorum cauponas divertere; quoniam hoc nimiam haud prodit familiaritatem. Verùm lege humanâ prohibitum est, eosdem ad convivia vocare: quæ lex tamen intelligitur de conviviis in proprio sensu acceptis, quæ nempe in symbolum amicitiæ, et familiaritatis condicuntur, quæque instrui solent singulari apparatu, ut dùm celebrantur nuptiæ, vel intimiores amici invitantur. In iis itaque nedùm convivari, sed etiam cho-

reas ducere, ludos ac jocos cum Judæis in his circumstantiis exercere interdictum est.

Consectarium VII.—Tum ex sacris canonibus, tum ex peculari constitutione S. Pii V, prohibetur Christianis, ne medicos Judæos ad suos morbos curandos accersant, dùm suppetunt medici Christiani, qui ad eorumdem curam æquè idonei sint. Nisi ergo gravis urgeat necessitas et sublatâ contrariâ consuetudine, de quâ mihi non constat, ad medendum Christianorum morbis vocandi non sunt. Atque ita in aliis similibus casibus judicandum de legibus positivis, quæ vetant communicationem cum Judæis, aut etiam aliis infidelibus, scilicet Mahumetanis, et Saracenis, dùm illos exprimant. Nam si eorum expressa mentio non fiat, non est lex positiva ad illos extendenda : solaque tunc obligare potest lex naturalis, prout supra dictum est.

Consectarium VIII.—Hæresis adeò grave peccatum est, ut S. Thomas in 4, distinct. 13, quæst. 2, art. 2, doceat, *quòd magis noceat, quàm aliquod aliud peccatum : quia subvertit fundamentum omnium bonorum, sine quo nihil boni remanet. Ideò hæresis est ex genere suo maximum peccatum ;* maximum utique non absolutè, sed in genere infidelitatis, ac maximum etiam ex genere relatè ad peccata, quæ virtutibus moralibus opponuntur.

Consectarium IX. — Nemo est, et existimari oportet formaliter hæreticus, quamdiù non fictè, sed ex animo paratus est judicium suum submittere judicio Ecclesiæ. Non enim hæresis pressè, et in vero sensu accepta absque pertinaciâ consistit, et malitiâ voluntatis nolentis submittere se Ecclesiæ judicio. Quamobrem qui propositionem aut verbo, aut scripto enuntiat fidei Catholicæ contrariam ; ipsa quidem propositio erit ex se, sive objecto suo hæretica, signumque hæresis esse potest ; non tamen hæreticum formaliter constituit, qui eam profert, aut scribit, si revera paratus sit se Ecclesiæ judicio subjicere, nec eam defendere contra sensum Ecclesiæ.

Consectarium X. — Hinc errantes in aliquo fidei dogmate, seu veritate ex aliquâ ignorantiâ nedùm invincibili, sed etiam vincibili, et mortaliter culpabili, animo tamen parato ad ea omnia credenda quæ credit, Ecclesia, si eis ab Ecclesiâ tanquàm dogma proponeretur, dicendi non sunt formaliter hæretici, tametsi mortaliter peccent. Ita docet S. Thomas lect. 2, in cap. 2, Epist. ad Galat., quem sequuntur communiter theologi. Ratio est, quia licet error ipsorum voluntarius sit saltem indirectè, adeòque peccatum non evitent, haud errant tamen pertinaciter, sive cum pertinaciâ quæ ad hæresim pressè dictam constituendam requiritur. Unde S. Thomas ibidem errantes ex ignorantiâ contraponit errantibus ex pertinaciâ, quæ solùm est, quando aliquis, sciens et volens, repugnat veritati sibi sufficienter propositæ. Hoc enim hæresis culpa præ cæteris peccatis peculiare habet, quòd cætera non dicuntur talia ab electione, sicut hæresis, ad cujus perfectam rationem non sufficit voluntas quomodocumque inordinata, sed necessaria electio est fidei directe repugnans, sive ejusmodi electio requiritur, quâ quis sciens Ecclesiam tenere aliquid ut fide credendum, deliberatè contrarium tenet, aut de illo saltem dubitat.

Consectarium XI. — Ex quo colligere oportet, haud rarò contingere, ut aliqui errent in quibusdam opinionibus, quas tenent, et alios etiam quandoque docent, quin tamen formaliter hæretici dicendi sint. Hoc plerumque locum habet in rusticis, et mulierculis, qui plures errores in animo fovent, ob quos licet sæpe lethaliter peccent, propter culpabilem negligentiam in addiscendis fidei veritatibus, quas noscunt, et scire tenentur, non tamen hæreticis annumerandi sunt, defectu *pertinaciæ*, quod nimirùm prompti sint ad eos repudiandos, dùm Ecclesiæ fides iisdem innotescat.

Consectarium XII. — Juxta traditam doctrinam facilè, ut mihi videtur, definiri quæstio potest de errantibus contra fidem ex ignorantiâ affectatâ, num videlicet hæreticorum classi accensendi sint, de quâ litigant inter se theologi. Nam si ignorantia affectata ex solo proveniat addiscendi tædio, ex hoc formales hæreticos esse non arbitror : quoniam cum hujusmodi voluntate consistere valet voluntas credendi, quæ ab Ecclesiâ proponuntur, quoties ipsis sufficienter proposita fuerint. Et quamvis hi fortè sint *pertinaces in ignorando*, ipsorum tamen quantumvis pertinax ignorantia non est *hæresis*, nec hæresis propriè malitiam contrahit ; sed solùm præcepto fidei opponitur de adhibendâ diligentiâ pro sciendis veritatibus, quæ ad ipsam pertinent. Quòd si ignorantia affectata ex contemptu Ecclesiæ procedat, sive ex voluntate non credendi, quamvis ea scirent quæ Ecclesia credenda proponit ; ideòque scire non curant, quid de hâc vel illâ re sentiat Ecclesia ; ejusmodi errantes contra fidem tanquàm hæreticos habendos puto. Nihil quippe istis deest ad pertinaciam hæresis propriam. Nam tametsi fidei veritatem in particulari non cognoscant (quia cognoscere nolunt), cognoscunt tamen in communi ex illâ perversâ opinione, quâ parvi pendunt ea quæ ab Ecclesiâ proponuntur.

Consectarium XIII. — Eadem ratio habenda videtur de illo qui nollet credere aliquid, quod putat ab Ecclesiâ definitum, cùm tamen adhuc definitum non fuerit ; puta animas in purgatorio detentas igne sensibili haudquaquàm torqueri. Sed hoc in casu hæreticus potiùs censendus foret ex eo, quòd vel crederet Ecclesiam esse fallibilem, vel se non debere credere ea quæ Ecclesia credenda proponit. Si enim solam attendamus opinionem, quam falsò putat esse ab Ecclesiâ definitam, *affectu* quidem hæreticus dici potest, at non *effectu*, et consummatè ; cùm non habeat errorem in intellectu circa particulare illud dogma, sed contumaciam duntaxat in voluntate.

Consectarium XIV. — Hæretici dicendi non sunt, qui negant doctrinam, aut propositionem aliquam, quam plures quidem Catholici doctores contendunt definitam esse ab Ecclesiâ, sed alii non minùs Catholici negant non ex mero arbitrio, sed solidis fundamentis innixi. Siquidem hoc in casu Ecclesiæ definitio sufficienter proposita non est. Multò minùs hæretici

sunt qui aliquam veritatem impugnant quam quidem plures credunt esse à Deo revelatam, sed nulla prodiit adhuc de eâ Ecclesiæ definitio, cui se submittere parati sunt. S. Thomas hic quæst. 11, art. 2, ad 3, ad hujus consectarii confirmationem affert inprimis auctoritatem S. Augustini dicentis : *Si qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nullâ pertinaci animositate defendunt ; quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, nequaquàm sunt inter hæreticos deputandi.* Subdit verò S. doctor : « Quia scilicet non habent electionem contradicentem « Ecclesiæ doctrinæ. Sic ergo aliqui doctores viden- « tur dissensisse vel circa ea quorum nihil interest ad « fidem, utrum sic, vel aliter teneantur, vel etiam in « quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondùm « erant per Ecclesiam determinata. Postquàm autem « essent auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, « si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæ- « reticus censeretur. »

Consectarium XV. — Hæretici formaliter existimandi sunt, qui judicium suum Ecclesiæ definitioni submittere renuunt, nisi priùs argumentis convincantur vel ex ratione, vel etiam ex Scripturâ, aut traditione depromptis. Hi namque *pertinaces* dicuntur in proprio judicio, quòd judicio Ecclesiæ submittere nolunt, quæ nonnisi ex Scripturis, aut traditione divinâ certò depromit, quæcumque credenda definit : unde qui huic acquiescere detrectat, nec ipsi veritatem proponenti vult credere, nisi post exhibita sibi argumenta, ac rationes, jam non Deo, sed potiùs cerebro suo credere convincitur.

Consectarium XVI. — Qui exteriùs duntaxat aut fidem negat, aut hæreticam aliquam propositionem enuntiat, quamvis peccet, infidelis tamen, aut hæreticus propriè non est, nec pœnis in hæreticos constitutis obnoxius. Siquidem hæreticorum pœnæ nonnisi ob hæresis crimen infliguntur. Exterior autem fidei negatio, aut hæretica propositio absque interiore mentis assensu pronuntiata non est hæresis. Unde à quolibet confessario absolvi potest tum ille, qui timore, aut aliâ ratione victus fidem exteriùs negat, tum qui sine interno assensu hæreticam propositionem effert. Quòd si eos Ecclesia interdùm puniat, ideò est, quia in foro exteriori uterque prudenter præsumitur vel fidem abnegâsse, vel hæresim ex animo pronuntiâsse. Hinc ambo in foro externo excommunicatione innodantur, donec se purgaverint.

Consectarium XVII. — Qui de aliquo fidei articulo dubitat ob difficultates, quæ circa illum in mente ipsius insurgunt, atque harum difficultatum laqueis implicatus suspensionem intellectûs voluntariè imperat, adversùs fidem peccat. Idque colligitur ex illis verbis à S. Thomâ q. 10, art. 7 : *Si quis disputet tanquàm de fide dubitans, et veritatem fidei pro certâ non supponens, sed argumentis experiri intendens, procul dubio peccat, tanquàm dubius in fide et infidelis.* Et ratio est, quia dùm deliberatè assensum cohibet, hoc ipso satis approbat difficultatum momenta contra fidem, quam judicio suo metiri audet ; et saltem æqui-

valenter judicat, mysterium revelatum, seu ab Ecclesiâ definitum, non esse certum, sed dubium reddi ex argumentis, quæ ipsum oppugnant : quod judicium nonnisi cum errore est.

Consectarium XVIII. — È contra verò non est credendus peccare contra fidem, qui vel scrupulis, vel tentationibus veluti obrutus, sic judicium suspendit, ut tamen tentationibus illis consensum non præbeat, sed potiùs ita animo comparatus est, ut mortem pati mallet, quàm à Deo revelatis, et ab Ecclesiâ propositis veritatibus repugnare, vel ejus definitiones in dubium adducere. Qui enim ita affectus est, non promovet, sed patitur quamdam veluti involuntariam dubitationem, seu potiùs tentationem contra fidem, quam non formidare, sed contemnere debet. Et quoniam frequentes sunt indeliberatæ hujusmodi dubitationes in iis præsertim, qui speciali fruuntur acumine et perspicacitate mentis : ad piarum animarum, quæ hisce vexantur, instructionem simul, atque solamen placet huc afferre nonnulla, quæ ex Patribus spiritualibus corrivat P. Vincentius Contensonius dissert. 2, de Fide cap. 2, Spec. 3, ac piæ Reflexionis loco subjicio.

Reflexio.

« Verum quidem est, eum qui cum pertinaciâ dubi- « tat, neque certitudini eorum quæ fides docet, et « Ecclesia proponit, assentitur, peccare contra fidem, « et in peccatum infidelitatis incidere. Verumtamen « qui passivè patitur dubia, et tentationibus fatigatur, « non quia judicat certam non esse fidem, sed propter « naturalem, quam circa credita animus veluti refra- « ctarius experitur, difficultatem, dùm ratio tam ar- « duis, tam reconditis veritatibus veluti obruitur, et « obstupescit ; talis non agit contra fidem, sed similis « est illi in Evangelio Marc. 9, dicenti : *Credo, Do- « mine, adjuva incredulitatem meam.* Unde tentationes « illas non tam debet refellere, vel actibus contrariis « repellere, quàm flocci facere, ne imaginatio impor- « tuno conflictu fatigata lædatur, et tentatio è fronte, « aut è diametro impugnata magis menti figatur, quæ « contemptu, et neglectu citius evanescit.

« Quòd si tentatio animum pulsans fidem etiam « concutiat, et dubitationes veluti semivoluntarias, vel « saltem ob infirmi animi debilitatem quadamtenùs « irrepentes experiaris, lector : post exoratum divi- « num auxilium, quo sicut adjuvante vincimus, ita eo « iterùm non adjuvante, vincamur necesse est, duo « nobis suppeditant Patres spirituales opportuna hu- « jusmodi tentationibus remedia. Etenim vel de Reli- « gione quam profitemur generalia dubia obrepunt, « vel circa aliquod peculiare duntaxat mysterium dif- « ficultatem animus experitur. Si de Religione Catho- « licâ in communi dubitationis motus exoriantur, ad- « vocanda est, mentisque oculis subjicienda præclara « illa argumentorum credibilitatis harmonia, quibus « intellectus et prudenter credit, et nonnisi impru- « denter dissentitur. Certè si absque aliquâ fide in hoc « mortali seculo humana nequit vita consistere ; si ex « solo hominum testimonio et parentes ipsos agnosci- « mus, et remotas regiones existere fatemur ; si per-

« eunte fide et historiarum omnium monumenta, et « rerumpublicarum traditiones, ac consuetudines, et « humani generis adeò utilia commercia ad nihilum « redigerentur; profectò æquum est ut Deo de se « multa tametsi ardua eloquenti, et Ecclesiæ propo- « nenti fidem adhibeamus. Maximè quia nulla est in « orbe sub cœlo toto secta, in quâ plura non propo- « nantur credenda, quæ articulis Religionis nostræ « comparata, et aliunde ab omnibus credibilitatis ar- « gumentis deserta, meritò ridicula et fabulosa cen- « sentur.

« Porrò si alicujus singularis articuli, puta Trinita- « tis, Incarnationis, Eucharistiæ, difficultas animum « pulset, præter varias à Patribus, sacrisque doctori- « bus adductas congruentias, à nobisque in decursu « theologiæ pro datâ occasione recensitas, et recen- « sendas; hoc etiam discursu omnes singularium dif- « ficultatum nebulas citò dissipabis, *sicut stipulam* « *ante faciem venti*. Sic ergo ratiocinabere : Si Ecclesiæ « catholicæ, utpote innumerabilium credibilitatis ar- « gumentorum decore indutæ, omnigenis miraculis « illustratæ, tot martyrum sanguine irrigatæ, tot præ- « stantissimorum doctorum lumine irradiatæ credo, « et prudenter credo, ergo illum in speciali articulum « in dubium revocare sine flagitio non possum, non « debeo, quia si singulares virtutes tentem irrum- « pere, perperàm Religioni illas proponenti assensum « dedo, unde meritò, ut Bernardus loquitur, reputabor « effractor et scrutator Majestatis opprimendus à glo- « riâ. »

DE CARBONEANO VITA.

De Carboneano (Philippus), ex ordine Fratrum Minorum celeberrimus, Italiæ, patriæ suæ, gymnasia plurima probatissimus nomine primò ut discipulus, dein, ut professor obtinuit. Tantam laudem scientiæ philosophicæ theologicæque adeptus est, ut Benedictus XIV nobilissimus ipse exhausti seculi pontifex tum morum integritate, tum doctrinæ altitudine, illum apud se Romæ arcessiverit. Hic invito, sed submisso animo, vicissìm multis muneribus ornatus est, ne tanta lux sub modio occultaretur. Sacræ Congregationis Indiæ consultor primùm evasit, dein universalis Inquisitionis qualificator, triumque Romanorum theologorum unus fuit, qui privata ad consilia Benedicti XIV accedebant. Interdùm in Collegio Urbano de *propagandâ Fide* philosophiæ sedem occupavit, usquedùm moreretur sexagenarius, emensus ætatis elapsæ plus quàm dimidiam partem. Inter plurima quibus inclaruit opera, præcipuum locum obtinent *Annotationes* spectatissimæ ad *Antonianam Theologiam moralem*, in quâ et ipse pontifex summus Benedictus XIV perlucidissima scripsit.

DE PROPOSITIONIBUS
AB ECCLESIA DAMNATIS.

CAPUT PRIMUM (1).

Ubi decreta quoque nonnulla ad disciplinam pertinentia recensentur.

Damnatas ab Ecclesiâ propositiones brevi eisdem adjectâ explicatione subnectimus, ut Theologia hæc, quoad ea saltem quæ necessaria videantur, absoluta sit, atque perfecta. Nam licet plures in eâ recenserentur, nonnullæ tamen deerant, et quanquàm haberentur omnes propriis in locis recensitæ et indicatæ, tamen adhuc necessarius videretur hujusmodi catalogus, ut ex eodem confessariorum oculis subjecto facilè deprehendant errores, in quos theologi nonnulli incidêre sive ob nimium rigorem, sive ob nimiam illam indulgentiam, quâ libertati favêre studuerunt. Nec eas tantùm propositiones recensemus, quæ per se ad morum doctrinam pertinent, sed etiam illas quæ ad Adami lapsum, depravationemque inde secutam humanæ naturæ, liberum arbitrium, et gratiam spectant, vel ad Ecclesiæ disciplinam. Nam cùm hæ plurimùm conferant ad naturæ infirmitatem ejusquè causam detegendam, et ad meritum demeritumque hominis cognoscendum, animarum rectoribus omninò exploratæ esse debent, et ad ritè animas dirigendas sunt necessariæ. Accedit etiam esse inter orthodoxos, qui in eis exponendis invicem varient, ac opiniones quæ in aliquâ Catholicorum scholâ traduntur, cum damnatis propositionibus confundant, quo fit ut dissidia non solùm inter privatos, sed etiam inter ordines ipsos Regularium plerùmque oriantur, quæ si non ini-

(1) Vide in tomo primo quod ad censuras Propositionum spectat.

micitias, saltem scandala pariant; at hæc quoque doctrinâ morum de medio tollere decet. Ii ergo qui animarum curam susceperint, scire eas ac explicare, dùm opus sit, tenentur. Ne verò certa ac tuta pro iis exponendis via desit, indicatis variis Apostolicæ Sedis Constitutionibus, quæ orthodoxarum scholarum opiniones cum damnatis confundere, et censurâ notare prohibent, Baii, Jansenii, Quesnelliique systemata exponam, eâdemque ratione de Quietistarum propositionibus agam. Quoad reliquas verò propositiones, eas singillatim explicabo, ac juxta traditam in opere doctrinam refutabo : antiquiorum verò hæreticorum sine ullâ expositione recensebo.

CAPUT II.

Referuntur propositiones damnatæ anno 411 et item anno 416.

Sanctus Innocentius papa, hujus nominis primus, damnavit hasce Pelagii ac Cælestii propositiones, respondens concilio Carthaginiensi et concilio Milevitano. Sunt ergo propositiones doctrinæ Pelagianæ, ut hìc jacent damnatæ annis 411 et 416. Primæ tres spectant ad concilium Carthaginiense, aliæ ad Milevitanum.

1. Naturaliter potest implere legem qui vult, et Deus legem ad adjutorium dedit.

2. Ad perficiendam justitiam, et Dei mandata complenda, sola humana sufficere potest natura.

3. Parvuli propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandi non sunt.

4. Potest homo in hâc vitâ, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ, sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberæ voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam non sit necessarium dicere : *Dimitte nobis debita nostra.*

5. Illud, *Et ne nos inferas in tentationem*, non ita intelligendum, tanquàm divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, quoniam hoc in nostrâ positum est potestate, et ad hoc implendum sola sufficit hominis voluntas.

6. Non est orandus Deus, ut contra peccati malum et ad operandam justitiam sit noster adjutor.

7. Non opitulatur parvulis ad consequendam vitam æternam christianæ gratiæ sacramentum.

Nota. Pelagius peccatum originale, et gratiæ adjutorium de medio sustulit. Docuit enim Adamum formatum à Deo fuisse, sicut nunc homines nascuntur, nullo superno Dei gratiæ auxilio donatum, ac passionibus, miseriis, mortique, ut cæteri homines, obnoxium, ac solo nobis exemplo dùm peccavit nocuisse, sicuti solo nobis exemplo et doctrinâ profuit Christus. Illius hæresim suscitârunt ac propugnant Sociniani hâc nostrâ ætate hæreticorum omnium pessimi, qui originale peccatum, gratiam nobis interiùs adjuvantem, prædestinationem ex Dei decreto æterno, Deique præscientiam negant, ac tantùm humano tribuunt arbitrio, ut eo homines virtutem, perfectionemque sectari, ac æternam assequi beatitudinem valeant. Id notatum volui, ut quisque intelligat, jam antea ab Ecclesiâ damnatam hæresim hujusmodi novatores excitâsse.

CAPUT III.

Refertur propositio abbatis Joachim de unione divinæ Trinitatis in naturâ, damnata in concilio Lateranensi IV, anno 1215.

Unitas divinarum personarum in naturâ non est vera et propria, sed quasi collectiva, et similitudinaria, quemadmodùm dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia.

Nota. Hæc propositio Trinitatis mysterium evertit; naturas enim cum divinis personis dividit atque disjungit : quamobrem non solùm naturæ in tribus personis unitatem tollit, sed et præterea Dei unitatem negat, pluresque Deos constituit, contra naturæ lumen, ac manifestam revelationem.

CAPUT IV.

Referuntur Propositiones anno 1276, à Joanne XXII contra doctrinas D. Joan. de Poliaco doctoris Parisiensis, damnatæ in Extravaganti : Cùm inter nonnullos, de verb. signific. ; *ac etiam alia Propositio ab eodem damnata in concilio Lugdunensi.*

1. Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterùm confiteri proprio sacerdoti.

2. Stante *omnis utriusque sexûs* edicto in concilio Generâli, Romanus Pontifex non potest facere, quòd parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri (quem dicit esse parochianum curatum). Imò nec Deus posset hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem.

3. Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem, imò nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio sacerdoti, quem dicit esse (ut præmittitur) proprium curatum.

Nota. Cùm omnis sacerdos virtute divinæ ordinationis potestatem habeat à Deo dimittendi peccata, câque uti possit semel ac subditi ei designentur, in quos jurisdictionem exerceat, facilè patet, etiam regulares dùm eis episcopus subditos assignet, propriæ curæ pastorali subjectos, validè ac licitè absolvere, vel dùm id facit Romanus Pontifex, qui pastor est universi Dominici gregis. Proprius verò cujusque fidelis sacerdos, quoad confessionem, is est, cui in ipsum jurisdictio concessa sit, vel ab episcopo propriæ diœceseos, qui pastor est ordinarius, vel à Romano Pontifice, qui in universam Ecclesiam jurisdictionem habet.

Ab eodem Pontifice in concilio Lugdunensi damnata est ut hæretica hæc propositio : *Christus et ejus discipuli nihil habuerunt : et in eis quæ habuerunt, nullum jus eis fuit.*

CAPUT V.

Recensentur Propositiones damnatæ an. 1311, in concilio generali Viennensi sub Clemente Pontifice Ma-

simo hujus nominis V, et sunt errores mulierecularum quarumdam, quæ Beguinæ *vocabantur, et in illusionibus vitæ spiritualis miscrrimè jacebant. Referuntur deinde aliæ Propositiones in eodem concilio damnatæ. Porrò Propositiones Beguardorum, et Beguinarum sunt istæ.*

1. Homo in vitâ præsenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere quòd reddatur penitùs impeccabilis, et ampliùs in gratiâ proficere non valebit. Nam, ut dicitur, si quis potest semper proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

2. Jejunare non oportet hominem, nec orare, postquàm gradus perfectionis hujusmodi fuerit assecutus, quia tunc sensualitas est ita spiritui et rationi subjecta, quòd homo potest liberè corpori concedere quidquid placet.

3. Illi qui sunt in prædicto gradu perfectionis, et spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur, quia, ut asserunt, *ubi spiritus Domini, ibi libertas.*

4. Homo potest ita finalem beatitudinem secundùm omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam obtinebit in vitâ beatâ.

5. Quælibet intellectualis creatura in seipsâ naturaliter est beata, et anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beatè fruendum.

6. Se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, et perfecta anima licentiat à se virtutes.

7. Mulieris osculum, cùm ad hoc natura non inclinet, est peccatum mortale; actus autem carnalis, cùm ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maximè cùm tentatur exercens.

8. In elevatione corporis Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, asserentes, quòd esset imperfectionis eidem, si à puritate et altitudine suæ contemplationis tantùm descenderent; quòd circa mysterium, seu sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

9. In hoc concilio damnata pariter fuit tanquàm hæretica ista propositio, sub eodem Pontifice : *Exercere usuras non est peccatum.*

10. Damnata fuit insuper ut hæretica hæc propositio : *Anima rationalis non est verè, et propriè forma corporis humani.*

CAPUT VI.

Refertur Propositio damnata anno 1418, *in concilio Constantiensi Œcumenico sub Joanne XXIV, tempore schismatis ante creationem Martini V, qui deinde hujus Propositionis damnationem approbavit; est autem Propositio circa occisionem tyrannorum, et est hujusmodi.*

1. Quilibet tyrannus potest et debet licitè et meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, et subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque præstito juramento, seu consecratione factâ cum eo, non exspectatâ sententiâ vel mandato judicis cujuscumque.

CAPUT VII.

De schismate hujus temporis.

Cùm Urbanus VI severioribus fortasse gubernationis habenis urbi dominaretur, et cardinales nonnullos ambitione damnaret, ac in pluribus coerceret, factum est, ut hi novum Pontificem sub prætextu, quòd electio Urbani VI minimè canonica habenda esset, quia non liberè facta, deligerent. Hæc electio cardinalium propè Romam habita extulit ad Pontificatum Robertum Comitem Genevensem, qui dictus est Clemens VII. Hinc atrox nimis schisma inconsutilem Christi vestem, Ecclesiam scilicet, dividebat. Post hæc coactum est, non tamen convocante Pontifice, Pisanum concilium, à quo Pontifices ambo depositi, et creatus tertius Pontifex, ita ut jam schisma tres divisiones subiret; cardinalis Petrus Philaretes vir Dei assumptus fuit ad pontificatum Pisis. Quare principibus ipsis, ac orbe catholico in tres partes diviso, schisma magis ac magis invalescebat in dies, præsertim ex eo quòd defuncto Clemente, qui ei adhærebant cardinales novum illi Pontificem subrogârunt Petrum de Luna, qui Benedicti XIII nomen assumpsit, et ad plurimos annos Ecclesiam Christi turbavit. Tandem adhibito efficaci remedio, et convocato Constantiæ de consensu partium Concilio Œcumenico, tres Pontifices dignitate Pontificiâ privati sunt, ac electus Otho cardinalis Columna Romanus, qui Martinus V voluit nuncupari. Porrò Martinus V omnia deinde acta in concilio Constantiensi ad fidem spectantia approbavit auctoritate apostolicâ, et deinde redditâ Ecclesiæ pace singulis Patribus facultatem fecit ad propria remeandi. Hæc breviter hìc attigisse sufficiat, quæ in historiis conciliorum fusè exponuntur.

CAPUT VIII.

Referuntur Propositiones damnatæ anno 1418, *sub Joanne XXIV, ante creationem Martini V, in concilio Constantiensi, sessione* 45, *contra Joannem Wicleffum.*

1. Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento Altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento.

Nota. Caveas, ne hìc accidentium nomine Peripateticorum entitatulas intelligas; non enim hæc fuit Synodi mens, inquit cardinalis Petrus Alliciensis, quæ definire unicè voluit, non manere in sacramento altaris substantiam panis cum corpore Christi, sed accidentia tantùm, sive hæc nudæ sint apparentiæ, sive species, ut antea Lateranense, deinde Tridentinum concilium dixit; sive denique quidpiam aliud quod sine panis substantiâ, panis in nobis sensum excitet; quod non theologo, et conciliis, sed philosopho investigandum est, ratione tamen divinâ revelatione informatâ, ne philosophia theologiæ, et Religioni obsit.

3. Christus non est in eodem sacramento identicè, et realiter propriâ præsentiâ corporali.

4. Si episcopus, vel sacerdos existat in peccato mortali non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

5. Non est fundatum in Evangelio, quòd Christus Missam ordinaverit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, et inutilis.

8. Si papa sit præscitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi fortè à Cæsare.

9. Post Urbanum VI non est aliquis recipiendus in papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.

10. Contra Scripturam Sacram est, quòd viri ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi priùs sciat eum excommunicatum à Deo, et qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.

12. Prælatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem, vel concilium Regni, eo ipso traditor est regis, et regni.

13. Illi qui dimittunt prædicare, sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in Dei judicio traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui diacono, vel presbytero, prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicæ, sive episcopi catholici.

15. Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dùm est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesiâ, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solùm ...ctu delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ sunt purè eleemosynæ, et possunt parochiani propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre.

19. Speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos, vel religiosos, non plus prosunt eidem, quàm generales cæteris paribus.

20. Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum, quàm mendicantium, redditur ineptior et inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22. Sancti instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione christianâ.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem.

25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subvenientibus.

26. Oratio præsciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absolutâ eveniunt.

28. Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur papæ et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, et honoris.

29. Universitates, studia, collegia, graduationes, et magisteria in eisdem sunt vanâ gentilitate introducta, tantùm prosunt Ecclesiæ sicut diabolus.

30 Excommunicatio papæ, vel cujuscumque prælati, non est timenda, quia est censura Anti-Christi.

31. Peccant fundantes Claustra, et ingredientes sunt viri diabolici.

32. Ditare clerum est contra regulam Christi.

33. Sylvester papa et Constantinus imperator errârunt Ecclesiam dotando.

34. Omnes de ordine Mendicantium sunt hæretici, et dantes eis eleemosynas sunt excommunicati.

35. Ingredientes religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina præcepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum cœlorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eò quòd possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini seculares, et cæteri laici.

37. Ecclesia Romana est synagoga Satanæ, nec papa est proximus et immediatus vicarius Christi et Apostolorum.

38. Decretales epistolæ sunt apocryphæ, et seducunt à fide Christi, et clerici sunt stulti, qui student eis.

39. Imperator et domini seculares sunt seducti à diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio papæ à cardinalibus, à diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam essè supremam inter alias Ecclesias.

42. Fatuum est credere indulgentiis papæ et episcoporum.

43. Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, et commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus, et Bernardus, damnati sunt nisi pœnituerint de hoc, quòd habuerunt possessiones, et instituerunt, et intraverunt religiones, et sic à papâ usque ad ultimum religiosum, omnes sunt hæretici.

45. Omnes religiones indifferenter introductæ sunt à diabolo.

CAPUT IX.

Recensentur Propositiones Joannis Hus damnatæ veluti errores contra fidem eodem anno.

1. Una est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas.

2. Paulus nunquàm fuit membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus, actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

3. Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cùm multa pars ejus finaliter excidet ab eâ, eò quòd prædе-

stinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidet.

4. Duæ naturæ, Divinitas et Humanitas, sunt unus Christus.

5. Præscitus, etsi aliquando est in gratiâ secundùm præsentem justitiam, tamen nunquàm est pars S. Ecclesiæ, et prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat à gratiâ adventitiâ, sed non à gratiâ prædestinationis.

6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione prædestinatorum, sive fuerint in gratiâ, sive non, secundùm præsentem justitiam, isto modo Ecclesia est articulus Fidei.

7. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminosè viventes sacerdotii polluunt potestatem, et sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cæremoniis, et sacris rebus Ecclesiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, et Ordinibus.

9. Papalis dignitas à Cæsare inolevit, et papæ perfectio et institutio à Cæsaris potentiâ emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quòd esset caput Ecclesiæ particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ particularis.

11. Non oportet credere, quòd iste, quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cujuscumque particularis Ecclesiæ sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.

12. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cùm nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat à Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium vicariatûs requiritur et morum conformitas, et instituentis auctoritas.

13. Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro; et si quærit avaritiam, tunc est vicarius Judæ Iscariot. Et pari evidentiâ, cardinales non sunt veri et manifesti successores collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Jesu Christi.

14. Doctores ponentes quòd aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, seculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pontifices, scribas, et pharisæos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes : *Nobis non licet interficere quemquam*, ipsum seculari judicio tradiderunt; et quòd tales sint homicidæ graviores, quàm Pilatus.

15. Obedientia ecclesiastica est obedientia secundùm adinventionem sacerdotum Ecclesiæ, propter expressam auctoritatem Scripturæ.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quòd sunt vel virtuosa, vel vitiosa, quia si homo est vitiosus, et agit quidquam, tunc agit vitiosè, et si est virtuosus, et agit quidquam, tunc agit virtuosè : quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viventes secundùm legem ejus, et habentes Scripturæ notitiam, et affectum ad ædificandum populum, debent prædicare, non obstante prætensâ excommunicatione. Quòd si papa, vel aliquis prælatus mandat sacerdoti sic disposito non prædicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit; et illud mandatum debet exequi, prætensâ excommunicatione non obstante.

19. Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, et interdicti, ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam præparat Anti-Christo. Signum autem evidens est, quòd ab Anti-Christo tales procedunt censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissimè procedit contra illos qui denudant nequitiam Anti-Christi, qui clerum pro se maximè usurpabit.

20. Si papa est malus, et præsertim si est præscitus, tunc ut Judas apostolus est diabolus, fur, et filius perditionis, et non est caput S. militantis Ecclesiæ, cùm nec sit membrum ejus.

21. Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ, et quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa, vel prælatus malus et præscitus, est æquivocè Pastor, et verè fur, et latro.

23. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundùm officium, quia aliàs rex deberet etiam dici sanctissimus secundùm officium, et tortores, et præcones dicerentur sancti, imò etiam diabolus deberet dici sanctus, cùm sit officiarius Dei.

24. Si papa vivat Christo contrariè, etiamsi ascenderet per ritam et legitimam electionem, secundùm constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quàm per Christum, dato etiam quòd intraret per electionem à Deo principaliter factam; nam Judas Iscariotes ritè, et legitimè à Deo Christo Jesu electus est ad episcopatum, et tamen ascendit aliunde ad ovile ovium.

25. Condemnatio XLV art. Joannis Wi leff per doctores facta est irrationabilis, et iniqua, et malè facta, et ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quòd nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum, aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26. Non eo ipso, quo electores, vel major pars eorum consenserit vivâ voce secundùm ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitimè electa, vel eo ipso est verus, et manifestus successor, vel vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in officio ecclesiastico : unde sive electores benè, vel malè elegerint, operibus electi debemus credere; nam eo ipso, quo quis copiosiùs operatur meritoriè ad profectum Ecclesiæ, habet à Deo ad hoc copiosiùs facultatem.

27. Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesiâ ipsâ militante conversetur, et conservetur.

28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum, meliùs suam Ecclesiam regularet.

29. Apostoli, et fideles sacerdotes Domini strenuè in necessariis ad salutem regulârunt Ecclesiam, antequàm papæ officium foret introductum; sic facerent, deficiente, per summè possibile, papâ usque ad diem judicii.

30. Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dùm est in peccato mortali.

Post hanc damnationem, cùm Joannes Hus contumax perseverâsset in suis erroribus, unà cum Hieronymo de Praga publico igne combustus est.

CAPUT X.

Recensentur Propositiones damnatæ in concilio Basileensi sub Eugenio IV, antequàm concilium esset acephalum anno 1435, *decerptæ à libro Augustini Romani Archiepiscopi Nazareni.*

1. Anima Christi videt Deum tam clarè, et intensè, quantùm clarè et intensè Deus videt seipsum.

2. Ratio suppositalis determinans humanam naturam in Christo, non realiter distinguitur ab ipsâ naturâ determinatâ.

3. Christus quotidiè peccat, et ex quo fuit Christus quotidiè peccavit.

4. Non omnes justificati sunt membra Christi, sed soli prædestinati.

5. Humana natura in Christo est persona Verbi.

6. Humana natura assumpta à Verbo ex unione personali est veraciter Deus naturalis et proprius.

7. Christus secundùm voluntatem creatam diligit naturam humanam unitam personæ Verbi, quantùm diligit naturam divinam.

8. Sicut duæ personæ in divinis sunt æqualiter diligibiles; ita duæ naturæ in Christo, humana et divina, sunt æqualiter diligibiles propter personam communem.

CAPUT XI.

Referuntur nonnullæ Propositiones Magistri Oxomensis damnatæ in congregatione Complutensi; quarum damnationem auctoritate apostolicâ confirmavit Sixtus IV, anno 1489.

1. Peccata mortalia quantùm ad culpam, et pœnam alterius seculi delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

2. Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiæ, non de jure divino.

3. Pravæ cogitationes confiteri non debent, sed solâ displicentiâ delentur sine ordine ad claves.

4. Confessio debet esse secreta, id est, de peccatis secretis, non de manifestis.

5. Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peractâ priùs pœnitentiâ eis injunctâ.

6. Papa non potest indulgere alicui viro pœnam Purgatorii.

7. Ecclesia urbis Romæ errare potest.

8. Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiæ.

9. Sacramentum Pœnitentiæ, quantùm ad collationem gratiæ sacramentalis, naturæ est, non alicujus institutionis veteris, vel novi Testamenti.

Damnatæ fuerunt hæ propositiones ut scandalosæ, et hæreticæ, et coactus Magister Petrus Oxomensis abjurare illas, quod catholicè implevit.

CAPUT XII.

Referuntur duæ Propositiones circa hominis animam rationalem, quas Leo X damnavit in concilio Lateranensi, sess. 8, *anno* 1513. *Propositiones sunt istæ.*

1. Anima intellectiva mortalis est, saltem secundùm philosophiam.

2. Anima intellectiva est unica in cunctis hominibus.

Duæ istæ propositiones damnatæ fuerunt ut hæreticæ, ac deinde superaddita hæc universalis definitio quoad assertiones philosophicas. « Cùm verum vero « minimè contradicat, omnem assertionem veritati « illuminatæ fidei contrariam omninò falsam esse de- « finimus, et ut aliter dogmatizare non liceat, distri- « ctiùs inhibemus. Omnes hujusmodi erroneis asser- « tionibus inhærentes, tanquàm hæreticos vitandos, « et puniendos fore decernimus.

« Insuper omnibus, et singulis philosophis in Uni- « versitatibus studiorum generalium, et alibi publicè « legentibus districtè præcipimus, ut cùm philoso- « phorum principia, aut conclusiones, in quibus à « rectâ fide deviare noscuntur, auditoribus suis lege- « rint, seu explicaverint (quale hoc de immortalitate « animæ, aut unitate, et mundi æternitate, ac alia hu- « jusmodi), teneantur eisdem veritatem religionis « christianæ omni conatu manifestam facere, et per- « suadendo, pro posse, docere, ac omni studio hujus- « modi philosophorum argumenta (cùm omnia solu- « bilia existant) pro viribus excludere, atque resol- « vere. »

CAPUT XIII.

Referuntur Propositiones XLI Martini Lutheri à Leone X, damnatæ anno 1520, *per Bullam :* Exurge, Domine, *quæ sic habent :*

1. Hæretica sententia est, sed usitata, sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu cœli.

4. Imperfecta charitas morituri fert secum necessariò magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatorii, et impedit introitum regni.

5. Tres esse partes pœnitentiæ : Contritionem, confessionem, et satisfactionem, non est fundatum in S.

Scripturâ, nec in antiquis SS. christianis doctoribus.

6. Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium, et omni doctrinâ de contritionibus hucùsque datâ præstantius, de cætero non facere summas pœnitentias : optima pœnitentia nova vita.

8. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas : unde in primitivâ Ecclesiâ solùm manifesta mortalia confitebantur.

9. Dùm volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quàm quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi, remittente sacerdote, credat sibi remitti : imò peccatum maneret, nisi remissum crederet : non enim sufficit remissio peccati, et gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi : *Quodcumque solveris*, etc. Hinc, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus verè eris, quidquid sit de contritione.

12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non seriò, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissimè est absolutus.

13. In sacramento pœnitentiæ, ac remissione culpæ, non plus facit papa, aut episcopus, quàm infimus sacerdos; imò ubi non est sacerdos, æquè tantùm quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.

14. Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, nec sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum qui ad sacramenta Eucharistiæ accedunt, huic innixi, quòd sint confessi, quòd non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quòd præmiserint orationes suas, et præparatoria : omnes illi judicium sibi manducant, et bibunt. Sed si credant, et confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros et dignos.

16. Consultum videtur, quòd Ecclesia in communi concilio statueret, laicos sub utrâque specie communicandos, nec Bohemi sub utrâque specie communicantes sunt hæretici, sed schismatici.

17. Thesauri Ecclesiæ, unde papa dat indulgentias, non sunt merita Christi.

18. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum : et sunt de numero eorum quæ licent, et non de numero eorum quæ expediunt.

19. Indulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.

20. Seducuntur credentes, Indulgentias esse salutares, et ad fructum spiritûs utiles.

21. Indulgentiæ necessariæ sunt solùm publicis criminibus, et propriè conceduntur duris solummodò, et impatientibus.

22. Sex generibus hominum Indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles : videlicet mortuis seu morituris, infirmis legitimè impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantùm externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

24. Docendi sunt Christiani, plus diligere excommunicationem, quàm timere.

25. Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in B. Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum : *quodcumque solveris super terram*, etc., extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est in manu papæ, aut Ecclesiæ, prorsùs non esse statuere articulos fidei, imò nec leges morum, seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magnâ parte Ecclesiæ sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessariâ ad salutem, donec fuerit per concilium universale, alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem conciliorum, et liberè contradicendi eorum gestis, et judicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum à quocumque concilio.

30. Aliqui articuli Joannis Hus condemnati in concil. Constantiensi sunt christianissimi, verissimi, et evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono justus peccat.

32. Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum.

33. Hæreticos comburi est contra voluntatem Spiritûs sancti.

34. Præliari adversùs Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter propter occultissimum superbiæ vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo : et dùm facit quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex Sacrâ Scripturâ, quæ sit in canone.

38. Animæ in Purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes : nec probatum est ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendæ charitatis.

39. Animæ ex Purgatorio peccant sine intermissione quamdiù quærunt requiem, et horrent pœnas.

40. Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragiis viventium minùs beantur, quàm si per se satisfeciscent.

41. Prælati ecclesiastici, et principes seculares non malè facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

CAPUT XIV.

Monitum ad Ecclesiæ pastores et confessarios circa eorum vitium, ac detestandum peccatum, qui orthodoxas scholas, theologosque catholicos invidioso Baianismi ac Jansenianismi nomine traducunt.

Non dubito quin futuri sint homines qui monitum hocce nostrum vel ineptum habeant et prædicent, vel alio nomine irrideant atque contemnant. Scio enim esse apud plerosque in more positum, ut quæ præconceptis eorum opinionibus, eorumque studiis et voluntati respondeant et faveant, probent omnia ac summis laudibus efferant; quæ verò cum iis pugnant, causâ nondùm cognitâ, damnent ac fœdissimis conviciis proscindant. Ii sanè vel ad rem monitum non esse, vel parti me servire voluisse, aut iis etiam pejora effutient. At horum ego dicteria atque convicia nihili facio; non enim eos, quos malitia ita excæcaverit ut apertam veritatem intueri aut nequeant, aut nolint, sed homines ratione utentes, ac Christi fidelium rectores alloquor, quibus dùm suscepti operis consilium expositum compertumque sit, non dubito quin si non opus, consilium saltem probandum sit, animusque scribentis. Hìc enim demonstrandum suscepi quàm grave peccatum, quàmque enormis eorum sit culpa, qui aut culpabili ignorantiâ aut malitiâ ducti, ut proprias opiniones alienis præponant, solent has, earumque auctores conviciis lacerare. De Baianismi ac Jansenianismi calumniâ dicturus sum, quòd horum tantùm damnatas sententias recenseam; sed quæ hâc de re disputabo ad eos quoque applicari facilè poterunt, qui Pelagianismi, Semipelagianismi, vel alterius ab Ecclesiâ proscripti erroris orthodoxos theologos insimulent. Primùm itaque convicii hujus perversitatem ostendam, ac deinde ad calcem propositionum principaliores theologorum opiniones, quæ notari erroris nequeant, explicabo. Nam id necessarium esse omninò arbitror ob abjectas Sporerio, ac Felici Potestati explicationes, quæ sive ex ignorantiâ, sive ex auctorum malitiâ, eo expositæ consilio visæ sunt, ut faciliùs quisque possit theologos plerosque catholicos Jansenianismi accusare.

Venio nunc ad id quod in monito explicandum susceperam; ac principio statuo, gravem esse culpam in re gravis momenti Apostolicæ Sedi non obtemperare, ejusque præcepta sub onere sanctæ obedientiæ, et sub gravissimis pœnis imposita palam contemnere. Id enim catholicis est omninò exploratum. Videamus modò Apostolicæ Sedis decreta et constitutiones. Mitto latas in causâ Baii Constitutiones, atque rem ex Innocentii XI decreto exordior. Is itaque, die 2 *Martii*, anno 1679, « omnibus in virtute sanctæ obedientiæ « præcepit, ut tam in libris imprimendis, ac Mss. « quàm in thesibus, disputationibus ac prædicationibus « caveant ab omni censurâ et notâ, nec non à qui- « buscumque conviciis contra eas propositiones quæ « adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, « donec à Sanctâ Sede recognitâ super eisdem propo- « sitionibus judicium proferatur. » Deinde Innocentius XII, die sextâ januarii, anno 1694, decreto suo sancivit, « ne quis traducatur invidiosè nomine Janse- « nianismi, nisi priùs legitimè constiterit aliquam ex « quinque propositionibus docuisse et tenuisse. » Vides Apostolicæ Sedis præcepta. Parentne decretis præceptisque hujusmodi, qui Thomistas, Augustinianos, ac theologos eorum opinionibus non faventes Jansenianos palam prædicant? Sed rem persequamur. Satis nota est Constitutio *Unigenitus*, quam infra referemus. Cùm eâ promulgatâ, nonnulli Quesnellianismi, et Jansenianismi insimulare cœpissent assertores gratiæ per se efficacis ac saniores morum regulas edocentes, re ad Clement XI, Pont. Max. delatâ, anno 1718, 5 Kalendas Septembris constitutionem edidit, cujus initium est: *Pastoralis*, in quâ ad eos coercendos, qui scholarum opiniones cum damnatis in Bullâ *Unigenitus* propositionibus confundebant: « Cæterùm, inquit, in « hoc præpostero judicio consuetum calumniandi mo- « dum non derelinquunt; nisi enim excæcaret eos « malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras, « quàm lucem, ignorare non deberent sententias illas « ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos dam- « natis confundunt, palam, et liberè in catholicis scho- « lis etiam post editam à nobis memoratam constitu- « tionem sub oculis nostris doceri atque defendi, il- « lasque propterea minimè per eam fuisse proscrip- « tas. Verùm supercecidit ignis contentionis, et non « viderunt solem lucidissimæ veritatis. » Cùm verò hæc satis non fuerint ad eos compescendos, qui partium studio incitati, atque superbiæ spiritu ducti, proprias alienis opinionibus præponere, et de adversariis victoriam ac veluti reportatum triumphum canere student, Clem. XII, die 2 octobris, anno 1733, novam constitutionem edidit, quæ incipit: *Apostolicæ providentiæ officio*, in quâ celeberrimæ constitutionis *Unigenitus* mentione præmissâ, in hunc modum loquitur: « Nos paternâ quoque sollicitudine inhærentes magno « perè dolemus tenebras à dissensionis filiis offusas « nondùm ex quorumdam mentibus satis esse discus- « sas, sed plerosque etiam nunc intolerabili pertinaciâ « contendere, censuris laudatæ constitutionis doctri- « nam sanctorum Augustini et Thomæ de divinæ gra- « tiæ efficaciâ esse perstrictam. Ut igitur nullas chari- « tatis partes ad revocandos errantes nobis reliquas « faciamus, universis et singulis Christi fidelibus quâ- « cumque dignitate, etiam episcopali, et majori ful- « gentibus in virtute sanctæ obedientiæ districtè præ- « cipimus, et sub canonicis pœnis mandamus, ne « disputantes, aut docentes sive in scholis, sive in « concionibus, sive scriptis editis, sive aliter proposi- « tiones defendant, aut enuntient, quæ antedictas no- « vatorum calumnias firmare et promovere possint. « Mentes tamen eorumdem prædecessorum perspectas « habentes nolumus aut per nostros, aut per ipsorum « laudes Thomisticæ scholæ delatas, quas iterato nos- « tro judicio comprobamus et confirmamus, quidpiam « esse detractum cæteris catholicis scholis diversa ab

« eâdem in explicandâ divinæ gratiæ efficaciâ sentien-
« tibus, quarum etiam erga hanc Sanctam Sedem præ-
« clara sunt merita, quominùs sententias eâ de re
« tueri pergant, quas hactenùs palam et liberè ubique,
« etiam in hujus almæ Urbis luce docuerunt, et pro-
« pugnârunt. Quamobrem fel. record. Pauli V et alio-
« rum prædecessorum nostrorum ad restringendum
« dissensionum fomitem vestigia prosequentes, et sa-
« luberrima mandata renovantes, auctoritate quoque
« nostrâ omnibus et singulis superiùs expressis inter-
« dicimus et prohibemus sub iisdem pœnis, ne vel
« scribendo, vel disputando, vel aliâ quâlibet occa-
« sione notam, aut censuram ullam theologicam iis-
« dem scholis diversa sentientibus inurere, aut eorum
« sententias conviciis et contumeliis incessere au-
« deant, donec de iisdem controversiis hæc Sancta
« Sedes aliquid definiendum ac pronuntiandum cen-
« suerit. Pacem siquidem, quam cum veritate diligen-
« dam Dominus præcipit, inter catholicæ Ecclesiæ
« filios fovere et communire debemus, et curamus, ut
« conjunctis diversarum licet scholarum studiis fir-
« mius sit adversùs erroris insidias præsidium. »

Accedunt etiam litteræ in formâ Brevis Benedict. XIII ad universos fratres ordinis Prædicatorum adversùs calumnias doctrinæ SS. Augustini et Thomæ intentatas, quarum initium est : *Demissas preces.* In eis itaque hæc habentur : « Eos qui constitutione *Unige-*
« *nitus* damnatam Augustinianam et Thomisticam do-
« ctrinam asseverant, apostolicæ auctoritati detra-
« here; » atque ita concluditur : « Magno igitur animo
« contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas sen-
« tentiis vestris de gratiâ præsertim, per se, et ab in-
« trinseco efficaci, ac de gratuitâ prædestinatione ad
« gloriam sine ullâ prævisione meritorum, quas lau-
« dabiliter hactenùs docuistis, et quas ab ipsis SS. do-
« ctoribus Augustino et Thomâ se hausisse, et verbo
« Dei, summorumque pontificum et conciliorum de-
« cretis et Patrum dictis consonas esse commendabili
« studio schola vestra gloriatur. Cùm igitur bonis et
« rectis corde satis constet, ipsique calumniatores,
« nisi dolum sequi velint, satis perspiciant, SS. Au-
« gustini et Thomæ inconcussa tutissimaque dogmata
« nullis prorsùs antedictæ constitutionis censuris esse
« perstricta : ne quis in posterum eo nomine calumnias
« struere, et dissensiones tenere audeat, sub canonicis
« pœnis districtè inhibemus. Pergite porrò doctoris
« vestri opera sole clariora sine ullo prorsùs errore
« conscripta, quibus Ecclesiam Christi mirâ eruditione
« clarificavit, inoffenso pede decurrere, ac per certis-
« simam illam Christianæ doctrinæ regulam sacro-
« sanctæ religionis veritatem, incorruptæque disci-
« plinæ sanctitatem tueri ac vendicare, etc. »

En Apostolicæ Sedis decreta, præcepta, ac latas in contemptores pœnas. At quæ sub præcepto et in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub canonicis pœnis vetita sunt, ea gravem per se obligationem ferre, nemo ignorat. Ita verò Apostolica Sedes vetat Jansenismi notare opiniones, quæ in scholis à Thomistis et Augustinianis traduntur, quæ palam Romæ sub Pontificis oculis docentur et propugnantur, et quæ ab auctoribus catholicis proponuntur, dummodò per legitimam causam probatum non sit, sensum illas involvere damnatorum errorum. Quis ergo non videt peccare eos, qui invidiosis hujusmodi nominibus viros catholicos traducant, ac publicos etiam esse Apostolicæ Sedis contemptores?

At convicia et calumniæ hujusmodi non solùm inobedientiæ et contemptûs Apostolicæ Sedis reatum habent, sed injuriam maximam secum ferunt, ac alia quàm plurima, quæ peccatum augeant. Nam crimen hæreseos maximum est, ac maximam secum fert infamiam. Ergo gravissima viro præsertim ecclesiastico, vel regularium ordini injuria fit, dùm hæreticus prædicatur, et gravissimum peccatum hujusmodi convicium est. Accedit præterea odium, quod inde sequitur, et publicæ inter ecclesiasticos viros inimicitiæ atque lites, quæ res populo christiano sunt maximo scandalo, atque hæreticis occasionem præbent contemnendi Ecclesiam catholicam fidémque orthodoxam. Quænam verò etiam apud benigniores theologos doctrina est quæ à gravissimâ culpâ mala hæc valet excusare? non solùm enim charitas in re gravissimâ, sed etiam justitia manifestè læditur, ut ex iis quæ de charitate et justitiâ disputata sunt manifestum est.

Dicet verò aliquis non posse opiniones illas censurâ notari, sed fas esse theologo, qui in oppositâ sententiâ versetur, Thomisticas vel Augustinianas opiniones ita confutare, ut ex earum positione Baianismum vel Jansenismum consequi argumentetur. Ut enim cuique licet omni argumentorum genere contrarias opiniones refellere, ac proprias tueri; ita etiam licitum cuique erit ob absurda, quæ inde sequerentur, opiniones illas rejicere; quia veris illis constitutis, veras quoque adstruere oporteret Baii, Jansenii Quesnelliique theses.

Non nego licitè id fieri posse, imò et quandoque hujusmodi oppositiones plurimùm conferre censeo ad exponendum catholicum dogma, et ad aperiendum explicandumque discrimen, quod inter damnatas ab Ecclesiâ propositiones, et Catholicorum opiniones intercedit. Quamobrem, si, servatis charitatis legibus ac eo tantùm animo, hujusmodi argumenta urgeantur, ut veritas magis magisque clarescat, et ut certi inter damnatam doctrinam, atque orthodoxas opiniones limites detegantur, laude dignì theologi haberentur. Sed si fallaces illas ratiocinationes, quas adhibent, tanti faciant, ut certos se esse jactitent opiniones illas, Baianas, Jansenianasque esse, atque ita prædicent; tum peccant reverà contra Apostolicæ Sedis præceptum, et Apostolicam Sedem contemnunt, cùm pluris faciant privatam eorum opinionem, quàm illius judicium et mandatum : peccant etiam contra charitatem, et justitiam, quia lædunt quàm maximè famam proximi sui, illumque ad odium et dissidia talia provocant, ut maxima inde in christiano populo scandala sequantur; ac demùm catholicæ religioni plurimùm obsunt, tum ob honorem, quem præbent damnatis sectis, tum cùm eisdem theologos nostros sentire prædicant; tum ob derisionem cui apud illas sectas exponunt in-

dicium Ecclesiæ, quod veluti iniquum traducitur, quasi in illis damnâsset, quod in aliis tolerat, ac apertè permittit; tum denique, quia ità difficiliorem faciunt errantium conversionem. Hæc verò tanti mihi momenti semper visa sunt, ut non modò convicia hæc, sed etiam hujusmodi argumentandi rationem horruerim. Neque enim facilè fieri posse censeo, ut ita argumentando scandalum apud simpliciores præcaveri possit, et ut animus in eo, qui ita agit, desit in opinionem contrariam, illiusque assertoribus invidiam conciliandi. Accedit etiam, argumenta hujusmodi mera esse sophismata, positâ jam definitione Ecclesiæ, quæ decrevit, opiniones illas à damnatis erroribus esse omninò diversas. Ecquis enim ignoret, in re theologicâ purum putumque sophisma esse ratiocinium illud, quo probari quidpiam contenditur, quod judicio Ecclesiæ adversetur? Quis ergo dicat non perversè agere, qui usu sophismatum violant charitatem, scandala creant, et ad minus periculo sese exponunt lædendi in re gravissimâ famam proximi et contemnendi Ecclesiam?

Denique muneri desunt suo scholastici illi, qui hujusmodi ratiocinandi rationem adhibent. Nam scholasticæ theologiæ institutum, ac theologi officium est explicare orthodoxa dogmata, novatorum adversùs ea sophismata solvere, ac discrimen ostendere, quod inter proscriptos errores, et Catholicorum opiniones, intercedit. Hâc enim unicè de causâ theologia scholastica utilis dici potest; quodnam enim aliud est bonum, quod ejus usu Religioni, atque Ecclesiæ afferri possit? Numquid ingenii ostentatio, gloriola apud homines, aut seria occupatio, quæ otium excludat? At priora duo Ecclesiæ malum potiùs quàm bonum conciliant; tertium verò inutile prorsùs est, nisi ex occupatione illâ quidpiam erui valeat, quod Religioni prosit. Age verò, qui tanto conatu student Thomisticas, vel Augustinianas, aut aliorum catholicorum hominum opiniones Jansenianas ostendere, an non potiùs confundere orthodoxas opiniones cum erroribus videntur, quàm discrimen detegere et explicare. An non favent potiùs quàm noceant errori proscripto, dùm illum cum catholici opinione confundendo, occasionem novatoribus præbent sub velo orthodoxæ opinionis tegendi errores ac hæreses? Ubi tunc est bonum, quod Ecclesiæ affert theologia scholastica? Nam ita potiùs errori, quàm veritati catholicæ, præsidio est. Nec dici potest obscuram hâc in re materiam esse; etenim Ecclesiæ definitio, quæ scholarum opiniones immunes ab errore declarat, perspicua est. Theologi Thomistæ et Augustiniani perspicuè explicant discrimen inter proprias, et damnatas sententias, atque id egregiè quoque tuentur. Ut ii ergo id faciunt, cur conjunctis viribus adversùs errorum insidias, ex horum etiam principiis, agere theologi reliqui non poterunt? Ita sanè prudentiores omnes faciunt, dùm contra Semipelagianos disputando, eos constitutâ quoque *scientiâ mediâ* confutant, etsi hæc hujus aliquando erroris insimulata fuit. Quare ergo Thomisticâ, vel Augustinianâ, aut quâcumque aliâ constitutâ hypothesi refellendi non erunt Lutherani, Jansenianique? Hâc viâ Catholicorum honori, Ecclesiæque bono consulitur, et conjunctis viribus, ut Apostolica Sedes jubet, hæreses impugnantur. Hæc quantùm ad monitum; quoad explicationem catholicarum opinionum earumque à Janseniano errore discrimen vide cap. 16.

CAPUT XV.

Recensentur novem ac septuaginta Propositiones Michaelis Baii, olim à Pio V et Gregorio XIII, ac deinde ab Urbano VIII, anno 1664, confixæ in Bullâ In eminenti.

1. Nec angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex naturâ suâ est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex naturâ suâ est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverâsset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, et non gratia.

4. Vita æterna homini integro et angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione factâ angelo et primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientiâ perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in quâ mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non rectè vocantur gratia : quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro, et angelo, forsitan, non improbandâ ratione, possunt dici gratia; sed quia secundùm usum Sacræ Scripturæ nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè meritis, et indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpè remanet, et corporis resurrectio, propriè nonnisi meritis Christi adscribenda.

11. Quòd piè et justè in hâc vitâ mortali usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum est; neque in hâc retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in quâ lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii sententia est : Opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni cœlestis meritorium.

13. Opera bona à filiis adoptionis facta non acci

piunt rationem meriti ex eo quòd fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantùm ex eo quòd sunt conformia legi, quòdque per se præstatur obedientia legi.

14. Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo quòd qui benè operatur habet gratiam, et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solùm quòd obedit divinæ legi.

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.

18. Opera catechumenorum, ut fides et pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita : quam vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera justitiæ et temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex naturâ suâ veniale, sed omne peccatum méretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis : et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2 : *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, et charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis et otiosis hominibus secundùm insipientiam philosophorum excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est : Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, et ad Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiâ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt, et latrones, qui Christum, viam et ostium veritatis et vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde, quàm per ipsum, in viam justitiæ (hoc est, ad aliquam justitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, ut ab eâ non superetur.

31. Charitas perfecta et sincera, quæ est de corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus justè, rectè et sanctè vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demùm recipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, commentitia, et ad illudendum sacris litteris, et plurimis veterum testimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex solâ philosophiâ, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuriâ crucis Christi defenditur à nonnullis doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.

39. Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.

42. Justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientiâ mandatorum, quæ est operum justitia; non autem in gratiâ aliquâ animæ infusâ, quâ adoptatur homo in filium Dei, et secundùm interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps benè vivere, et Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, et in Catechumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt solùm ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, et vera legis justitia ; non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non aliâ ratione est Sacrificium, quàm generali illâ, quâ omne opus, quod fit, ut sanctâ societate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem, et definitionem peccati non pertinet, voluntarium; nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ullâ relatione, ac respectu ad voluntatem, à quâ originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eò quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usus rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto : *Non concupisces.*

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera Legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem, et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantùm est ex vi transgressionis, tantùm meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt : Actus et reatus; transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.

57. Unde in sacramento Baptismi, aut sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati duntaxat tollitur : et ministerium sacerdotum solum liberat à reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens et inspirans vivificat eum, et resuscitat; ministerio autem sacerdotis solùm reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliquâ ex parte redemptores), sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, et communicatur.

60. Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, et ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Celebris illa doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariàm impleri, altero modo quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm, altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariàm bonum, vel quia ex objecto, et omnibus circumstantiis rectum est, et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni æterni, eò quòd sit à vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed et illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritûs sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondùm cor inhabitantis, et in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, quâ vivificatur peccator, dùm ei pœnitentiæ, et vitæ novæ propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, quâ vivificatur, qui verè justificatur, et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, et Scripturis minimè congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, et gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.

68. Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, et inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; et charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfectâ, et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.

72. Omnes omninò justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde et Job, et martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali : hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hâc vitâ, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces.* Unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur præceptum : *Non concupisces;* quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiù aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum : *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo.*

77. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, et institui, sine justitiâ naturali.

Nota 1°: Pii V Const. ita absolvitur. « Quas quidem « sententias strictè coram nobis examine ponderatas, « quanquàm nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, « in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus « intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, « et in pias aures offensionem immittentes, respe- « ctivè, etc., damnamus, etc. » Lacroixius, Mansius, Felicis Potest. Continuator, et alii interpunctionem sive virgulam, post verbum *possent*, et ante τὸ *in rigore* à Baianis sublatam fuisse asserunt, ut inde inferrent nullam determinatè dici posse damnatam ex iis propositionibus, sed tantùm aliquas indeterminatè, ideòque posse singulas defendi in sensu ab assertoribus intento; sed Urbanum VIII in generali Congr. an. 1644, producta ex archivio Bulla *In eminenti* à se edita anno 1641, pro damnatione illarum thesium comprobanda, ex eâdem ostendisse virgulam positam fuisse post verbum *possent*. Quidquid sit de congregatione illâ generali, quam ii auctores loquuntur, res explorata est in Constitutione S. Pii relata in editâ à Gregorio XIII quæ incipit *Provisionis nostræ*, et in illâ quam diximus ab Urbano VIII vulgatam, post verbum *possent*, reperiri virgulam. Imò addit Natalis Alexander in Hist. Eccl. sec. 15 et 16, cap. 2, art. 16. « Quod « si absque notâ interpunctionis seu virgulæ in Ponti- « ficio Pii V diplomate hæc sententia legenda esset, « sibi ipsi contradixisset sapientissimus pontifex; hoc « enim posito nonnullæ Baii propositiones, non so- « lùm *aliquo pacto*, sed simpliciter, et absolutè susti- « neri possent: siquidem fieret sensus, illas in rigore « et sensu proprio sustineri posse, quod sanè idem est « ac posse absolutè et simpliciter sustineri. Neque « Toletus omnium retractationem à Michaele Baio « pontificis nomine postulàsset, et imposuisset, si ali- « qua in rigore et proprio sensu ab auctore intento « sustineri posset, » ut idem paulò infra subnectit.

En autem Baii retractatio. « Ego Michael de Baii « cancellarius universitatis Lovaniensis agnosco et « profiteor me ex variis colloquiis, et communica- « tionibus habitis cum R. P. D. Francisco Toleto Con- « cionatore Suæ Sanctitatis, et ad hanc rem speciali- « ter misso super diversis sententiis, et propositionibus « jam et olim à SS. D N. *Pio V, fel. record.* sub data « Kal. Octob. an 1579, et nuper à Gregorio XIII ite- « rato damnatis et prohibitis: ita motum et eo per- « ductum esse, ut planè mihi habeam persuasum, « earum omnium sententiarum damnationem, atque « prohibitionem, jurè meritòque, ac nonnisi maturo « judicio, et diligentissimâ discussione præmissis, fa- « ctam, atque decretam esse. Fateor insuper, pluri- « mas ex iisdem sententiis in nonnullis libris à me « olim, et ante emanatam Sedis Apostolicæ super iis « censuram conscriptis, et in lucem editis contineri, « et defendi etiam in eo sensu, in quo reprobantur. « Denique declaro me in præsentiarum ab iis omnibus « recedere, et damnationi à S. Sede factæ acquiesce- « re, nec posthàc ullas docere, asserere, ac defendere « velle. *Actum* 24 *Maii*, etc. »

Nota 2°: Ex Suaresio Prolog. 6, c. 2, n. 14: « Gene- « ratim dici posse, has propositiones, quæ non appa- « rent ita damnabiles propter nudam doctrinam: pro- « pter acerbitatem, et audaciam, quâ Baius suas pro- « positiones adstruebat, et contrarias notabat, rejectas « esse à Pontifice saltem ut scandalosas, quia Baii illa « immodica exaggeratio scandalum generabat. » Eadem Vasquesius ait 1-2, disp. 190, c. 18, suamque assertionem testimonio comprobat duorum S. R. E. cardinalium Bellarmini et Toleti, quibus ita Baii causa et doctrina perspecta erat, ut nemo iis melius eam cognoscere potuerit; cùm prior Romæ esset dùm Bulla promulgata fuit, alter verò Baio auctor retractationis fuerit, ut supra diximus.

Accedit etiam celebris ex Prædicatorum familiâ Theologus Contensonius, qui, tom. 2, diss. 1, c. 1, sect. 1, scribit: « Adde (quod hâc vice pro omnibus à « te observari diligentissimè velim) declarâsse Pium V, « plures ex Baianis propositionibus esse veras, et ca- « tholicas, et ab Augustino totidem verbis quandoque « decerptas, eas tamen Sanctitatem Suam reprobâsse, « vel ob censuræ atrocitatem, vel ob auctoris superci- « lium, vel ob pravam earum interpretationem. » Quam ob rem non omnes Baii propositiones, sublato scandalo, censuræ in alios theologos atrocitate, aliorum contemptu, et pravâ interpretatione, in aliis auctoribus repertæ, damnari debent, vel ex ipsâ Suaresii; Vasquesiique, ac Bellarmini, et Toleti confessione. Imò nec omninò rejicienda videtur nonnullorum theologorum interpretatio, qui iis remotis, quæ diximus, propositiones aliquas ex illis aliquo pacto, et in rigore ac proprio verborum sensu ab auctoribus intento, propugnari posse tuentur; scilicet in sensu intento ab aliis catholicis auctoribus, qui easdem tradiderant, ac etiam nunc docent, sine acerbitate, ac pravâ illâ interpretatione, quâ à Baio donabantur. Et sanè, si dùm Summus Pontifex Baii propositiones in eâ constitutione proscripsit, verba illa *in rigore, etc.*, ad Baium referenda essent, non dixisset in sensu *ab assertoribus*, sed ab assertore intento, quod quidem comprobari ex eo etiam potest, quia ut Bellellius, aliique referunt, ante Bullæ promulgationem, Summo Pontifici plurimorum querelæ delatæ fuerunt, *quòd illâ damnatione non Baii errores, sed insuper plures Augustini, et aliorum nobilissimorum theologorum propositiones totidem verbis expressæ comprehenderentur:* quamobrem ne propositiones illæ in sensu catholico ab Augustino, aliisque Scholæ theologis intento decrentur proscriptæ, posita in Bullâ fuêre verba illa, *quanquàm nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* Sed cùm Pius V, suppresso Baii nomine, eas proscripserit, et cùm à Baii quoque discipulis illæ propugnarentur sententiæ, valdè mihi verisimilior videtur Natalis Alexandri interpretatio, quæ locum non haberet, si assertores ibi desi-

gnati, alii catholici auctores essent; præsertim cùm ex epist. ab eodem S. Pio V, 3 maii supradicti anni ad eumdem Baium conscriptâ, constet, ipsi Baio, ac *cæteris illarum propositionum assertoribus* silentium impositum fuisse. Ex quo constat voluisse Pontificem in illâ const. designare esse illas propositiones damnatas in sensu *ab assertoribus* istis intento. Atque hæc omnia indicanda dixi, ne ea quæ ad vindicandas à censuris scholarum orthodoxarum opiniones maximè faciunt, prætermissa viderentur.

CAPUT XVI.

De variis hominis ad ultimum finem comparati statibus, de libertate, deque Christi gratiâ. Ubi ea potissimùm declarantur, quæ ad explicanda Lutheri, Baii, Jansenii, Quesnelliique systemata, atque ad vindicandas ab omni notâ Catholicorum opiniones necessaria videntur.

Status hic sumitur pro conditione illâ, sub quâ humana natura ad suum ultimum finem juxta Providentiæ leges comparata concipitur: quo sensu ii, qui ultimum finem possident, eoque fruuntur, in statu termini; qui verò per virtutes ac bona opera ad illum pervenire contendunt, in statu viæ positi dicuntur. Dùm hominem spectamus veluti in viâ positum per quam juxta providentiæ ordinem ad finem pervenire studeat, triplicem distinguimus ipsius statum; hoc est, innocentiæ, naturæ lapsæ, et naturæ per Christi gratiam reparatæ. Status innocentiæ ille est, in quo fuit Adamus à Deo positus à doloribus, miseriis, ac morte immunis, cum eâ naturæ integritate, per quam sensus, affectusque perfectæ rationis imperio subesset, et eum originali justitiâ ac gratiâ sanctificante. Status naturæ lapsæ misera est illa Adami posterorum conditio, qui nondùm per baptismum ab originariâ, quam ex eodem Adamo trahimus, culpâ liberati sunt. Status denique naturæ reparatæ, is est, in quo sunt homines Christi gratiâ liberati et redempti. Atque ii status sunt, in quibus reverà homo aut fuit, aut nunc est. Disputari quoque solet de statibus, qui non fuêre, sed esse possunt, qui possibiles appellantur, et inquiri 1° num possibilis sit status puræ naturæ, in quo homo sine vitio, et sine gratiâ esset, subjectus tamen infirmitatibus, aliisque miseriis, quibus nunc sumus obnoxii; 2° num possibilis sit status naturæ integræ, in quo supernaturali auxilio careret homo, nec ad supremam esset beatitudinem elevatus, sed iis naturæ præsidiis donaretur, quibus immunis fieret à nostris miseriis, ac per naturales virtutes iis respondentem beatitudinem comparare sibi posset; 3° denique num possibilis sit status naturæ lapsæ, non reparandæ, in quo fuisset homo post Adæ peccatum, si Deus infinitâ suâ misericordiâ eum non liberâsset. De iis ergo statibus primùm dicendum est.

Atque à recensendis proscriptis erroribus exordior. Pelagiani initio quinti Ecclesiæ seculi negantes originale peccatum, Adamum dixêre ita fuisse à Deo conditum, ut nunc homines nascuntur sine ullo naturæ adjutorio, et sine supernæ gratiæ auxilio. Horum hæresim excitavêre iterùm sexto decimo seculo Socinani, originariam culpam negantes, ac docentes Adamum mortalem, ac iis omnibus obnoxium conditum fuisse miseriis, quibus nos premimur. Iis proximè accedunt Arminiani, qui juxta Limborchii explicationem, in Adamo nullum supernaturale donum, nullamque indebitam prærogativam agnoscunt, licet scientiâ aliquâ ei in illo statu necessariâ donatum fuisse asserant, eâque rectitudine, quâ nec inordinatè concupisceret, nec concupiscere posset; quia cùm lex tunc non esset, liberrimus voluntatis usus sine culpâ erat, et licet contra Pelagianos ac Socinianos doceant à morte futurum fuisse immunem, virtute fructûs arboris vitæ, quo in paradiso uti potuisset. Ii itaque credidêre, hominem viribus naturæ, quas in præsentiâ habet, Deo ultimo fini, ac supremo bono proportionatum esse, ac ad illius possessionem pervenire posse, et Adamum peccato suo, secluso pravo exemplo, nihil prorsùs homini nocuisse.

Contra verò Calvinus, Lutherus, Baius, Jansenianique, hominem ob Adami peccatum ità vitiatum in naturâ, ac depravatum effutiunt, et non tantùm quælibet indebita in eo prærogativa desideretur, sed etiam naturales, ac propriæ ipsius virtutes ac perfectiones, quibus ante illud peccatum Deo ita proportionatus erat, ut solis naturæ viribus cognoscere, amare, ac bono libertatis usu facilè Deum consequi potuisset. Dicam paucis, omnia concessa Adamo bona integritatis, justitiæ, innocentiæ, quibus à passionibus, infirmitate, ac morte immunis erat, et facilè virtutem sectari, sanctèque vivere poterat, naturæ fuisse proprietates, et appendices tradunt. In eo ergo cum Pelagianis, Socinianisque conveniunt, quod hominem omni bono supernaturali, ac supernâ gratiâ destitutum, initio à Deo conditum asserant, et quòd solæ ei naturæ vires ad finis consecutionem sufficerent; dissident verò, quia nunc nonnullis naturæ proprietatibus, et perfectionibus spoliatum asserunt. Ita verò Calvinum docuisse, verba hæc satis apertè declarant, quæ à Bellarmino recensentur de gratiâ primi hominis, cap. 1. *Ergo animam hominis Deus mente instruxit, quâ bonum à malo, justum ab injusto discerneret, ac quid sequendum vel fugiendum sit præeunte rationis luce videret. Huic adjunxit voluntatem, penès quam est electio. His præclaris dotibus excelluit prima hominis conditio.* Vides nullam fieri supernaturalis gratiæ mentionem, sed libertatis tantùm per peccatum amissæ, et naturalis cognitionis per istud obtenebratæ, ut ipse alibi exponit. Lutherus verò comment. in 3 Genes. caput clariùs loquitur, quia postquàm dixit, *justitiam non fuisse quoddam donum, sed fuisse verè naturalem, ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum*, subdit, *hæc tam naturalia fuêre in Adamo, quàm naturale est quòd oculi lumen recipiant.* Et infrà: *Porrò hæc probant originalem justitiam esse de naturâ hominis, eâ autem per peccatum amissâ, non mansisse integra naturalia, ut scholastici delirant.* In eamdem abiêre hæresim Baius, ejusque sectatores. Vide Baii propositiones circa gra-

tiam angelorum et primi hominis, 1, 3, 7, 9, 21, 23, 24, 27, 66, in quibus asserit angeli, primique hominis *merita* non rectè vocari *gratiam*; felicitatem quam consecuti sunt angeli, quamque perseverando assecutus esset Adam, non *gratiam*, sed *mercedem* fuisse; *merita* primi hominis *munera* fuisse creationis, ac exaltationem humanæ *naturæ* in divinæ consortium, id est, justitiam et sanctificationem, sive in filii Dei adoptionem, naturalem dicendam esse, non supra naturæ ordinem atque indebitam; naturalem itidem, sive juxta naturæ conditionem fuisse immortalitatem. Denique irridet theologos aientes Adamum supernaturalibus et gratuitis donis ac auxiliis indiguisse, ut fide, spe et caritate Deum coleret. Hæc verò cùm ita se habeant, quis non videt Baium cum Calvino, ac Luthero sensisse, hominem à Deo initio formatum cum debitis ipsius naturæ perfectionibus, eâ fuisse mente ac libertate præditum, quâ bonum, malumque discernere, sanctèque vivere, ac æternam adipisci beatitudinem potuisset, si vellet; quâve perfectè corpus ejusque motus deprehenderet, ac nutu suo facilè regeret; corpus denique habuisse, nec infirmitatibus, nec morti obnoxium. Ita sanè ipsius sententiæ declarant, atque ita expositæ illæ fuêre à celebrioribus theologis, scilicet à Bellarmino de Grat. primi hominis lib. 1, cap. 1, ab Aloysio Turriano in tract. contra Baium, cap. 1, § 1; à Vasquesio, à Suaresio proleg. 6 de Grat., c. 2, n. 5; à Ripalda, Goneto, Estio, Francisco Macedo, aliisque. Hoc verò posito, quis non videt turpiter eos errare qui censeant cum Baio sentire negantes possibilem statum puræ naturæ, quia hic propositione 55 dixerat: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur?* Nam Baius puram naturam hominis eam credidit, quæ in Adamo fuit, nunc verò non puram, sed depravatam, vitiatam, ac in naturalibus corruptam ob peccatum esse, ait, et à Deo vitiatam fieri non potuisse naturam asserit. At qui negant inter Catholicos, naturam puram à Deo creari potuisse, ex aliis principiis id eruunt, quæ non sunt improbata, ut infra ostendemus. Redeo nunc ad rem.

Neque dubitari potest quin in eâdem cum Baio hæresi fuerit Jansenius damnati illius systematis propugnator acerrimus, cùm recensendo Adamiticæ culpæ consectaria, ea doceat quæ ex pravis Baii principiis sequuntur, de quibus infra dicemus. Interim indicare sufficiat Quesnellianas illas theses, quæ eumdem errorem præ se ferunt, sunt verò 34, 35, 36, 37, in quibus declarat Adami gratiam, quæ sequela fuit creationis, debitam adhuc integræ naturæ fuisse, et humana duntaxat produxisse merita; ac discrimen designando quod inter gratiam statûs innocentiæ, atque Christi gratiam intercessit, ait, illam quemque *in propriâ personâ* recipere debuisse, hanc verò *in personâ Christi*: hanc illam sanctificando hominem in semetipso fuisse ei *proportionatam*, hanc verò nos in Christo, sanctificando, omnipotentem esse, ac Dei Unigenito Filio dignam. Quæ sanè perspicuè designare videntur, voluisse Quesnellium adstruere integritatem, ac sanctitatem, cæterasque Adami prærogativas, naturæ nondùm per culpam depravatæ inseparabilem conditionem, ac debitas proprietates fuisse. Id verò ne gratis videatur assertum, celebres nonnullos theologos indicandos censui, qui rem ita explicaverunt. Vide Jacobum Fontanum tom. 1, *Constit. Unigenitus propugnatæ*, pag. 757 et seq. *Instructionem pastoralem* editam, ac probatam post comitia cardinalium, archiepiscoporum, et episcoporum Galliarum annc 1514. Henricum cardinalem Bissi in tract. theologico adv. Quesn., etc. Gregorium Selleri S. R. E. cardinalem in principio tomi 6, aliosque Theologos.

Habes itaque hæreses contra catholica de statu innocentiæ dogmata, quæ credere nos cogunt, Adamum in illo fuisse statu positum, supernaturali gratiâ instructum, per quam in sanctitate, et justitiâ constituebatur, à morte, ac miseriis immunis, nec concupiscentiæ et passionibus subjectum, cùm affectus rationis imperio omninò subditi essent. Dùm hæc intacta maneant, nil est quod in Scholasticorum opinionibus reprehendas, quæ versantur vel circa instans, in quo fuit illi gratia collata, vel circa distinctionem originalis justitiæ à charitate, vel circa necessitatem gratiæ per se efficacis ultra sufficientem, vel circa naturam habitus supernaturalis auxilii, aliudve simile. Dùm enim statuas supernaturale auxilium, sine eo nihil agere potuisse, quod ad æternam felicitatem conferret, ac liberum sub hoc auxilio mansisse; fides nostra sarta, ac tecta servatur: sive dicas, gratiam sanctificantem habuisse, et sufficientem quâ benè agere potest, si vellet, sive auxilium efficax ultra sufficiens ad salvandam dependentiam à Deo, necessarium ei fuisse ad agendum opineris, sive putes supernam dilectionem divinitùs eidem inspiratam, ac in eo permanentem charitatem fuisse, quâ sanctus Deoque charus esset, et quâ si vellet benè agere, ac in acceptâ justitiâ perseverare potuisset, quin etiam novo auxilio adjuvaretur, sive alio modo Scholasticis etiam ignoto explices inhærentem, aut permanentem in eo sanctitatem, et justitiam, et supernum adjutorium, sine quo benè agere, ac perseverare non poterat. Idem de integritate, aliisque privilegiis dicas; nam modò rationis in affectus imperium adstruas, ac immunem illum à morte fuisse, nil vetat, quominus vel in gratiâ supernaturali, vel in naturali rectitudine vim illius imperii constituas, et quominùs unâ, vel alterâ hypothesi, quâ id contigerit ratione, demonstres; sicut liberum cuique est investigare, quo modo ab infirmitatibus, et morte futurus fuisset immunis, dùm tamen legem fatearis, quâ à moriendi necessitate liberabatur.

Pauca nunc de statu puræ naturæ dicemus, idque ex eo quòd Sporerius, sive illius supplementi auctor, aliique confidenter asserant, Baianos, Jansenianosque esse, qui hunc possibilem negent. Ii equidem possibilem negant. Sed ducti principiis superiùs à nobis expositis, quæ sunt hæreseos ab Ecclesiâ notatâ. Si ergo theologi sint qui principia illa improbent, ac aliâ viâ astruere conentur, vel Deum hominem concupiscentiæ rationi rebelli subjectum condere initio non po

tuisse, vel debuisse etiam illum supernaturali gratiâ donare, cur damnati erroris contra Apostolicæ Sedis sententiam arguuntur? Sunt verò quàm plures, qui hominem fieri potuisse, qualis nunc nascitur, negent, ac nonnulli etiam qui attentâ divinâ providentiâ, nequidem sine gratiâ condi posse propugnent. Ex iis autem nemo cum Jansenianis convenit in damnatis erroribus. Ii enim, ut vidimus, integritatem, justitiamque originalem, et sanctitatem debitas naturæ proprietates adstruebant. Contra verò Augustiniani, aliique theologi orthodoxi, hæc indebita homini esse, ac sanctitatem gratuitum donum supernaturale fatentur. Negant verò posse hominem fieri concupiscentiæ subjectum; quia hanc effectum peccati ad peccatum inclinantem et contra naturam esse hominis rationalis juxta SS. Augustinum et Thomam opinantur. Quid verò in hoc est revelationi ac definitioni Ecclesiæ contrarium.

Dicent fortassè damnatam esse Baii propositionem, quæ hominem fieri potuisse negat, sicut nunc nascitur. Sed jam dixi quo sensu hæc proscripta fuerit, ac celebriores theologi asserunt, hanc unam ex illis esse, quæ aliquo pacto defendi possunt, licet attentis Baii principiis jure meritoque proscripta in eo fuerit. Videatur Petrus Mansius *de Peccato Originali* quæst. 4, ubi plurima profert ex Augustino, Thomâ, Bonaventurâ Alensi, aliisque theologis, quæ probant concupiscentiam esse ab appetitu sensitivo distinctam, ac perversam affectionem, sive qualitatem, quæ Deum auctorem habere nequeat. Accedit etiam, quòd si ex illâ fas esset inferre, potuisse reverà Deum hominem facere qualis nunc nascitur, cùm nunc peccato nascatur infectus : ita quoque fieri potuisse oporteret, quo nihil absurdius.

Alii verò censent non solùm fieri à Deo non posse hominem concupiscentiæ subjectum, sed nec etiam supernaturali gratiâ destitutum; non quòd hæc naturæ sit debita, cùm donum sit gratuitum et supernaturale; sed quia posito homine ad imaginem Dei formato, ac amante Deum, atque in ipsum, veluti ac in ultimum finem suum tendente, illumque appetente, providentiæ ordo postulat, ut ea ipsi concedantur, quæ ad illius consecutionem sunt necessaria : et sicut alii theologi teneri Deum ex providentiæ lege asserunt ad unicuique dandum in hoc statu auxilia sufficientia Redemptoris, quibus possent homines expeditè et proximè mandata servare, quæ tamen auxilia etsi ex illâ lege debita, ad veram tamen gratiam pertinere tuentur; ista isti, quòd hominis naturam exigere asserant imaginem Dei, innatum Dei clarè videndi appetitum, et esse non possit, quin Deum amet, quem tamen nequit sine gratiâ diligere, nequidem ut naturæ auctorem, in quocumque statu ex providentiæ et justitiæ lege, homini gratiam conditoris deberi opinantur, ut mandata servare, Deum auctorem suum diligere, ac optatam beatitudinem consequi valeat.

Opinio hæc novatorum supra expositam hæresim detestatur, atque in tribus fundatur principiis, in quibus theologi pro libito disceptare salvâ fide possunt. Nam asserunt 1° hominem naturâ suâ ad imaginem Dei esse; 2° fieri non posse quin indito naturæ appetitu feratur in Deum ipsius auctorem, ac finem clarè videndum; 3° Amare non posse Deum, nequidem ut naturæ auctorem, quin supernâ gratiâ à creaturis, et supra seipsum elevetur, ac dirigatur in Deum propter se amabilem. Hæ verò opiniones sunt, quæ revelatis principiis et Ecclesiæ definitionibus non adversantur, et quæ in scholis catholicis semper apud nonnullos viguêre. Ex hujusmodi principiis eruunt Deum, condito homine rationali, vi suæ providentiæ, debere illi gratiam conferre, quâ suum auctorem diligere possit, servare mandata, et in finem suum pervenire; quâ gratiâ is, qui est naturâ servus, adoptatur, ut licitè serviat, et suum dominum colat, et jus habeat ad illam hæreditatem, sine quâ beatus esse non posset. Ubinam hæc opinio ab Ecclesiâ proscripta est? Imò Apostolica Sedes, ut improbat eos qui contrariam, quæ communior est, Pelagianismi et Manichæismi cum Jansenio insimulant, ita eos reprehendit, qui hanc Jansenianismi accusant. Atque hæc una ex illis scholæ opinionibus est, quæ à catholicis etiam Romæ sub oculis pontificis propugnantur. Mitto enim Contensonium celebrem è Dominicanâ familiâ theologum, aliosque qui, editis jam operibus, variis in locis puræ naturæ statum impossibilem tradidêre. Cardinalis Norisius, Fulgentius Belelli, et Laurentius Berti Romæ hanc propugnaverunt opinionem, ac in editis in lucem operibus asseruêre, et eamdem traditam vidi ac publicè propugnatam non solùm in scholâ Augustinianensium, sed etiam à monachis Casinensibus in monasterio S. Calixti et à viro clarissimo Antonio Francisco Vezzosi Clerico Regul. in conventu S. Andreæ de Valle. Sed hæc satis de statu innocentiæ et naturæ puræ.

Disputandum nunc est de statu naturæ lapsæ, hoc est, de miserâ illâ conditione, in quâ humanum genus ob Adami culpam nunc reperitur, spoliatum nempe naturæ indebitis donis, miseriis, quibus premimur, concupiscentiæ, potestati dæmonis. Deique indignationi subjectum, ac adamiticâ ipsâ culpâ per generationem propagatâ infectum. Orthodoxa fides docet, omnes homines ex Adamo propagatos, etiam ex fidelium parentibus ortos originali peccato infectos nasci, esse jurè æternâ felicitate privatos, filios iræ, atque vindictæ, et æternæ damnationi obnoxios. Hæreticorum nonnulli, ut Pelagiani, Sociniani et Arminiani originale peccatum negant. Lutherani verò, Calviniani ac Janseniani nimiùm illius effectus extollunt. Nam per istud liberum arbitrium omninò exstinctum prædicant, ac rationem miserè obtenebratam, depravatamque ipsam naturam. Ad Lutheranos, Calvinianosque quod spectat, præterquàm quòd peccatum originale in concupiscentiâ formaliter positum asserunt, quæ etiam in baptizatis remanet, aiunt Baptismum tegere tantùm, aut radere, non verò tollere originale peccatum et editi contra eosdem in concilio Tridentino canones palam faciunt, docuisse etiam perditum omninò Adami culpâ fuisse liberum arbitrium. In quam

hæresim abiisse quoque Baium, Jansenium, atque Quesnellium, eorum damnatæ propositiones ostendunt, ex quibus constat in homine post Adami peccatum libertatem deesse indifferentiæ, ad merendum et demerendum satis esse ut à coactione immunis sit, nec requiri ut à necessitate antecedente et inevitabili sit liber. Hinc aiunt peccare homines damnabiliter, etiam in iis quæ vitare nequeunt; indeliberatos concupiscentiæ motus esse vera peccata; impossibilia Deum jubere, ac hominibus quoque justis impossibilia esse aliqua Dei præcepta, atque iis similia, quæ clariora fient, eorum expositâ hæresi.

Omnes ergo novatores isti aiunt, Adamum per voluntarium peccatum dona naturæ debita perdidisse, et inter alia libertatem indifferentiæ, et claram cognitionem eorum quæ ad jus naturæ pertinent. Quamobrem ignorantia eorum, quæ ad naturæ legem pertinent, et agendi peccandique necessitas, atque concupiscentia rebellis, veluti voluntariæ in Adamo volitæ reputantur. Ideòque invincibilis juris naturæ ignorantia à culpâ non excusat, indeliberati concupiscentiæ motus peccata sunt contra præceptum, *Non concupisces*, et operationes omnes, quanquàm necessariæ, ut sunt opera omnia infidelium, secundùm hypothesim Jansenianam, sunt peccata, quia necessitas illa, quâ inevitabiliter fiunt, ex voluntariâ et liberâ Adami culpâ, cum quo nos quoque peccavimus, orta est, ac remanet in homine etiam postquàm per Baptismum sit originale peccatum sublatum.

Itaque homo post Adami peccatum, libertatem amisit, ac necessariè agit quæcumque operatur. Quamobrem spectari juxta Novatores hujusmodi debet, veluti agens necessarium, delectatione ad ea quæ operaturus sit, determinandum. Itaque sicuti bilanx determinatur pondere, et sicut lanx quæ majori premitur pondere necessariò inclinatur, ita necessariè in eam trahitur partem hominis voluntas, in quam major delectatio urgeat. Hæc est vera Jansenianæ hæresis imago à Luthero et Calvino delineata, sed à Baio, Jansenio, atque Quesnellio veluti aliquo velo obducta. Videant verò ii qui Augustinianos ac Thomistas Jansenismi insimulant, num jure horum de libertate hominis sententiam cum Jansenii systemate confundant? Nam ii omnes fatentur per Adami peccatum attenuatas quidem esse liberi arbitrii vires, sed manere adhuc indifferentiæ libertatem.

Sed antequàm ad aperiendum discrimen veniamus, quod inter hos novatores catholicosque theologos intercedit, observare necesse est tria alia illos statuere, quæ sunt cum recensito errore connexa: scilicet amissam cum libertate fuisse naturalis scientiæ cognitionem, castumque amorem Dei integræ naturæ debitum, ac loco istius dominantem cupiditatem successisse. Cùm verò in homine necessitas, ignorantia legis, et vitiosa cupiditas ob peccatum insint liberè in Adamo commissum, asserere non verentur, ad peccatum et demeritum agendi necessitatem non obesse, sed libertatem sufficere liberè in Adamo amissam, eamdemque ob causam peccata esse, quæ ex ignorantiâ etiam invincibili contra naturæ legem fiunt, atque dominantis concupiscentiæ motus. Hæc basis est Janseniani systematis. Ut verò pessimas, quæ inde nascuntur consecutiones, intelligere valeamus, duo illi amores, sive duæ illæ delectationes exponendæ sunt, quibus veluti pondere necessariò flectitur, agiturque voluntas. Sunt ii duo amores, amor mundi, qui vitiosa cupiditas, ac terrena quoque delectatio dicitur, et amor Dei, sive charitas à Deo inspirata. Nullam in homine actionem esse contendunt, quæ aut ex vitiosâ illâ cupiditate, aut ex charitate perfectâ non oriatur. Quamobrem, quæ ex charitate non sunt, ea omnia ex cupiditate, ideòque vera peccata esse prædicant. Hinc omnia opera infidelium et peccatorum, cùm ex charitate non sint, veluti ex vitiatâ radice prodeuntia infecta esse atque peccata aiunt. Hinc vel ipse timor gehennæ, quo peccator ad conversionem disponitur, et actus reliqui, qui à charitate non oriantur, cujusque generis sint, vera peccata esse definiunt. Hâc de causâ, liberum arbitrium sine sanctificante gratiâ nihil nisi peccatum operari posse, atque gratiam omnem extra dominantem charitatem, etiam sufficientem, excludunt. Hæc indicâsse sufficiat, ut inde concludere clarè possint toto cœlo Thomistarum, Augustinianensium aliorumque theologorum opiniones ab horum novatorum erroribus dissidere. Nam ut incipiam à libero arbitrio.

Quis horum est qui Adami peccato exstinctum asserat? Numquid illud perimit gratia efficax? At hæc infirmo et attenuato arbitrio à Deo datur, ut illud roboret, adjuvet, perficiat, modo tamen ejusdem indoli consentaneo, libero scilicet, cùm libera sit illius indoles. Gratia enim efficax quæ lapsis hominibus datur, medicinalis est, neque præsumi potest, peritum medicum, cognito ægroti morbo, medicinam porrigere, quæ illum occidat. Quis ergo credat Deum divinum medicum, cui arbitrii infirmitas cognita est, congruam medicinam non porrigere? Si Adami peccatum non exstinxit arbitrium, numquid medicina divina illud interficiet? *Si non occiditur per vulnerantem*, inquit Prosper, *numquid per medentem?* Quòd medicus gravi infirmitati naturâ suâ efficax remedium porrigat, ideòne ægroti natura detrimentum accipiet? Paucis dicam, efficax gratia ratio est Dei omnipotentis, qui non tollere, sed roborare, juvare, perficere vult libertatem; ergo perficit, non minuit, non exstinguit: alioquin effectus infinitæ causæ virtuti non responderet. Dices: Intellectu difficile est, quâ ratione id cum arbitrio concilietur. At mysterium est, ut ait Augustinus, quid ergo mirum?

Hæc verò non ad Thomistas tantùm, sed etiam ad Augustinianos pertinent. Si enim medicinalis efficax gratia à Deo ad perficiendum libertatis usum destinata est, sive hæc præmotio dicatur, sive divina inspiratio, sive dilectio, sive delectatio prævia ac victrix, semper Dei actio est, atque effectum parit, quem Deus vult. Quid, si dicant moralem necessitatem afferre præviam prædominantem delectationem? Quis unquam hanc proscripsit opinionem? Sed ut os obstruatur in-

peritis nonnullis, quibus Sorbonicus ille Turnellius imposuit, dùm asseruit delectationem superiorem, seu relativè victricem basim constituere Janseniani systematis, paulò fusiùs rem agam. Opinio hæc damnata jam Jansenianâ hæresi propugnata fuit à Basilio Pontio, Augustino Burgensi, Mansio, Macedo, Haberto, cardinali Laurææa, cardinali Norisio, aliisque et Romæ sub oculis pontificis summi tradita et propugnata fuit ab Augustinianis et monachis Casinensibus, ac asserta, et typis tradita à Laurentio Berti, aliisque. Numquid passa id fuisset Apostolica Sedes, cujus judicio Jansenïana hæresis damnata fuit, si res ita se haberet, ut Turnellius asserit? Imò pluries hæc doctrina expensa fuit, ac post illius examen, Norisius cardinalis renuntiatus fuit, ac Berti laudatus. Sed an non Moliniani ipsi propugnant gratiam relativam, comparatam malitiæ gradibus, quæque respectu Syriorum est efficax seu victrix, et respectu Corozaitarum inefficax est? Numquid hæc à Jansenianis differt, quia gratiam, non verò inspirationem, lumen cœleste, sanctam delectationem vocant? At hìc non est de nominis appellatione contentio. Itaque cùm jam sit notum, Jansenium exstinctum asserere arbitrium per peccatum Adami, jam patet fundamentum systematis : ac delectatio illa victrix in Jansenio non potest libertatem, quæ non est, tollere, sed naturam necessariò operantem flectere debet; ut ab aliis verò usurpata, juvat, fovet, perficit que libertatem, ut alia quæcumque efficax gratia.

Dissident præterea Thomistæ, Augustiniani, aliique ab istis novatoribus : quia isti præter dominantem charitatem, nullam aliam gratiam agnoscunt, ac sufficientem damnant. Contra verò Thomistæ sufficientem adstruunt, quæ verè potentiam perficit, ac dat posse operari, atque hanc ab efficaci diversam statuunt, concessamque asserunt, non prædestinatis tantùm, sed Catholicis, hæreticis, ac etiam infidelibus, licet nonnulli eorum cum aliis Catholicis sentiant, non dari parvulis decedentibus in utero matris, ac obcæcatis nonnullis peccatoribus, et infidelibus; quâ in re consentientes quoque habent Augustinianos, qui gratiam sufficientem, usurpatâ ab Augustino phrasi, etiam parvam vocare solent, quod concupiscentiæ conatus non vincat : differunt verò isti à Thomistis, quia sine novo auxilio, hanc satis esse aiunt ad orandum, si homo velit, ut gratiam uberiorem ad vincendum aptam obtineat.

Aliud est Augustinianæ doctrinæ caput, quod cum damnatis erroribus aliqui imperiti confundunt, quod scilicet, ii doceant hominem teneri ad actiones suas humanas in Deum ultimum finem dirigendas, nec posse eas ita in Deum referre sine gratiâ. At à Jansenianis Baianisque hæc opinio longè diversa est, cùm Augustiniani dicant tantùm vel actu, vel virtute in Deum referendas; cùm adstruant, præstò esse infidelibus et peccatoribus, etiam saltem non obcæcatis, gratiam, quâ ita actiones dirigant suas; cùm fateantur non ita esse mentem ab originali culpâ depravatam, ut motus aliquos bonos naturâ suâ habere non possit, ac non habeat, et ut gratiâ destituta necessariò ad peccandum trahatur. Nam beatitudinis amor, qui in naturâ est, bonus est naturæ motus, et si qui sint actus, qui ad Deum non referuntur, juxta Augustinianos, non sunt mali, ac lethalia peccata, quæ ab infectâ dominante cupiditate inficiantur; sed mali tantùm dici possunt ob defectum rectæ ordinationis, ac ferè semper culpa venialis ac levissima sunt. Rursùm gehennæ metum in pœnitente bonum ac salutarem fatentur, ac novatores hâc in re validissimè confutant, licet asserant esse præterea ad justificationem obtinendam necessariam initialem charitatem, quâ et Deum pœnitens diligere incipiat, et sese à creaturâ avertere, atque convertere ad Creatorem. Hanc opinionem censurâ notari posse vetuit Apostolica Sedes, ut videre est in notis adjectis theologiæ P. Antoine ex Benedicti XIV doctrinâ. Vides ergo quàm latè distent Catholicorum opiniones à damnatis sententiis.

Sed unum adhuc monendum superest, scilicet, notandos non esse Catholicos, qui salvâ fide, quâ credimus hominem justificari per gratiam eidem inhærentem, gratiam ei necessariam esse ad benè agendum etiam ad initium fidei, eamque iis conferri omnibus quos supra diximus, atque hanc arbitrii libertatem juvare et roborare, non adimere, diverso à recepto in Scholis modo supernaturalium donorum et gratiæ interioris naturam explicent. Nam id philosophi potiùs modum declarantis, quo actiones nostræ fiant, habitusque in animâ insint, munus est, quàm theologi revelationem unicè proponentis atque consecutiones ex eâ deducentis. Quis ergo reprehendat illos, qui sanctificari animam per charitatem asserant, et charitatem esse vel Dei in nobis permanentem actionem, vel inspiratam divinitùs dilectionem, quæ naturam elevet, elevatam ad Deum amandum, ejusque amore agendum inclinet, adjuvetque etiam ut verè actu diligatur Deus, vel Dei amore quidquam agatur? Si hæc salvâ libertate fiant, quid est, quod damnari possit, præsertim cùm aliæ etiam divinæ in homine gratiæ operationes juxta definitam ab Ecclesiâ doctrinam explicentur? Dùm necessitas gratiæ salvatur ad initium fidei, ad sanctitatem, ad credendum, sperandum, agendumque ut oportet, libertas unà cum gratiâ operante, et mysterium in conciliandâ gratiâ cum libero arbitrio, salva fides, ac Ecclesiæ doctrina est.

CAPUT XVII.

Decretum *SS. D. N. Alexandri VII, Feriâ V, die 30 Januarii* 1659.

« In congregatione generali S. Romanæ et universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram sanctissimo Domino Nostro Domino Alexandro divinâ providentiâ Papâ VII, ac Eminentiss. et Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus in universâ Republicâ Christianâ contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

« Cùm nuper à Regularibus Mendicantibus diœcesis Andegaven. judicio Sedis Apostolicæ (ad quam duntaxat controversias fidei ac morum universalis Ecclesiæ pertinet definire) infra insertæ propositiones fuo-

rint oblatæ, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Alexandri divinâ providentiâ Papæ VII, plurium theologorum et canonistarum à Sanctitate Suâ ad id specialiter deputatorum examini sunt commissæ, quo peracto, et relatâ Sanctitati Suæ unanimi eorumdem theologorum atque canonistarum censurâ, idem Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum et Reverendissimorum DD. Cardinalium, Generalium Inquisitorum, easdem propositiones, prout infra qualificatas, auctoritate Apostolicâ, declaravit, declaratas decrevit, et tales ab omnibus haberi præcepit. »

1. Concil. Trid. non obligat Regulares in Gallià ad obtinendas approbationes ab episcopis, ut Secularium confessiones audire possint, neque ex illius concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt, cùm in Gallià receptum non sit, præterquàm in decisionibus fidei, neque etiam Bulla Pii IV, pro confirmatione illius concilii promulgata.

Est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim et schisma inducens, sacro Concilio Tridentino, et Sedi Apostolicæ injuriosa.

2. Ubi Concil. Trid. est receptum, non possunt episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ullà ex causâ revocare. Quinimò Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; et si ab episcopis Religiosi non probentur, rejectio illa tantùmdem valet, ac si approbatio concessa fuisset.

Complexè accepta est falsa, temeraria, scandalosa et erronea.

3. Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno episcopo ad confessiones audiendas in suâ diœcesi, habentur pro approbatis in aliis diœcesibus, nec novâ episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi à peccatis episcopo reservatis, etiamsi ab episcopo auctoritas ipsis indulta non fuerit.

Quoad primam partem est falsa, et saluti animarum perniciosa. Quoad secundam partem est falsa, auctoritati episcoporum et Sedis Apostolicæ injuriosa.

4. Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in Catechesibus annuntiantur et docentur.

Quoad primam et secundam partem simpliciter accepta, est erronea et temeraria : suppositis verò privilegiis apostolicis, nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei servetur dispositio sacri Concilii Tridentini.

5. Talem legem in hâc materiâ nec episcopi, nec concilia Provinciarum vel Nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut ecclesiasticis censuris mulctare possunt.

Suppositis itidem privilegiis apostolicis, nullam meretur censuram; verùm ista non est prædicanda, nec publicè docenda, prout nec præcedens quarta.

6. Regulares mendicantes petere possunt licitè à judicibus secularibus, ut injungant episcopis, quatenùs ipsis mandata concedant ad prædicandum in Adventu, et Quadragesimâ : quod si renuant facere episcopi, decretum judicum secularium tantùmdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset.

Est falsa, erronea, et in hæresim ac schisma inducens.

« Hanc ergo qualificationem, et declarationem à cunctis tenendam, sequendam; et in praxi observandam esse, Sanctitas Sua declaravit et mandavit sub pœnis contra schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de hæresi suspectos respectivè impositis, contrariis quibuscumque non obstantibus, etc. »

Nota. Adeò clara est affixa sex supra recensitis propositionibus censura, ut explicatione nostrà non egeat. Vide tamen, si placet, apud Auctorem earumdem refutationem.

CAPUT XVIII.

DECRETUM *alterum ejusdem Pontificis, die* 24 *septembris* 1665.

« Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas, et animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterùm suscitari, partim noviter prodire ac summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab evangelicâ simplicitate, sanctorum Patrum doctrinâ, et quem si pro rectâ regulâ fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquàm tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verùs perverti contingeret, idem sanctissimus D. N. ut oves sibi traditas ab ejusmodi spatiosâ latâque, per quam itur ad perditionem, viâ, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in sacrâ theologiâ magistris, et deinde eminentissimis et reverendissimis DD. cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus seriò commisit : qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulò incumbentes, et maturè discussis usque ad hanc diem infra scriptis propositionibus, super unâquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ sigillatim exposuerunt. »

1. Homo nullo unquàm vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

De eâdem sic Clerus Gallicanus in suâ censurâ, an no 1700, 4 sept.: « Hæc propositio est scandalosa, in « praxi perniciosa, erronea, fidei et Evangelii obli- « vionem inducit. »

Repugnat S. Th. 2-2, q. 44, art. 2, ad 1, ubi sic *Dantur præcepta de actibus virtutum;* atqui præcepta hæc specialia sunt, et specialiter obligant. Eadem

enim est omnium virtutum theologicarum ratio : atqui ex eodem S. Th. 1-2, q. 100, art. 10, *actus charitatis cadit sub præceptum legis, quod de hoc specialiter datur ;* ergo.

Et verò fides specialiter præcipitur, Hebr. 11, his verbis : *Accedentem ad Deum credere oportet, quia est;* et Joan. 1 : *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus.* Spes præcipitur, Ps. 4 : *Sperate in Domino ;* charitas, Matth. 22 : *Diliges Dominum Deum tuum,* et alibi toties, ut lex tota ad præceptum charitatis quodammodò revocari videatur ; ergo tenetur fidelis ad actus virtutum theologicarum non solùm per accidens, puta cùm eos elici necesse est, ut videtur grave aliquod peccatum, quod nemo unus negavit, sed per se, et ex vi specialis præcepti. Vide auctorem *de Fide* q. 4, resp. 2, *de Spe* q. 11, et *de Charitate* cap. 11, art. 1, q. 1.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

Censura Cleri Gallicani : « Doctrina hâc propositione contenta falsa est, scandalosa, contraria juri « divino, et humano tam ecclesiastico quàm civili, « imò et naturali. »

Repugnat concilio Tridentino quòd *detestabilem duellorum usum fabricante diabolo introductum esse declarat.* sess. 25, c. 19. Quæ sanè declaratio vix quidquam prodesse potest, si duellum ad evitandam timiditatis notam acceptare liceat, quia semper notam hanc verebuntur homines mundani ; est ergo falsa hæc propositio, occasionem præ se fert ruinæ spiritualis proximi, cùm duella foveat, divinæ legi opponitur, quæ occisionem vetat, et etiam naturali, quæ docet ob inanem mundi gloriam non esse exponendam animam certo æternæ salutis periculo, ac ob vanum timorem, vitam, cujus Dominus est Deus, exponi certo periculo non posse.

3. Sententia asserens, Bullam *Cœnæ* solùm prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in quâ de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 28 Julii in consistorio Sacræ Congregationis eminentissimorum cardinalium visa et tolerata est.

Patet ex hujus propositionis censurâ quid faciendum in praxi. In hâc enim materiâ, aliisque similibus merè positivis, sufficit pro omni expositione declaratio S. Sedis explicantis constitutiones suas. Vide in tractatu *de Censuris* (p. 153) notam à nobis adjectam, in quâ hujus propositionis mentio fit, ejusque sensus exponitur.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque seculares ab hæresi occultâ, et ab excommunicatione propter eam incursâ.

Repugnat D. Thomæ, qui in supplem. q. 20, art. 2, *Potestas Ordinis*, ait, quantùm est ad se, extendit se ad omnia peccata remittenda : *Sed, quia ad usum hujusmodi potestatis requiritur jurisdictio, quæ à majoribus in inferiores descendit, ideò potest Superior aliqua sibi reservare, in quibus inferiori judicium non committat.* Et iterùm : *Quandoque est consuetudo in aliquo episcopatu, quòd enormia crimina ad terrorem reserventur episcopo :* Ergo prælati regulares, absque superiorum ecclesiasticorum consensu, à censuris reservatis absolvere non possunt. Porrò potestas absolvendi ab hæresi etiam occultâ, nedùm seculares, sed etiam subditos suos, jam non competit Regularibus, prout declaravit S. Congregatio an. 1628, de quo consule Dominicum Vivam in examine hujus propositionis. Vide etiam quæ dixi *de Obligationibus*, et in notâ adjectâ quæst. 7, cap. 3 *de Fide*, ubi ostendi hanc facultatem sublatam etiam esse episcopis per Bullam *Cœnæ*.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non tenebris denuntiare, si probare non possis.

Repugnat D. Thomæ 2-2, q. 37, art. 7, in corp.: *Quædam peccata*, ait S. doctor, *occulta sunt quæ sunt in nocumentum proximorum, vel corporale vel spirituale, puta si aliquis occultè tractet, quomodò civitas tradatur hostibus, vel si hæreticus privatim homines à fide avertat,* ut avertere solet id hominum genus, quorum sermo ut cancer serpit : *Et quia ille, qui sic occultè peccat, non solùm in se peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur.* Tunc autem non requiret discretus judex, ut probes, sed ut criminis indicia declares, et exponas. Vide, quæ dicta sunt ab auctore *de Correctione fraternâ*, q. 111, n. 2.

6. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in quâ ad venerem incitat, non censetur sollicitâsse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.

Hæc propositio puerili distinctione denuntiandi necessitatem eludit : nam cùm Apostolica Sedes veluti hæreseos suspectos denuntiandos jusserit confessarios qui loco medicinæ venenum pœnitentibus præbent, eos provocando ad turpia, vel in confessione vel immediatè antea vel post, aut occasione confessionis, manifestum est eos quoque denuntiati voluisse, qui per chartam, domi legendam, ad turpia sollicitaverint. Vide nostram *Appendicem de Sollicitatione.*

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere ab onere denuntiandi.

Eadem est ratio propositionis hujus quæ præcedentis ; an enim sollicitans, qui sollicitati confessionem excipit, potest eum eximere à lege eidem per superiores legitimos impositâ ? Mera igitur sunt hæc subterfugia ad eludendas superiorum leges.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eâdem missâ licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

In hâc propositione auri sacra fames omnibus Christianis, præcipuèque verò sacerdotibus severè interdicta repugnat. Veritas censuræ hinc patet, quòd Ecclesia, quæ ut continuò et indefessè loquitur doctor Angelicus errare non potest, non patiatur, ut sacerdos

de specialissimâ sacrificii parte pro nutu disponere, eamque à se pro nummis ablegare possit. Cùm ex ejusdem Ecclesiæ præcepto pro se missam offerre debeat, ut patet ex his offertorii verbis : *pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis.* Præiverat Apostolus Hebr. 7, ubi docet sacerdotes *necessitatem habere, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.*

9. Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missæ celebrandæ tradantur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.

Hæc propositio titulo duplici reprobanda est, 1° quia justitiam lædit. Quo enim titulo sacerdotes collato alteri minori stipendio alteram stipendii partem sibi retinent? 2° quia negotiationem importat clericis in materiâ etiam profanâ, et à fortiori in materiâ sacrâ prohibitam, prout docet S. Thomas 2-2, quæst. 77, art. 4, ad 3. Hinc colligunt Viva, et alii accuratiores, eum qui per alium celebrat, teneri ex justitiâ ad ferendum eidem stipendii excessum, quem penès se, et nullo ex titulo servaverat. Vide censuram à Benedicto XIV in eos latam, qui mercimonia exercent missarum.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmatâ, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

Hæc propositio repugnat his D. Thomæ verbis in supplem. quæst. 73, art. 13 : *Suffragium missæ distributum in multos minùs prodest singulis, quàm prodesset si fieret pro uno tantùm ;* repugnat etiam rationi, quia quidquid sit de participatione unius ejusdemque sacrificii in plures distributi, certè stipendium non datur sacerdoti tanquàm pretium fructûs sacrificii; sed tanquàm aliud à lege, vel consuetudine statutum ad ministri sustentationem ; porrò nulla lex permisit unquàm plura pro uno sacrificio recipi stipendia, sed id omni, et quocumque tempore in Ecclesiâ Christi inviolatè prohibitum est, et multò magis cùm intervenit promissio contraria juramento confirmata.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

Censura Cleri Gallic.:« Hæc propositio est temera-
« ria, erronea, et confessionis integritati derogat. »

Repugnat expressissimis D. Thomæ verbis in supplem. quæst. 10, art. 5, ad 3 : *Aliquis tenetur iterùm confiteri, cùm ad memoriam peccatorum venerit, sicut pauper* (q. 2, art. 3, ad 2) *qui non potest solvere quod debet, tenetur cùm primò potest.* Quid efficacius ad perimendum hujus propositionis errorem? Et verò, ait Viva, se habet secundùm quid ad secundùm quid, sicut se habet simpliciter ad simpliciter; ergo sicut qui nullatenùs peccata deposuit, eadem, licet per sinceram contritionem sibi dimissa, deponere tenetur quamprimùm potest; ita et ea quis deponere tenetur, quæ sibi è memoriâ exciderant, et deinceps animo occurrunt. Vide auctorem art. 2 *de confessione*, quæst. 8.

12. Mendicantes possunt absolvere à casibus episcopis reservatis, non obtentâ ad id episcoporum facultate.

Censura Cleri Gallicani : « Doctrina hâc proposi-
« tione contenta falsa est, temeraria, scandalosa, er-
« ronea, in hæresim et schisma inducens, concilio
« Tridentino contraria, ecclesiasticæ hierarchiæ de-
« structiva, invalidis confessionibus viam aperit, jam
« olim à summis pontificibus. et à Clero Gallic. dam-
« nata. » Pluries à Romanis pontificibus hæc propositio proscripta fuit. Hanc enim non competere Regularibus facultatem declaravit Sac. Congr. concilii 10 septembris 1572, approbante Gregorio XIII, congr. episcoporum et Regularium die 9 januarii 1601, approbante Clemente VIII, ac deinceps 7 januarii 1617, approbante Paulo V, quod et præstitit etiam sub Urbano VIII. Quamobrem Alexander VII istam propositionem proscripsit, et Clemens X, Const. incipien. *Superni magni*, non solùm denuò definivit, per *Mare magnum*, aliave privilegia, nulli Regularium cujuscumque ordinis, instituti, seu societatis, etiam Jesu, factam esse potestatem absolvendi à casibus episcopo reservatis, sed insuper sancivit *habentes facultatem absolvendi à casibus omnibus sedi Apostolicæ reservatis, non ideò à casibus episcopo reservatis absolvere posse.*

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ propositionis præcedentis. Vide auctorem nostrum *de Pœnitentiâ*, cap. 3, art. 1, q. 3.

14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satis facit præcepto Ecclesiæ.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio temeraria
« est, erronea, sacrilegio favet, et præceptis Ecclesiæ
« illudit. »

Repugnat rationi, quæ satis docet non magis impleri præceptum confessionis per confessionem voluntariè nullam, quàm præceptum restitutionis per exhibitionem monetæ falsæ. Repugnat etiam S. Thomæ, secundùm quem ad pœnitentiam requiritur *ex parte ipsius, qui suscipit sacramentum... contritio, quæ est de essentiâ Sacramenti.* Quæro autem an contritio voluntariè nulla et sacrilega sit de essentiâ pœnitentiæ? Denique confessio, quam præcipit Ecclesia semel saltem in anno, non alia est, quàm à Deo præcepta; hanc enim Ecclesia fieri jubet : Deus verò confessionem jubet, quæ peccatorem cum ipso reconciliet, ideòque validam.

15. Pœnitens propriâ auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

Repugnat D. Thomæ 3 part., q. 90, art. 2 : *Requiritur ex parte pœnitentis,* ait S. doctor, *quòd recompenset secundùm arbitrium ministri Dei ; quod fit in satisfactione.* Sanè ex concilio Tridentino sess. 14, cap. 8 : *Pœnæ satisfactoriæ magnoperè à peccato revocant, et quasi fræno quodam pœnitentes coercent... medentur peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollunt ;* atque ii

effectus saltem ex præcipuâ sui parte haberi non possent, si sufficeret pœnitentiam uni impositam, per alium impleri. Quantâ inde iis præsertim, qui opum divites sunt, peccandi, et nunquàm satisfaciendi facilitas.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio est falsa, « temeraria, concilio Tridentino contraria. » Quod consulendum est, sess. 23, cap. 15, ubi decernitur : « Nullum etiam Regularem posse confessiones seculaˊ rium etiam sacerdotum, ac proinde etiam parochoˊ rum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut « beneficium parochiale habeat, aut ab episcopis idoˊ neus judicetur, et approbationem obtineat. » Et verò, ne ipsis quidem episcopis extra propriam diœcesim versantibus licet sibi in confessarium eligere sacerdotem, qui approbatus non sit, prout re diù graviter expensâ definiit Gregorius XIII, apud Vivam hìc, num. 7.

17. Est licitum religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de suâ religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel ejus religioni publicè, et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio est scandaˊ losa, erronea, Decalogo apertè repugnat, cædibus « patrocinatur, et Magistratibus, ipsique humanæ soˊ cietati certam perniciem intentat. » Hæc ipsa Cleri censura suam secum probationem trahit. Vide auctorem de *Just. et Jure*, c. 11, q. 10.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ præcedentis. Et verò, ubi apud eos, qui homicidam hanc propositionem evomuerunt, ubi, inquam, patientia christiana? Ubi illud Christi : *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos mentientes?* Ubi moderamen inculpatæ tutelæ à theologis omnibus requisitum?

19. Non peccat maritus occidens propriâ auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc proposito est erronea, « crudelitatem privatamque vindictam approbat. »

Repugnat et rationi, et auctoritati D. Thomæ 2-2, q. 64, art. 3 : *Principibus habentibus publicam auctoritatem solùm licet malefactores* (quibus sanè annumeranda est adultera, quæ juxta legem Moysis lapidanda erat) *occidere, non autem privatis personis*, qualis est maritus relativè ad vitam uxoris. *Vir enim non est judex uxoris, et ideò non potest eam interficere, sed coram judice accusare;* in supplem. quæst. 60, art. 1, ad 1, ubi quæstionem hanc ex professo versat doctor Angelicus. Præiverat Augustinus, lib. 2 de Adult. Conjug., ubi occisionem hanc vocat *rem nefariam*, et meritò, tum quia non licet quemquam inauditum damnare, cùm Deus ipse Adamum audire voluerit, dicens : *Adam, ubi es?* fortè enim innoxia est uxor, et à stupratore oppressa; tum quia si rea sit conjux, et spontè succubuerit libidini, in æternum damnabitur, quo malo nullum esse gravius potest.

20. Restitutio à Pio V imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientiâ ante sententiam declaratoriam judicis, eò quòd sit pœna.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio falsa est, « temeraria, cavillatoria, ac præceptis ecclesiasticis « illudit. »

Et verò, quia pœnæ non arbitrariæ, sed ipso naturali jure impositæ, obligant independenter à sententiâ judicis; atque restitutio ab iis facienda, qui horas omisêre, non solùm Ecclesiæ legibus, sed ipso naturali jure imposita est. Quia ipso naturæ jure constitutum est ut qui ex pacto ad aliquid faciendum tenetur sub certis conditionibus, nihil acquirat, quando iisdem conditionibus deest. Vide quæ dicta sunt ab Auctore, tract. *de Obligation.* cap. 1, q. 3.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

Repugnat D. Thomæ quodlibet 1, q. 7. art. 1 : *Præbendatûs debitum, quod debet Deo, per seipsum debet exsolvere.* Si per seipsum debet, ergo non sufficit, ut per alium. Nec nocet, quòd propositio loquatur de beneficiario studiis vacante. Neque enim officii sanctè recitati pensum, studiorum fructus retardare potest, cùm Dei benedictionem inducat. Certè si juniores beneficiarii non satis haberent intervalli, ut magnum Ecclesiæ officium recitarent, non deberent ab eo propriâ auctoritate abstinere, sed recurrere ad episcopum, qui his in casibus non dispensat absolutè, sed solius B. Virginis officii recitationem indulget.

22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Censura Cleri Gallicani : « Hæc propositio temeraria « est, scandalosa, perniciosa, erronea, et hæresim siˊ moniacam à sacrâ Scripturâ, canonibus et pontificiis « constitutionibus reprobatam, mutato tantùm nomine, « per fallaciam mentis, sive directionem intensionis « inducit. »

Repugnat primis Christianismi principiis. Certè si semel stet non vendi beneficium, quia solùm venduntur temporalia ejus emolumenta, jam ne ipse quidem Giezi simoniæ reus judicari potest. Longè aliter S. Thom. q. 100, art. 4 : *Beneficia*, inquit, *ecclesiastica, quoad fructus temporales, nullo modo vendere licet, quia eis fructibus venditis intelligitur etiam spiritualia venditioni subjici.* Vide quæ passim dicta sunt in art. *de Simoniâ*, q. 20 *resp.* 3, *etc.*

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientiâ hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

Censura Cleri Gallic. : *Doctrina hâc propositione contenta, falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, ecclesiasticorum mandatorum incuriam inducit, jejunii leges pravis artibus eludit.*

Repugnat saniorum quotquot fuerunt theologorum judicio. Apud eos enim omnes receptum est istud S. Thomæ 1-2, q. 96, art. 4 : *Leges non ecclesiasticæ solùm, sed et civiles habent vim obligandi in foro conscientiæ*, ac proinde, per se et ex naturâ, rei et secluso contemptu ; ergo peccat mortaliter, qui eas in materiâ gravi infringit. Vide quæ dicta sunt in Tract. *de Legibus et de Jejunio*.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideòque sufficit dicere in confessione se procurâsse pollutionem.

Hæc adeò horrenda sunt, ut refutatione non indigeant. Inter vitia, quæ sunt contra naturam, ait S. Thom. 2-2, q. 154, art. 12, ad 4, *infimum locum tenet peccatum immunditiæ*, seu mollitiei, *quod consistit in solâ omissione concubitûs ad alterum. Gravissimum autem est peccatum bestialitatis, quia non servatur debita species.... post hoc autem est vitium sodomiticum, cùm ibi non servetur debitus sexus*. Vide quæ dicta sunt in Tract. *de Peccatis*, q. 18, etc.

25. Qui habuit copulam cum solutâ, satisfacit confessionis præcepto, dicens : Commisi cum solutâ grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

Repugnat vel ipsi rationi, quasi verò fornicatio non sit crimen majus simplici tactu etiam mortaliter malo, quasi quoque fornicatio non pariat effectus, circa quos pœnitentem interrogari necesse est, puta, an virgo deflorata fuerit, etc. Vide quæ dixi in loco mox citato.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferendâ sententiâ in favorem unius præ alio.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio falsa est, et « perniciosa, verbo Dei contraria, et judicum corru- « ptelas inducit. »

Longè aliter D. Thomas, 2-2, q. 71, art. 4, ad 3 : *Justitia*, inquit, *non declinat in unam partem magis quàm in aliam;* ergo ubi plena est utrinque æqualitas, plenum servare debet æquilibrium, absque eo quòd statera ejus in unam potiùs quàm in alteram partem auri pondere inclinetur. In hoc ergo casu id agere debet judex, ut partes amicè conveniant, aut ut rem de quâ litigatur, ex æquo dividant inter se. Vide in Tr. *de Judicum obligationibus*.

27. Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dùm non constet rejectam esse à Sede Apostolicâ tanquàm improbabilem.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio quatenùs « silentium et tolerantiam pro Ecclesiæ, vel Sedis « Apostolicæ approbatione statuit, falsa est, scanda- « losa, saluti animarum noxia, patrocinatur pessimis « opinationibus, quæ identidem temerè obtruduntur; « atque ad evangelicam veritatem iniquis præjudiciis « opprimendam, viam parat. »

Hæc propositio ex omni parte peccat, et quidem 1° quatenùs juniorum libros, veterum placitis præponere videtur, contra id quod ait S. Cælestinus I, epist. 1 : *Desinat novitas lacessere vetustatem*. 2° Quatenùs supponit Apostolicam Sedem tacito assensu probare quidquid solemni judicio non improbat. Quasi verò vel omnia, quæ singulis diebus exsurgunt opinionum portenta singulis diebus configere possit, vel pudendas eas approbaverit, aut permiserit opiniones, quæ à Theologis primùm, deinde ab episcopis reprobatæ, tandem ab ipsis Rom. Pontificibus, crescente malo, confixæ sunt. Et verò Innocentius XI et Alexander VIII in decretis suis monent, non censendas esse approbatas alias propositiones ibi non expressas, etiamsi Sedi Apostolicæ exhibitæ sint ut damnentur. 3° Quia cùm nulla sit penè propositio tam horrenda, quæ approbatores suos non habuerit, nulla quoque erit laxitas, quam practicè sequi illicitum sit.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ullâ causâ non recipiat legem à principe promulgatam.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio seditiosa est, « Apostolicæ doctrinæ ac dictis dominicis apertè con- « tradicit. »

Et verò, Luc. 20, ait Christus : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari :* Et, Rom. 13, ait Apost. : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit..... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Vide quæ dixi in Tr. *de Legibus*, cap. 2, q. 1 et seq.

« Quibus peractis, dùm similium propositionum examini cura, et studium impenditur, interea idem Sanctissimus, re maturè consideratâ, statuit et decrevit, prædictas propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimùm tanquàm scandalosas, esse damnandas et prohibendas ; sicut eas damnat, ac prohibet : ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, et defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à quâ non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quâcumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. »

« Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac statûs, etiam speciali ; ac specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. »

CAPUT XIX.

Decretum *tertium ejusdem Alexandri VII, die 18 martii 1665.*

« Sanctissimus D. N. post latum Decretum die 24 Septembris proximè elapsi, quo viginti octo propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulò et accuratè usque ad hanc diem infra scriptis aliis, quadragesimum quintum numerum implentibus, per plu-

res in sacrâ theologiâ magistros, ac per eminentissimos et reverendissimos DD. cardinales adversùs hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia sigillatim super unâquaque ipsarum audivit. »

Propositio 29. In die jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

Censura Gallic. eadem quæ 23.

Idem etiam motivum, quia qui sæpiùs modicum quid comedendo ad notabilem quantitatem devenit, se habet ut qui sæpiùs modicum quid furando ad gravem summam pervenit; et is utique gravis tandem peccati reum se constituit. Vide quæ dicta sunt, tom. 1 *de Ecclesiastico jejunio*, *q.* 6, *resp.* 3, tom. 3, p. 169, ubi satis superque demonstratum est modicam cibi quantitatem sæpè repetitam illam nutritionem efficere, quæ mortificationi opponitur, quam Ecclesia per jejunium vult atque optat.

30. Omnes officiales, qui in republicâ corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum iejunio.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ præcedentis. Vide quæ dicta sunt in loco supra citato, quæst. 7; ibi enim ostenditur, experientiâ constare officiales illos posse sine gravi nocumento jejunare, et ab Ecclesiæ præcepto non posse homines sine gravi ratione excusari.

31. Excusantur absolutè à præcepto jejunii illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ 23.

Utramque hanc propositionem prædamnavit Angelus scholæ, 2-2, q. 147, art. 4 ad 3, his verbis : *Si immineat necessitas statim peregrinandi, et magnas dietas, vel onerosa faciendi, vel etiam multùm laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquod necessarium ad vitam spiritualem, et simul cùm hoc non possint Ecclesiæ jejunia observari, non obligatur homo ad jejunandum;* ergo à jejunio non excusantur ii, de quibus agunt prædictæ propositiones. Vide q. 7 cit. num. 6.

32. Non est evidens quòd consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesimâ obliget.

Repugnat D. Thomæ, 2-2, q. 147, art. 8 ad 3 : *In quolibet jejunio*, ait S. doctor, *interdicitur esus carnium, in jejunio autem Quadragesimali interdicuntur ova et lacticinia;* ergo evidens est ab ovis et lacticiniis per Quadragesimam esse abstinendum iis in locis, ubi huic consuetudini, ex generali, vel speciali Superiorum dispensatione derogatum non est : sicut ei quoad lacticinia in Gallià derogatum est. Quanquàm, et multæ sunt in illo regno Diœceses, in quibus modica pecuniæ summa pro lacticiniorum redemptione à singulis solvitur, ut in Diœcesi Bononiensi. Vide in cit. tract. q. 1.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit.

Propositio planè absurda; non enim magis restituuntur fructus injustè percepti per eleemosynas præcedentes, quàm bonum pauperi ereptum eidem restitutum censeatur per eleemosynas eidem vel alii cuilibet antea factas. Et verò eleemosyna de se gratuita est; quod autem gratuitò datur, justitiæ debitum non expungit.

34. In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto.

Propositio falsa, quia sola officii præscripti recitatio satisfacere potest, nisi quandoque excuset bona fides aliud pro alio recitantis; quo etiam in casu compensanda venit officiorum inæqualitas. Vide, quæ dicta sunt de *Religione*, ubi de Officio Divino, seu Horis Canonicis q. 4.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti et crastino.

Eadem quæ in præcedentibus absurditas; quasi nempe unius et integri officii recitatio, unicuique diei per Ecclesiam affixa non sit. Vide hìc uberes, sed amaros Probabilitatis fructus : certè stando in propositione 18 superiùs relatâ, poterat unusquisque practicè sequi opiniones mox adductas ante judicium Sedis Apostolicæ; sunt enim eæ omnes non in uno solùm, sed et in pluribus libris juniorum.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per concilium Tridentinum.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ 12, idem et censuræ motivum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, et revocatæ à Paulo V, hodiè sunt revalidatæ.

Ficta erat hæc revalidatio; atque, etiamsi genuina fuisset, jam non esset in vigore post censuram hujusce propositionis, quæ novam prædictarum indulgentiarum revocationem importat.

38. Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio est falsa, « perniciosa, apertè concilii Tridentini Decretum in- « vertit. »

39. Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cùm sacerdos suo tempore confitebitur.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ 38.

Æquitas censuræ propositionis utriusque ex solâ Tridentini concilii lectione manifesta est et aperta Sanè verò quis unquàm id fieri *quamprimùm* contendet, quod aliquando ad unum, vel alterum mensem protraheretur?

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris et pollutionis.

Repugnat D. Thomæ, 2-2, q. 154, art. 4 : *Oscula*, ait, *sunt peccata mortalia, secundùm quòd libidinosa sunt;* atqui oscula ob delectationem carnalem verè

sunt libidinosa; et falsum supponunt, qui ea à periculo consensûs ulterioris secludi supponunt. Quare enim placet osculum, nisi quia stimulat, et rapit cor hominis in id ad quod de se, et propriæ corruptionis pondere vergit et inclinatur.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò *Regalo*, dùm deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et aliæ famulæ nimis difficilè invenirentur.

Censura Cleri Gallic. « Hæc propositio scandalosa « est, perniciosa, hæretica, apertè repugnans præ« cepto Christi jubentis, manum, pedem, oculum « quoque dextrum scandalizantem abscindere et « projicere. »

Hæc Cleri censura suam secum probationem habet omni majorem exceptione. Vide quæ dicta sunt, ubi de occasione proximâ.

42 Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

Censura Cleri Gallic. « Hæc propositio, in quâ mu« tato tantùm mutui et usuræ nomine, licet res eò« dem recidat, per falsas venditiones, et alienationes, « simulatasque societates, aliasque ejusmodi artes, « et fraudes vis divinæ legis eluditur, doctrinam con« tinet falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi « perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scri« pto ac non scripto contrariam, jam à Clero Gallic. « reprobatam, conciliorum ac Pontificum decretis « sæpè damnatam. »

Ratio Censuræ est, quia obligatio non repetendæ sortis ad certum tempus est mutuò intrinseca. Vide quæ fusè dicta sunt in Tract. *de Contractibus*, ubi de usuris.

43. Annuum legatum pro animâ relictum non durat plusquàm per decem annos.

Existimârunt aliqui cum Soto, animas, ut aiunt, *purgantes*, ultra annos decem non torqueri: quæ cerebri feriantis imaginatio, propositionis præcedentis fundamentum erat; verùm hæc ab omnibus rejecta est: qui ergo legata in perpetuum habent, eadem in perpetuum adimplere tenentur ex justitiâ, quia pacta legitimè sancita prorsùs servari necesse est.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumaciâ cessante, cessant censuræ.

Hujus propositionis falsitas apertè patet, tum ex constanti usu Ecclesiæ, qui pœnitentes in excommunicatione fato functos, etiam post mortem absolvit, tum ex aliis, quæ dicta sunt in tract. *de Censuris*.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri usquedùm adhibitâ diligentiâ corrigantur.

Sua sunt libris prohibitis pericula; et multi sunt, qui eos legendo etiam ut id quod malum est resecent et corrigant, magno se seductionis discrimini objiciunt. Ac præterea in re tam gravi Ecclesiæ parendum est, quæ hos legere vetat, quoadusque juxta præscriptum à se modum libri vetiti corrigantur.

« Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit ac decrevit, prædictas Propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimùm tanquàm scandalosas, esse damnandas et prohibendas: sicut eas damnat ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excomunicationem, à quâ non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio, quàcumque etiam dignitate fulgente, nisi à, pro tempore existente, romano pontifice, absolvi. »

« Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis ac statûs, etiam speciali et specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. »

CAPUT XX.

Decretum *SS. D. N. Innocentii XI. die* 2 *Martii* 1679.

« Sanctissimus D. N. Innocentius papa XI, prædictus ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, et salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis, à fel. rec. Alexandro VII. prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones, partim ex diversis, vel libris, vel thesibus seu scriptis excerptas, et partim noviter adinventas, theologorum plurium examini, et deinde eminentissimis et reverendissimis DD. cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulò et accuratè sæpiùs discussis, eorumdem eminentissimorum cardinalium et theologorum votis per sanctitatem suam auditis, idem SS. D. N. re postea maturè consideratâ, statuit et decrevit pro nunc sequentes propositiones, unamquamque ipsarum, sicuti jacent, ut minimùm tanquàm scandalosas et in praxi perniciosas, esse damnandas et prohibendas, sicuti eas damnat et prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per decretum alias propositiones in ipso non expressas, et Sanctitati Suæ quomodolibet et ex quâcumque parte exhibitas vel exhibendas ullatenùs approbare. »

1. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

Censura Cleri Gallicani.: « Doctrina hâc propositione « contenta est respectivè falsa, absurda, perniciosa, « erronea, probabilitatis pessimus fructus. »

Vide quæ dicta sunt in tract. *de Conscientiâ*, ubi omni argumentorum genere probatum est nequidem probabiles esse opiniones illas quas juniores casuistæ docebant permissas et licitas esse in concursu aliarum, quæ simul et tutiores sunt et probabiliores. Sanè propositio de quâ agitur, eo etiam titulo ridicula est et absurda, quòd non attendat in dubiâ collatione

cujuscumque sacramenti grave semper reperiri periculum irreverentiæ. Immania probabilitatis consectaria, malæ arboris fructus pessimi, ex decursu magis ac magis innotescunt.

2. Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ propositionis præcedentis; idem et motivum, toties in jure canonico repetitum, quòd nempe in dubiis, et à fortiori in iis quæ sunt plus quàm dubia, qualia sunt minùs probabilia, viam debeamus eligere tutiorem. Vide insuper quæ dicta sunt, ubi de obligationibus judicum.

3. Generatim dùm probabilitate sive intrinsecâ, sive extrinsecâ quamtumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio falsa est, « temeraria, scandalosa, perniciosa, novam morum « regulam, novumque prudentiæ genus, nullo Scri- « pturarum, aut traditionis fundamento, cum magno « animarum periculo statuit. »

Eamdem in citato *de Conscientiâ* Tractatu à fundamentis subversam reperire est.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

Censura Cleri Gallicani eadem, quæ primæ Innocentii XI, et eadem censuræ ratio.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vitâ eliceret, condemnare non audemus.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio est scanda- « losa, perniciosa, piarum aurium offensiva, erronea, « impia, primum et summum mandatum irritum facit, « atque evangelicæ legis spiritum exstinguit. »

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ præcedentis.

7. Tunc solùm obligat, quandò tenemur justificari et non habemus aliam viam quâ justificari possimus.

Censura Cleri Gallicani eadem quæ præcedentium. *Præcipitur*, ait D. Th. 2-2, qu. 44, art. 5, ut *ex totâ fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligamus.* An ex totâ virtute diligit, qui semel in vitâ, aut singulis quinquenniis diligit? An censeretur filius impositam sibi à Deo de honorandis parentibus legem adimplere, si semel in vitâ, aut per quinquennium debitam patri reverentiam præstaret? Hæc quorum Turcas puderet, quomodò animis volvere ac multò magis verbis exprimere ausi sunt viri Christiani? Vide quæ dicta sunt *de Charitate.*

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

Censura Cleri Gallicani.: « Hæc propositio temera- « ria est, scandalosa, perniciosa, erronea, et ad Epi- « curi scholam ableganda. »

Repugnat D. Thomæ, 1-2, qu. 18, art. 9, sic loquenti: *Cùm rationis sit ordinare, actus à ratione deliberativâ procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali.* Porrò quis nisi Epicuri alumnus, voluptatem dixerit finem esse cibi et potûs? Vide quæ dicta sunt de virtute temperantiæ, et de necessitate omnes et singulos actus ad Deum referendi.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpâ ac defectu veniali.

Longè aliter D. Thom. in supp. qu. 4, art. 5: *Duobus solùm modis conjuges absque omni peccato conveniunt: scilicet causâ procreandæ prolis, et debiti reddendi; aliàs autem ibi est peccatum ad minùs veniale.*

10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

Censura Cleri Gallicani: « Hujus propositionis do- « ctrina scandalosa et perniciosa est, piarum aurium « offensiva, et secundo charitatis præcepto contraria, « respectivè hæretica, et omnem, vel in ipsis parenti- « bus et liberis, humanitatis sensum exstinguens. »

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ præcedentis.

Utraque propositio præceptum fraternæ charitatis directè subvertit. Certè proximum sicut nos, et post Deum diligere jubemur. Deum autem, et nosmetipsos non exterius solùm, sed et interiori ac formali actu diligere præcipimur. Unde Angelus scholæ, 2-2, qu. 25, art. 9: *Effectus*, inquit, *et signa charitatis ab interiori dilectione procedunt, et ei proportionantur.* Vide dicta, ubi de præcepto charitatis.

12. Vix in secularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

Censura Cleri Gallicani: « Hæc propositio est te- « meraria, scandalosa, perniciosa, erronea, evange- « licum de eleemosynâ præceptum pessumdat. »

Hujus censuræ veritas et æquitas per se patet, et ampliùs adhuc ex iis elucescet, quæ dicta sunt agendo de eleemosynâ in tract. *de Charitate.* Fundamentum erroneæ hujus propositionis hoc fuit, quòd liceat ditissimis, ipsisque adeò regibus servare sua ad suum, suorumque statum augendum; quo semel jacto principio, vix locupletissimi quique superfluum habebunt, cùm ambitio et effrenis cupiditas nunquàm dicant: *Satis est.* Aliter sentit S. Thom. 2-2, qu. 32, art. 5 ad 3, ubi definit moraliter peccare eum qui non dat eleemosynam ex iis, quæ sibi necessaria non sunt *secundùm præsentem statum. Nec oportet*, inquit, *quòd homo consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum*, puta sui, suorumque ad statum altiorem promotionis: *hoc enim esset cogitare de crastino.*

13. Si cum debitâ moderatione facias, potes absque peccato mortali de vitâ alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentiâ personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ 10 Innocentii XI.

Censuræ ratio est, quia ex D. Thomâ 2-2, qu. 25, art. 7, *id quod habet majorem rationem boni, est magis diligendum, et quod Deo similius.* Ergo cùm proximi vita majus sit bonum, quàm ejusdem opes, et ex parte vitæ majorem cum Deo similitudinem habeat, magis vitam ejus, quàm bona diligere debemus. Et verò proximum sicut nos diligere tenemur. Quis porrò vellet, ut alius de suâ vitâ tristaretur, et morte suâ naturali gauderet?

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura est pinguis hæreditas.

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentis, eadem et ratio censuræ.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio est falsa, « scandalosa, execranda, pietati erga parentes con- « traria, viam crudelitati et avaritiæ aperiens. »

Refellitur abundè ex iis quæ ad præcedentes propositiones dicta sunt.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundùm se.

Repugnat his D. Th. verbis 2-2, q. 62, art. 1 : *De actibus fidei dantur præcepta in lege divinâ. Dicitur enim, Eccles.* 2 : *Qui timet Deum credit illi.* Et verò, si fides non cadat sub præceptum speciale, non peccat specialiter infidelis, qui fidem sibi sufficienter propositam amplecti detrectat; quod repugnat et D. Th. 2-2, q. 10, art. 1, et constanti saniorum Theologorum judicio. Vide tr. *de Fide*, et notas ibid. adjectas.

17. Satis est actum fidei semel in vitâ elicere.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ primæ Alexandri VII, ad quam recurre.

18. Si à potestate publicâ quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, et Fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se, non damno.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio scandalosa est, præceptis evangelicis et apostolicis apertè contraria, et hæretica. »

Audiatur S. Thom. 2-2, quæst. 3, art. 2 : *Apostolus dixit ad Rom.* 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et infra : *Si aliquis interrogatus de fide* (auctoritate publicâ) *taceret, et ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide, peccaret mortaliter. In hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis.* Vide tract. *de Fide.*

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

Utriusque hujus propositionis doctrina, subtilis quidem, si non philosophicè consideretur, sed theologicè, magnoperè erronea est. Fidei enim certitudo, et firmitas non mensuratur ex motivis et rationibus, quæ ad fidem tanquàm præambula inducunt, sed ex operatione Dei, quo movente accipit humana mens : *Verbum auditur Dei, non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei,* ideòque illud eâ jam certitudine amplectitur, quæ omnem aliam seu moralem, seu naturalem excedit : ergo, qui audito Christi Evangelio ac hominibus aliquando nulla miracula patrantibus, Alcorani deinceps prædicationem audit ab hominibus, qui, ut Joannes et Mambres per præstigia illudunt, imprudenter prorsùs assensum fidei sibi propositæ datum rejicit, et repudiat. Ita fermè Martinus Steyartius, tom. 1, edit. 1736.

21. Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitiâ solùm probabili revelationis; imò cum formidine quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio scandalosa « est, perniciosa, et apostolicam fidei definitionem « evertit. »

Si vera sit hæc propositio, jam 1°, æternam salutem consequi poterit quoddam hominum genus in fide scepticum, nihil in Religione tenens certum, sed suam singulis Christianismi sectis probabilitatem inesse existimans, desperansque de assequendâ in tantis varietatibus certitudine. Longè aliter, 5, Thom. 2-2 qu. 2, art. 4 : *Actus qui est credere,* ait, *habet firmam adhæsionem.* 2° Nemo fidelis tenebitur paratus esse vitam perdere potiùs quàm deserere fidem; quis enim vitam pro notitiâ solùm probabili et erroris periculo obnoxiâ profundere teneatur? 3° Posset quis post intensos et iteratos contritionis actus credere fide supernaturali se justificatum esse, cùm ea justificatio probabiliter oriatur, ex illâ præmissâ revelatâ universali, quòd contritus gratiam consequatur; atqui consequens repugnat Trident sess. 9, cap. 9.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio in Deum re- « muneratorem, et in Christi mediatoris nomen con- « tumeliosa est, erronea, et hæretica. »

Repugnat expressè Apost. ad Hebr. 11 : *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit;* ubi non minùs requiritur explicita fides Dei remuneratoris, quàm explicita fides Dei unius; et hanc tamen nemo negat necessariam esse etiam necessitate medii. Et verò fides est basis, et fundamentum spei nostræ cùm sit *sperandarum substantia rerum,* ex eodem Apostolo. Ergo fides non in Deum simpliciter, sed in Deum, ut à quo bona cuncta sperantur, ferri debet, ac proinde habere pro objecto Deum tanquàm remuneratorem. Hinc S. Th. lect. 2, hìc : *Non solùm,* inquit, *est necessarium credere, quod Deus sit, sed quòd habeat providentiam de rebus : aliter nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso.*

23. Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ præcedentis.

Ratio censuræ hæc est, quòd *per cognitionem naturalem homo non convertitur in Deum, in quantum est justificationis causa, unde talis cognitio non sufficit ad justificationem.* Verba sunt doctoris angelici, 1-2, quæst. 113, art. 4, num. 2. Et verò, inter principium justificationis, et justificationem ipsam aliqua intercedere debet proportio; ergo cùm justificatio sit supernaturalis, necesse est ut et supernaturalis sit fides, cui illa innititur. Hinc Tridentinum, sess. 6, can. 3 : *Si quis*, inquit, *dixerit sine Spiritûs Sancti adjutorio hominem credere.... posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

Repugnat D. Thomæ 2-2, quæst. 98, art. 3, ad 2 : *Ille*, inquit, *qui jocosè* (ac proinde in quâlibet aliâ re levi) *perjurat, non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget, et ideò non excusatur à peccato mortali.* Consuetudo autem jurantes tunc demùm excusabit, ait Steyartius, ubi sup. pag. 23, cum de illâ tollendâ seriò laborabunt.

25. Cum causâ licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

Censura Cleri Gallic. « Hæc propositio est temera- « ria, scandalosa, perniciosa, bonæ fidei illudens, et « Decalogo contraria. »

Repugnat D. Thomæ 2-2, qu. 100, art. 5 : *Cùm voces*, inquit, *sint naturaliter signa intellectuum, innaturale est et indebitum, quòd aliquis voce significet id quod non habet in mente :* porrò, qui jurat sine animo jurandi, exteriùs simulat id quod reipsà et intùs non facit ; ergò verè mentitur et peccat. Vide dicta *de Juramento.*

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab eâ, in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.

Censura Cler. Gallic. : « Hæc propositio temeraria « est, scandalosa, perniciosa, illusoria, erronea, men- « daciis, fraudibus et perjuriis viam aperit, sacris « Scripturis adversatur. »

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ præcedentis.

Utraque repugnat his D. Thom. verbis, 2-2, q. 89, art. 7, ad 4 : *Debet juramentum servari secundùm sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur ; unde Isidorus dixit : Quâcumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.* Dupliciter autem reus fit, qui, *et Dei nomen in vanum assumit, et proximum dolo capit.*

Nec nocet, quòd aliquando grave proximi malum per amphibologias, et non aliter averti possit; nam, ut benè S. Thomas ibidem, q. 110, art. 3 ad 4 : *Non licet aliquâ inordinatione uti ad impediendum nocumenta, et defectus aliorum.* Quis æquivocationes nihil habere inordinati contendere ausit? Vide, quæ contra amphibologias, et mendacia dicta sunt Tract. *de Virt. Moral.* cap. IV. quæst. 11.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio scandalosa « est, perniciosa, patrocinatur humanæ ambitioni, per- « juria excusat, publicæ potestati contra Dei manda- « tum adversatur. »

Nec obstat quòd si non jures, crimen occultum fatearis, quia imputare tibi debes, quòd te eas in angustias conjeceris. Adde, quòd lex non intendit, ut occultum tuî crimen reveles, sed ut ab officio, quod malè ambiisti, et quod in Reipublicæ detrimentum exercebis, te retrahas. Unde tunc non imponitur præceptum justo rigidius, sed rationabile, et quod ad bonum publicum valdè conducit.

Confirm. quia quando superior promovendos ad ordines interrogat de natalibus, de censuris, de irregularitatibus, aut eos qui matrimonium contrahere volunt, de impedimentis; etsi nulla tunc præcesserit infamia, aut semiprobatio, datur tamen obligatio candidè respondendi, adeòque occultum dedecus manifestandi, nisi tamen velint ii à matrimonio, illi ab Ordinibus abstinere; ergo à pari in casu proposito.

29. Urgens metus gravis est causa sacramentorum administrationem simulandi.

Audiatur S. Thomas, qui pestilentem hanc doctrinam apertè damnat, 2-2, quæst. 93, art. 1 : *Mendacium*, ait ex Augustino, *maximè perniciosum est, quòd sit in his quæ ad Christianam religionem* (ac proinde, quæ ad sacramenta, potissimam christianæ religionis partem) *pertinent. Est autem mendacium, cum aliquis exterius significat contrarium veritati. Sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto ; et ideò si per cultum exteriorem aliquid falsum significatur*, ut reverà significatur, cùm simulatur administratio sacramentorum, puta cùm metu mortis datur indigno hostia non consecrata, *erit cultus perniciosus.* Hinc olim condemnati *Libellatici*, qui numeratâ pecuniâ à magistratibus ethnicis obtinebant libellos fidem facientes, ipsos Cæsarum edictis de cultu idolorum, quæ tamen non adoraverant, obsecutos fuisse. Hinc recentiùs damnati illi, qui intentionem ad Deum, aut crucem in sinu gestatam dirigentes, thus coram idolo adolebant. Probanda tamen, ait Steyaert, praxis confessariorum, qui pœnitenti, quem non absolvunt, dant benedictionem, ne apud alios suspicionem incurrat.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat

alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, ictum fustis fugiat.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio est scandalosa, erronea, mundano honori inservit, ultionem et homicidia excusat. »

Permittit quidem D. Thomas, ut is, cui mors intentatur, vim vi repellat. Verùm calumnia non est propriè vis, ut saniores quotquot fruêre theologi advertunt, aliâque, quàm percussionis viâ repelli potest, implorato scilicet magistratûs auxilio, quod si non juvet, dicendum cum prophetâ rege : *Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras.* Et verò, quis nisi mundano spiritûs refertu existimet verum, solidumque honorem tam fragilem esse, ut à quocumque nebulone colaphum, aut fustem per injuriam infligente, viro honorato injuriam hanc pro Christo patienter sus inenti, auferri possit! Vide dicta ad Tract. *de Justitiâ et Jure*, cap. II. qu. X.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio legi Dei, et ordini charitatis divinitùs instituto contraria est, perniciosa et erronea. »

32. Non solùm licitum est defendere defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere : sicut et jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ 31 præcedentis.

Horret animus eas audire propositiones, quæ ipsis etiam clericis tribuunt feralem licentiam ferro, veneno, aut alio mortis genere grassandi in eos, qui sibi quoad Beneficiorum possessionem adversantur. Benè hic Steyaert : *De viris sanguinum salva me*, Domine.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio est scandalosa, erronea, infandis homicidiis et parricidiis procurandis apta. Homicidii enim festinatio est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. »

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiù in utero est, carere animâ rationali, et tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ præcedentis.

Jungatur hæc propositio cum superiori, et manifestum erit fœtum quamdiù est in utero matris occidi posse à puellâ, mortem, vel infamiam, quæ semper imminet, pertimescente. O extremum absurditatis! De his quinque propositionibus consule, quæ dicta sunt in tract. *de Justitiâ et Jure*, cap. citato quæst. 5.

36. Permissum est furari non solùm in extremâ necessitate, sed etiam in gravi.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio, quatenùs furtum permittit in gravi necessitate, falsa est, temeraria, et reipublicæ perniciosa. »

Vide, quæ dixi in tract. *de Justitiâ*. Interim compara hanc doctrinam cum doctrinâ superiòri de occidendo fure, et omnia furibus plena habebis. Furabuntur pauperes propter necessitatem, quæ sæpè est, et sæpè judicatur gravis; occident divites ob boni sui dilapidationem, saltem quoties aureum sibi unum subripi videbunt, aut subripiendum pertimescent. Inde quæ et quanta malorum strues?

37. Famuli, et famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandum operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio falsa est, furtis viam aperit, et Famulorum fidem labefactat. »

Peccat hæc propositio, quatenùs quemlibet famulum in propriâ causâ judicem constituit. Quod si semel admittatur, nulla erit in familiis pax, nullus ordo, nulla securitas. Vide quæ dicta sunt in tract. *de Justitiâ et Jure* cap. 5, quæst. 9.

38. Non tenetur quis sub pœnâ peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

Censura Cleri Gallic. « Hæc propositio est falsa, perniciosa, et furta etiam gravia approbat. »

Repugnat rationi; qui enim grandem per modica furta summam deprædatus est, jam incipit esse detentor rei alienæ in magnâ quantitate, ac proinde peccati mortalis reus, ni summam hanc partem restituat. Vide Auct. cap. citato.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertiò, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Censura Cleri Gallic. : « Hæc propositio falsa est, temeraria, fraudibus, et dolo patrocinatur, et justitiæ regulis repugnat. »

Repugnat D. Th. 2-2, quæst. 62, art. 7. Ubi *ad restitutionem* obligatur *quicumque est causa injustæ acceptionis; id quidem*, ait S. doctor *contingit... movendo ad ipsam acceptionem, quod fit præcipiendo, consulendo, etc.* Vide quæ dicta in Tract. *Justitia et Jure* par. 11, cap. 4, q. 1 et seq.

40. Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævio inito, cum intentione lucri.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ 42 Alexandri VII. Vide tract. nostrum *de Contractibus* cap. 5, quæst. 18, ubi ex professo probatum est contractum *Mohatra* usuram esse, ex omninò injustum.

41. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, et eo titulo ab usurâ excusari.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ 42 Alexandri VII. Vide eumdem tract. cap. 2, q. 8, resp. 2.

42. Usura non est, dùm ultra sortem aliquid exigitur, tanquàm ex benevolentiâ, et gratitudine debitum, sed solùm si exigatur, tanquàm ex justitiâ debitum.

Censura Cleri Gallic. eadem, quæ 42 Alexandri VII. Censuræ hujus æquitas patebit ex eod. tract. eâdemque quæst. et resp.

43. Exinde nonnisi venìale fit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

Longè aliter S. Th. 2-2, q. 110, art. 3, ad 4. *Non est licitum mendacium officiosum dicere, ad hoc quod aliquis alium à quocumque periculo liberet*, etiam mortis; ut ex contextu evidens est. Si mendacium hujusmodi à peccato veniali non vacat, quomodò à mortali vacabit, falsi criminis exprobratio. Vide dicta superiùs, et tract. *de Virt. Moralibus*, c. 4, q. 1 et seq.

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologiâ.

Censura Cleri Gallic.: « Hujus propositionis doctrina « falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, spatiosam « calumniatoribus, et impostoribus portam aperit; et « clarè detegit, quàm nefaria placita probabilitatis no« mine inducantur. »

Adde, quòd istud Dei præceptum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, sic semper intellectum fuerit, ut graviter in materiâ gravi obligaret. Porrò gravis est materia quælibet accusatio de crimine, quod quis reipsà non perpetravit.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquàm pretium, sed duntaxat tanquàm motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut contra.

Censura Cleri Gallicani, eadem quæ 22 Alexandri VII.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis,

Censura Cleri Gallic., eadem, quæ ejusdem propositionis 22. Alexandri VII. Hæc opinionum portenta in Tract. *de Simoniâ* confutata reperies.

47. Cùm dicit concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primò videtur per hoc *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundò locutione minùs propriâ ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio concilio Tri« dentino contraria est; Ecclesiæ utilitati, ac saluti « animarum, quæ à pastorum delectu præcipuè pen« det, adversatur. »

Hujus propositionis errorem nervosè, et breviter præfocavit S. Thom. his verbis 2-2, q. 63, art. 2, ad 3: *Necesse est eligere ad beneficia meliorem, vel simpliciter, vel in ordine ad bonum commune.* Vide quæ dicta sunt, ubi *de Beneficiis*.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, et solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

Censura Cleri Gallic.: « Doctrina hâc propositione « contenta scandalosa est, perniciosa, castarum, ac « pìarum aurium offensiva, et erronea. »

Censuræ veritas, et æquitas ex se patent: *Fornicatio*, ait S. Thomas 2-2, q. 154, art. 2, *est contra bonum prolis educandæ* et ideò est *peccatum mortale;* ac proinde non ideò solùm vitiosa, quia prohibita. Certè si fornicatio nonnisi à Dei positivâ lege habeat, quod peccatum sit, gentiles, qui legem hanc nesciebant, inculpabiliter fornicati fuêre, quod repugnat Apostolo 1 Cor. 6, et Ephes. 5, ubi fornicatio inter vitia per se mala, et quæ per Christi gratiam abluenda sunt, numeratur. Sed de his prolixiùs in tract. *de Peccatis*, art. 4, q. 11, dictum est.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est: Unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

Repugnat D. Thom. q. 15, *de malo*, art. 1. Repugnat Apostolo molitiem recensenti inter ea peccata, quæ Ethnicos solam naturæ legem agnoscentes in perpetuum damnare potuerunt. Repugnat vel ipsis paganis, quos inter Martialis vir alioqui levissimus. Vide citatum caput.

50. Copula cum conjugatâ, consentiente marito, non est adulterium; ideòque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.

Censura Cleri Gallicani eadem quæ 48 Innocentii XI.

Repugnat Apostolo generatim, et indistinctè pronuntianti, Rom. 7 quòd *mulier, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Repugnat et August., quem tamen in fœditatis suæ patrocinium adducere conati sunt pseudo-Casuistæ. *Non est ita existimandum*, ait lib. 1 de Serm. Dom., c. 17, *quòd hoc femina, viro permittente, facere posse videatur, hoc enim omnium sensus excludit.* Vide dicta ad idem caput.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio scandalosa « est, perniciosa, verbis Dominicis, et Apostolicis « apertè contraria, et hæretica; quam enim dabit homo « commutationem pro animâ suâ? et digni sunt morte « non solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consen« tiunt facientibus. » Censura hæc suam secum defert probationem. Appositè S. Th. 1-2, q. 62, art. 7, ad 1: *Non solùm peccat ille qui peccatum exequitur, sed etiam, qui quocumque modo peccati causa est, vel cooperatur.* Vide quæ dicta sunt ubi *de Scandalo*.

Nota cum Steyartio tenebrosam erroneæ Casuistarum theologiæ profunditatem. Cùm audis *notabile detrimentum*, magni aliquid concipis. Cùm veneris ad

rem ipsam, nihil detegis. Potest juxta eos occidi homo? utique pro re gravi; sed quænam ea est? *regulariter aureus unus*, vel ad summum paulò plures, sed quibus nec vitam bovis in macello emas. Potest et occidi qui alterius honorem invadit; sed invadere censetur qui dat alapam ictumve fustis aut dicit: Mentiris. Potest famulus magistri libidinibus cooperari, si id faciat *metu notabilis detrimenti*. Cujusnam verò? an mortis? Non ita sanè, sed ne torvis oculis aspiciatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, et si absit contemptus.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio est scandalosa, ad violandas leges tum civiles, tum Ecclesiasticas, et Apostolicas viam aperit, ac proinde Superiorum auctoritate prohibenda. »

Vide, quæ dicta sunt in Tract. *de Legibus*, ubi abundè probatum est id quod docet S. Thom. 1-2, q. 96, art. 4. *Leges* etiam civiles, et à fortiori Ecclesiasticas *habere vim obligandi in foro conscientiæ*, et quidem graviter in materiâ gravi, et secluso quocumque contemptu.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul, à diversis celebrantibus audit.

Censura Cleri Gallicani: « Hæc propositio absurda est, scandalosa, illusoria, communique Christianorum sensui repugnat. »

Ratio est, quia plures diversorum sacrorum partes non magis sacrum unum efficiunt, quàm caput Joannis, pectus Petri, et pedes Pauli simul sint unus homo. Sanè si quatuor diversarum partes audiens, missam integram audire censeatur, qui decem aut viginti partes simul audierit, eam audisse, quidni censeatur? O miseros parentes nostros, qui hæc compendia nescierunt! Ex propositionis hujus censurâ obiter colliges cum Steyartio, eum qui missam audit à Consecratione usque ad finem, non satisfacere præcepto, si aliam posthàc audit à principio ad consecrationem.

54. Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ 20 Alexandri VII.

Idem prorsùs, ac si dixeris, qui centum debet, et nonnisi decem solvere potest, non tenetur ad decem. Nec ridiculum minùs est fundamentum assertionis, quàm assertio ipsa; ex eâ tamen inferebant recentiores Casuistæ eum qui totum, vel jejunii, vel missæ audiendæ præceptum implere nequit, ne ad eam quidem partem teneri, quàm potest; quòd si in restitutione sibi faciendâ non admisissent, cur in rebus Deo debitis tam facilè admiserunt? Vide dicta, ubi *de D. Officii recitatione*.

55. Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

Censura Cleri Gallic.: « Doctrina hâc propositione contenta temeraria est, scandalosa, erronea impietati et sacrilegio favet, et præceptis Ecclesiæ illudit. »

Repugnat concilio Lateranensi, secundùm quod: *Omnis utriusque sexûs debet reverenter ad minùs in Paschâ Eucharistiæ sacramentum suscipere*. Si *reverenter*, ergo non sacrilegè, sed cum debitâ animi præparatione. Fundamentum impiæ hujus assertionis hoc erat, et quod modus præcepti sub præceptum non cadat, et quod Ecclesia actus internos præcipere nequeat, fallit utrumque: tum quia præceptum Ecclesiæ sic impleri debet ut nihil fiat contra finem actûs præcepti, qui in communione est unio cordis cum Christo; tum quia Ecclesia cùm communionem, aliaque ejusdem generis multa præcipit, non tam præceptum condit novum, quàm determinet divinum; tum denique quia non ineptè probatur actus interiores ab Ecclesiâ præcipi posse. Vide quæ dixi in tract. *de Legibus*.

56. Frequens confessio et communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

Censura Cleri Gallic.: « Hæc propositio temeraria est, scandalosa, erronea, impia, et sacris litteris contraria. »

Audiatur vel ipsa ratio, et rationi consonans S. Thom. 3 part., q. 80, art. 4, ad 5. *Apostolus dicit* 1 ad Cor. 11. *Qui manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, id est, condemnationem. Dicit autem Glossa ibidem, quòd indignè manducat et bibit, qui in crimine est*; ergo qui in peccato mortali, si hoc Sacramentum accipiat, damnationem acquirit: atqui est in crimine et peccato, qui *gentiliter* vivit, seu qui instar Ethnici, Dei et Ecclesiæ leges nescit, suisque criminibus habenas laxat; ergo frequens ejus communio, nedùm nota est prædestinationis, sed è contrario reprobationis, et quidem æternæ damnationis prodromus.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.

Censura Cleri Gallic. « Hæc propositio est hæretica. »

Repugnat conc. Trid. sic definienti: *Si quis dixerit sine prævenientе Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Vide superiùs dicta ad propositionem 23 Innocentii XI.

58. Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

Censura Cleri Gallic.: « Doctrina hâc propositione contenta, falsa est, temeraria, in errorem inducit sacrilegiis favet, Christianæ simplicitati, ministrorum Christi judiciariæ potestati, confessionis integritati, atque ipsius Sacramenti institutioni ac fini derogat. »

Repugnat vel ipsi rationi, quæ apertè declarat medico spirituali, non secùs ac corporali jus esse, ut interrogando cognoscat, an inveteratum sit nec ne malum, quod sibi curandum proponitur. Solidè S. Thomas in supplem. q. 9, art. 2 ad 1. *Unum peccatum per se consideratum non ita demonstrat malam dispositionem peccantis... quia in unum peccatum ali-*

quis quandoque labitur ex ignorantiâ, vel infirmitate; sed multitudo peccatorum, seu eorum consuetudo, quod in idem redit in præsenti, demonstrat malitiam peccantis, vel magnam corruptionem ejusdem. Quis porrò dixerit indifferens esse confessioni, an pœnitens ex infirmitate, an ex magnâ et inveteratâ corruptione peccaverit?

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessum, ratione magni concursûs pœnitentium, qualis, v. g., potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

Censura Cleri Gallic. eadem quæ præcedentis.

Repugnat D. Thomæ, ubi supra, sic ille : *De necessitate confessionis est, quòd homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoriâ habet; quod si non faciat, tunc est confessionis simulatio.* Sed qui dimidiatè tantùm confitetur, non omnia, quæ in memoriâ habet, peccata deponit; ergo non verè, sed simulatè, et ideò invalidè confitetur. Nec obest magnus pœnitentium concursus : nemo enim ante recentiores etiam somniando cogitavit causam hanc sufficere, ut quis à confessione quantùm fieri poterit perfectâ et integrâ excusetur. Jungatur hæc propositio cum undecimâ ex iis quæ ab Alexandro VII proscriptæ sunt, et apparebit Casuistas invenisse artem vi cujus, qui flagitiosissima quæque commiserat, liber eat ab iis confitendis.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere, et proponere emendationem.

Censura Cleri Gallic. « Hæc propositio est erronea, « et ad finalem impœnitentiam ducit. »

Repugnat naturæ pœnitentiæ, quæ vetat ne confessarius quemquam absolvat, nisi prudenter judicet eum verè de peccatis dolere, et seriò dispositum esse ad *emendandum*, ut loquitur S. Thomas. *Quis autem id de eo judicet, in quo nullam emendationis spem deprehendit?* Vide quæ dicta sunt ubi de peccati occasionibus, et ubi de obligationibus confessariorum.

61. Potest aliquando absolvi qui in proximâ occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere : quinimò directè et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

Censura Cleri Gall. eadem quæ 41 Alexandri VII, idem et motivum censuræ.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

Censura Cleri Gall. eadem quæ 41 Alexandri VII.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro vel proximi.

Censura Cleri Gallicani eadem quæ 41 Alexandri VII. Circa hæc recurre ad ea quæ ab auctore dicta sunt *de Occasione proximâ.*

64. Absolutionis capax est homo, quamtùmvis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis D. N. J. C.

Censura Cleri Gall. eadem quæ 12 Innocentii XI.

Dicitur Hebr. 10, ait S. Th. 2-2, qu. 2, art 3 : *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Atqui inter mysteria quorum Fides ad placendum Deo est necessaria, primas tenet mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis, ex eodem S. doctore ibid. art. 7, et unanimi theologorum suffragio. Vide quæ dicta sunt agendo *de Fide.*

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Virulentum hoc dogma ex æquo confutavimus in loco mox allegato. Ecquis in animum sibi inducat, fidem desidem, otiosam, quæque ita non erumpit in actum, ut quasi in animo oblitteretur, ad justificationem sufficere? Hinc colliges non modò beneficio absolutionis privandum esse pœnitentem, qui Religionis mysteria primaria ignorat, sed etiam, an ignoret, ex professo esse interrogandum, si probabilem hujus ignorantiæ suspicionem, sive ex modo confitendi, seu aliter præbeat. Quia cavendum confessario, ne indignum absolvat.

« Quicumque autem cujusvis conditionis, statûs, et dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à quâ non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio, quàcumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

« Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis et statûs, etiam speciali et specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

« Tandem, ut ab injuriosis contentionibus doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, et ut paci et charitati consulatur, idem sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus, caveant ab omni censurâ et notâ, necnon à quibuscumque convicîis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognita sint, et super iisdem propositionibus judicium proferatur. »

CAPUT XXI.

Propositiones duæ de omnipotentiâ donatâ et subjectâ creaturæ, quæ, die 23 novembris ann. 1679, ab Innocentio XI damnatæ sunt ut temerariæ ad minimum et novæ.

1. Deus donat nobis omnipotentiam suam ut eâ utamur sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

2. Deus subjicit nobis suam omnipotentiam.

Si quibus probari possint prædictæ duæ theses, iis utique, qui concursum indifferentem in primo actu admittunt; et hi tamen fatentur iisdem thesibus jure

merito præfixum fuisse nigrum theta à pontifice Romano. Scilicet enim concursus Dei, qualiscumque fingatur, non est concursus subjectionis, sed dignitatis ac dominii; cùm sit concursus Dei plenissimè dominii voluntatis creatæ, et actuum liberorum. Et verò si omnipotentia voluntati creatæ subdita foret, non posset esse eadem creata libertas in manu Omnipotentiæ Divinæ, sicut non potest in manu subditorum esse voluntas Principis : porrò luce meridianâ clarius est libertatem creatam esse in manu omnipotentiæ juxta id Prov. 21 : *Cor Regis in manu Domini, quòcumque voluerit, inclinabit illud ;* et Jerem. 18 : *Sicut lutum in manu figuli, ita et vos.* Sed de his, quæ incauto exciderunt mihi, et nihil ad moralem spectant, adi Dominicum Viva, pag. 533.

CAPUT XXII.

Propositiones duæ de confessione diversis temporibus proscriptæ.

1° Scientiâ ex confessione acquisitâ uti licet, modò fiat sine directâ, aut indirectâ revelatione, et gravamine pœnitentis, nisi aliud multò majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur.

Additâ deinde explicatione, sive limitatione, quòd (propositio) sit intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusâ quâcumque revelatione, atque in casu, quo multò majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur, (Consultores Romani, die 18 Nov. 1682) dictam propositionem quatenùs admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, omninò prohibendam esse, etiam cum dictâ explicatione, vel limitatione..... mandantes etiam universis sacramenti pœnitentiæ ministris, ut ab eâ in praxim deducendâ prorsùs abstineant. Vide quæ *de Sigillo Confessionis* ab Auctore explicantur.

2° Licet per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absenti absolutionem obtinere.

Hæc propositio, die 20 Jun. an. 1602, damnata est à Clemente VIII, Bullâ 87, *ad minùs uti falsa, temeraria, et scandalosa.* Vetatque idem papa sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, et sibi reservatæ, *ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, concionibus, et congressibus doceatur, neve unquàm tanquàm aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.*

Circa utramque hanc thesim plura proponi possunt scitu dignissima, ut legere est apud Vivam. Sed quia hæc fusè tractata sunt, ubi *de Pœnitentiâ*, ea omittimus in præsenti.

CAPUT XXIII.

Propositio unica ab Innocentio X damnata anno 1647, in Congregatione Generali Supremæ et Universalis inquisitionis.

1. Sanctus Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes, unicum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ catholicæ coryphæi ac supremi duces, summâ inter se unitate conjuncti; vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissimè coaluerunt; vel sunt duo Ecclesiæ summi pastores ac præsides, qui unicum caput constituunt.

Damnatur hæc propositio, ut hæretica, si illa explicetur ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, et S. Paulum sine subordinatione S. Pauli ad S. Petrum in potestate supremâ et regimine universalis Ecclesiæ.

Nota. Hæc propositio Scripturæ et universæ Patrum traditioni adversatur, ex quibus discimus Ecclesiam supra Petrum fundatam, atque hunc principem ac caput à Christo fuisse constitutum; Paulum verò extraordinariâ apostolatûs et episcopatûs potestate, Petro æqualem fuisse; sed Petrum præterea caput, principem, ac ordinarium totius Ecclesiæ pastorem fuisse, cui et Paulus et Apostoli reliqui subjiciebantur.

CAPUT XXIV.

Propositiones duæ ab Alexandro VIII damnatæ, 24 augusti 1690

1. Bonitas objectiva consistit in convenientiâ objecti cum naturâ rationali; formalis verò in conformitate actuum cum regulâ morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in suum finem ultimum interpretativè, hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.

Censura Summi Pontificis et Cleri Gallicani : « Hæc « propositio est hæretica. » Talem verò esse patebit ex iis, quæ dicta sunt agendo de præcepto charitatis. Primam hujus partem clarè perimunt hæc S. Thomæ verba, 1-2, q. 83, art. 3 ad 5 : *Cùm homo usum rationis habere incœperit... hoc est, tempus pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo ad ejusdem amorem.*

Vide etiam quæ dicta sunt in tract. *de Virtutibus theol.*, cap. 11, q. 1 et q. 3.

2. Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, et rectæ rationi. Theologicum verò et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.

Censura Summi Pontificis et Cleri Gallic. « Hæc « propositio scandalosa est, temeraria, piarum au- « rium offensiva, et erronea »

Breviter, sed nervosè S. Th. 1-2. q. 71, art. 2 ad 4 : *Ejusdem est rationis, quòd peccatum sit contra ordinem rationis humanæ, et quòd sit contra legem æternam :* ergo dari nequit peccatum, quod rationi adversetur, id est, philosophicum, quin eo ipso legi æternæ dissentiat, et quin consequenter sit theologicum. Vide quæ eam in rem scripta sunt in tract. *de Peccatis*, quæst. 2.

Hactenùs laxiorem doctrinam præeunte Sede Apostolicâ insectati sumus : rigidiorem nunc, et quæ in oppositum scopulum impingit, eâdem præeunte Sede

Apostolicâ, impugnabimus, sic tamen ut nullam affin gamus notam iis propositionibus, quæ ad dogma, non autem ad praxim pertinent, et circa quas utiliter consuletur Tractatus *de Gratiâ*.

CAPUT XXV.

CONSTITUTIO INNOCENTII XI *proscribentis octo et sexaginta Theses, quæ prætextu orationis quietis à Michaele de Molinos docebantur.*

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Ad perpetuam rei memoriam.

« Cœlestis Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variisque gentium erroribus involutum à potestate diaboli, sub quâ miserè post lapsum primi parentis tenebatur, suâ ineffabili miseratione liberaret, carnem sumere, et in ligno crucis chirographo redemptionis nostræ affixo, in testimonium suæ in nos charitatis sese hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est, mox rediturus in cœlum, Ecclesiam catholicam sponsam suam tanquàm novam civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo, non habentem rugam, neque maculam, unam sanctamque in terris relinquens, armis potentiæ suæ contra portas inferi circumvallatam, Petro apostolorum principi, et successoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipsius ore haustam, sartam tectamque custodirent, ne oves pretioso suo sanguine redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod præcipuè Beato Petro mandâsse sacræ litteræ docent : cui enim Apostolorum, nisi Petro dixit : *Pasce oves meas;* et rursùs : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* Quare Nobis, qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei Omnipotentis consilio in ejusdem Petri Cathedrâ pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut populus christianus eam sectaretur fidem, quæ à Christo Domino per Apostolos suos perpetuâ et nunquàm interruptâ traditione prædicata fuit, quamque usque ad seculi consummationem permansuram esse promisit. »

« Cùm igitur ad apostolatum nostrum relatum fuisset, quemdam Michaelem de Molinos prava dogmata tum verbo, tum scripto docuisse et in praxim deduxisse, quæ prætextu orationis quietis contra doctrinam et usum à sanctis Patribus, ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis, receptum, Fideles à verâ Religione, et à christianæ pietatis puritate in maximos errores, et turpissima quæque inducebant; nos, cui cordi semper fuit, ut fidelium animæ nobis ex alto commissæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tutò pervenire possint, legitimis præcedentibus indiciis, prædictum Michaelem de Molinos carceribus mancipari mandavimus, deinde coram Nobis et Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus apostolicâ auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in sacrâ theologiâ magistris, eorumque suffragiis tum voce tum scripto susceptis maturèque perpensis, imploratâ etiam Sancti Spiritûs assistentiâ, cum prædictorum Fratrum nostrorum unanimi voce ad damnationem infra scriptarum Propositionum ejusdem Michaelis de Molinos à quo fuerunt pro suis recognitæ, et de quibus propositionibus tanquàm à se dictatis, scriptis, communicatis, et creditis ipse convictus et respectivè confessu fuerat, ut latiùs in processu, et decreto de mandato nostro lato, die 24 Augusti præsentis anni 1687, devenire ut infra decrevimus. »

Propositiones.

1. Oportet hominem suas potentias annihilare. Et hæc est via interna.

2. Velle operari activè, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens; et ideò opus est seipsum n Deo totum et totaliter derelinquere, et postea permanere, velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, et veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, et ad ipsum principium redit, et ad suam originem, quæ est essentia Dei, in quâ transformata remanet, ac divinizata, et Deus tunc in seipso remanet; quia tunc non sunt ampliùs duæ res unitæ, sed una tantùm, et hâc ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, quâ non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio : et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo rectè proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eâdem voluntate resignata maneat, necne : nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, et in viâ internâ omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones et ad proprios defectus.

10. Si proprii defectus alios scandalizent, non est necessarium reflectere, dummodò non adsit voluntas scandalizandi; et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia quæ occurrunt, an rectè procedatur necne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nullâ re debet curam habere, nec de inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, et cura de omni re nostrâ, et relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati resignatus est, non convo-

nit, ut à Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cùm sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est velle quòd divina voluntas nostræ conformetur, et non quòd nostra divinæ. Et illud Evangelii, *petite et accipietis*, non est dictum à Christo pro animabus internis quæ nolunt habere voluntatem. Imò hujusmodi animæ eò perveniunt, ut non possint à Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent à Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit indulgentias quærere pro pœnâ propriis peccatis debitâ; quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quàm divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relictâ curâ, et cogitatione animæ nostræ, non est ampliùs habenda ratio tentationum; nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa nullâ adhibitâ industriâ; et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus et propriis conceptionibus, non adorat Deum in spiritu et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, ut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere, quòd in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, et per cogitationes, per quas Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquàm loquitur, ejus locutio est operatio; et semper in animâ operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscurâ et universali, cum quiete et oblivione cujuscumque cogitationis particularis ac distinctæ attributorum Dei ac Trinitatis, et sic in Dei præsentiâ manere ad illum adorandum, et amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia in his Deus sibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non est actus à creaturâ productus, sed est cognitio à Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, sed postea cognoscit illam se habuisse, et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum sancto Bernardo, in Scalâ Claustralium, distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, et Contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquàm ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquàm ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in quâ per totam vitam persistendum est, dummodò Deus animam non trahat, absque eo quòd ipsa id exspectet, ad contemplationem infusam; et hâc cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, et in ipso permanere absque eo quòd ampliùs redeat ad secundum, aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrunt, etiam impuræ, etiam contra Deum, sanctos, fidem et sacramenta, si voluntariè non nutriantur, nec voluntariè expellantur, sed cum indifferentiâ et resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei; imò eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, et dormiatur, nihilominùs fit oratio, et contemplatio actualis; quia oratio et resignatio idem sunt, et dùm resignatio perdurat, perdurat et oratio.

26. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, et Unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in mysticâ; cùm non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quærit Deum, sed seipsum, et malè agit, cùm eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quàm in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium bonum est: siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dùm anima interna fastidit discursus de Deo, et virtutes, et frigida remanet, nullum in seipsâ sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vitâ spirituali, est abominabile, spurcum et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro istis animabus internis) quàm permanentia in solitâ resignatione passivâ, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt, et fiunt in viâ ordinariâ. Et si hâc occasione communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei; aliàs sunt impulsus naturæ nondùm mortuæ.

33. Malè agit anima quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis et linguâ gratias agere Deo non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quòd operetur in illis, et quò magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu *Pater noster*, recitare.

35. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quòd faciant operationes, etiam virtuosas, ex propriâ electione, et activitate, aliàs non essent mortuæ; nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, sanctos, aut Humanitatem Christi; quia cùm ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec sancti sedere

debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare et possidere.

37. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supra dicto amore, et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est et infructuosum, ideòque dimittenda.

39. Sanctiora opera, et pœnitentiæ, quas peregerunt sancti, non sufficiunt ad removendam ab animâ vel unicam adhæsionem.

40. B. Virgo nullum unquàm opus exterius peregit, et tamen fuit sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, et vult ad nos humiliandos et ad veram transformationem perducendos, quòd in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigiliâ, et sine mentis offuscatione, movendo physicè illorum manus et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in iis non adest consensus.

42. Potest dari casus, quòd hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et feminæ, et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis seculis sanctos efficiebat tyrannorum ministerio, nunc verò eos efficit sanctos ministerio dæmonum, qui, causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi seipsos magis despiciant atque annihilent, et se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex dæmonis violentiâ.

45. Sanctus Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed, quod nolo, malum hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et ad eam ad veram transformationem et unionem perducendam; nec alia superest via, et hæc est via facilior et tutior.

47. Cùm hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo; et etiamsi sequantur pollutiones, et actus obscœni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est seipsum inquietari, sed foràs emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri; et sanctissimè fit, non confitendo; quia hoc pacto superatur dæmon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in viâ internâ ulteriùs progrediatur: unde ad ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentiâ dæmonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex cap. 16 Job).

50. David, Hieremias et multi ex sanctis prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacrâ Scripturâ multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, uti illud de Samsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philisthæis, conjugium iniit cum alienigenâ, et cum Dalilâ meretrice fornicatus est: quæ aliàs erant prohibita, et peccata fuissent. De Judithâ, quæ Olopherni mentita fuit. De Elisæo, qui pueris maledixit. De Eliâ, qui combussit duces cum turmis Regis Achab. An verò fuerit violentia immediatè à Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cùm hujusmodi violentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula, quam de hoc habeo, nedùm sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quòd in iis consenserint, et videre quòd sint animæ quæ proficiunt in viâ internâ; sed regulam sumo à lumine quodam actuali, cognitione humanâ ac theologicâ superiore, quod me certò cognoscere facit cum interñâ certitudine, quòd talis operatio est violentia, et certus sum quòd hoc lumen à Deo procedit, quod ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quòd à Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium; eo modo quo interdùm contingit, quòd Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quòd ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitæ ordinariæ in horâ mortis se delusos invenient, et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multâ cum sufferentiâ ad purgandas et exstinguendas omnes passiones, ita quòd nihil ampliùs sentiant, nihil, nihil; nec ullam sentiant inquietudinem, sicut corpus mortuum, nec anima se ampliùs commoveri sinit.

56. Duæ leges, et duæ cupiditates, animæ una, et amoris proprii altera, tamdiù perdurant, quamdiù perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus est et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt ampliùs illæ duæ leges, et duæ cupiditates, nec ulteriùs lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur ampliùs, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi ampliùs peccata, nec mortalia, nec venialia.

58. Ad ejusmodi statum pervenitur, non reflectendo ampliùs ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est à confessione, à confessariis et à casibus conscientiæ, à theologiâ et philosophiâ.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, et eò etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, et supplet ipse tantâ gratiâ præservante, quantam in sacramento reciperent; et ideò hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad sacramentum pœnitentiæ accedere, quia id est in illis impossibile.

61. Anima cùm ad mortem mysticam pervenit, non potest ampliùs aliud velle quàm quod Deus vult, quia non habet ampliùs voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quinimò signum, quòd quis in statu nihilitatis maneat, id est, mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent ampliùs res sensibiles, unde sint, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quòd intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quàm homo rudis ad statum contemplativi : primò quia non habet fidem adeò puram; secundò quia non est adeò humilis; tertiò quia non adeò curat propriam salutem; quartò quia caput reseratum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Præpositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiæ Religiosorum, tantummodò ad exterius pertingit; in interiore verò aliter res se habet, quia solus Deus et director intrant.

66. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesiâ Dei, quòd anima quoad internum gubernari debeat ab episcopo : quòd si episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec concilia, nec canones, nec bullæ, nec sancti, nec auctores, eam unquàm tradiderunt, nec tradere possunt, quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima jus habet eligendi quemcumque sibi benè visum.

67. Dicere quòd internum manifestandum est exteriori tribunali præpositorum, et quòd peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio; quia Ecclesia non judicat de occultis, et propriis animabus præjudicant his deceptionibus, et simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur epistolæ directoris quoad internum animæ, et ideò opus est animadvertere, quòd hoc est insultus Satanæ, etc.

« Quas quidem propositiones tanquàm hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas et eversivas, et seditiosas respectivè, hc quæcumque super iis verbo, scripto, vel typis emissa, pariter cum voto eorumdem fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, et inquisitorum generalium damnavimus, circumscripsimus et abolevimus : deque eisdem, et similibus omnibus, et singulis pò thàc quoquo modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscumque interdiximus, et contrafacientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis et officiis ipso facto perpetuò privavimus, et inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, à quo nisi à nobis et à Romanis pontificibus successoribus nostris valeant absolvi. Præterea eodem nostro decreto prohibuimus et damnavimus omnes libros, omniaque opera quocumque loco, et idiomate impressa, necnon omnia manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos;* vetuimusque ne quis cujuscumque gradûs, conditionis, vel statûs, etiam speciali notâ dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sub æqualibus, aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto aut alieno nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impressa, seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis inquisitoribus statim tradere, et consignare teneantur sub eisdem pœnis superiùs inflictis; qui ordinarii et inquisitores statim ea igni comburant, vel comburi faciant. Tandem ut prædictus *Michael de Molinos* ob hæreses, errores, et turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum, et ipsius emendationem plecteretur : lecto in eâdem nostrâ congregatione toto processu, et auditis dilectis filiis consultoribus nostræ sanctæ Inquisitionis officii, in sacrâ Theologiâ, et in jure pontificio magistris, cum eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium unanimi voto, dictum *Michaelem de Molinos*, tanquàm reum convictum et confessum respectivè, et uti hæreticum formalem, licet pœnitentem, in pœnam arcti et perpetui carceris, et ad peragendas alias pœnitentias salutares, prævià tamen abjuratione de formali per ipsum emittendâ, servato juris ordine, damnavimus; mandantes, ut die et horâ præfigendis in Ecclesiâ sanctæ Mariæ supra Minervam hujus almæ urbis, præsentibus omnibus venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, et Romanæ curiæ nostræ prælatis, universoque populo ad id etiam per concessionem indulgentiarum convocando, ex alto tenore processûs stante in suggestu eodem *Michaele de Molinos*, unà cum sententiâ inde secutâ legeretur : et postquàm idem *de Molinos* habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores et hæreses publicè abjurâsset, facultatem dedimus dilecto filio nostro Sancti Officii commissario, ut eum à censuris, quibus innodatus erat, in formâ Ecclesiæ consuetâ absolveret; quæ omnia in executionem dictæ nostræ ordinationis, die 3 septembris labentis anni, solemniter adimpleta sunt. »

« Et licet supra narratum decretum de mandato nostro latum ad majorem fidelium cautelam typis editum, publicis locis affixum et divulgatum fuerit : nihilominùs ne hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque populus Christianus catholicâ veritate instructior per

viam salutis incedere valeat; prædecessorum nostrorum, summorum pontificum vestigiis inhærentes, hâc nostrâ perpetuò valiturâ constitutione supradictum decretum denuò approbamus, confirmamus, et debitæ executioni tradi mandamus: iterùm supradictas propositiones definitivè damnantes, et reprobantes, librosque, et manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos* prohibentes, et interdicentes sub eisdem pœnis et censuris contra transgressores latis et inflictis. »

« Decernentes insuper præsentes litteras semper, et perpetuò validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, quâvis auctoritate fungentes, et functuros ubique judicari, et definiri debere, sublatâ eis, et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ac irritum, et inane quidquid secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. »

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octogesimo septimo, duodecimo kalendas decemb., Pontificatûs nostri anno duodecimo. »

En nefaria Molinos commenta, quæ dùm in Ecclesiâ S. Mariæ supra Minervam legerentur coràm confertissimâ multitudine populi, plebs effusissimis vocibus conclamabat: *Damnetur ad ignem, ad ignem.* Sed lenis Inquisitio Romana, miserum senem (qui principiis suis adhærens per annos duodecim à sacramentali confessione se abstinuerat, et cujus in scriniis reperta duodecim millia epistolarum satis indicabant, quàm latè errores suos sparsisset) addixit carceri perpetuo, ubi pœnitens obiit die 28 nov. ann. 1692.

Prædictorum errorum summa hæc est: 1° homini enitendum esse, ut facultatum suarum activitatem coërceat, adeòque quantùm ad ipsas maneat in quiete (unde commenti hujus sequacibus indictum est nomen *Quietistarum*), et sic de nullâ re curam habeat, non de inferno, non de paradiso, non de propriis defectibus, etc. Propos. 1, 2, 4, 6, 7, 8, 9, etc.

2. Abjiciendam esse tum orationem, quâ quidpiam petatur, tum quamlibet corporis mortificationem. Propos. 14, 38.

3. Id locum habere etiam, cùm quis insolitis tentationibus quatitur, et impuras quascumque carnis rebelliones experitur, quia hæ meræ sunt dæmonis violentiæ, quæ ad fornicationem usque progredi possint, et de facto pluries progressæ sint, absque ullo hominis peccato, quia absque ullo ejus consensu. Propos. 41, 42, 51, etc.

4. Obscœna hæc, si quandoque in corpore exsurgant, non esse confessario aperienda, ut quæ nequidem sint veniales culpæ, imò quæ animum in viâ internâ progredientem magis uniant Deo. Propos. 47, 48, 52, etc.

Hæc porrò eò usque fidei communique Christianorum sensui adversantur, ut nullâ indigeant confutatione. *Intelligendum est*, ait S. Thom. 1 part., quæst. 105, art. 5, *sic Deum operari in rebus, quòd tamen ipsæ res propriam habeant operationem;* et 2-2, quæst. 182, art. 3: *Vita nostra hìc dicitur operatio, cui homo principaliter intendit*: non ergo *gratiæ inimica est activitas naturalis, sed hæc cum illâ concurrere debet.*

Per jejunium, vigilias et alia hujusmodi retrahitur homo à peccatis luxuriæ, et à quibuscumque aliis peccatis, ait idem S. Thomas, 1-2, quæst. 189, art. 2. Unde Apostolus 1 Cor. 7: *Castigo corpus meum*, etc., et Rom. 8: *Si facta carnis mortificaveritis, vivetis*; non ergo *crux voluntaria mortificationum pondus est infructuosum*; etc.

Dominus, ait idem Angelus Schôlæ, 2-2, q. 83, art. 5, *docuit discipulos*, utique divinæ voluntati resignatos, determinatos, quædam *petere*, ac ea præsertim quæ *continentur in petitionibus orationis dominicæ*, ac proinde ne non succumberent tentationi; ergo non *convenit tantùm, sed et prorsùs necesse est ut is etiam qui divinæ voluntati resignatus est, à Deo rem aliquam petat.*

Cætera, quæ pudor penè prohibuit referre, prohibet confutare: perpendat quis impium Molinosi systema, statimque gnosticum hominem deprehendet, qui suos suasque ad nefaria quæque flagitia pellicere voluit, eisque omnem adimere scrupulum, veritus duntaxat, ne vel confessario, vel superiori, quisquis ille foret, infamia sua detegeretur.

CAPUT XXVI.

Decretum *alterum SS. D. N. Alexandri Papæ VIII, die 7 decemb.* 1690.

« Sanctissimus D. N. Alexander divinâ providentiâ papa VIII prædictus, pro pastorali curâ ovium à Christo Domino sibi commissâ de eorum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, et pascua nimiùm perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta propositionum examen pluribus in sacrâ Theologiâ magistris, et deinde eminentissimis ac reverendissimis DD. cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedulò ac pluries incumbentes, super unâquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim detulerunt. »

Propositiones autem sunt infra scriptæ, videlicet:

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, et demeritum sufficit illa libertas, quâ voluntarium ac

liberum fuit in causâ suâ, peccato originali, et libertate Adami peccantis.

Si res ita se haberet, prava desideria, quæ homo invitus patitur, et involuntarii concupiscentiæ motus, totidem peccata erunt: quod à Tridentinis Patribus in Calvino ac Luthero, et ab Apostolicâ Sede in Baio damnatum est. Vide tract. *de Actibus humanis*, in quo declaratur, hâc propositione basim contineri Jansenii systematis, quod statuit amissum fuisse in Adamo liberum arbitrium, Dei castum amorem, et legis naturalis cognitionem, quæ perfectiones naturæ integræ debebantur. Cùm verò harum naturalium, ut ipsi aiunt, perfectionum omissio, voluntariâ et liberâ in Adami voluptate fuerit, libertatem hanc, quam in causâ homines habuerunt, sufficere blaterant ut necessariæ ex cupiditate prodeuntes, aut involuntariæ etiam ob ignorantiam legis naturalis actiones, vera peccata formalia sint. Hæc autem et ab Ecclesiâ damnata sunt, et iis confutantur argumentis, quibus ex Scripturâ et Patribus ostenditur, manere adhuc in homine lapso liberum arbitrium, neminem peccare in eo quod vitare non possit, invincibilem ignorantiam à culpâ excusare, et naturam per originale peccatum ita depravatam non esse, ut cognitiones aliquas aliquosque motus non habeat, ac habere possit, etiam gratiâ spoliata, quæ mala non sint.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsâ non excusat à peccato formali.

Repugnat S. Thom. 1-2, qu. 76, art. 3, ubi ait: *Patet, quòd nulla ignorantia invincibilis est peccatum.* Vide quæ dicta sunt in tract. *de Actibus humanis* et *de Peccatis*.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

Hæc propositio confutata fuit tract. *de Conscientiâ*, quæst. 4, resp. 2.

4. Dedit (Christus) semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

De istâ et duabus sequentibus agunt theologi, ubi de Gratiâ; ibi enim theologi probant ac perspicuis ex Scripturâ et PP. deductis argumentis ostendunt, Christum non pro solis fidelibus, sed pro omnibus mortuum esse, ac etiam Paganos, Judæos, Hæreticosque divinæ Redemptionis beneficium experiri per interiorem mentis illustrationem, inspirationem motionemque divinæ gratiæ sufficientis. Solùm enim de obduratis et obcæcatis nonnullis, deque pueris decedentibus in utero matris, aut non valentibus ad baptismum pervenire, in scholis controvertitur nùm gratiam sufficientem recipiant.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum, adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratiâ sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciosa est, sic ut proinde meritò possimus petere: A gratiâ sufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

Falsa est hæc propositio, atque præcipuum in eâ reperitur Janseniani systematis fundamentum, stabilito tamen, deperditum esse in statu naturæ lapsæ liberum arbitrium. Hoc enim sensu propositio illa indicat omnem actionem nostram deliberatam necessariò oriri vel ab illâ vitiosâ cupiditate, quæ in homine, loco casti amoris, naturæ nondùm vitiatæ debiti, successit; vel ex gratiâ Christi, sive charitate, quâ idem homo jam necessitati agendi subjectus, instar lancis flectitur atque trahitur. En turpissima propositionis hæresis! Fides autem orthodoxa docet, præter actus à charitate prodeuntes, dari etiam supernaturales actus fidei, spei, et timoris, atque bonas nonnullas operationes in infidelibus, peccatoribus, aliisque charitate carentibus. Vide tract. *de Actionibus humanis*, et quæ à nobis cap. 16, dicta sunt.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

Falsa est hæc propositio; neque magis necesse est infidelem in omni opere peccare, quàm fidelem in omni opere sanctum esse. Vide quæ superiùs dicta sunt cap. 16.

9. Reverà peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum naturâ rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

Falsa est hæc assertio, quia non peccat qui ordinatè agit; porrò agit ordinatè, qui peccatum etiam præcisè, ut turpe est, et humanæ naturæ infensum detestatur: quia peccatum etiam ut turpe et naturæ disconveniens detestationem meretur. Ita Steyaert, tom. 1, pag. 336, qui addit detestationem, seu odium peccati respicere posse meram ejus turpitudinem sine respectu offensæ Dei, quæ eidem peccato inest; sic tamen, ut detestans ad actum illum se excitet ex aliquâ Dei dilectione, vel alio motivo, quod nullatenùs possit redargui. Quanquàm, ut notavit Viva, inde etiam peccat hæc propositio, quòd supponat peccatum ut naturæ contrarium odio haberi posse sine ullo prorsùs ad Deum respectu. Utique qui peccatum odit ut contrarium naturæ, odit illud ut prohibitum à supremo legislatore, et repugnans legi æternæ, quæ Deus est, ut cum aliis dixi in tract. *de Peccatis*, cap. 1, art. 1. Interim nota eos, qui peccatum odio haberi volunt *cum respectu ad Deum offensum*, exigere, ut quisquis oderit peccatum, quatenùs est offensa Dei summè boni, ac proinde eosdem arbitrari illud duntaxat peccati odium ab omni culpâ vacare, quod ex charitatis motivo procedit: patet id vel ex ipsâ prop. 7 quam paulò ante suo ordine retulimus. Vide explic.

10. Intentio, quâ quis detestatur malum et prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

Confutata est propositio *in Tract. de Spe* et *Charitate*.

11. Omne quod non est ex fide christianâ supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

Si vera sit hæc assertio, nulla erunt opera moraliter

bona; malum erit id omne quod fit ex notitiâ unius Dei : malus erit actus fidei, spei et timoris ab homine actu, vel habitu per charitatem non operante procedens : quæ omnia totidem sunt apud alios quàm Jansenii asseclas, falsa et absurda.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

Repugnat concilio Trid. sess. 6, canon. 28, inquienti : *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum : anathema sit.* Hæc sunt impura infecti Janseniani seminis germina, scilicet consectaria illius erroris, quo putant omnia à vitiosâ infici cupiditate, ac peccata esse, ubi Christi charitas non regnet.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

Repugnat D. Thomæ : *Cùm*, ait S. doct. 2-2, 17, art. 5, *spes habeat Deum pro objecto* (in quantum scilicet est beatitudo æterna, ut ibidem docet S. Thom. art. 7,) *manifestum est quòd spes est virtus theologica;* absit autem, ait Franciscus Van-Rat Dominicanus, ut peccet quis virtutis theologicæ actus exercendo. Vide citatos jam tract. *de Spe* et *Charitate*.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

Utriusque propositionis idem est sensus. Idem et error, breviterque refellitur nitidâ hâc et simplici S. Thomæ ratiocinatione : *Nullum malum est à Spiritu sancto : atqui timor etiam servilis est à Spiritu sancto; unus enim Spiritus est, qui facit duos timores, scilicet servilem, et castum; ergo timor servilis non est malus.* Neque solùm non est malus, sed etiam est supernaturalis, cùm sit à Spiritu sancto, et *procedat ex actu Dei convertentis cor* dispositivè, prout tradit S. doctor 3 p., q. 85, art. 5, ad 3, et Trident.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, et præscriptio, naturâ rei id ipsum quodammodò dictante.

Si vera sit hæc propositio, nunquàm concedi potest absolutio, nisi jam præmissâ pœnitentis satisfactione, cùm lex Christi ab hominibus tolli non possit : atqui hoc universæ Ecclesiæ, atque ipsi rigidiorum Casuistarum praxi repugnat, qui quotidiè mutuas sibi absolutiones sub onere præstandæ deinceps satisfactionis impendunt : ergo meritò reprobata est hæc propositio. Et verò absolutio concedi potest, et de facto sæpè conceditur homini sensibus destituto, qui nullam proin satisfactionem ponere potest.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

Idem qui præcedentis assertionis error. Non invertit ordinem pœnitentiæ praxis mox absolvendi eos, qui legitimis instructi sunt dispositionibus : sed praxis absolvendi eos, qui peccato adhærent, qui Ecclesiæ consuetudinem carpunt, qui in legitimos pastores debacchantur, qui totâ die veritatem et charitatem inclamant, et utramque in praxi respuunt.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominùs ab Ecclesiâ non habetur pro usu, sed abusu.

Indicat Sedes Apostolica in hujus propositionis censurâ, quid habeat pro abusu, quid pro usu.

19. Homo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali.

Est planè falsa : *Contritio*, ait S. Th. in supplem. q. 2, art. 2, *solùm de illis peccatis potest esse, quæ ex duritiâ nostræ voluntatis in nos proveniunt; et quia peccatum originale nostrâ voluntate non est inductum... ideò de ipso non potest esse contritio.* Nec proinde à fortiori pro eo agenda est toto vitæ decursu pœnitentia.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, plerumque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

Injuriosa est Ecclesiæ, quæ alioqui malè Religiones instituit, malè etiam Religiosorum utitur ministerio. Injuriosa est etiam Religiosis in quibus animam diabolo venditam, et penè omnimodam pietatis ac scientiæ privationem supponit. Hujus propositionis excessum jam pridem prædamnavit S. Th. in Guilelmo de Sancto Amore, Religiosorum impugnatore.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponendâ nimis levi, et incongruâ pœnitentiâ, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

Continet judicium insigniter temerarium in materiâ gravi. Eâdem de causâ, eâdemque temeritate suspicabitur Parochianus, vel de Parocho qui leviorem imponet pœnitentiam, ne pingui oblatione frustretur, vel de vicariis, aliisque inferioribus sacerdotibus, qui per rura vini et frumenti quæstum faciunt. Non nego quosdam utrinque esse, qui officio suo desint; *Iliacos intra muros peccatur, et extra.* Sed quorumdam vitia corpori toti adscribenda non sunt : nec si proditor Judas, alii continuò Apostoli omnes proditionis erunt redarguendi.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequàm condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

Contra assumi potest illud S. Th. 2-2, q. 10, art. 12: *Ecclesiæ consuetudo semper est in omnibus æmulanda.* Est autem nunc Ecclesiæ consuetudo, quod communio non differatur, donec quis condignam de peccatis suis egerit pœnitentiam, seu satisfactionem; idque nedùm pro sacrilegio habendum sit, consonat parabolæ Filii Prodigi, cui sincerè ad patrem reverso occisus est in epulum *vitulus saginatus.* Nec, puto, ait Steyaert, dilata Davidi fuisset Eucharistia, si jam instituta fuisset, donec pœnitentiam omnem sibi impositam subiisset.

23. Similiter arcendi sunt à Sacrâ communione,

quibus nondùm inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

I nunc et quære, qui sacrâ Eucharistiâ reficiantur; quære, inquam, in alio orbe, qui novi figmenti homines habeat, in hâc enim peccati terrâ *in multis offendimus omnes*, non est qui sæpiùs non peccet; qui dixerit se peccatum non habere, ipse se seducit: ergo nullibi, aut ferè nullibi est amor ille purissimus, et omnis mixtionis expers, quem ut præviam ad Eucharistiæ sacramentum præparationem requirit præcedens propositio. Mundi erant Apostoli, cùm Christi corpus in ultimâ Cœnâ recepêre. Quæro an iis adhuc tam infirmis inesset amor omnis mixtionis expers?

24. Oblatio in templo, quæ fiebat à B. Virgine Mariâ in die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam maculâ Matris maculatus esset, secundùm verba legis.

Hæc assertio, si *de maculâ peccati* intelligatur, non notas meretur, sed flammas; si verò *de maculâ legali*, falsa etiam est, et piarum aurium offensiva. Non erat partus ille purissimus obnoxius legi, nec ex eo, quòd Christus et Maria hoc in puncto legem adimpleverint, colligi magis potest eos legem adimplere debuisse, quàm ex eo, quòd Christus Baptismum receperit, colligi queat, eum indiguisse Baptismò. Errorem hujus propositionis breviter, et solidè confutat Angelus Scholæ ex ipso Levitici textu, c. 12, ubi ea solùm mulier declaratur immunda, quæ *suscepto semine* prolem parit.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

Refellitur ex hodiernâ Ecclesiæ praxi, et consuetudine, quæ, teste Augustino ipso, cujus auctoritate præcipuè innituntur propositionis hujus assertores, ea quæ sunt contra rectam fidem, et bonos mores, non approbat, nec tacet, nec facit. Sed de his fusiùs agunt theologi in tractatu *de Incarnatione*.

26. Laus quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

Repugnat D. Thomæ 3 p., q. 25, art. 5, ad 3: *Beata Virgo*, inquit, *secundùm seipsam est venerationis capax*. Et verò B. Virgo in seipsâ, licet non à seipsâ, est Dei Mater, Virgo Virginum mundissima, creatura omnium post sacram Christi humanitatem sanctissima; ergo laus quæ ei defertur, non relativè solùm, ut imaginibus, non ob merum Christi contactum, ut vivificæ cruci, sed eidem *secundùm seipsam* non est vana, sed pia, et religiosa.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hâc formâ collatus: *In nomine Patris*, etc., prætermissis illis: *Ego te baptizo*.

Repugnat D. Thomæ 3 p., q. 66, art. 5, et cæteris fermè, præter Morinum, Theologis. Vide Tract. *de Baptismo*.

28. Valet Baptismus collatus à ministrò, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intùs verò in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere quod facit Ecclesia*.

Propositio hæc, ne ipsis quidem externæ, ut aiunt, intentionis defensoribus placet; cùm juxta eos exterior omnis ritus, et forma Sacramentorum observari possit, absque eo quòd verum conficiatur Sacramentum, de quo legatur Contensonius, Juvenin, et P. Serry. Verùm de eâ re consulendus Tract. *de Baptismo*, præsertim nota ex Tract. *de Synodo Diœcesana* Benedicti XIV deprompta.

29. Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra concilium œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

Romanum pontificem esse Petri successorem, totius Ecclesiæ caput, ac unitatis centrum, omnes catholici unanimi consensu firmissimè credunt. Eique prærogativam concessam esse, ne erret in rebus fidei, et quâ supra Concilium sit, docet Scriptura, dùm super Petrum Ecclesiam fundatam ait, ac Petro privilegium concessum, ne ei fides deficeret, et ut contra ipsius definitiones pro regendâ Ecclesiâ et explicando concredito sibi fidei deposito, portæ Inferi prævalere non possent, ac jus etiam in fratres, hoc est, in episcopos omnes, quos in fide confirmare jubetur. Traditio quoque, ac omnes ferè Catholici, inter quos Galli etiam theologi reperiuntur, qui ante annum 1682 scripserunt, hanc in Romano pontifice prærogativam adstruunt. Quam ob rem omnibus exploratum arbitror, jure fuisse illam propositionem damnatam, præsertim ob notam quam contrariæ inurit sententiæ temerè omninò.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificiam Bullam.

Repugnat hæc doctrina, tum D. Th. 2-2, q. 10, art. 12, tum præcipuè Augustino ipsi: *Hæc*, ait in suâ ad Bonifacium epist., c. 1, *quæ duabus Epistolis Pelagianorum istâ disputatione respondeo, ad tuam potissimùm dirigere Sanctitatem non tam discenda, quàm examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, exterminandum constitui*. Qui Augustinianam doctrinam sectari profitentur, hoc præclarum Augustini factum imitentur.

31. Bulla Urbani VIII, *In Eminenti* est subreptitiâ.

Non aliâ de causâ Bullam hanc subreptitiam esse judicârunt propositionis auctores, quàm quia Baii et Jansenii doctrinam condemnat; quod posteriorum Pontificum constitutionibus multò amplius peractum est. Has autem ad unam omnes subreptitias esse, vel etiam obreptitias credant Janseniani, si velint; non credunt quotquot sunt verè Catholici.

« Quibus maturè consideratis, idem sanctissimus statuit et decrevit 31 supradictas Propositiones, tanquàm temerarias, scandalosas, malè sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, et hæreticas respectivè esse damnandas, et prohibendas, sicut eas damnat et prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnándo,

ipso facto incidat in excommunicationem, à quâ non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quâcumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano pontifice absolvi. »

« Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, et statûs, etiam speciali et specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. »

« Non intendit Sanctitas Sua per hoc decretum alias Propositiones in majori numero ultra supradictas 31, jam exhibitas, et in hoc decreto non expressas, approbare. »

CAPUT XXVII.

Breve *Innocentii XII, proscribentis tres et viginti Theses, quæ prætextu amoris erga Deum purissimi in Galliis docebantur.*

Innocentius episcopus servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

« Cùm aliàs ad Apostolatûs nostri notitiam pervenerit, in lucem prodiisse librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus : *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure, par Messire François de Salignac Fénélon, archevêque, duc de Cambray, Précepteur de Messeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, et de Berry. A Paris, chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charles Clousier*, 1697 ; ingens verò subinde de non sanâ libri hujusmodi doctrinâ excitatus in Galliis rumor adeò percrebuit, ut opportunam pastoralis vigilantiæ nostræ opem efflagitaverit. Nos eumdem librum nonnullis ex venerabilibus Fratribus nostris S. R. E Cardinalibus, aliisque in sacrâ theologiâ magistris, maturè, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porrò hi mandatis nostris obsequentes, postquàm in quàmplurimis Congregationibus varias propositiones ex eodem libro excerptas diuturno accuratoque examine discusserant, quid super earum singulis sibi videretur, tam voce, quàm scripto nobis exposuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram nobis desuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, et in sacrâ theologiâ magistrorum sententiis, Dominici gregis Nobis ab Æterno Pastore crediti periculis, quantùm Nobis ex alto conceditur occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ, et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, librum prædictum ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quâvis editione, aut versione hùcusque impressum, aut inposterum imprimendum, quippe ex cujus lectione et usu fideles sensim in errores ab Ecclesiâ catholicâ jam damnatos induci possent, ac insuper tanquàm continentem propositiones, sive in obvio earum verborum sensu, sive attentâ sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respectivè, tenore præsentium damnamus et reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, et usum omnibus et singulis Christi fidelibus etiam specificâ et individuâ mentione, et expressione dignis, sub pœnâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, interdicimus et prohibemus. Volentes, et apostolicâ auctoritate mandantes, ut quicumque supradictum librum penès se habuerint, illum statim atque præsentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere ac consignare omninò teneantur. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque, etc. Cæterùm propositiones in dicto libro contentæ, quas apostolici censurâ judicii, sicut præmittitur, configendas ducimus, ex Gallico idiomate in latinum versæ, sunt tenoris, qui sequitur, videlicet : »

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ullâ mixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem. Non amatur Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando.

2. In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ, amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.

3. Id, quod est essentiale in directione animæ, est non aliud facere, quàm sequi pedetentim gratiam cum infinitâ patientiâ, præcautione, et subtilitate : oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquàm ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeò durum est animabus adhuc sibimet affixis, et adeò potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet ampliùs desideria voluntaria, et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus ampliùs salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum, sed eam volumus voluntate plenâ, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus à nobis in Evangelio requirit, postquàm externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

8. Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quàm maximè disinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexâ, quæ non est intimus conscientiæ fundus, se justè reprobatam esse à Deo.

10. Tunc anima divisa à semetipsâ exspirat cum Christo in cruce, dicens : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* In hâc involuntariâ impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquàm amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis et intimis, spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, et justæ condemnationi, quam sibi à Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori. In istâ separatione actus partis inferioris manant ex omninò cæcâ et involuntariâ perturbatione ; nam totum quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui à se invicem facilè distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeò sublimis, adeòque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non ampliùs indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, et reflexo Jesu Christi, duobus temporibus diversis ; primò in fervore nascente earum contemplationis ; secundò, anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctè, non cogitando quòd sint virtutes ; quolibet momento aliud non cogitatur, quàm facere id quod Deus vult, et amor zelotypus simul efficit, ne quis ampliùs sibi virtutem velit, nec unquàm sit adeò virtute præditus, quàm cùm virtuti ampliùs affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quòd anima passiva et disinteressata nec ipsum amorem vult ampliùs, quatenùs est sua perfectio, et sua felicitas, sed solum quatenùs est id quod Deus à nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt à statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (de puro amore) esset pura, et simplex perfectio Evangelica in universâ traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitationem amoris interessati eorum gratiæ proportionatam.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, et tunc evadit unicum principium, et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, et meritorii sunt.

« Non intendimus tamen per expressam Propositionum hujusmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenùs approbare. Ut autem eædem præsentes litteræ omnibus faciliùs innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, et auctoritate præfatâ decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur ; ita ut sic publicatæ omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, et intimatæ fuissent. Utque ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. »

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die 12 martii 1699, Pontificatûs nostri anno 8. »

En totum systema illustrissimi Archipræsulis, qui, acceptâ Romani Pontificis constitutione, cathedram statim conscendit, populo suo, à quo tenerâ charitate diligebatur, prohibuit, ne quis deinceps librum suum vel legeret, vel retineret apud se ; coram multitudine in lacrymas et singultus erumpente, librum eumdem eo prorsùs modo reprobavit, quo ab Apostolicâ Sede reprobatus erat.

Systematis hujus errores sunt duo præcipui, alter, quòd *non possibilis solummodò sit, sed et de facto existat habitualis status charitatis puræ, in quo nullam ampliùs partem habeant timor pœnarum, et desiderium remunerationis, adeò ut anima nihil sibi velit, ne quidem perfectionem, et beatitudinem suam.* Alter quòd *animæ invincibiliter persuasum esse possit persuasione reflexâ se justè reprobatam esse à Deo ; unde ei tunc permittere potest director, ut simpliciter acquiescat justæ condemnationi, quam sibi à Deo inflictam credit.*

Primum caput ex professo confutavimus, ubi *de Spe* sect. 4, punct. 2, concl. 3. Secundi capitis error hinc patet, quòd *persuasio reprobationis adversatur spei ; porrò spes in statu viæ prorsùs necessaria est, eâque na-*

cemente charitate perfectior redditur, quia de amicis maximè speramus, ait S. Th. 2-2, q. 17, art. 8. Hinc juxta S. doctorem q. 23, de Veritate, art. 8, ad 2: *Si alicui talis revelatio* de futurâ suî reprobatione *fieret, deberet intelligi non secundùm modum propheticæ prædestinationis, vel præscientiæ, sed per modum propheticæ comminationis, quæ intelligitur suppositâ conditione meritorum.* Non posset igitur director animæ huic permittere, ut simpliciter acquiesceret *jacturæ sui proprii interesse et justæ condemnationis.* Et verò positâ hâc in propriam reprobationem consensione, anima pro æternâ suâ salute nec deberet nec posset orare : atque id falsum esse liquet ex iis quæ contra Mysticos diximus ubi *de Orat.* c. 2, art. 7.

Plus adhuc erroris habet, quod statuit illustrissimus auctor propos. 10, 13 et 14, ibi enim desperatio nomine sacrificii commendatur. Malæ involuntariæ perturbationes attribuuntur Christo, qui quantùm voluit, et non ultra passus est, ut cum Scripturis docet S. Th. 3 p., q. 47, art. 1. Malè pars inferior à partis superioris regimine quasi avulsa exhibetur, ita ut actus partis inferioris *in animâ probatâ* prorsùs cæci sint, et involuntarii. Certè si superior pars non invigilet actibus potentiarum inferiorum, ii in peccatum animæ imputabuntur, ut docet S. Th. 1-2, q. 174, art. 3, ad 2; qui secus senserit, viam sternet sibi ad periculosiora quæque Molinosi commenta, à quibus tamen procul abfuit piissimus archipræsul Cameracensis.

CAPUT XXVIII.

Recensentur quinque Jansenii Propositiones cum Censurâ eisdem affixâ in Constitut. Innocentii X, Cùm occasione.

Jansenii propositio est :

1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, et conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.

Hæc declaratur temeraria, impia, blasphema, et hæretica.

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur.

Hæc declaratur hæretica.

3. Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Hæc damnatur ut hæretica.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Hæc quoque declaratur hæretica.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Hæc falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute tantum prædestinatorum mortuus sit, impia quoque, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica declaratur.

CAPUT XXIX.

Recensentur Quesnellii propositiones damnatæ à Clemente XI in Const. Unigenitus.

1. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, et peccati consecutiones, superba paupertas, et segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, et ad omne opus bonum?

2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illâ non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.

3. In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.

4. Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eâdem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes et gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter fœdus Judaicum, et Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, et implementum legis à peccatore, relinquendo illum in suâ impotentiâ; in isto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum suâ gratiâ purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò facilitas non est admitti ad novum fœdus, in quo Deus nobis donât, quod petit à nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema, sine quâ confiteri Christum nunquàm possumus, et cum quâ nunquàm illum abnegamus.

10. Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quem nihil impedire potest, aut retardare.

11. Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, et facientis quod jubet.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantùmcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, accurrat, humiliet, et adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum, et suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritûs, et interiori vi gratiæ suæ, operatur illam in corde obedientiam quam petit.

16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs

docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquàm audivit vocem exteriorem Filii, nullatenùs est doctus à Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19. Dei Gratia nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, et obeditur; imperat, et omnia fiunt; loquitur tanquàm Dominus, et omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, et imitatio operationis Dei incarnantis, et resuscitantis Filium suum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illicò nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ et gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam quâ creaturas à nihilo producit, et mortuis reddit vitam.

24. Justa idea quam centurio habuit de omnipotentiâ Dei, et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ quæ haberi debet de omnipotentiâ suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.

25. Deus illuminat animam, et eam sanat æquè ac corpus solâ suâ voluntate; jubet, et ipsi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem.

27. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh! quantùm oportet bonis terrenis, et sibimetipsis renuntiàsse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, et mysteria, ut fecit sanctus Paulus dicens: *Qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me.*

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, et statûs Innocentiæ, ac gratiam Christianam, est, quòd primam unusquisque in propriâ personâ recepisset; ista verò non recipitur, nisi in personâ Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; Gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, et digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratiâ Liberatoris.

39. Voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

40. Sine gratiâ nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis Ethnicis non potest venire nisi à Deo, et sine gratiâ non producit nisi præsumptionem, vanitatem, et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium Fidei; sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeò ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, et actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et Amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, et nisi peccatum sine fidei lumine, et sine Christo, et sine charitate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille qui clamat.

51. Fides justificat quando operatur, sed ipsa non operatur nisi per charitatem.

52. Omnia alia salutis remedia continentur in fide, tanquàm in suo germine, et semine; sed hæc fides non est absque amore et fiduciâ.

53. Sola charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, et Jesum Christum

54. Sola charitas est quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat nisi charitatem, qui currit ex alio impulsu, et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem.

61. Timor nonnisi manum cohibet; cor autem tamdiù peccato addicitur, quamdiù ab amore justitiæ nondum fugatur.

62. Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis nunquàm fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

65. Moyses, prophetæ, sacerdotes, et doctores legis mortui sunt, absque eo quòd ullum Deo dederint filium; cùm non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicut bestiæ; sed per fidem, et per amorem, sicuti filii.

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide, et precibus.

69. Fides, usus, augmentum, et præmium fidei totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70. Nunquàm Deus affligit innocentes, et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab eâ lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem

72. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quòd sit Catholica; comprehendens et omnes angelos cœli, et omnes electos, et justos terræ, omnium seculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus personâ, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et exspectantium gratiam futuri seculi ?

74. Ecclesia, sive integrè Christus, incarnatum Verbum habet ut caput; omnes verò sanctos ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, et persona. Unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei, quia omnes electi, et justi omnium seculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, et membro Christi, cessat interius habere Deum pro patre, et Christum pro capite.

78. Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus judaicus, et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.

79. Utile, et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, pietatem et Mysteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas sancti Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hâc lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quòd notitia mysteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superbâ virorum scientiâ ortus est Scripturarum abusus, et natæ sunt hæreses.

84. Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, et intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientiâ, lumine et charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi ad minùs satisfacere justitiæ Dei antequàm reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum, et vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quòd cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet ut eam exerceat per primos pastores de consensu, saltem præsumpto, totius corporis.

91. Excommunicationis injustæ metus nunquàm debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquàm eximus ab Ecclesiâ, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab eâ expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

92. Pati potiùs in pace excommunicationem, et anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum : tantùm abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato; Jesus restituit quòd ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesiâ opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eò devenerunt, ut sint lingua peregrina quasi plerisque Christianis, et modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum : adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, et supra communem captum fidelium. Neque satis advertitur, quod hic effectus est unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, et iræ Dei in filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi divinæ gratiæ.

97. Nimis sæpe contingit, membra illa quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tanquàm indigna, ut sint in Ecclesiâ, vel tanquàm ab eâ separata : sed justus vivit ex fide, et non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis, et pœnarum, quas quis tolerat, tanquàm hæreticus, flagitiosus et impius, ultima plerumque probatio est, et maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id quod Deus in suâ Ecclesiâ posuit, ut in eâ esset odor vitæ, v. gr., bonos libros, instructiones, sancta exempla.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit..... Haberi et tractari à religionis ministris, tanquàm impium, et indignum omni commercio cum Deo, tanquàm membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, et zelo quodam religionis, persequendo flammâ ferroque viros probos, si propriâ passione est excæcatus, aut abreptus alienâ, propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei, et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesiâ : quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

CAPUT XXX.

Recensetur Constitutio Benedicti XIV quâ damnantur quinque de duello propositiones, et novæ pœnæ in duellantes decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

« Detestabilem, ac divinâ naturalique lege damnatum duellorum abusum, à barbaris gentibus atque superstitiosis, non sine ingenti corporum, animarumque clade, in Christianam rempublicam auctore diabolo invectum, cùm semper exsecrata sit, atque improbârit Ecclesia, tum præcipuo in eum curâ, studio, vigilantiâ, ac zelo incubuerunt Romani pontifices, ut à Fidelium cœtû longissimè arceretur. Nam ut antiquiora mittamus prædecessorum nostrorum Nicolai I, Cœlestini III, Innocentii II, Eugenii III, Alexandri III, Innocentii IV adversùs singulares pugnas decreta, exstant recentiores Apostolicæ Sedis constitutiones, quibus Romani pontifices Julius II, Leo X, Clemens VII, ac demùm Pius IV gravissimas pœnas antea statutas confirmârunt, aliaque de novo addiderunt, contra duellantes ex quâcumque causâ, etiam per seculares regionum, aut locorum leges forsan permissa, adjectâ infamiâ, bonorumque proscriptione etiam adversùs complices ac participes, et qualemcumque operam iisdem præbentes.

« Tridentina verò Synodus latam in eos excommunicationem extendit ad imperatores et reges, duces ac principes, cæterosque dominos temporales, si locum ad monomachiam in terris suis concesserint, ac jurisdictione et dominio loci, in quo duellum fieri permiserint, quem ab Ecclesiâ obtineant, eo ipso privatos declaravit. Committentes verò pugnam, eorumque patrinos, excommunicationis, ac omnium bonorum proscriptionis, nec non perpetuam infamiæ pœnam incurrere statuit; et si in ipso conflictu decesserint, ecclesiasticâ sepulturâ perpetuò carituros decrevit.

« Cùm verò præfatis saluberrimis legibus judicialia duntaxat, ac solemnia duella comprehensa, ac proscripta viderentur, piæ memoriæ prædecessor noster, Gregorius papa XIII, hujusmodi pœnas adversùs eos omnes extendit, qui nedùm publicè, sed etiam privatim ex condicto, statuto tempore, et loco monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve procuratoriæ litteræ, aut denuntiationis chartulæ præcesserint.

« Denique felicis recordationis Clemens papa VIII, prædecessor Noster, apostolicas Romanorum ante se Pontificum leges omnes, et pœnas in eis statutas, suâ constitutione, quæ incipit : *Illius vices*, datâ 16 Kal. Septembris, anno 1592, discrètè complexus, easdem extendit ad omnes non solùm duello certantes, sed etiam provocantes, suadentes, equos, arma, commeatus præbentes, comitantes, chartulas, libellos, manifesta mittentes, scribentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa ista cooperantes, socios, patrinos, de

industriâ spectatores, fautores, criminis demùm participes, illudque permittentes, vel, quantùm in ipsis est, non prohibentes, ac delinquentibus veniam et impunitatem concedentes, quique se prædictis quoquo modo immiscuerint, etiamsi neque pugnæ effectus, neque accessus ad locum sit subsecutus.

« His tam sapienter, tam apertè, atque perspicuè ab Ecclesiâ, et ab Apostolicâ Sede constitutis, dubitari jam nullo modo posse videbatur, quin duella omnia, tam publica, quàm privata, et naturali, et divino, et ecclesiastico jure prorsùs illicita, vetita, atque damnata censeri deberent; sed nonnulli earum legum interpretes, per benignitatis speciem humanis pravisque cupiditatibus plus æquo faventes, apostolicas Sanctiones ad corrupta hominum judicia inflectentes ac temperantes, *licere*, docuerunt, *viro equestri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat; fas esse defensione occisivâ, vel ipsis clericis ac religiosis, tueri honorem, dùm alia declinandæ calumniæ via non suppetat; propulsare damna, quæ ex iniquâ judicis sententiâ certò imminent; defendere non solùm quæ possidemus, sed etiam ea ad quæ jus inchoatum habemus, dùm aliâ viâ id assequi non valeamus* : quas quidem assertiones, duellis faventes, Apostolica Sedes censurâ notavit, rejecit, proscripsit.

« Et nihilominùs exstiterunt quàm proximè recentiores alii, qui etsi duella, vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi causâ, vel levioris momenti res fortunasque servandi, fateantur illicita, aliis tamen in circumstantiis, et casibus, vel amittendi officii et sustentationis, vel denegatæ sibi à magistratu justitiæ, defensionis innoxiæ titulo, ea licere pronuntient. Laxas et periculi plenas opiniones hujusmodi, ex vulgatis eorum libris ad Nos delatas, ubi primùm accepimus, earum examen nonnullis ex venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, et quibusdam dilectis filiis sacræ theologiæ magistris specialiter ad id per Nos deputatis, commisimus, qui, re maturè discussâ, latis coram Nobis tum voce, tum scripto suffragiis, infra scriptas Propositiones, censurâ et proscriptione dignas existimârunt. »

1. Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquàm formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, liàs sibi debitæ ac promeritæ, spe perpetuò carere deberet, culpâ et pœnâ vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratiâ, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certò sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit in ecclesiasticas pœnas ab Ecclesiâ contra duellantes latas, dux, vel officialis militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis malè ordinatæ, in quâ nimirùm vel negligentiâ, vel malitiâ magistratûs, justitia apertè denegatur.

« Auditis itaque, super unàquàque earum Propositionum, dictorum Cardinalium et Consultorum judiciis, atque omnibus ritè et maturè consideratis, Nos ipsas, præsentium litterarum tenore, et apostolicâ auctoritate, tanquàm falsas, scandalosas ac perniciosas rejicimus, damnamus ac prohibemus, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputandi gratiâ, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à quâ non possit (præterquàm in mortis articulo) ab alio, quâcumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi.

« Insuper districtè, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione divini judicii, prohibemus omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, et statûs, etiam speciali et specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deducant.

« Jam verò, ut exitiosam duellorum licentiam in christianâ, ac præsertim militari Republicâ, non obstantibus providis legibus à plerisque etiam secularibus principibus et potestatibus ad eamdem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliscentem, validiore manu coerceamus, gravissimumque scelus apostolicæ districtionis gladio magis magisque insequamur, omnes et singulas dictorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones superiùs enuntiatas, quarum tenore, ac si præsentibus de verbo ad verbum insertæ forent, pro sufficienter expressis haberi volumus, apostolicâ auctoritate confirmantes et innovantes, ad hoc ut pœnarum gravitas et severitas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, Nostro motu proprio, ac de Apostolicæ auctoritatis plenitudine, earumdem præsentium litterarum serie, statuimus atque decernimus, ut si quis in duello, sive publicè, sive privatim indicto hominem occiderit, sive is mortuus fuerit in loco conflictûs, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tanquàm interficiens proximum suum animo præmeditato ac deliberato, ad formam constitutionis felicis recordationis prædecessoris nostri Benedicti Papæ XIII, quæ incipit : *Ex quo divina*, datâ 6 Idus junii, anno Domini 1725, ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio exclusus et repulsus omninò censeatur : ita ut à cujuscumque sacri aut religiosi loci asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, et judicis competentis curiæ pro merito puniendus tradi possit et debeat; super quo Nos episcopis, aliisque superioribus antistitibus, ad quos respectivè pertinet, et pertinebit inposterùm, necessarias et opportunas facultates præsentium quoque tenore impertimur. Quin etiam vivente adhuc altero in singulari certamine

graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo eveniente illius morte fugam arripere, et legum severitatem evadere posse prospiciatur; volumus, et respectivè permittimus, ut quatenùs periti ad inspiciendum vulnus acciti, *grave vitæ periculum* adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper decreto episcopi, et cum assistentiâ personæ ecclesiasticæ ab eodem episcopo deputatæ, ab hujusmodi loco immuni extractus, sine morâ carceribus mancipetur, eâ tamen lege judicibus indictâ, ut illum ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus à legibus, quæ de homicidis sunt, constitutum; alioquin in easdem pœnas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII litteris constitutæ sunt adversùs illos qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recusant, postquàm is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

« Præterea simili motu, et auctoritate decernimus ac declaramus sepulturæ sacræ privationem à Sacrosanctâ Tridentinâ Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictûs, incurrendam perpetuò fore, etiam ante sententiam judicis, à decedente quoque extra locum conflictûs ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publicè, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque à peccatis et censuris absolutionem obtinuerit; sublatâ episcopis et ordinariis locorum super hâc pœnâ interpretandi ac dispensandi facultate, quo cæteris documentum præbeatur fugiendi sceleris ac debitam Ecclesiæ legibus obedientiam præstandi.

« In hujus demùm sollicitudinis nostræ societatem vocantes charissimos in Christo Filios Nostros imperatorem electum, cunctosque catholicos reges, nec non principes, magistratus, militiæ duces, atque præsules, eos omnes et singulos, pro suâ in Deum religione ac pietate, enixè obtestamur in Domino, ut conjunctis studiis et animis, exitiosæ duellorum licentiæ, quâ regnorum tranquillitas, populorum securitas, atque incolumitas, neque corporum solùm, sed, quæ nullo pretio æstimari potest, æterna animarum vita certò periclitatur, omni nisu et constantiâ vehementer obsistant. Neque sibi, suæque in Deum fidei, munerisque rationi fecisse satis intelligant, quòd optimè constitutis legibus, indictisque gravissimis pœnis, horrendum scelus proscriptum sit, nisi accuratam ipsarum legum, pœnarumque executionem gnaviter urgeant ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindices in eos qui talia agunt, diligenter exhibeant; nam si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno sese crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos sese constituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiserint. Vani enim falsique honoris idolo humanas litari victimas non impunè feret supremus omnium judex Deus; rationem ab iis aliquando exacturus, quorum est divina et humana jura tueri, sibique creditorum hominum vitam servare, pro quibus sanguinem ipse suum Jesus Christus effudit.

« Volumus autem ut præsentium litterarum transsumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis et sigillo personæ in ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem ubique, etiam in judicio, fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si originaliter forent exhibitæ vel ostensæ; utque eædem præsentes in consuetis locis publicis hujus almæ Urbis per Cursores nostros, uti moris est, publicatæ et affixæ, omnes et singulos, quos concernunt seu concernent in futurum, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ et notificatæ fuissent.

« Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc nostrarum prohibitionis, damnationis, præcepti, statuti, declarationis, facultatum impertitionis, obtestationis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1752, quarto idus Novembris, Pontificatûs nostri anno tertio decimo. »

BOSSUETII VITA.

Bossuetius (Jacobus Benignus) Divione natus est 1627, ex antiquâ nobilique domo quæ in foro inclaruerat. Futurum decus à teneris auspicatus est præmaturâ ingenii excellentiâ. In foro munus illi parentes, uxoremque dignissimam quæsiverant; utrique autem valedixit Bossuetius, Lutetiæque 1642 vitam degens, totum se studiis absolvendis adeò prosperè tradidit, ut anno 1652 Sorbonæ doctor evaserit. Divoduri canonicatu dotatus, revocandis Protestantibus in Ecclesiæ gremium incubuit, tam efficaci pertinaciâ et successu, ut famâ nominis præeunte, Lutetiam arcessitus fuerit à reginâ matre, Annâ Austriæ, et sacras conciones in Adventu 1661, Quadragesimâque 1662, præsente rege habuerit. Ludovicus XIV concionatorem demiratus, per epistolam patrem ejus, Suessionum diœcetem, congratulatus est, quòd talem filium genuisset. In Quadragesimâ 1666, in Adventu 1668, fidem Turennii et neophytorum sermonibus novis confirmavit, quam ob causam Condomensem ad episcopatum evectus fuit. Mox Delphini Franciæ institutor à rege nominatus, solito se sacramento astrinxit 24 septembris 1670. Sequenti anno, episcopatum Condomensem repudiavit, *ne absentis sponsæ dote*

frui videretur. Tunc temporis *Orationum funebrium* immortali laude splenduit, ingentesque regum et optimatum luctus dignâ voce concinuit; dein, in alumni sui gratiam, *Orationem ad historiam universalem* composuit, in quâ religionem, philosophiam, politicas artes immensamque eloquentiam consocians, splendidissimas evolvit tabulas, providentiæque consilia et actus, veluti propositorum ejus particeps, indigitat. Non gloriæ suæ imparem se præstitit, in scripto de *politicâ Arte è verbis Scripturæ sanctæ expressâ*, in quo rectam et altissimam politicam cum Christiani optimi officiis quadrare posse demonstrat. Delphinæ primus eleemosynarius, 1680, in præmium perfectæ et curatissimæ institutionis Delphini, nominatus est à rege memore laborum, et scientiæ remuneratore; Meldensis episcopus creatus est 1681, consiliarius regi 1697, et anno sequente primus eleemosynarius ducissæ Burgundiæ constitutus fuit. Tunc temporis in se omnium oculos convertit, acerrimè Fenelonis, archiepiscopi Cameracensis librum, piis erroribus deformem insectando, in quo certamine magna laus fuit victoris, maximaque victi. In illâ controversiâ, quantam propositi tenacitatem inexpugnabilemque animi probationem attulerit, in testimonium adsunt verba à Bossuetio prolata Ludovico XIV interroganti: « Quid egisses, si Cameracensi episcopo auxiliatus fuissem? — Rex, ait Bossuetius, centuplicatò clamosiore voce personuissem; serùs ociùsve, qui stat pro veritate, triumphat. » Austeris moribus, sibi aliisque severus, continuis deditus laboribus, officiis indefesso zelo vacans, *Aquilæ Meldensis* cognomen meritus, obiit anno ætatis 77, 1704.

Præter jam citata opera, edidit: *Expositionem Doctrinæ catholicæ*, mirandum opus, quo Turennius et Dangeau ad religionis portum freti appulêre; *Historiam variationum Ecclesiarum Protestantium; Defensionem hujus Historiæ; Sex monita ad Protestantes; Controversiam cum Claudo ministro; Tractatum Communionis sub utràque specie; Confutationem Catechismi Pauli Ferri; Statuta synodalia; Monita pastoralia; Scripta in Quietismum; Appendicem Hist. Gall.; Defensionem Declarationis cleri Gallicani de potestate ecclesiasticâ; De propositione in unum conflandarum Ecclesiarum Lutheranorum confessionis Aquisburgæ cum Ecclesiâ catholicâ; Tractatus adversùs Simonem, du Pin et alios;* Opuscula: *Meditationes in Evangelia; Variationes Protestantium; Elevationes in mysteria; Apocalypsis interpretatio*, aliaque benè multa. Bossuetii panegyricum Meldis P. Ruæus, Jesuita, suscepit, 23 julii 1706. Illustrissimum episcopum Academia suis adscripserat sociis. Cardinalis de Beausset historiam ejus luculentissimè nuper edidit.

Bossuetium, assentientibus doctoribus ac litterarum pietatisque cultoribus, Massilio sic delineat: « Vir fuit sublimis optimique ingenii, candidissimus, ut magnos decet animos et mentes altissimas; episcopatûs ornamentum, Gallici cleri æternum decus; episcopus inter aulicos; doctrinarum omnium consultissimus; universarum Ecclesiarum doctor; cunctarum hæresium expugnator; ultimis hisce temporibus novus Ecclesiæ Pater, qui, si prioribus seculis in lucem prodiisset, synodorum sidus et fax splenduisset, congregatos Patres afflavisset, canones decrevisset, Nicænorum Ephesinorumque conciliorum præses eminuisset, nullatenùs tantis impar muneribus. »

Exposition

DE LA DOCTRINE DE L'ÉGLISE CATHOLIQUE

SUR LES MATIÈRES DE CONTROVERSE.

I. *Dessein de ce traité.*

Après plus d'un siècle de contestations avec messieurs de la Religion prétendue réformée, les matières dont ils ont fait le sujet de leur rupture doivent être éclaircies, et les esprits disposés à concevoir les sentiments de l'Église catholique. Ainsi il semble qu'on ne puisse mieux faire que de les proposer simplement, et de les bien distinguer de ceux qui lui ont été faussement imputés. En effet, j'ai remarqué en différentes occasions que l'aversion que ces messieurs ont pour la plupart de nos sentiments est attachée aux fausses idées qu'ils en ont conçues, et souvent à certains mots qui les choquent tellement, que s'y arrêtant d'abord, ils ne viennent jamais à considérer le fond des choses. C'est pourquoi j'ai cru que rien ne leur pourrait être plus utile que de leur expliquer ce que l'Église a défini dans le concile de Trente touchant les matières qui les éloignent le plus de nous, sans m'arrêter à ce qu'ils ont accoutumé d'objecter aux docteurs particuliers, ou contre les choses qui ne sont ni nécessairement ni universellement reçues. Car tout le monde convient, et M. Daillé même (Apol. c. 6), que *c'est chose déraisonnable d'imputer les sentiments des particuliers à un corps entier;* et il ajoute qu'on ne peut se séparer que pour des articles établis authentiquement, à la créance et observation desquels toutes sortes de personnes sont obligées. Je ne m'arrêterai donc qu'aux

décrets du concile de Trente, puisque c'est là que l'Église a parlé décisivement sur les matières dont il s'agit; et ce que je dirai pour faire mieux entendre ces décisions est approuvé dans la même Église, et paraîtra manifestement conforme à la doctrine de ce saint concile.

Cette exposition de notre doctrine produira deux bons effets : le premier, que plusieurs disputes s'évanouiront tout-à-fait, parce qu'on reconnaîtra qu'elles sont fondées sur de fausses explications de notre créance; le second, que les disputes qui resteront ne paraîtront pas, selon les principes des prétendus réformés, si capitales qu'ils ont voulu d'abord le faire croire; et que, selon ces mêmes principes, elles n'ont rien qui blesse les fondements de la foi.

II. *Ceux de la Religion prétendue réformée avouent que l'Église catholique reçoit tous les articles fondamentaux de la Religion chrétienne.*

Et pour commencer par ces fondements et articles principaux de la foi, il faut que messieurs de la Religion prétendue réformée confessent qu'ils sont crus et professés dans l'Église catholique.

S'ils les font consister à croire qu'il faut adorer un seul Dieu, Père, Fils et Saint-Esprit, et qu'il faut se confier en Dieu seul par son Fils incarné, crucifié et ressuscité pour nous, ils savent en leur conscience que nous professons cette doctrine. Et, s'ils veulent y ajouter les autres articles qui sont compris dans le Symbole des Apôtres, ils ne doutent pas non plus que nous ne les recevions tous sans exception, et que nous n'en ayons la pure et véritable intelligence.

M. Daillé a fait un traité intitulé *La Foi fondée sur les Ecritures*, où, après avoir exposé tous les articles de la créance des Églises prétendues réformées, il dit (3 part., ch. 2) *qu'ils sont sans contestation; que l'Église romaine fait profession de les croire; qu'à la vérité il ne tient pas toutes nos opinions, mais que nous tenons toutes ses créances.*

Ce ministre ne peut donc nier que nous ne croyions tous les articles principaux de la Religion chrétienne, à moins qu'il ne veuille lui-même détruire sa foi.

Mais quand M. Daillé ne l'aurait pas écrit, la chose parle d'elle-même; et tout le monde sait que nous croyons tous les articles que les Calvinistes appellent fondamentaux; si bien que la bonne foi voudrait qu'on nous accordât sans contestation que nous n'en avons en effet rejeté aucun.

Au reste, si nos adversaires consultent leur conscience, ils trouveront que le nom d'Église a plus d'autorité sur eux qu'ils n'osent l'avouer dans les disputes; et je ne crois pas qu'il y ait parmi eux aucun homme de bon sens, qui, se voyant tout seul d'un sentiment, pour évident qu'il lui semblât, n'eût horreur de sa singularité : tant il est vrai que les hommes ont besoin en ces matières d'être soutenus dans leurs sentiments par l'autorité de quelque société qui pense la même chose qu'eux. C'est pourquoi Dieu, qui nous a faits, et qui connaît ce qui nous est propre, a voulu pour notre bien que tous les particuliers fussent assujétis à l'autorité de son Église, qui de toutes les autorités est sans doute la mieux établie. En effet, elle est établie, non seulement par le témoignage que Dieu lui-même rend en sa faveur dans les saintes Écritures, mais encore par les marques de sa protection divine, qui ne paraît pas moins dans la durée inviolable et perpétuelle de cette Église, que dans son établissement miraculeux.

XX. Sentiments de messieurs de la Religion prétendue réformée sur l'autorité de l'Église.

Cette autorité suprême de l'Église est si nécessaire pour régler les différends qui s'élèvent sur les matières de foi et sur le sens des Écritures, que nos adversaires mêmes, après l'avoir décriée comme une tyrannie insupportable, ont été enfin obligés de l'établir parmi eux.

Lorsque ceux qu'on appelle Indépendants déclarèrent ouvertement que chaque fidèle devait suivre les lumières de sa conscience, sans soumettre son jugement à l'autorité d'aucun corps ou d'aucune assemblée ecclésiastique, et que sur ce fondement ils refusèrent de s'assujétir aux synodes, celui de Charenton, tenu en 1644, censura cette doctrine par les mêmes raisons, et à cause des mêmes inconvénients qui nous la font rejeter. Ce synode marque d'abord que l'erreur des Indépendants consiste en ce qu'ils enseignent, que *chaque Église se doit gouverner par ses propres lois, sans aucune dépendance de personne en matières ecclésiastiques, et sans obligation de reconnaître l'autorité des colloques et des synodes pour son régime et conduite.* Ensuite ce même synode décide que cette secte est *autant préjudiciable à l'État qu'à l'Église; qu'elle ouvre la porte à toute sorte d'irrégularités et d'extravagances; qu'elle ôte tous les moyens d'y apporter le remède; et que, si elle avait lieu, il se pourrait former autant de religions que de paroisses ou assemblées particulières.* Ces dernières paroles font voir que c'est principalement en matière de foi que ce synode a voulu établir *la dépendance*; puisque le plus grand inconvénient où il remarque que les fidèles tomberaient par l'indépendance, est qu'*il se pourrait former autant de religions que de paroisses.* Il faut donc nécessairement, selon la doctrine de ce synode, que chaque Église, et à plus forte raison chaque particulier dépende, en ce qui regarde la foi, d'une autorité supérieure, qui réside dans quelque assemblée ou dans quelque corps, à laquelle autorité tous les fidèles soumettent leur jugement. Car les Indépendants ne refusent pas de se soumettre à la parole de Dieu, selon qu'ils croiront la devoir entendre; ni d'embrasser les décisions des synodes, quand après les avoir examinées, ils les trouveront raisonnables. Ce qu'ils refusent de faire, c'est de soumettre leur jugement à celui d'aucune assemblée, parce que nos adversaires leur ont appris que toute assemblée, même celle de l'Église universelle, est une société d'hommes sujets à faillir, et à laquelle par conséquent le Chrétien ne doit pas assujétir son jugement, ne devant cette sujétion qu'à Dieu seul. C'est de cette prétention des Indépendants que suivent les inconvénients que le synode de Charenton a si bien marqués. Car, quelque profession qu'on fasse de se soumettre à la parole de Dieu, si chacun croit avoir droit de l'interpréter selon son sens, et contre le sentiment de l'Église déclaré par un jugement dernier, cette prétention *ouvrira la porte à toute sorte d'extravagances;* elle *ôtera tout le moyen d'y apporter le remède*, puisque la décision de l'Église n'est pas un remède à ceux qui ne croient pas être obligés de s'y soumettre; enfin elle donnera lieu *à former autant de religions* non seulement *qu'il y a de paroisses*, mais encore qu'il y a de têtes.

Pour éviter ces inconvénients d'où s'ensuivrait la ruine du Christianisme, le synode de Charenton est obligé d'établir *une dépendance en matières ecclésiastiques*, et même en matière de foi; mais jamais cette dépendance n'empêchera les suites pernicieuses qu'ils ont voulu prévenir, si l'on n'établit avec nous cette maxime, que chaque Église particulière, et à plus forte raison chaque fidèle en particulier, doit croire qu'on est obligé de soumettre son propre jugement à l'autorité de l'Église.

Aussi voyons-nous au chapitre 5 de la Discipline de messieurs de la Religion prétendue réformée, titre des Consistoires, art. 31, que voulant prescrire le moyen de terminer *les débats qui pourraient survenir sur quelque point de doctrine ou de discipline*, etc., ils ordonnent premièrement que le consistoire tâchera d'*apaiser le tout sans bruit, et avec toute la douceur de la parole de Dieu;* et qu'après avoir établi le consistoire, le colloque et le synode provincial, comme autant de divers

degrés de jurisdiction, venant enfin au synode national, au-dessus duquel il n'y a parmi eux aucune puissance, ils en parlent en ces termes : *Là sera faite l'entière et finale résolution par la parole de Dieu, à laquelle s'ils refusent d'acquiescer de point en point, et avec exprès désaveu de leurs erreurs, ils seront retranchés de l'Église.* Il est visible que messieurs de la Religion prétendue réformée n'attribuent pas l'autorité de ce jugement dernier à la parole de Dieu prise en elle-même, et indépendamment de l'interprétation de l'Église, puisque cette parole ayant été employée dans les premiers jugements, ils ne laissent pas d'en permettre l'appel. C'est donc cette parole comme interprétée par le souverain tribunal de l'Église, qui fait *cette finale et dernière résolution, à laquelle quiconque refuse d'acquiescer de point en point*, quoiqu'il se vante d'être autorisé par la parole de Dieu, n'est plus regardé que comme un profane qui la corrompt, et qui en abuse.

Mais la forme des lettres d'envoi qui fut dressée au synode de Vitré en 1617, pour être suivie par les provinces quand elles députeront au synode national, a encore quelque chose de bien plus fort. Elle est conçue en ces termes : *Nous promettons devant Dieu de nous soumettre à tout ce qui sera conclu et résolu en votre sainte assemblée, y obéir, et l'exécuter de tout notre pouvoir, persuadés que nous sommes que Dieu y présidera, et vous conduira par son Saint-Esprit en toute vérité et équité, par la règle de sa parole.* Il ne s'agit pas ici de recevoir la résolution d'un synode, après qu'on a reconnu qu'il a parlé selon l'Ecriture : on s'y soumet avant même qu'il ait été assemblé ; et on le fait, parce qu'on est persuadé *que le Saint-Esprit y présidera.* Si cette persuasion est fondée sur une présomption humaine, peut-on en conscience *promettre devant Dieu de se soumettre à tout ce qui sera conclu et résolu, y obéir et l'exécuter de tout son pouvoir ?* Et si cette persuasion a son fondement dans une créance certaine de l'assistance que le Saint-Esprit donne à l'Eglise dans ses derniers jugements, les Catholiques mêmes n'en demandent pas davantage.

Ainsi la conduite de nos adversaires fait voir qu'ils conviennent avec nous de cette suprême autorité, sans laquelle on ne peut jamais terminer aucun doute de religion ; et si, lorsqu'ils ont voulu secouer le joug, ils ont nié que les fidèles fussent obligés de soumettre leur jugement à celui de l'Eglise, la nécessité d'établir l'ordre les a forcés dans la suite à reconnaître ce que leur premier engagement leur avait fait nier.

Ils ont passé bien plus avant au synode national tenu à Sainte-Foy en l'an 1578. Il se fit quelque ouverture de réconciliation avec les Luthériens, par le moyen d'un *formulaire de profession de foi générale et commune à toutes les Eglises*, qu'on proposait de dresser. Celles de ce royaume furent conviées d'envoyer à Rome une assemblée qui se devait tenir pour cela, *des gens de bien, approuvés et autorisés de toutes lesdites Eglises, avec ample procuration* POUR TRAITER, ACCORDER ET DÉCIDER DE TOUS LES POINTS DE LA DOCTRINE, *et autres choses concernant l'union.* Sur cette proposition, voici en quels termes fut conçue la résolution du synode de Sainte-Foy. *Le synode national de ce royaume, après avoir remercié Dieu d'une telle ouverture, et loué le soin, diligence et bons conseils des susdits convoqués, et* APPROUVANT LES REMÈDES QU'ILS ONT MIS EN AVANT, c'est-à-dire principalement celui de dresser une nouvelle confession de foi, et de donner pouvoir à certaines personnes de la faire, *a ordonné que si la copie de la susdite confession de foi est envoyée à temps, elle soit examinée en chacun synode provincial ou autrement, selon la commodité de chacune province. et cependant a député quatre ministres les plus expérimentés en telles affaires, auxquels charge expresse a été donnée de se trouver au lieu et jour avec lettres et amples procurations de tous les ministres et anciens députés des provinces de ce royaume, ensemble de monseigneur le vicomte de Turenne, pour faire toutes les choses que dessus ; même en cas* QU'ON N'EUT LE MOYEN D'EXAMINER PAR TOUTES LES PROVINCES LADITE CONFESSION, *on s'est remis à leur prudence et sain jugement pour accorder et* CONCLURE *tous les points qui seront mis en délibération, soit* POUR LA DOCTRINE *ou autre chose concernant le bien, union et repos de toutes les Eglises.* C'est à quoi aboutit enfin la fausse délicatesse de messieurs de la Religion prétendue réformée. Ils nous ont tant de fois reproché comme une faiblesse, cette soumission que nous avons pour les jugements de l'Eglise, qui n'est, disent-ils, qu'une société d'hommes sujets à faillir ; et cependant étant assemblés en corps dans un synode national qui représentait toutes les Eglises prétendues réformées de France ; ils n'ont pas craint de mettre leur foi en compromis entre les mains de quatre hommes, avec un si grand abandonnement de leurs propres sentiments, qu'ils leur ont donné plein pouvoir de changer la même confession de foi qu'ils proposent encore aujourd'hui à tout le monde chrétien comme une confession de foi qui ne contient autre chose que la pure parole de Dieu, et pour laquelle ils ont dit en la présentant à nos rois, qu'une infinité de personnes étaient prêtes à répandre leur sang. Je laisse au sage lecteur à faire ses réflexions sur le décret de ce synode, et j'achève d'expliquer en un mot les sentiments de l'Eglise.

XXI. *L'autorité du Saint-Siége et l'épiscopat.*

Le fils de Dieu ayant voulu que son Eglise fût une, et solidement bâtie sur l'unité, a établi et institué la primauté de saint Pierre pour l'entretenir et la cimenter. C'est pourquoi nous reconnaissons cette même primauté dans les successeurs du prince des Apôtres, auxquels on doit, pour cette raison, la soumission et l'obéissance que les saints conciles et les saints Pères ont toujours enseignée à tous les fidèles.

Quant aux choses dont on sait qu'on dispute dans les écoles, quoique les ministres ne cessent de les alléguer pour rendre cette puissance odieuse, il n'est pas nécessaire d'en parler ici, puisqu'elles ne sont pas de la foi catholique. Il suffit de reconnaître un chef

établi de Dieu pour conduire tout le troupeau dans ses voies, ce que feront toujours volontiers ceux qui aiment la concorde des frères et l'unanimité ecclésiastique.

Et certes, si les auteurs de la réformation prétendue eussent aimé l'unité, ils n'auraient ni aboli le gouvernement épiscopal qui est établi par Jésus-Christ même, et que l'on voit en vigueur dès le temps des Apôtres, ni méprisé l'autorité de la chaire de saint Pierre, qui a un fondement si certain dans l'Evangile et une suite si évidente dans la tradition : mais plutôt ils auraient conservé soigneusement et l'autorité de l'épiscopat qui établit l'unité dans les Eglises particulières, et la primauté du siége de saint Pierre, qui est le centre commmun de toute l'unité catholique.

XXII. Conclusion de ce traité.

Telle est l'exposition de la doctrine catholique, en laquelle, pour m'attacher à ce qu'il y a de principal, j'ai laissé quelques questions que messieurs de la Religion prétendue réformée ne regardent pas comme un sujet légitime de rupture. J'espère que ceux de leur communion qui examineront équitablement toutes les parties de ce traité, seront disposés par cette lecture à mieux recevoir les preuves sur lesquelles la foi de l'Eglise est établie, et reconnaîtront en attendant, que beaucoup de nos controverses se peuvent terminer par une sincère explication de nos sentiments, que notre doctrine est sainte, et que, selon leurs principes même, aucun de ses articles ne renverse les fondements du salut.

Si quelqu'un trouve à propos de répondre à ce traité, il est prié de considérer que, pour avancer quelque chose, il ne faut pas qu'il entreprenne de réfuter la doctrine qu'il contient, puisque j'ai eu dessein de la proposer seulement, sans en faire la preuve, et que, si en certains endroits j'ai touché quelques-unes des raisons qui l'établissent, c'est à cause que la connaissance des raisons principales d'une doctrine fait souvent une partie nécessaire de son exposition.

Ce serait aussi s'écarter du dessein de ce traité, que d'examiner les différents moyens dont les théologiens catholiques se sont servis pour établir ou pour éclaircir la doctrine du concile de Trente, et les diverses conséquences que les docteurs particuliers en ont tirées. Pour dire sur ce traité quelque chose de solide et qui aille au but, il faut, ou par des actes que l'Eglise se soit obligée de recevoir, prouver que sa foi n'est pas ici fidèlement exposée ; ou montrer que cette explication laisse toutes les objections dans leur force, et toutes les disputes en leur entier ; ou enfin faire voir précisément en quoi cette doctrine renverse les fondements de la foi.

HOLDENI VITA.

Holdenus (Henricus), Anglus, honesto loco in comitatu Lancastriæ 1596 natus, catholicæ religionis causâ à gente suâ recessit, anno 22 ætatis suæ, et Duacum appulit. Ibi assumpto nomine *Johnson*, in Anglorum collegio per annos fermè quinque commoratus est, et magnâ cum diligentiæ laude philosophicis theologicisque rebus operam navavit. Ut studia inchoata perficeret, altissimasque hauriret doctrinas è fonte celeberrimo, anno 1622 Lutetiam se contulit, ubi doctorali laureâ in Academiâ nobilissimâ civitatis donatus est, susceptis exactisque novis laboribus. Religionis ac statûs officiis deditus, ambitionis avaritiæque expers, indefesso zelo confessarii munus in ecclesiâ sancti Nicolai de Cardineto adimplevit. Reliquum tempus legendo, solvendisque nodis tum moralibus tum dogmaticis consumebat. In vitæ discrimen incidit, à furcifero quodam apprehensus, qui confessionis agendæ velo consilia abducens, nimis fidentem Holdenum pugione districto, spoliavit. Obiit anno 1665. Apud suæ ætatis theologos summâ famâ semper habitus est, sacræque Facultatis comitiis assiduus intererat, celeberrimorum doctorum in cœtu nobilissimus, scriptor clarissimus, argumentatione urgens, stylo concinnus, ordine lucidus, analysi synthesique accuratissimus.

Opera Holdeni quæ exstant sunt : *Divinæ fidei Analysis ; De schismate Protestantium ; Epistolæ plurimæ ; Annotationes ad novum Testamentum ; Responsio ad Lancy ; Præfatio de veritate Religionis christianæ.* Ampliaris operis hoc prolegomenon, belli civilis Angliæ furoribus subtrahi potuit, naufragioque et tempestatibus ægrè illud auctor rediens à patriâ eripuit. Multis propositionibus famosissimi libri *Divinæ Fidei Analysis* nota censuræ inusta fuit quasi malè sonantibus, minùsque orthodoxiæ germanis ; sed solus liber primus, salvo et intacto secundo, in vituperium incidit. Quem duplici de causâ prætermittimus : 1° quòd aliquantisper errorem redoleret in locis nonnullis ; 2° quòd de iisdem dissereret quæ in Tractatu de Fide jam prædicta fuerunt. Optimâ hujus operis parte, secundo scilicet libro abstinere, molestum foret, tum quia omni labe caret, tum quia mirificè ad complendum opus assuitur.

DIVINÆ FIDEI ANALYSIS,

SEU

DE FIDEI CHRISTIANÆ RESOLUTIONE.

De singularibus christianæ et catholicæ fidei articulis, quatenùs ab aliis veritatibus ad religionem christianam spectantibus, et ab incertis ac concertatis distinguuntur.

CAPUT PRIMUM.

De generalibus quibusdam capitibus ad speciales articulos accuratiùs examinandos prærequisitis.

Antequàm accedamus ad particulares circa religionem Catholicos inter et hæreticos concertationes sigillatim discutiendas, visum est capita quædam generalia præmittere, quibus viam ad pacem et unionem multò faciliorem reddi censemus.

Quid necessarium?

Primò debemus animadvertere quòd, cùm studeamus investigare quænam distinctè et præcisè *necessariò* credenda sint, oporteat vocabulum hoc *necessarium* ab omni æquivocâ ambiguitate vindicare. Distinximus autem supra duplicem articulorum fidei in genere, et secundùm se consideratorum, *necessitatem:* utputà, vel ratione formæ et substantiæ articuli credendi, vel ratione subjecti: formam autem eamdem omnibus æquè communem esse, subjectorum verò aliud alio nobilius et principalius. Huic divisioni superaddimus modò horum fidei subjectorum quædam esse, quæ minori et leviori *necessitate* in commune Ecclesiæ bonum amplectimur et agnoscimus; eò nimirùm quòd plurimi Christiani ex populo fideli per hujusmodi auxiliorum fidem et exercitium (putà sanctorum invocationem, imaginum usum, et similia) salvi facti sunt, qui secùs forsitan salutem nunquàm consecuti fuissent. Verùm non agimus impræsentiarum de hujusmodi *necessitatis* genere, quam tamen de quolibet singulari capite, suo loco signabimus. Exquirimus intereà fidei divinæ articulorum *necessitatem* juxta proprias suas et ingenitas rationes ac naturas, adeò ut qui horum minimum obstinatè denegaverit et refragatus fuerit, è sanctæ et Catholicæ Ecclesiæ communione excidendus et ejiciendus sit.

Veritates catholicæ quæ non sunt revelatæ.

Secundum commonendum et in mentem revocandum est, quod superiùs exposuimus de veritatum Christianarum diversitate ac distinctione. Quasdam nimirùm diximus Catholicas, quæ tametsi revelatæ non fuerint, nec idcircò tales sint quibus divinæ fidei (in locutionis proprietate) assensum præbere possimus, attamen adeò sunt Catholicæ et religioni Christianæ congenitæ et connexæ, ut qui illarum quamlibet pertinaci animo rejecerit et impugnaverit, hæreseos notâ sit meritò signandus, et ab Ecclesiæ communione et societate separandus. Hujus naturæ sunt, sacram Scripturam esse revelatum Dei verbum, omnia etiam quæ de Christi vitâ et morte vel in sacro codice describuntur, vel à totâ Ecclesiâ universim traduntur; et alia his similia. Hæ namque veritates, licèt non sint divinitùs revelatæ, verumtamen sunt quodammodò relatorum fundamenta. Illas igitur in eorum ordinem, quæ de *necessitate* credenda sunt, inscribemus.

Ad quæ dogmata non tenentur omnes Catholici amplectenda?

Consequitur ex dictis neminem teneri ad quodcumque dogma, etiam vulgatissimum, amplectendum et sustentandum, quod ab omnibus omninò Catholicis non creditur, nec habetur tanquàm Fidei divinæ et Catholicæ articulus. Dixi *ab omnibus*, nemine scilicet publicè contradicente, qui in Ecclesiæ Catholicæ ac Romanæ communione, et cum cæteris Christi membris consociatione, remanet atque admittitur. Quidquid enim à quibusdam Catholicis scriptoribus piis et doctis publicè propugnatur et defenditur, quique ideò nec ab Ecclesiâ juridicè damnantur nec excommunicantur, nequaquàm potest revelatæ veritatis seu fidei divinæ et catholicæ articuli rationem habere.

Conclusiones theologicæ excludendæ à catalogo articulorum fidei.

Hinc etiam jure secludimus è numero de *necessitate* credendorum, quidquid theologorum tantummodò consequiis et rationibus fulcitur. Omnes idcircò veritates purè theologicas (quarum paucissimas in hâc nostrâ tempestate invenimus, quas in utramque partem agitari non videmus) ad eamdem scientiam veluti proprium earum locum, remittimus; adeò ut non solùm ea de quibus in scholis indiscriminatim et in quamlibet æquè partem disputatur, sed et ea (si quæ sint) quibus omnes theologi hâc ratione assentiuntur, ex veritatum revelatarum indice et ab eorum catalogo, quæ fide divinâ et catholicâ *necessariò* credenda sunt, discludamus et excipiamus.

Jus canonicum excludendum à catalogo articulorum fidei.

Ulteriùs repellendum est ab hâc veritatum revela-

tarum et catholicarum serie integrum totius juris canonici corpus, decreta et decretalia, atque omnia hujusce generis statuta et responsa, sive de rebus facti ad Christianorum mores et Religionis exercitium quomodolibet spectantibus, sive de fidei divinæ dogmatibus constituta ac definita fuerint, juxta principia superiùs stabilita; nisi aliâ etiam viâ in universalis traditionis ratione fundentur; hæc enim ferè omnia (præterquàm quæ ex conciliis de hæreticis damnandis sunt inserta) aut negotia tractant particularia, aut provincias solitarias distinctè respiciunt, quæque sub hâc ratione traditionis universitatem non involvunt, proindeque divinæ et catholicæ fidei articulorum conditionem et naturam habere nequeunt.

Excluduntur constitutiones ecclesiasticæ.

His adjungere licet omnes prorsùs à temporibus Apostolorum editas ecclesiasticas constitutiones, cujuscumque fuerint rationis aut qualitatis, quas omnes ab hoc *necessariò* credendorum ordine amovemus et secludimus.

Excluduntur conciliorum provincialium decreta.

Nullas item definitiones aut decreta conciliorum provincialium, tametsi illis præfuerit Summus Pontifex, in hunc veritatum revelatarum et catholicarum indicem inserere licet, nisi sicut et supra, quatenùs alio modo totius Ecclesiæ consensum universum sibi conjunctum habeant.

Excluduntur omnes ritus ecclesiastici non divinitùs instituti.

Omnes denique Ecclesiarum ritus, usus, leges, statuta, et in religionis exercitio agendi vias, modos et mores, quæ non sunt divinitùs instituta (de quibus infra) et ab Ecclesiâ universâ sub hoc nomine tradita, ab hâc veritatum revelatarum et catholicarum serie excipimus et ablegamus.

Hæreticorum calumniæ.

Viderint jam hæretici quâ fronte nos falsò criminantur et calumniantur, dùm catholicæ fidei articulorum numerum in dies augere, dùm statutorum divinitùs traditorum catalogum quotidiè accumulare, nos impudenter accusant et insimulant.

CAPUT II.

Quòd omnia in SS. Apostolorum Symbolo contenta sint necessariò credenda, tanquàm veritates revelatæ et catholicæ.

Ex principiis in libro superiori et præcedente capite stabilitis, constat satis pauciores multò veritates esse revelatas et catholicas, quibus divinæ et catholicæ fidei assensum præbere tenemur, quàm solent vulgò theologi circa religionem controversias agitantes, arbitrari. Plurimi siquidem sunt, qui hæreticos majori zelo quàm scientiâ insectantes, non solùm consecutiones in theologiâ dubias et ancipites, sed etiam opiniones ubique passim in palæstris philosophicis concertatas, tanquàm ad fidem et religionem christianam sustentandam *necessarias*, propugnant et tuentur : veluti qui asseverant, quasi ad fidei divinæ certitudinem affirmandam omninò spectaret, *indifferentiam*, seu potiùs *contingentiam*, actionibus omnibus virtutis aut vitii rationem habentibus *pernecessariam* esse, nimirùm eò quòd sint, aut debeant esse operationes agentis liberi. Alii asserunt et tuentur idem corpus, seu *quantum*, posse duo simul loca distantia occupare, et illis commensurari, eò quòd corpus Christi sit more spirituali et *sacramentaliter* eodem tempore supra diversa et plura altaria; qui dùm religioni christianæ favere laborant, haud parùm (meo judicio) ei nocent et injuriam inferunt.

Omittuntur errores contra veritates naturales.

Prætermittimus hìc libenter tum depravatos quorumdam hæreticorum errores adversùs legem naturalem et Mosaicam; tum veritates omnes naturales, tametsi supernaturalium sint quodammodò fundamenta; utpote eorum qui dixerunt animam rationalem esse de substantiâ Dei, quod *Gnostici*, auctore Carpocrate, circa annum mundi redempti 129, et Priscillianistæ; circa annum 388, astruxerunt; necnon mori cum corpore, quod post atheos et hæreticos non paucos, sustinuit Hermanus Rissuich Batavus, nequissimus et stultissimus hominum an. 1460, qui præter alias spurcitias et blasphemias, vivus maluit, hunc errorem sustentando, exuri, quàm illum ejurare : hæc, inquam, et alia similia missa facimus, et religionis christianæ tantùm instituimus modò veritates tractare et annotare. Animadvertimus solummodò nullum esse prorsùs vel ipsius decalogi mandatum, aut veritatem adeò lumine naturæ notam, quam scelerati aliqui et flagitiosi hæretici non denegârint et oppugnârint. Unde ridiculum planè et stolidum est, quod arbitrantur quidam schismatici, quidquid scilicet unquàm in dubium revocatum fuerit, vel assertum à quovis apostatâ ab universâ Ecclesiâ damnato et anathematizato, liberè et intrepidè sustentari posse, eique oppositam veritatem pro incertâ haberi.

Omnia continentur in Symbolo Apostolico, quæ in Nicæno et Athanasiano.

Advertendum adhuc est Symbola Nicænum, et Athanasianum, nihil prorsùs continere, quod in Apostolico non habeatur, quamvis in hoc contractior, in illis fusior sit earumdem veritatum expressio. Quapropter ab universâ Ecclesiâ tanquàm revelatam et catholicam doctrinam complectentia recipiuntur et agnoscuntur. Una vel altera in illis superest clausula seu particula, quas inferiùs tangemus.

Deum esse, *est præambulum ad fidem.*

Juxta sermonis et vocabulorum proprietatem, *Deum esse*, præambulum potiùs est ad divinam et catholicam fidem, quàm Fidei divinæ articulus. Impossibile enim est alicui veritati assensum præbere ob revelantis Dei auctoritatem, nisi Deum esse priùs supponatur. Nec possumus huic veritati adhærere, *Deus est*, propterea quòd Deus hoc revelavit. Hi etenim termini sese mutuò destruunt. Præsupponimus igitur tanquàm lumine naturali notissimum, et evidentissimis argumentis e-

rationalibus stabilitum, ad primum Symboli articulum *Deum esse*, seu esse primam causam.

Deus creator cœli et terræ.

In hunc oportet et necessum est credere, atque eum profiteri *Creatorem esse cœli et terræ*, hoc est, orbem universum et quidquid extra se habet *esse*, ex nihilo formâsse, adversùs antiquiorum quorumdam hæreticorum ineptias; quorum primus fuit post Christum crucifixum Simon Magus, qui dicitur hoc denegâsse : quod postea Carpocrates notatus ab Irenæo, Epiphanio et Theodoreto, et refutatus ab eodem Irenæo et Tertulliano (unde *Carpocratiani* et *Gnostici*), circa annum 129 docuit, dicens mundum creatum esse ab angelis. *Marcion* (dictus à S. Polycarpo *primogenitus diaboli*) anno 155 duos posuit Deos, bonum unum, alterum malum, mundumque à malo Deo in malignitate suâ creatum fuisse. Hunc denotârunt Irenæus et Eusebius, quem et confutatum fuisse dicit Philaster à Presbyteris Ephesinis. Item *Cathari* anno 250 damnati cum aliis à Gregorio nono et ab Alexandro Papâ in concilio Lateranensi; *Manichæi* anno 273 refutati à pluribus sanctis Patribus et summis pontificibus; *Catharistæ* iidem qui Cathari, anno 279, *Priscilliani*, anno 380, quos refutârunt SS. Ambrosius, Augustinus, Leo. Damnata est eorum hæresis à concilio Cæsar-Augustano. *Albanenses* (1), anno 796, damnati à concilio Meldensi. Hi præter hunc errorem, alia quædam dogmata renovârunt, quæ priùs damnata fuerant à concilio II Nicæno et à Synodo Trullanâ. Alii autem dixerunt Deum formam habere humanam; ita Audius Anthropomorphitarum auctor anno 324, quem denotavit Epiphanius. Horum hæresis damnata est à conciliis Laodiceno, Gangrensi, Antiocheno, et ab episcopo Veronensi. Bogomilès 1179, qui traditur ab Alexio imperatore Constantinopolitano exustus; cujus antesignanus fuit quidam Basilius denotatus ab Euthymio (2); et damnati sunt eorum errores à Paschali papâ in concilio Lateranensi. Hi omnes facilè agnoverunt Deum auctorem peccati, quod Fides catholica semper abhorruit ac damnavit, uti adversùs Fortunatum convictum à S. Augustino anno 405; Lutherum, 1527, (qui fatetur Simonem Magum hoc asseruisse), Cacangelicos, 1556, et Libertinos, quos in aliis ipse Calvinus damnavit.

Trinitas personarum credenda in Deo.

Deum quem *unum* adoramus in *essentiâ*, vel *substantiâ*, *trinum* etiam esse in *personis* profitetur divina et catholica hujus Symboli fides. Adversùs sanctissimam hanc personarum Trinitatem in Deo, insurrexerunt hæretici non pauci. Quidam negaverunt Trinitatem in communi et genericâ Trinitatis ratione; alii Filii hypostasim seu personalitatem inficiati sunt, quorum aliquos sigillatim de quolibet capite in medium afferemus.

Ipsam Trinitatem oppugnavit Origenes circiter an. 230, ut refert Epiphanius in epist. ad episcopum Hierosolymitanum, inæqualitatem personarum in Filio et Spiritu sancto autumantem; cujus etiam errores denotavit sanctus Hieronymus et quinta synodus generalis. Sed Noetius et discipulus ejus Sabellius (in quem, et Arium, suum composuit symbolum S. Athanasius) circa annum 260 (à quibus postea *Patropassiani*) impudentiùs asseruerunt unum solummodò esse in Deo trinominem personam; ac idcircò damnatus fuit Sabellius cum Ario in conciliis primo Nicæno 318 episcoporum, Sirmiensi, et Alexandrino. Hermogenes Sabellii assecla, qui refellitur à Tertulliano et ante eum à S. Justino cum Praxeanis, qui damnati fuerunt à Zephyrino papâ, eâdem tempestate idem dixi. Photinus episcopus Sirmiensis, Pauli Samosateni discipulus, circiter anno 340, docuit Deum singularem et solitarium esse, et neque Verbum, neque Spiritum sanctum esse personam, damnatus cum Sabellio et Ario in concilio primo Nicæno, et à concilio primo Romano 275 episcoporum, et in concilio Sardicensi anno 347, et in concilio Constantinopolitano generali. Amantius seu Palladius anno 331 cum Polycronio, Asclepiade et aliis episcopis Arianis, SS. Trinitatem impugnavit, et damnatus fuit cum Secundiano à concilio Nicæno I sub Silvestro, et à concilio Aquileiensi anno 381 sub Damaso. Priscilliani damnati ut supra. (Priscilliani Noetium et Sabellium secuti sunt an. 380.) Olipius episcopus Carthag. 595, dùm in balneis SS. Trinitatem blasphemavit, tribus igneis fulminibus ab angelo visibiliter missis, dicitur lugubriter decidisse et exustum fuisse. Jacobitæ, 550, à Jacobo Syro (1) denotato à Nicephoro, damnati à conciliis Matisconensi secundo, Agathensi secundo et Aurelianensi primo, confessi sunt unitatem in Deo, sed Trinitatem respuebant. Joannes Philoponus, subtilissimus philosophus, Tritheitarum dux, 605, denotatus à Nicephoro, et confutatus à Leontio, asseruit ex adverso non solùm esse in Deo personarum Triadem, sed etiam naturarum Trinitatem, sicut est in tribus hominibus, ac proinde tres Deos constituit. Mahometes, verè Antichristus, anno 630, errorem hunc adversùs SS. Trinitatem, et alios innumeros Fidei et Religioni christianæ oppositos evulgavit. Adversùs eum scripserunt Ricoldus, Pius secundus et Bartholomæus Hungarius. Agareni (2) Sabellii sequaces, semichristiani, 650, magistri sui doctrinam amplexi

(1) Albanenses VIII seculo in Albaniâ nati, unde nomen traxerunt, surculus erant Manichæorum.

(2) Bogomili hæretici erant Bulgari, sic dicti à misericordiâ divinâ, quam perpetuò implorâsse traduntur. Bogomilus enim Mysorum linguâ est, *qui Dei misericordiam implorat*, ex conjunctis vocibus *Bog* Deus, et *Miloui* miserere nostri. Nomen igitur non est viri, sed vesaniæ cujusdam sectæ ex Manicheismo et Massalianismo conflatæ, quæ anno 1110 prodiit. Basilius iste monachus, sectæ parens, ille ipse est quem flammis tradidit imperator Alexius Comnenus.

(1) Jacobus iste, qui Asiaticorum Monophysitarum hodiè veluti parens habetur, ab aliis ejusdem nominis cognomine *Baradæi*, aut *Zanzali* distinguitur.

(2) *Agareni* dicti sunt Christiani apostatæ, qui VII seculo à Religione christianâ defecerunt, ut Alcoranum amplexarentur. *Agareni* autem dicti sunt, quòd Alcoranum profitendo, Religionem sectarentur Arabum, qui originem ducunt ab Ismaele filio Agar; unde et ipsi Arabes quandoque *Agareni* vocantur.

sunt. Michael Servetus Calvini collega, 1538, unicam statuit personam in Deo : hic, urgente Calvino, capitis damnatus est. Joannes Campanus, Matthias Illyricus et alii non pauci personarum distinctionem in Deo penitùs respuerunt; quibus et Calvinum superaddere licet; quamvis enim aliter loqui videatur, attamen reipsà Trinitatis nomen ferre non potuit. Recentiores autem nonnulli cum Lucâ Sternberger in SS. Trinitatem debacchantur, et horrendas blasphemias eructant. Alii fœminam, alii triplicem Cerberum vocant.

Secundæ personæ incarnationem credendam esse.

Adversùs deitatem et incarnationem Christi Domini venenum suum evomuerunt hæretici non pauci; quas tamen fidè divinâ et universali semper credidit Ecclesia catholica. Cerinthii denotati ab Irenæo, Tertulliano, Dionysio Alexandrino, Epiphanio, Augustino, et confutati à S. Clemente, Dionysio Areopagitâ, Ignatio, Martiale; Ebionæi denotati ab Irenæo et Epiphanio, et confutati ab Ignatio, Polycarpo et Martiale, et alii sub ipsis Apostolorum temporibus incarnationem Christi oppugnârunt; quos adversùs scripsisse traditur Evangelium suum verè divinum S. Joannes. Carpocrates denotatus et confutatus, ut supra, 129, cum discipulis suis dixit Christum purum hominem esse ex semine Joseph. Idem effutierunt Bassus quidam, aliàs Colorbasus cujusdam Marci discipulus, denotatus ab Irenæo, Epiphanio, Augustino, et refutatus ab eodem Irenæo et à Justino anno 150; *Artemon* seu *Artemas*, 191, cum *Theodoto Coriario et Montano* : denotati sunt Artemon et Theodotus à Tertulliano, Eusebio, Theodoreto, Nicephoro; Theodotus hic à S. Victore papâ excommunicatus fuit, Montanistæ autem ab hoc Montano iidem fuêre, qui Cataphrygæ, Encratitæ et Tatiani denotati passim à SS. Patribus, et ejecti ab Ecclesiâ à Zephyrino papâ, et confutati ab Athenagorâ, Serapione, Aniceto, et aliis. Paulus Samosatenus, 263, idem docuit, et ideò damnatus in synodo Antiochenâ, 264. Arius celebris ille presbyter Alexandrinus, 315, docuit Jesum Christum Filium Dei, Deo quidem similem esse, sed non consubstantialem, damnatus cum Sabellio in conc. I Nicæno, anno 325, et postea in concil. II Rom 275 episcoporum circa idem tempus (1), et in concil. II Rom. 116 Episcoporum anno 342 : in quo et decreta Nicæni primi confirmata fuêre. Photinus, qui supra, 340, asseruit Christum hominem tantummodò solitarium esse, damnatus ut supra. Marcellus Ancyranus episcopus circiter idem tempus, Christum similiter dixit purum hominem, damnatus in secundâ synodo generali, Constantinop. primâ, anno 381. Eufratas 345 idem sustinuit, damnatus in concilio Agrippinensi seu Coloniensi, anno 346. Apollinaris, quem denotârunt S. Gregorius Nazianzenus et Nyssenus, Epiphanius, Augustinus et Damascenus, 377, somniavit Christum sumpsisse quidem corpus humanum, sed non sumpsisse animam rationalem. Nestorius episcopus Constantinopolitanus, 427, Christum dixit hominem tantummodò ex Virgine quidem natum, ac ideò virginem esse Christotocon, sed non Theotocon; postea verò divinitatem sibi conjunctam habuisse ac ideò non solùm duas naturas, sed etiam duas personas posuit in Christo, refutatus à Theodoreto et Prospero, et damnatus à tertiâ synodo generali Ephesinâ, præsidente S. Cyrillo, anno 432. Eutiches Constantinopolitanus abbas, 448, ex adverso inficiabatur duas esse naturas in Christo, damnatus cum Dioscoro discipulo suo in concilio generali Chalcedonensi 630 episcoporum, anno 451, et iterùm cum Nestorio, qui supra, in concil. Aurelian. V, anno 549. Macarius episcopus Antiochenus, Monothelitarum dux, 680 voluntatem humanam, ac proinde naturam denegavit de Christo, damnatus à concilio VI generali Constantinopolitano III 170 episcoporum, anno 680. Jacobitæ, 550, unam tantùm naturam in Christo professi sunt. Sergius Pyrrhus, et Paulus, patriarchæ Constantinopolitani, et Cyrus Alexandrinus, Monothelitæ, 640, duas confundebant naturas in Christo, damnati à Concilio Lateransi I, 649. Felix Urgelitanus, et Elipandus episcopus Toletanus, anno 790 damnati ab Adriano papâ et à concilio Francofordiensi anno 794 et ab episcopis Galliæ, dixerunt Christum esse tantùm Filium Dei adoptivum, duas tamen posuêre hypostases seu personas in Christo. Hi pluresque alii, maximè à tempore schismatis Lutheri et Calvini (quos omnes numerare perlongum nimis foret) de Deitate et Incarnatione Christi Domini pessimè senserunt, et damnati sunt ab Ecclesiâ Catholicâ. Adversùs autem humanitatem Christi Domini oblatrârunt alii ejusdem farinæ homines, quorum aliquos citare inferiùs postulabit occasio.

Spiritûs sancti deitatem et personalitatem profitetur Ecclesia Catholica.

Spiritûs sancti divinitatem et personalitatem impugnârunt hæretici satis multi, præter eos quos superiùs attulimus. Melchisedechiani refutati à Tertulliano anno 240, teste Augustino, putârunt Melchisedech esse Spiritum sanctum. Abstinentes, 289, dixerunt Spiritum sanctum factum esse, et non esse Deum. Eustathius Sebastiensis episcopus anno 340 damnatus à concilio Gangrensi, recusavit profiteri Spiritum sanctum esse Deum. Photinus 340 non solùm Trinitatem denegavit, ut supra, sed etiam Spiritum sanctum personam esse divinam. Semiariani 357 dixerunt Spiritum sanctum nec esse de divinâ substantiâ, nec Deum esse, sed factum atque creatum. Majorinus Carthaginensis episcopus, et Rogatiani (ut vult S. Augustinus), 388, Spiritum sanctum minorem filio asserebant. Pneumatomachi, 359, plures fuêre episcopi (quorum unus Eustathius qui supra), negabant cum Macedonio Spiritum sanctum dicendum Trinitatis personam, damnati in synodo

(1) Multas præ se fert concilium illud Romanum sub Sylvestro celebratum, inanitatis et suppositionis adulterinæ notas, nec altiore quàm Isidori mercatoris auctoritate nititur, qui anno 700 suas propalabat merces. Prætermittitur à Dionysio abbate, qui Romæ Canonum Codicem, Justiniano imperante, concinnavit; etc., etc., etc. Vide Illustriss. de Marca, Chr. Lupum, Emm. Schelestratem, etc.

Constantinopolitanâ. Aerius, 350, consubstantialitatem Spiritûs sancti impugnabat, cum Fausto, Cleopatro, Polycronio, Telemacho et aliis episcopis Arianis; damnati à synodo Romanâ sub Liberio. Macedonius episcopus Constantinopolitanus, 359, noluit Spiritum sanctum consubstantialem esse Patri et Filio, sed esse puram creaturam dixit, damnatus à syn. II generali Constantinop. primâ, 150 episcop., anno 381. Aetius cum Eunomio refutatus à S. Athanasio, Basilio, Epiphanio, Ambrosio, Augustino, Cyrillo, 358, qui posuit inæqualitatem inter Patrem et Filium, ita inter Filium et Spiritum sanctum. Agareni, qui supra, 650, quod de Filio denegârunt, de Spiritu sancto potiori ratione debere denegari credebant. Mich. Servetus, qui supra, noluit Spiritum sanctum esse personam in Deo. Deistæ, qui et Trinitarii dicti sunt, nec deitatem, nec personalitatem concesserunt Spiritui sancto. Hi et alii quidam recentiores hæretici blasphema plurima in Spiritum sanctum eructârunt. Fuêre qui se Spiritum sanctum esse affirmârunt, se dare alii Spiritum sanctum, alii se habere Spiritum sanctum. Imò Adelphius quidam, sec. III, somniavit solâ oratione Spiritum sanctum in hominem visibiliter venire, sentiri, et conspici, atque alia multa mirabilia et sensibilia operari.

Christus conceptus de Spiritu sancto.

Christum de Spiritu sancto conceptum esse, id est, Christi incarnationem esse peculiarem divini amoris effectum, sustinuit semper Ecclesia catholica; negaverunt hæretici ferè omnes superiùs citati, necnon et alii multi qui docuerunt Spiritum sanctum creatum, factum, non Deum esse. Expressiùs autem denegârunt hunc articulum Abstinentes anno 289; Semiariani, 357, sicut et ii qui tertiam Trinitatis personam consubstantialem Patri et Filio noluerunt agnoscere, quos superiùs denotavimus.

Natus ex Mariâ Virgine.

Christum natum esse ex Mariâ Virgine, aversatur nemo Catholicus. Varii tamen sunt hæreticorum errores in hâc materiâ, ad duo præcipuè capita reducendi. Priùs eorum est qui inficiati sunt Christum natum esse de Mariâ Virgine : posteriùs eorum, qui asseruerunt Matrem Christi, nempe Mariam sponsam Joseph, non fuisse virginem. In utrumque caput peccaverunt Incarnationis inimici : veluti, præter eos, qui supra, Apellitæ (ab Apelle Marcionis discipulo) anno 170 docentes Christum carnem suam non de Matre, sed ex elementis accepisse. Hos denotârunt Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, Damascenus : confutârunt S. Justinus, Irenæus, Tertullianus, Soter papa. Julianus Halicarnassæus, refutatus ab Evagrio et Damasceno, dixit corpus Christi fuisse creatum immortale et impassibile. Apollinaris aiebat carnem Christi non de Virgine susceptam, sed de cœlo descendisse. Idem senserunt Sisimius anno 458, Timothæus 377, et alii plurimi. In secundum caput peccaverunt Antimariani seu Antidico-Marianitæ 396, quorum præcipui duces fuerunt Jovianus, denotatus ab Augustino et damnatus à concilio Telensi, et Helvidius refutatus ab eodem Augustino et Hieronymo, docentes B. Virginem post Christi nativitatem alios habuisse filios ex Joseph; Henriciani ab Henrico Monacho, refutati à S. Bernardo 1145, et alii multi neoterici, quos superavit omnes Lucas Sternberger (qui supra) 1561, asserens B. Virginem duos vel tres habuisse filios ante Christum natum.

Passum, crucifixum, mortuum, sepultum esse Christum.

Passum, crucifixum, mortuum et sepultum esse Christum, adeò expressè narratum est in Evangelio, ut nemo ferè crederet posse quemquam de rei veritate ambigere, qui eidem sacro codici fidem adhibet. Non defuêre tamen qui horum quodlibet sint inficiati, quos omnes hìc sigillatim recensere non licet. Nec pati, nec crucifigi potuisse Christum asseruit Julianus Halicarnassæus anno 512, iique omnes qui dixerunt corpus Christi à primo conceptionis suæ momento impassibile fuisse. In hoc etiam errore fuerunt illorum multi, qui Christum putaverunt non habuisse corpus à Virgine; ii etiam qui dixerunt fuisse corpus Christi phantasticum, non verum et reale, speciem quidem hominis præ se ferens, sed reipsà phantasma; adeò ut neque natum neque mortuum esse, nec carnem omninò habuisse crediderint. Agareni, anno 650, negârunt Christum fuisse à Judæis interemptum aut crucifixum; quod idem et Manichæi asseruerunt. Alii denique asseruerunt Christum nec passum nec crucifixum, sed alium quemdam à Judæis in crucem actum fuisse. Hi omnes ferè nec sepultum fuisse Christum, nec resurrexisse putavêre.

Christum descendisse ad inferos.

Christum descendisse ad inferos, hoc est, defunctorum animas quodammodò lustrâsse, et earum aliquas ab eo, quo detinebantur, statu liberâsse, semper credidit Ecclesia universa. Huic tamen articulo restiterunt hæretici modò citati, dùm eorum errores de naturâ corporis Christi in hunc etiam eos necessariò impulerunt. Calvinus impudenter blasphemavit asserendo Christum pœnas inferni sustinuisse, sed et impudentiùs adhuc (horrendum dictu) Præmonstratensis quidam Apostata ore sacrilego dixit Christum in cruce desperâsse, et in æternum damnatum esse.

Christum à mortuis resurrexisse.

Christum à mortuis resurrexisse, hoc est, verum Christi corpus è sepulcro redivivum, animæ nempe suæ reunitum fuisse, et per quadraginta dies in terris commoratum esse Catholicus nemo dubitat. Verùm hoc negârunt *Interimitæ* quidam Semi-Lutherani anno 1548, dicentes Christum nondùm resurrexisse; et Sternberger, qui supra, Christum dixit nec miracula fecisse, nec à mortuis resurrexisse.

Christum ad cœlos ascendisse.

Ascendisse Christum in cœlos, hoc est, super nubes omnes visibiles elevatum fuisse, credit omnis Christianus verè fidelis. Fuêre tamen (præter eos, qui in erroribus præcedentibus involuti, hunc etiam amplecti sunt coacti) *Apellitæ* anno 178, asserentes Chri-

stum in cœlum quidem ascendisse, sed absque carne et corpore humano.

Christum sedere ad dexteram Patris.

Christum sedere ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, hoc est, dignitatis et virtutis eminentiâ æquali patri suo constitutum et collocatum esse, fides est christiana; attamen ab iis omnibus negatum, qui et Resurrectionem et Ascensionem denegârunt; tum etiam à quibusdam *Seleucianis et Hermianis*, confutatis à S. Basilio et S. Gregorio Nazianz. et Nysseno (ex quibus profecti sunt *Massaliani*) anno 380 peculiaris hic articulus rejectus fuit.

Christum venturum ad judicandum mundum.

Christum venturum judicare vivos et mortuos, nullatenùs dubitant Catholici, quod tamen respuerunt hæretici non pauci : *Borboriani* seu *Castadogi* anno 129; *Floriani* 182; circa idem tempus *Prodianitæ*, Symmachus Ebionita 196, *Manichæi* 273, Samarius et Dinantius 1204, Dulcinus 1309. Hi omnes Christum judicem venturum nec sperabant, nec futurum ullum judicium generale credebant.

Credere in Spiritum sanctum, ut supra, oportet.

In Spiritum sanctum credit universa Ecclesia, nimirùm juxta fidem et doctrinam quam supra de Spiritu sancto declaravimus, ubi et hæreticorum errores in contrarium attulimus.

Credere Ecclesiam catholicam necesse est.

Sanctam et catholicam Ecclesiam credunt omnes verè Christiani : puta hujusmodi Ecclesiam existere, atque ad finem usque mundi duraturam esse, ut in libro superiori demonstravimus : illam esse *columnam et firmamentum veritatis*, 1 Tim 3; illi obediendum esse : illius rectoribus et pastoribus potestatem contulisse et commisisse Christum Dominum, leges et statuta in commune societatis bonum condendi et abrogandi, secundùm temporum et circumstantiarum varietatem et exigentiam (salvo semper et intacto quocumque divinitùs instituto), quibus debitè latis et receptis subditi obsequium præstare teneantur. Hinc institutum esse jure divino régimen hierarchium, cui subesse et cæteris Ecclesiæ membris uniri, ut puta in legis evangelicæ professione et exercitio, Christianis omnibus, communiter loquendo, ad salutem consequendam, necessarium est. Quicumque etenim non subest huic regimini, saltem in animi præparatione, vel non credit et exercetur in eâdem doctrinâ, sacramentis et alio quovis medio, quod ab iisdem Ecclesiæ rectoribus tanquàm divinum et catholicum universim habetur, sed iis pertinaciter resistit, dùm optimè noverit ea ab omnibus omnino Catholicis tanquàm revelata et christiana teneri; hic, inquam, qui his debitè propositis obstinatè refragatus fuerit, sanctam et catholicam Ecclesiam non credet eo sensu et judicio, quo semper Ecclesia universa hunc intellexerit articulum. Huic itaque inesse Ecclesiæ catholicæ facultatem divinitùs concessam gubernandi ac regendi populum fidelem in ordine ad legem evangelicam persolvendam, fides est christiana et catholica. Quæcumque autem ad hunc finem verè necessaria, aut convenientia sunt, societatis hujus rectoribus ac pastoribus statuere licet; quibus etiam mutuo respectu subditi obsequium debent.

Hæreticorum opiniones de Ecclesiâ. — Solos electos esse de Ecclesiâ.

Adversùs hanc veritatem catholicam hæretici omnes ferè insurrexerunt. Quidam asseruerunt solos electos seu prædestinatos esse de Ecclesiâ; quod locis non paucis et expressissimis sacri textûs oppositum est. Fuêre quidam *Cataphrygæ*, anno 181, qui Ecclesiam catholicam non cessârunt impudentissimis calumniis proscindere : Donatus refutatus ab Augustino, et damnatus à concilio Romano et à Melchiade papâ, anno 313, qui dixit Ecclesiam esse tantùm in Africâ, et eos solos esse de Ecclesiâ qui à suis partibus steterunt; quem postea errorem renovârunt *Fratricelli*, quos damnavit Bonifacius VIII, 1296, et concilium Viennense, anno 1312; et superaddiderunt se solos esse perfectos, et adeò immediatè edoctos à Christo, ut nemini obedire tenerentur.

Nullam esse in Ecclesiâ auctoritatem.

Jovinianus docuit nullam inesse Ecclesiæ potestatem leges condendi aut aliquid statuendi. *Albanenses*, 796, dixerunt ob malam prælatorum vitam Ecclesiam perdidisse omnem auctoritatem sibi naturaliter debitam. Petrus Joannes, de Oliva, denotatus à Guidone carmelitâ et Bernardo Lutzemburgo, et damnatus à concilio Viennensi sub Clemente quinto, anno 1311, Ecclesiam catholicam dixit esse Babylonem de Apocalypsi. Barthol. Janovisius (1), 1363, dixit totam Ecclesiam ex Judæis et infidelibus constituendam esse. Jo. Huss, 1400, bonos solummodò esse in Ecclesiâ voluit, damnatus à Concil. Constantiensi. Joannes Rockisana, 1430, ejusdem Hussi doctrinam amplexus est. Lutherus, 1517, asseruit malos non esse de Ecclesiâ. Schephierus, 1525, gloriabatur se revelationes habere, et collapsum Ecclesiæ statum se restauraturum fore. Joachimus Westphalus, 1533, dixit non esse tantam Ecclesiæ universæ auctoritatis certitudinem, quin possit errare in fide. Denique sectarii omnes recentiores Ecclesiæ auctoritatem odio semper funesto et studioso impugnârunt.

Episcoporum et presbyterorum æqualitas. — Imò laicorum et mulierum.

Fuerunt etiam hæretici non pauci Hierarchiam Ecclesiæ aversantes, qui cùm summi Pontificis supremam potestatem obluctati sunt, tum presbyterorum omnium et episcoporum omnimodam æqualitatem astruxerunt : imò qui et dixerunt mulieres deberi sacris initiari, atque posse quoscumque laicos et mulierculas æquè ac viros, sacerdotiò inaugurari, sacra per-

(1) Quem hic cl. Holden *Bartholomæum* vocat, idem probabiliter est, qui *Matthias à Janavv*, vel *Janovv*, aut *Janovvisius*, Bohemus, dictus *Parisinus*, quòd annos novem Parisiis studuisset, mortuus verò anno 1394. Vide *Calendar. Lupacii*.

agere, prædicationis, regiminis, aliaque omnia ecclesiastica munera subire, et officia tractare.

Sanctorum communionem.

Esse sanctorum communionem agnovit semper Ecclesia catholica, quæ nempe in bonorum spiritualium mutuâ communicatione consistit; eaque non solùm inter puriora militantis Ecclesiæ membra, quæ precibus suis aliisque piis operibus sibi reciprocè præbent auxilium, sed etiam futurorum concivium Ecclesiæ triumphantis sanctorum orationibus adjuvantur.

Libertini hæretici hanc sanctorum communionem de bonorum temporalium communicatione interpretati sunt, ac ideò, ut, quantùm poterit, quisque raperet, suaserunt. Sed de his latiùs disserere dabitur inferiùs occasio.

Peccatorum remissionem.

Esse peccatorum remissionem per merita passionis et mortis Christi Domini, nemini Christiano licet ambigere. Quod infra, cùm de sacramento pœnitentiæ agemus, clariùs apparebit.

Novatiani à *Novato* et *Novatiano* denotatis ab Eusebio, Epiphanio, Augustino, Theodoreto, Socrate et aliis (horum sequaces primum schisma fecerunt in Romanâ Ecclesiâ adversùs Cornelium Papam. Damnatus fuit Novatus à primo concilio Romano. Refutatus fuit Novatianus à SS. Cypriano, Dionysio Alexandrino et Zenone), docuerunt, anno 255, peccata post baptismum commissa nunquàm remitti posse.

Carnis resurrectionem.

Esse carnis resurrectionem docuit semper et firmissimè credidit Ecclesia catholica; unumquemque scilicet hominem proprium suum et individuale corpus resumpturum in extremo judicii die.

Errores adversùs resurrectionem.

Hunc articulum impugnârunt hæretici quàmplurimi: *Sadducæi*, Simon Magus, quem et discipulos ejus Menandrum, Saturninum, Basilidem denotavit Irenæus, quos et confutârunt S. Ignatius, Martialis, Justinus, Tertullianus, Epiphanius, Theodoretus; Dosithæus anno 52, Carpocrates 129, Colorbasus 152; et circa idem tempus Valentinus refutatus à Tertulliano, Epiphanio, Clemente Alexandrino, et Cerdon damnatus ab Hygino papâ; *Archontici*, 160, refutati à Tertulliano, Irenæo, Theophylacto; Florinus et Blastus anno 182, confutati ab Irenæo; et eâdem tempestate *Prodianitæ*, *Caiani* anno 195 refutati à Justino et Epiphanio; *Hierarchitæ* anno 279 denotati ab Epiphanio, Augustino, Hilario, et confutati à S. Hippolyto et Cypriano; *Severiani* à Severo (1), damnati cum Anthimo, Ibâ et Petro Gnaphæo episcopo Antiocheno circiter annum 470, à quintâ synodo Constantinopolitanâ 161 episcoporum et Felice Papâ. (Hic Petrus posuit quartam personam in Trinitate ac Deo in Trisagio apposuit *qui crucifixus est.*) *Albigenses* (1) anno 795 damnati ab episcopo Lugdunensi, Mich. Balbus imperator, 824, et alii penè infiniti, tam antiquiores, quàm recentiores hæretici, quos suis temporibus ab Ecclesiâ damnatos nôrunt omnes historiæ ecclesiasticæ periti.

Vitam æternam.

Futuram esse vitam æternam, et profitentur et sperant omnes Catholici; æternitatem scilicet omni felicitate perfectam sanctis et electis Dei, qui piè in hoc seculo vixerunt; et omni miseriâ calamitosam reprobis et insensatis, qui verâ charitate destituti, mundi hujus illecebras, et carnis concupiscentias magis quàm Omnipotentis et Redemptoris ineffabilem bonitatem dilexerunt.

Errores de æternâ vitâ.

Huic articulo obluctantur quotquot aut Deum esse, aut animam rationalem immortalem esse denegârunt. Ex quibus semper et ubique reperti sunt non pauci, maximè hâc nostrâ tempestate. *Sadducæi* vitam æternam haud agnoverunt, sicut nec *Essæi*. *Cerinthii* docuerunt regnum Christi post resurrectionem futurum esse temporale et terrenum, concupiscentiis et libidinibus abundans; quos et *Millenarii* seu *Chiliastæ*, denotati et refutati à Dionysio Alexandrino et ab Eusebio, quodam modo secuti sunt. *Bardesanistæ* anno 163 à quodam Bardesane, refutati à S. Justino et Irenæo, aliam post hanc futuram vitam denegârunt. *Albigenses*, 766, infernum nihil esse dixerunt; quod postea sustinuit Prædestinatensis Apostata, quem supra retulimus. Hermanus Rissuich (qui supra) 1499, David Georgius 1523, et alii plurimi errorem hunc sustinuerunt.

Nullus Fidei articulus, cui hæretici non sint obluctati.

Ex his constat nullum esse planè articulum fidei christianæ, nec in Symbolo Apostolorum contentum, in quem hæretici aliqui, quolibet ferè seculo, non insurrexerint; quique ideò ab Ecclesiâ damnati sunt. Quod animadvertere debent schismatici quidam nostri temporis, qui existimant nihil prorsùs esse *necessariò* credendum, quod non fuerit semper et ubique ab omnibus omninò Christianis recognitum et approbatum: seu nullum esse doctrinæ christianæ articulum universim et catholicè credendum, qui ab aliquibus unquàm denegatus aut improbatus fuerit.

Advertimus sub initio hujus capitis clausulas quasdam seu particulas superadditas reperiri in symbolis Nicæno et Athanasiano, quæ non habentur expressè in Apostolico, quas hìc denotare haud inutile judicavimus.

(1) Severus damnatus fuit cum Anthimo, Zoara et Petro Apamœensi, anno 536 in concilio CP. 55 episcoporum. Petrus autem Gnaphæus, seu Fullo, *Theopaschitarum* parens, in Antiochenâ Cathedrâ, quam invaserat, pluries eâ licèt ejectus et damnatus præsertim cum Acacio et Petro Mongo à concilio Romano 77 episcoporum, an. 484, diem tamen obiit supremum an. 488. Ibæ verò ad Marim epistola damnata fuit cum Theodori Mopsuesteni scriptis, et Theodoreti adversùs S. Cyrillum Capitula, anno 553 à quintâ synodo generali, CP. secundâ, cujus octavæ collationi 165 subscripserunt episcopi.

(1) Notos hoc nomine non puto Albigenses ante duodecimum seculum. Eosdem igitur hìc intelligere crediderim cl. auctorem, quos priùs *Albanenses* vocavit.

Superaddita in Symbolis Nicæno et Athanasiano, quæ non habentur in Apostolico.

In Nicæno dicitur, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum*, quod totum nihil aliud est quàm accuratior quædam explicatio ejusdem omninò veritatis, quam habet Symbolum Apostolicum, licet Calvinus impudenter appellet hunc loquendi modum, *ridiculam battologiam*.

Consubstantialem Patri, quamvis hæc verba superaddita fuerint ad confundendam hæresim Arii, verùm idem prorsùs sensus est, atque eadem significata veritas, quæ in Symbolo Apostolico, in illis verbis, *Filium ejus unicum*.

Quod de Spiritûs sancti deitate et æqualitate cum Patre et Filio exprimitur in Nicæno, implicitè habetur in Apostolico, ut supra ostendimus super illa verba, *Conceptus de Spiritu sancto*.

Qui ex Patre, Filioque procedit, hæc loquendi formula explicatior et magis exquisita videbatur concilii Patribus, quàm Græcorum loquendi modus, qui *à Patre per Filium procedit*, tametsi forsitan hæc discrepantia in verbis magis, quàm in re ipsâ sita sit, sepositâ malevolâ hæreticorum intentione, quâ Spiritûs sancti deitatem impetere conati sunt, quod Patribus concilii suspectum et fortassis notum fuit.

Ecclesiam catholicam et Apostolicam; superaddebatur hoc vocabulum ad lucidiorem Ecclesiæ christianæ et catholicæ naturam et originem detegendam.

De *Baptismate in remissionem peccatorum*, cujus hìc adjungitur confessio, agemus posthàc, cùm de sacramentis et de peccato originali disseremus.

Totum S. Athanasii Symbolum nihil penitùs aliud est, quàm exacta et exquisita mysteriorum Trinitatis et Incarnationis explicatio, juxta scilicet universum Catholicorum sensum et intellectum. Annectuntur solummodò hæc verba : *Reddituri de factis propriis rationem; et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum*. Quod etiamsi expressè et præcisè in Scripturis sæpiùs habeatur, attamen quia non defuerunt, nec desunt hæretici qui hoc denegant, rei veritatem infra suo loco tractabimus et demonstrabimus.

De adventu Spiritûs sancti quid credendum?

Haud opus est his superaddere universalis Ecclesiæ revelatam et catholicam fidem de visibili divini Spiritûs missione, *cùm* scilicet post resurrectionem Christi *complerentur dies Pentecostes*, Spiritum sanctum visibiliter descendisse in *discipulos ejus in eodem loco pariter congregatos*, ut habetur Act. 2. Quamvis enim non defuerint hæretici, qui mysterium hoc denegârint, imò qui et illud deriserint, verùm supposità sacri textûs et religionis christianæ veritate, sacrosanctam hanc et stupendam legis evangelicæ pangendæ rationem, eo, quo ibidem describitur, modo peractam fuisse, certissimè tenendum est.

CAPUT III.

Quid de Scripturis sacris, de conciliis generalibus, et de Summo Pontifice sit necessariò *credendum.*

§ I. *De scripturis sacris quid* necessariò *credendum.*

Ex dictis hucusque de hisce tribus articulis facile est discernere quid sit de quolibet sigillatim *necessariò* credendum.

1. De primo, esse Scripturam sacram seu revelatum Dei verbum (quod supra definivimus et ostendimus) tanquàm catholicæ veritatis articulum *necessariò* credendum esse, non licet ambigere.

2. Eos etiam libros omnes quos in canonem inscripsit universa totius Ecclesiæ consensio, canonicos esse.

3. Horum omnium quinam sint veri auctores, non eadem est certitudo ; ac ideò eorum omnium non eadem est auctoritas, ut fatentur quàmplurimi sacrarum Scripturarum interpretes.

4. In his doctrinam revelatam contineri fides est christiana. In quâ describendâ ac tradendâ nihil iis inesse falsi certissimè tenendum est.

5. Scripturarum sensum et intellectum populo fideli absque erroris periculo tradere et notum facere solius est Ecclesiæ universim consentientis.

6. Sacrorum codicum loca omnia, quæ à doctoribus catholicis absque censuræ notâ variè et diversè explicantur, catholicæ fidei articulos, solitariè sumpta, fundare nequeunt.

7. Nullus sacri textûs intellectus aut sensus potest aliâ quâvis ratione, quàm universali traditione adeò certè dignosci, ut fidei divinæ et catholicæ articulus possit inde citra omnem errorem superstrui et collocari.

8. Quamvis falsitatis arguere non licet quidquid habetur in sacro Codice, verumtamen quæ ad religionem non spectant, catholicæ fidei articulos nullatenùs astruunt.

9. Nulla prorsùs scripta ecclesiastica, quibus historicè referuntur nonnulla de variis et diversis subjectis ad religionem quodammodò spectantibus, putà de sanctorum vitis, miraculis, et similibus, sive in veteribus quibusdam et fabulosis *Legendis*, sive in aliis quibuscumque libris aut tabulis (secluso Bibliorum textu) à quâcumque auctoritate approbatis, continentur, divinæ et catholicæ veritatis certitudinem attingunt.

Scripturas omnes denegari ab hæreticis ostenditur.

Quanquàm Scripturas jactitent hæretici, quas à Catholicis se accepisse denegare non possunt, quarumque sensum et intellectum, quem ipsimet congruum opinantur, concedi postulant : harum tamen, quos sibi visum fuerit, libros è canone rejiciendos volunt ; adeò ut Bibliorum nullum, ne quidem libellulum habeamus, quem vel non penitùs rejecerint, vel apocryphum esse non asseruerint horum aliqui superbi et perversi apostatæ, quorum paucos hìc breviter denotare haud abs re videtur.

Errores circa Scripturas.

Cerinthii statim post Apostolos, anno 69, Evangelia omnia præter illud S. Matthæi et Actus Apostolorum respuebant. *Carpocratiani*, 129, integrum totius veteris Testamenti volumen apocryphum dixerunt. Marcion ejusque discipulus Cerdon, cum plurimis aliis, legem veterem à malo Deo fabricatam docuerunt; Evangelium solius Lucæ receperunt; Epistolas Pauli præterquàm illas ad Timotheum et Titum rejecerunt. *Archontici*, 160, Testamentum vetus impudenter calumniati sunt. *Apellitæ* Marcionis discipuli, 178, prophetas tanquàm inter se pugnantes contempserunt. Eàdem tempestate *Severiani*, quidquid antea à Marcione rejectum fuit, et ipsi rejecerunt; quibus et *Encharitæ* eodem tempore consenserunt quoad Epistolas Pauli. *Alogi*, 180, S. Joannis Evangelium et Apocalypsim respuerunt. *Manichæi*, 290, *Gnostici* et alii non pauci vetus Testamentum blasphemârunt, veluti à malo Deo conditum. Faustus cum aliis refutatis à S. Ambrosio et Augustino, anno 407, idem dixit. *Apocryphi* solùm prophetas et Apostolos recipiebant. *Albanenses*, *Bajolenses*, *Concordenses* et alii, 796, Marcionis vestigiis inhæserunt. Hermanus Rissuich, 1499, totam Scripturam sacram, non modò imperfectam, sed ad salutem inutilem esse arroganter asseveravit. Hujus errorem David Georgius, 1525, amplexus est. *Lutherani* Jacobi Epistolam, Pauli ad Hebræos, Joannis tertiam, Petri secundam, et Apocalypsim rejecerunt. *Libertini*, quorum Quintinus quidam Sartor, et Coppinus magistri fuêre, Scripturas deridebant et pro fabulis habebant. *Ambrosiani* suggestiones et divinas revelationes jactitantes, utrumque Testamentum parvipendendum dixerunt. Horum antiquiores damnatos jam supra citavimus; recentiores verò passim explosos et ab Ecclesiâ ejectos hoc ipso nostro seculo vidimus.

Nihil certum ex Scripturis, nisi certum sit, quænam sint et quinam earum sensus.

Quis modò non videt, quàm inane et omni ratione vacuum sit, *Scripturas*, *Scripturas* vociferare, nisi priùs de judice ab omni errore libero conveniamus, qui nobis libros verè canonicos et revelatum Dei verbum continentes, valeat *infallibiliter* decernere ac denuntiare. Sicut neque multùm proderit ad fidei et religionis concertationes dirimendas, Biblia sacra certissimè possidere, nisi explanatorem et interpretem, etiam aberrationis expertem, agnoscamus, qui nobis eorum sensum et sententiam quàm certè aperiat et exponat. Ipse etenim codex sacer judex mortuus est, qui nec litigantium utrinque rationes audire, nec sententiam eloqui valeat. Imò nullam apud nos habebunt Scripturæ firmitatem aut soliditatem, sed corruent prorsùs, si per administros et interpretes eorum falli possimus ac decipi.

§ II. *Quid de conciliis generalibus sit* necessariò *credendum?*

De conciliorum generalium, in rebus fidei definiendis, auctoritate jam superiùs nonnulla constituimus, quibus tanquàm principiis cætera omnia, quæ ad nostrum spectant institutum, contineri, perspicienti facilè constabit.

1. Primò debet concilium hujusmodi esse verè generale, cujus rationem supra definivimus : deinde articulorum Fidei divinæ et catholicæ testes esse, non fabricatores episcopi in concilio generali congregati; quod, ut supra notavimus, asseverant doctissimi auctores catholici.

2. Subjectum à concilio generali definiendum, seu declarandum, nequit esse veritas aliqua naturalis aut philosophica, sed fidei revelatæ et catholicæ materia, vel res facti divinitùs instituta, quæ et universam oportet respicere Ecclesiam.

3. Debent omnia in hujusmodi synodo *conciliariter* (ut loquuntur theologi) peragi, ita ut prævio examine diligenti et fideli, absque suffragiorum ambitu, aut sollicitâ prensatione discutiatur subjecta materia.

4. Quidquid igitur per modum præmii vel clausulæ viam decreto præmunientis, et parantis aditum Canonibus, astruitur, nequaquàm habet definitionis virtutem. Sicut neque probationes, vel rationes quæcumque ab episcopis allatæ; multò minùs quæ dicta sunt obiter et extra materiam inquisitioni subjectam; adeo ut præter nudos canones, eosque secundùm propriam verborum significationem intelligendos, nihil penitùs sit habendum tanquàm fidei divinæ et catholicæ dogma ab hujusmodi concilio definitum ac decretum.

5. Leges condendi potestatem inesse Ecclesiæ, maximè et præcipuè conciliis œcumenicis, jam supra demonstravimus. Omnia tamen eorum statuta et decreta non eamdem sortiuntur firmitatem. Quidquid de rebus facti constituunt (quod divinitùs institutum fuisse non agnovit universa Ecclesia) catholicæ fidei soliditatem non habet. Verumtamen quidquid ab Ecclesiâ catholicè receptum fuerit, vim legis seu canonis obtinet, cuique omnes Ecclesiæ subditi tenentur subscribere et obsequium præstare. Nec refert quòd Theologi passim affirmant, posse quodammodò errare Synodos omnes, etiam œcumenicas, in legibus ad Ecclesiasticæ disciplinæ regimen spectantibus, nec non in iis omnibus decernendis, quæ de perscriptis inquisitionum et documentorum tabulis pendent, eò quòd in iis omnibus prudentiæ rationes expendendæ sint. Hæc enim juxta varias rei christianæ conditiones vel omitti, vel immutari possunt ab iis qui in auctoritate constituti sunt, secundùm quod visum fuerit; quamvis receptis et perseverantibus hujusmodi conciliorum sanctionibus, eis subjacendum et obediendum est. Non est autem subditorum (ut supra notavimus) supremi Tribunalis statuta in dubium revocare, nec consuetudines auctoritate stabilitas et approbatas ad libitum corrigere (quod propria est tumultûs et seditionis ratio); sed legibus et moribus in Ecclesiæ disciplinâ canonicè erectis, vel usu comprobatis, inhærendum et obsequendum est.

Inutile hæreticorum errores in contrarium afferre.

Haud opus erit in hâc materiâ, vana hæreticorum commenta et oppositiones arrogantiâ tumidas in me-

dium afferre, cùm archihæretici omnes hoc primum et præcipuum jecerint errorum suorum fundamentum quòd Ecclesiæ universæ et œcumenicis synodis (à quibus semper damnati fuêre) liceat sese objicere et opponere; impudenter nimis et petulanter garrientes, et asserentes totam Ecclesiam catholicam posse universim à veritate fidei aberrare; imò et concilia omnia, etiam generalissima et legitimè congregata, posse et solere in rebus tum fidei, tum morum, verbo Dei contraria decernere. Bezam memini in præfatione suâ ad novum Testamentum Græco-Latinum affirmantem synodis omnibus, etiam optimorum temporum, quæ ex toto orbe christiano convenerunt, Satanam semper præfuisse. Horum igitur in hâc parte sceleratas prætermittamus blasphemias.

§ III. *Quid de summo pontifice sit* necessariò *credendum.*

De communibus summi pontificis auctoritatis rationibus jam supra disseruimus, eaque statuimus, quæ ad omnia in hâc materiâ decernenda viam sternunt.

Papa caput Ecclesiæ

Episcoporum christianorum primum esse Romanum pontificem, totiusque *Ecclesiæ caput*, fatetur quivis Catholicus. Illo mediante, mutuorum officiorum procuratio et consensio non minima provenit Ecclesiæ. Quinam tamen sint jurisdictionis ejus actus speciales, iique *divino jure* sedi suæ annexi, adeò ut hæreticum foret eis dissentire, vel ab ejus aut factis aut dictis discedere, difficillimum est deprehendere et determinare. Cùm enim investigare laboremus ea tantùm quæ fidei aut institutionis divinæ in Religione catholicâ *substantialia* et *necessaria* sint, omnia prorsùs jura et privilegia, quæ sedi Romanæ concessione humanâ, sive ecclesiasticâ, sive civili competere videmus, ab instituto nostro aliena sunt: dùm eâdem, quâ donata fuerint auctoritate, auferri posse nemo non agnoscat.

Si quid summo pontifici competit jure divino, illud immutabile est.

Si quem tamen habet summus pontifex jurisdictionis suæ divinitùs institutum actum peculiarem, qui cæteris episcopis non sit communis, huic certè nulla auctoritas in terris poterit sub anathematis pœnâ obsistere et refragari. Quod manifestè patet in omnibus Christi ordinatione stabilitis, etiam licet ad rem civilem eorum spectet materia: nequit, exempli gratiâ, reipublicæ magistratus civibus suis, catholicam religionem profitentibus, omnem prorsùs usum vini prohibere, nec tenerentur cives legem hujusmodi observare, cùm ad sacrificium missæ peragendum ex divinâ institutione vinum sit requisitum.

Conclusio prima. — Statuendum igitur primò, ea omnia quæ inter catholicæ professionis theologos de summi pontificis auctoritate decertata ac disputata sunt, ab hoc nostro articulorum fidei catalogo esse omninò delenda et excludenda.

Conclusio II. — Deinde in eis omnibus definiendis ac constituendis, in quibus errare posse fatentur theologi quidam catholici synodum œcumenicam, à fortiori ratione posse errare summum pontificem asserere non dubitant: putà in materiâ facti cujuslibet particularis, sive prudentiæ rationibus, sive inquisitionis documentis innitatur; nimirùm in legibus ad disciplinam condendis, quæ nonnunquàm Ecclesiæ universitati dissident, aut sanctorum canonisationibus quæ ex perscriptis inquisitorum ad hunc finem mandatorum instrumentis, omnem quam habent, firmitatem trahunt.

Privilegia Papæ sunt duplicis generis.

Constat quidem Romanæ sedi privilegia nonnulla ab imperatoribus concessa, quæ rectè et legitimè usurpata, totius Ecclesiæ commodo quandoque inservisse nemini licet ambigere. Alia verò sunt imperii, dignitatis, et amplitudinis humanæ insignia, quæ veterum quorumdam imperatorum ac regum pietas et religio sedi Apostolicæ attribuêre, quæque consuetudine quâdam approbata videntur; tametsi piissima et humillima Christianæ Religionis primordia hæc penitùs ignorârunt.

Actus speciales jurisdictionis papalis non sunt juris divini.

Quamvis autem actus illi, quos numerant communiter theologi, pontificis Romani speciales et quasi proprii, non sint huic sedi annexi, ex immediatâ et expressâ *Christi institutione*, seu *jure divino*; quos et in quibusdam occasionibus ab aliis præstitos, omissos, imò et impugnatos novimus; quales sunt, conciliorum generalium convocatio, in causis majoribus appellatio, in rebus gravioribus dispensatio, aliaque nonnulla mandata, brevia, bullæ, quæ à sede Romanâ solent et debent emanare; quamvis, inquam, hæc omnia à particularibus quandoque Ecclesiis, necnon à rebuspublicis civilibus examinata, limitata, et rejecta vidimus: hæc tamen debito sedis Apostolicæ juri nihil derogant.

S. Cyprianus restitit Stephano papæ.

Nec refert quod objiciunt aliqui, S. Cyprianum S. Stephano papæ restitisse, *errorem* illi impegisse, atque dixisse eum *imperitè* et *improvidè* scripsisse; utrique etenim communis fuit regula, *nihil innovandum, nisi quod traditum*, tametsi in re facti, non *divinitùs* instituti, nec universim traditi, diversa fuerit eorum opinio.

Summi pontifices possunt errare.

Parùm etiam obstat sanctissimæ huic pontificis auctoritati, quod doctores quidam catholici asserunt, pontifices maximos nonnunquàm à veritate aberrâsse; nec non in errore deprehensos universæ consentientis Ecclesiæ judicio, schismatum præcipuè temporibus, subditos esse; nec quod definitum asserunt in synodo generali Constantiensi (quod receptum postea et approbatum laudant in concilio Bituricensi) *concilium generale summo pontifici superius esse.*

Papa conciliorum caput, sed non magister.

Hæc sanè nihil prorsùs obstant, quominùs synodo-

rum omnium, etiam œcumenicarum, primum et proprium caput sit Romanus pontifex; haud asseveramus tamen posse Romanum pontificem renitentibus universalis synodi suffragiis adversum quidquam solidè et certò definire. Nihili etiam habendum est quod adducunt adversarii ex Catholicis historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus, summorum pontificum occasione exorta schismata, vel depositos pontifices Romanos; in decimo nimirùm seculo (quo dicit Bellarminus, *pontifices Romanos à veterum pietate degenerâsse, et principes sæculi sanctitate floruisse*), Gregorium VI depositum à concilio Sutrino; hoc enim vir innocens (ut quidam volunt) spontè subivit. Quod item de Benedicto XIII à concilio Constantiensi pontificatu abdicato objectant, facti res est, non juris, et ad fidei divinæ resolutionem nullius omninò momenti.

In quo consistit specialis papæ auctoritas.

Constat certè specialem quamdam et propriam præ cæteris omnibus episcopis superioritatem, sedi Romanæ *divino jure* tributam, ab universâ Ecclesiâ agnitam esse, quæ fidei divinæ soliditate credenda sit. Quòd enim Romanus pontifex, quatenùs S. Petri successor ex *institutione Christi*, sit omnium episcoporum *caput;* quòd Ecclesiasticis et civilibus concessionibus plurima temporis intercessu ei concessa sint jura et privilegia, huic sanè dignitati convenientissima; quòd ex ordine hierarchico supremi Pastoris munere dignum sit multa dispensare, et providere in commune Ecclesiæ bonum, quæ singulis inferioris ordinis Prælatis nec competunt nec conveniunt; quòd hæc, inquam, et similia summo debentur Apostolicæ sedis episcopo, Catholici omnes cum maximâ reverentiâ et obsequio fateri tenentur. Communem equidem capitis et pastoris rationem immutabili et *divinâ ordinatione* statutam esse, Catholicorum omnium profitetur Fides. Verùm quinam sint *eâdem lege* constituti speciales et peculiares hujus superioritatis actus, non adeò facile est decernere.

Omnis episcopalis auctoritas est immediatè à Christo.

Certum est etiam Episcoporum omnium jurisdictionem, sicut et Summi Pontificis, à Christo immediatè originem traxisse; imò et ex naturâ suâ illimitatam, et universalem esse, quemadmodùm accidit Apostolis, quorum successores sunt, quamvis ad Ecclesiasticæ aciei structuram et ordinem perfectum in militiâ spirituali componendum, suos cuique fines ac terminos distinguere necesse fuerit. Nec decuit sanè, nec potuit unusquisque episcopus in suâ diœcesi in eo superioritatis gradu constitutus esse, ut in totius Ecclesiæ constructione, non haberetur ea subordinationis ratio, quâ mystici hujus corporis Christi membra cuncta per modum unius monarchiæ coalescerent.

Exemptiones sunt contra jus naturale et divinum.

Verum est tamen in suâ quâlibet diœcesi episcopum adeò singulis superiorem esse, Clerumque totum et populum sibi subditum habere *jure naturali et divino*, ut nulli prorsùs in terris auctoritati liceat sacram hanc ordinationem violare. Si quando verò summi pontifices aut regum precibus, aut episcoporum incuriâ, imò vel consensu, ab ordinariorum jurisdictione exemptiones quasdam vel regularibus, vel aliis quibuscumque concesserint, hoc juris esse *infallibilis*, cùm sit in episcoporum ordinariorum sanctæ et divinæ auctoritatis detrimentum, non facilè credet peritus quisque, et ab immodicâ cupiditate liber, qui rem seriò perpenderit. Quod felicis recordationis beatus Franciscus de Sales, episcopus et princeps Genevensis, rectè notavit, dùm Epist. lib. 1, epist. 13 ad episcopum Beliensem scribit his verbis : *Domine, gratulor certè victoriis tuis; quidquid enim in adversum dicatur, maxima est Dei gloria, quòd ordo noster episcopalis juxta valorem suum agnitus sit, et quòd Exemptionum* muscus *avellatur ab arbore Ecclesiæ, quo vidimus tot mala provenisse, sicut SS. concilium Tridentinum nos optimè admonuit.*

Pontifex Romanus non est episcopus universalis.

Quapropter dicere non licet pontificem Romanum esse *episcopum universalem*, ita ut cujuslibet diœceseos, sede vacante, sit ipse verè episcopus (quod juris canonici antecessores quidam clarissimi autumant esse *episcopum episcoporum*, seu ordinarium ordinariorum) hoc etenim erroneum est in fide. Verumtamen ad ipsum spectat Ecclesiarum omnium sollicitudo, quibus et providere tenetur, deficiente aliorum curâ, juxta rerum et circumstantiarum debitam et urgentem necessitatem.

Sanctam hanc et apostolicam sedem venenosis suis et sceleratis conviciis et opprobriis solent hæretici omnes aggredi et appetere; adeò ut recentiores aliqui papam esse ipsummet Antichristum non vereantur procaciter affirmare, quos in medium afferre haud operæ pretium judicavimus.

Calumniantur hæretici Catholicorum doctrinam.

Patet tandem ex dictis quàm falsò nos criminantur schismatici, dùm pronuntiant et clamitant, nos Papam Deum facere, iniquæ tyrannidis potestatem ipsi attribuere, orbis universi et in spiritualibus et in temporalibus Dominum constituere; adeò ut de bonis omnibus ad quoscumque spectantibus possit ad libitum disponere, subditos ab obedientiâ principibus et magistratibus debitâ (si vel hæretici, vel impii, vel stolidi fuerint) liberare, reges deponere, necnon ut à subditis occidantur veniam dare et procurare, sacramenta constituere nova, vel constituta immutare, imò denique novos articulos fidei condere : his, inquam, et hujusmodi non paucis iniquis et fictis criminibus nos quotidiè insimulant; at quàm immeritò, ea quæ superiùs dicta sunt, evidentissimè demonstrant.

CAPUT IV.

Quid de sacramentis legis Evangelicæ et Christianæ sit fide Catholicâ necessariò *credendum?*

§ I. *Quid de communi sacramentorum ratione sit* necessariò *credendum?*

Hæreses quamplurimæ adversùs novæ legis sacra-

menta in omni ferè seculo sunt exortæ, adeò ut nulla penitùs habeamus dogmata in hâc materiâ, quibus divinæ et Catholicæ fidei assensu adhærere tenemur, quæ ab aliquibus schismaticis non fuerint impugnata.

Tria de sacramentis in communi necessariò *credenda.*

De sacramentis in genere tria sunt, quæ fidei Catholicæ rationem obtinent. Primum, esse quædam sacramenta legis Evangelicæ ab ipso Christo Domino instituta. Secundum, hæc esse numerò septem. Tertium, hisce mediantibus, Deum gratiam suam conferre iis qui dignè præparati eorum fiunt participes.

His annectitur intentio ministri quodlibet sacramentum administrantis, ut agat scilicet seriò, tanquàm homo qui intendit facere quod debet, ipsam saltem actionem exteriorem. Character autem, seu destinatio et sigillatio quædam indelebilis, ad trium sacramentorum, Baptismi nempe, Confirmationis, et Ordinis receptionem naturaliter sequitur, et eorum quodlibet suscipientibus imprimitur.

Hæreticorum errores.

Hæretici in multis nos falsò criminantur circa hanc materiam, nobisque fidem, quam nunquàm professa sit Ecclesia Catholica, iniquè ascribunt. In hos autem tres articulos insurrexerunt Cataphrygæ circiter anno 181, Sacramenta funesta dicentes. Cathari, 256, sacramenta nihil valere docuerunt. Catharistæ, 279, sacramenta non modò negârunt, sed et esse execranda voluerunt. Donatistæ, 358, sacramenta à malis sacerdotibus administrata, esse nulla putârunt. Albanenses 796 idem asseruerunt, opinantes malam prælatorum vitam sacramentorum validitati obesse, quos superiùs damnatos retulimus. Wicleffus anno 1382 damnatus à concilio Constantiensi eumdem sustinuit errorem, quem postea Adiaphoristæ docuerunt, à quibus omne exercitium Religionis externum et sensibile adiaphorum, et prorsùs indifferens ad pietatem et salutem æternam habebatur. Armeni, 640, negârunt Deum per sacramenta gratiam conferre; quod Lutherus oblivione sepultum renovavit. Flagellantes, 1342, quos damnavit Clemens sextus, Sacramenta contempserunt. Adamitæ, non illi antiqui Adamitæ denotati à Tertulliano, Epiphanio, Augustino, et refutati ab Athenagorâ, Irenæo et Clemente Alexandrino, sed novi quidam anno 1430, inter quos celebris fuit Rockisana damnatus à Paulo secundo, nudi sacramenta administrabant, et recipiebant. Bisacramentales, Flacciani, et Calvinus duo tantùm sacramenta esse voluerunt; Jacobus Præpositi tria solummodò agnovit sacramenta à Christo instituta, cætera ab Ecclesiâ inventa, cui et Trisacramentales consenserunt. Ex quibus constat nihil omninò solidi et certi circa sacramenta, vel aliam quamvis rei Christianæ materiam permansurum esse, si laxatis omnis obsequii Ecclesiæ debiti habenis, cuilibet, quod sibi visum fuerit, opinari et asseverare liceat.

§ II *Quid de Baptismatis sacramento sit* necessariò *credendum?*

1. Supponit hoc sacramentum primi hominis lapsum seu peccatum originale, quod inferiùs discutiemus. Credimus interea primò institutum fuisse Baptismi sacramentum à Christo Domino ad peccatum originale delendum, ut scilicet homo qui ex spermate corrupto nativitatem traxit labe naturali vitiatam, per sanctum hoc regenerationis lavacrum in immaculatam Christi militiam inscriberetur, quo nimirùm confertur gratia Domini nostri Jesu Christi ad originalis culpæ reatum, et totum, quòd verè et propriè peccati rationem habeat, tollendum et remittendum. Secundò quòd medium sit de communi et ordinaria providentiæ via ad æternam salutem necessarium. Tertiò quòd ex institutione suâ materiam habeat *aquam*, formam verò hanc vel æquivalentem: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et, Spiritûs sancti.* Hæc, inquam, docet Catholica et divina fides.

Hæreticorum errores.

2. Circa Baptismi Sacramentum hæretici, columnam et firmamentum veritatis Ecclesiam Catholicam deserentes, in varios errores prolapsi sunt. Marcitæ, à Marco Valentini discipulo, anno 155, miram construxerunt Baptismi formam, illum administrantes *in nomine ignoti Patris omnium, in veritate matre omnium, et in eo, qui descendit, Jesu.* Cataphrygæ, 181, baptizare noluerunt in nomine Trinitatis. Paulus Samosatenus, 270, noluit Baptismum administrari in nomine trium personarum. Sabbas, 368, asseruit baptismum nullam prorsùs habere virtutem, Seleuciani et Hermiani circa idem tempus noluerunt uti aquâ in baptismate, eò quòd dicatur Matth. 3 : *Baptizat in Spiritu sancto et igne.* Deuterius Arianus, 493, formam Baptismi in favorem sui erroris mutari voluit. Jacobus Syrus, 530, frontem baptizandorum ferro candenti inurendam dixit. Berengarius refutatus à Petro Cluniacensi, cujus hæresis damnata fuit à Leone IX, anno 1050, parvulos docuit non esse baptizandos, sed adultos solummodò; quod idem Petrus de Bruis et Henricus Apostata 1145 renovârunt. Flagellantes, 1259, dixerunt Baptismum aquæ cessâsse, et immutatum esse in Baptismum sanguinis flagello ex proprio corpore excussi. Fratricelli 1296 docuerunt idem, quod jam notavimus Berengarium asseruisse. Quod et nonnulli discipulorum Lutheri sustinuerunt. Anabaptistæ verò in diversas sectas et classes divisi sunt, quorum pars maxima docet Baptismum rationis usu carentibus administratum nihil prodesse. Lucas autem Sternberger sacrum Baptismum appellavit *satanicam institutionem.* Suencefeldiani autem, *suillum balneum.* Calvinus denique baptizatorum filios nasci voluit sanctos, adeòque et baptisma et ipsum originale peccatum sustulit. Nec mirum in tot fictitios et imaginarios errores prolapsos et distractos esse qui veram fidei regulam, Ecclesiæ catholicæ traditionem, deseruerunt.

§ III. *Quid de sacramento Confirmationis sit* necessariò *credendum?*

Divina et catholica fides nos etiam docet sacramentum *Confirmationis* ab ipso Christo Domino institutum fuisse, quo Deus gratiam suam conferre dignatur et

qui debitè præparatus est, et cui ritè administratur, nimirùm ad muniendam et roborandam in tentationibus humanam infirmitatem, ac præcipuè ad nomen suum (datis occasionibus in quibus auxilio et fortitudine *desursùm* descendente maximè opus habemus) profitendum coram *inimicis crucis* suæ; formam etiam et materiam habere ex ejusdem Christi institutione, juxta communem earum rationem, quibus usi sunt Apostoli, et modò utitur Ecclesia. Dixi, *juxta communem earum rationem*, quod et in hoc et in cæteris sacramentis necesse est animadvertere. Haud refert enim an iisdem penitùs verbis materialibus, nec pluribus, nec paucioribus, administratum sit hoc sacramentum, seu an in eâdem omninò chrismatis specie, eodemve manuum impositionis et actionis modo, quibus vel à Christo, vel ab Apostolis usitatum fuerit, dummodò easdem communes sacramenti materiæ et formæ rationes, divinâ institutione præscriptas, teneamus.

Hæreticorum errores.

Quamvis sacramentum hoc ab Apostolis exercitatum fuisse, in eoque Spiritûs sancti gratiæ plenitudinem donari Scripturæ conceptis verbis nos doceant, non defuêre tamen, nec desunt hæretici, qui illud contemnunt et rejiciunt. Novatianus et Novatus, anno 252, negârunt baptizatos debere sacro chrismate confirmari : imò nec sacramentum Confirmationis olei sacri illitionem postulare. Wicleffus, 1382, Confirmationis sacramentum irrisit. Pauperes de Lugduno, seu Waldenses, anno 1160, refutati à Caffordio, et damnati à Gregorio, noluerunt Confirmationem esse sacramentum. Lutherus, 1520, docuit Confirmationem neque esse sacramentum, neque gratiam conferre, sed esse meram cæremoniam inutilem. Rutheni Confirmationis sacramentum respuunt et rejiciunt. Sectarii ferè omnes hujus seculi Confirmationem cum aliis quibusdam sacramentis tollere laborant. Ita *unusquisque in suo sensu abundans*, ruptis obedientiæ et fidei repagulis, quod suo arridet phantasmati, amplectitur et sustentat.

§ IV. *Quid de sacramento Eucharistiæ sit* necessariò *credendum?*

In sacro sanctum Eucharistiæ sacramentum, nec non in divinum missæ sacrificium innumeras eructant blasphemias nostri temporis hæretici. Quid igitur in hâc materiâ sit universalis Ecclesiæ fides Catholica et divina, accuratiùs et distinctiùs, observatâ verborum proprietate, denotabimus : 1° Quòd in Eucharistiæ sacramento sit verè, realiter, et substantialiter corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi; quòd, quia subsistens et animatum est, cum eo simul sit anima et divinitas; 2° quòd panis et vinum sit hujus sacramenti materia, forma verò consecrationis verba; 3° quòd substantia panis et vini convertatur in substantiam corporis et sanguinis Christi; 4° quòd sub alterâ tantùm specie totus atque integer Christus, verumque sacramentum contineatur ac sumatur.

Quid Transsubstantiatio *in communi.*

Animadvertendum hìc obiter judicavi, quid sibi vult hoc vocabulum *Transsubstantiatio*, quod recentiores quosdam hæreticos multùm angit et discruciat. Clarum est autem *transsubstantiationem* in communi nihil aliud significare, quàm actionem quâ una substantia convertitur in aliam, seu conversionem substantialem, cujus plurimæ sunt species, sive loquamur de hujusmodi actionibus, quatenùs fiunt viâ supernaturali, ut quando substantia aquæ conversa fuit in substantiam vini *ad nuptias in Canâ Galileæ;* vel quatenùs fiunt viâ naturali, hoc est, partialiter vel secundùm solam formam, ut quando ex substantiâ ligni fit substantia ignis. Omnis igitur actio quâ fit effectiva transitio de substantiâ in substantiam, sive ex corruptâ unâ producatur altera, ut in actione naturali, sive desinente unâ ponatur altera, ut in actione miraculosâ, semper dici potest hujusmodi actio aliquo modo conversio substantialis, seu quædam *transsubstantiatio*. Sunt quidem actiones quæ terminantur ad accidentia, ut *augmentatio*, quâ producitur major quantitas, *calefactio*, quâ producitur calor. De his autem nihil modò curandum est. Sufficit annotâsse omnem conversionem substantiæ in substantiam, posse dici quodammodò *transsubstantiationem*, nimirùm ex communi ipsius actionis ratione et materiâ.

Duplex transsubstantiatio.

Diximus autem conversionem hanc substantialem in communi suâ ratione consideratam, duobus modis fieri posse, vel modo naturali, ut putà cum ex ligno fit ignis; emittit enim ignis calorem suum in materiam heterogeneam, ita ut paulatim disponendo subjectum expellat formam oppositam, et seipsum introducat, remanente materiâ communi : qui quidem modus utcumque sit difficilis satis explicatu, attamen quia sensu familiaris et usitatus est, ab omnibus admittitur; vel modo supernaturali, nempe quando in hujusmodi instantaneâ conversione substantiali, desunt causæ naturales, quibus veluti instrumentis propriis et congenitis effici possit hæc conversio, per expulsionem formæ substantialis contrariæ (sicuti fit in actione naturali) ut in miraculosâ conversione aquæ in vinum jam allatâ : nullæ siquidem causæ congenitæ aderant, vel adhibitæ fuerant, quibus tanquàm instrumentis naturalibus fieret hujuscemodi conversio; quemadmodùm accidit cùm modicum aquæ in lagenam vini immissum, in ipsum vinum naturaliter convertitur, sicuti lignum in ignem. Hinc apparet quàm inaniter gloriantur hæretici quidam, eò quòd fateamur hujusmodi supernaturalis conversionis substantialis modum nos penitùs latere. Quis enim novit modum operationis virtutis divinæ, cùm supra naturæ vires et ordinem aliquid operatur? Scimus quidem ex revelatione divinâ nobis universim traditâ, naturam et rationem hujusmodi actionis in communi, putà quòd sit conversio substantialis, seu de substantiâ in substantiam effectiva transitio, ignoramus tamen modum quo fit hæc conversio.

Modus actionis hujus ignoratur.

Etenim nec videmus, nec scimus quibus instrumen-

tis destruitur tota substantia panis, ejus forma scilicet et materia, ejusque loco introducitur substantia Christi, quæ est *propria ratio transsubstantiationis, nempe mutatio integræ substantiæ in integram substantiam.* In conversionibus quidem naturalibus, ubi remanet subjectum commune, verisimile quid possumus conjectare. Necesse igitur est ut inscitiam et ignorantiam nostram fateamur in eo quod non solùm humanum, sed nec angelicum valeat comprehendere ingenium. Cùm verò nesciamus hujusmodi actionis viam et modum, rationem tamen et naturam ejus certissimè credimus. Longè enim aliud est ratio et substantia actionis alicujus productivæ in communi et in specie suâ, an nimirùm accidentalis, an substantialis sit, quod à termino producto dignoscendum est; et si substantialis, an secundùm formam tantùm, an secundùm totam substantiam; aliud verò est modus actionis, qui petendus est à diversis mediis et circumstantiis, necnon ab activitate et qualitate instrumentorum, quibus utitur agens in operatione suâ.

Alius modus ignoratur in Eucharistiâ.

Alius est etiam modus in hoc mysterio, quem prorsùs ignorant mortales, nempe quo corpus Christi est in hoc Sacramento seu in Altari. Novimus quidem omnes corpus seu *quantum* esse naturaliter alicubi, seu in loco, per commensurationem superficiei suæ cum superficie corporis ambientis; imò et spiritum esse suo modo in loco per actuale virtutis suæ exercitium; attamen quomodò fieri possit, ut corpus seu quantum sit alicubi indivisibiliter et spiritualiter, simulque verè et realiter, hoc creatum omnem superat intellectum. Quamvis enim nequaquàm hæsitemus divino suffulti testimonio credere et profiteri verum et reale Christi corpus esse in Altari, modum tamen quo ibi sit, solius omniscientis Dei est comprehendere. Quod idem de Trinitate, Incarnatione, Resurrectione et aliis fidei Christianæ mysteriis necesse est asseverare.

Ex quibus constat quàm falsò in multis nos criminentur hæretici, dùm summa doctrinæ nostræ in hâc parte sit in eo sita, ut verum et reale corpus Christi profiteamur esse in hoc Sacramento, non more corporeo et passibili, sed spirituali et invisibili, nobis omninò incognito. Quamvis enim dicere possumus corpus Christi subjectari et esse in loco, vel in altari per ipsas dimensiones seu quantitatem, quæ fuit panis, attamen hoc difficultatem non tollit; de quantitatis namque Christi corpori propriæ, et corporis ejus existendi modo, quatenùs *hic est* indivisibiliter, spiritaliter et sacramentaliter sub his speciebus, manebit semper abstrusum et inscrutabile mysterium. Quo patet, frivolas esse et inanes, quas adversùs nos objectant hæretici oppositas rationes, nec opus esse nos immiscere scholasticis et philosophicis disputationibus ac subtilitatibus, quarum innumeræ emergunt in mysterii hujus inexplicabilis investigatione.

Duæ veritates superioribus annexæ.

His aliæ duæ veritates Christianæ adeò immediatè sunt annexæ, atque necessariò cohærent, ut illas etiam fide Catholicâ credendas esse dubitare non liceat. Prima, quòd in hoc sacrosancto Eucharistiæ sacramento Christus unigenitus Dei Filius sit cultu Latriæ adorandus, quod supposità præmissarum propositionum veritate, blasphemum est denegare. Altera, quòd non sit de necessitate integritatis sacramenti, aut præcepto divino constitutum, ut semper et ubique sub utràque specie conjunctum administretur populo fideli.

Hæreticorum errores.

Divinæ huic et Catholicæ doctrinæ refragantur recentiores hæretici non pauci, plurimùm inter se divisi. Antiquissimi autem fuêre hæretici, dicti *sacramentarii*, quos denotavit S. Ignatius, negantes in Eucharistiâ esse carnem Salvatoris, quos refutârunt idem S. Ignatius et Martialis. *Catharistæ* anno 279 negârunt sacramentum hoc posse confici ex pane confecto ex aquâ et igne. *Armeni* anno 640, damnati à concilio VI generali et à conciliis Bracharensi et Trullano 692, docuerunt non in azymo, sed in solo fermentato posse confici hoc sacramentum. *Albanenses* 796 dixerunt sacramentum altaris nihil esse. Berengarius 1050 negavit verum Christi corpus esse in Eucharistiæ sacramento, et substantiam panis remanere. *Henriciani* et *Petrobrusiani* 1128 veritatem corporis Christi in Eucharistiâ similiter denegârunt. *Pauperes de Lugduno*, seu *Waldenses* 1160 novam finxerunt consecrationis formam, sacramentum hoc conficientes dicendo septies, *Pater noster*, etc. *Albigenses* 1206 asseruerunt corpus Christi non aliter esse in pane, quàm in aliis rebus. *Begardi* et *Beguinæ* anno 1414, damnati à concilio Viennensi, voluerunt in elevatione corporis Christi inter sacrificandum nullam exhibendam esse reverentiam. Joannes Wicleffus 1382 substantiam panis et vini post consecrationem remanere putavit. Græci præstantissimum sacramentum confici docent in die cœnæ Domini. Carlostadius primus sacerdos, qui publicè uxorem duxit, et primus nostri temporis qui docuit Christum non esse in sacramento, nisi tanquàm in signo. Sunt autem sectarii propemodùm infiniti in hâc nostrâ infelicissimâ tempestate, quâ immoderata est ingeniorum licentia et temeraria audacia, qui diversos et commentitios sibi finxerunt errores in hâc materiâ; *Evangelici*, *Sacramentarii*, *Anabaptistæ*, et alii. Quidam dicunt Christum esse *in* vel *sub* pane. Alii Christum verè præsentem esse, si sumatur, non esse si non sumatur. Alii Deum ibi esse impanatum. Alii ibi esse tantùm signum corporis Christi. Alii Christi corpus ibi esse, sed exsangue, et cruorem, non sanguinem dari. Alii nullam esse transelementationem. Alii Christum non debere adorari in sacramento. Alii non esse sacramentum extra usum. Alii non esse corpus Christi extra usum. Alii non illum percipere peccatores. Alii utramque speciem esse necessariam ad rationem sacramenti. Alii nullam omninò speciem requirí. Has et hujusmodi oportuit hæreses esse ad unicam divinæ et Catholicæ doctrinæ veritatem elucidandam et confirmandam.

Quid credendum de sacrificio Missæ?

De posteriori parte hujus paragraphi dicemus bre-

viter, divinæ et Catholicæ fidei articulum esse, quòd in missâ offeratur verum, proprium et propitiatorium *sacrificium* pro vivis et defunctis. Quæ quidem doctrina supponit duo. Primum, quòd sit *purgatorium*, de quo infra declarabimus quid sit credendum. Alterum, quòd sit *sacrificium*, cujus naturam et rationem non est hujus loci determinare, sed theologis disputandum relinquimus. An autem sit hoc sacrificium absolutum, an solummodò relativum, nempe commemorativum, repræsentativum, significativum, verumtamen et propitiatorium, est theologicarum litigationum materia. Certum est interea esse sacrificium, et sanguinei sacrificii in arâ crucis semel tantùm oblati signum perfectissimum; signum, inquam, simul et res ipsa, sicuti est ipsum corpus Christi in Eucharistiâ.

Quomodò sacrificium missæ est propitiatorium?

Propitiatorium quidem est hoc sacrificium, sed non eo modo quo sacrificium crucis, putà in redemptionem generis humani. Sacrificium etenim crucis adeò sufficiens est et abundans, ut nec altero, nec hujus iteratione nobis ullatenùs opus sit in ratione redemptionis. Quapropter vi solius missæ sacrificii nihil meretur nobis Christus, sed per illud nobis applicantur (sicut et per sacramenta) fructus meritorum Christi per immolationem suam sanguineam acquisiti. Haud igitur docet nos Catholica et divina fides, sanctum hoc sacrificium missæ ut distinctum (si tamen absolutè distinctum) à sacrificio crucis, de se peccata remittere, gratiam augere, justificationem afferre; sed auxilium gratiæ, contritionem cordis, et spiritum pœnitentiæ per illud impetrari, quibus dona illa sanctissima, Deo miserente, obtinentur.

Hæreticorum errores.

Adversùm hoc sacrosanctum missæ sacrificium caninâ rabie oblatrant hæretici recentiores. Pauciores enim ante Lutherum invenimus, qui venerandum hoc mysterium ausi sint blasphemare. Aerius quidem 350 dixit missam non debere celebrari pro mortuis, ac ideò damnatus in concilio Toletano 589, Faustus etiam Manichæus 407, altaria, incensa, vasa, luminaria, vestes, simulacra, et ipsa demum sacrificia improbavit et impugnavit. Petrus de Bruis et Henricus apostata 1148 nullum esse dixerunt in Ecclesiâ sacrificium. *Pauperes de Lugduno* seu *Waldenses* 1160, potestatem sacrificandi et conficiendi Eucharistiam etiam laicis concesserunt. *Bogomiles* vocârunt missam dæmonum sacrificium. Joannes Wicleffus 1382 docuit non esse fundamentum in Evangelio, quo possit dici Christum missam instituisse. Lutherus à diabolo doctus (ut ipsemet fatetur) missam dixit non posse offerri pro peccatis, nec prodesse neque vivis, neque defunctis, sed soli sacerdoti sacrificanti. Carlostadius missam primò abrogavit Witembergæ. Calvinus missam in omnibus blasphemavit. Hos secuti sunt quamplurimi recentiores. *Bohemi* autem voluerunt, sicut et modò volunt nonnulli in Angliâ, omnes Christianos esse sacerdotes. Sed *veritas* unica et *magna* semper prævaluit et prævalebit.

§ 5. *Quid de sacramento pœnitentiæ sit* necessariò *credendum?*

Catholica fides certissimè docet pœnitentiam esse verè sacramentum à baptismo distinctum, et à Christo institutum, per illa verba Joan. 10 et Matth. 16 : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remissa sunt; et quorum retinueritis, retenta sunt:* materiam habere ex institutione suâ *confessionem, contritionem et satisfactionem* (1); formam autem, absolutionis verba, quæcumque illa sint, modò sensum habeant, *Absolvo te à peccatis tuis :* absolutionem hanc esse actum judicialem sacerdotis, Christi locum tenentis : effectum denique verè pœnitentibus et cum devotione sacramentum hoc percipientibus, esse reconciliationem cum Deo.

Sunt et aliæ quædam veritates catholicæ quæ his annexæ esse videntur, quas inferiùs sigillatim designabimus, cùm de justificatione agemus. In harum autem veritatum explicatione exortæ sunt inter theologos quæstiones et concertationes quàm plurimæ, quas illis discutiendas, sed nunquàm forsan determinandas, remittimus.

Hæretici qui nihil intactum et integrum in religione Christianâ reliquerunt, saluberrimum hoc sacramentum in multis impugnârunt. Montanus 181, Spiritum sanctum sibi infusum prædicans, docuit semel lapsos nunquàm peccatorum remissionem consequi posse quantumvis pœnitentes. *Novatiani* à Novato damnato in sexto concilio Romano 252 episcoporum, circiter anno 252, denegârunt peccata post Baptismum commissa posse per pœnitentiam remitti. *Hi*, inquit S. Cyprianus, *in peccatum prolapsis et ad Ecclesiam lacrymis, gemitu, et dolore cordis pulsantibus, divinæ pietatis et lenitatis paternæ solatia et subsidia claudebant, nec ad fovenda vulnera admittebant vulneratos, sed sine spe pacis et communicationis ad luporum rapinam et diaboli prædam projiciebant*, etc. Jacobitæ, 550, docuerunt non esse necessarium confiteri peccata sacerdoti, sed soli Deo. Albanenses, 796, dixerunt peccata commissa nec posse quemquam, nec debere confiteri. Waldenses seu Pauperes de Lugduno, 1160, potestatem absolvendi à peccatis etiam ad laicos pertinere asseruerunt, Joannes Wicleffus, 1382, voluit confessionem exteriorem esse inutilem et superfluam. Lutherus pœnitentiam posuit in solâ novâ vitâ; tres autem partes materiales jam adatas denegavit. Melancthon, Lutheri discipulus, præceptorem superans et excedens, sacramentum hoc omninò repudiavit. Joannes Spangebergus, etiam de Lutheri familiâ, pœnitentiam statuit in solâ fide. Sectarii denique non pauci hujus seculi sacramentum hoc apertiùs blasphemant, dicentes peccata confiteri et enumerare, esse papisticam carnificinam et impietatem, nullamque satisfactionem esse

(1) Nullibi definitum reperias, ut fidei Catholicæ articulum, contritionem, confessionem et satisfactionem esse *materiam* sacramenti pœnitentiæ, sed tantùm *quasi materiam;* id est, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri. Vide conc. Trid., sess. 14, cap. 3, et Can. 4.

faciendam, adeòque ad omnem nequitiam laxatis habenis liberam sternunt viam.

§ VI. *Quid de sacramento Extremæ Unctionis sit* necessariò *credendum?*

Ex apostolicâ et per manus acceptâ Traditione didicit et novit Ecclesia catholica, sacram et extremam infirmorum Unctionem esse verè sacramentum à Christo Domino institutum, et à beato Apostolo Jacobo distinctè promulgatum : materiam habere oleum; formam verò fidelem orationem deprecatoriam per verba ab Ecclesiâ usitata, aut similia idem significantia, à presbyteris, hoc est, episcopis aut sacerdotibus Deo piè et devotè adhibitam : effectum autem infirmi alleviationem, sanioremque corporis dispositionem et animæ salutem per dimissionem peccatorum ejus. Quæ omnia expressè denuntiantur, Jacobi 5, juxta universam Ecclesiæ interpretationem et usum. Nec opus est ampliùs immorari in hisce veritatibus explicandis. Quæ namque supersunt, theologicorum Gymnasiarcharum themata videntur.

Hæreticorum errores.

Sacramentum hoc quantùmvis in sacro textu conceptis verbis mandatum et expressum, totiusque Ecclesiæ consensu et consuetudine sexdecim continenti seculorum serie catholicè creditum et exercitatum sit, attamen non desunt qui divinam hanc despiciunt veritatem et praxim. Hierarchitæ, anno 279, docuerunt Extremæ Unctionis sacramentum non fuisse à Christo institutum. Græci sub initio eorum schismatis ab Ecclesiâ catholicâ, asseruerunt sacramentum hoc nihil prodesse ægrotantibus ad salutem corporis. Albanenses, 796, dixerunt sacramentum Unctionis Extremæ nihil esse, nec valere. Idem ferèWaldenses, 1160, et Wicleffus, 1382. Rutheni verò, Lutherani, Calvinistæ, et sectarii omnes hujus seculi, sacramentum hoc deridentet contemnunt. Quid non audent rebelles apostatæ?

§ VII. *Quid de sacramento Ordinis sit* necessariò *credendum?*

Cùm sacrificium visibile, auctore Christo, ab Ecclesiâ creditum et celebratum esse jam supra declaravimus, sacerdotium etiam visibile eâdem ordinatione constitutum et conjunctum esse fateri oportet. Docet igitur Fides catholica esse sacerdotium in novâ lege à Domino Salvatore nostro institutum, et Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio traditam esse potestatem consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus et sanguinem ejus; sicut et peccata dimittendi ac retinendi. Plures et quodammodò diversos esse sacrorum ministrorum ordines, quibus Ecclesiæ catholicæ constituitur Hierarchia, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, ex ipsâmet institutione divinâ stabilitis, eadem profitetur Fides catholica, docetque sanctum hunc Ordinem esse verè sacramentum. Perficitur autem hæc sacra Ordinatio ex mandato Christi, verbis, signis, et actionibus exterioribus secundùm communem earum rationem divinitùs institutis, quâ ritè et devotè præparatis gratiam conferri, seu dari Spiritum sanctum, dubitare nemo debet.

In harum veritatum soliditate et firmitate fundatur totius Ecclesiæ christianæ salus et constantia, ut in libro superiori demonstravimus. Enimverò societatis seu communitatis cujusvis primam salutem et conservationem in ejusdem regimine et moderamine sitam esse novit omnis rationis facultate præditus. Hoc autem in agnitâ magistratuum potestate, peritiâ, et probitate consistit. Hos igitur magistratus qui abrogare ac tollere laborant, certissimam reipublicæ ruinam in ipsis radicibus machinantur. Quapropter et catholicæ Religionis unitatem, et ipsiusmet reipublicæ et fidei christianæ ædificium funditùs evertunt, qui divini hujus articuli veritatem labefactare conantur. Quod tamen ausi sunt recentiores quidam apostatæ, et perduelles hæretici, qui sacrum hoc *Ordinis* sacramentum et divinam Ecclesiæ christianæ Hierarchiam, quæ per tot secula intacta et illibata permanserunt (licet honoris cupiditate et dignitatis ambitu inter particulares hierarchas ac prælatos quandoque exortæ sint contentiones), non modò in dubium revocant, sed et spernunt et contemnunt.

Hæreticorum errores.

Fuêre quidem Cataphrygæ, 181, qui voluerunt mulieres posse sacris ordinibus initiari : quod et eâdem tempestate Pepuzitæ asseruerunt, opinantes etiam ritè posse mulieres ad sacerdotium promoveri. Tanchelmus quidam Germanus, 1124, primus omnium, quem unquàm legi, impudenter tuebatur Ordinis sacri ministros, etiam episcopalem et sacerdotalem gradum ac ordinem nihil esse, nec valere; omnes autem Christianos esse æquè sacerdotes. Hunc refutârunt S. Norbertus et Petrus Lombardus. Errorem hunc postea ab inferis resuscitavit Lutherus, et Ordinem sacramentum esse denegavit, rejiciendum esse ab Ecclesiâ dixit, nullam item esse inter Ordines imparitatem; et omnes denique Christianos, etiam mulieres, in eodem esse Ordinis gradu. Imò sectarios videmus, maximè Anabaptistas, qui sacerdotes et episcopos omnes volunt esse membra Satanæ. Calvini ordinationem imaginariam missam facimus, quam fieri voluit per solam impositionem manuum presbyterorum; per presbyteros autem ætate seniores intelligi somniavit, nequaquàm verò dignitate et Ordine aliquo sacro prælatos, sicut docet Ecclesia catholica.

§ VIII. *Quid de sacramento Matrimonii* necessariò *credendum.*

Annumerandum esse Matrimonium inter novæ legis sacramenta universa docet Ecclesiæ catholicæ Traditio, et ab Apostolorum temporibus probata consuetudo; imò et *maximum hoc* (ut utar Apostoli verbis, Ephes. 5), *sacramentum* à Christo Domino (sicut et cætera sacramenta) institutum fuisse. Uxores simul habere plures, divinâ et christianâ lege prohibitum esse fatetur omnis verè catholicus. Consummati matrimonii vinculum esse penitùs indissolubile ab homi-

ne, ipsumque sacramentum Matrimonii conjuges sanctificare, naturalem inter illos amorem perficere, et gratiam illis dignè præparatis ex institutione et meritis Christi conferre, nos docet eadem catholica et evangelica fides.

Hæreticorum errores.

Sacramentum hoc profanârunt et verbo et opere hæretici nonnulli. Marcion, 155, nuptias dixit esse illicitas. Montanus, 181, nuptiarum fœdus et vinculum posse pro conjugum arbitrio dissolvi prædicavit; quod et postea Græci quidam schismatici asseruerunt. Tatiani anno 173, qui et Montanistæ, Cathaphrygæ, Encratitæ, ut supra dicti sunt, nuptias scortationem et corruptionem dixerunt. Adamæi, 194, matrimonium tanquàm per se malum damnârunt; quem quidem errorem et in hâc nostrâ tempestate ab orco revocatum audivimus; imò et communem concubitum licitum esse impudenter asserunt, et turpiter exercent (ut fertur) quidam Adamitæ. Manichæi, 273, nuptias illicitas esse docuerunt; Armeni, 640, matrimonium negârunt esse sacramentum. Albanenses, 796, matrimonium malum esse voluerunt. Durandus de Valdach, anno 1117, damnatus ab episcopo Gerundensi, matrimonium vocavit occultum meretricium. Recentiores verò hæretici in errores plurimos et innumeras spurcitias circa hanc materiam et dictis et factis prolapsi sunt. Lutherus, Melancthon, et alii, non solùm negant matrimonium esse sacramentum, sed et dissolvi posse docent, nimirùm juxta leges Mosaicas, propter adulterium, more Judæorum. Quod idem Evangelici dicunt, asserentes posse saltem personam innocentem, conjuge superstite, alteri matrimonio conjungi. Sunt et alii multi qui volunt omnes mulieres debere esse communes; ita David Georgius cum suis. Libertini, qui spirituales dici desiderant, matrimonium spirituale esse debere affirmant; ac proinde per concubitus promiscuos optimè præstari, modò alter altero sit contentus. Tandem sectarii ferè omnes asserunt matrimonium, necnon et alia quædam sacramenta, esse inventa et figmenta humana.

Ex quibus omnibus constat eadem semper et ubique fuisse Ecclesiæ catholicæ, in divinâ sacramentorum doctrinâ, sensum atque fidem; apostatarum autem et hæreticorum eumdem superbiæ et arrogantiæ spiritum, qui, mendax simul et elatus, illos quandoque in errores prorsùs diversos et oppositos, quandoque in easdem insulsitates et ineptias, seculorum intercessu subinde renovatas, induxit. Quod qui attentè et accuratè perpenderit, inanes hujusmodi schismaticorum novitates (quas eo ipso momento, quo exortæ fuerunt, tota et universa semper detestata est Ecclesia) certissimè deridebit.

CAPUT V.

1. *Quid de peccato originali.* 2. *Quid de hominis justificatione.* 3. *Quid de meritis seu bonis operibus.* 4. *Quid de gratiâ et libero arbitrio.* 5. *Quid deque de satisfactione pro peccatis sit* necessariò *credendum.*

§ I. *Quid de peccato originali sit* necessariò *credendum?*

Ecclesiæ catholicæ consensus universalis atque fides est, Adam primum hominem in Paradiso positum, ex divini mandati transgressione, justitiam et sanctitatem, in quâ constitutus fuerat, amisisse, et per illam prævaricationis offensam in deterius commutatum fuisse, nec se solum, sed ejus propaginem inquinâsse, et in omne genus humanum peccatum transfudisse, unde Apostolus, Rom. 5: *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt;* ac proinde unicuique proprium esse hoc peccatum, nec tolli posse nisi per meritum unius Dominatoris Domini nostri Jesu Christi: quod meritum hoc per Baptismi sacramentum ritè collatum, tam parvulis quàm adultis viâ ordinariâ applicatur: omnes item homines etiam parvulos, statim atque nati sunt, aliquid originalis peccati ex Adamo trahere, quod regenerationis lavacro expiari necesse sit ad vitam æternam consequendam, ut supra de Baptismo dictum est. Hæc docet catholica et vera fides christiana.

Hæreticorum errores.

Divinam hanc et catholicam Ecclesiæ universæ doctrinam oppugnârunt hæretici nonnulli. Cathari, 256, dicebant nullum essè prorsùs peccatum originale, nec ideò Baptismum ullatenùs esse necessarium. Pelagius, anno 415, refutatus à S. Augustino et sancto Prospero, et damnatus à conciliis Milevitano et Arausicano, atque ab Innocentio et Zozimo, docebat nullum esse peccatum originale in pueris. Idem asserebant Armeni, 640, adeòque negabant pueros egere Baptismo. Albanenses, 796, peccatum originale nihil esse docebant. Idem sustentabant plurimi alii, quos supra citavimus, ubi de Baptismate egimus. Quapropter qui sacro regenerationis sacramento se hostes præbere sunt ausi, iidem et originale peccatum denegare non sunt veriti.

§ II. *Quid de justificatione hominis sit* necessariò *credendum?*

Pulcherrima doctrinæ christianæ methodus et ordo, naturali quodam nexu, eamdem sibi in omnibus conformem efficit. De hominis justificatione Ecclesiæ catholicæ fides est universalis, quam à Christo Domino et ejus Apostolis accepit eadem Ecclesia, quam hucusque professa est ac docuit, quamque ad finem usque mundi, invitis dæmonum et hæreticorum ex adverso moliminibus, profitebitur docebitque.

Quid justificatio.

Postquàm scilicet homines ex Adæ prævaricatione facti sunt immundi, nempe *per ipsammet naturam filii iræ et servi peccati*, Ephes. 2, Deus, *pater misericordiarum, Filium suum unigenitum misit in mundum*, Rom. 6, eumque proposuit *propitiationem pro pecca-*

tis totius mundi, 2 Cor. 1, ut Judæos simul et Gentes redimeret et justificaret; quorum ii solummodò Salvatoris hujus mortis beneficium recepturi sunt, quibus passionis ejus meritum communicatur.

Prima justificatio.

Primam igitur justificationem profitetur Ecclesia esse hominis translationem ab eo statu, in quo nascitur, ad statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per Jesum Christum Salvatorem nostrum.

Initium justificationis adultorum.

Primum verò justificationis adultorum fundamentum esse fidem in Deum, quâ vera creduntur quæ divinitùs revelata sunt; hujus autem justificationis exordium in adultis, à præveniente Dei gratiâ per Christum Jesum incipere, adeò ut impossibile sit hominem aliquid facere ad justificationem obtinendam sine præveniente et excitante Dei gratiâ, multò minùs ut ullatenùs justificetur coram Deo propriis suis operibus, nisi ex divinâ misericordiâ et gratiâ per Jesum Christum. Nec tamen Catholico licet dicere justificationem nostram in eo duntaxat sitam esse, quòd nobis non imputentur peccata nostra; sed in verâ et reali sanctificatione, *et renovatione interioris hominis.*

Justificationis causæ.

Justificationis igitur nostræ causa finalis est gloria Dei et vita æterna. Efficiens, est Deus ipse gratuitò nos abluens, sanctificans et ungens Spiritu promissionis sancto. Meritoria, est Jesus Christus, qui per sanctissimam suam passionem in ligno crucis nobis justificationem promeruit. Instrumentalis ordinaria, ipsa sacramenta. Formalis, ipsamet Christi et Dei justitia, quâ nos justos facit, quâque verè et realiter, non fictè seu imaginariè, justi dicimur et sumus, juxta mensuram quâ singulis, prout vult, partitur Spiritus Sanctus, per gratiam nimirùm et charitatem, quæ per eumdem *Spiritum Sanctum diffusa est in cordibus nostris.*

Sola fides non justificat.

Fides itaque sola, secundùm catholicam hanc universalis Ecclesiæ doctrinam (utcumque radix sit et initium omnis sanctificationis et salutis æternæ) seclusis spe, charitate, pœnitentiâ, cæterisque virtutibus supernaturalibus, quæ ex gratiâ fiunt, non facit hominem justum. Quippe *sine charitate et bonis operibus mortua et inanimata est omnis fides,* Jac. 10, viva per charitatem operatur. *Si vis,* inquit Salvator noster Matth. 19, *ad vitam ingredi, serva mandata.*

Justificationem amitti et recuperari posse.

Justificationis formam seu rationem et amitti, et recuperari posse profitetur Ecclesia catholica; prius ex culpâ nostrâ; posterius ex purâ Dei misericordiâ et gratiâ excitante ad cordis contritionem, ut in sacramento pœnitentiæ dictum est.

Perseverantia est donum speciale.

Inter homines alios esse electos et prædestinatos ex purâ Dei misericordiâ, alios verò reprobos ex justitiâ, Christianus nemo negavit unquàm. Hominis autem justificati perseverantia in justitiâ Dei, speciale est divinæ bonitatis donum et auxilium; *neque enim est volentis neque currentis, sed miserentis Dei,* Rom. 9. Hujus arcana mysteria mortalium nemo penetravit unquàm; *quis enim consiliarius ejus fuit?* Rom. 11. Haud certò igitur et infallibili firmitate novit aliquis, *an odio vel amore dignus sit,* Eccle. 9. Etiamsi forsan dicat aliquis cum Apostolo: *Nihil mihi conscius sum,* superaddat tamen: *Sed in hoc non justificatus sum,* 1 Cor. 4. Quapropter Catholicorum omnium fides est, justum gratis justificari, atque ex purâ gratiâ et misericordiâ propter Christum. Nulla enim est justitia nostra, sed per omnipotentis et misericordissimi Dei justitiam nobis quodammodò inhærentem justificamur. Nequimus justificationis gratiam ullatenùs promereri, ut inferiùs dicetur. Quænam verè sit exacta, seu in quo præcisè consistat hujus divinæ justitiæ ratio, quâ justificamur, quæque et nostra aliquâ ratione dici potest, dùm nobis utcumque insit, an nempe sit qualitas aliqua, an habitus permanens, an actus transiens amoris et contritionis, theologis disputandum relinquimus.

Hæreticorum errores.

In sacram hanc doctrinam insurrexerunt novatores non pauci, præter eos quos supra attulimus baptismatis et pœnitentiæ gratiæ inimicos. Pelagius, anno 415, quamvis gratiæ Christi hostis acerrimus, dicitur tamen voluisse vitam justorum nullum habere peccatum, ita ut qui semel justus fuisset, ampliùs peccare non posset. Bucerus docuit homines, quantùmlibet impurè et sceleratè vivant, debere tamen firmiter et certò credere se per Christum esse Deo gratos et justificatos. Joannes Spangebergus hoc idem asseruit, et in hâc absolutâ fiduciâ voluit ipsammet justificationem consistere. Lutherus dixit peccata nostra tegi, non deleri, et ideò omnes homines etiam justissimos, esse Deo odibiles. Calvinus docuit justum peccare etiam in omni opere bono. Cacangelici dicebant omnem justitiam et sanctitatem nostram merum esse peccatum et rem damnatam. Osiander voluit justitiam essentialem Christi, non eam quæ ex gratiâ est, sed eam quæ ex naturâ est, esse justitiam nostram. Stancarus, Osiandro oppositus, voluit nos justificari per solam naturam humanam Christi, seclusâ divinitate. Justificatorii, de Lutheri familiâ, in varias sectas et errores super hanc materiam divisi sunt. Alii solam fidem nos justificare voluerunt; alii Deum imputare justitiam suam, tametsi non verè simus justi; alii obedientiam Christi esse justitiam nostram; alii resurrectionem Christi; alii denique alias et alias causas substituerunt juxta diversas loquendi formulas, quas invenerunt in variis Scripturæ locis, in quibus de justitiâ fit mentio. Tantæ diversitatis et incertitudinis occasionem præbet textus sacer iis omnibus qui, excusso auctoritatis jugo et infallibili Scripturarum interprete, Ecclesiâ catholicâ, eum solummodò, quem sibi fingunt animi superbientes, sensum et intellectum amplectuntur.

§ III. *Quid de meritis seu bonis operibus sit* necessariò *credendum.*

Universalis Ecclesiæ doctrina, quam præcedenti paragrapho proposuimus, huic, quam in hoc articulo ab eâdem Ecclesiâ traditam exponemus, consentanea prorsùs et congruens est.

Christum Jesum agnoscit catholica societas Christianorum non modò redemptorem venisse, sed et legislatorem, Mosaïcas quidem ceremonias abrogare, *leges verò naturæ non solvere*, Matth. 5, *sed perficere et adimplere.*

Bona opera esse necessaria ad salutem.

Quapropter ad observantiam mandatorum Dei, seu naturalium Decalogi præceptorum, teneri voluit Christus quotquot nominis sui futuri erant professores, *unicuique redditurus in extremo judicio secundùm opera sua*, Matth. 16. *Satagite igitur*, inquit Apostolus, 2 Pet. 1, *ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* et 1 Cor. 9 : *Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non sit inanis in Domino. Non est enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius*, Heb. 6. Vita siquidem et felicitas æterna misericorditer promissa est filiis Dei per Jesum Christum, eaque tanquàm merces ex promissione Dei bonis operibus et meritis justorum fideliter reddenda; imò et *corona justitiæ, quam post legitimum certamen et consummatum cursum, non Apostolo solo repromisit Deus, etiam justus judex; sed et omnibus diligentibus adventum ejus*, 2 Tim. 4. *Hanc non licet amittere confidentiam, quæ tam magnam habet remunerationem*, Heb. 10.

Nullum bonum ex homine solo.

Absit tamen ut *in seipso* christianus homo vel confidat, vel *glorietur, et non in Domino*, 1 Cor. 1. Nulla etenim est justitia nostra, quæ nobis sit propria. Omnia siquidem opera nostra, quæ ex Dei gratiâ, gratis data, non fiunt ad finem nostrum, putà ad vitam æternam consequendam, sunt penitùs inutilia. Verùm tanta est erga nos divina bonitas, ut justorum velit esse merita, quæ sua sunt dona, Joan. 15 : *Vitis illa vera est Jesus Christus, quæ virtutem suam jugiter influit in palmites suos*, animas nempe justorum, sine quâ eorum opera quæcumque, nec Deo grata, nec meritoria esse possunt.

Omne bonum ex Deo.

Totum igitur quod bonum, justum, et meritorium est, Dei est, per cujus misericordiam, et Jesu Christi meritum sperare possunt justi æternam retributionem per opera bona, *in Deo* nimirùm, seu potiùs in ipsis à Deo facta, dùm *inclinat eorum corda ad faciendas justificationes ejus propter retributionem*, Ps. 128, qui et per eorum opera bona vult eorum justitiam conservari et augeri.

Quæstiones theologicæ.

Hâc ratione credit Ecclesia, justum mereri vitam æternam per opera bona, ex purâ nempe Dei misericordiâ. Qualis autem sit christiani hominis justitia seu meritum, an videlicet sit *ex condigno*, vel *ex congruo*, an ex solâ divinæ promissionis virtute, an ex ipsius operis valore, ratione gratiæ quâ fit, sicut et an pro altero, quovis modo mereri possit quicumque justus, scholasticis palæstris discutiendum prætermittimus.

Hæreticorum errores.

Hæreticorum pestifera dogmata in hâc materiâ ingens Christianorum animabus detrimentum procreârunt; dùm enim justorum et piè viventium operibus bonis, nec meriti, nec mercedis, nec præmii valorem attribuere voluerunt, virtutum omnium incuriæ et scelerum licentiæ aditum reserârunt. Simon Magus, quem postea secuti sunt Aetius et Eunomius, anno 361, docebat opera bona nullatenùs esse necessaria ad salutem æternam consequendam, sed fidem solam sufficere. Prædestinatianos erroris hujus reos affert Sigebertus, anno 414, dicentes neque opera bona aliquid æternæ saluti prodesse, nec impiissima scelera aliquid obesse; sed hos tanquàm nuper adinventos et qui nunquàm exstitêre, libens omitto. Begardi et Beguinæ, 1314, docebant hominem in perfectionis statu constitutum nulla opera bona, ne quidem debere facere. Flagellantes, 1259, omnia opera bona contemnenda dicebant Joannes Hus, 1400, nihil curandum esse docebat de bonis operibus, eò quòd ad salutem æternam nec prodesse, nec obesse possint; salutem namque et damnationem à solâ prædestinatione et reprobatione petendam esse. Recentiores autem apostatæ antecessores suos longè superant. Lutherus, sub falsâ evangelicæ libertatis specie, ablatâ Decalogi obligatione, omne semel bonorum operum meritum et necessitatem studuit abolere. Hunc secuti sunt Matthias Illyricus, Spangebergus, Anabaptistæ, et alii nonnulli; quorum aliqui asserunt opera bona non modò non esse ad salutem necessaria, sed et esse perniciosa. Antinomi ex grege Lutheranorum, legem operum rejiciebant, dicebantque hominem, quantùmvis sceleratum et peccatorem, salvum fieri, modò credat. Melancthon fatebatur opera bona mereri præmium, sed corporale solum et temporale, non autem æternum. Bugaurius quidam, dictus de Monte Falcone, negabat aliquod opus bonum fieri posse intuitu aut spe mercedis æternæ. Majorini è contra, Lutherum oppugnantes, voluerunt opera bona adeò esse necessaria, ut non modò justorum sint merita, sed et ante omnem gratiam et justificationem sint omninò requisita. Cacangelici asserebant omnem justorum sanctitatem esse merè peccatum et rem damnatam : imò et quò magis impius et flagitiosus fuerit aliquis, eò citiùs Deum illi gratiam impartiri. Jacobus Præpositi voluit omne opus liberi arbitrii, quantùmvis bonum, esse verè peccatum. Per hæc et similia imaginaria ac nefanda dogmata ad omnis pravitatis libidinem, et impietatis cupiditatem, viam straverunt hi perduelles, dùm orthodoxa catholicæ Ecclesiæ doctrina ad morum integritatem et vitæ sanctimoniam christianis hominibus dignam inducit et exhortatur in Domino.

§ IV. *Quid de gratiâ et libero arbitrio sit* necessariò *credendum?*

Sudant valdè theologi, ut viam inveniant quâ naturalem hominis libertatem simul cum efficacitate gratiæ Christi possint reconciliare et conjungere : qui dùm ex variis terminorum acceptionibus, rerumque conceptibus, diversas inferunt et efficiunt consecutiones, in multiplices opiniones et innumeras querelas feruntur et incidunt. Interea tota orthodoxæ Religionis in hâc materiâ doctrina, Catholicis omnibus communis, duobus articulis continetur.

Catholica doctrina?

Primò, liberum hominis arbitrium ex lapsu Adæ non fuisse penitùs exstinctum, licet viribus attenuatum, adeò ut fide catholicâ doceamur hominem adhuc liberum esse, seu agere liberè, etiam in actionibus et operibus suis, quibus ex misericordiâ Dei per Jesu Christi gratiam, æterna vita sit consequenda. Secundò, gratiam Dei in Christo Jesu *diffusam in cordibus* hominum per Spiritum sanctum, esse omnibus omninò hominibus necessariam, ut bonum aliquod operentur, quo vel justificentur, vel salutem æternam consequantur. En summam doctrinæ catholicæ in hâc materiâ.

Liberum arbitrium esse activum.

Ex his constat liberum hominis arbitrium, dùm illud moventi et excitanti Deo assentitur, posse dissentire si velit. Homo siquidem est agens vitale et activum, nec se habet liberum ejus arbitrium merè passivè, seu more mortuo, veluti quoddam inanime, sed in ejus potestate situm est vias suas malas facere ; ideòque dicere non possumus justum liberari à mandatorum observantiâ ; sicut nec eorum observantiam, adjuvante divinâ gratiâ, esse omnibus impossibilem. Jubendo namque nos monet Deus ut faciamus quod possumus, et ut petamus quod non possumus, ut opem scilicet ferat ut possimus. Verumtamen posse liberum hominis arbitrium absque præveniente Spiritûs sancti inspiratione credere, sperare, diligere, pœnitere, aut operari, sicut oportet, quo vel justificationis gratiam vel æternæ vitæ præmium mereatur, Catholico nemini licet asseverare. Ipse enim Deus est, qui in bonis omnibus actionibus nostris *operatur in nobis et velle et perficere*, Phil. 1. Mala verò nostra sunt, quorum sub hâc ratione, ipsa bonitas suprema nequit se causam exhibere, sicut bonorum. Absit igitur homini christiano dicere proditionem Judæ æquè proprium esse opus Dei, ac vocationem Pauli. Cætera, quæ ad materiam hanc spectant, nimirùm de naturâ libertatis, de indole et virtute gratiæ, et similia (quorum multa vel incerta, vel inutilia sunt) scholasticis concertationibus mittimus agitanda.

Hæreticorum errores.

Divinam hanc Ecclesiæ catholicæ doctrinam oppugnârunt hæretici satis multi, Simon Magus, anno 55, Valentinus 150, Marcion, 155, Manichæi, 275, Priscilliani, 380. Hi omnes liberum ab homine abstulerunt arbitrium, docentes voluntatem non omninò agere in operibus bonis, sed pati, ac veluti statuam se habere. Bardesanes, 165, liberum hominis arbitrium voluit siderибus subjici. Jovinianus, 395, in eo liberum arbitrium negavit, quòd dixerit, hominem post gratiam Baptismi non posse peccare. Wicleffus, 1382, huic errori favebat. Lutherus, Œcolampadius, Melancthon et alii docebant arbitrium homini non esse liberum, sed servum ; non agere, sed pati ; ac stoicam coactionem et necessitatem ponebant in omni actione humanâ. Idem opinabatur Jacobus Præpositi dicendo liberum arbitrium non esse potentiam seu causam activam, sed receptivam tantùm. Trinitarii volebant liberum arbitrium moveri ex necessitate appetibili, quemadmodùm moventur bestiæ. Calvinus et liberum arbitrium abstulit, et Deum velle peccatum, imò et hominem ad peccatum impellere docuit. Pelagius è contra, et discipulus ejus Cœlestius, libero arbitrio nimiùm potestatis attribuêre, docentes hominem quemlibet posse justum et perfectum esse, si vellet, et absque internâ gratiâ Christi posse, si voluerit, omnia Dei præcepta adimplere, et vitam æternam mereri. Sic mediam veritatis viam deserentes hæretici, in extremas ex utràque parte falsitates prolapsi sunt.

§ V. *Quid de satisfactione sit* necessariò *credendum? — Satisfactio pars pœnitentiæ.*

Agimus nìc de *Satisfactione*, quam superiùs diximus esse partem materialem pœnitentiæ, quod quidem sacramentum vocavêre sancti Patres *secundam post naufragium tabulam*, quodque complectitur cessationem à peccatis per eorum detestationem ex corde contrito ; humiliationem animi, per confessionem sacramentalem, quando commodè fieri poterit ; et satisfactionem laboriosam, per quæcumque pia spiritualis vitæ exercitia pro pœnâ peccatis debitâ.

Pœnitentia necessaria ad gratiam recuperandam.

Pœnitentiam igitur esse prorsùs *necessariam* ad recuperandam gratiam perditam (uti supra dictum est) clarissima sacræ Scripturæ testimonia, et universalis Ecclesiæ catholicæ consensus certissimè evincunt. Contritionem autem, seu pium et vehementem animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi deinceps, ad veram pœnitentiæ rationem spectare facilè concedit omnis Christianus qui Scripturarum oraculis fidem adhibet. Confessionem etiam esse pœnitentiæ partem atque ad peccatorum remissionem et absolutionem à sacerdote ministro pronuntiandam (supposità Ecclesiæ catholicæ doctrinæ veritate) requiri, nequit aliquis dubitare. Reliquum est investigare quænam sit universalis Ecclesiæ doctrina catholica de satisfactione.

Nota : Ut clariùs appareat credenda veritas, notandum est satisfactionem Deo faciendam pro peccatis, non eo sensu intelligendam, quasi reipsà læsæ bonitati et honori divino sit aliquid restituendum. Sicut enim nec verè auferri, ita nec verè reddi potest quidquam immutabilis Dei majestati. Esse tamen satisfactionem pro peccato faciendam, perpetuo tempore à patribus nostris christiano populo commendatum videmus.

Veritas Catholica.

Est igitur fidei christianæ dogma certissimum tum in textu sacro, tum universâ Traditione fundatum, pœnam aliquam pro peccato exsolvendam esse, quæ vel temporalis vel æterna sit. Pro culpâ (quæcumque illa fuerit) cui vel temporalis, vel æterna debetur pœna, impossibile est satisfactionem à quovis puro homine unquàm fieri posse. Nemo igitur utcumque justus, et quàcumque gratiâ instructus ac munitus, valet pro culpâ, etiam levissimâ, propriè satisfacere. Postquàm verò per Dei misericordiam ipsamet culpa fuerit remissa, atque, si gravis fuerit, reatus æternæ pœnæ deletus, adhùc tamen remanere pœnam aliquam temporalem vel in præsenti seculo, vel in futuro solvendam, constans semper fuit, et universalis est Ecclesiæ catholicæ consentientis doctrina : imò, et huic contrarium alienum prorsùs est à verbo Dei et à fide divinâ.

Pœnitentia necessaria.

Pœnitentiam requiri ad resurgendum à peccato constat. Qui etenim ausus fuerit *templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare*, audiat Evangelistam : *Memor esto unde excideris, age pœnitentiam et prima opera fac. Pœnitentiam agite, et facite fructus dignos pœnitentiæ. Quæ namque tristitia secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

Effectus pœnitentiæ seu pœnæ.

Operosam etiam pœnam solvendam esse pro peccato, sanctorum omnium exemplis patet; nec solùm coercent à peccato hujusmodi pœnæ satisfactoriæ, cautioresque ac vigilantiores efficiunt pœnitentes, sed etiam medentur peccatorum reliquiis. Cùm enim habitus vitiosi malè vivendo comparantur, qui ipsiusmet animæ substantiam quandoque adeò penetrant, atque illi infiguntur, ut exinde in idem denuò peccandi libido quàm maximè proclivior generetur, oportet ut contrariis virtutum actionibus sudore laborioso avellantur ac eradicentur, ad quam novitatem et integritatem vitæ sine magnis fletibus et laboribus, divinâ illud exigente justitiâ, redire et pervenire non possumus. Quapropter ad peccatorum præteritorum vindictam et castigationem necesse est per verum et pium animi dolorem, ut Deo Patri per Jesum Christum satisfaciamus, vel temporalibus flagellis ab eo inflictis, et à nobis patienter toleratis, vel à sacerdote injunctis, aut spontè susceptis, jejuniis nimirùm, orationibus, eleemosynis, aliisque pietatis operibus.

Omnis satisfactio ex Christi meritis.

Verùm nulla prorsùs est satisfactio ab homine quovis, etiam justissimo, peracta, quæ Deo sit grata, vel quæ sit alicujus omninò valoris, nisi per merita Domini nostri Jesu Christi. Patimur quidem satisfaciendo pro peccatis, sed nunquàm satis patimur : *Si autem compatimur*, sicut oportet, *et conglorificabimur*, Rom. 8. Christus est, qui solùm verè et plenè pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia. Nostra namque satisfactio qualis est, et quo modo nostra est, pe tiùs est quædam meritorum Christi nobis applicatio, quàm propria aliqua satisfactio. Sicuti autem per fidem, juxta hæreticorum opinionem, nobis applicantur Christi merita, ita et per quæcumque opera pia et in Deo facta. Nihil enim ex nobis tanquàm ex nobis (*sine me nihil potestis facere*, Joan. 15), sed *in eo, qui nos confortat, omnia possumus*, Phil. 14. Et sicut dixit Apostolus, Gal. 2 : *Vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus*; ita et nos : Operor ego, mereor ego, satisfacio ego, jam non ego, sed operatur, meretur et satisfacit in me Christus. Omnis igitur *nostra gloriatio in Christo est, in quo et vivimus et meremur et satisfacimus per fructus dignos pœnitentiæ*, qui in illo et ex illo omnem vim suam habent. Hujusmodi itaque satisfactiones, quibus pœnitentes peccata sua redimunt per Christum Jesum, nec inutiles sunt, nec beneficium mortis ejus ullatenùs obscurant.

Unus pro altero nequit satisfacere.

Quemadmodùm autem supra diximus, nec divinam, nec catholicam esse universalis Ecclesiæ doctrinam, posse quemquam pro altero mereri, ita neque pro altero satisfacere posse asserimus. Poterit tamen vir aliquis justus et sanctus precibus suis à Deo misericorditer exaudiente impetrare, ut alteri gratia donetur, utque alteri peccati pœna remittatur, eâ scilicet ratione, quam inferiùs explicare dabitur occasio.

De thesauro tam meritorum quàm satisfactionum, quem volunt theologi quidam Ecclesiæ inesse; cujus dispensationem ad Ecclesiæ præsules, maximè ad summum Pontificem spectare existimant, mera est disputationis theologicæ materia, quam posthàc breviter attingemus. De congruitate verò, seu condignitate meritorum et satisfactionum disputationes, sicu. et an ex aliquâ justitiæ ratione, an ex purâ Dei misericordiâ illis attribuantur hæ denominationes, scholis theologicis decertandum remittimus.

Hisce veritatibus oppositum docuêre hæretici illi omnes, quos supra citavimus inimicos meritorum et bonorum operum, quosque sequenti capite ostendemus à Purgatorio et Indulgentiis aversos. Lutherus enim et alii ejusdem farinæ juniores apostatæ, voluerunt nullam omninò pro peccatis satisfactionem esse faciendam, eò quòd remissâ culpâ, nullam putârunt restare pœnam solvendam. Quantum verò damnum Christianis animabus afferunt hujuscemodi hæreticorum opiniones, quæ ex declamatâ piorum operum inutilitate et neglectu, vitæ laxioris sternunt viam, penès quemlibet, vel minimâ rationis facultate prædi-tum, sit judicium.

CAPUT VI.

Quid de purgatorio. 2. *Quid de oratione pro mortuis.* 3. *Quid de Indulgentiis, sit* necessariò *credendum.*

§ 1. *Quid de Purgatorio sit* necessariò *credendum.*

Infinitæ sunt propemodùm subditiæ falsitates, et ficta crimina, quibus nos solent hæretici in hâc materiâ calumniari.

Doctrina Catholica.

Veritas autem catholica, quam à Spiritu sancto edocta universa profitetur Ecclesia, ex sacris litteris et Patrum

Traditione continente seculorum serie recepta unica est, et uno verbo contenta, nimirùm, *Purgatorium esse;* quod non aliud sibi vult dicere, quàm quòd sit quædam sedes, seu quidam status animarum quarumdam, quæ ex hâc vitâ migrârunt, qui nec æternæ felicitatis, nec damnationis sit conditio, sed in quo hujusmodi animæ quodammodò puniuntur, quæque ad plenum purgandæ sunt, ut ad regna cœlorum aditus possit illis patere. Has autem pœnas, quales quales sunt, absolutè consummandas esse in ultimâ mundi conflagratione credebant antiquiores Ecclesiæ Patres.

Ratio quare sit purgatorium.

Nec mirum hoc videbitur ei, qui ex unâ parte peccati rationem ac naturam perpenderit, nec non et modum quo suaviter cupidis et perturbatis animabus imbibitur (quod superiori capite de pœnitentiâ breviter attigimus), ex alterâ verò quàm immaculatâ et nitidâ puritate præditas, et quàm *splendidâ veste nuptiali* indutas oporteat esse animas, quæ ad divinæ majestatis lucem inaccessibilem in seipsâ perspiciendam, sint feliciter admittendæ. Haud ægrè enim fatebitur pravos et sceleratos homines, qui in omni impietate à multis annis versati et obdurati fuerint, tametsi mortis articulo gratiâ pœnitentiæ moti, misericordissimi patris favorem invenerint, opus habere purificatione et emundatione aliquâ, ut quæ in illis sint, expurgentur peccatorum reliquiæ, et habituum vitiosorum fæces ac radices, quas ab intimis animi penetralibus non potuerunt, in tam exiguo temporis pœnitentiæ spatio, funditùs eradere et eradicare.

Sollicitudo Ecclesiæ ne irrepat abusus.

Præcepit autem episcopis concilium Tridentinum, ut sanam de purgatorio doctrinam à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique prædicari diligenter studeant; atque ut in concionibus ad plebem secludantur subtiliores omnes theologorum quæstiones, quæ ad ædificationem non faciunt: imò et quæ falsa videntur, tractari non permittant; quæ verò ad curiositatem aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, veluti scandala et fidelium offendicula prohibeant.

Incerta et concertata inter theologos.

Sunt autem quæstiones quàmplurimæ à catholicis theologis disputatæ circa hanc materiam, quæ nullam prorsùs determinatam habent certitudinem, multò minùs divinam et catholicam; puta quisnam sit modus, quo puniuntur animæ in purgatorio? an sit locus aliquis propriè dictus, quo detinentur? an sit verus ignis, quo affliguntur? cujus sint rationis et acerbitatis purgatorii pœnæ? quanto tempore in quâlibet singulari animæ duraturæ? an usque ad finem mundi in omnibus? His et similibus seclusis ab articulorum revelatorum catalogo, quàm facilè nobiscum convenire possent hæretici! cùm eorum aliqui hoc ipsum, quod nos de purgatorio credimus, doceant et profiteantur.

Hæreticorum errores.

Apostolici tamen, anno 199, non solùm denegabant purgatorii locum, sed nec animas ullatenùs purgari volebant, potquàm ab hâc luce demigrâssent. Armeni, 640, hoc idem asserebant, et illis antiquiores quidam Græci consensum præbebant. Albanenses, 796, et purgatorium et infernum nihil esse dicebant. Quod idem postea Albigenses, 1206, docebant. Pauperes de Lugduno, 1160, et purgatorium et animas hâc vitâ defunctas ullatenùs purgari posse inficiabantur. Rutheni et alii juniores hæretici idem docuêre. Lutherus et Calvinus (seclusis eis quæ inter nos ipsos Catholicos concertantur) purgatorium quandoque admittebant, quandoque negabant.

§ II. *Quid de oratione pro mortuis sit* necessariò *credendum?*

Doctrina catholica.

Consequitur certè ex præcedentis paragraphi doctrinâ, quid sit in hâc materiâ de oratione pro mortuis *necessariò* credendum. Est igitur juxta Apostolorum institutum, et à sanctis patribus ac sacris conciliis perpetuo seculorum ordine tradita fides catholica: *Animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis adjuvari, maximè verò acceptabili altaris sacrificio.*

Incerta et disputata.

Quamvis autem veritas hæc certissima sit, verùm in ejusdem explicatione exortæ sunt inter theologos disceptationes nonnullæ, quæ quia incertæ et indecisæ, ad fidem christianam immediatè spectare nequeunt, ut puta, quis sit modus quo defunctorum animæ vivorum suffragiis adjuvantur? quodnam sit solatium, quo divina misericordia ad piorum fidelium preces, afflictas hasce animas sublevat? quoddam sit genus suffragiorum, quibus refrigerantur hæ animæ? an scilicet ea tantummodò suffragia, quæ sunt communia christianæ societatis? an cujuslibet singularis hominis? quibus denique animabus applicetur hoc quodcumque auxilium? an nimirùm omnibus generatim sumptis? an iis tantùm, in quarum nominatim favorem fundantur hujuscemodi vivorum deprecationes? imò et quod præcipuum est, an ullius penitùs sint valoris hæc omnia suffragia, et obsecrationes per modum satisfactionis et pensionis debitæ atque redditæ? an tantùm per modum impetrationis ex purâ Dei misericordiâ? Nullæ siquidem vivorum fidelium preces aut orationes pro defunctorum animabus oblatæ, ne quidem ipsummet sacrosanctum Missæ sacrificium, tantæ sunt efficacitatis et certitudinis, ut semper et infallibiliter effectum consequantur. Haud agunt enim, vel effectum producunt hæc suffragia *ex opere operato* (ut loquuntur theologi), sed eum tantummodò virtutis gradum obtinent, quem divina bonitas in misericordissimâ suâ acceptatione, offerentis aut deprecantis habitâ pietatis ratione, illis attribuere dignatur.

Hæreticorum errores.

Catholicæ autem in hoc articulo doctrinæ hæreticorum oppositiones, sæpiùs ab Ecclesiâ damnatæ, traditam ejus veritatem evincunt certissimè. Hujusmodi fuêre eorum omnium, quos superiori paragrapho citavimus; qui etenim purgatorium denegârunt, oratio-

nes etiam pro mortuis inutiles et superstitiosas esse dixerunt. Quibus superaddi possunt Cathari, anno 256, qui orationes et oblationes quascumque pro defunctis fieri debere, liberè inficiabantur. Aerius, 350, sacrificium Missæ, quod pro defunctis offerebatur, omninò improbabat. Petrus de Bruis et Henricus Apostata, 1145, nullatenùs volebant orandum esse pro mortuis. Pauperes de Lugduno, 1160, et Flagellantes circa idem tempus, purgatorium nequaquàm admittebant. Recentiores autem quàmplurimi eumdem errorem amplexi sunt.

§ III. *Quia de indulgentiis sit* necessariò *credendum.*

Sicut innumeræ sunt mendacissimæ calumniæ, quibus in hâc materiâ laborant hæretici catholicæ Ecclesiæ infamiam et ignominiam inurere; ita et nonnulli sunt abusus, qui prælatorum incuriâ, et inferiorum Ecclesiæ ministrorum, maximè regularium, vel pravo affectu, vel inscitiâ in universum ferè populum irrepserunt.

Catholica doctrina.

Catholica autem doctrina uno verbo continetur, indulgentias conferendi potestatem ab ipsomet Christo Ecclesiæ concessam fuisse. Hâc autem divinitùs traditâ potestate Ecclesiam semper usam fuisse, nec non et sacrorum conciliorum auctoritate probatam esse, iis omnibus certissimè constat, qui in veteris Ecclesiæ disciplinâ vel minùs sint periti. Quapropter omnem indulgentiarum usum esse prorsùs inutilem, vel non esse populo fideli salutarem, nec in Ecclesiâ retinendum, atque ideò nullam indulgentias concedendi potestatem Ecclesiæ inesse, audeat catholicus nemo asserere.

Sollicitudo Ecclesiæ ad tollendos abusus.

Hortatur autem synodus Tridentina, et cupere videtur quàm maximè, moderationem in concedendis indulgentiis adhibendam esse, *ne*, inquit, *nimiâ facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.* Imò et abusus emendatos et correctos desiderans eadem synodus, statuit pravos omnes quæstus abolendos esse, omnesque corruptelas, quæ vel ex superstitione, ignorantiâ, irreverentiâ, aut alio quovis modo provenerunt, tollendas atque auferendas esse.

Explicatur doctrina catholica.

Duo sunt quæ ab omnibus omninò catholicis tanquàm in hâc materiâ *necessariò* credenda proponit universalis Ecclesia. Priùs, indulgere posse, et quandoque debere rectores et pastores Ecclesiæ pœnitentis peccatoris debilitati ac infirmitati humanæ, ita ut nonnunquàm cum peccatoribus agendum sit, etiam in utroque foro, non secundùm justitiæ rigorem (ne summum jus fiat summa injuria), sed in spiritu mansuetudinis et lenitatis, *parcendo maximè et miserando*, et interdùm permittendo quæ minùs perfecta sunt. Cùm etenim pœna à sacerdote imponenda pœnitenti debeat esse ex naturâ rei, pro mensurâ et qualitate delictorum, indulgentiùs agere ex prudentiâ et charitate quandoque necessum erit; hoc est, ut loquitur Apos., 1 Cor. 7, *non secundùm imperium, sed secundùm indulgentiam.* Posterius est, quod sæpissimè accidit in hâc nostrâ tempestate, quâ *refrigescit penitùs christiana charitas*, Matth. 24, ut scilicet antiquiorum Ecclesiæ canonum laxatâ severitate, pœnitentibus sit indulgendum, atque in utroque foro nonnihil dispensandum de publicis et rigorosis Ecclesiæ primitivæ constitutionibus; ut puta, vel juxta vehementis animi doloris et contritionis gradum, vel secundùm corporeæ ægritudinis mensuram, prout horum judices pœnitentibus opus esse percipiant ac dijudicent.

Incerta de pœnâ in hoc seculo solvendâ.

Cætera omnia dubia sunt, et à theologis in utramque partem agitata : nimirùm, an sit thesaurus aliquis meritorum et satisfactionum in Ecclesiâ (ut supra notavimus), cujus dispensatores sint Romanus pontifex, et reliqui Ecclesiæ pastores? an pœna quæ ex naturâ rei et coram Deo solvenda sit pro peccato, sive publico, sive secreto, possit ab alio quocumque adimpleri, quàm ab ipsomet peccatore? possit, inquam, adimpleri per modum solutionis et satisfactionis debitæ. Quomodò enim poterit peccati pœna à Deo misericorditer levari et remitti ad alterius alicujus supplicem obtestationem per modum suffragii et deprecationis, superiùs dictum est. Hæc, inquam, incerta sunt de pœnâ pro peccato solvendâ in hoc seculo.

Incerta circa pœnas in futuro seculo solvendas.

De pœnis autem in purgatorio solvendis majori longè incertitudine disputantur hæ quæstiones; adeò ut ex fide divinâ catholicâ non constet, an per quascumque indulgentias aut levari aut remitti possint hujusmodi pœnæ, quæ coram Deo et ex naturâ rei debentur peccato. Incertum est etiam an per indulgentias remittantur solummodò pœnæ ab Ecclesiâ injunctæ, an aliquid etiam earum quæ peccato debitæ sunt ex naturâ rei. Incerti sunt etiam indulgentiarum omnium effectus, quæ pro solatio animarum in purgatorio existentium conceduntur. Multò magis dubium est an possint quæcumque indulgentiæ animas è purgatorio liberare : imò an aliquid omninò valeant pro mortuis; ita ut non constet, an deprecationes omnes, et oblationes, etiam ipsum Missæ sacrificium, super altaria quæ vocant *privilegiata*, celebratum, et si quæ sunt alia hujusce rationis opera, an, inquam, aliquid habeant virtutis et valoris pro defunctis, vi indulgentiarum ad hunc finem concessarum, nisi tantùm per modum suffragii, hoc est, juxta mensuram pietatis et sanctitatis deprecantis et offerentis, atque secundùm omnipotentis et miserentis Dei beneplacitum, hominibus prorsùs incognitum.

Hæreticorum errores.

Juxta catholicam hanc de indulgentiis doctrinam pauciores longè reperiemus heterodoxos (certis nempe et catholicis nostris veritatibus adversos) quàm solent passim theologi in lucem afferre. Non defuêre tamen qui omnem penitùs indulgentiarum concedendarum potestatem Ecclesiæ denegârunt : veluti eorum non-

nulli, superiùs allati, qui purgatorium esse negabant, quique pro defunctis orandum esse nolebant. Waldenses, 1160, expressiùs asserebant indulgentias omnes nihil valere. Wicleffus, 1382, fatuum esse dicebat credere indulgentias esse alicujus momenti. Lutherus, Jo. Westphalus, Jac. Præpositi cum cæteris, indulgentias improbârunt, easque vocaverunt pias fidelium fraudes. Ex parvis autem super hanc materiam malè intellectam, accensis in Germaniâ, Augustinianos inter et Dominicanos, disputationum scintillulis, et calescente paulatim contentione ex mutuâ invidiâ, procreatum fuit jam à centum annis infelix schisma; quod voluptuosæ vitæ libertati aditum aperiens, serpsit ubique gratum; et magnam proh dolor! catholicæ Europæ plagam inflixit.

CAPUT VII.

1. *Quid de invocatione sanctorum.* 2. *Quid de reliquiis.* 3. *Quid de imaginibus* necessariò *credendum.*

§ I. *Quid de invocatione sanctorum sit* necessariò *credendum?*

Qui catholicæ et apostolicæ ecclesiæ perpetuam traditionem et usum, etiam à primitivis christianæ Religionis temporibus receptum, necnon et sanctorum Patrum consensione, sacrorumque conciliorum decretis firmatum, sibi Fidei regulam proponeret, procul dubio, nec in hâc, de sanctorum invocatione, materiâ, nec in aliâ quâvis, à præsentis Ecclesiæ universæ sententiâ discederet.

Doctrina catholica.

Est autem catholicæ Fidei veritas certissima, sanctos unà cum Christo regnantes pro hominibus orare, imò et bonum atque utile esse eos invocare. Quamvis enim Dominus noster Jesus Christus solus sit redemptor et salvator noster, attamen licere ad sanctorum orationes et opem confugere, ut beneficia quæcumque in ordine ad vitam æternam impetremus à Deo per Filium ejus Jesum Christum, constantissima semper fuit totius Ecclesiæ doctrina atque fides. Quapropter hæreticè sentire judicandus est, qui sanctos æternâ felicitate fruentes, negat invocandos esse, aut illos pro hominibus non orare, multò magis asserere eorum invocationem esse *idololatriam*, cum verbo Dei pugnare, honori unius mediatoris Dei et hominum Jesu Christi aversari.

Hæreticorum calumniæ.

Nos autem impiè calumniantur hæretici, cùm à catholicis sacerdotibus sacrificium Missæ sanctis offerri prædicant. Quamvis etenim in memoriam et honorem sanctorum Missas interdùm celebrare consueverit Ecclesia, non tamen illis, sed Deo soli offertur hoc sacrificium. Ulteriùs etiam nos falsò criminantur hæretici, cùm docere et credere nos clamitant, sanctos invocari debere sub æternæ damnationis pœnâ. Profitemur quidem posse sanctos haud inutiliter invocari, sed teneri catholicos omnes ad actuale hujuscemodi invocationis exercitium, nullatenùs, tanquàm veritatem christianam, astruimus. Poterunt namque salvari, imò et reipsà salvantur forsan aliqui catholici, qui sanctos in cœlo coronatos nunquàm invocaverunt.

Disputationes theologicæ.

Disputent autem theologi, an cultus, quem sanctis exhibemus, sit propriè religiosus; an actus Duliæ (Latria enim soli Deo exhibetur), sit in sermonis proprietate actus Religionis; an sint actus ejusdem virtutis, quibus et sancti, et magnates seu magistratus civiles honorantur; an utrobique sit dignitas creata, quæ honoratur; atque an et quomodò hæc ratio dignitatis creatæ, communis sit tam sanctorum, quàm magnatum seu magistratuum dignitatibus; hæc, inquam, et similia à theologis decernantur.

Nota hæreticorum ignorantiam.

Quod stultum putant hæretici sanctis in cœlo regnantibus aut voce aut mente supplicare, eò quòd auritos volunt sanctos ut mortalium preces audire possint, ignorantiam suam crassam bardamque testatur. Numquid Deum ipsum corporeum existimant? Nonne preces nostras audit non auritus? Spirituum sanè rationem et naturam parùm intelligunt. Sanctorum *audire*, sicut et ipsius Dei (licet ordine longè inferiori) est cognoscere et intelligere. Quòd autem rerum omnium corporearum naturas, motus et actiones omnes perfectè cognoscat et intelligat quivis purè spiritus, vel ipsâ ratione naturali demonstrari potest. Honorandos igitur et invocandos esse hujusmodi spiritus, omni felicitate beatos, post tot victorias atque triumphos, veritas est Religione dignissima. Unde rectè sanctus Hieronymus: *Si piè dicebatur Paulo in terrâ degenti: Ora pro me Deum; cur impius habeatur, qui totidem verbis eum nunc appellet in cœlis agentem?* Quamvis autem certissima sit hæc veritas, attamen christianæ fidei dogma revelatum non habetur, quòd nempe sancti preces nostras audiant vel intelligant. Consecutio quidem est clarissima ex variis Scripturæ locis, Luc. 15: *gaudium nimirùm esse in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente.* Peccatoris ergo conversionem, ob quam lætantur, haud ignorant angeli. Modum verò, quo sancti ac beati spiritus in cœlis terrenà omnia agnoscant, theologorum seu potiùs philosophorum est discutere.

Multùm valent proposita exempla.

Quanti verò ponderis et momenti sint inter homines aliorum exempla proposita, quantùmque moveantur et alliciantur generosiora mortalium corda ad nobilioris alicujus consummati operis archetypon, prudendentem neminem latet. Si qui sint autem abusus in populo fideli, aut in sanctorum invocationis modo, aut in eis cultum et honorem reddendi methodo, corrigendos peroptant vigilantiores Ecclesiæ pastores. Pium verò hujusmodi mediorum usum tollendum penitùs nemo sapiens dicat, eò quòd præsulum oscitantiâ ex eo leviores aliquando solent abusiones irrepere.

Hæreticorum errores.

Huic veritati contradixerunt antiquiores aliqui et

recentiores multi hæretici. Eustathius episcopus Sebastiensis, anno 350, damnatus à concilio Gangrensi, nec invocandos nec honorandos volebat beatos in cœlis. Vigilantius, 406, refutatus à sancto Hieronymo, damnatus ab Ecclesiâ propterea quòd docebat, dùm vivimus nos mutuò pro nobis orare posse, post mortem verò nullum pro altero orare. Mahometes, 630, sanctorum cultum abrogavit. Petrus de Bruis et Henricus apostata, 1145, sanctos nolebant esse invocandos. Pauperes de Lugduno, 1160, dicebant sanctos non attendere preces mortalium. Publicani, 1174, negabant sanctorum suffragia esse expetenda. Bohemi, 1411, nolebant sanctos aut invocandos, aut honorandos esse. Lutherus, Œcolampadius, Beza, et alii plurimi juniores hæretici huic adhærent errori.

§ II. *Quid de sanctorum reliquiis sit necessariò credendum? — Doctrina Catholica.*

Ad approbatum invocationis sanctorum usum consequitur universalis Ecclesiæ de colendis eorum reliquiis unanimis doctrina: puta, sanctorum martyrum, aliorumque beatorum cum Christo regnantium corpora sancta, quæ viva in terris fuerunt Christi membra templumque Spiritûs sancti, quæque ad æternam vitam suscitanda et glorificanda sunt, debere à fidelibus honorari. Quapropter qui sanctorum reliquiis venerationem exhibere, aut eas, aliaque sacra monumenta honorare recusaverit, necnon eorum opis impetrandæ causâ, sanctorum memorias frequentare inutile atque illicitum esse affirmaverit, veluti ab Ecclesiâ universâ damnatus à Catholicis omnibus habendus est.

Duo cavenda circa reliquias.

Duo sunt circa sanctorum reliquias, quæ maximâ diligentiâ ab Ecclesiæ pastoribus cavenda sunt. Primum, ut reliquiæ fidelibus ad honorandum expositæ, sint veræ, et reipsà tales, quales præ se ferunt species, quantâ nimirùm certitudine humana poterit providere prudentia. Secundum, ut omnis superstitio, aliive quicumque abusus arceantur longè ab hujusmodi reliquiarum expositione, veneratione et visitatione. Ad hunc finem sancivit nonnulla synodus Tridentina, quæ episcoporum curæ mandavit, eisque injunxit, tum circa non leviter admittenda nova miracula, tum etiam non recipiendas novas reliquias; ita ut nihil in his innovandum aut permittendum sit, præterquàm quod veritati et pietati consentaneum esse judicaverint et compertum habuerint. Haud facilè autem crederem Christianum esse quemquam, vel minimo religionis zelo accensum, qui si putaret firmiter et constanter sanctorum Petri et Pauli incorrupta corpora, coram se præsentia jacere, eaque foret contemplatus, tanquàm beatissimorum illorum virorum membra et instrumenta, quibus viventes Evangelium Christi in terris prædicaverant ac disseminaverant, morientesque sanguine suo irrigaverant; vix, inquam, crederem, quin honorem et venerationem aliquam illis exhiberet; non quòd divinitatis, aut virtutis aliquid illis inesse existimare debeamus, sed quòd ad beatos hujusmodi spiritus adeò proximè spectent hæ reliquiæ, ut qui has contempserit, illos etiam spernere videatur.

Honor sanctis exhibitus est religiosus.

Cujus autem generis et rationis sit hujusmodi veneratio, qui rem seriò consideraverit, haud difficilè discernet. Cùm enim honoris actus sit in honorante, et rei cuilibet honorem impertiamur, quatenùs pertinet, aut quovis modo ad ea spectat, quæ nobis chara sunt, eumque venerationis gradum eis attribuamus, quem juxta mensuram, quâ rem nostram spectant, illis deberi arbitramur; clarumque sit etiam honoris naturam sequi honorantis motivi rationem, et rei honoratæ conditionem; sanctorum item corpora seu reliquiæ ad Religionem quodammodò spectent; palàm est honorem illis debitum et exhibitum esse pium et religiosum. Civiles quidem et politicos magistratus ac satrapas, eaque omnia quæ ad ipsos pertinent in genere suo honoramus cultu civili et politico; sed ea omnia quæ ad Religionem spectant, et quæ Religionis causâ veneramur, etiam sanctiorem vitam degentem quemquam in terris, honore certè religioso colimus. Seclusis igitur abusuum omnium occasionibus et periculis, mirum est moderatiores aliquos inveniri Christianos, qui in pium hunc, quem sanctorum corporibus et reliquiis exhibemus, cultum tam acriter invehere et debacchari non desistunt.

Hæreticorum errores.

Ii omnes quos supra citavimus sanctorum invocationi inimicos, eorum etiam corporibus et reliquiis infesti fuerunt. Item Porphyrius apostata, subtilis philosophus, Origenis condiscipulus, Eustathius Sebastiensis episcopus, 340, Eunomius arianus, acutissimus dialecticus, 361, aliique ejusdem temporis Agiomastiges nolebant sanctos, vel eorum corpora et reliquias honorari. Vigilantius, 406, martyrum sepulcra negabat esse veneranda. Iconoclastæ damnati à concilio Nicæno II (de quibus in sèquenti paragrapho) sanctorum templa, sepulcra et reliquias *(ex quibus morborum curationes emanant*, inquit Photius) profanabant. Constantinus Copronymus, 743, inter alia scelera, sanctorum corpora et reliquias contempsit et comburi jussit. Claudius episcopus Taurinensis refutatus à Jonâ Aurelianensi, et condemnatus à concilio Cabilonensi cum Wicleffo contemporaneo et conterraneo suo (1), cruces et reliquias omnes volebat aboleri, sanctorumque sepulcra dicebat non esse veneranda. Recentiores verò hæretici quàmplurimi et in sanctos et in sanctorum cineres sævire non cessârunt, de quibus plura in sequenti paragrapho videbimus.

(1) Claudius Taurinensis, dictus quidem Scotus, natione tamen Hispanus erat, diemque supremum obiit circa annum 839. Joannes autem Wicleffus certò certiùs Anglus erat natione, in septentrionali insulæ parte natus, Oxonii educatus, ejusdem universitatis doctor theologus, postea verò Ecclesiæ de Lutterworth in provinciâ Lecestrensi parochus, quâ in Ecclesiâ obiit anno 1384 die ultimâ decembris. Nec ergo contemporaneus, nec conterraneus erat Claudii Taurinensis.

§ III. *Quid de sacris imaginibus sit* necessariò *credendum?*

Superiori libro distinximus inter veritates quas juxta sermonis proprietatem, Catholicas dicimus, eò quòd divinitùs revelatæ sint et perpetuâ traditione deductæ et veritates quas in communi usu Ecclesiæ, et universâ christianæ congregationis disciplinâ fundatas agnovimus. Verumtamen quia nullas esse credimus quæ falso innitantur fundamento, sacrum et legitimum imaginum usum populo fideli salutarem esse non dubitamus.

Doctrina catholica.

Est igitur universalis Ecclesiæ doctrina catholica in hâc materiâ, primò imagines Christi Domini, Deiparæ Virginis, necnon et aliorum sanctorum haberi ac detineri posse, præsertim in templo; secundò hujuscemodi imaginibus honorem et venerationem aliquam quodammodò impartienda esse.

Calumniæ hæreticorum.

Mirum est hæreticos audere in hâc materiâ Ecclesiam Dei tam impudenter blasphemare, et tot fictis criminibus sacram hanc doctrinam petulanter calumniari. Catholici, inquiunt, saxeos ligneosque adorant deos. Quàm stupidum et insensatum esse fingunt orbem catholicum! Quasi verò credere fas sit tot ubique terrarum dispersorum doctissimorum religiosissimorumque virorum chiliades, adeò crassè hallucinari et turpiter errare posse. Inesse imaginibus divinitatem aut virtutem aliquam, propter quam sint colendæ, non modò nunquam credidit, sed et credentes semper damnavit Ecclesia catholica; multò minùs quòd ab iis sit aliquid petendum, aut fiducia in eis habenda, more gentilium, qui spem suam in idolis collocabant.

Explicatur doctrina catholica.

Profitemur itaque honorem et cultum omnem quem imaginibus exhibemus, referri omninò ad eorum prototypa, quæ scilicet ab eis repræsentantur; ita ut non propriè imagines, sed per imagines vel Christum adoramus, vel sanctos, quorum illæ similitudines gerunt, veneramur.

Imago Trinitatis et Dei an approbanda?

De Trinitatis autem et solius Dei secundùm divinitatem imaginibus, non eadem est ratio, ac de Christi Domini secundùm humanitatem et sanctorum figuris. De illarum namque usu licito dubitant quidam theologi, nec illarum mentionem ullam fecit, sed siluit omninò concilium Tridentinum, cùm fidem catholicam in hâc materiâ explicuit. Haud facilè etiam utimur vocabulis *adoratio* seu *adorare*, cùm de cultu et veneratione imaginibus tribuendâ doctrinam christianam tradere aut docere datur occasio. Quamvis autem ex dictis in superiori paragrapho, cultum hunc sanctis reliquiis et imaginibus exhibitum, verè religiosum esse demonstretur; verùm qualis sit hic cultus, imò an propriè religiosus, revelata fides non docet, sed theologicæ disputationis materia est.

Fructus imaginum.

His observatis, maximus certè fructus ex sacrarum imaginum usu legitimo percipiendus est. Redemptionis enim nostræ mysteriorum historiæ tabulis depictæ et similitudinibus expressæ, confirmant valdè in populo, et articulorum fidei, et beneficiorum à Christo nobis collatorum commemorationem: sicut et sanctorum imagines fidelium oculis subjectæ eos excitant ut ad eorum imitationem vitam suam moresque componant.

Abusus aliquandò in imaginibus.

Has autem observationes, tametsi verè salutares, leviorum tamen quorumdam errorum rudibus occasionem aliquando præbere et in earum exercitio abusus interdùm irrepere concedunt facilè prudentiores Catholici, quosque prorsùs aboleri vehementer desiderant. Eorum verò est hoc præstare, quibus divinitùs demandata est hæc provincia. Hos, inquam, episcopos nimirùm, etiam atque etiam admonet Synodus Tridentina, ut diligenter caveant ne vana superstitio, turpis quæstus, procax venustas, aliudve quodcumque inordinatum aut præposterè accommodatum circa sacrasimagines fiat, aut appareat in *domo Dei*, quam *decet sanctitudo*, Psal. 92. Imò statuit quamplurima eadem Synodus in hunc finem, quæ si servarentur, omnes penitùs hujuscemodi abusionum occasiones tollerentur.

Hæreticorum errores.

In hanc autem totius Ecclesiæ catholicam doctrinam et praxim debacchati sunt hæretici nonnulli. Vigilantius, 420, qui sanctos nolebat honorandos esse, eorum imagines ratione fortiori venerari denegabat. Mahometes, 630, ut Judæos sibi conciliaret, sacras omnes imagines delevit. Iconoclastæ sive Iconomachi, 716, quorum caput fuit Leo Isauricus imperator, et illum secutus est Constantinus Copronymus filius ejus. Hi statuas et imagines omnes sacras è templis auferri et incendi mandârunt, ideòque damnati à Synodo septimâ generali, Nicænâ secundâ, episcoporum 377. Petrus de Bruis et Henricus Apostata, 1140, cruces omnes conculcandas esse volebant. Pauperes de Lugduno, 1160, idololatriam dicebant esse imagines quascumque in templis habere. Claudius Taurinensis episcopus, 821, sui temporis dux eorum fuit qui crucem Dominicam nullo modo venerandam dicebant. Juniores ferè omnes hæretici, Lutherus, Carlostadius, Zuinglius, Œcolampadius, Brentius, Calvinus, cum eorum sequacibus, cruces omnes confringendas, et imagines comburendas voluerunt. Hoc etenim hæreseos omnis proprium est, destruere nempe, subvertere, vastare quæcumque, etiam in Apostolicâ Traditione fundata, aut ab Ecclesiâ catholicâ sancita.

CAPUT VIII.

De quibusdam articulis seu veritatibus ordinis inferioris, quæ ad Fidem christianam eatenus spectant, quatenus vel ex principiis supra stabilitis clarè consequuntur, vel ex communi et universâ Ecclesiæ catholicæ consensione indubitanter à Catholicis omnibus recipiuntur.

Hæ veritates sunt duplicis generis.

Duplicis constat esse generis veritates in hoc capite denotandas, juxta bipartitam ipsius tituli divisionem. Quædam enim per immediatas consecutiones annectuntur iis quæ vel superiori libro stabilita, vel particularibus hisce divinæ et catholicæ fidei dogmatibus modò declarata sunt. Quædam autem huic solùm innituntur fundamento, quòd universali Ecclesiæ consensu aut perpetuâ Traditione deducta, aut ecclesiasticis ordinationibus constituta et firmata sint.

Missio pastoralis.

Prioris generis præcipua quædam veritas est, missionem legitimam Ecclesiæ pastoribus omninò requisitam esse. Cùm etenim in omni doctrinâ tradendâ et instituendâ oporteat, ut sint qui doceant, et qui doceantur, necesse est tria ad hunc finem requiri; ipsam doctrinam tradendam, ipsum populum instruendum, et ipsos magistros seu doctores erudientes et instruentes. Horum institutionem Ecclesiæ christianæ pernecessariam fuisse, ut scilicet munus hoc et officium (quod summum et præcipuum caput est in omni societate instituendâ) ordinatè et constanter persolveretur, jam supra demonstravimus : Hi autem *quomodò prædicabunt nisi mittantur?* Rom. 10. Non debet certè *quisquam sumere sibi hunc honorem, sed qui vocatus est à Deo tanquàm Aaron*, etc., Heb. 5. *Qui etenim non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro; qui autem intrat per ostium, pastor est ovium*, Joan. 10. Debere esse in Ecclesiâ et pastores et oves, imò debere *bonos pastores animas suas dare pro ovibus suis*, nos docet expressè Evangelium. Ait etiam Apostolus, Eph. 4 : Dedit *pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis sui, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei;* et Act. 20, 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Perpetuam itaque in continuâ successione auctoritatem divinitùs datam, omninò requisitam esse ad pastoris et doctoris munus in Ecclesiâ obeundum, affirmat satis Christianorum omnium consensio.

Si verò cuilibet liceret hunc sibi sumere honorem, et hoc fungi officio, propterea quòd eo dignum et idoneum se judicet, aut quòd sanam doctrinam disseminare præsumat, aut quòd à populo utcumque eligatur, aut etiam quòd ordinationem qualem qualem habeat, aut tandem (quod extremæ dementiæ est) quòd vocationem et missionem insolentem et extraordinariam à Deo immediatè sibi communicatam vendicet; si, inquam, cuilibet, etiam de fœce plebis, sub hujuscemodi rationum specie et colore, fas sit publicis hisce pastorum muneribus ultrò sese interponere, nulla certè remanebit distinctio pastorem inter et gregem, judicem et populum, superiorem et subditum, nulla societatis christianæ disciplina vel ordo, sed perturbata omnium confusio, totiusque Religionis desolatio ac destructio.

Privatæ inspirationes.

Privatarum autem *inspirationum* (quibus ignari quidam et turpiter decepti se fingunt instructos, et inde sibi desuper demandari provinciam hanc imaginantur) vera et debita signa sunt ipsamet miracula. Nequeunt *inspirationes divinæ* alio dignosci titulo, quàm ex earum fructibus et effectibus. Stultum quippe et ridiculum esset doctrinam à spiritu discernere, sed ex adverso spiritus à doctrinâ discerni debet.

Traditiones observandæ.

Altera veritas est ejusdem generis, nempe quòd et sint, et debeant observari Traditiones nonnullæ divinæ et apostolicæ, quæ et internum mentis assensum, et externum Religionis cultum spectant; quas, inquam, servare tenemur, modò verè catholicæ sint, totius nimirùm Ecclesiæ, continuatâ seculorum successione, usu et consensione unanimi receptæ et approbatæ. Hoc ab Apostolo didicimus. *Tenete*, inquit, Thess. 2, *Traditiones vestras quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Unde Synodus Tridentina profitetur se Traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, vel ore tenùs à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, et continuâ successione in Ecclesiâ catholicâ conservatas, *pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipere ac venerari, ac ipsas Scripturas.* Harum plurimæ sunt, quæ tum in quotidianâ sacrorum mysteriorum dispensatione, tum in Christianorum moribus dirigendis per universam Ecclesiam frequentantur. Has autem omnes sigillatim enumerare perlongum nimis foret, de quibus in genere satis dictum arbitramur in superiori libello.

Leges condendi potestatem inesse Ecclesiæ.

Inter hujusce naturæ veritates annumeranda est etiam illa, quam priori libro leviter attigimus, inesse scilicet Ecclesiæ auctoritatem leges condendi in ordine ad sacram ecclesiastici regiminis disciplinam, rerumque divinarum usum et exercitium. Quæcumque autem sunt hujus rationis, palàm est illa ab eâdem posse auctoritate abrogari, quâ statuta fuerint. Interea omnia ab Ecclesiâ sancita, et generali consuetudine usurpata, cunctos Ecclesiæ filios, receptâ et perseverante hujusmodi sanctione, illis subjacere et obedire certissimè constringunt. Mandat enim Apostolus, 2 Cor. 10, ut *in promptu habeatur ulcisci omnem inobedientiam.* Imò, *Obedite*, inquit, Heb. 13, *præpositis vestris, et subjacete illis.* Et iterùm, Act. 5 : *Præcipiens* Paulus *custodire præcepta Apostolorum et seniorum.* Quod et sanctiùs declaratur per illa verba, Act. 15 : *Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris*, etc. Hæc autem potestas et jurisdictio ecclesiastica ad res tantummodò sacras, vel ad sacra, necessariò pertinentes se extendit.

Leges communes et speciales servandæ.

In his verò non solùm ea quæ consensione unanimi et usu generali catholicis omnibus Ecclesiis sunt communia, sed etiam ea quæ particularis cujusvis Ecclesiæ auctoritate stabilita et usitata sunt, vim legis

habere censentur. Quævis enim Ecclesia particularis suos habet speciales ritus et mores, quos unumquodque membrum cujusvis episcopalis congregationis, veluti *sublimioris potestatis*, canones et ordinationes sacras servare tenetur.

Jejunium, cœlibatus.

Sunt autem Traditionis et constitutionis universalis in Ecclesiâ catholicâ, quadragesimale jejunium, et episcoporum ac sacerdotum cœlibatus. Illud existimant aliqui non posse, ne quidem ab universâ Ecclesiâ penitùs aboleri, eò quod Traditionis sit Apostolicæ; hoc verò tollere prorsùs et abolere per universam Ecclesiam, absurdum omninò et inconvenientissimum apparebit rem sedulò consideranti. Neutrum tamen divinam habere institutionem et præceptum agnovit unquàm Ecclesia catholica.

Festa colenda.

Ex his sequitur plurimas esse veritates catholicas, quas omnes non licet modò speciatim signare, ut puta teneri Catholicos ad dierum festorum celebrationem, qui vel universim à totâ Ecclesiâ, vel singulatim à quâvis Ecclesiâ particulari, ritu religioso et opere vacui coluntur.

Vigiliæ et quatuor Tempora.

Quod etiam de Vigiliarum et Quatuor Temporum jejunio similiter dicendum est. Quamobrem Aetius supra citatus (qui jejunia neutiquàm servanda prædicabat) et Manichæi (qui à vino et carnibus abstinendum dicebant, non tanquàm prohibitis ab Ecclesiâ certis quibusdam temporibus, sed veluti à rebus in seipsis immundis et esui minimè dicatis) damnati sunt ob hos errores ab Ecclesiâ universâ.

Plurima sunt etiam statuta in more posita circa ritus et cæremonias in sacramentorum administratione usitatas, necnon circa alias nonnullas actiones sacras, tum Ecclesiis omnibus communes, tum etiam particularibus quibusdam proprias et singulares, quibus certè reverentiam et obedientiam præbere tenemur, tametsi ad fidem aut institutionem divinam et revelatam nequaquàm immediatè spectent.

Posterioris generis veritates omnes annumerare nec suscipio, nec censeo ad institutum nostrum ullatenùs necessarium esse.

Duas simul habere uxores Christianis prohibitum.

Duas simul habere uxores Christianis omnibus lege evangelicâ prohibitum credimus. *Omnis enim qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur, et qui dimissam à viro ducit, mœchatur. Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Luc. 16. *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur*, Marc. 10. *Iis qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discederit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Vir uxorem non dimittat*, 1 Cor 7. Unde nos docet Ecclesia matrimonii vinculum non dissolvi propter adulterium alterius conjugis; neutrum autem, nec etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, posse aliud matrimonium contrahere, altero conjuge vivente; imò et mœchari eum qui, dimissâ adulterâ aliam duxerit; sicut et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit. Hanc autem veritatem evangelicam et catholicam blasphemârunt hæretici non pauci jam supra citati, adversùs matrimonii sacramentum blaterantes.

Virginitas præstat conjugio.

Veritatem hanc sequitur altera, nimirùm virginitatem præstare conjugio. Quod Jovinianus circiter anno 420 impudenter oppugnabat, quamvis hoc sæpè et expressè doceat Apostolus scribens ad Corinthios, 1 cap. 7: *Dico non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Qui non jungit matrimonio virginem suam meliùs facit. Beatior erit si sic permanserit.* Corinthios tamen admonet dicens: *Hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Quod et tempore Apostolorum præstitum fuisse testatur S. Matthæus, cap. 19: *Sunt Eunuchi qui se castraverunt propter regnum cœlorum.* Quapropter asserere statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatûs, nec melius ac beatius esse manere castè in virginitate aut cœlibatu, quàm matrimonio conjungi, error gravis est et communi catholicæ Ecclesiæ sententiæ ac fidei oppositus.

Vota legitima sunt.

Hinc sequitur etiam alia veritas catholica, puta, Regularium vota paupertatis, castitatis et obedientiæ juxta diversas sanctorum quorumdam hominum institutiones ab Ecclesiâ approbatas, esse legitima et salutaria, modò rectè emittantur et exerceantur. Plurima quidem sunt quæ circa votorum usum à theologis disputantur, maximè de eorum solemnitate, de bonorum temporalium dominii privatione seu divitiarum mentali abnegatione (in quâ solâ voti paupertatis perfectionem stare volunt nonnulli) et similibus, quæ ad nostrum non pertinet institutum examinare. Votorum autem Regularium disciplinam, ordinationem esse divinam non proponimus stabilire, sed pias esse quasdam Religiosorum hominum institutiones, quas ab Ecclesiâ approbatas, ecclesiasticas dicimus. *Vovete*, inquit divinus citharista, *et reddite Domino Deo vestro.* Idem et propheta, loquens de iis qui sub evangelicæ legis dulcissimo jugo victuri erant: *Vota vovebunt Domino et solvent.* Quàm propria autem et efficacia sint media hujusmodi vota, ad perfectionem christianam acquirendam, neminem latere potest, qui considerat hujuscemodi voventes seclusos ac segregatos à populo, atque ab omni seculi commercio soli Deo vacantes, cœlestem in terris vitam ducere meditantes.

Votorum inimici hæretici.

Votorum inimicissimi fuêre semper omnes hæretici, tum quia strictioris vitæ normam nunquàm su-

bire potuit eorum voluptuosè vivendi cupiditas, tum etiam quia hæresium penè omnium duces et præsultores fuêre apostatæ, qui exomidem monachicam et regularem excusserunt.

Electionis et perseverantiæ suæ incertus est quilibet Christianus.

Hîc etiam liceat inserere communem Ecclesiæ universæ fidem atque sensum in divinâ Traditione fundatum; puta, neminem electionis, justificationis, perseverantiæ, aut æternæ salutis suæ certitudinem absolutam, absque revelatione speciali, habere posse. Quilibet enim dùm seipsum, suamque propriam infirmitatem intuetur, de suâ electione, justificatione, perseverantiâ, et salute timere potest ac debet. Inanis est enim et vana prorsùs, atque ab omni pietate remota hæreticorum quorumdam fiducia, quâ absque ullâ omnino dubitatione vel timore se jactitant certissimos esse electionis, justificationis, finalis perseverantiæ et salutis suæ. *Nescit* quippe *homo utrùm amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta*, Eccl. 9. *De propitiato peccato noli esse sine metu*, Eccl. 5. Imò ipse Apostolus dicit, 1 Cor. 4: *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum.* Et iterum Rom. 11: *Tu fide stas; noli altum sapere, sed time.* Et iterum, Phil. 2: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.* Et iterùm 1 Cor. 10: *Si quis se existimat stare, videat ne cadat.* Quibus constat Christianos omnes incertos penitùs esse, non solùm de iis quæ in absconditis divinæ sapientiæ judiciis et decretis de quovis mortalium præordinata et prædefinita sunt; sed etiam de operationibus et effectibus spiritualibus et internis, quos unusquisque in animâ suâ à divinâ bonitate productos et procreatos nonnunquàm arbitratur. Huic autem adversum opinantes spiritu superbiæ et ignorantiæ decipi dubitare nequit prudens quivis et intelligens.

Sanctorum præmia inæqualia.

Aliud est adhuc quod etiam à nonnullis hæreticis oppugnatur, quamvis Ecclesiæ catholicæ communis sit fides, nimirùm *Sanctorum in cœlis præmia haud esse omninò æqualia.* Hoc Apostolus satis expressè innuit dicens 1 Cor. 15: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum; stella enim differt à stellâ in claritate, sic et in resurrectione mortuorum.* Dicit autem Evangelista Joan. 14: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Omnes quidem sancti in cœlis beatificâ Dei visione felices erunt in perpetuas æternitates; sed non habebunt omnes eumdem felicitatis gradum; quod etiam rationi convenientissimum est. Enim verò sanctorum gloriam, quæ illis scilicet in patriâ tribuenda est per modum mercedis et præmii, commensurari convenit ad charitatis et dilectionis Dei proportionem, quâ in viâ fuerint dotati ac imbuti. Hanc autem in pluribus inæqualem esse nemo non novit; illam igitur esse similiter inæqualem dubitare non possumus.

Esse angelum custodem.

Aliud denique est universæ Ecclesiæ sensu et consensu communi receptum et approbatum, nempe cuilibet homini, maximè Christiano, divinâ providentiâ demandatum esse angelum custodem. Plura sunt quæ circa materiam hanc conveniret exponere quàm patitur modò hæc nostra catholicarum veritatum compendiosa et succincta narratio.

Esse angelos seu spiritus omni mole corporeâ vacuos et ratio naturalis, et fides christiana nos certissimè docent, quamvis recentiores sint aliqui, etiam dicti Christiani, qui de hâc veritate ambigere videntur. Sacrarum Scripturarum tum veteris, tum novi Testamenti infinita sunt loca, quæ angelorum numerum immensum, quæ illorum laudem et gloriam, necnon et eorum ministerium in rerum humanarum divinâ dispensatione ac regimine passim commemorant.

Lapsus angelorum.

Horum aliquos ab eo perfectionis statu, in quo à Deo creati fuerunt, in peccatum culpâ suâ lapsos esse eadem nos docet christiana fides.

Loca Scripturæ quibus probatur esse angelos.

Primum patet, Dan. 7: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Quod idem habetur totidem ferè verbis, Apoc. 5. Dicuntur etiam nuntii seu spiritus administratorii, Heb. 1. In veteri lege frequens fuit et mirabile divinæ bonitatis auxilium angelorum procuratione hominibus impertitum. Isaac à patris sui Abrahæ gladio mortem minitante ab angelo liberatur, Gen. 22; Lot de Sodoma, Gen. 19; tres pueri de camino ignis, Dan. 3; ipsemet Daniel in lacu de ore leonum, Dan. 6; Angelus Balaam corripit, Num. 22; Israelitas increpat angelus, Jud. 2; Assyriorum exercitum percutit, 4 Reg. 19; exercitum Sennacherib dissipat, 2 Paralip. 32; Seraphin tetigit os Isaiæ, Isa. 6; Eliam à somno excitavit et dedit comedere, 3 Reg. 19; angelus Raphael Tobiam curat, Tob. 3; Michael pugnat cum diabolo, Dan. 10. Jud. 9. Apoc. 1, 2, 8. Plures sunt alii veteris Testamenti loci, qui angelorum ministeria erga homines manifestè attestantur. In novo similiter Testamento de angelorum ministerio sæpissimè fit mentio. Angelus Petrum liberavit de catenis, et eduxit de carcere, Act. 12; ibidem percutitur Herodes ab angelo. In piscinam descendit angelus, movit aquas, et sanavit infirmum, Jo. 5. Angelus mittitur ad Eunuchum, Act. 8; jussu angeli, Cornelius Petrum accersit, act. 10. Imò circa mysterium Incarnationis, et sacram Christi Domini personam angelos nonnunquàm occupatos novimus. Gabriel salutat Mariam, eique annuntiat conceptionem Jesu Filii Dei de Spiritu sancto, Luc. 1. Angelus evangelizat pastoribus nativitatem Christi Domini, Luc. 2. Angelus monuit Joseph in somnis fugere in Ægyptum, et in terram Israel redire, Matth. 2. *Possum*, inquit Christus Jesus, Matth. 26, *rogare Patrem, et exhibebit mihi plusquàm duodecim legiones angelorum. Apparuit* Christo *angelus de cœlo confortans eum*, Luc. 22. In ipso die judicii magni Christum venturum comitabuntur angeli: *Mittet angelos suos cum*

tubâ, etc., et congregabunt electos, etc., Matth. 24. *In voce Archangeli*, 1 Thess. 4. In Apocalypsi passim angelorum ministeria et operationes recensentur.

Loca Scripturæ quibus ostenditur lapsus angelorum.

Quòd autem angelorum aliqui sint lapsi in peccatum, constat Job. 4 : *Et in angelis suis reperit pravitatem.* Ibid. 15 : *Cœli non sunt mundi in conspectu ejus.* Isa. 4 : *Quomodò cecidisti de cœlo, Lucifer, qui manè oriebaris?* Ezech. 28 : *Tu, Cherub*, etc., *donec inventa est iniquitas in te et peccâsti : et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, ô Cherub.*, etc. Jo. 8 : *Vos à patre diabolo estis*, etc., *ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.* 2 Pet. 2 : *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit*, etc. Jud. 6 : *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium*, etc. Et hujusmodi plura.

Loca Scripturæ, quibus ostenditur esse angelos hominum custodes.

Sunt et alia quædam loca in sacro codice, quæ specialem angelorum custodiam singulari cuivis homini designatam affirmant, ut Exod. 23 : *Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te et custodiat in viâ, et introducat in locum quem paravi : observa eum et audi vocem ejus, ne contemnendum putes, qui non dimittet cùm peccaveris*, etc. *Quòd si audieris vocem ejus*, etc., *præcedet te angelus meus*, etc., ubi manifestè *ducentis et custodientis* Angeli cura ex mandato Dei distinctè indicatur. Et Psal. 90 : *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, etc. Matth. 18 : *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei.* Hæc et plura similia sacrarum Scripturarum testimonia adeò ipsum Calvinum evicerunt de angelorum ope hominibus præstità, ut disertè fateatur 3 Institut., c. 20, angelos debere invocari.

Tandem patet, ni fallor, me viam hæreticis satis apertam stravisse, ut cum S. Augustino l. 6, Confess., c. 3, dicant : *Gaudens erubui non me tot annos adversùs catholicam fidem, sed contra carnalium cogitationum figmenta latrâsse. Eò quippe temerarius et impius fueram quòd ea quæ debebam quærendo discere, accusando dixerim.* Denique lectorem animadvertendum duxi, me de industriâ omisisse assertiones illas theologicas, quas superiùs in quolibet articulo memoravi, dixique in utramque partem à catholicis theologiæ magistris agitatas esse, citatis utrinque plurimorum theologorum verbis, signatisque locis prolixiùs declarare ; imò et vana hæreticorum commenta me leviter datâ operâ transiisse, quæ adductis singulorum sententiis, prolatisque particulatim locis accuratiùs illustrare potuissem. Hæc autem ad eos remitto, qui incertas aliorum opiniones exscribendo (tabellionum more) voluminosos codices profusissimis narrationibus, et ineptissimis quæstiunculis farcire et exaggerare solent. Haud inutile tamen mihi videtur hìc breviter inserere, quod in ipso libri hujus initio proponere debuissem, vocabulorum scilicet quorumdam explicationem, quibus uti consueti sunt librorum et propositionum censores.

Lectio unica.

De propriâ terminorum significatione, quibus solent propositiones theologicæ censoriis judiciis irrogari.

Quid *hæresim sapere seu hæresi proximum esse?*

Quasdam videmus assertiones circa rem Fidei et Religionis, seu potiùs circa scientiam theologicam, quas *hæresim sapere*, et *hæresi proximas* esse, audacter satis pronuntiant theologorum scholæ. Quo verò modo redargui debeant, quibusque principiis innitendum sit, ut condignis sententiis et censuris reprehendantur, vel damnentur hujusmodi propositiones, ex supra dictis lib. 1, cap. 6 et 9, abundè constare censemus. Nisi etenim hujusmodi assertiones reperiantur oppositæ vel fidei catholicæ articulis, vel iis veritatibus quæ ex revelatorum dogmatibus certissimè et evidentissimè, nemine refragante, consequi dignoscuntur, clarum est nequaquàm dicere licere, illas *hæresim sapere*, vel *hæresi proximas* esse; cùm enim judicium hoc, et censura pendeat ab uniuscujusque privati doctoris ratiocinatione et discursu, quod ab uno redargui et damnari, ab altero sustineri et approbari videbitur.

Quid temerarium?

Aliud est vocabulum, nempe, *temerarium*, quod oportet explicare. Hanc siquidem, vel illam opinionem facilè nimis *temerariam* esse asserunt theologi quidam recentiores ; *temerarium* à *temeritate* dicitur. Ea autem dicuntur *temerè* fieri, quæ non reguntur ratione, vel propter impetum immoderatæ voluntatis, vel ex contemptu; ac idcircò causantur ex superbiâ. Dicitur etiam *temeritas*, præcipitatio ex defectu consilii, ac proinde est species imprudentiæ.

Duplici sensu intelligitur.

Duplici igitur sensu potest intelligi assertionem aliquam esse *temerariam*, vel comparatione factâ ad interna et intrinseca hujuscemodi opinionis aut assertionis principia, quibus maximè innititur; vel ad externam aliorum auctoritatem. Priori sensu difficile satis est perdocti alicujus theologi sententiam *temeritatis* arguere. An enim levia et infirma sint principia, super quæ sapientissimus aliquis et verè doctus theologus opinionem suam construxerit, non nisi à peritissimis et minimè præoccupatis theologis (qui rarissimè inveniuntur) judicandum est.

De posteriori sensu notandum est auctoritatem, respectu cujus opinionem oppositam *temerariam* esse dicere solemus, vel esse superiorem ratione jurisdictionis, vel ratione veræ et catholicæ Christianorum æstimationis, vel ratione numericæ recentiorum theologorum multitudinis.

Auctoritas superior ratione jurisdictionis, tantùm valet in hujusmodi opinionis damnaticnem, quantùm apud doctos, prudentes, et pios valoris sit ipsamet

jurisdictio; cujus præcipuæ vires in ejusdem amplitudine, divino jure institutâ, sitæ sunt; adeò ut si jurisdictionis auctoritas sit ab omnibus habita *universalis*, puta conciliorum verè generalium, decretis ejus oppositum sustinere *temerarium* est. Singularis verò cujusvis superioris auctoritatis sententiarum inobedientia, eum solummodò *temeritatis* gradum involvit, quem circumstantiæ particulares juxta prudentiæ regulas hujusmodi oppositioni, vel contumaciæ, natæ sunt attribuere. Haud enim eo ipso, quo superior aliqua particularis jurisdictio vel auctoritas, quæcumque illa sit, hanc vel illam opinionem declaraverit *temerariam* esse, *temeraria* est, sed oportet ut constet eam auctoritati *universali* oppositam esse.

Auctoritatem aliquam doctrinalibus quibusdam circa theologiam articulis accrevisse ex verâ et catholicâ sanctorum et doctorum virorum testimonii æstimatione, certissimum est; iis nimirùm judiciis et sententiis quæ communi sanctorum Patrum consensu stabilita videntur. Quamvis enim minimè sit *temeritatis* argumentum, singularis cujusvis viri sancti aut antiquioris Patris opinioni adversari, maximè si eum à reliquis in hoc dissentientem novimus; verumtamen ut unanimi sanctorum Patrum in re theologicâ sententiæ pertinaciter quisquam obluctetur, absque *temeritatis* alicujus notâ fieri nequit.

Quamdam denique auctoritatem in recentiorum theologorum consentientium multitudine sitam esse volunt nonnulli. Qui cùm problematicè ac dubiè profiteantur se omnia disputare (sive de sacri textûs expositione, sive de consecutione theologicâ ex articulis fidei sit quæstio) pro nihilo prorsùs hæbenda est eorum auctoritas. Imò sine minimâ *temeritatis* labeculâ scepticorum hujusce modi argumentatorum torrentem impugnare licebit.

Quid erroneum, seu falsum?

Alia sunt etiam vocabula, nempe *erroneum* et *falsum*, quibus notari quandoque videmus etiam doctissimorum et catholicissimorum quorumdam theologorum opiniones. Sunt etenim nonnulli hâc nostrâ tempestate, qui facilè nimis in omnem doctrinam, non suam, censurarum fulmina intentant. *Erroneum* ab *errore* dicitur; *error* autem, sicut et *falsitas*, est aliquid veritati oppositum. *Errare*, inquit S. Augustinus, *est approbare falsa pro veris, vel improbare vera pro falsis; aut habere incerta pro certis, aut certa pro incertis. Errores* etiam agnoscimus tum veritatibus, quæ solùm mentis assensum respiciunt, oppositos; tum in rebus quæ in actionum externarum exercitio consistunt. Quapropter juxta subjecti seu materiæ conditionem, in quâ reperitur *error* aut *falsitas*, iniquitatis seu malitiæ rationem desumit.

Error ex diversitate materiæ est magis vel minùs gravis.

Error igitur in divinitùs institutis, hæresis est, si pertinaciter asseveratur. *Error* in cultu religioso, sive mentis assensum tantummodò, sive operis exercitium spectet, eò perniciosior est, quò magis ad Religionis aliquod summum ac præcipuum caput tollendum vergere percipitur. *Error* in theologiâ, id est, qui veritati theologicæ, ex rectâ ratiocinatione recognitæ, opponitur, minùs periculosus est; nisi aliunde et ex consequentiis gravitas quædam accedat. *Error*, qui veritatibus naturalibus opponitur, ad philosophiam pertinet.

Cujus est de erroribus judicare?

De *falsitatis* seu *erroris* crimine, in quâcumque materiâ, non est omnium judicare. De *erroribus* in fide et Religione solius est Ecclesiæ *universalis* certissimam et indubitatam ferre sententiam. Particularium verò sententiæ, sive prælatorum singularium, sive theologorum congregatorum, ejusdem sunt auctoritatis et valoris, quem supra adscripsimus eorumdem judiciis seu decretis in *temerarias* opiniones latis; de *falsis* autem et *erroneis* consecutionibus seu dogmatibus in theologiâ, eorum est tantummodò judicare, qui eam, quam *erroris* damnant, opinionem, possunt *falsitatis* evidentissimè coarguere et manifestè convincere. Ex quibus constat *erroris* censuram nequaquàm inuri debere iis quæ in Ecclesiâ apud eximios aliquos theologos habentur dubia; sicut nec iis quæ nondùm accuratâ satis disceptatione, sedulâ disquisitione, et exactâ agitatione discussa et examinata videntur. Quod ab iis solummodò præstandum est, quos et eorum auctoritas sacra, ab omni pravo affectu aliena, et scientia non vulgaris, à partium studio libera, muneris hujus dignos ac idoneos efficiunt.

Quid scandalosum, et piarum aurium offensivum.

Alia sunt adhuc vocabula, nimirùm *scandalosum*, et *piarum aurium offensivum*, explicanda. Hæc proculdubio debent intelligi de propositionibus seu dogmatibus, quæ verè dant *offensionis* et *scandali* occasionem; ea namque ex quibus rudiores solummodò et imperitiores *scandalum* immeritò capiunt, censurâ hâc nullatenùs sunt notanda. *Veritas enim*, ut inquit S. Thomas, *nullo modo deseri debet propter scandalum passivum aliorum.*

Ex duplici novitate dicuntur propositiones scandalosæ.

Solent autem assertiones, vel *scandalosæ*, vel *piarum aurium offensivæ* vulgariter dici ratione alicujus *novitatis*, quâ nempe vel communis aliquis doctrinæ articulus, consuetumve Religionis exercitium oppugnatur: vel saltem insolens aliquid et insuetum aut innovatur, aut renovatur, quod circa religionis materiam versatur; sive ad intellectûs assensum, sive ad operis exercitationem spectet.

Quædam non sunt scandalosa, licet ita videantur.

Non omnia autem eo ipso judicanda sunt *scandalosa*, vel *piarum aurium offensiva*, propterea quòd vulgari alicui in doctrinâ theologicâ articulo, vel usitato alicui religiosorum hominum exercitio opposita sint. Quamvis enim *novitatis* aliquid habere videantur hujusmodi assertiones, eò quòd doctrinæ magis communi, vel praxi etiam frequentissimæ contrariæ sint; attamen quia et abusus nonnullos in christianæ et catholicæ Religionis disciplinam, et falsitates plurimas tum in populorum opiniones, tum etiam in theologorum scholas irrepsisse constat; idcircò opor-

tet quandoque (licet cautè) neglecta nimis antiquiorum Patrum in quæstionibus theologicis effata, necnon et labentes, imò pene dilapsos, sanctiores in divino cultu mores repetere et redintegrare. Quod nullis sanè nisi vel imperitis vel nimiæ licentiæ fautoribus displicere potest. Imò necesse est ad ingruentes in sacris abusiones tollendas (juxta Ecclesiæ in conciliis usum) vetusta sanctorum Patrum oracula, et priscas piorum consuetudines interdùm restituere et renovare. Si quid autem recens prorsùs et nuper adinventum circa Religionis qualemcumque materiam usurpari videmus, sive ad divini cultûs et operis exercitationem, sive ad solum intellectûs assensum spectet, rectiùs multò et potiori jure *scandalosum* et *piarum aurium offensivum* esse, censere possumus; cum hâc tamen cautelâ, nisi in bonum animarum, ad strictiorem scilicet et perfectiorem Christianæ disciplinæ regulam observandam, evidentissimè tendat; vel ab auctoritatis superioris ordinatione et mandato procedat.

Impium, seditiosum.

Quantùm denique spectat ad hæc vocabula, *impium*, *seditiosum*, haud opus est multùm laborare. *Illud* enim ad omne sceleratum et nefarium sese porrigit, sive in propriâ aliquâ Christianæ fidei et Religionis materiâ, sive in communi quocumque subjecto ad mores hominum quomodolibet spectante reperiatur. *Hoc* autem specialem non habet in disciplinâ Ecclesiasticâ rationem, quæ non sit regimini civili communis, ac proinde non est hujus loci hujusmodi terminos examinare.

CAPUT IX.

De veritatibus quibusdam naturalibus, quæ in Christianæ fidei et Religionis exercitio ab omnibus omninò catholicis, tanquàm ab omni auctoritate in terris prorsùs indissolubiles, *teneri et observari debeant.*

Naturam hominis esse *rationalem*, et constans experientia et communis omnium consensio satis affirmant; adeò ut veram hominis rationem astruere absque innatâ facultate ad ratiocinandum planè impossibile sit.

Cùm igitur omnibus hominibus communis hæc sit ratiocinandi seu discurrendi facultas, quidquid huic rationi evidenter et necessariò convenit, oportet etiam omnibus omninò hominibus sit congruum et commune.

Duæ præcipuæ veritates naturales.

Præcipuæ veritates rationali creaturæ naturaliter insitæ, quæque cæteris omnibus, veluti earum basis et fundamentum substant, sunt hæ duæ : *Deum, seu primam causam esse; et formam hominis, seu animam rationalem esse immortalem.* His, inquam, duobus, tanquàm principiis, humanæ naturæ maximè consentaneis, innituntur omnes penitùs veritates, quæ generi humano reperiuntur communes.

Ex his consequitur primò, omnes absolutæ perfectionis titulos huic Enti supremo summè convenire : deinde æternitatem aut felicitatis, aut pœnæ cuilibet animæ rationali tribuendam esse. Cùm enim clarum sit rationalem creaturam ex suâpte naturâ astrictam teneri, vitam suam ad rationis libram moderari (in quo morale bonum, et in opposito morale malum, consistere notum est), dubitare non licet quin anima, exuto corpore, compensationem et remunerationem, tanquàm operis sui pretium, perenniter duraturam, receptura sit.

Hinc etiam Religionis et cultûs divini principium et origo, ut superiùs notavimus. Religionem verò Christianam solam esse veram, rationi congruam, et humano generi ad æternam felicitatem consequendam, necessariam jam supra supposuimus.

Quæ sunt leges naturæ.

His ita constitutis investigare oportet, quænam in genere sunt veritates ac leges, quas omnibus omninò hominibus adeò communes astruimus, ut in ipsam naturam peccare judicandus sit, qui illarum quamlibet infringit ac dissolvit. Inquirimus autem veritates, quæ mores hominum respiciunt, ut nempe secundùm rectæ rationis normam vitam instituant. Quæ namque ad scientiarum dogmata pertinent, vel principia quæcumque ad solum internæ mentis assensum spectantia, aliena sunt ab instituto nostro.

Triplex lex naturæ.

Veritates autem et leges quas modò breviter inquirimus, in tres classes dividemus, juxta triplex hominis officium, seu triplicem ordinem quo possit considerari rationalis creatura in genere morum. Actiones enim omnes humanæ seu morales, et Deum respiciunt, et ipsum agentem, et proximum. Sub his autem tribus titulis, eas solummodò veritates annotabimus, ut jam dictum est, quæ adeò homini conveniunt, ut eum, qui ab illis aberraverit, in ipsum naturæ lumen (cujus *indissolubiles* omninò et *indispensabiles* sunt leges) delinquere et ab evidentis rationis tramite deviare constet.

Quid est esse legem naturæ?

Palàm est enim ad legem naturæ pertinere omne illud, ad quod homo inclinatur secundùm suam naturam. Unumquodque autem naturaliter inclinatur ad operationem sibi convenientem secundùm suam formam, sicut ignis ad calefaciendum. Unde cùm anima rationalis sit propria forma hominis, necesse est ut naturalis inclinatio insit cuilibet homini ad hoc, ut agat secundùm rationem, quod est agere secundùm virtutem. Quapropter bonum dicimus id, quod appetit creatura rationalis, quà rationalis, tanquàm finem. Omnia igitur legis naturalis præcepta, quæ plura sunt in seipsis, ad hoc unum referuntur : *bonum prosequendum, malum vitandum.*

Lex naturæ, jus naturæ.

Duo sunt igitur hic animadvertenda : Primum, quòd eam dicimus esse legem naturæ, ad quam implendam tenetur universim genus humanum : illud verò jus naturæ, quod in sui bonum licitè facere possunt omnes homines.

Malum duplex.

Secundum, quædam esse prohibita, quia mala; cujus generis sunt omnes actiones humanæ, quæ scilicet principiis, et veritatibus moralibus rationali naturæ consentaneis opponuntur : alia verò mala, quia prohibita, eo nempe quòd actioni in specie suâ indifferenti accesserit superioris mandatum, vel externa aliqua conditio, quorum exempla infra videbimus.

Prima classis legum naturæ respicit Deum.

Ut juxta triplicem jam allatum humanarum actionum respectum procedamus, in primi capitis veritates ac leges peccant maximè *Athei*, qui primam causam, Deum ipsum, et creatorem suum denegant : ii etiam qui cultu maximo, seu *latriâ*, unum solum Deum veluti supremum rerum omnium dominum non adorant, aut qui alteri divinum hunc honorem attribuunt, quique ideò *Idololatræ* dicuntur. His etiam haud dissimiles habendi sunt incantatores et superstitiosi; qui idem in vanum jurant, seu Deum in minimæ cujusvis rei testimonium leviter et inutiliter invocant : multò magis qui perjurant, qui scilicet falsitatis Deum testem faciunt; denique ii omnes qui Deum odio habent sub quâcumque consideratione, quique eumdem blasphemant, aut maledicunt. Hi, inquam, omnes in veritatem ac legem naturæ lumine et ratione evidenti notam (quâ nulla unquàm Religio possit homines eximere) turpissimè delinquunt.

Secunda classis legum naturæ respicit nosmetipsos.

In secundi capitis leges ac veritates præcipuè peccant qui seipsos occidunt. Cùm enim supremo jure et primâ lege insita sit naturæ suî ipsius conservatio, clarum est, omnia quæ suî ipsius ruinam necessariò inferunt, esse penitùs illicita et prohibita. Ubi notandum est, quòd sicut Deus solus est prima causa, ita solus est dominus vitæ et necis. Quomodò tamen alicui licet alteri mortem causare, jamjam examinabimus. Interea manifestum est, ea omnia quæ ad vitam suam tuendam verè sunt requisita, à quolibet homine in statu naturæ, et ante omnem societatem vel pactum initum, legitimè et justè fieri posse. Hinc constat omnes hominum actiones, quæ vel sibi vel alteri vitam proximè tribuere natæ sunt, esse omninò illicitas, et legibus naturæ vetitas, si eâ ratione peragantur, ut effectum suum connaturalem nequeant procreare. Quod in iis apparet, qui turpitudinem quamcumque in seipsos operantur. His similes habendæ sunt actiones omnes, quibus totum rationis usum præpeditum aut ablatum videmus. Hæ namque ipsam hominis naturam evertunt, sive ex immoderatâ interioris appetitûs cupiditate hoc eveniat, ut in luxuriosis, iracundis, superbis; sive alliciente et impellente exteriori causâ, ut in iis, qui gulæ et ebrietati sunt dediti; quæ omnia annumerare est alterius loci. Nobis sufficit annotâsse has omnes veritates et leges adeò intimis naturæ rationalis infigi visceribus, ut nisi subversis totius naturæ fundamentis, et deficiente ac pereunte humano genere, *indissolubiles* prorsùs et constantes in omni verâ Religione perseveraturæ sint, et observari debeant.

Tertia classis legum naturæ respicit proximum.

Tertii capitis leges et veritates difficilius est multò designare, eò quòd longè diversus sit status hominis in naturâ nudâ considerati, ab eo in quo hominem modò ubique positum videmus.

Actiones humanæ dupliciter considerari possunt.

Secundùm priorem hominis statum expendenda est primò illius conditio. Quod dupliciter fieri potest, vel nimirùm comparatione factâ particularis ad particularem, vel particularis ad universam hominum multitudinem; sicut considerari possunt actiones hominum in seipsis, vel secundùm quòd rationalis creaturæ legibus sint oppositæ, ac ideò malæ; vel secundùm quòd eodem jure ad eas perficiendas tenatur omnis creatura rationalis, quarum ideò defectus erit etiam malus. *Illæ* dicuntur præcepto negativo contrariæ, veluti, *non occides : hæ* verò positivo, ut, *ama proximum tuum sicut teipsum.*

Duplex lex naturæ in communi erga proximum.

Quemadmodùm autem omnium primum, et naturæ altissimè insitum esse principium jam supra posuimus, unumquemque posse et teneri seipsum conservare, ita etiam alia duo huic æquè communia, et rationali naturæ adeò intimè infixa superaddenda sunt: positivum unum, negativum alterum, quæ meliùs nequeunt exprimi, quàm ipsis sacræ Scripturæ verbis. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex et Prophetæ*, Matth. 7. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando facias alteri*, Tob. 4. Constat igitur amorem proximi non esse tantùm juris Evangelici et Mosaici mandatum, sed etiam legis naturæ præceptum. Quamvis autem *amicabilia ad alterum veniant ex amicabilibus ad seipsum*, ut inquit philosophus Eth. 9; verumtamen adeò necessarius et immutabilis est horum connexus, ut benevolentia erga proximum sit rationali naturæ quàm maximè innata; ita ut vi creationis ac nativitatis suæ tenatur quivis homo proximo indigenti (stante suî conservatione) opem afferre.

Qui verò Christi nomen profitetur, et se Christianum haberi voluerit, audiat Salvatorem ipsum Jesum sic suos affantem discipulos : *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, Joan. 13. Audiat et Petrum 1 Ep. suæ cap. 4 : *Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes*, etc. Audiat et B. Joannem : *Et qui non diligit, manet in morte*, 1 Joan. 3.

Ordo amoris naturalis erga proximum.

Oportet autem hìc investigare, quo ordine et quâ ratione ad hunc amorem et benevolentiam erga proximum lege naturali astringimur; cùm enim unusquisque sibi proximus sit, præ cæteris omnibus seipsum amare, et sibi ipsi velle bonum et potest et tenetur; adeò ut in suî ruinam ac destructionem alteri salutem procurare, nemo unquàm fuerit obstrictus. Quamobrem de bono ejusdem generis et in iisdem circumstantiis alteri curando, haud intelligendum est hoc præceptum naturæ.

Duobus modis oportet proximo benefacere.

Duabus autem rationibus seu modis astringimur lege naturæ ad benevolentiam alteri præstandam. Primò quando bonis quibus abundat unus, indiget alter; puta re quâlibet superabundans et copiosus unus alterum opus habentem illius participem facere tenetur. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habentem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* 1 Joan. 3. Hoc verò intelligendum est secundùm mensuram abundantiæ, et indigentiæ uniuscujusque, quam non licet modò speciatim examinare et designare. Secundò, quando bona, quorum necessitatem habet, sunt ordinis superioris, quàm sint ea quibus alteri concilianda sunt : nimirùm dives fortunæ bona ad vitam Lazari conservandam largiri tenetur; imò vitam temporalem profundere oportet, cùm alteri ad vitam æternam assequendam est omninò necessaria. At in eodem genere bonorum nunquàm potest quivis obligari ad elargiendum alteri, quod sibi ipsi sit verè necessarium.

Quomodò liceat alteri necem inferre.

Cùm autem supra jam dixerimus Deum solum esse Dominum vitæ et necis, hoc sanè et cautè intelligendum esse advertimus. Quamvis enim fateantur omnes rationis facultate præditi, neminem cujuscumque fuerit ordinis, gradûs, aut statûs, posse absque justâ et ex æquo congruenti causâ, alteri vitam adimere, attamen unam esse rationem, eamque solam, ob quam alteri liceat necem inferre, eâdem evidentiâ manifestum est.

Omnium quippe naturæ legum primam statuimus, *seipsum conservare;* huic igitur cedere oportet quidquid illi occurrit oppositum. Itaque si quis seipsum nequit ab interitu liberare, nisi mortem alteri inferat, alterius vitæ, pro hâc vice, dominus est. Quod post initam societatem, ad totius civitatis salutem et pacem conservandam priori jure ad magistratum pertinere, jam diximus.

Quomodò hæc veritas sit intelligenda?

Quamvis autem veritas hæc de cujusvis potestate seu dominio in alterius vitam, sit naturæ lege firmissima, et rationis lumine manifestissima, verumtamen non adeò facile erit thesim particularem denotare, quemadmodùm sic hypothesim communem agnoscere; absurdum enim, et sanæ mentis viro indignum est asserere hominem quemcumque imperitum, levem, fatuum (ut de insipientibus et insanis nihil dicam) posse ante initam societatem licitè et juxta rationalis naturæ leges, alterum occidere, eò quòd sibi finxerit animo, aut ineptè ac voluntariè sibi persuaserit se non posse, altero vivente, salvum subsistere. Quapropter penès quemlibet particularem, cujuscumque fuerit ingenii, constitutionis, aut temperaturæ, hujusce rei statuere judicium, ita ut quilibet in quovis casu proprii periculi constituatur supremus et ultimus judex ac inde alterius vitæ dominus, est ipsam naturam et rationis lumen exstinguere.

Hujus veritatis regula.

Hujus igitur veritatis regula et mensura est, ut æquè communi ac evidenti hominum rationi sit manifesta imminentis periculi thesis ac veritas, quàm ipsius hypotheseos; adeò ut paratus esse debeat qui vitam alteri in suæ defensionem voluerit eripere, totum genus humanum et ipsam rationem omnibus hominibus communem, facti sui judicem appellare.

Officium hominis erga proximum in particulari.

Hæc de hominis officio jure naturali debito erga proximum, ex duobus jam citatis principiis certissimè constant. Sub his autem (quæ unum solummodò efficiunt mandatum, puta, bonum prosequendum, malum vitandum) comprehenduntur omnia legis naturæ præcepta, quæ in scipsis plura sunt, quatenùs proximi dilectionem respiciunt, quæque *moralia* dicuntur, quia mores hominum spectant, et in secundâ Decalogi tabulâ denotantur. Quæ verò ad priorem Decalogi tabulam, nempe ad dilectionem Dei attinent, jam supra satis, quantùm argumento nostro convenit, agitata sunt.

Inter varias autem actionum humanarum species, quæ ad proximum rationem habent, occurrit præcipuum hominis munus et officium erga parentes. Si enim per generationem procreatos supponimus homines, palàm est legi naturali debere liberos parentes suos honore prosequi, in pueritiâ et in juventute suâ illis obedire, illorum deinde, si opus sit, necessitates sublevare, et in omnibus, quantùm convenit, opem illis afferre. Multò magis eodem jure prohibetur parricidium committere, imò vel parentes contemnere, odio habere, aut verbis vel factis ullatenùs illis nocere.

Certum etiam et evidens est, quocumque modo homines in rerum naturâ ponamus, modò homines sint, cædem et occisionem mutuam, extra necessitatis apertissimæ periculum, illis lege naturali inhiberi, nec posse quemquam ad libitum et absque justâ et legitimâ causâ, hoc est, absque imminenti propriæ vitæ manifestissimo periculo, alterum interficere et trucidare. Hujusmodi enim occisio foret omninò *indebita*, ut jamjam explicuimus. Prohibetur autem lege naturali occisio, in quantum est *indebita*. Privatum verò in vitæ suæ defensionem, quam aliàs nequit conservare, inimicum suum interficere, aut carnificem, malefactorem occidere, tanquàm reipublicæ hostem, quam nequit aliter magistratus salvam tueri : hæc, inquam, ut modò diximus, non sunt *homicidia indebita* et rectæ rationi opposita, quæ lege naturæ vetantur. Hinc etiam consequens est et eodem jure ac paribus circumstantiis vetitum, proximum mutilare, vulnerare, lædere, aut vim aliquam illi inferre. Imò omnes odii, invidiæ, et vindictæ actus voluntarii, etiam ex irâ vel indignatione prorumpentes, hâc lege prohibentur : *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est,* 1 Joan. 3. Unde non solùm velle mortem proximi, sed et de ipsius malo gaudere, vel bono contristari, rationalis naturæ dictamini opposita sunt.

Luxuriæ vitia sunt contra legem naturæ.

His annexa sunt, tanquàm eâdem lege vetita et honestati naturali contraria, omnia luxuriæ carnalis inquinamenta, tam mentis concupiscentiâ, quàm verbis aut factis patrata; raptus, stuprum, incestus, inordinatus concubitus, pœderastia, et alia similia turpissima, quæ *ne quidem* licet *nominare.*

Idem de mendacio.

Eâdem etiam lege vetitum est omne mendacium, omnis simulatio. Adversùs namque veritatem nihil prorsùs licet, ne quidem in statu naturæ nudæ, aut verbis asserere, aut actionibus exhibere. Quidquid verò hujusce rationis in alterius damnum ac detrimentum cedere possit, et falsitatis et injustitiæ iniquitatem habet. Unde non solùm prohibentur omnes falsorum criminum accusationes, convicia, maledicta, contumeliosæ verborum injuriæ, sed et adulatio, assentatio, imò et ipsius veritatis occultatio, cui testimonium reddere hâc ipsâ lege naturali tenentur nonnunquàm homines in quocumque statu positi.

Quomodò furtum sit contra legem naturæ.

Sequitur animadvertendum, quòd tametsi in naturâ nudâ, seu ante initam societatem, nemo sibi proprium aliquid possit vindicare, sed quilibet in solidum jus habeat æquale; verumtamen ex eo quòd nequit unus solus totam terram occupare, nec plures humanitate et ratione præditi, eamdem partem ac portionem adeò concupiscere, ut alter alterius ruinam ac necem hujusce rei gratiâ vellet procurare (modò plures non supponamus homines, quàm poterit terrarum orbis alere ac sustentare) necesse est evenire juxta rectæ rationis regulam (quod Abrahæ et Lot accidisse novimus, Gen. 13.) ut unus ad sinistram, alter ad dexteram pergat, ita ut unusquisque bonorum terrestrium partem aliquam sibi adscribere, et propriam facere laboret. Quid verò juris, conditio primi possidentis partem aliquam superadderet ei qui illam acquireret, quoad præsens institutum parùm refert.

Hoc posito, si quis alterius partem jam acquisitam (quâ nempe sustentaretur, quamque suam modò fecisset usu et industriâ) invito domino, vi et armis vellet abripere, injustum faceret, etiam ante omnem initam societatem et pactum. Quapropter furti genus omne, fraudis, circumventionis, insidiosi doli et cujuscumque alterius injustitiæ, rationalis naturæ lege prohibitum est. Ex quibus constat omnes ferè virtutes morales, maximè quas *cardinales* vocamus, debitas esse naturæ rationali in quocumque statu consideratæ.

Tenetur homo lege naturæ stare promissis.

Tandem lege naturali omni creaturæ rationali communi, tenetur homo etiam vinculo à nullâ prorsùs auctoritate solubili, stare promissis et pactum initum servare. Hoc regnorum, rerumpublicarum, societatum, et communitatum omnium fundamentum est. Quod nisi indubitatum, inconcussum, et immutabile statuatur, ruit penitùs universum genus humanum.

Quomodò promissum differt à pacto?

Promissum in eo differt à pacto quòd in hoc mutuo sit obligatio, in illo solius promittentis astringit fiducia. Utriusque tamen eadem natura, eædem ferè sunt conditiones.

Fit autem promissum et pactum vel purè et nudè, vel cum juramento. Quovis autem modo fiant, indispensabile est omninò utriusque vinculum. Quænam verò sit utriusque ratio, quibusve legibus et conditionibus fieri debeant, ut licitè fiant, et immutabiliter obligent, breviter dicendum est.

Quid promissio?

Est aut promissio rationis actus quo homo se homini obligat ad aliquid faciendum. Ad rationem verò pertinet ordinare. Promittendo igitur ordinat aliquis quid ipse pro alio facere debeat, sive per voces, sive per alia quæcumque signa exteriora fiat hujusmodi promissio. Quapropter procedit omnis pollicitatio ex proposito faciendi; propositum verò deliberationem aliquam præexigit, cùm sit actus voluntatis deliberatæ. Incipit itaque *deliberatio*, sequitur *propositum*, et supervenit *promissio.*

Conditiones promissionis.

Oportet igitur ut promissum sit ex parte promittentis *rationale*, *deliberatum* et *voluntarium* seu *liberum.* Primum, quia actus rationis. Secundum, quia actus voluntatis deliberatæ. Tertium, quia *necessitas absoluta* voluntatem, prout *liberam*, excludit; veluti si quis polliceretur se moriturum, aut aliud aliquod simile, quod non foret in suâ potestate.

Debet etiam id quod spondetur esse *possibile*, quia manifesta ratio hoc postulat; esse *gratum* seu acceptum ei cui fit pollicitatio: secùs enim promissio esset comminatio; esse *licitum*: fuit enim Jephte, Jud. 11, vovendo inconsideratus, et reddendo impius, sicuti et Herodes, Matth. 14. Ac denique oportet *ut omnia permaneant immutata*, invariatis scilicet omnibus personarum et negotiorum conditionibus.

His servatis ad hominis fidelitatem spectat, ut solvat quod promisit: et promissione quâcumque secundùm honestatem homo homini *indissolubiliter* obligatur.

Quid juramentum promissorium, et quæ ejus conditiones.

Cùm pollicitationi verò accesserit juramentum, hoc est, cùm adhibet aliquis divinum testimonium supra promissionem, gravior est obligatio. Juramentum autem debet fieri, *postulante necessitate*, cum *judicio*, cum *veritate*, et cum *justitiâ;* quod cùm promissorium est, ac futurum respicit, obligationem affert strictissimam.

Quid de juramento coacto?

Quemadmodùm verò jam diximus de promissione, ita et de juramento promissorio; debet scilicet esse *voluntarium et liberum.* Coactum enim et compulsum, vel honestati, vel utilitati (si utilitas illa sit promittentis vitæ necessaria) aversum, eo ipso remittitur. Cessat enim obligatio quæcumque tum promissi, tum

juramenti per actionem violenter extorti. Quippe qui vim intulit, meretur ut quæcumque ei fiat exinde promissio vel juramentum, neutiquàm illi servetur; imò posse magistratum hujusmodi promissionis vel juramenti promissorii vinculum *dissolutum* declarare, manifestum est. In maximum enim justitiæ publicæ damnum cederet, si cuivis, cùm voluerit ac potuerit, alteri violentiam inferre, et ab altero promissionem astringentem violenter extorquere liceret.

Quomodò juramentum sit dissolubile.

Notandum est autem quòd cùm dicimus juramentum sub iniquis et coactis conditionibus extortum, esse *dispensabile* seu *dissolubile*, hoc non ita intelligendum est, ut *dispensatio* se extendat ad hoc quòd aliquid fiat contra juramentum; hoc enim sub divino præcepto cadit, et est prorsùs *indissolubile;* sed ad hoc ut id quod sub juramento cadebat, non cadat sub juramento, quasi non ampliùs existens debita juramenti materia. Id enim quod in se consideratum, utile est, et honestum, secundùm particularem aliquem eventum potest esse inhonestum et nocivum. Juret, verbi gratiâ, juvenis aliquis se nunquàm uxorem ducturum; accidit autem ut carnis tentationem patiatur, etiam cum periculo lædendæ castitatis : *qui autem amat periculum, peribit in illo*, Eccl. 3; palam est quòd id huic juveni esset nocivum, quod in se consideratum, honestum est; *melius enim est nubere quàm uri*, 1 Cor. 7.

Ex his patet quàm impium, quàm rationalis creaturæ legi contrarium, et quàm totius naturæ subversivum sit quorumdam dogma, qui audent asserere fidem liberè et licitè datam infidelibus, imò et hæreticis, violari posse. Quasi verò communes naturæ leges non sint penitùs eædem et *indissolubiles* in omnibus, et erga omnes; aut quòd unicuique liceat diversi cultûs in Religione professores defraudare, vel eos quovis modo decipere et circumvenire, quòdque suis in eâdem Religione sociis non liceat idem facere.

Hæc omnia in lege evangelicâ perfectiùs obligant.

Hæc omnia naturæ legibus firmissimè stabilita sunt, et in evangelicâ lege Christianis omnibus modo perfectiori observanda proponuntur. *Non enim venit* Christus naturæ *legem solvere, sed adimplere*, Matth. 5. *Et quicumque*, inquit Apostolus, Rom. 2, *sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, etc. Et postea : *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis; testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum*, etc. Et iterùm, Rom. 3 : *Legem ergo destruimus per fidem? Absit; sed legem statuimus.* Et iterùm, Gal. 3 : *Lex ergo adversùs promissa Dei? Absit.* Hanc autem legem naturalem adeò perficit gratia Christi, ut per ipsum ratione divinior ad illam adimplendam et astringamur et adjuvemur. Hæc est universalis Catholicorum omnium doctrina, quam rectè declaravit concilium Tridentinum, sess. 6, can. 10 : *Si quis dixerit*, etc., *aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.*

Catholicæ huic doctrinæ, divino et humano jure innixæ. de pactis initis et de fide datâ, cuicumque fideli aut infideli servandis, sequens corollarium subjungere visum fuit; quò sciant novatores omnes hæretici (qui ut magnificent futiles suas ineptias, et imaginarias insulsitates, Religionem catholicam et sacras res omnes mendacissimis conviciis calumniari, et spurcissimis scommatibus contaminare non desinunt) ut sciant, inquam, Catholicos sub hæreticorum imperio degentes sancto Religionis vinculo perstringi humillimum principibus suis obsequium præstare, atque debitum hoc in omni re civili persolvere paratissimos esse.

COROLLARIUM.

De homine in societate constituto.

Hucusque de hominis officio ante omne pactum aut societatem initam jure naturali debito erga Deum, erga seipsum, et erga proximum, breviter disseruimus. Jam verò de ejusdem hominis in societate constituti munere, rationalis naturæ legibus debito, pauca dicemus.

Tria certissima statuuntur.

Tria sunt quæ tum ex dictis, tum ex principiis lumine naturæ notis, evidentissimè constant. Primum, quòd bonum commune, cæteris paribus, sit bono particulari præferendum. Secundum, quòd naturalis sit hominum propensio et inclinatio ad societatem et pacem mutuò ineundam. Tertium, quòd teneantur homines ad leges et conditiones quascumque observandas, quas licitè et liberè ex pacto subiêre.

Primum : Bonum commune bono particulari anteponendum.

Primum patet ex eo quòd per se loquendo, major sit ratio boni in communi bono, quàm in bono particulari : quò major autem est ratio boni, eò magis est appetibile. Ipsa enim ratio boni, est ratio quare aliquid appetitur. Unde videmus in omni corpore, sive naturali, sive politico, quòd bonum speciale cujuslibet membri particularis cedit bono communi totius corporis. Hoc etiam necesse est evenire, ubi existit aliquod agens intellectivum, quod bonum commune administrat et illius curam gerit. Si verò supponatur nullam inesse toti seu communi bono unitatem (quod idem est ac nullum esse totum seu bonum commune, sed plurium quoddam aggregatum), ibi neque poterit esse obligatio in quovis particulari, ut sinat se perire ad totius, seu communis boni salutem. An verò et quomodò teneatur et obstringatur quodlibet membrum particulare, in quocumque corpore insertum, ad totius conservationem seipsum deserere, adeòque sinere se perire, non est hujus loci decernere.

Deus est hominis bonum commune et finale.

Interea advertendum est Deum esse hominis bonum commune et finale, quem ideò respicere tenemur, tanquàm amore supremo dignissimum, et nihil prorsùs ei præponendum.

Secundum : Hominem esse naturaliter propensum ad societatem.

Secundum, hominem scilicet esse naturaliter pro-

pensum ad ineundam societatem, patet tum experientiâ, tum ex dictis de amore erga proximum naturaliter debito. Amor autem est inclinatio indita naturæ ab ipso auctore naturæ, quâ res quælibet amat quidquid ei simile est in naturâ. Quem quidem amorem in rebus inanimatis et vegetativis appellamus amorem seu *appetitum naturalem;* in animatis sensibilibus, amorem seu *appetitum sensitivum;* in rationis facultate aut intelligentiâ præditis, amorem seu *appetitum rationalem*, vel *intellectivum*. Quamvis autem hæc similitudo in naturâ sit ex propriâ suâ conditione amoris causa, verùm ex accidenti, nempe, ut impedit bonum proprium, odium et inimicitiam nonnunquàm procreat.

Ex inclinatione communicatio; ex communicatione amicitia nascitur.

Ex hoc amoris intellectivi pondere et inclinatione feruntur homines naturaliter ad mutuam communicationem. Ex mutuâ verò communicatione nascitur amicitia, in quâcumque materiâ fiat hæc communicatio, sive nempè in re honestâ, sive utili, sive delectabili. Accedit quidem nonnunquàm, ut hic amor amicitiæ ex rectæ rationis abusu in amorem concupiscentiæ seu philautiam deflectat ac degeneret; verùm hoc invitâ creaturæ rationalis naturâ evenire manifestum est. Propendet enim hominis natura secundùm rectæ rationis normam, velle amicum *esse et vivere*, velle illi bonum, operari ei bonum, atque delectabiliter cum illo conversari. Quare prædicit Apostolus carissimo suo Timotheo, futuros esse homines qui in ipsam naturam maximè peccaturi sint inter quorum scelera hæc annumerat, 1 Tim. c. 3 : *Seipsos amantes, ingratos, sine affectione, sine pace, sine benignitate.*

Necessitas societatis ineundæ.

Præterea veritatem hanc affirmat hominum status et conditio naturalis, qui absque mutuo auxilio sibi invicem præstito, et plurium in unam societatem conjunctis viribus, ne quidem possent utcumque vitâ frui, multò minùs commodè et convenienter persistere.

Tertium : Teneri homines ad inita pacta servanda.

Tertium, teneri scilicet homines ad inita pacta servanda, patet ex retrò dictis, ubi promissis et pactis stare fortissimo rationalis naturæ vinculo astringi omnes omninò homines demonstravimus. Attamen ut veram et legitimam supremæ potestatis auctoritatem, in quâcumque societate decernamus, supponendum est primò :

Fundamenta quibus astruitur societas. Homines sunt naturaliter rationales et liberi.

Homines esse naturaliter liberos et rationis facultate ornatos. Ad hoc igitur ut societatem rectè ineant necesse est, ut cum *libertate* et cum *ratione* hoc fiat. Cùm autem ex purâ naturæ constitutione nullus sit alteri legitimus superior (licet longè robustior) qui vi et armis plures sibi subdiderit invitos, eis certè injuriam facit. Quapropter ex libero omnium consensu debet quævis societas originem sumere. Quandoquidem etiam similiter homines creaturas rationales esse supponimus, oportet ut hujusmodi communitatis ac societatis initæ ratio et conditio, nata sit omnium totius societatis membrorum commodum ac bonum procurare. Nequit enim imaginari quivis sensatus, velle hominum rationis facultate præditorum multitudinem liberè societatem inire, nisi hoc in eorum bonum cedere præviderent; multò minùs si inde ruinam et destructionem suam evidenter et manifestè consecuturam prospicerent. In quo licet pauci forsan et leviores possent decipi, verumtamen si manifestam esse ponamus hujusce periculi rationem, impossibile est omnes simul adeò cæcutire, seu potiùs insanire, ut liberè vellent in omnem servitutis et captivitatis miseriam ac calamitatem se præcipites agere.

Omnis superioritatis initium.

Certum igitur et indubitatum est omnem justæ superioritatis veram potestatem ex pacto principium nancisci, hoc est, ex plurium liberâ consensione in supremæ alicujus potestatis electionem, quæ totius communitatis bonum administret et curet (1). Hujus autem potestatis limites et regulas statim disquiremus : oportet interea, quid sit hominis bonum, indagare.

Triplex hominis bonum.

Triplex esse hominis bonum ratione subjecti, mentis scilicet, corporis, et fortunæ, notum est omnibus, qui naturam hominis vel aliquantisper fuerint contemplati. De his philosophi tractant quàmplurima, quæ ad nostrum nullatenùs spectant institutum : ut puta, de mentis et ingenii dotibus ac virtutibus, de corporis dispositione ac sanitate, et de variis fortunæ generibus, aliisque similibus nonnullis. Nos verò aliâ longè ratione hanc bonorum distinctionem respicimus.

Bonum mentis.

In primo hujus divisionis membro bonum animæ seu mentis intuemur secundùm eam solummodò considerationem, quâ viam indicit et complectitur, quam ad salutis æternæ consecutionem pernecessariam esse supponitur.

Bonum corporis.

In secundo, corporis bonum aspicimus secundùm quòd vitam, libertatem, et quæcumque sunt eis omninò necessaria, comprehendit.

Bonum fortunæ.

In tertio, bonum fortunæ denotamus secundùm eam tantùm rationem, quâ homines in statu, quo modo sunt, bonorum suorum veram habent proprietatem, seu rerum ac facultatum suarum temporalium et peculii sui verè sunt domini.

Finis omnis legis civilis.

Hæc legum omnium humanarum fundamentum ac

(1) Cave sedulò errorem Auctoris. Non ex pactione nascitur Potestas suprema; sed à Deo ordinata subditos, etiam invitos, obligat, et in Deum solum refunditur. Vide determinationem sacræ Facultatis Parisiensis super libro cui titulus, *Emile*, ou *de l'Education*, supra, tom. 2 Theol.

finis sunt. His superstruuntur, atque ad hæc collimant omnia potestatum superiorum mandata. Quidquid enim in quàvis societate civili à magistratu supremo decretum ac sancitum est, ad civium salutem æternam procurandam, ad eorum vitam ab omni discrimine liberam tuendam, necnon ad pacificè conservandum unicuique quod suum est, certissimè intendit.

Obedientia subditi civili magistratui debita est de jure divino.

Quemadmodùm verò jam supra diximus omnem auctoritatem seu potestatem superiorem ex libero et rationi consentaneo pacto originem trahere, quo ipsâ lege naturali astringuntur subditi omnes potestati supremæ obedientiam præstare; ita superaddere jam licet divinam esse ordinationem, ut stabilitæ potestati civili (cujuscumque fuerit in re divinâ professionis) quivis subditus obsequium debitum persolvat. Quapropter in legem naturæ (quæ pacto standum denuntiat) et in legem divinam (quæ subjectionem præcipit) peccat quicumque potestatem legitimè constitutam et justè regentem oppugnat. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, inquit Apostolus, Rom. 13; et ibidem: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt;* et inferiùs: *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam;* et Tit. 3: *Admone illos potestatibus et principibus subditos esse, dicto obedire*, etc. Et 1 Pet. 2: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquàm ab eo missis*, etc., *quia sic est voluntas Dei*, etc.; et ibidem: *Reges honorificate. Servi, subditi estote dominis, non tantùm bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Per me reges regnant*, Proverb. 8. Quod idem aliis innumeris in locis passim in Scripturis habetur. Hæc autem omnia apud homines, vel rectâ ratione præditos, vel fide christianâ imbutos, velut indubitata in confesso sunt.

MONITUM.

Quæ sequuntur scripta fuêre adversùs celeberrimos quosdam et majoris notæ schismaticos Anglos, qui sacerdotes catholicos, tum Religionis, tum sacri Presbyteratûs sui muneris causâ mortem obeuntes, læsæ Majestatis reos esse contendunt. Hi verò huic maximè inniituntur rationi, quòd si cuicumque subdito liceat supremæ potestatis mandato, quodcumque illud sit, vel quamcumque circa materiam, sive divinam sive humanam, versetur, obedientiam denegare, aut quovis modo illud examinare, eo ipso tranquillitatis publicæ, et pacifici regiminis fundamenta corruere videantur. Ad horum autem insulsam et minimè christianam opinionem refutandam hypotheses *subsequentes exponere coactus fui; quæ singularem nullam, sed tem christianorum principum, supremam potestatem ullatenùs spectant.*

Verùm omnem prorsùs in terris potestatem et limites et regulas habere, nemini sanæ mentis licet dubitare.

Omnis potestas creata habet limites.

Quis enim, non penitùs insipiens aut vesanus, inficiabitur omnem regendi, ac bonum publicùm administrandi potestatem datam esse (à quocumque ea data sit, quam et Apostolus *à Domino recepit*, 2 Cor. 13) *in ædificationem et non in destructionem.*

Magistratus omnis est peccato et errori obnoxius.

Primum igitur quod occurrit dicendum ac supponendum, est quòd ii in quorum manibus sita est civitatis vel societatis cujusvis suprema potestas, quique in republicâ regendâ moderantur habenas, sint homines (*qui nati acceperunt aerem communem, et in similiter factam deciderunt terram, et primam vocem similem omnibus emiserunt plorantes. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium*, Sap. 7) peccatis et erroribus obnoxii; imò, quod et sæpè nimis accidit, posse illos in omnem impietatem incidere, atque ad omne nefas deflectere: posse violentissimam tyrannidem et crudelissimam dominationem in subditos exercere: posse contractus omnes et pacta liberè et ex æquo inita cum subditis suis infringere: posse sceleratissima quæque flagitia et læsæ Majestatis divinæ crimina præcipere; posse in ruinam bonorum, libertatis, et vitæ omnium sibi subditorum jussa dare: posse denique omnes adversùs Numen horrendas blasphemias et execrationes, omnesque in ipsam naturam inordinatas abusiones jubere; ita ut nihil penitùs sit, quod vel de jure divino, vel naturali, vel humano (quorum jam supra nonnulla denotavimus), quod non possit sub hujusmodi potestatis imperio cadere. Neminem autem vidi unquàm, aut visurum me facilè crediderim, qui ausus fuerit affirmare subditos quoscumque teneri hujuscemodi mandatis obtemperare.

Supponuntur mandata pessima, sed possibilia.

Supponamus quòd edicat jubeatque hæc suprema potestas subditis suis: Deum blasphemate et maledicite: Diabolum vel hanc statuam meam, sicut fecit Nabuchodonosor, Dan. 3, veluti numen adorate: Legem vestram divinam, omnia scilicet veteris et novi Testamenti exemplaria in ignem projicite: Incantatores et venefici estote: Vosmetipsos occidite: Fœdissimas impuritates et spurcitias immundissimas in vos ipsos operamini: Superbi, luxuriosi, ebrii, epulones estote: Parricidium facite: Interficiat unusquisque proximum suum: Raptum, stuprum, incestum, inordinatos concubitus, et sodomiticas turpitudines peragite: Mendacissimis conviciis, et falsissimis injuriis et criminibus invicem diffamate: Unusquisque à proximo suo peculium et facultates quaslibet aut vi, aut fraude abripite, *sic volo, sic jubeo.* Anne hisce præceptis obediendum?

Adulatores hujus seculi.

Puduisset me certè hæc protulisse vel commemorâsse, nisi assentatores quosdam, et novorum ac absurdorum dogmatum excogitatores adeò supremis in publicâ re quàlibet administrandâ principibus, hâc nostrâ tempestate adulari viderem, ut eos, quasi peccatis et erroribus immunes, tanquàm numina colendos et adorandos esse non vereantur asserere.

Prima omnis creatæ potestatis limitatio.

Sit igitur constans limes, et ab æterno Creatoris imperio cuicumque potestati creatæ constituta immobilis regula, quòd nihil prorsùs vel divinis edictis et ordinationibus, vel naturæ legibus et institutis evidenter et manifestè oppositum, possit à quàcumque potestate subditis suis imponi. Quidquid enim sempiternæ felicitatis animabus adipiscendæ est medium omninò necesarium (sive ad bonum prosequendum, sive malum fugiendum spectet) extra omnem in terris potestatem situm est quemlibet hominem inhibere, quominùs liberè et licitè illud amplectatur ac prosequatur. Hoc ab Apostolis didicimus, qui dixerunt, Act. 5 : *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Quamobrem si rempublicam seu regnum quodcumque christianâ Religione instructum ponamus, cujus universalis sit fides, hanc solam Religionem continere veram divini cultûs methodum, et unicam esse viam ad salutem æternam vellet autem suprema potestas vi et armis fidem hanc atque Religionem abolere et eradicare, necnon in ejus locum Judaismum, Turcismum, aut alium quemquam cultum profanum ac idololatriam introducere, certo certius est hujus imperii subditos nec teneri, nec debere hujuscemodi mandatis obedire.

Secunda potestatis civilis limitatio.

Adhuc licet potestatis supremæ limites contrahere. Neminem latet hæc veritas : *Salus populi suprema lex.* Si quando igitur aut directè et apertè absque omnis legum vel jurium formulâ ad libitum et gratuitò velit hæc suprema potestas subditorum vitam quocumque modo invadere, eosque animi causâ per plateas interficere : aut etiam indirectè et ex obliquo statuere quidquam, quod manifestissimè et evidentissimè totius reipublicæ seu regni subversionem et ruinam necessariò afferret (veluti agriculturam omnem, commercium et similia prohibere) eâdem, quâ superiùs, evidentiâ constat obsequium hæc imperanti nequaquàm præstandum esse.

Tertia potestatis civilis limitatio.

Arctioribus adhuc terminis supremæ potestatis imperium occludere licet. Tria sunt, quæ ad statum certum cujusque civitatis seu reipublicæ adeò spectant, ut si quid eorum cuilibet oppositum universim et communiter fiat, nequeat omninò societatis ratio et substantia conservari : bonum scilicet temporale totius communitatis ; libertas naturalis subditorum ; et proprietas seu dominium particulare uniuscujusque societatis membri ad ea quæ non sunt pluribus communia. Ad hæc tuenda constituta est omnis potestas civilis. Ad hæc sarta tecta conservanda datum est omne civile imperium. Hic scopus, hic finis civilis cujuscumque auctoritatis superioris. Cùm autem agens quodcumque, maximè publicum et rationale, à fine suo principali, ad quem præcipuè fuerit ordinatum, communiter in omni actione suâ, et muneris administratione, scienter et impotenter aberraverit, palàm est, quòd eo ipso obedientiam officio suo jure debitam amittit, et imperandi potestatis jacturam facit (1). Quandocumque igitur imperat suprema potestas quidquam, quod publici communitatis boni (quæ omnis societatis ineundæ ratio est) manifesta sit depopulatio et eversio, vel quod subditorum libertatem naturalem tollat, quo illos nimirùm vult passim gratuitò et nullâ de causâ in captivitatem cogere, ac servituti addicere ; vel denique quo uniuscujusque peculium (nempe quod industriâ, aut alio quovis justo titulo sibi proprium quisque adscripserit et peculiare fecerit) vult universim ab omnibus ad libitum auferre, adeòque subditos quoscumque ditioni suæ, etiam invitos, bonis ac facultatibus suis absque aliquâ communi societatis necessitate exuere et spoliare, clarum est obsequentiam hujusmodi mandatis minimè tribuendam esse.

Tandem cùm ex pactis initis populum inter et supremam potestatem initium nanciscatur omnis societas ; cujus regiminis et disciplinæ leges et regulæ, mutuo consensu stabilitæ, sint ipsius communitatis fundamentum, forma et vita ; constat certè si quid hisce legibus contrarium juberet auctoritas suprema, velletque apertè erigere imperium voluntarium et gratuitum, ac diceret : *Stet pro ratione voluntas*, hoc est, quæ nec rationem, nec justitiam, nec legem aliquam regiminis sui modum proponeret, eo ipso ab obedientiâ hujuscemodi præceptis exhibendâ liberarentur subditi ejus.

[¶] *Cùm audiverim* hypotheses *hasce communes et generales, quas adversùs quosdam hujus tempestatis hæreticos posueram, nonnullis etiam Catholicis (longè à consilio et animo meo) displicuisse ; haud abs re judicavi causam et mentem meam, in hâc secundâ editione clarius explicare.*

Supremæ potestatis auctoritatem in quâcumque societate civili, verè summam et supremam astruimus ; eò quòd divino, naturali et civili jure adeò stabilitam retrò demonstravimus, ut sit penitùs *indissolubilis*, nemini in terris subdita in ordine suo, soli divino numini immediatè subjecta : *ac ideò qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Omnem verò potestatem in ratione fundari, ejusque exercitium rationi consonum esse debere, necesse est dicere : à Deo siquidem, qui ipsa ratio est, tanquàm à radice et fonte suo nascitur ac dimanat.

Residet igitur jure naturali et divino in quâcumque societate humanâ potestas sese gubernandi, atque rem suam in commune bonum administrandi ; quæ sive uni sive pluribus insit, ab ipso Deo est, et cùm uni inest, regia est, à nullâ prorsùs auctoritate vel eccle-

(1) Intellige de obedientiâ quæ denegaretur in speciali circumstantiâ, in quâ nimirùm princeps aliquid juberet contra conscientiam. Idem dicito de potestatis amissione ; id est, jus non habet princeps aliquid imperandi quod conscientiæ repugnaret. Verùm intacta semper remanet suprema illius potestas : nam obedire oportet principibus etiam dyscolis, juxta Petrum apostolum : et adversùs illos rebellare, etiam in factâ hypothesi, nefas esset et grande crimen. Cave ab iis quæ ex falso suo principio, infra, vitiosè concludit Auctor. Nec sufficiunt quas tradit explicationes : non sibi hæret, dùm principia oblitus, et conclusionum anxius descendit in corollaria.

siasticâ, vel civili *dissolubilis;* proindeque obedientia ei debita penitùs *indispensabilis* est; ita ut nequeat concilium generale, aut summus Pontifex (quod aliàs sustinuimus), eos quibus semel inest hæc suprema potestas (si verborum pensemus proprietatem) *deponere, vel auctoritate privare.*

Quòd si ponamus (quem sibi formant quæstionis statum nonnulli theologi) supremum principem legem aliquam *injustam* sancire, quâ nimirùm cultus sacer atque divina Religionis fides videantur in discrimine versari; posset quidem concilium generale aut summus Pontifex hujusce facinoris naturam, tanquàm læsæ Majestatis divinæ crimen publicè denuntiare. Ad Ecclesiam quippe spectat super hanc materiam judicium ferre. Verùm ulteriùs sese immiscere *et implicare secularibus hujuscemodi negotiis*, atque principem hunc vel auctoritate spoliare, vel subditos ejus ab obedientiâ liberare, nullum usquàm habet Ecclesia divinum mandatum.

Indissolubilem hanc et sacro-sanctam potestatem christianissimo regi nostro, Ecclesiæ catholicæ primogenito, jure speciali inhærere notum est orbi universo: qui non modò legibus omnibus, quibus cæteri regnant principes, sed et justissimis nonnullis privilegiis summum civilis dominii stabilitum et minimè violandum habet imperium. Cujus sanctissimam auctoritatem, ipsammet divinam providentiam, cùm defuerit aliquando humana sapientia, ad miraculum usque nonnunquàm approbâsse et sustentâsse compertum est: adeò ut nefas sit credere licuisse unquàm, vel licere cuilibet particulari, cujuscumque fuerit gradûs vel statûs, in clementissimos reges nostros insurgere, aut quovis modo adversùs eos rebellare; imò vel unquàm perduellionem quemcumque defectionis suæ justam habuisse causam. Absurdum enim et insulsum est cogitare, quòd singulari cuicumque licitum sit *hypotheses* hasce communes ad thesim particularem deducere.

His ita stabilitis, catholicum neminem putabam de rei veritate, *in hoc posito à me quæstionis statu*, ullatenùs dubitare. Sciebam quidem (id enim auribus meis sæpissimè audiveram, et typis publicis expressum nuperrimè videram) nugatores quosdam hæreticos asserentes nullum prorsùs rerum statum, seu conditionem proponi aut fingi posse, quo supremæ potestatis voluntati non sit obtemperandum; adeò ut si rem ita se habere ponamus, ut jure divino, naturali et civili manifestissimè oppositum præciperet quidquam supremus reipublicæ administrator, huic tamen obsequium à subditis præstandum esse non erubescant asseverare.

Verùm nec Deum esse, nec animam rationalem immortalem agnoscunt hi irreligiosi homines; ac ideò supremum hominis bonum, non in æternâ futurâ felicitate, sed in civilis societatis conservatione collocant; atque malorum è contra maximum, non in addictione ad cruciatus sempiternos, sed in seditione et intestinâ populi discordiâ, situm esse volunt. Hanc autem sibi fingunt animo civium unam in voluntatem conspirationem sartam tectam servari non posse, nisi potestatis supremæ voluntati sive rectæ, legitimæ, et rationali, sive injustæ, sacrilegæ, impotenti, in quocumque posito, vel quem mente possumus formare, rerum statu, semper et ubique sit obediendum.

Hi verò, dùm supremam potestatem ad summos videri volunt auctoritatis apices extollere, maximum, ni fallor, rebellionis fomitem subditis administrant. Inauditum est enim imperatorem quemcumque seu potestatis supremæ administratorem profiteri se velle aut posse adversùs leges divinas et humanas quidquid sibi placuerit indicere; se velle aut posse adversùs solidissima totius regni statuta, quibus summa reipublicæ innititur, quidquid pro libito nullâ de causâ imperare; se velle aut posse adversùs omnem justitiam et ipsammet apertissimam rationem præcepta dare, nec aliam agnoscere mandatorum suorum regulam, quàm solam suam voluntatem, etiamsi *injustam, illegitimam, rationi dissonam*, dicentem:

Sic volo, sic jubeo, stet pro ratione voluntas.

Hæc, inquam, inaudita sunt, nec unquàm ponenda, vel in medium proferenda, nisi ad retundendam hæreticorum audaciam. Imò è contra notum est, quòd si quando rerumpublicarum conditio supremam potestatem cogat duriora quædam in subditos exercere, aut onera graviora, quàm plebi par esse videtur, eis imponere, hoc et rationi consonum, et ex necessitate fieri (quæ rationum omnium maxima est) certissimè denuntiat. Quos igitur ponimus rationales creaturas regere debere, necesse est ponamus etiam eos juxta rationis et justitiæ normas velle easdem gubernare.

Non credebam igitur hominem quemcumque catholicum arbitrari posse subditos astringi ad observanda mandata, quæ legibus Dei, naturæ, justitiæ, rationis contraria posuimus.

Imò qui hanc assereret esse principum ac regum sententiam et mentem (ut putà hæc omnia eis licere) atque hos spargeret in vulgus sermones, supremæ potestatis proditorem suspicarer; qui nimirùm subditos ad rebellionem provocare, ad seditionem concitare vellet.

Hoc ipsum omnes in potestatem superiorem perduelles, veluti maximam defectionis suæ causam obtendunt: quod ipsum cùm rumoribus, licet falsissimis, in populorum auribus susurrare, dein clamoribus tumultuosis personare prævaluerint, haud leve est imminentis supremæ potestatis periculi argumentum.

Quod Angli nostri schismatici (quibus displicuisse fertur has hypotheses communes, quod satis mirari non possum) miserè nuper experti sunt, eâ præcipuè de causâ, quòd non potuerint populum certum facere, se nihil penitùs his ipsis hypothesibus oppositum intendere, aut velle introducere. Quis enim non novit quoties rex *Carolus* primus, et in publicis regni comitiis, et scriptis ad hunc finem typis editis, protestatus est se nec adversùs legem divinam, seu stabilitum Religionis cultum, nec adversùs regni sui statuta fundamentalia, nec adversùs justam subditorum liberta-

tem et legitimum peculium, nec denique adversùs vera et antiqua Parliamenti jura et privilegia velle quidquid unquàm moliri aut innovare; sed in oppositum fortiùs clamaverunt adversarii ejus, et invaluerunt voces eorum.

Mirabar igitur nostrates schismaticos, qui stant à partibus regis, ingratum habuisse, quod ego, sub communibus hypothesibus, rectâ mente et sano consilio proposueram. Arbitrabar etenim rei regiæ minimè convenire, illud ipsum sibi despondere, et tanquàm debitum vindicare, cujus oppositum patris sui innocentiam maximè probare videbatur, quodque adversarii ejus legitimam rebellionis suæ causam proclamabant; quod et multò magis mirabar, cùm dicta seditiosa factaque tumultuosa animo revolvebam, quæ ipsorum aliorumque hæreticorum antesignani adversùs supremam et regiam potestatem docuerunt gesseruntque. Ignorat nemo Lutheri, Melancthonis, Buceri, Osiandri, Calvini, Zuinglii, Bezæ, Knoxii, Buchanani, et aliorum nonnullorum ejusdem farinæ, in sacras regum personas et summam auctoritatem horrendas blasphemias, cruentas rebelliones, quarum plurimas collectas videre licet in libello, qui inscribitur, *Monarchomachia*, qui hæreticos omnes regiæ potestatis acerrimos hostes ostendit.

Verumtamen absurdum esset dicere, teneri supremam potestatem mandatorum suorum subditis rationem reddere.

Id enim semper fieri minimè convenit. Sed quemadmodùm, ex unâ parte, legi, quam ponimus *injustam, irreligiosam et irrationalem* esse, non est obediendum, ita ex alterâ, superiorum mandata pro confesso et pro certo ponenda et habenda sunt justa, legitima, rationi consona.

Communis igitur est theologorum omnium ad unum, cum S. Thomâ in opusculis de regimine principis, hypothesis nostra sententia. *Omnis enim potestas à Domino data in ædificationem, et non in destructionem*, 2 Cor. 13. *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt*, Proverb. 8. Hanc, inquam, omnes quos unquàm vidi auctores, doctrinam profitentur, legisque naturam in hoc statuunt, quòd sit *potestatis supremæ justa et rationalis voluntas*.

Subditorum autem non est (ut supra advertimus, lect. 1, cap. 9, sect. 2.) *superiorum suorum statuta ad libitum oppugnare et repudiare*. Et lib. 2, cap. 3, sect. 2: *Non est subditorum supremi tribunalis, seu potestatis, statuta in dubium revocare, nec leges auctoritate stabilitas ad libitum corrigere, quod propria est tumultûs et seditionis ratio, etc.*

Nec obstat quòd poterit omnis humana potestas à recto rationis et veritatis tramite in legibus condendis aberrare; cujus rationem supra, loco jamjam citato, retulimus, his verbis: *Quasi verò supremæ reipublicæ judicis sententiæ non foret obtemperandum, quamvis ipse judex non sit ab omni errandi facultate divinitùs absolutus.*

Quanquàm autem ex dictis constet supremæ potestatis esse leges omnes auctoritate quâcumque civili constitutas, pro singulari rerum statu ac necessitate dissolvere; summa tamen regum gloria et securitas est, juxta communes regni leges atque solidissima status publici fundamenta, rem civilem suaviter et fortiter administrare.

Quod diximus in societate civili supremam potestatem, vel ut in pluribus, vel ut in uno, constitutam, initium sortitum esse ex pactis initis ipsam inter et populum, ad Davidis regis exemplum, *qui percussit fœdus cum senioribus Israel in Hebron coram Domino, Reg.* 2, *cap.* 5, nemini putabam futurum scandalum offensionis. Cùm rerumpublicarum et regnorum originem respexissem; cùm historias, quæ referunt vias et modos quibus suprema quævis potestas suum primò stabilivit principium, pervolvissem; cùm in omni regno et republicâ leges esse, quæ publicæ rei singulare firmamentum et communis statûs columen sunt, quæque ideò *fundamentales* dicuntur, deprehendissem; cùm denique supremos omnesprincipes, dùm vel sacrentur vel coronentur, solemni sacramento et sanctissimo jure-jurando se obstringere divinas hasce et humanas leges servaturos, perpendissem; non hæsitabam, post alios quàm plurimos scriptores, hanc assertionem generalem proponere, quæ nulli particulari auctoritati supremæ speciali privilegio hâc in parte gaudenti (si quæ sit) nihil officit. Hoc etiam in regnis, quæ primus imperii propugnator sua fecit jure belli, aut aliâ quâcumque viâ, factum vidimus; victorem scilicet cum subjugatis pacta iniisse, certis quibusdam conditionibus transactis, ut omnia pacificè sub ditione suâ dirigerentur ac administrarentur.

Audivi etiam quosdam ex hâc communi hypothesi scandalum passos esse, eo titulo quòd propositorum argumentorum judicem invenire nequeunt. Sed hi parùm attentè considerant difficultatis suæ rationem ac statum; hypotheses enim, quas in medium attulimus, communes sunt, generales sunt, nullamque rerum conditionem singularem designant. Deinde judice non opus est, an res ita se habeat, ubi rem ita se habere ponimus. Haud quæritur enim an supremæ potestatis mandatum, de quo loquimur, sit legibus divinis et humanis oppositum; an sit totius boni publici destructivum, sed, hoc pro confesso et pro certo dato, an sit ei obediendum. Inanis igitur et vana est horum calumnia, cùm non sit quæstio de thesi, sed ex hypothesi quid verum.

Adde quòd à summi superioris præcepto quovis, particulari nunquàm licet ad judicem provocare. Munus et officium judicis in iis solummodò exercendum est, quæ homines inter particulares et quodammodò prudentes dubia et incerta videntur: in dubiis autem inter supremum superiorem et subditum, jam sæpiùs diximus, nequaquàm subditis licere imperatoris mandato obtemperationem denegare: oportet enim supremæ potestatis mandati *injustitiam et iniquitatem* adeò manifestè et evidenter constare, ad hoc ut subditi non astringantur ei obedire, ac sint primorum principiorum veritates, puta, *totum magis esse quàm*

sui parte. Qui aliter *potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, Rom. 13.

A nonnullis abstinui quæstionibus, quas passim tractant theologi circa materiam hanc, ne quid rerumpublicarum administratoribus ingratum adducerem. Imò nec scriptorum opiniones volui in medium afferre. His enim immiscere me minimè meditabar ; sufficere mihi visum fuit, quod ex dictis apertissimè constet, catholicos Insularum Britannicarum colonos, supremæ Britannicæ potestatis imperio, etiam à quo in Religione schismaticum est, in re omni civili obsequentissimos, nequaquàm teneri ad statuta et leges observandas, quæ ab eâdem auctoritate adversùs Religionem catholicam latæ sunt ; sicut neque astricti fuêre Catholici in Ecclesiæ primordiis, iniquis Romanorum imperatorum edictis obsequium præstare ; nec etiam posse, salvâ conscientiâ, hujuscemodi obedire mandatis ; fidem nimirùm et societatem christianam et catholicam ejurare, atque hæreseos et schismatis, quibus à tot annis miserè involuti sunt eorum gubernatores, se facere participes.

Hoc etiam commune est omnibus omninò hominibus, cujuscumque fuerint in divino cultu professionis ; eam scilicet, quam veram sanctamque habent Religionem, nullâ de causâ, perseverante hâc animi sententiâ, deserendam esse. Mortem igitur potiùs, ad majorum suorum exemplum, quamvis crudelem et inhumanam, obire debent afflictissimi nostri Catholici, quàm à sacrâ suâ fide deficere. Quanquàm enim supremæ potestatis auctoritas hæc condiderit statuta ; verumtamen quia divinis ea esse opposita mandatis sibi certissimè persuadent, *Deo magis obediendum esse quàm hominibus* rectissimè judicant ; et calumniantibus se religiosum atque ab Apostolo traditum dant responsum : *Si justum est in conspectu Dei vos potiùs audire, quàm Deum, judicate*, Act. 5. [¶]

Posse subditos obsistere æquè ac non obedire imperanti injusta.

Quod hactenùs de non obtemperando dictum est, ad obstandum etiam transferri posset. Quâ namque ratione subditi ab obsequio imperanti præstando liberati et soluti sunt, eodem jure illis etiam licebit eidem imperio obsistere, illudque oppugnare. Cùm etenim notos potestatis suæ limites ac terminos excesserit imperator, subditisque voluerit vim inferre, eosque ad impia quæque et injusta, divinis, naturalibus et humanis legibus opposita, cogere et compellere, manifestum est ex dictis licere hujuscemodi subditis jure naturæ, quo possunt modo, sese tueri ac defendere, imò et quandoque forsan teneri (1).

(1) Gravissimus error Auctoris, scissionibus majoris Britanniæ abrepti. Absit enim ut quivis doceat et credat posse unquàm subditos in principem, etiam tyrannum, rebellare. Hujusmodi dogma, in quâcumque hypothesi, execrandum haberi debet. Moriendum est potiùs, quàm sacratum auctoritatis supremæ vinculum disrumpere. Vide Tertullianum, *Apol. c.* 32 et 33, cæterosque Religionis christianæ defensores ; S. Chrysostomum, *in Ep. ad Rom.* Bossuetium, contra Jurieum, etc.

[¶] Sententiam hanc fusissimè et elegantissimè sustentat, ejusque veritatem doctissimè demonstrat eminentissimus cardinalis Perronius (1), in oratione, quam habuit in hunc finem ad statum popularem, quem vocant *tertii ordinis*, in generalibus regni comitis an. 1615. Ubi affirmat supremos principes ac reges, in hâc à me positâ rerum conditione, *ab omni imperii dignitate et jure decidere* ; quod vel à concilio generali, vel à summo Pontifice vult esse declarandum, atque hujuscemodi principum subditos ab omni obedientiâ liberos et absolutos eâdem auctoritate denuntiandos esse : quod postquàm infinitis propemodùm argumentis ab auctoritate, ab exemplo, et à ratione petitis copiosissimè comprobavit ; asserit tandem quòd ii, qui in favorem juramenti, quod vocant *fidelitatis* in Angliâ, scripserunt in oppositum, *n'ont jamais pu trouver en toute la France, depuis que les écoles de théologie y ont été instituées jusqu'à nos jours, un seul docteur, ni théologien, ni jurisconsulte, un seul décret, un seul concile, un seul arrêt du Parlement, un seul magistrat, ni ecclésiastique, ni politique, qui ait dit qu'en cas d'hérésie ou d'infidélité, les sujets ne puissent être absous du serment de fidélité qu'ils doivent à leur prince. Au contraire*, etc. Id est : *Nunquàm invenire potuerunt in totâ Galliâ* (quod extra Galliam esse penitùs inauditum jam priùs posuerat) *ex quo scholæ theologicæ fuerint institutæ ad hodiernum usque diem, vel unum aliquem doctorem theologum, aut jurisconsultum, unum aliquod decretum, unum concilium, unum senatûs-consultum, unum magistratum sive ecclesiasticum sive civilem, qui dixerit quòd in casu hæreseos vel infidelitatis* (quod multò minus est quàm quod à me ponitur) *subditos non posse absolvi à juramento fidelitatis quam debent principibus suis. E contra*, etc. Posteaquàm verò ad maximam pervenit difficultatem solvendam ; nimirùm quòd obsequium, supremæ potestati debitum, sit de jure divino, eaque ipsa, quæ à me allata sunt, sacræ Scripturæ loca ad hanc opinionem affirmandam attulit, sic habet : *Et de là inférent que l'obéissance aux rois est de droit divin, et donc, ne peut recevoir dispense par aucune autorité, ni spirituelle, ni temporelle. Les défenseurs de la partie affirmative répondent à l'opposite que ces passages ne touchent en aucune sorte le nœud de la*

(1) Immeritò sibi vindicat Holdenus auctoritatem cardinalis Perronii. Is enim non proprio nomine, et quasi suam proferens sententiam, *tertium*, ut aiunt *ordinem*, alloquitur ; sed cleri nobiliumque votis annuens, ac personam Deputati sustinens, examinat quid sit eâ de re catholicum dogma. Jamverò quid ait ? schisma Gallicanam inter et cæteras Ecclesias secuturum, si dicatur esse dogma Catholicum, vinculum quo subditi principibus astringuntur, esse in quâcumque hypothesi indissolubile : quod valde diversum est ab Holdeni assertione. Denique cardinalis rem agitatam, independenter à quæstione dogmatis, non discutit. Quæ verò fuerit illius privata opinio, quærere supervacaneum foret. Unum dicemus ; ex publicâ Perronii assertione non pronum est concludere, quos sensus in animo reconditos habuerit. Vide ipsum Perronium, *recueil de ses œuvres, Paris, Ant. Etienne*, 1629, *fol. p.* 495 *et seq.*

controverse. Car la question, disent-ils, n'est pas s'il est de droit divin d'obéir aux rois; mais la question est s'il est de droit divin que celui qui a été une fois reconnu pour roi, ne puisse cesser de l'être, c'est-à-dire, qu'il ne puisse commettre chose pour laquelle il lui arrive de déchoir de ses droits, et cesser d'être reconnu pour roi. Or ce sont deux questions bien différentes, etc. Id est : *Et inde inferunt* (ii scilicet qui mecum ex locis citatis asserunt obedientiam hanc esse de jure divino) *obedientiam regibus debitam esse de jure divino, ac ideò nullam posse ab eâ dispensationem aari à quâcumque auctoritate sive spirituali sive temporali. Propugnatores partis affirmativæ in oppositum respondent, quòd hæc loca nullo modo tangunt nodum controversiæ. Nam quæstio, inquiunt, non est an obedientia regibus debita, sit de jure divino, sed quæstio est, an sit de jure divino, quòd ille qui semel agnitus fuerit pro rege per statûs publici societatem, non possit desinere esse rex, hoc est, non possit aliquid patrare, quo accidit illi decidere juribus suis, ac cessare haberi pro rege. Hæ verò duæ quæstiones sunt valdè diversæ*, etc.

At nolo ego in medium afferre (apologiam quippe non meditor) plurimorum theologorum super hanc materiam opiniones. Sufficit demonstrâsse Catholicos, sub hæreticorum aut infidelium imperio degentes, in omni re civili, *propter conscientiam*, obsequentissimos et fidelissimos esse debere, tametsi parati esse teneantur mori potiùs, quàm divinam religionem fidemque violando iisdem obedire; quod solum et unicum fuit consilium meum in hoc corollario. Omnis etenim supremæ potestatis auctoritatem adeò veneror, ut nemini christiano in hâc parte cedere possim: et si quid proposuissem, quod sacræ regum potestati vel minimum potuisset afferre præjudicium, tanquàm perperàm dictum libentissimè revocâssem.

Fertur etiam quosdam mussitare, imò et obmurmurare ac conqueri, quasi summi Pontificis auctoritati aversum aliquid et injuriosum proposuissem. Mirum! quò feruntur homines partium studio laborantes? Quid non culpant, immodicæ cupiditatis impotentiâ æstuantes? Christiano orbi universo notum est, celeberrimam scholam nostram Parisiensem jam à longo tempore doctrinam habere : *Quòd summus Pontifex, seorsùm à concilio, in quæstionibus, maximè speculativis, etiam ex cathedrâ definiendis, non sit infallibilis.*

Hanc ego sententiam hæresim non esse solummodò posui; nec oppositum ejus fidei catholicæ articulum : ac proinde hæreticum aut schismaticum posse in Ecclesiæ gremium recipi, tametsi profiteatur se neque huic, neque alteri parti, tanquàm fidei catholicæ articulo, velle adhærere. Quod unicum fuit in quovis singulari argumento operis intentum.

His minimè obstare mihi videbatur, quòd *theologi* quidam existimarent, et audacter nimis asseverarent, hanc scholæ nostræ doctrinam hæresim sapere; eò quòd sensus oppositus ex principiis fidei immediatè consequi ipsis videatur.

Hanc enimverò theologorum quorumdam opinionem, ipsorummet tantummodò ratiocinationibus innixam, revelatæ et catholicæ fidei articulum per universam Ecclesiam fundare non posse, certo certiùs dijudicavi.

Cætera omnia Pontificiæ auctoritatis divina, quæ novit Ecclesia, jura stabilivi. Verùm antiquiores, et ab omni posteritate venerandos scholæ nostræ patres, *Gersonem*, *Almainum*, aliosque innumeros, simul et recentiores nonnullos sapientissimos sacræ nostræ Facultatis magistros, hæreseos hâc in parte damnare, eorumque doctrinam in hoc capite hæreticam esse, nec potui, nec debui pronuntiare.

Huic prævisæ perturbatorum hominum iniquitati me satis obviâsse credebam, insertâ præfationi libelli ad hunc finem clausulâ. Quòd si voluissem (plurimorum scriptitantium more) volumen potiùs, quàm Enchiridion formare, in iis omnibus, quæ vel captiosis, vel ignaris minùs grata videntur, doctissimorum et catholicissimorum auctorum et nomina, et loca, et verba citâssem, mecum ubique convenientia.

Hæc si cuivis displicent Catholico, adeò ut scriptis eis obsistere in votis habeat, huic notum facio me nunquàm adversùs Catholicum quemcumque scribere statuisse; imò hujuscemodi replicam mihi inhibitam esse. Solos enim schismaticos mihi adversarios in mente habui, cùm opusculum hocce composui; è quorum numero si quispiam, hisce quomodolibet infensus, suo me provocaverit calamo, sciat velim, me stare paratum fidei nostræ christianæ, et catholicarum harum veritatum, quoad potero, maximè defensorem [¶].

Quisnam judex subditum inter et magistratum?

Unum tantummodò superest, nimirùm quòd tametsi hæc omnia vera sint in communi hypothesi; quis tamen judex populum inter et imperatorem in occurrenti particulari thesi constituendus sit? Cui certè quæstioni, quamvis difficile satis respondere aliquibus videatur, ex præmissis tamen clarissimum habetur responsum. Cùm enim subditorum obedientia potestatibus sublimioribus sit jure divino, naturali et humano, evidenter et *indissolubiliter* debita, æquali saltem evidentiâ atque ab omni exceptione immuni, debet cunctis, partium studio non laborantibus, apparere, imperii detractionis, et defectionis causam esse justissimam : cujus, hominum omni perturbatione animi liberorum, vel quorum minimè interest, communis ratio solus est judex.

Prætermitto libenter, quid de supremo hujusce potestatis subjecto incapaci dicendum sit; cùm scilicet ille, cui muneris hujus administrandi ratio incumbere debet, ex naturæ defectu fuerit prorsùs ineptus. Sit, verbi causâ, regimen monarchicum, sive ex electione, sive ex naturali stemmate de parentis in filium successione constitutum; eveniat autem quòd regni hæres fuerit insipiens, insanus, stultus, fatuus, hebes, mente stupidus, aut aliâ quâvis ratione administrandi imperii dotibus imparatissimus : quisnam de ejus insipientiæ, insaniæ, aut incapacitatis gradu judicabit, quo huic provinciæ subeundæ sit, vel non sit idoneus?

An solùm regni principes? An satrapæ? An Magnates? An summæ regni curiæ et supremi senatus? An regni comitia generalia? Videant principum adoratores, quid huic respondeant quæstioni.

Hæc obiter et breviter de subditorum *obedientiâ indispensabili* erga magistratum civilem, cujuscumque ille fuerit in divino cultu professionis, aut in religione disciplinæ et exercitationis, dicenda judicavimus. Quæ sicut et cætera omnia in hoc libello contenta, doctorum et superiorum sententiis ac judiciis subjecta sunto.

CHRISMANN VITA.

Chrismann (Philippus Nerius), natione Germanus, præcedenti ætate maximè floruit. Quùm longo et aspero tirocinio se ad capessendam vestem fratrum Minorum sancti Francisci Recollectorum disposuisset, pietatis simul et scientiæ laude jam nobilis, inter socios vi ingenii simul et flore modestiæ præclaruit. Studiis et sanctis operibus intentum, fratres dignitatibus reluctantem cohonestaverunt; sacrisque concionibus famosum, multiplicibus operibus clarum, dialecticæ acie instructum, sibi provincialem elegerunt. Quantæ fuerit humilitatis ostendunt verba præfationis libri luculentissimi quem sub titulo *Collectionis dogmatum* ediderat, annotante Antonio Welscher, uno è patribus ejusdem ordinis. Quanquàm autem viribus diffidere suis appareret, urgenti falsæ philosophiæ pesti medicamina in fide suâ et scientiâ quæsivit et invenit, imperterrito fronte nova meditantes agressus et insectatus. Argentorati gsanctæ theologiæ et historiæ ecclesiasticæ lector ordinarius, religionem scriptis, sermonibus, factis defendens et commendans, obiit, morientibus oculis prima jam signa perspiciens tempestatis in thronos et veri Dei altaria grassaturæ.

REGULA

FIDEI CATHOLICÆ,

ET COLLECTIO DOGMATUM CREDENDORUM.

Præfatio ad amicos theologos.

Nemini vestrùm, viri fratres, post multifariam, et omnium proborum eruditorum suffragio contestatam experientiam, ignotum, aut impervium esse existimo, quàm luctuosa sit in negotio religionis modernorum temporum facies et epocha; quorsumve tendat improbus numerosorum Pseudo-catholicorum conatus, et opera, qui in ipso sinu Ecclesiæ cum apertis hostibus temerario ausu colludentes eamdem Matrem suam Ecclesiam conviciis, calumniis et opprobriis proscindunt, lacerant, atque contemnunt. Testes hujus veritatis omni exceptione majores appello complurium ejusmodi mali genii hominum contra religionem seditiosas lucubrationes, et partus, quibus jam multis ab annis non tam fœcundari, quàm inundari, magisque obscurari, quàm illustrari cœpit orbis litterarius. Adeò scilicet parùm boni, et ad incrementum pacis, felicitatis, atque perfectionis christianæ facientis peperit nobis fraudulentus iste sexcentorum auctorum apparatus, ut inde potiùs initia capessenda esse videantur infidelitatis, refrigescentis charitatis, corruptelæ morum, vitiorum, litium, discordiarum, perturbationum in dies latiùs, latiùsque grassantium. Si enim aciem mentis nostræ ab omni prorsùs præjudicio vacuam ad ipsius rei fundamentum, malique radicem intendamus, undenam quæso! tam atrox cuicumque religioni hodiè in patrio solo, in Germaniâ nostrâ bellum infertur? nisi ex eorumdem incredulorum scriptorum turbulentis fontibus; undenam? nisi ex infrunitâ quidlibet sentiendi, reformandi, dogmatisandique libertate, quâ non tantùm theologiam Ecclesiæ præsulum, et principatum decretis à subtilitatibus, vel si mavis, à denso scholasticorum pulvere, ac sorde defœcatam, sed ipsa adeò sancta sanctorum, sacratissimam, inquam, Christi religionem, ejusque Ecclesiæ ædificium iisdem fundamentis evertere satagunt, quibus sub ementito sanæ rationis, et philosophiæ prætextu videri volunt, quasi eamdem duntaxat ab omni fœce purgare, atque cribrare intendant, quanquàm eodem tempore occultis artibus aut Christi divinitatem, aut S. Scripturæ divinam auctoritatem; lapsum primorum parentum, peccatum originale, Ecclesiæ potestatem, atque infallibilitatem, aut alia Christi doctrinæ capita tanquàm infirma, suspecta, aut omninò paradoxa omni nisu demonstrare conentur. *Non sic impi! non sic. Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus. Non est consilium contra Dominum*, etc. Contra hoc sectæ genus, scitis, viri præclarissimi, jam dudùm insurrexêre, et quotidiè auspice Deo, insurgunt fortissimi religionis nostræ vindices, quorum tamen in censum minimè veniunt illi theologi, qui in tantâ temporum ne-

cessitate, dùm ferus aper demolitur vineam Domini Sabaoth, syllabas aucupantur; muscas capiunt; de inveteratâ lanâ caprinâ disputant; suas antiquatas nullo cum dogmate connexas sententias prolixo sermone defendunt; atque in his tempus pretiosum inutiliter terunt; alienis opinamentis non sine manifestâ charitatis læsione hæreseos labem impingunt; hæreticos insectantur, de quibus nec vola, nec vestigium amplius in rerum naturâ apparet. Qui denique verorum abusuum patrocinium in se suscipiunt; dogmata obtrudunt, ubi nulla sunt; atque auctoritatem Ecclesiæ ultra mentem Ecclesiæ ita exaggerant, ut propterea adversarii falsò suspicentur, eorum fidem esse fidem catholicam, atque quod privatorum tantum opinamentum est toti Ecclesiæ imputent, vitioque vertant.

De his inter alia præclarissimè scripsit *Lamindus Pritanius seu Ludovicus Antonius Muratorius* in aureo suo opere (quod deinceps semper intelligitur, quoties in decursu citatur) de ingeniorum moderatione lib. 1, c. 13 : « Verùm nimiâ religione hujusmodi (Ecclesiæ) auctoritas nonnunquàm respicitur. Quæ causa est, ut immoderatè à quibusdam extollatur, et quod gravius est, immoderatè iis succenseatur qui cum moderatione de ipsâ loquuntur. Nimiam religionem appello zelum sine ratione exuberantem, zelum, ut Apostolus ait, non secundùm scientiam, zelum superstitioni affinem. Enim verò non alio nomine designandus est eorum inconsultus ardor, qui nullis penè finibus Ecclesiæ auctoritatem teneri opinantur, et ubi aliquid in conciliis, in breviariis, in Romanorum pontificum diplomatis, in sanctorum Patrum libris descriptum comperiunt, pro ipso tanquàm pro aris, et focis pugnant, et pugnandum contendunt. Nempe id hominum genus sine ullo discrimine illa omnia non secus, ac fidei capita habenda esse censet : Ecclesiam quippe errare nusquàm, et nunquàm posse; et si quis contrariâ opinione ducatur, hunc procul dubio cum hæreticis facere, gravibusque pœnis, et omnium odio mulctandum putat. Fateor, laudanda est horum proba voluntas, sed non est dissimulanda aliqua in iis interdùm scientiæ, et prudentiæ inopia. Atque utinam tantùm Ecclesiæ sanctæ prodessent, quantùm nocere possunt hujusmodi clamoribus, minis, atque tragœdiis. Nam cùm multa occurrant in ecclesiasticâ eruditione aut verisimilia tantùm, aut dubia, aut contraria, aut omnium vel catholicorum consensu falsa : si unaquæque veluti certa, et vera indiscriminatim accipienda sunt, apud hæreticos et infideles, imò et apud catholicos periclitabitur dignitas, sanctitas, et veritas præstantissimæ religionis. Deinde ad tyrannidem accedet, qui minimè credenda credi jubeat, aut se prodet erroris magistrum, qui in censum veritatis fabulas quasque referat. At ab utriusque incommodi vel minimâ suspicione abesse debet, et certè abest Ecclesia Dei. Pios hosce adsentatores ipsa tandem refugit; rectèque intelligens, quousque sua auctoritas pertingere debeat, non plus juris sibi tribui amat, quàm quòd Christus, publicæ utilitatis, et omnium prudentum vota hucusque tribuerunt. Cordati itaque viri, et præcipui catholicorum præsules, et quicumque veram theologiam et eruditionem ecclesiasticam non à limine tantùm salutârunt, ii omnes neque Ecclesiæ auctoritati quidquam detractum, neque ultra æquitatis leges ei quidquam adjectum volunt. Utrinque excedere facillimum, et utrumque vitium est. Et quanquàm opinione vulgi ii solùm peccare videantur, solentque ignominiosis nominibus traduci, qui Ecclesiæ jura elevant, ac pessumdant, et pii contra censeantur, qui in amplificandâ supra modum ejusdem Ecclesiæ auctoritate nervos omnes intendunt : æquè tamen sapientum catholicorum opinione peccant et obsunt, qui nihil antiquius habent, quàm ubique Ecclesiæ auctoritatem importunè exaggerare, contraria sentientibus ubique irasci, et eâdem abuti auctoritate in cujusque suæ privatæ opinionis, affectionisque præsidium. Pictatem sapit horum facinus, sed perniciosam pietatem; etenim ii nullo negotio vincendam adversariis exhibent aliquâ ex parte catholicorum causam. Quis non videat, si in uno, quod verè ad Ecclesiæ judicium pertineat, deprehendantur ecclesiastici judices aberrâsse, necesse quoque esse, in eorum hypothesi) ut in reliquis omnibus errori obnoxiam confiteamur Ecclesiam? Summoperè ergo conducit cum ipsi Ecclesiæ, tum theologis omnibus, exquirere, perspectumque animo habere, quinam auctoritati ecclesiasticæ limites præscripti sint, ne dùm incerta, et indebita jura sacris pastoribus concedimus, certa et debita in periculum adducamus. »

Ut igitur iste finis certiùs obtineatur, hujusque ævi necessitas aliquatenùs sublevetur; ut perversa incredulorum principia in scriptis eorum periodicis affatim sparsa, faciliùs detegantur; ut falsæ adversariorum criminationes in religionem catholicam effusæ clariùs dignoscantur; utque potissimùm veritates divinæ et catholicæ à privatis theologorum placitis exactiùs secerni valeant, et quemadmodùm jam S. Augustinus, ep. 54, al. 118, ad Januarium cap. 2, ardenter optaverat, *ut in necessariis unitas, in dubiis libertas, et in omnibus conservetur charitas*, hanc *fidei catholicæ regulam et dogmatum credendorum collectionem* adornare, verius dico, simplici, brevi, tritoque sermone conscribere statui; nam ornari res ipsa negat, contenta doceri. Unde qui in his pagellis exactam dogmatum demonstrationem exspectat, egregiè fallitur, non enim hic scopus est, singula, prout hæc temporum injuria postulare videtur, undequaque illustrare; sed fontes tantummodò indigitare, atque jamjam ab Ecclesiâ catholicâ declarata, et à celeberrimis religionis defensoribus demonstrata colligere, ac enarrare in proposito fuit.

Quoniam verò res hæc maximi momenti est, discere potiùs, quàm docere ambio, nihilque aliud, quàm quod ex puris fontibus, S. Scripturâ, traditione, et Ecclesiæ sensu, ac declaratione hausi, et à majoribus didici, propono, atque cum eodem S. Augustino lib. 1 de Trinit., c. 4, profiteor : *Hæc et mea fides est, quando hæc est catholica fides;* unde, si quid in hoc opusculo plus, vel minus, aut sacrosanctæ fidei contrarium occurrat (homines enim sumus) in antecessum revoco, totumque S. Matris Ecclesiæ judicio humillimè submitto;

necnon amplissimæ vestræ amici omnibus titulis æstimatissimi, eruditioni, æquitati, charitati, quæ Aristarchos, et publicos criminatores abhorret, plenè dijudicandum relinquo. Favete.

Quisquis ergo hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, quærat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me; et ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum est: Quærite faciem ejus semper. S. Augustinus, lib. 1 de Trinit., c. 3.

REGULÆ
FIDEI CATHOLICÆ GENERALES.

Collèctionem dogmatum fidei tradituri, id quod præcipuus hujus operis scopus est, ordimur à principiis, seu regulis, ex quibus dogmata eruenda, et tanquàm è lapide lydio probanda veniunt: ordo enim naturalis postulat, ut, dùm quævis scientia pertractatur, principia ejusdem in fronte statim appareant. Quare in præsentarium, antequàm ad dogmatum specialium disquisitionem accedamus, generales quasdam notiones, veritates, fontes, principia, seu regulas fidei præstabilire oportet. Si autem hisce principiis jejunus lector dimissus videatur, meminerit ejus S. Ambrosii in cap. 9 Luc.: *Non in principiis perfecta quæruntur, sed de principiis, ad ea, quæ perfecta sunt, pervenitur.*

§ 1.

Divinæ revelationis nomine significatur manifestatio à Deo palam facta quarumdam veritatum, quibus proinde propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem firmissimam fidem præstare tenemur.

§ 2.

Fides divina, *sine quâ impossibile est placere Deo*, Hebr. 11, dicitur assensus præstitus veritatibus à Deo, revelatis ob infallibilem ejusdem auctoritatem.

§ 3.

Per regulas fidei catholicæ intelligimus principia queis secernuntur ea quæ sunt de fide, ab iis quæ non sunt de fide credenda.

§ 4.

Quid sit de fide catholicâ, seu fide divinâ credendum, clarè, succinctè solidèque resolvit eximius D. Franc. Veronius in suâ Regulâ fidei, cap. 1, § 1, scribens: Illud omne, et solum est de fide catholicâ, quod est revelatum in verbo Dei, et propositum omnibus ab Ecclesiâ catholicâ fide divinâ credendum. — Complectitur hæc regula verbum Dei: nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Rom. 10, 17. Complectitur et Ecclesiam docentem in concilio catholico, hoc est, universali, expressè aliquid tanquàm divinitùs revelatum, atque fide divinâ credendum definientem, vel ex sensu omnium tum pastorum, tum fidelium velut practicè eloquentem. Et quidem fidei catholicæ nomen utrumque sonat. Fides enim divina est credere propter auctoritatem Dei revelantis, in quam solam tota resolvitur.

§ 5.

Ex hâc regulâ elucescit, quod dogma fidei nil aliud sit, quàm doctrina, et veritas divinitùs revelata, quæ publico Ecclesiæ judicio fide divinâ credenda ita proponitur, ut contraria ab Ecclesiâ tanquàm hæretica doctrina damnetur (1).

§ 6.

Ut igitur doctrina aliqua sit fidei catholicæ dogma, seu articulus, necesse inprimis est, ut sit revelata à Deo per Christum, prophetas, Apostolos, seu auctores canonicos; sola enim revelatio fidem divinam fundat, cujus jam antea § 4, rationem assignavimus: omnem scilicet fidei divinæ articulum Dei revelantis auctoritate pernecessariò inniti. « Constans est hæc (ait clariss. « Felix Ant. Blau in dissert. theol. de Reg. fidei, « Moguntiæ editâ 1780) non theologorum modò, sed « ipsius Ecclesiæ assertio, ubique profitentis, sese à « Christo, vel Apostolis percepisse, traditum esse, « credere se, quæ credenda proponit et semper credidisse propter revelantis Dei auctoritatem. Ipsi Apo« stoli non acceperunt, nec arrogârunt sibi unquàm « potestatem nova promulgandi dogmata, sæpiùs è « contrario fidelibus fassi sunt, ministerium verbi divini, non magisterium sibi esse commissum, *se mi« nistros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* ap« pellant, ut fidei nostræ ultimam rationem in Christi

(1) Descripta hæc dogmatis notio omnimodis etiam convenit articulo fidei: unde apud præclarissimos theologos idem denotant, ac passim velut synonyma usurpantur articulus, et dogma fidei. Exempla plurima præter plures suppeditant Veronius in Reg. fidei. Illustrissimi fratres, et episcopi de Wallemburg Exam. de principio catholico. Holdenus in Analysi fidei divinæ, Amort in Demonstrat. crit. Melchior Canus de loc. Theol., et Benedictus Stattler in loc. Theol. § 104, ait: « Articulus fidei divinæ dicitur veritas à Deo re« velata, et ab Ecclesiâ pro tali declarata; qui vulgò « etiam dogma catholicum appellatur. » Propterea tamen minimè diffitemur, sub articulis fidei in sensu magis stricto intelligi dogmata christiana præcipua, seu principales fidei catholicæ veritates omnibus virtute legis divinæ scitu necessarias, distinctè credendas, atque contentas in symbolo Apostolorum, quod brevis quædam summa, seu succinta regula nuncupatur, ex variis articulis collecta, et fidelibus proposita tanquàm signum professionis fidei, quo inter fideles, perfidosque secernitur. S. Maximus Taurin., hom in symb.

« revelatione reponerent, et huic soli omnem docendi « auctoritatem deferrent. Ad Hebr. 4 : *Multifariam multisque modis loquens olim Deus Patribus in prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* 1 Corinth. 3 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, quàm quod positum est Jesus Christus.* Ad Ephes. 1 : *Ædificati estis super fundamentum Apostolorum, et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Et 1 Thessal. 2 : *Cùm accepissetis à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut verè est, verbum Dei.* 1 Petri 4 : *Quæ loquimur, loquamur tanquàm sermones Dei.* » Quidquid ergo Deus per filium suum, per prophetas, per Apostolos, seu auctores canonicos non revelavit, fidei dogma non constituit.

§ 7.

Unde juxta laudatum Veronium, c. 1, § 3, sequitur 1° : « *Nihil esse de fide divinâ eorum omnium, quæ novimus ex revelationibus factis post tempora Apostolorum*, quibusvis etiam sanctis Ambrosio, Cypriano, « seu aliis antiquis, aut recentioribus, quarum myriades sunt in vitis sanctorum..... etiamsi approbatæ « forent tales visiones à quibusdam conciliis etiam « universalibus, quales aliquæ referuntur in II Nicæno. » Hâc quoque de re audiri meretur profundiss. Muratorius de ingen. moder., lib. 1, c. 17, ita pro more suo eruditè disserens : « De Christi, atque Apostolorum « gestis præter ea quæ in canonicis Scripturis continentur, et ex antiquissimâ ac germanâ traditione « accepimus, quàm plurima alia olim ferebantur. « Evangelia quoque alia, et alii Apostolorum actus « emersêre antiquitùs ; quibus tamen, quippe constanti, ac legitimâ traditione carentibus, aut ademit, aut nunquàm addidit fidem Ecclesia vera. Quæ « cùm ita sint : intelligimus, quascumque revelationes « de Salvatoris nostri, aut Deiparæ Virginis, aut « Apostolorum gestis, aut etiam de quibusdam dogmatis accidisse legimus, postquàm vivere desierunt « Apostoli, nunquàm in sensum divinæ doctrinæ referendas esse... Multas etiam ex his revelationibus, « visionibus, prophetiis, exacto jam Apostolorum ævo « contigisse narrant sancti, ac probatissimi Patres, « easque experientiâ non inanes, non confictas subinde testata fuit. Verùm eas ad facta duntaxat peculiaria, et ad singulorum fidelium utilitatem, ac « solatium, non autem ad generalem Ecclesiam, neque « ad certam dogmatum fidem pertinere constat..... « Neque aliâ de causâ damnati olim Cataphryges, et « Montanistæ, quàm quòd novas de tribus quadragesimis celebrandis, de secundis nuptiis abdicandis, « de pace majorum criminum reis deneganda, aliisque « de rebus revelationes instar dogmatis proponerent ; « quare deinceps Cataphrygum nomine à SS. Patribus « ii notati fuêre, qui novas, non de aliquo peculiari « facto (hoc enim cœlitùs contingere posse, et quandoque contigisse, exploratum habemus) sed de aliquo dogmate revelationes inducerint. »

§ 8.

Ex eodem principio sequitur 2° : *Nullum miraculum nullamque doctrinam quibusvis miraculis confirmatam post tempora Apostolorum fidem divinam mereri*, etiamsi ejusmodi miracula à sanctissimis et gravissimis testibus tanquàm visa ab ipsis ; aut à summis pontificibus ; aut ab ipsis adeò conciliis generalibus referantur, et adprobentur ; quia destituta sunt medio, seu fundamento infallibili, revelatione scilicet à Deo factâ per Christum, prophetas, apostolos, et auctores canonicos. Fides proinde hisce miraculis deferenda nonnisi merè humana est, eaque varia : aut certa, aut probabilis, aut nutans, aut omninò improbabilis pro varietate nempe auctorum ista referentium. Verùm si credimus fide humanâ fidelioribus profanis historicis, cur parem saltem gravioribus ecclesiasticis Scriptoribus non adhibeamus fidem? unde haud levis sanè temeritatis arguendus foret, qui omnia miracula, quibus fides tanquàm signis loquentis Dei ubique terrarum exacto jam Apostolorum ævo et providè confirmata, et mirificè propagata fuit, absque ullo discrimine, vel negare, vel in dubium vocare præsumeret. Qualemcumque tamen præfacta miracula præ se ferant certitudinem, nullam fidei doctrinam fundare possunt, quia ex auctoritate tantùm humanâ nobis de eorum veritate constat ; adde quòd nec ab Ecclesiâ universali tanquàm de fide credenda proponantur, cui soli appromissam novimus assistentiam Spiritûs sancti, ne erret.

§ 9.

Alterum igitur dogmatis catholici requisitum est, ut sit ab Ecclesiâ universâ, vel in conciliis generalibus repræsentatâ, vel in orbe dispersâ omnibus propositum fide divinâ credendum. § 4. Ne tamen hæc regula prima statim fronte aut deviis scandalum pariat ; aut à quibusdam Catholicis in sensu sinistro accipiatur, necessariò monendum arbitror, divinæ revelationis veritatem nullatenùs dependere ab Ecclesiæ declaratione, eamque se sola plenam vindicare auctoritatem, atque summam exigere fidem ab omnibus, quàm primùm adoranda loquentis Dei voluntas innotescit. « Verbum « quidem Dei, inquit eminent. Gotti de veritate relig. « christ. tract. 3, cap. 7, § 2, non eget verbo Ecclesiæ, ut sit verbum Dei, egemus tamen nos testimonio, et verbo Ecclesiæ, ut certi sumus, illud, quod « nobis tanquàm verbum Dei proponitur, esse reverà « verbum Dei, et non hominis ; neque hoc est, ut aiunt « Acatholici verbum Dei à verbo hominis recipere « approbationem, sed potiùs testimonio Ecclesiæ, in « hisce non ex se, sed ex verbo Dei infallibilis, cognitionem nostram, et fidem confirmari, quòd hoc sit « verbum Dei, atque genuinus ejusdem sensus ; quia, « quùm Christus Ecclesiæ promiserit assistentiam Spiritûs sancti, qui doceat eam, ducatque in omnem « veritatem hæc, stante Dei promissione, quæ semper « obtinet, nunquàm deficit, nunquàm docet aliquid « esse revelatum, quod non sit revelatum. »

§ 10.

Quamvis enim doctrina à Christo tradita perfecta, atque integra fuerit, et sine impietate ad illam aliquid adjicere nemo possit, ne veluti manca, aut imperfecta accusetur, atque propterea nihil ab ipsâ quoque Ec-

clesiâ statui queat divinâ fide credendum, nisi quod Christi verbis sive scriptis, sive non scriptis certissimè innitatur; accidit tamen sæpè numero, id quod nemo unus, ne ipsi adeò cordati Acatholici hodiè diffitentur, accidit, inquam, non rarò, ut aliquid sit revelatum à Deo in verbo suo obscurè scilicet, et quod interprete egeat, qui adaperiat sensum, ut fideles intelligant. Luc. 24; et quoties, obsecro, illud Act. 8, V. 30, 31, verificatur in nobis? *Putasne intelligis, quæ legis? et ait : quomodò possum, si non aliquis ostenderit mihi?* quia ergo non in solis epistolis Paulinis *sunt quædam intellectu difficilia, quæ indocti, et instabiles depravant, sicut et cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem*, 2 Petri, 3, 16. Deberent sanè, prout eruditè observat Claris Blau, loc. cit. § 23, ad generationes singulas aut novi semper à Christo delegari Apostoli, legationis divinæ characteribus insigniti, aut ea quæ primitùs sunt ab Apostolis scripto, vel ore tradita Ecclesiis primitivis, ad nos ita pervenisse, ut certum foret, et hanc esse genuinam Apostolorum scripturam, aut traditionem, et hunc esse ejus sensum indubitatum. Sunt autem de existentiâ librorum divinorum controversiæ; pone verò etiam, de illâ inter omnes Christianos convenire, tamen ex ipsâ verborum, linguarumque variabili indole, ex innatâ mentis humanæ infirmitate, omnium seculorum experientiis contestatâ, ut eædem omninò veritates variè à variis concipiantur, aut etiam studio et malitiâ hominum in alienos sensus contorqueantur, liquido patet, fuisse à Christo constituendum in terris judicium publicum, quo et libri, et dogmata divina authenticè secundùm existentiam, et sensum declararentur. Sicuti enim necesse erat, olim gentibus prædicari per Apostolos, quid Christus docuerit, ita et hodiè, ut certa in hominibus obligatio oriatur, credulitatem suam submittendi, quid tradiderint ex Christi doctrinâ Apostoli, per Ecclesiam decernendum, et proponendum est, cui soli in personâ Apostolorum æterna veritas dixit Matth. 23 : *Exeuntes docete omnes gentes.... servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Cui soli appromisit assistentiam Spiritûs sancti, Joan. 14, 16 : *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis :* et in quem finem daturus sit Paracletum, significat his verbis 26 : *Paracletus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*, et iterùm, c. 16 : *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ideòque etiam Luc. 10, ait : *Qui vos audit me audit : et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* In illis locis Christus mundum derelicturus potestatem suam resignat Ecclesiæ, ut ipsius nomine, et loco, suâ, et Spiritûs sancti assistentiâ per suos præpositos doceat omnes gentes, easque omni veræ fidei doctrina instituat, et consequenter iisdem verbis imponit hominibus necessitatem audiendi præpositos Ecclesiæ, et iis obtemperandi, quemadmodùm ipsimet Christo parere debuissent, quod etiam disertis verbis declarat auctor fidei notræ Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus; amen dico vobis : quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cœlo*, etc. et Joan. 20 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos : hæc cùm dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum S.*, etc. Clarioribus verbis uti non potuit, ut significaret, se plenam potestatem contulisse Ecclesiæ, quantùm ad ea quæ spectant institutionem fidelium.

§ 11.

Quando ergo quæritur, quousque pateat Ecclesiæ catholicæ auctoritas in dogmatis sanciendis, generalis regula futura est nobis cum magno Muratorio lib. de Ingen. mod., c. 13 : *Ecclesiam sine erroris suspicione decernere posse, quæcumque dogmata scitu necessaria sint, aut utilia fidelibus quoties ista per rectam interpretationem deduci possint tanquàm præxistentia in revelatis per Scripturas sanctas, aut per concordem, et antiquam traditionem ad nos transmissa;* hoc enim duplici fonte, nempe per Scripturas canonicas, aut per constantem Ecclesiarum traditionem nobis communicari revelationem, inferiùs explanabitur.

§ 12.

Duæ porrò conditiones exigi mihi videntur, ut Ecclesia Dei statuere dogmata sine erroris periculo possit, ut puta : fidelium necessitas, ac utilitas, et divinorum verborum, sive scripto, sive per traditionem ad nos manantium, fundamentum. Harum altera causam decidendi respicit; altera causam non errandi. Utraque in judiciis Ecclesiæ præ oculis semper esse debet, ac solet. Et ad postremam, quod attinet, celebris est sententia Vincentii Lirinensis, ita de Ecclesiâ scribentis : Non nova fidei dogmata statuit, sed vetera eruit. *Scio*, mulier illa Samaritana aiebat, *quia Messias venit. Cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia*, Joan. 4. Et ipse Christus omnia, quæ audivit à Patre, nota fecit nobis, jussitque Apostolos docere gentes omnia, quæcumque ipse mandaverat. Nova itaque dogmata non procuduntur in Ecclesiâ, sed vetera repetuntur, obscura explicantur, defenduntur que eadem, quæ Christus tradidit; ac ideò fidei revelatæ, et catholicæ articulorum numerum augeri posse, vel ignorantis est, vel calumniantis oratio. Spiritus verò sanctus secundùm promissa Christi semper adfuit, atque adfuturus est judiciis Ecclesiæ, non ut novæ revelationes fiant, aut nova revelentur per ipsius Ecclesiæ vocem dogmata, sed ut, dùm sacræ litteræ, et antiqua traditio diligenter consuluntur, tunc interpretatio recta ab Ecclesiâ instituatur, nullusque error in easdem subrepat.

§ 13.

Quùm autem diversissimi generis veritates ad religionem pertinentes in Ecclesiâ passim credantur, et credi quoque debeant Ecclesiâ jubente, non aliter judicari potest, utrum ad fidem pertineant, nisi ex earum revelatione, et mente Ecclesiæ, quas illas proponit credendas. « Animadvertendum diligentiùs, ait « Melchior Canus, l. 5, c. 5, quæst. 4, et quæ natura

« rerum sit, de quibus judicium est, et quæ verborum « proprietas, et pondus. Nimirùm ecclesiasticæ do- « ctrinæ, quam amplecti etiam tenemur, non idem « computatur gradus, nec omnia judiciorum decreta « eodem loco habenda sunt. Quâ de re id dicimus : « nec omnia, quæ aut juris, aut conciliorum volumina « continent, doctrinæ christianæ esse judicia, nec om- « nia rursùm doctrinæ judicia fidei censuras esse, mul- « ta siquidem ad sanam Ecclesiæ disciplinam attinent, « quæ fidei decreta non sunt. » Hinc, ne turbatâ re- rum serie regulam fidei pertractare videamur, veri- tates in Ecclesiâ tradi solitas in quasdam classes divi- dere, et distinguere necessarium duximus (1).

§ 14.

Divinæ et catholicæ veritates nuncupantur, quæ verâ innituntur revelatione, seu institutione divinâ in ver- bo Dei scripto, vel tradito ; atque ita ab Ecclesiâ ca- tholicâ tanquàm fide divinâ credenda omnibus propo- nuntur, ut contrariis doctrinis scienter, ac cum perti- naciâ adhærentes pro veris hæreticis haberi debeant. §§ 4 et 5. Ad hoc ergo, ut sit aliquid de fide divinâ ca- tholicâ, hoc est, universali, et universos Christi fideles adstringente, et ad credendum sub pœnâ hæreseos obligante, haud sufficit, quòd in genuinis, ac canoni- cis veteris, et novi Testamenti libris, necnon in divi- nis, et apostolicis traditionibus contineatur, sed debet insuper omnibus certò, et infallibiliter constare, quòd sit in verbo Dei scripto, vel tradito revelatum ; alio- quin non obligaret sub pœnâ hæreseos ; atqui id ne- quit certò, et infallibiliter omnibus constare, nisi quatenùs proponitur ab Ecclesiâ catholicâ, *quæ est columna, et firmamentum veritatis*, 1 Timoth. c. 3, 15; contra quam *portæ inferi non prævalebunt*, Matth. 16, 18. « Genuinus nempe Scripturæ, et etiam traditionis « sensus tantâ claritate per se neutiquàm præfulget, « quin de illo possit moveri controversia ; quin possit « sensus rectus involvi ; quin possit in alienum, ac « contrarium sensum detorqueri ; constat enim sep- « temdecim et ampliùs seculorum tristi experientiâ, « præcipua quæque Scripturarum loca, quibus prima « cùm fidei, tum morum dogmata, etsi minimè ob- « scura, explicantur, in perversos tamen sensus de- « torta fuisse, ac hodie dùm quammaximè detorqueri. « Atque ut complura exempla prætereamus, quid aper- « tius in S. litteris esse potest istis verbis : *Hoc est « corpus meum*? et tamen incredibile dictu est, quàm « multos, longèque diversos circa illa sensus novissi- « mis temporibus commenti sint heteredoxi homines. « Quid etiam luculentius exprimi potuisset hocce præ- « cepto : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde « tuo*, etc. ? nullum tamen aliud ferè morum dogma « tantis laxiorum Casuistarum cavillationibus subje- « ctum fuisse novimus, quàm istud præcipuum, totius- « que moralis christianæ fundamentum, atque prin- « cipium ; » ita P. Corbinianus Luydl. in Theol. moral. p. 1, diss. 2, pag. 366. Unde etiam ad quæstionem hanc : quùm sit perfectus Scripturarum canon, sibi- que ad omnia satis, superque sufficiat ; quid opus est, ut ei ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas ! in hunc modum respondet Vincentius Lirin. commo- nit. 1, cap. 2. « Quia videlicet Scripturam S. pro ipsâ « suâ altitudine non uno, eodemque sensu universi « accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter, atque aliter, « alius atque alius interpretatur : ut penè quot homi- « nes sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. « Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, « aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, etc. Atque « idcircò multùm necesse est, propter tantos tam va- « rii erroris anfractus, ut propheticæ, et apostolicæ, « interpretationis linea secundùm ecclesiastici, et ca- « tholici sensûs normam dirigatur. »

§ 15.

Adeò hæc veritas eliquata est inter catholicos, ut omnes concordi sententiâ definiant hæresin : pertina- cem errorem illi veritati manifestè contrarium, quæ certò sit divina et catholica. « Duo itaque sunt, quæ « inter christianos hæreticum constituunt, error scili- « cet intellectûs contra verbum Dei, et pertinacia in « tuendo dogmate fidei contrario, quæ tum primum « adesse intelligitur, cùm Ecclesia catholica de exi- « stentiâ revelationis, aut vero ejus sensu pronuntia- « vit. Hinc et concilium Constantiense distinguit pro- « positiones hæreticas, erroneas, sapientes hære- « sin ; quas difficulter omninò secerneremus, si omnis « error in materiâ fidei hæresis foret, antequàm defi- « niatur ab Ecclesiâ. » Claris. Blau, diss. de Reg. fid., pag. 44. Huc quoque spectat illud S. Augustini, ep. 162 : *Qui sententiam suam quamvis falsam, atque perversam nullâ pertinaci animositate defendunt, præsertim, quam non audaciâ suæ præsumptionis pepererunt, sed à seduc- tis, et in errorem lapsis parentibus acceperunt ; quærunt autem certâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, nequaquàm sunt inter hæreticos deputandi ;* et lib. 4 contra Donat. c. 6, *constituamus id aliquem sen- tire de Christo, quod Photinus opinatus est, existiman- tem, ipsam esse catholicam fidem, istum nondùm hæreti- cum dico, nisi manifestâ sibi doctrinâ catholicæ fidei re- sistere maluerit, et illud, quod tenebat, elegerit.* Potest proin doctrina aliqua damnari ut hæretica, quin ille qui eam docuit, sit hæreticus ; cùm nempe ex igno- rantiâ, et sine pertinaciâ errat, Ecclesiæ judicio se submittere paratus : hinc illud scitè dictum : *errare potero, hæreticus esse non potero.* Sic excusatur S. Cy- prianus ab hæresi rebaptisantium ; et sic etiam Semi- pelagianorum Coriphæi ut sancti alicubi coluntur, cùm eorum discipuli ut hæretici damnati fuerint. « O « rerum, inquit Vinc. Lirin., mira conversio ! Aucto-

(1) Claris. Holdenus Anal. fid. div. lib. 1, c. 4, lect. 1, veritates christianas in quatuor classes æquâ quidem lance divisit. 1° In *divinas et catholicas ;* 2° in *purè catholicas ;* 3° in *purè canonicas ;* et 4° denique in *theologicas* : minùs tamen felici Minervâ secundùm æquos rerum æstimatores harum characteres descripsit, teste enim D. d'Argentré. Animadvers. in anal. fid. « Sacræ Scripturæ dignitatem temerè hìc et alibi « deprimit Holdenus, ut traditionis non scriptæ au- « ctoritatem extollat, divinæque fidei nomine multis « veritatibus à Deo revelatis detracto, divinam et « catholicam fidem à fide tantùm catholicâ sine indi- « cio et modo distinguit. » Nos igitur servato divi- sionis ordine id solùm, quod verum et bonum est, te- nere intendimus.

« res ejusdem opinionis catholici, consectatores veri « hæretici judicantur; absolvuntur magistri, condem- « nantur discipuli. »

§ 16.

Quotquot itaque sunt veritates divinæ et catholicæ, tot etiam numerantur fidei divinæ et catholicæ dogmata, quæ tamen non eodem modo nos in viâ salutis dirigunt; unde passim quantùm ad ordinem salutis in *necessaria* atque *utilia* dividuntur. Alia sunt omninò, alia sunt ex parte fidelibus scitu necessaria. Prima appellamus, quæ qui jam adultus et mentis compos ignorat, à regno Dei arcebitur. Sic nisi quis sciat et credat Deum existere, et remuneratorem esse, de ejus æternâ salute actum est, ut Apostolus monet. Unitatem quoque Dei, et Trinitatem Personarum in unitate naturæ, Verbi incarnationem, Christi mortem pro redemptione generis humani, ac resurrectionem christiano ignorare nefas. Fidelibus ex parte scitu necessaria nuncupamus, quæ scire non opus quidem est omnibus ad salutem, sed omnibus incumbit credere, quùm illis annuntiantur. Etenim ista etiamsi ignorare interdùm simamur, nunquàm tamen, si percipiantur, inficiari, aut in iis errare, liberum atque impune nobis erit. Et propterea ipsa quoque fidelibus quodammodò necessaria fiunt. Utilia denique vocantur, quæ homini christiano conducunt, ut faciliùs cœlum consequatur, infernasque pœnas devitet, v. g., invocatio et veneratio sanctorum.

§ 17.

Rursùs alia dogmata in merâ contemplatione versantur, et fidem tantummodò postulant. Alia præter contemplationem, et fidem, actionem quoque respiciunt, qualia sunt, quæ de moribus in religione traduntur. Et quidem populis exspectantibus beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, nil magis necessarium videtur ac utile, quàm scire quæ in moribus actionibusque humanis Deo placeant atque displiceant, ut, abnegantes impietatem et secularia desideria, sobriè, et justè, et piè in hoc seculo vivant. Murat. l. c. (1).

(1) Si nulli unquàm fuissent perversi homines, qui has veritates, puta fidei et morum dogmata, corrumperent, breves suffecissent catecheseon libri: nunc verò, quùm omnia fermè religionis nostræ dogmata fuerint ab hæreticis vel omninò negata, vel saltem graviter corrupta, ut tristis rerum experientia nos docet, hinc apparet, pro enatis rerum circumstantiis necessariam esse theologiam, quâ eadem dogmata non exponantur solùm, sed omni argumentorum genere confirmentur, atque ab hæreticorum cavillationibus vindicentur. Quùm porrò omnium dogmatum unicum fundamentum sit divina revelatio, § 6, quæ singulas veritates ad salutem obtinendam necessarias atque utiles complectitur, rectè quoque theologia *scientia veritatum à Deo revelatarum dicitur*. Quia verò istarum veritatum aliquæ ad solam cognitionem vel fidem spectant, aliæ autem ad actionem et praxin ordinantur, nascitur inde prima theologiæ divisio in *dogmaticam et moralem*, quarum prior in fidei veritatibus tradendis et confirmandis tota occupatur; altera in exponendis regulis et præceptis morum. Divisioni huic ipse S. Augustinus favet, dùm lib. 2 de Doct. christ. c. 9, ait: Theologiam continere *regulas credendi, et præcepta vivendi*. Eadem theologia dogmatica

§ 18.

Ex traditâ mox theologiæ dogmaticæ notione liquet, eam nonnisi veritates à Deo revelatas complecti; ast hæ iterum non unius semper sunt generis. Aliæ enim veritates disertis verbis, seu, si scholæ vocabulis uti libeat, expressè, directè, ac immediatè à Deo sunt manifestatæ, circa quas nulla inter catholicos movetur difficultas, v. g., mysteria Trinitatis, incarnationis, etc.

§ 19.

Aliæ verò sunt veritates, quæ in expressè revelatis sub diverso quidem, sed æquivalenti sermone continentur, et ex his necessariâ ac evidenti consecutione derivantur; unde etiam vulgò à theologis implicitè, mediatè, aut virtualiter revelatæ appellantur, quorum terminorum conceptus quidam distinguunt, quidam omninò confundunt. In varias quoque abeunt sententias doctores tam catholici quàm protestantes pro resolvendâ quæstione: an quod evidenter deducitur ex propositione aliquâ fidei, sit de fide? Asserunt Vega, Canus, Gazzaniga, etc.; negat Veronius, qui c. 1, § 3, ait: « Nullam consequentiam certò licet, ac eviden- « ter deductam ex propositione aliquâ fidei, et alia « evidenti lumine naturæ per formam logices eviden- « tem, ... sufficientem esse fundando fidei catholi- « cæ articulo; seu nullam doctrinam, quæ constat so- « lùm tali consequentiâ esse doctrinam fidei catholi- « cæ; idque ex duplici defectu: 1° Quia non est revelata; 2° quia Ecclesia hanc litem nondùm diremit. » Eamdem Veronii sententiam confirmant Petrus Annatus in apparatu lib. 1, art. 6, et Wallenburgici Append. ad meth. Aug. necnon Exam. 3 Princip. fid., § 3, ubi tamen in § 2 varias logices regulas præmittunt, quasi ex eisdem revelata à non revelatis secerni debeant, v. g., *revelatâ propositione universali, etiam revelatæ sunt formaliter omnes particulares sub universali contentæ; revelato definito, revelatur formaliter definito, seu partes definitionis. Revelatâ definitione formaliter, revelatur definitum*, etc. Verùm licet hæc vera, imò verissima sint, neutiquàm tamen ideò istæ, et similes propositiones formaliter, ut aiunt, revelatis accensentur, quia ex eisdem evidenti consecutione derivantur, aut per canones dialecticos demonstrantur; horum etenim fides, quantamcumque tribuas, ultrà auctoritatem humanam nunquàm sese extendit. Holdenus lib. 1, c. 6, lect. unicâ, scribit: « De posterio- « ri capite multò gravior est difficultas, quàm bifariàm

tunc inaudit *polemica*, quando quasi bello cum hostibus suscepto eorum tela contra nostræ religionis dogmata fidei umbone repellit, atque ejusdem fidei armis ipsorum errores confodit. Vid. Cl. Gazzanigam Theol. dog. in syst. redact. part. 1, c. 18. Ne tamen modestiæ et charitatis limites excedant theologi polemici, eleganter æquè ac sapienter monet S. Augustinus l. 1, cont. litt. Petiliani, c. 29: *Diligite homines, interficite errores, sine superbiâ de veritate præsumite; sine sævitiâ pro veritate certate.* Et l. de Mor. Eccl. cath., c. 1 inquit: *Sanè modum tenebo, quantum potero, ut neque in illorum morbos, qui mihi sunt notissimi, tam graviter invehar, quàm illi in ea quæ ignorant. Sanari enim eos potius, si fieri potest, quàm oppugnari volo.*

« intelligere possumus; vel enim hujusmodi consecu-
« tio ex principio fidei deducta et formata, adeò pri-
« mo intuitu omnibus hominibus rationis facultate
« instructis, evidens est ac manifesta, ut à quovis vel
« minimè consulto denegari nequeat; vel scientiâ ali-
« qua et peritia requiritur ad consecutionis hujus evi-
« dentiam percipiendam. Veritates prioris conditionis
« sunt verè fidei dogmata, et ad primam classem veri-
« tatum christianarum reducendæ; eò quòd universa-
« lis hominum consensus in quâcumque veritate ad
« fidem supernaturalem immediatè ordinatâ, funda-
« mentum est connaturale divinæ fidei et veritatum
« revelatarum. Posterioris conditionis veritates, vel
« sequelæ, non eodem modo se habent..... Vid.
« l. c, et c. 9. Distinguunt demùm alii, docentque, si
« ex duabus propositionibus Scripturæ deducatur con-
« sequentia, illam esse de fide, e. gr., *omnes Apostoli*
« *acceperunt Spiritum S.; Petrus erat Apostolus; ergo*
« *accepit Spiritum: S.* Neutiquàm verò, si ex unâ tan-
« tùm revelatâ, et alterâ evidenti lumine naturæ deri-
« vetur, quia in priori exemplo conclusio, si conclu-
« sio dici potest, verbis æquivalentibus in præmissis
« exprimitur. At propriè, aiunt, conclusio non est, sed
« indubitata fidei veritas expressè, aut saltem impli-
« citè revelata. »

§ 20.

Paucis jam, benevole lector, indicavi tibi variantes desuper theologorum sententias, ut exinde colligas, quàm infirma et curta sint etiam præstantissimorum virorum ingenia, si in materiâ religionis præfulgentis revelationis face destituantur. Nunc ergo et meum abs dubio in hâc materiâ exposcis judicium? obsequor: at ne meum duntaxat valdè parvulum depromam præsentis instituti ratio prohibet. Dimissis igitur incertis sequentes solummodò certos statuo canones.

§ 21.

I. *Veritas ex principiis fidei deducta tunc solùm ejusdem rationis cum expressè revelato habetur, quando ita necessario ac intimo nexu cum eodem cohæret, ut unum sine altero nec intelligi, nec denegari, aut tolli queat; adeòque salvo revelationis sensu unum alterum æquivalenti sermone contineat; id quod non ex solo rationis lumine, sed etiam ex mente ac determinatione Ecclesiæ innotescere debet.* « Quoties igitur accidit, ait doctiss.
« Muratorius, l. c., cap. 13, ut ejusmodi excitentur
« quæstiones, dubium nullum erit, quin utile sit uni-
« cuique Christiano, et ipsi Christianorum reipublicæ
« necessarium, earum definitionem ab Ecclesiâ audi-
« re, ne quis errando aut virtutibus, aut naturæ divi-
« næ, aut divinæ revelationi adversetur. Atque hìc in-
« terpretationis et argumentationis jura exercere tutò
« potest ac debet Ecclesia, *ne simus parvuli fluctuan-*
« *tes, et circumferamur omni vento doctrinæ*, ut ait
« Apostolus ad Eph. 4, 14. Primum jus exercet ipsa,
« quùm explicat quid reipsà traditio ferat in doctrinâ
« Christi, et quid significent Scripturarum verba equi-
« voca, aut obscura. Alterum, quùm dogmata probat,
« aut improbat, quæ è sacris litteris aliisve certissi-
« mis dogmatibus consectaria sunt, aut esse censen-
« tur. Verum Deum, simulque verum et perfectum
« hominem esse Christum, Scripturis cum traditione
« apertissimè consentientibus, Ecclesia orthodoxa
« nunquàm non credidit: hinc ritè deduxit, ipsum
« non in speciem tantùm, sed verè humanam carnem
« induisse; et quatenùs homo est, è corpore et ani-
« mâ humanâ constare. Et in ipso duas esse naturas
« minimè confusas, duasque item voluntates. Ista
« dogmata per rectam argumentationem è Scripturis,
« ubi abdita et involuta erant, derivata, atque con-
« stanti Ecclesiarum traditione firmata, Marcionis,
« Apollinaris, Eutychetis, et Monothelitarum commen-
« tis opposita, errorem in hâc parte omnem sustule-
« runt, certòque veritatem statuerunt. Eâdem ratione
« explosa est Novatorum opinio negantium debitam
« aut licitam Christi adorationem in sacramento alta-
« ris. Ibidem Christum verum Deum peculiari modo
« præsentem esse Ecclesia catholica credit; hoc po-
« sito, necessariò sequitur adorandum ibi esse Chri-
« stum, nihilque à ratione magis absonum videtur,
« quàm idololatriæ crimen inferre Catholicis, adoran-
« tibus id quod non adorare sit crimen. » Eâdem ratione, eumdemque in finem observârunt DD. Wallenburgici Exam. 3, § 2, ob hanc revelatam veritatem: *Dominum Deum tuum adorabis;* fide quoque divinâ credi: *Spiritum S. esse adorandum: Christum in Eucharistiâ esse adorandum.* Quia licet Scriptura neutrum expressè affirmet, est tamen disertis verbis revelatum, Deum esse adorandum: quùmque hic cultus conveniat naturæ divinæ, etiam convenit tam Spiritui S. quàm Christo in Eucharistiâ existenti, quem verum esse Deum nobiscum fatentur Protestantes, qui, si ulteriùs dubitent, videant an detur in Scripturâ expressum mandatum adorandi Spiritum S.; hoc si non detur, et tamen credunt, adorandum esse Spiritum S., quia Deus est, et Deus adorandus est, agnoscant et Christum in SS. Eucharistiâ esse adorandum, quia Deus est, licet in Scripturâ non sit expressum mandatum pro adoratione in SS. Eucharistiâ. Idem denique observavit (ut multa alia prætermittam) Tertullianus, l. 4 de Carne Christi, c. 1: *Marcion ut carnem Christi negaret, negavit etiam nativitatem, aut ut nativitatem negaret, negavit etiam carnem: scilicet ne invicem sibi testimonium redderent nativitas et caro.*

§ 22.

Ex his autem, quæ hactenùs commemorata sunt, pergit Murat. l. c., nonnulla deducuntur perquàm necessaria documenta, et primò, quùm oporteat, Ecclesiæ catholicæ judicia, ut certissimum veritatis argumentum præstent, revelatione divinâ semper inniti, consequens est, ubi impleri ista conditio non possit, illic minimè habere locum datam à Deo Ecclesiæ auctoritatem. Secundò non omnia quæ ab Ecclesiâ, conciliis, et Patribus constituta, aut probata, sive etiam improbata et rejecta videntur, eodem obsequii, venerationisque genere suscipienda esse. Quæ enim per interpretationem ac argumentationem in sacris litteris in divinâ et apostolicâ traditione ha-

beri, Ecclesia palam edixit, ea divinam fidem à nobis postulant, fideique dogmata jure nuncupantur. At quæ nullo alio fundamento consistunt, quàm humanis rationibus, humanisve experimentis, humanam quidem exigere interdùm fidem possunt, at nunquàm divinam, neque fidei dogmatis accensenda veniunt; unde iterùm alii duo sequuntur canones.

§ 23.

II. *Omnis veritas ex principiis fidei deducta, quàm Ecclesia ceu dogma fidei definiendo proponit, ab omnibus fide divinâ credi debet.*

III. *Nulla conclusio, quatenùs præcisè conclusio est, sufficit fundando fidei Catholicæ articulo.*

Firma enim omni tempore hucusque stetit, semperque stabit catholica regula : quod nimirùm dogmata fidei non ex solâ Scripturâ, sed etiam ex divinâ et apostolicâ traditione peti, atque dignosci debeant. Quæ verò Christi ac Apostolorum traditiones sint, non aliâ viâ et ratione meliùs investigari queunt, quàm ipsâ Ecclesiâ duce et magistrâ, columnâ et firmamento veritatis. Et certè quodcumque nobis fidei dogma tradiderit, si in sacris litteris clarè non continetur, Christi, Apostolisque tradentibus in Ecclesiam venit : eodem igitur gradu habendum, ac si patenter illud Scriptura traderet. Rationem addunt Wallenburgici Append. ad meth. Aug., quia Ecclesia proponit expressum verbum Dei scriptum, et non scriptum, atque consequentias ex illo; dùm autem has consecutiones proponit, illæ non ideò sunt fidei, quia sunt consequentiæ, sed quia Ecclesia has veritates ex verbo Dei ab Apostólis accipiens, simul accepit verum ejus sensum; si autem proponit verum verbi Dei sènsum, nihil aliud proponit, quàm quod disertis verbis revelatum est (1).

§ 24.

Ad primam quoque classem, scilicet ad veritates divinas et catholicas referri meritò solent à theologis articuli fidei *puri* et *mixti*. Veritas cujusdam propositionis aut ex solâ revelatione intelligitur, aut ex revelatione et ratione naturali simul. Prior articulus fidei purus, posterior mixtus appellatur (2).

§ 25.

Veritates denique, quæ ad fidem solummodò spectant, distingui debent ab iis quas certâ fide credi oportet. Primi generis sunt varia Scripturæ loca; varia traditionis monumenta, quibus divina fides stabilitur, quamvis non omnia se solis spectata divinam fidem adstruant. Alia denuò ad fidem eatenùs spectant, quatenùs ea nemo inficiari potest, quin aliquod certum fidei nostræ dogma simul inficietur : ut si quis neget Isaacum fuisse filium Abrahæ. Plura desuper exempla per decursum hujus operis occurrent. Alterius autem generis sunt omnia dogmata, quæ Ecclesia falli nescia filiis suis credenda proponit

§ 26

Secundæ classis veritates ideò denominantur *purè catholicæ*, quia, quùm in sensu stricto et proprio revelatæ non sint, ac propterea fidei divinæ assensum fundare nequeant, universali tantùm totius Ecclesiæ consensu semper, et ubique fuerunt indubitanter receptæ. Harum in censum veniunt variæ revelationes purè historicæ in sacris litteris contentæ, et facta quædam non revelata propriis sensibus à sacris scriptoribus percepta, quin ante, vel subscriptionem revelarentur, quibus omnes Christiani ob certissimam cum fidei veritatibus connexionem, et necessariam scriptorum sacrorum in iis tradendis inerrantiam, firmiter assentiri tenentur, utut ad ipsa religionis capita directè non pertineant. Si enim in his errorem suspicari liceret, ipsa quoque religionis capita in dubium vocari possent, ait S. Aug. de Cons. Evang. l. 2, c. 12 : *Si in sacro quovis libro una quælibet falsitas reperitur, totius libri certitudo interit.* Vid. hæc, et plura apud Holden. l. 1, c. 4, lect. 1, et Blau, sect. 2, § 12 et seq. (1).

§ 27.

« Sunt et aliæ veritates christianæ, quæ ad hanc « secundam classem reduci possunt ac debent, non « quia descriptæ reperiantur in sacris paginis, nec eò « quòd universali innitantur traditione, hoc est, quasi « Ecclesia catholica illis assensum præbuerit, veluti ad « fidem et religionem christianam immediatè spectan- « tibus vi traditionis universalis, sicut adhæret verita- « tibus superioribus, sed harum solummodò historica « est traditio, v. gr., sanctum Petrum fuisse Romæ, « ibi sedem fixisse, martyriumque subiisse; et alia « quamplurima, quæ nullibi feruntur revelata. Quam- « vis enim harum veritatum traditio sit quodammodò « universalis, alterius tamen conditionis agnoscitur,

(1) Ut res clarior apparcat, pono hìc aliqua exempla : Sic tanquàm veritates expressè revelatas credimus : *Deus trinus est: Christus habet duas naturas, divinam unam, humanam alteram : Christus est homo : Christus est Filius Dei : omnis homo descendens ab Adam peccavit in Adam*, etc., unde necessariò ac evidenter consequitur : *Ergo Deus est : ergo in Christo duæ quoque sunt voluntates et operationes : ergo Christus habet corpus et animam : ergo Christus ut Filius Dei habet Patrem Deum : ergo quivis homo in partilari descendens ab Adam, peccavit in Adam.* Nihilosecius tamen veritates ejusmodi ex revelatis adeò evidenter derivatæ propriâ quoque revelatione ex verbo Dei scripto, vel tradito, ut patet, innituntur.

(2) Quia unum Deum esse in essentiâ tum ex revelatione, tum ex ratione naturali constat, sequitur unitatem Dei articulum esse mixtum. At quoniam ex solâ revelatione, non item ex ratione naturali, constat in unâ Dei essentiâ tres simul esse hypostases. est id, articulus fidei purus.

(1) Ne tamen prædicta sinistrè à quopiam intelligantur, monendum arbitror probè discernenda esse facta in Scripturis historicè duntaxat descripta et non revelata, à gestis historicis revelatis, qualia sunt Christi nativitas, miracula, passio, resurrectio, ascensio, missio Spiritûs S., etc. Hæc etenim, et plura alia, v. gr., quæ Paulus, qui à Domino accepit Evangelium, de Christo narrat, necessariò ad primam classem, scilicet ad veritates divinas et catholicas referuntur, quia reverà sunt revelata aut per prophetas, aut ab ipso Christo prædicta, antequàm fierent : atque in symbolis, conciliis, et communi Ecclesiæ consensu omnibus credenda fuêre proposita; unde hàc in parte nequaquàm sentire possumus cum claris. Holdeno, qui juxta animadversionem doct. d'Argentré hìc incidit in Scyllam, dùm voluit vitare Charybdim.

« quàm universa traditio dogmatum fidei habeatur. » Ita Holdenus, l. c., cui consensit Melchior Canus, l. 12, c. 10, scribens : « Aliæ veritates sunt etiam ipsæ catholicæ et universales, nempe quas Ecclesia universa tenet, quibus licet eversis fides quatitur, sed non evertitur tamen; atqui in hujusmodi veritatum contrariis erroribus fides obscuratur, non extinguitur, infirmatur, non perit. Has ergo nunquàm fidei veritates censui vocandas, quamvis doctrinæ christianæ veritates sint.... quæ igitur propositiones istis veritatibus contradicent, eas erroneas appello..... hæreses non sunt. »

§ 28.

Tertiæ classis sunt veritates quædam, quas *purè canonicas* cum præfato Holdeno, loc. cit., denominare licet; quæ nimirùm Ecclesiæ pro canone et regulâ inserviunt, quibus ideò obedientia debetur. Hujusmodi reperiuntur quædam definita à conciliis generalibus, et summis pontificibus, quæ neque ex revelatione divinâ, neque ex universali traditione immediatè et explicitè haberi agnoscit Ecclesia; possunt etenim concilia generalia et summi pontifices non tantùm ea quæ divinitùs revelata et instituta, et quæ universali traditione deducta certissimè agnoscunt, adversùs hæreticos et schismaticos attestari et pronuntiare, sed etiam aliquando ad sopienda exorta in Ecclesiâ inter Orthodoxos dissidia, quæ ad rem christianam nonnihil spectant, quodammodò definire ac determinare..... non solùm in rebus ad Ecclesiæ disciplinam et praxin spectantibus, sed etiam in iis quæ ad merum intellectûs assensum pertinent. Rectoribus etenim atque superioribus auctoritate et jurisdictione instructis incumbit munus et onus docendi, regendique Ecclesiam. Oportet igitur, ut possint Ecclesiæ moderatores unusquisque intra jurisdictionis suæ fines, fitibus majoris momenti, et quæ videantur vel in Ecclesiæ ruinam, vel in ejus damnum vergere, finem imponere. Quamnam autem certitudinem nata sint hujusmodi decreta, mentibus fidelium inferre, et stabilire, ex dicendis de Ecclesiâ innotescet.

§ 29.

Quartæ deniquè classis *veritates theologicæ* vocantur, quæ per varias consecutiones ad illustranda fidei dogmata ex principiis revelatis eruuntur. 1° Quæcumque connexionem habent necessariam cum dogmatibus fidei *mediatè aut virtualiter revelatæ* in scholis inaudiunt. 2° Quæ verò per se ipsis dogmatibus jam insunt et inhærent, atque cum iis per æquivalentem sensum revelantur, licet disertis verbis non exprimantur, implicitè revelatæ dicuntur § 19. 3° Aliæ quoque veritates theologicæ sunt, quæ non proximè, sed remotè tantùm, scilicet per longiora, sive certa, sive probabilia ratiocinia ex revelatis eliciuntur 4° Quæ demùm in revelato Dei verbo non aliter, quàm in sensu solùm adiaphoro et accommodatitio fundantur, ad quæstiones merè scholasticas amandantur. Hinc etiam jure secludimus è numero de necessitate credendorum, quidquid theologorum tantummodò consequiis et rationibus fulcitur, ex quo patet, longè pauciora esse fidei dogmata, quàm multi passim, et perperàm opinantur. Conferri hìc possunt, quæ in præfatione jam dicta sunt.

§ 30.

Porrò ut stabilitis hucusque principiis majus addatur pondus et robur; planiorque via sternatur ad regulas fidei speciales, id unum adhuc philosophico, ut aiunt, hocce seculo necessariè investigandum censeo, quid nempe in salutis negotio valeant *ratio et auctoritas*. At quoniam hâc in re jamjam copiosam, eamque exactissimam navavit operam celeberr. Muratorius l. 1 de Ingen. mod. à cap. 3 usque ad cap. 13, quæ legi ex integro merentur; hinc pauca exinde colligere, atque extremis tantùm labiis delibare sufficiat.

§ 31.

Rationis nomine hoc loco intelligimus vim et lumen intellectûs ad dignoscendum verum et falsum, bonum et malum. Auctoritatis vocabulo vim illam significamus, quam habet ad aliquid persuadendum alterius narratio, et fides, verbis, aut scriptis menti nostræ communicata. Quò firmiora sunt hæc fundamenta, eò fortiùs veritas stat illis innixa, et clariùs effulget, et faciliùs persuadetur. Utraque autem tam ratio quàm auctoritas ad persuadendam religionem veram collatis signis, quanquàm diverso pondere, conspirant.

§ 32.

Inprimis negare neutiquàm possumus quin humana ratio semina quædam contineat veri et boni insita ab ipsâ naturâ; nam et nullo docente pueri se sentire malè facta pudore testantur, et dolent se fuisse deceptos. Excitatis in homine istis boni et veri seminibus, ac ideis, progredi multùm potest, quamvis plurimis morbis laboret, humana ratio, cujus progressus tot sunt exempla, quot veterum philosophorum exstant sana juris naturæ principia litteris consignata. Nimirùm solo rationis lumine ducti illi in plurima penetrârunt, quæ certissima esse, lux melior subinde nobis patefecit.

§ 33.

Quantùm etiam ponderis habeat auctoritas in usu vitæ nemo non sentit. Si enim nihil aliud credere, quàm quod ratio in se invenit, animum induceremus, magna non solùm humanæ scientiæ, sive eruditionis portio periret, sed etiam infinita homini atque hominum regimini impenderent incommoda. Aliorum ergo narrationibus et fidei, fidem habeamus oportet, nisi inter somnia computare velimus, quidquid habent libri et fama de præteritis seculis, imò et de præsenti ævo : quod profectò non faciet, nisi verus somniator, et amens. Duplex autem auctoritatis est genus : altera à Deo est, altera ab hominibus; illa nunquàm, ista sæpè ac sæpiùs fallax; unde inter prima rationis evidentissima illud omnium consensu præcipuè probatur : *certissimum esse, verum, et inconcussum, quidquid revelat ac narrat prima veritas Deus.* Etenim, ut aiebat Salvianus, l. 3, *Dei sermo ipse sibi testis est, quia necesse est, quidquid incorrupta Veritas loquitur, incorruptum sit testimonium Veritatis.*

§ 34.

Ut autem hominum est falli et fallere, decipi et

decipere, ita eorum auctoritati non continuò fidendum. Hic ratio, sivè prudentia advocatis experientiæ, criticès, et aliarum disciplinarum in suam opem documentis feliciter ostendere potest, ac solet, quando neganda, quando habenda sit fides hominum dictis. Ad ipsam quoque rationem pertinet expendere, an fallantur, aut fallant homines, quùm voce, aut scriptis aliquid referunt ac nuntiant tanquàm à Deo revelatum et proditum; tunc enim non in Deum, qui æternum est verax, sed in hominem, qui facilè vel propter ignorantiam, vel propter improbitatem, est fallax, prudens dubitatio nostra atque suspicio convertitur. Quam ob rem sapientissimè Joan. Apostolus in Epist. 1, 4, suis discipulis injungebat, ne cuicumque crederent divina dogmata sè afferre dicenti : *Nolite, inquit, omni spiritui credere, sed probate spiritus. si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Præterea, quùm falli ac fallere possint homines in intelligendâ, exponendâ, interpretandâ auctoritate, quam alioquin divinam meritò credant, hinc est quòd iterùm consulenda sit ratio, ut percipiatur an hìc homines errent. Statuendus itaque videtur hic ordo: Primò quærendum an rectæ rationi adversetur religio, quam quisque amplecti vult. Si adversatur, planè de ipsius veritate non solùm dubitandum est, sed in ipsam protinùs dicenda sententia. Si nequaquàm repugnat, quærendum secundò, num à Deo processerit, an verò ab hominibus tantùm, hoc est, utrùm divinâ, an humanâ auctoritate inducta sit illa Religio? Si homines solos auctores habuit, de ipsius veritate dubitari debet; sin Deum, nulla dubitatio occurrere potest, quin vera sit; siquidem divina auctoritas supra omnem rationem valet, atque ab omni fallaciæ suspicione immunis est, § præc. Adhuc tamen inquirendum restat tertiò, an quæ Deum tradidisse credimus, rectè à nobis intelligantur et exponantur; quod ubi præstiterimus ratione duce, et regulis tutioribus à Deo præscriptis, tum necesse erit conquiescere, ne inconsultis ratiociniis nobis majoris periculi simus auctores.

§ 35.

At hìc gravissima exurgit quæstio : quænam sint regulæ ipsâ ratione tutiores, et à Deo præscriptæ? dico inprimis : *auctoritas;* videlicet argumenta credibilitatis, hâc enim, et non aliâ viâ ipse Christus homines ad se pertraxit, nihil prius, nihil fortius exigens, quàm ut sibi crederent, quùm tamen illi nondùm essent idonei ad divina percipienda mysteria et dogmata, quæ vim et captum intellectûs humani excedunt. *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est, alioquin propter opera ipsa credite.* Joan. 14. Nec secùs ad nostra usque tempora actum fuit in Ecclesiâ Catholicâ; et porrò secùs agere periculosum foret, aut certè exiguum afferret fructum. Prævìis igitur argumentis efficacibus credibilitatis movebantur infideles ad credendum, veram esse Christi religionem; *et hoc factum est,* inquit S. Augustinus, de Util. cred., c. 9, *divinâ sic ordinante providentiâ per Prophetarum vaticinia; per humanitatem doctrinamque Christi; per Apostolorum itinera; per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes; per sanctorum prædicabilem vitam; atque in his universis, digna rebus tantis, atque virtutibus, pro temporum opportunitate, miracula.* En argumenta, en rationes, quæ ab infidelibus fidem impetrabant, priusquàm certâ et internâ cognitione intelligerentur omnia divinæ legis documenta atque mysteria. Sed quid ad hæc ratio contulit? numquid hìc omninò otiosa fuit? minimè gentium. *Ipsa namque animæ medicina, quæ divinâ providentiâ, et ineffabili beneficentiâ geritur, gradatim, distinctèque pulcherrima est. Distribuitur enim in auctoritatem et rationem. Auctoritas fidem flagitat, et rationi præparat hominem; ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quanquàm neque auctoritatem ratio penitùs deserit, quùm consideratur cui sit credendum, et certè summa est ipsius jam cognitæ atque perspicuæ veritatis auctoritas.* S. Aug. de verâ Rel., c. 34. *Absit ergo ut ideò credamus, ne rationem accipiamus, sive quæramus; quùm etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondùm percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides præcedat rationem, quâ cor mundetur, ut magnæ rationis capiat et perferat lucem : hoc utique rationis est.* Idem S. doctor, in ep. 120, c. 1, al. 222. *Naturæ quidem ordo sic se habet, ut, quùm aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas : nam infirma ratio videri potest, quùm reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, adsumit : sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sanctitatique rationis aspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrimè comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem, et veluti ramis humanitatis opacatam înducat auctoritas.* Lib. de Moribus Eccl. cap. 2.

§ 36.

Quoniam verò, pergit I. c. Aug. pugnans contra Manichæos, *cum iis nobis res est, qui omnia contra ordinem et sentiunt et loquuntur, nihilque aliud dictitant, nisi rationem prius esse reddendam : moram illis geram, et quod fateor, in disputatione vitiosum esse, suscipiam.* Ratione igitur quæremus, quid verum sit. Sunt autem regulæ quædam, per quas ad sciendum ac prudenter credendum in hâc vitâ perduci possumus, ac solemus. Permultà ex his aut naturæ lumine, aut consensu hominum tum doctorum, tum indoctorum per omnes terras ita sunt pervulgata ac probata, ut nemo sanæ mentis aut ignoret, aut neget, aut auditis consentire nolit. Quùm ergo certum quoddam genus hominum rationem audiri petat, audiamus. Fatetur inprimis, aut, velit nolit, fateri debet sequentia axiomata.

§ 37.

I. *De quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est.* Tullius, l. 1 de Naturâ Deorum. *Omnium consensus naturæ vox est.* l. 1. Tuscul. *Apud nos argumentum veritatis est, aliquid omnibus videri.* Seneca.

II. *Existit prima aliqua omnium rerum et causarum*

causa, Deus, cujus bonitate existentiam accepimus; in cujus manibus sortes hominum collocatæ sunt, et sine quo beati esse non possumus. Debetur igitur cultus, et amor supremo Numini, qui ipsi placet, et quem nobis manifestavit. Cetrum enim, verum et inconcussum est, quidquid revelat ac narrat prima veritas, etc.

III. Suis itidem legibus prudentia regitur, quas unusquisque probat, quales sunt : *Credendum est, verè contigisse, aut fuisse, aut esse aliquid, quùm id ab omnibus narratur, qui recti judices eâ in re esse potuerunt, et quos nulla verisimilis ratio aut errâsse, aut imponere voluisse persuadet.*

IV. *Omnis liber est genuinus, qui talis habetur ab omnibus, proximè, et continuatâ serie sequentibus eum ætatibus.* Hoc axioma, inquit illustriss. Daniel Huetius Demonst. evang., pag. 12, si quis vocaverit in controversiam, jam certum nihil habebitur in litteris. Atque eodem teste hoc ipso axiomate pugnabat S. Augustinus contra Faustum, c. 6, adulteratas esse novi Testamenti libros fingentem. Verba hæc sunt : *Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aliorumque ejusmodi auctorum libros unde noverunt homines, quòd ipsorum sint, nisi eâdem temporum sibi succedentium contestatione continuâ?*

V. *Omnis historia est verax, quæ res gestas ita narrat, uti narrantur in libris coætaneis, vel ætate proximis, quâ res gestæ sunt.* Hoc pronuntiato et superiore, pergit Huetius, tota nititur historiæ fides, totius antiquitatis memoria : veracis enim historiæ indicium est, si de rebus iisdem omnes eadem dicant et scribant.

VI. *Jam verò talis liber est Scriptura utriusque Testamenti. Consentiunt Scriptores coævi, suppares, et posteri, inimici, amici, ethnici, Judæi, et quotquot christiano nomine censentur.*

VII. *Dei sermo sibi ipsi est testis, quia necesse est, quidquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.* Id est : Vera religio revelata necessariò notis quibusdam prædita esse debet, ut ritè agnosci, ab impostorum fraudibus, et à revelationibus falsis distingui valeat. Et profectò tantus signorum rationumque concentus in christianam religionem confluit, ut illam nisi impudenter negare nequeas à Deo constitutam. Etenim ejus fundator Christus compluribus prophetarum oraculis prædictus antea fuerat, eaque prostant in libris, quos Judæi, inimica Christianorum natio, à tot seculis venerantur. Accedunt planè cœlestis vita ac mores Christi, et manifesta atque innumerabilia miracula, quibus tum ille, tum ejus sectatores virtute ab ipso accepta istius religionis veritatem confirmârunt. Ad hæc puritas et sanctitas dogmatum, legumque ad mores spectantium rectitudo, quibus nulla alia religio, æquè ac christiana, homines ad cuncta virtutum officia impellit, atque à terrenis ad cœlestia et spiritualia perducit, docetque non solùm credere digna de Deo, sed etiam dignè colere Deum optimum maximum. Præterea non ad instituendum commodum, aut emolumentum, et gloriam proposita fuit; non vi propagata per totum fermè terrarum orbem, sed ab idiotis viris primùm deprædicata, tum immenso rationum pondere, tormentorumque incredibili tolerantiâ à doctissimis viris, fortissimisque martyribus propugnata fuit : quibus tametsi ardua quædam rationi humanæ proponentibus, et voluntati non sensuum oblectamenta, voluptatesque, sed legem crucis, excidiumque cupiditatum indicentibus, nihilominùs tandem cessit non paucorum Judæorum pertinacia, et immanis aliorum populorum numerus.

VIII. *Ex his veræ Ecclesiæ notis præ cæteris eminent: doctrinæ revelatæ sanctitas; miracula non qualiacumque, sed indubitatis vestita characteribus; et prophetiæ eventu expletæ, quæ à solo Deo dependent. Præcipuè verò series miraculorum et prophetiarum in confirmationem religionis christianæ certissimum et indubitatum suppeditat testimonium divinitatis et veritatis doctrinæ fidei et morum, in Scripturis sanctis contentæ.*

IX. *Firmissimè adeòque credenda sunt quæcumque verè et evidenter sacris iis in libris habentur, et nihil credendum, quod iis verè et evidenter adversetur.*

§ 38.

His porrò approbatis ad ulteriora progreditur ratio, et quid reapsè divinis in litteris tradatur, et quid iisdem repugnet, inquirit. Sed hìc titubare incipit infirma potentia, nodum et saltum videns. Profectò nisi homo cæcâ temeritate agatur, et monita prudentiæ flocci pendat, hìc subsistat, necesse est. Nam primò quâ ratione certò sciat quæ sint Scripturæ divinitùs traditæ, quùm de legitimâ quarumdam origine dubitari et disputari intelligat? quâ ratione deinde sibi polliceatur se in legitimos omnes sacrorum librorum sensus ingressurum, quando in tot impedimenta impingit, quando tot obscura et in speciem contraria occurrant, in quibus aut facilè falli potest, aut judicium saltem suspendere cogitur? quid hìc faciat? quò se vertat humana ratio de inveniendâ veritate, vitandoque errore sollicita, quoties in hâc ipsâ religione revelatâ tot sectas recogitat, quarum quælibet sibi veram Christi hæreditatem tribuit, cæteris improbatis, et falsi postulatis? Apud singulas equidem Evangelium regnat, Christi, et Scripturæ nomen cum veneratione sonat; cæterùm in doctrinâ Christi et Scripturarum sensu explicando mirum est, quantâ opinionum varietate et dissensione inter se digladientur. Nullus controversiarum est modus; unusquisque enim facilè in suo sensu abundat, et opinionibus anteceptis in transversum rapitur, et aut novitati, aut suis cupiditatibus studet, sive etiam totam operam in suo cœtu potiùs, quùm in ipsâ veritate tuendâ incautùs impendit. Neque mentiri nos sinit ipsa experientia. Meridiano sole clarius est, ab ipsis christianæ religionis incunabulis ad nostra usque tempora viros eruditione et ingenii acumine præstantissimos in interpretandis sacris litteris, atque in statuendis earum ope gravissimis christianæ fidei dogmatibus toto inter se cœlo dissensisse, et adhuc dissentire, nullamque esse tam impiam hæreticorum sententiam, quam non ipsi sibi

videantur ex divinis litteris depromere, atque inde confirmare. A recensendis tot monstris in varias religiones invectis abstineo. At unde tanta errorum silva excrevit, totumque ferè mundum invasit? Quæ causa tam miserandi excidii, nisi ipsissima humanæ rationis infirmitas, errandique facilitas memoriæ exilitate, phantasiæ impotentiâ, affectuum impetu, voluntatis perversâ indole, ignorantiâ, oblivione, et pravâ principiorum electione; aliisque causis omni ævo contestata. Et tamen superba hominis mens, atque natura cùm in agendo, tum in sentiendo alienum imperium detrectat, suum tantummodò amat, ac proinde, quod in aliis falsitatis postulat, in se ipso tanquàm regulam veritatis approbat, quasi verò minùs fallat propria, quàm aliorum ratio. Misera sanè ratio! quæ divinæ veritatis oracula ad suum duntaxat tribunal vocat; et, nisi libertati agendi sentiendique licentiæ arrideant, negligit, contemnit, aut in alienum sensum proprio marte detorquet. Misera sanè religio! quæ tam labili nititur fundamento. Quis igitur, nisi superbus aut imperitus, illam non adoptet regulam, *difficillimum* nempe *esse humanæ rationi viribus assequi propriis, quæcumque dogmata verè habeantur in Scripturis divinitùs traditis, quæve ipsis repugnent?*

§ 39.

Restat igitur, ut aliâ tutiori viâ hominum necessitati Deus ter optimus maximus consuluerit, aliudque visibile tribunal constituerit, à quo fideliter divinarum Scripturarum mysteria explicentur, fideique christianæ atque orthodoxæ veritas perpetuò custodiatur. Hoc autem tribunal nullum aliud esse potest, quàm quod ipsa divina Veritas in verbo suo revelare dignata est; atqui nullum aliud tribunal, nullum alium infallibilem controversiarum judicem in verbo revelato providentissimo Numini constituere placuit, quàm Ecclesiam *quæ est columna et firmamentum veritatis*, 1 Timoth. 3, et *in quâ*, ut ait idem doctor gentium, Ephes. 4, *posuit Deus doctores, pastores, prophetas, et Apostolos ad consummationem sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, et mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Alios sacrarum litterarum textus vide § 10. Ubi ergo ex aperto Scripturarum testimonio cognoveris, Ecclesiam à Christo fundatam fuisse, et nunquàm inferorum machinas contra eam esse prævalituras; ipsam perpetuò duraturam: S. Spiritum, Spiritum nempe veritatis, ei perpetuò adfuturum; si Christo fidem habere tibi animus est, continuò hinc sequi intelligas, te eò tutiùs ad veritatem accessurum, quò arctiùs hujus Ecclesiæ declarationes amplectaris. Si enim æternum duratura est Ecclesia, quæ sanctissimæ istius religionis sit custos, necesse sit etiam, ut ibi æternum veritas duret, et vera, non falsa, dogmata tradantur. Nam si Ecclesia errorem in dogmate rebusque fidei crederet, aliosque doceret, jam vera Christi veracis desineret esse Ecclesia, quod tamen fieri nunquàm posse, ex verbo Dei manifestè constat omnibus verè Catholicis, qui Dei vocem per Ecclesiam auscultare malunt, quàm juxta gradus proprii et privati spiritûs cum illis dimetiri qui defecerunt scrutantes scrutinio rationis.

§ 40.

Neque ulla rationi rectæ infertur injuria, omnium enim potentissima est ratio ista, videlicet: *Eidem tutè, ac sine dubitatione credendum esse, qui neque falli possit, neque fallere velit, cujusmodi esse constat veram Christi Ecclesiam, quùm de christianæ veritatis doctrinâ fidem facit.* Quàm frustra nos veluti mancipia arbitrantur, usumque rationis abjecisse dictitant Acatholici; nam præter rationes præcipuas, quibus vel sepositâ Ecclesiæ auctoritate singula catholicorum dogmata Scripturarum, aut traditionis testimonio confirmantur, nos ipsa ratio docet, nunquàm magis pollere mentem nostram, et ratione uti in judicando vero, quàm quando se judiciis Ecclesiæ accommodat, quæ à Deo habet, ne unquàm in dogmate fallatur et fallat. Catholici itaque non secùs ac Acatholici divinis Scripturis et rationibus in fidei doctrinâ stabiliendâ sive credendâ utuntur; sed hæc inter utrosque differentia intercedit: Acatholici divini verbi sensum, et religionis dogmata metiuntur è privato cujusque ingenio, uti ratio in consilium adhibita unicuique persuaserit, judicem scilicet, et consiliarium in re tanti momenti sibi adsciscunt infidelem, atque infirmum, uti quotidiana experientia docet, satisque testantur ferventes inter ipsosmet de symbolicis dogmatibus controversiæ, frequentesque eorumdem dogmatum mutationes. Catholici verò ingenium suum, si fortè ab Ecclesiæ judicio dissentiat, consilio utique saluberrimo silere malunt, quàm loqui; quippe non fallacem, sed certissimum judicem à Christo ad dirimendas controversias datum fuisse, persuasum habent; unde concludo cum S. Augustino, l. 4 de Trinit. c. 6, *contra rationem nemo sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.*

REGULÆ FIDEI SPECIALES.

Ex parte I. isagogicâ Theologiæ dogmaticæ.

DE FONTIBUS REVELATIONIS.

§ 41.

Alteram susceptæ tractationis nostræ partem de regulis catholicæ fidei specialibus attingentes, quibus tanquàm immoto et inconcusso fundamento nituntur, quæcumque fide divinâ credenda sunt nobis: neutiquàm intendimus, prolixam admodùm de his disputationem adornare, aut singula depromptis undequaque argumentis nervosiùs explanare; sed solùm quid hàc in parte de fide sit et non sit, breviter indicare animus esto. Porrò quùm fidei divinæ unicum fundamentum ex § 6 dignoscatur revelatio, eaque nonnisi in verbo Dei tam scripto, quàm tradito, et ab Ecclesiâ proposito inveniatur § 10 et seq.; hinc missis ambagibus tres

tantummodò fontes necessarios, qui cum scopo nostro magis concordant, perpendendos suscipimus : 1° videlicet sacram Scripturam ; 2° Traditionem divinam, quæ eamdem cum verbo scripto auctoritatem sibi vendicat ; et 3° Ecclesiam, quæ veram Scripturam et traditionem tanquàm adæquatas omnium credendorum dogmatum regulas nobis duntaxat proponit, declarat et applicat, dùm judicis officio fungitur, atque juxta hasce regulas à Deo constitutas in rebus fidei et morum, decretoriam eamdemque infallibilem fert sententiam, § 39. Ad Traditionem simul revocantur Symbola fidei et auctoritas Patrum. Ad Ecclesiam verò reducuntur concilia generalia et particularia ab Ecclesiâ universim acceptata, etc., etc. Hunc igitur in finem juxta memoratam divisionem tres hæc pars sectiones comprehendet.

Sectio prima.

DE SACRA SCRIPTURA.

CAPUT PRIMUM.

Veritates revelatæ Religionis christianæ potissimùm in iis libris continentur, qui à Christianis Sacri dicuntur.

§ 42.

Deum olim multifariàm multisque modis locutum esse Patribus nostris in Prophetis, et singulariter in Mose, ac tandem in plenitudine dierum in Filio suo unigenito Jesu Christo, per omnia veritatis criteria contra omnis generis incredulos invictissimis argumentis demonstratum iverunt eruditissimi religionis nostræ vindices, quorum sat amplum catalogum refert Eximius P. Engelbertus Klupfelius Theol. dog. in Prolegom. ad relig. Christ. Præcipui, quos ego novi, sunt : Eminent. Ludov. Vinc. Gotti Veritas religionis christianæ ; illustr. Petri Danielis Huetii Demonstratio evangelica ; Joannis Hocke Principia rel. nat. et revel. ; Nonote ; Bergier ; Storchenau ; Benedicti Stattler Demonstratio evangelica ; Stephani Wiest Demonstratio religionis christianæ et catholicæ, tom. 2 et 3 Institut. Quà de re falcem in alienam messem mittere eò minùs consultum videtur, quò magis ab instituto meo alienum dixi, § præc., opus hoc magnificum ex professo copiosiùs pertractare. Ne tamen hanc summi momenti materiam omninò intactam reliquisse videar, breve quoddam systema absque magnâ difficultate elaborandum exhibeo.

§ 43.

Existit Deus, seu Ens summâ sapientiâ, bonitate, justitiâ præditum, idem auctor et conditor universi, liber in creando, providus in conservando, ens sibi sufficientissimum, necessarium, independens, optimum, perfectissimum.

§ 44.

Ens optimum et perfectissimum nonnisi optimam pariter ac perfectissimam agendi rationem tenere potest, ac debet ; sed ad perfectissimam agendi rationem requiritur finis agendi optimus ac perfectissimus ; porrò finis perfectior excogitari nequit, quàm Deus ipse ergo Deus condendo universa alium sibi finem statuere, aut aliam agendi rationem admittere non potuit, nisi semetipsum ; et quod consequitur : Deus ipse hominum ac rerum omnium finis primus et ultimus est. Per finem etenim hominis intelligitur id, cujus gratiâ homo et existit, et operatur : existit autem à Deo, et quidem non in alium finem, nisi propter quem Deus ipsum producere voluit : atqui entis perfectissimi ratio volendi non potuit non esse perfectissima et optima ; igitur etiam finis, ad quem homo creatus est, debet esse summè bonus, et summè perfectus : sed summa hæc bonitas, atque perfectio, quùm in vastissimo creaturarum regno haud inveniri possit, hinc eam in ipso Creatore quærere necesse est ; ita ut Deus non solùm principium, verùm etiam finis ultimus, seu summum hominis bonum, summa hominis felicitas sit, et unicè esse queat. Et profectò ea est omnium mortalium conditio, ut ad sublime constantis et perpetuæ felicitatis fastigium assurgere magnis continuò passibus omnes desiderent, nullumque ita ferreum invenire sit, qui se beatè vivendi cupidine vehementer impellî non sentiat. Quis verò felicitatem hanc non illius beneficio acquirendam sperat, cujus bonitate suam existentiam accepit, et in cujus manibus sortes hominum collocatæ sunt ? Sed si cujusdam supremi entis nutibus omnia parent ; si anima nostra post terreni corporis interitum beata esse concupiscit ; si beatitas ista ejusdem Numinis bonitati in acceptis referenda venit, nemo profectò erit, qui hoc Numen sibi perfecto obsequiorum, cultûs, et amoris genere devinciendum esse non judicaverit.

§ 45.

Hinc apud omnes gentes invaluit, ac confirmata viguit sententia, Deum cultu supremo esse honorandum. Duplex verò cultûs genus ipsa natura rationalis, et sensus intimus præscribit, internum scilicet, et externum. Totus nimirùm homo Deo subjicitur, nosque ab illo non minùs quoad corpus quàm quoad animam dependemus : ergo utriusque subjectionem ac dependentiam actibus humanis testatam facere necesse est, etc. Ex hoc cultûs recensiti munere naturalis religio nascitur, utpote quæ in ipso cultu amoris, obsequii, ac servitutis Numini præstando ; aut, si mavis, in complexu omnium officiorum requiescit. Utut tamen religio isthæc, quæ solis naturalis intelligentiæ principiis regitur, vera sanctaque sit, nihilo seciùs pro præsenti hominum statu, et singulis officiis cognoscendis minimè sufficit. Ratio quippe naturalis sibi relicta nonnullas veritates ad completam religionem pertinentes non nisi difficillimè, quasdam verò nullo prorsùs conatu perspicere potens est ; unde fit ut religio naturalis nec maximæ hominum parti accommodata sit, nec à solâ acutissimâ philosophiâ, in tot errorum monstra prolapsâ, obtineri valeat : ergo religio naturalis minimè sufficit, etc, etc.

§ 46.

Ad hunc infirmitatis humanæ defectum supplendum clementissimus Deus pro suâ perfectissimâ agendi ratione ; benevolentiâ in creaturas rationales, altissimoque creationis fine et potuit et voluit omni tem-

pere succurrere revelationis cujusdam convenientis auxilio, etc., etc. Sive enim spectemus ipsummet Deum, sive naturam humanam consideremus : nihil se nobis offert, quod obstet, quominùs Deus infinità suà potentià, et liberrimâ voluntate hominibus manifestare possit voluntatem suam ; atque in spiritibus finitis producere notitiam earum rerum, quas sciri ab ipsis, fierique cupiat, quos condidit (1).

§ 47.

Restat igitur id unicè investigandum, utrùm, et quomodò divinæ misericordiæ placuerit religionem naturalem religionis revelatæ auxilio uberiùs illustrare? Recurrimus hìc ad quæstiones facti, quæ etsi non aliis argumentis contra revelationis hostes demonstrari possint, quam moralibus, tantam tamen certitudinem inducunt, ut nulla major desiderari queat. Si enim existit revelatio, atque in omni mundi epochâ reverà exstitit, quis, quæso, deinceps de ipso divinæ misericordiæ beneplacito ambigere poterit? Atqui ita planè res se habet in hoc negotio, quod ostenditur primò ex monumentis omnem fidem merentibus. Vid. § 36. Secundò ex criteriis, notis ac characteribus veritatis evidentibus, quibus infinita Dei bonitas religionem suam revelatam à spuriâ secernendam adeò conspicuam reddidit, ut impostorum fraudibus omnis via præcludatur, sub specioso cœlestis revelationis prætextu populos decipiendi. Hæc inter criteria primum locum obtinent doctrinæ revelatæ sanctitas, vaticinia et miracula ; quibus destitutæ sunt revelationes, quas paganorum et Mahumedanorum religio in vanum jactitat, etc., etc.

§ 48.

E contra iis præditæ sunt revelationes religionis hebrææ, quæ in libris veteris Testamenti, cumprimis in Pentateucho continentur. Revelationibus religionis hebraicæ uberior successit, pleniorque revelatio, quàm per Jesum Christum factam fuisse demonstrant pariter miracula tum ab ipsomet novi fœderis institutore, tum à discipulis in ipsius doctrinæ confirmationem patrata : vaticinia, doctrinæ, et vitæ sanctitas : stupenda superatis omnibus difficultatibus propagatio § 36, axiom. 7, etc. De hâc Christi atque discipulorum doctrinâ plurima fuerunt litteris consignata, quædam verò universali Ecclesiarum traditione manifestata ad nos pervenerunt; Scriptura itaque vet. et novi Test. unà cum traditione fontes sunt, ex quibus totam revelationis seriem haurire oportet ; unde libri quibus sive Judæi, sive Christiani inprimis utuntur ad comprobanda confirmandaque religionis dogmata communi Scripturæ sacræ nomine appellantur. Definitur proin Scriptura sacra : *Collectio librorum, queis doctrina salutaris ad religionem pertinens à Deo per prophetas, Apostolos et Evangelistas nobis tradita est.* Jàm verò, præmisso stabilitoque hoc systemate, evidenter elucet veritates revelatas christianæ religionis potissimùm in istis libris contineri ; quòd, dùm Ecclesia catholica tam dispersa, quàm in conciliis congregata nobis proposuit, fide non solùm certâ, sed etiam divinâ et catholicâ ab omnibus credendum

(1) Duplex me hìc movet ratio cum clarissimis viris, et religionis revelatæ defensoribus, ne ex insufficientiâ religionis naturalis statim inferam necessitatem religionis revelatæ. 1° Quia hæc via et brevior, et securior videtur ; quid enim juvat cum revelationis hostibus longâ serie de necessitate religionis revelatæ disserere, si interea ipsa revelationis existentia ostendi potest? quid juvat, inquam, nisi quod hâc agendi methodo adversariis ampla præbeatur occasio, litem sine fine protrahendi, varias difficultates proferendi, aut tandem omninò scopum argumentationis eludendi? 2° Quia adeò evidenter non constat, ut multi arbitrantur, debitam esse hominibus revelationem. Quanquàm enim divina, et supernaturalis revelatio necessaria nobis sit, non tamen sequitur ex hoc solo, eam esse factam, quemadmodùm enim Deus pluribus, et populosis nationibus illam diù denegavit, imò et adhuc nonnullis, quibus Evangelium nondùm prædicatum est, justè denegat, ita ex justitiæ suæ rigore eamdem potuisset toti generi humano culpa originali infecto, nunquàm concedere. Ita, ne videar solus in arenâ stare, aut contra torrentem navigare, sentiunt Gazzaniga part 1, Theol. dog., c. 8, § 55, Wiest, tom. 2, § 46 et seq.

CAPUT II.

Quid sit de inspiratione integræ S. Scripturæ credendum ?

§ 49.

Fuerunt ex Protestantium cœtu benè multi, atque in iis maximè Episcopius, Salmasius, Capellus, Millius, M. Ant. de Dominis, Spinosa : qui tametsi scriptores sacros utriusque Testamenti à Deo inspiratos agnoscant in rebus sacris, et ad religionem stabiliendam necessariis conscribendis ; minimè tamen in aliis ad humanam historiam, scientiasque naturales attinentibus, quas ex occasione attingunt : adeò ut in iis scribendis suo ipsorum genio relicti sæpiùs aberraverint. Nec novus hic error est, jam ab Anomœis, teste Epiphanio hæres. 76, adoptatus ; à sanctis verò Patribus et Ecclesiæ doctoribus strenuè et constanter, si paucos excipias, profligatus. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? aut quis consensus templo Dei cum idolis?* id est, veritati cum mendacio? 2 Corinth. 6. Et sanè arrepta semel hâc licentiâ illud in Scripturis sacris repudiandi, quod ad fidem religionemque non pertinere putatur, nihil erit, quod à malevolis et incredulis non possit eodem prætextu explodi ; unde nihil christianæ religioni perniciosius fingi posse existimavit S. Augustinus in ep. 28 ad S. Hieron., c. 3, scribens : *Mihi videtur exitiosissimè credi.... eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est atque conscripta, aliquid in libris suis fuisse mentitos... nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non, ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium, officiumque referatur.* Et verò cur Theistæ non pauci tantoperè elaborant in erroribus chronologicis, historicis, geographicis, etc., in S. Scripturâ detegendis, nisi ut per istos sacris scriptoribus etiam in divinis revelationibus referendis fidem eripiant?

§ 50.

Ex modernis Protestantibus plerique, quantùm scio, qui nondùm ad castra Socinianorum et Theistarum transiêre, cum Catholicis de re præcipuâ, videlicet de aliquâ quâcumque demùm sacrarum Scripturarum divinâ inspiratione consentiunt, omnemque in vindicandis à falsitatis et erroris periculo sacris scriptoribus lapidem movent. È contra non una, eademque est inter ipsos quoque Catholicos de inspirationis ratione et modo sententia. Patres quidem, et antiqui theologi de inspiratione agentes plerumque simpliciter docent, sacros libros inspiratos esse, quin tamen hujus inspirationis modum et gradum exactè determinent; at inde à seculo XVI, cœperunt varii inspirationis gradus distingui, queis Deus mentem Hagiographorum afficere solet. *Primus est revelatio*, seu manifestatio rei antea ignotæ omninò divinitùs facta, quâ sacer scriptor ea percipit, quæ aliunde penitùs nescit. Sic Isaias, c. 45, revelatione divinâ noverat, Cyrum aliquando fore populi Israelitici liberatorem. *Secundus*, *peculiaris instinctus*, seu internus animi motus à Deo in scriptore excitatus, vi cujus ad ea conscribenda animatur, quæ Deus vult ut litteris consignentur. Hoc autem denuò diversimodè contingit : 1° in dogmatibus fidei et morum; in vaticiniis, legibus, præceptis, et factis jam antea revelatis; 2° in historiis variisque rerum circumstantiis referendis, quæ scriptores vel per seipsos didicerunt, vel ab aliis acceperunt. *Tertius*, *specialis assistentia*, sive præsentia, quâ Spiritus sanctus scriptorem ita dirigit, ne in errorem incidat, quùm ea quæ aliunde jam noverat, litteris mandat. Hâc in re Spiritus S. duo ista scriptoribus præstat : 1° Fixam tribuit constantem, et erroris nesciam voluntatem vera narrandi; 2° eo lumine perfundit, ut in iis, quæ propriis sensibus perceperant, congerendis, neque oblivioni, neque errori obnoxios unquàm fieri contingat. His jam prænotatis sequentes statuo canones.

§ 51.

I. *In libris sacris et canonicis contineri doctrinam à Deo per prophetas, Apostolos, Evangelistas, aliosque hagiographos revelatam; atque hoc præcipuè sensu S. Scripturam esse propriè Verbum Dei, veritas divina et catholica est*, cap. præc.

II. *Illud solum ex libris divinis fide divinâ credendum est, quod tanquàm doctrina revelata refertur*, § 4, 6.

III. *Fide quoque divinâ credenda sunt, quæ jam antea revelata fuerunt, licet postmodùm sacri Scriptores vel propriis sensibus se ea percepisse, vel ab aliis fide dignis audivisse testentur.* Id genus veritates passim occurrunt apud Matthæum et Joannem, qui dictis et factis Christi præsentes aderant; aut in Marco, qui didicit à Petro quid Christus gesserit, dixerit; necnon in aliis hagiographis. Quamvis igitur Joannes Christum morientem viderit, et ideò ad id scribendum novâ revelatione non indiguerit, est tamen et hoc factum revelatum, quia jam antea à Prophetis, et ab ipso Christo prædictum fuisse constat.

IV. *Libri etiam historici Spiritu Dei pleni sunt.* Præter plurima etenim miracula divinâ virtute patrata prorsùs singularis Dei providentia, benevolentia, et protectio populi electi ex iisdem relucet; manifestatur clariùs unius veri Dei cultus; annuntiantur vitia et virtutes; harum utilitas et necessitas, illorum verò abominatio, et pœna ostenditur, etc., varia denique in hisce libris, fidei et morum dogmata revelantur. Adde quòd veteris Testamenti facta quandoque ita cohæreant, ut nullum excludi possit, quin labefactetur veritas vaticiniorum, quæ non nisi ab eventu historico rerum prædictarum demonstratur. Quomodò enim, v. gr., Christum ex Davidis progenie juxta prophetarum fidem, natum certò scimus, si regum historiæ, et genealogiarum, quæ in Paralipomenis et alibi recensentur, veritas impugnetur?

V. *Facta verò, quæ nec antea, nec in actuali scriptione revelantur, fide divinâ propriè non sunt credenda;* confer. num. 2. Revelatio quippe strictè sumpta est veritatis priùs ignotæ manifestatio divinitùs facta : porrò licet illâ revelatione scriptor sacer indigeat, quùm agitur de mysteriis annuntiandis, rebusque supra humanam intelligentiam positis, ea tamen non fuit necessaria ad scribendam historiam, aliaque, quorum accuratam cognitionem vel à seipso, vel à testibus fide dignis hauserat. Quod autem non est revelatum, non est divinâ fide credendum; atqui multa ejusmodi sunt non revelata : v. gr., Pilatum tunc fuisse Judææ præfectum, quando Christus crucifixus est : illud Ep. 2 Timoth. c. 4 : *Lucas est mecum solus.... Tychicum misi Ephesum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum; et libros, maximè autem membranas*, et alia sexcenta; unde hæc non fidem divinam, sed purè catholicam faciunt. Auctores igitur sacri non habuerunt in omnibus revelationem, benè verò eam inspirationem divinam, quâ interiùs permoti ad scribendum, peculiari assistentiâ, sive præsentiâ Spiritûs S. diriguntur, ne labantur, ne quid falsi aut erronei immisceant, et ne uspiam à vero deflectant.

VI. *Quare tantùm abest à dogmate fidei, ut ne quidem certum et necessarium sit, ut singulæ veritates et sententiæ immediatè à Spiritu S. sacris scriptoribus suggerantur, aut inspirentur. Sufficit namque ea inspiratio, quâ Spiritus S. auctores sacros inter scribendum direxit, ne errarent.* Regula hæc nec Scripturæ, nec Patribus, aut Ecclesiæ contraria est. *Non primum*, quia sacri scriptores nuspiam testantur, se omnia ex integro immediatâ inspiratione scripsisse. Textus nempe, qui ab aliis citari solent, vel de prophetis loquentibus propheticè, ut illud 2 Petri 1, v. 21 : *Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia : sed Spiritu S. inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Vel de quibusdam tantùm circumstantiis : v. gr., pro casu publicæ defensionis doctrinæ Christi. Matth. 10 : *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Unde idem Marcus 13 sic exprimit : *Quod datum vobis fuerit in illâ horâ, ia loquimini.* Vel de fidei et morum dogmatibus sive tra-

ditis, sive scriptis, 1 Thessalon. 2 : *Quùm accepissetis à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut verè est verbum Dei.* Vel denique de inspiratione in genere, aut in specie, 2 Timoth. 3 : *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum,* etc.; ubi vox autographa *Theopneustos* aliud strictè non innuere videtur, quam Scripturam spiritu Dei plenam esse. *Non secundùm :* quia Patres aut inspirationis rationem non determinant, aut nobiscum sentiunt, uti videre est apud Melchiorem Canum, cap. 16, ex quo unicum Origenis effatum hìc appono : *Sermo,* ait homil. 16 super Numeros, *qui apud Jonam scriptus est, et non factus, à Jonâ potiùs quàm à Deo prolatus esse videtur,* etc. Vel denique eodem modo, sicut allati textus Scripturæ exponi possunt. *Non tertium :* quia Ecclesia in *Tridentino concilio* sess. 4, nil aliud statuit, quàm omnem veritatem salutarem, et morum disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus. Huic insuper sententiæ suffragantur innumeri, iique primi nominis theologi abbas Du Pin, Dissertation préliminaire sur la Bible, l. 1, c. 2, Calmet in Dissert. de librorum sacrorum inspiratione ad 2 Petri 1, 21, tom. 8 ; Canus, Holden, Stattler Loc. theol., Blau, Simonius, etc., etc. Quâ de re doctiss. Amort Demonstratione criticâ rel. christ., quæst. 19, asserere haud dubitat : « Commu-« nem nunc esse apud cordatiores Scripturæ inter-« pretes et Theologos sententiam, non omnes libros « Scripturæ in eo sensu esse sacros et canonicos, « quasi omnia verba, aut omnes sensus essent im-« mediatè dictati à Spiritu sancto : sed arbitrantur, « ad constituendum librum sacrum et canonicum « sufficere, quod scriptor ex speciali motione, seu « inspiratione divinâ motus se applicuerit ad ea scri-« benda, quæ vel ex libris fide dignis, vel ex rela-« tione idoneorum testium, vel ex ductu rationis co-« gnoverat, ita tamen, ut Deus speciali suâ assisten-« tiâ caverit, ne in ejusmodi scripto irreperet error « specialiter in materiâ fidei et morum. »

VII. *Omnia quæ in Scripturis referuntur, vera et certissima sunt :* estque hæc veritas non revelata, sed purè catholica. Vide apud Blau § 4 et 14.

Caput III.

Omnes libri in catalogo Tridentino positi sunt sacri ac canonici.

§ 52.

Canon, seu regula, recepto antiquitatis usu sumitur hìc pro collectione certorum librorum, seu Scripturarum, quæ auctoritate Ecclesiæ pro divinitùs scriptis seu inspiratis, atque idcircò pro regulâ fidei et morum publicè proponuntur. Triplex autem exstat canon. Primus est *Judæorum ;* alter *Catholicorum ;* tertius *Acatholicorum.* Catholicorum canon dividitur in libros, ut aiunt, *Protocanonicos,* qui statim ab initio, quàm primùm innotuerunt, ab omnibus Ecclesiis catholicis semper pro canonicis seu divinis habiti sunt ; *et Deuterocanonicos,* qui non statim ab initio ab omnibus, sed solùm à particularibus quibusdam Ecclesiis apostolicis pro canonicis, seu divinis agniti, successu tamen temporis universim ut tales recepti sunt.

§ 53.

Celebris Protestantium scriptor Samuel Basnagius in peculiari dissertatione 9, Annal. polit. eccl., tom. 2 calamum adversùs traditionem acriter stringens contendit, Scripturæ canonem ex se jam determinatum ac certum esse, librisque divinis per Ecclesiam nihil auctoritatis accedere, quia divinæ veritatis oracula humano testimonio neutiquam egent. At quantis principium istud involucris et argutiis intumescat, nemo non videt, qui videt, quod Basnagius easdem censuras gravissimas, quibus Catholicos immeritò perstrinxit, in caput suum contorserit. Quis enim Catholicorum unquàm docuit autoritatem divinam à testimonio dependere humano? Vid. § 9. Ne quidem hâc super re quæstio volvitur ; sed difficultatis centrum in eo situm est : unde nobis constet, hæc aut illa ab Apostolis emanâsse, inspirante Spiritu S. conscripta esse, etc.; hoc enim verò vel decidendum privato cujuslibet, vel publico Ecclesiæ judicio, quam à Deo eo fine institutam novimus, ut divinas veritates, et cætera salutis adjumenta nobis propinet. Quidnam porrò è duobus hisce convenientius Dei providentiæ, amori erga homines, humanæ infirmitati, salutis certitudini eligi possit, ac debeat, judicet Basnagii more sentiens, quantùm homini licet.

§ 54.

Et sanè theologi protestantes verbum traditum respuentes, nullum authenticum documentum proferre possunt, quod vel Christus Dominus, vel Apostoli distinctè testati sint de integro aliquo ac determinato canone Scripturarum. Quamvis enim ex istis aut aliis Christi verbis : *Nonne scriptum est in lege vestrâ....? et non potest solvi Scriptura ?* Joan. 10, divinitas Scripturarum integrarum veteris canonis hebraici verisimillimè concludatur ; Stattler, Loc. thol. § 23, quamvis ex illâ Christi promissione Joan 14 : Pater *alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum..... Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis,* divinitas Scripturarum apostolicarum saltem quoad dogmata comprobetur, ad has tamen non pertinent in systemate Protestantium Evangelia SS. Marci et Lucæ, uti et Acta Apostolorum à S. Lucâ conscripta, quia non sunt scripta Apostolorum, quibus solis, ut Protestantes contendunt, donum infallibilitatis appromissum est : nemo igitur eorum aliunde quàm ex Apostolorum judicio et approbatione scire potest Evangelia SS. Marci et Lucæ, Acta quoque Apostolorum divinas Scripturas esse. Verùm eadem competit Ecclesiæ, per rectores suos cum capite quidpiam in materiâ fidei decernentis, auctoritas, quæ erat Apostolorum § 10 ; pari ergo certitudine credere possumus, et pari obligatione credere tenemur Ecclesiæ liberos deuterocanonicos tanquàm divinos universali judicio, et approbatione proponenti. Sed quid his opus? Protestantes nostrâ quidem ætate novi Test. libros omnes in catholico canone contentos, ceu omnes ab ipsis Apostolis vel

conscriptos, vel probatos communiùs admittunt; rejectus ex adverso libris deuterocanonicis vet. Test., tanquàm ab Hebræo canone extraneis. Quùm verò approbatio Apostolorum circa citatos Marci et Lucæ libros nonnisi ex traditione colligi queat, certè catholicis vitio non ampliùs vertent, si ex eodem fonte libros omnes deuterocanonicos, sacros, et canonicos esse colligant; siquidem negare nequeunt, canonem Hebræorum præcisè auctoritate ejusdem Ecclesiæ Judaicæ fuisse constitutum: ergo à pari, imò à fortiori ob promissum expressum Christi Domini, christianæ Ecclesiæ auctoritas tantumdem valere debet. Accedit quòd nonnulli libri deuterocanonici vet. Test. in protocanonicis novi Test. laudentur, atque textus ex iis allegentur.

§ 55.

Jam verò non id agunt Catholici, ait noster Corbinianus Luydi, part. 1, c. 6, dùm Ecclesiæ suæ in discernendis traditionibus apostolicis inerrantiam concessam esse ostendunt, ut eas traditiones per omnes omninò orbis Ecclesias statim ab initio viguisse oporteat; verùm satis est, ut certò constet, illas in particularibus quibusdam Ecclesiis apostolicis, hoc est, dictu, ab Apostolis fundatis per ipsos fuisse institutas, in iisdem perpetuò custoditas. Hàc quippe ratione satis superque intelligitur, eas esse divinas, sive à Christo Ecclesiæ per Apostolos, particularium Ecclesiarum fundatores, fuisse traditas; quùm iidem nihil in rebus ad fidem spectantibus Ecclesiis suis tradiderint, nisi quod à Christo acceperunt. Profectò, si hoc sufficere neges, de ipsis adeò protocanonicis aut omninò actum esset, aut utrùm canonici forent, olim fuisset dubitandi locus: nam complures illorum non ad universas, sed ad suas particulares Ecclesias primitùs exarati, ac deinceps aut seriùs, aut citiùs, prout nempe constabat, esse ab Apostolis scriptos ad cæteras omnes Ecclesias perlati, pari ab universis veneratione ac fide susceptì sunt.

§ 56.

Unde tametsi verissima sit ea S. Augustini dignoscendæ traditionis apostolicæ regula, l. 4 de Bapt. contra Donatistas: *Illud ab Apostolis traditum, quod universa tenet Ecclesia, et quod toto orbe servatur.* Character is primarius quidem habetur, at non unicus; quippe eidem S. doctori solius occidentis, et potissimùm Ecclesiæ Romanæ per Italiam, Galliam, Hispaniam et Africam diffusæ, evidens, ac perpetua traditio erat multò sufficientissima, ut eam pro verè apostolica habendam esse censeret; atque libros illos deuterocanonicos tanquàm divinos, seu à Deo inspiratos, ab omnibus suscipiendos esse pronuntiaret: *Sapientia*, inquit, *et Ecclesiasticus, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo; non autem esse ipsius, non dubitant doctiores: eos tamen in auctoritatem maximè occidentalis antiquitùs recepit Ecclesia*, l. 17 C. D., cap. 20. Vicissim circa Epistolam ad Hebræos recipiendam esse affirmat traditionem orientalis Ecclesiæ l. 1 de Pecc. Mer., scribens: *Ad Hebræos Epistola, quia me movet auctoritas Ecclesiarum orientalium, quæ hanc etiam in canonicis habent, quanta pro nobis contineat testimonia, advertendum est.* Quare l. 2 de Doct. Christ., c. 8, sequentem statuit regulam: *Divinarum Scripturarum solertissimus indagator... Ecclesiarum catholicarum quam plurium auctoritatem sequatur; inter quas illæ sunt, quæ apostolicas sedes habere, et epistolas accipere meruerunt. Tenebit itaque hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, præponat iis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioresque accipiunt.* Totus quoque in eo occupatur Tertullianus l. de Præscript., ut ostendat Scripturam S. quæ ab Ecclesiâ Africanâ et Romanâ, publicè in conventibus legebatur, necessariò proficisci à traditione apostolicâ. Id quod ut etiam hoc loco pro rei gravitate, et temporum modernorum exigentiâ quodammodò evincatur, sequentia superaddo motiva, quæ moralem saltem certitudinem inferunt.

§ 57.

I. Libros deuterocanonicos vet. Test. Christiani à Judæis acceperunt, qui eos pro scriptis probatissimis semper habebant; eâdem solertiâ uti canonicos custodiebant; atque teste Hieronymo in præf. in lib. Judith. *hagiographa* appellabant. Sic, v. gr., tanta fuit apud Judæos libri ecclesiastici auctoritas, ut, teste Josepho Flavio l. 2 contra Appionem, veluti pars legis honoratus fuerit.

II. Libri omnes, tam vet. quam novi Test. deuterocanonici agniti semper sunt tanquàm qui nullum errorem, sed puram sanctamque doctrinam, ad ædificationem præcipuè et instructionem perutilem continerent. Citati sunt à scriptoribus ecclesiasticis pluribus, iisque antiquissimis jam inde à primis seculis perinde ut protocanonici. Idem digni habiti sunt, ut cum Scripturis protocanonicis ex æquo in Ecclesiis publicè inter sacra prælegerentur.

III. Insuper jam à primis seculis omnes libri in catologo Tridentino positi, nonnisi ex apostolicâ traditione recepti sunt ut sacri et canonici ab Ecclesiâ Romanâ et Africanâ; quibus consentiunt Ecclesiæ primitivæ Jerosolymitana, teste S. Cyrillo Jerosol. catech. 4, et Alexandrina, teste S. Athanasio in Synopsi, et in orat. 2. contra Arianos, etc. Moraliter enim impossibile est, ut jam seculo quarto exstiterit in codicibus Scripturæ uniformis librorum collectio, et applicatio sine traditione apostolicâ: bene utique considerantì patet, quia denominatio libri canonici, aut instar regulæ usurpatio, non est denominatio opinionis, sed traditionis, non usurpatio arbitrii, sed præconcepti ex traditione judicii; nullus enim assereret librum canonicum, quia putat nihil in eo contineri falsitatis; sed quia censet esse inspiratum, quod est mera quæstio facti, nullo argumentorum seu rationum robore resolubilis, nisi ex traditione; libri itaque, qui jam seculo quarto potiori auctoritate totius Ecclesiæ, vel traditione unius, alterìusve Ecclesiæ apostolicæ constanter agnoscuntur pro canonicis, morali certitudine ad traditionem apostolicam referuntur. Quod autem

planè res ita se habeat, testatur inprimis concilium Carthaginense III an. 397, celebratum, quod, capitulo 47, ait: *Item placuit, ut præter Scripturas canonicas nihil in Ecclesiâ legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicæ Scripturæ:* dein omnes libri proto... et deuterocanonici utriusque testamenti à Catholicis vulgò asserti enumerantur. Idem concilium fuit postea prælectum in Carthaginensi IV, vel VI, an. 418, aut 419, ubi priorem canonem approbans profitetur: *À Patribus ista accepimus in Ecclesiâ Dei legenda.* Eumdem quoque S. Augustinus, qui prædicto concilio Carthaginensi III interfuit, recenset l. 2 de Doct. Christ, c. 8. Eodem fermè tempore, nempe circa annum 405, integrum catalogum Tridentini jam tradidit S. P. Innocentius I in Ep. ad Exuperium episcopum Tolosanum, in quâ, *quid custodita series temporum demonstraret, et quinam libri recipiantur in canonem sanctarum Scripturarum,* brevi ostendit adnexu eorumdem librorum, qui post annos plusquàm centum et mille à concilio Tridentino in canonem relati sunt. Testatur itaque præfatum Innocentii responsum de sensu totius Romanæ Ecclesiæ conjuncto cum praxi publicâ et notoriâ; neque enim dari potest generalis persuasio de libris canonicis, quin in praxi pro singulis particularibus Ecclesiis exscribantur, in unum volumen colligantur, in controversiis et concionibus applicentur.

IV. Hanc praxin Ecclesiæ latinæ, ni fallor, manifestum in modum confirmat vetus versio latina, vulgò Itala dicta, eosdem omnes, nec pauciores libros sacros continens; quæ jam primis ante Hieronymum seculis viguit. Ipse quoque Hieronymus, Vulgatæ nostræ præcipuus auctor, versioni, ac editioni suæ nullos addidit codices, nisi quos jam antea repererat in canone usitato apud Ecclesias occidentales. Corbinianus Luydl. l. c.

V. Quantùmvis igitur de libris deuterocanonicis dubitatum aliquando fuerit, et in ipsâ adeò Ecclesiâ occidentali quædam privatorum hominum variatio traditionis perduraverit usque ad concilium Tridentinum, nemini tamen tanta exinde difficultas oriri debet, ut existimet, eos postea in canonem haud potuisse recipi; privatorum namque etsi doctissimorum partes non erant, proprio judicio decernere, utrùm canon Innocentii I, et concilii Carthaginensis nondùm ab Ecclesiâ universali propositus reipsà haberet characterem legitimæ traditionis apostolicæ in Ecclesiâ occidentali; id enim juris soli Ecclesiæ competit, prout jam an. 400 *concilium Toletanum I* animadvertit: *Si quis dixerit, vel crediderit, alias Scripturas esse canonicas præter eas quas Ecclesia catholica recipit, anathema sit.* Facilè igitur contigerit, ut re tanti molimînis necdùm satis evolutâ, quidam privati mentis aciem eo non intenderint, atque eorumdem librorum traditionem apostolicam, tametsi scirent ab aliis agnosci, in dubium revocaverint. Neque hoc singulare est in libris canonicis, sed et in aliis fidei, ac morum dogmatis contingere natum est. Nam licet omnia jam olim fuerint revelata prophetis, atque Apostolis, et ab his apud Ecclesiam deposita, seu Ecclesiæ tradita; ipsa tamen hæc apostolica circa quædam traditio sic nonnunquam obscuratur, ut ea permultis aut penitùs ignota sit, aut saltem dubia; donec tandem per unanimem omnium Ecclesiarum consensum, vel per universalem concilii œcumenici definitionem certò innotescat. Patet hoc ex celebri Rebaptizantium controversiâ; patet tam in superioribus synodis generalibus, quàm in postremâ Tridentinâ, ubi nonnulla ex apostolicâ traditione sunt definita, de quibus antea, utrùm tradita essent, quodammodò dubitabatur.

§ 58.

Quare ex eodem argumento, et ejusdem quoque apostolicæ traditionis sufficienter innixa vestigiis tota Hispaniæ Ecclesia canonem Scripturarum Innocentii I in concilio Toletano IV, an. 633, approbavit, ut refert S. Isidorus Hispalensis. Concilium Florentinum, seu potiùs Eugenius IV in decreto ad Armenos eosdem omnes libros recensens *omnes scriptos ab auctoribus sacris fuisse affirmat.* Ipsum denique Tridentium, sess. 4, statuit: *Si quis libros integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ catholicâ legi consueverunt, et in veteri vulgatâ latinâ editione habentur pro sacris et canonicis non susceperit,... anathema sit.* Dein profitetur se omnibus illis libris *ceu præsidiis in confirmandis dogmatibus usurum.*

Caput IV.

Utrùm et in quo sensu Versio vulgata sit authentica Fidei regula.

§ 59.

Insuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parùm utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, SS. librorum, quænam pro authenticâ habenda sit, innotescat; statuit, et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus pro authenticâ habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat. Sess. 4, de edit. et usu SS. librorum.

§ 60.

Vix hoc decretum in Germaniâ percrebuit, atque ad aures Acatholicorum pervenit, mirum, quantùm ab istis contra concilium conclamatum fuerit. Eccur? accusabantur Patres crassæ inscitiæ, inauditæ injustitiæ, et barbaræ tyrannidis; conquerebantur inprimis Joannes Calvinus, et Martinus Kemnitius, aditum ad puros fontes Hebraicos scilicet et Græcos exinde fidelibus obstruit; corruptas vulgatæ lacunas exsorbendas propinari; putitos rivulos pro genuino Dei verbo obtrudi, cæterasque versiones damnari. At verò quantùm istæ et alia sanè nimis acerba dicteria à veritatis tramite aliena sint, primo intuitu Calvinus cum suis, nisi primo invidiæ et furoris æstu abreptus cæcutire maluisset, et circumstantiis temporum, atque adeò ex ipso tenore verborum perspicere potuisset. Spargebantur nempe eâ ætate in vulgus variæ versiones Latinæ, ab hominibus malæ fidei elucubratæ, vulgatâ namque veteri, quæ retroactis temporibus ab Ecclesiâ

pro regulâ fuerat habita, passim à novitatum amatoribus traductâ et rejectâ, quicumque tantisper linguas callebant, vertendis sacris codicibus insudabant, et licet contrarios sensus exinde elicerent, ac propterea reciprocè se damnarent, quilibet tamen suam editionem sinceram esse jactitabat. Novam novi Testamenti translationem adornaverat Lutherus, in quâ, ut patet ex Joanne Cochlæo in vitâ, et actis Lutheri ad annum 1522, notata fuêre mille circiter loca mutata, id est, addita, vel detracta, vel depravata. Munsteri versio, quia virum Lutheranum parentem habuit, non poterat probari à Zwinglianis sicut nec à Lutheranis versio Leonis Judæ, et Bibliandri, quia à Zwinglianis edita. Castalionis editio, licet à viro calvinistâ composita, ipsis adeò Calvinistis displicuit, ut gravi censurâ à Theodoro Bezâ reprobata fuerit. Nec defuêre tunc temporis Novatores interpretes sub catholici doctoris nomine latitantes, ut venenum latiùs diffunderent, etc.

§ 61.

Quid in tantâ versionum diversitate et contrarietate Patribus Tridentinis aliud agendum supererat, quàm ut præ cæteris una fidelibus proponeretur, ut unitas fidei servaretur. Quænam verò illa, nisi vulgata tot seculorum anteriorum Ecclesiæ usu consecrata? Pone enim, et admitte, si audes, cuique privato integrum, novam pro arbitrio suo invehere S. Scripturæ versionem, quis cudendarum finis? quid stabile remanebit in negotio, in quo fidei cardo vertitur? Noverat hoc exitiosissimum periculum jam ipsemet Lutherus, qui teste Cochlæo in l. de canon. Script. auctoritate, c. 11, ingenuè fassus est: « Si diutiùs mundus steterit, « iterùm erit necessarium, ut ob divinas Scripturæ « interpretationes, quæ nunc sunt, ad conservandam « fidei unitatem concilii decreta recipiamus. » Noverat id Grotius, qui in discuss. Rivetani apologetici scribere non dubitat: « Standum quidem Scripturæ « est, sed curandum, ne ejus interpretatio pugnet « cum sententiis per omnes Ecclesias antiquitùs rece- « ptis. » Et eodem loco paulò inferiùs: « Lutherus « dixit per tot versiones incertiores fieri lectores, « quàm antea fuerunt. » Beza verò: « Tot esse inter- « pretes, qui non tàm convertunt, quàm pervertunt, « ut nisi audaciæ eorum occurratur, futurum sit intra « paucos annos, ut ipsarum quoque rerum posses- « sione depellamur. » Idipsum quoque perbenè noverant perspicaciores Acatholici, apud quos, quùm novæ in dies pullularent versiones S. Scripturæ, vix veritas stabilis ac fixa persistit. Quapropter procedente tempore, primoque animi ardore parùmper sedato mitiùs de vulgatâ loqui, imò non pauci summis laudibus eamdem extollere cœperunt. Ita Theodorus Beza, præf. in novum Testamentum, Erasmum castigat, quòd vulgatum interpretem liberiùs rejecerit. Paulus Fagius in cap. 4 versionis Latinæ Paraphraseos Chaldaicæ contra eos qui Vulgatam exsibilant, ita scribit: *Non attendunt, quid, vel quem secutus fuerit vulgatus auctor; quùm enim à veritate Hebraicâ dissentire videtur, vel Septuaginta, vel Paraphrasin Chaldaicam, vel aliquem ex Rabbinis secutum fuisse ferè semper deprehendendo; non est ergo temerè nata vulgata editio, ut quidam scioli stultè et imprudenter clamitant.* Ludovicus de Dieu, vir linguarum peritissimus, præf. in notis ad Evangelia: *Si vulgatum*, inquit, *interpretem doctissimum virum fuisse asseram, non me peccâsse, judicavero. Suos habet nævos, fateor, habet et suos barbarismos; sed quin passim fidem ejus, judiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non possum.* Caussobonus in notis suis ad Evang. vulgatam editionem Græci textûs hodierni lectioni præfert, et cum antiquis MSS. Vulgatam convenisse ostendit; unde sæpè, quùm dissentire videtur Vulgata à Græco, nec vulgatam dicit in vitio cubare; sed Græcas codices, quibus Latinus interpres usus est, à nostris variâsse demonstrat; et hoc sæpiùs à se observatum testantur Waltonus, aliique viri eruditi. (Originaria exemplaria Scripturarum ab ipsis SS. Scriptoribus exarata pridem deperdita sunt, solùmque jam inde à primis seculis exstant descripta eorum à variis apographa.) Hinc Grotius voto pro pace Eccl. pag. 674, ait: « Tutissima omnium iis qui nec Hebraicè nec Græcè didicêre, est vulgata versio, quæ « nullum habet malum dogma, sicut tot seculorum, et « gentium consensus judicavit. » Hæc testimonia Acatholicorum fusiùs proferre placuit in gratiam quorumdam modernorum Catholicorum, qui à lectione vulgatæ quasi à facie colubri abhorrere videntur.

§ 62.

Quod attinet tenorem, et sensum laudati Tridentini decreti, in eo potissimùm operam suam collocavit concilium, ne circumferamur omni vento doctrinæ; ideòque versionem vulgatam præfert quidem aliis, sed alias, nempe ab antiquis interpretibus factas, non damnat; hanc quidem authenticam declarat, sed cæteras nullâ censurâ inurit; rursùs loquitur de vulgatâ comparatè ad alias versiones, non ad fontes Hebraicos et Græcos, quibus vulgatam non prætulit. « Nec enim « Patres fontium ullam mentionem fecerunt, » ait Bellarminus l. 2 de Verbo Dei, c. 10, et Pallavicinus, l. 6, c. 17 Hist. conc. Trid. Idem communi suffragio affirmant et alii, quorum hâc in re testimonio pondus inesse maximum debet, quia ipsi concilio interfuêre. Cæterorum nomine fidem facit Alphonsus Salmero, prolegom. 3; « nihil, inquit, de exemplaribus græcis « vel hebraicis agebatur; tantùm inter tot latinas edi- « tiones, quas nostra secula parturierant, quænam ex « illis præstaret, sermo erat, liberum autem reliquit « omnibus, qui Scripturas sacras profundiùs meditan- « tur, fontes græcos, aut hebræos, quatenùs opus sit, « consulere. Licebit itaque nobis, salvâ concilii aucto- « ritate, sive græci, sive hebræi exemplaris lectio- « nem variam producere: ... nec tantùm bonos mores « per eam ædificare, verùm etiam fidei dogmata com- « probare, et stabilire. » Constans hæc erat veteris Ecclesiæ praxis, quam apud S. Augustinum expressam legimus, l. 15 de Civ. Dei, c. 13. *Quùm aliquid diversum in utrisque codicibus invenitur... ei linguæ potius credamus, unde est in aliam per interpretes facta*

translatio; et lib. 18 : *Idcò etiam ego pro meo modulo vestigia sequens Apostolorum, quia et ipsi ex utrisque, id est, ex Hebræis, et ex Septuaginta testimonia prophetica posuerunt, utràque auctoritate utendum putavi, quoniam utraque una atque divina est.* Eamdem quoque regulam tradidit Hieronymus in Ep. ad Suniam et Fretellam : *Sicuti in novo Test. si quando apud Latinos quæstio exoritur, et est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontes Græci sermonis..., ita in veteri Test. si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ne quidquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis.* S. denique Hilarius Psalmorum versionem Latinam passim carpit, atque inter alia scribit in psal. 138 : *Latina translatio, dùm virtutem dicti ignorat, magnam intulit obscuritatem.*

§ 63.

Quoniam igitur pervulgatum est apud hos aliosque SS. Patres, in versionibus Scripturæ, ubi diversitas notatur, aut nævi occurrunt, in fontibus veritatem investigari debere, longè abest à vero, fidei dogma esse, vulgatam in omnibus etiam *quoad sensum* convenire cum textu originali. Enimverò de fide non esse consonantiam vulgatæ cum textu originali etiam quoad sensum, omnes, si paucos excipias, melioris notæ theologi statuunt. Sed numquid aliis egemus testibus? quando nævos ejusmodi ex diversâ lectione resíduos ipsemet S. Hieronymus olim agnovit, palam professus se in versione Isaiæ ob festinationem errâsse : *Melius reor,* inquit cap. 4, *proprium errorem reprehendere, quàm dùm erubesco, imperitiam confiteri, in errore persistere, in eo quod transtuli.* Confer eumdem S. doctorem in Eccles. et Prophet., ubi seipsum non semel emendans aliter legit, ac antea legerat in editione versionis suæ ex Hebræo. Et certè, quùm vulgata editio non sit unius auctoris, sed multa habeat ex Hieronymo, quædam ex Lúciano presbytero, quædam ex Theodotione, et multa ex veteris Italæ incerto interprete, dici non potest ejus auctores errare non potuisse. Quid quòd plerique doctores catholici fatentur errores in vulgatâ Latinâ versione non tantùm latitâsse ante conc. Trid. decretum, sed etiam post Sixti V et Clementis VIII emendationes, inanis itaque paucorum quorumdam religiositas est, dùm sine fundamento timent, ne infallibilis regula fidei Ecclesiæ auferatur, nisi vulgata quoad omnem sensum originalibus conformis statuatur. Non hoc, inquam, sequitur; sicut enim Ecclesiæ tanquàm regulæ vivæ Deus inerrantiam tribuit in iis solùm quæ ad fidem et mores pertinent, ita necesse non erit, ut majorem vulgatæ nostræ authentiam, præterquàm in fidei et morum doctrinâ inesse fateamur.

§ 64.

Patres proinde Tridentini vulgatam versionem, qualis ab auctoribus suis prodit, declarárunt authenticam, id est, conformem fonti autographo in ordine ad probanda fidei et morum dogmata, quo sensu certa sanè habetur fidei regula ab Ecclesiâ proposita, quatenùs nihil continet, quod sit à veritate christianæ fidei vel devium, vel contrarium. Prophetarum et Apostolorum autographa in primo gradu, et per se authentica sunt, utpote ipso Spiritu S. aut inspirante aut assistente conscripta. Apographa verò inde exscripta propriè quidem, non tamen primariò ac per se authentica dicuntur; sed quatenùs fideliter referunt suum autographum. Rursùs versiones, quæ autographa, vel apographa in alias linguas transferunt, in latiori quâdam significatione authenticæ inaudiunt, quatenùs textibus primitivis, ex quibus traductæ fuêre, ita conveniunt, ut accedente usu et approbatione Ecclesiæ in causis fidei eis sit eadem fides adhibenda, ac si foret textus primigenius. Jam verò, quòd textus Hebræus et Græcus, quos hodiè legimus, sic cum ipsis autographis conspirent, præter argumenta insita præ primis suadet infallibile Ecclesiæ testimonium, cui sacrum illud depositum à Deo concreditum est; ergo à pari idem judicium ferendum erit de vulgatâ versione, quæ singulari quâdam ratione, puta, tot seculorum usu et speciali decreto ab Ecclesiâ legitimâ divini verbi interprete proponitur, quæ sicut aliis atque aliis vocibus, sic quoque aliis atque aliis linguis exprimere dogmata potest; secùs sanè nulla gens, et natio, nullaque religio de integrâ atque genuinâ Scripturâ gloriari possit. Verùm doctrina Christi ad omnes omnium temporum et locorum gentes dirigenda erat ex mandato Christi, et per Ecclesiam proponenda deinceps, sicut ab initio per Apostolos. Quemadmodùm itaque propter assistentiæ divinæ promissiones fides divina debebatur dogmatis per Apostolos quâcumque linguâ traditis : ita ob eamdem rationem dogmata divina in editione vulgatâ integrè et incorruptè fuisse expressa, post Ecclesiæ declarationem fide divinâ credendum est.

Sectio secunda.

DE ALTERA FIDEI NOSTRÆ REGULA.

CAPUT PRIMUM.

De traditione divinâ.

§ 65.

Traditio divina nil aliud est, quàm ipsummet Dei verbum, non quidem Scripto divino consignatum, sed à Deo ipso primis suis ministris ore tenùs declaratum, ac tum subinde ab illis ad nos usque ore ad os, ac veluti per manus continuâ serie derivatum, cui tanquàm firmissimo fundamento catholica fides innititur, ubi divina Scriptura clarè et expressè non suffragatur. Quæstio jam versatur in eo, an reverà dentur traditiones divinæ? Si enim aliquando istæ admittantur, nullus Acatholicorum negabit, eas esse regulam credendorum; quia verbum Dei auctoritatem suam non acquirit à membranis, sed à veracitate Dei loquentis. Jam verò Catholici omnes firmissimè tenent, et profitentur, dari traditiones divinas, easque solùm, non verò purè apostolicas aut ecclesiasticas, esse infallibilem regulam credendorum. Luderem autem operam, si, quotquot in hujusce veritatis probationem rationes ex omni ætate delibantur, velim hic minutatim ac distinctè recensere. Selectiores brevi-

ter dabo, quæ catholicam veritatem præ cæteris illustrant, et in propatulo ponunt.

§ 66.

Porrò exstitisse traditiones divinas jamab ipso orbe condito omni mundi ætate, in statu nimirùm naturæ, legis, et Evangelii non tantùm S. Scriptura demonstrat, sed ipsa quoque rei necessitas postulat. Per duo siquidem, et quod excurrit, annorum millia in lege naturæ usque ad legem scriptam debuit esse aliqua fides et morum regula à Deo revalata, quùm in eâ Ecclesiæ ætate exstiterit vera religio, ac homines supernaturali fide et piis moribus illustres, quibus unus mundi conditor Deus, animæ humanæ immortalitas, lapsus, et peccatum hominis, ejusque remedium; fides in venturum Messiam, spes vitæ æternæ, atque alia ad salutem scitu necessaria indubitata erant dogmata; atqui ea regula nec fuit humana ratio, eò quòd plerœque saltem ex præfatis veritatibus nonnisi ex revelatione hauriri poterant; neque Scriptura, quùm nulla tunc exstaret: ergo ea regula sola erat traditio divina, seu revelatio à Deo facta Adamo et Patriarchis, atque ab eorumdem natis non interruptâ serie in posteros ad Mosen usque propagata.

§ 67.

Sic pariter in lege Mosaicâ, quamvis Scripturæ in promptu essent, Judæi tamen traditionibus divinis tum ad fidem, tum ad mores pertinentibus utebantur, credentes quippe non pauca, quæ in S. Scripturâ expressa non erant, v. gr., remedium peccati originalis pro omnibus, divinam legis suæ originem, sensumque legitimum legis scriptæ, quæ præter plura alia non aliunde quàm à traditione divinâ proficisci poterant. Unde Moses primus divini verbi Scriptor Deuter. 32, v. 7, populum Israeliticum ad traditionem ablegat dicens: *Interroga Patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi.* Et Regius Vates, Psal. 77: *Quanta mandavit* (Deus) *Patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera.*

§ 68.

Etiam post adventum Christi in statu legis gratiæ ab initio usque ad nostra tempora exstitêre traditiones divinæ. Christus primitùs universam suam doctrinam divinam sine libro, sine scripto, vivâ voce Apostolis et Ecclesiæ suæ tradidit custodiendam. Pluribus quoque annis post Christi mortem nulla exstitit N. Test. Scriptura, quia libri ejusdem Testamenti variis successivè temporibus conscripti sunt. Sic societas christiana stetit 22 annis absque S. Joannis Evangelio juxta Theophylactum: ergo tunc sola doctrina divinitùs tradita, quam Apostoli à Christo, et fideles ab Apostolis audierant, erat tum fidei, tum morum regula. Præterea nullus exstat Scripturæ locus, quo Christus Dominus doctrinam suam litteris mandari jusserit; sed istud tantùm præcepit, ut euntes per mundum universum prædicarent Evangelium omni creaturæ, id est, docerent omnes gentes, servare omnia, quæcumque mandaverat eis. Præceptum hoc Domini sedulò executi sunt Apostoli ac discipuli; omnes quidem prædicaverunt Evangelium verbo, sed non omnes scripto pervulgârunt. Et sanè gentibus barbaris, imò etiam latinis, græcè, syriacè, et hebraicè non intelligentibus frustra primùm Scripturas jam exaratas Apostolis, et viri apostolici obtrusissent; traditionibus igitur, non Scripturis divinis, Ecclesia primùm fundata est, id quod etiam ipsimet Acatholici admittunt, dùm dicunt: Traditionem ab initio quidem necessariam fuisse fidei regulam, sed eam prorsùs futilem atque superfluam evasisse, ex quo tempore Dei verbum scripto consignari cœptum est. Enervatur verò hoc ultimum inane refugium ex eo quia Apostoli et Evangelistæ non eo fine scripserunt, ac si propositum illis fuisset, omnia omninò dogmata scripto complecti; nuspiàm enimverò sacri isti scriptores in suis litteris profitentur, vel unum aliquem, vel omnes simul, integrum religionis systema, seu totius legis à Christo traditæ complexum conscripsisse. Quid quòd è contrario sæpiùs testantur, se plura vivâ voce deinceps adhuc tradituros, vel jam alias tradidisse fidelibus suis, quibus antea prædicaverant Evangelium.

§ 69.

Inprimis id demonstratur ipsius Legislatoris Christi Domini exemplo, qui, Joan. 16, post lotionem pedum dixit Apostolis: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*, quæ haud dubiè postea eis manifestavit, *per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei*, Act. 1. Et tamen paucissima de his scripta sunt; ergo illa vivâ voce Apostoli tradiderunt Ecclesiis: unde etiam S. Joannes, cap. ult., testatur non omnia, quæ Christus fecit et docuit, litteris consignata fuisse. Ad ejusdem Magistri sui exemplum Apostolus iste, Ep. 2, scribit: *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui.* Eamdem doctrinam apertè explicat S. Paulus, 2 Thessal. 2, v. 15: *Itaque, Fratres, state, et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Quod autem hoc loco de rebus dogmaticis sermo sit Apostolo, patet ex eo quòd in eâdem epistolâ dicat, cap. 3, v. 6: *Denuntiamus vobis, Fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, et non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. Hinc est perspicuum*, ait S. Chrysostomus, hom. 4, *quòd non omnia tradiderint* (Apostoli) *per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna. Quam ob rem traditionem quoque censeamus fide dignam. Est traditio: nil ampliùs quære.* Similes istis sunt et alii ejusdem Apostoli textus, 1 Corinth. 11: *Laudo vos, Fratres, quòd sicut tradidi vobis præcepta mea teneatis.* Et in eâdem epistolâ, eodemque capite: *Ego enim accepi à Domino, quod et tradidi vobis.* Quid luculentius pro existentiâ divinarum Traditionum? Respondent Acatholici, Apostolum, quæ vivâ voce tradiderat, litteris postea mandâsse; ast unde id probant? in Scripturis certè non legitur: legitur è contra Traditio divina fidelibus ab Apostolo commendata, Ep. 2 Timoth. 2: *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere..... Formam habe sanorum verbo*

rum, quæ à me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis; ibid. cap. 1, ℣. 13, 14. In quæ verba iterùm Chrysostomus, l. c., inquit : *Non modò per litteras, sed etiam verbis discipulo, quæ essent agenda, dictavit.*

§ 70.

De hisce divinis Traditionibus præter SS. Scripturas à Christo per Apostolos transmissis, exstant quoque perpetui Ecclesiæ consensûs testimonia omni exceptione majora apud primos præcipuosque Patres et Scriptores : 1° S. Joannis Evangelistæ, ac S. Polycarpi ejus discipuli vitæ diuturnitas effecit, ut Traditio deveniret ad S. Irenæum, qui et ipse eam conservabat sollicitè, ac, dies suos extrahens usque ad finem seculi II, ad posteros transmittebat. Porrò apud Eusebium, Hist. l. 5, c. 20, Polycarpus Irenæo discipulo suo retulit plurima, quæ à D. Joanne dicta audiverat. 2° S. Irenæus, l. 3, c. 3, ait, non testimonii Scripturarum, sed « Traditione romanâ ab Apostolis « acceptâ, eâ fide omnibus hominibus annuntiatâ, « et usque ad nos per successionem episcoporum con« tinuatâ, omnes illos confundi, qui conventus spu« rios et illegitimos celebrant. » Et cap. 4 : « Quid « autem tunc foret remedii, si Apostoli nihil scriptum « nobis reliquissent? Numquid ad Traditiones illis vi« ris relictas, quibus Ecclesias commiserunt, esset « recurrendùm? Hoc ipsum multæ nationes barbaræ « observant, quæ sine papyro et atramento in Jesum « Christum credunt, doctrinam salutis scriptam in « cordibus suis habentes, et antiquam Traditionem « fideliter tenentes. » 3° Eodem fermè tempore Clemens Alexandrinus magistris usus, qui viderant Apostolos, magnam Traditionis partem scriptis suis consignavit, ut patet ex Euseb. l. 3, c. 3, ubi ipse Clemens testatur « se compulsum à fratribus fuisse, ut Tra« ditiones, quas ab antiquioribus presbyteris, id est, « Apostolorum discipulis acceperat, scripto posteris « communicaret; » quod et præstitit in lib. Strom. cap. 1 : « Qui veram beatæ doctrinæ servabant Tra« ditionem à Petro, Jacobo, Joanne, Paulo, sanctis « Apostolis..... ad nos usque volente Deo pervene« runt, illa à majoribus data, et apostolicâ deposituri « semina. » L. 6 Strom.: « Hæc Sapientia (Jesu Chri« sti) docet nos etiam Traditionem, quæ est ex co« gnitione, ut ipse Christus per præsentiam sanctos « docuit Apostolos. » L. 7 : « Homo Dei esse, et Domino « fidelis esse desinit, qui adversùs ecclesiasticam re« calcitravit Traditionem, et in humanarum hære« seon desiliit opiniones. » Et de hæreticis disserens inquit : « Gloriæ tenentur desiderio, qui ea quæ « ex suâ naturâ conveniunt sermonibus divinis tradi« ta à beatis Apostolis, suâ sponte corrumpunt per « alias traditiones humanis doctrinis resistentes divinæ « Traditioni. » 4° S. Ignatius, qui B. Petro Apostolo post S. Evodium in Antiochenâ cathedrâ successit, teste Eusebio, Hist. Eccles. l. 3, cap. 36, Christianos hortatus est, ut *Apostolorum Traditionibus tenaciter inhærerent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas, scriptis mandare necessarium duxit.* Verùm quoad hos aliosque Patres probè notandum venit, quòd rerum omnium edax tempus multa eorum opera aboleverit. 5° Tertullianus integrum librum scripsit de præscriptionibus, cujus quasi unicum argumentum esse videtur, ut Traditiones divinas et apostolicas contra hæreticos vindicaret; in specie, c. 12, ait, « quid illis (Apostolis) « Christus revelaverit, non aliter probari debere, « nisi per Ecclesias, quas Apostoli condiderunt; om« nem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, « quæ sapit contra veritatem Ecclesiæ; » c. 37 : « Nos « eâ regulâ incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, « Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit; » et l. 1 advers. Marcionem : « Ergo jam apostolica Traditio « nihil passa est in tempore suo circa Dei regulam; « et non alia agnoscenda erit Traditio Apostolorum, « quàm quæ hodiè apud ipsorum Ecclesias editur. » 6° S. Epiphanius, hæresi 61 : « Oportet, inquit, et Tra« ditione uti, non enim omnia à divinâ Scripturâ « possunt accipi : quapropter aliqua in Scripturis, « aliqua in Traditione SS. Apostoli reliquerunt. Quod « ipsum ita Paulus affirmat : *Quemadmodùm tradidi « vobis.* » 7° Exemplum celebre de agnitâ primis Ecclesiæ seculis Traditionum divinarum auctoritate est responsum S. Stephani papæ in controversiâ de iterando baptismo ab hæreticis collato : *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Et quamvis hanc in specie Traditionem negaverit aliquando S. Cyprianus, omninò tamen agnovit existentiam verbi Dei traditi, utpote, ep. 74, asserens : *Si ad divinæ Traditionis caput et originem revertamur, cessat error humanus. Si in aliquo nutaverit, et vacillaverit veritas, ad originem dominicam et evangelicam Traditionem revertamur.* 8° S. Basilius, l. de Spiritu S. c. 27, sic habet : *Dogmata et instituta quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus è doctrinâ scripto proditâ; quædam ex Apostolorum Traditione.* 9. S. Gregor. Nyss., l. 3 contra Eunom : *Sufficit nobis ad nostri dogmatis probationem, quòd venientem ad nos à majoribus Traditionem habeamus, velut hæreditatem per successionem ab Apostolis continuatâ serie transmissam.* Prætereo hìc innumera alia Patrum testimonia, quibus existentia divinæ Traditionis confirmari solet. His igitur Apostolorum ac totius Patrum cœtûs innixa vestigiis Ecclesia in decidendis fidei controversiis semper præter Scripturas sacras ad Traditionem quoque divinam respexit; atque etiam ex eâ dogmata stabilivit; obscura Scripturæ explicavit, errores protrivit, hæreses damnavit, ut patet ex omnibus præcipuè primis octo conciliis œcumenicis : unde jure ac meritò « œcumenica synodus Tridenti« na... perspiciens omnem salutarem veritatem, et di« sciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto « Traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis « acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu S. dictante, « quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt, or« thodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros « tam vet. quàm nov. Test., nec non Traditiones ipsas, « tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquàm

« vel ore tenùs à Christo, vel à Spiritu S. dictatas, « et continuâ successione in Ecclesiâ catholicâ conser- « vatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipit, « ac veneratur, » sess. 4; et in fine ejusdem decreti subjungit : *Si quis autem..... Traditiones prædictas sciens, et prudens contempserit, anathema sit.*

§ 71.

His accedunt alia pro vindicandis divinis Traditionibus manifestissima motiva. 1° Sine Traditione minimè constare potest, S. Scripturæ libros omnes esse divinos, nec quinam libri sacri, seu canonici sint; undenam enim probabunt, qui Traditionem inficiantur, Evangelia Marci et Lucæ vera esse Evangelia, Thomæ verò et Bartholomæi esse falsa, quùm ratio potiùs dictet, magis credendum libro præferenti titulum Apostoli, quàm alii? Undenam colligent Epistolam ad Romanos esse revera Pauli; Epistolam verò ad Laodicenses, quæ nunc circumfertur, non esse Pauli? quùm tamen Paulus in Ep. ad Coloss. c. ult. dicat, se scripsisse ad Laodicenses, nusquàm autem asserat se scripsisse ad Romanos. Fides enim nititur solo verbo Dei : ergo nisi admittant verbum traditum, nulla erit eis fides, nulla auctoritas divina, sed duntaxat humana; hinc scire non sufficit, existere Scripturam; sed insuper scire oportet, quænam sit illa? id quod profectò Scriptura non exprimit. 2° Eadem S. Scriptura etiam in rebus fidei et morum non est omnibus plana et perspicua, sed in multis etiam doctissimis obscura : § 10 et 14, id satis superque testantur tot dissidia, lites, variationes, mutationes de ipsis adeò fidei articulis inter Acatholicos agitatæ; vid. Bossuet. Hist. doct. Protest. Imò ipsos, si libet, consule recentiores Protestantes, qui obscuritatem Scripturæ etiam in doctrinâ religionis ingenuè fateri non erubescunt. 3° S. Scriptura frustra dicitur perfecta credendorum norma : quot enim moderni Acatholici cum Catholicis propugnant dogmata? v. gr., adversùs Helvidium, perpetuam Deiparæ Virginitatem; contra Apollinaristas, descensum Redemptoris ad inferos; adversùs Anabaptistas, baptismum infantium, valorem baptismi ab hæreticis collati, etc.; et tamen ista per solam Scripturam demonstrari nequeunt; hinc videlicet Anabaptistæ Protestantes ad miras rediguntangustias, et cogunt eos, velint, nolint, ad Traditionem et usum Ecclesiæ confugere. Aut ubi, quæso, Scriptura indicat, prohibitam esse polygamiam simultaneam; licitum esse usum sanguinis et suffocatorum, et præceptum observationis diei Dominicæ loco abrogati Sabbati esse institutum? Alia quidem ex Scripturâ inferuntur, at non si Traditionem contemnas, liquidò evincuntur. Sic processionem Spiritûs S. à Filio; unam tantùm personam, et duas naturas in Christo; divinarum personarum in unâ eâdemque substantiâ æqualitatem; Sacramentorum numerum; item numerum, authentiam et genuinum sensum SS. librorum, aliaque multa non ita expressè invenies in canonicis Scripturis, ut inde adversarii prorsùs refelli possint. Tandem si quæ in Scripturis expressa sunt, facilè in contrarium sensum detorquentur Traditione rejectâ. Quâ de re ait Hugo Grotius in Annot. ad consult. Cassandri : « Quæ Protestantes tuentur, ea non « sunt omnia ad verbum in SS. litteris. Dicunt admittendas esse consequentias; at ipsi consequentias ad- « mittunt ex privato cujusque ingenio : unde tot et « tam gravia inter ipsos dissidia, et quotidiana divor- « tia. Catholici verò eas admittunt consequentias, « quas admisit vetus Ecclesia, antiquo et universali « consensu. *Atque ita stat omne verbum in duobus te- « stibus, in Scripturâ, et in Traditione, quæ mutuò « facem sibi allucent.* » Hæc Grotius vir ille acutus, et à nostrâ communione alienus.

§ 72.

Existentiam denique traditionum divinarum plures etiam alii Acatholicorum admiserunt. Sic primò ipse Lutherus suæ quasi doctrinæ oblitus ad Marchionem Brandenburgensem scribit : *Periculosum et horrendum est, quidquam audire, vel credere, quod adversetur unanimi testimonio fidei, et doctrinæ sanctæ, et catholicæ Ecclesiæ, quam illa inde ab initio per annos plus mille quingentos servavit.* Philippus Melanchton apertè stat pro Traditionibus dogmaticis ad Cratonem medicum Uratislav., his verbis : *Existimo autem ad confirmandas mentes consensum vetustatis plurimùm valere; et optimi magistri atque duces esse possunt Irenæus, Tertullianus, Augustinus, qui plurima hujus generis posteritati reliquerunt : ex his monumentis quivis cognoscere poterit, ipsos inprimis adhibuisse fidei regulam. Huic jungebant piorum atque eruditorum suffragia, consensumque apostolicarum Ecclesiarum, quas ab ipsis Apostolis, vel apostolicis viris originem duxisse constabat.* Idem Melanchton apud Grotium : *Universalis*, inquit, *consensus omnium temporum est testimonium, quòd hæc ordinatio sit apostolica.* Samuel Basnagius licet cæteroquin Traditiones speciali dissertatione impugnet, in eâdem tamen candidè fatetur, Socinianos solâ viâ Traditionis confutari posse. Israel Gottlieb Canzius, in compend. Theol. purioris, 1761, scribit : « Traditio universalis est ab omni cœtu christianorum, omni loco, omni tempore credita et approbata, « quòd, v. g., divinitùs inspirati sint libri Nehemiæ « etc.... Tales Traditiones veneramur veluti divinas. » Plura ejusmodi testimonia lege apud Steph. Wiest tom. 3, § 92.

§ 73.

His jam pro limitibus mihi præfixis nimis fusè, pro rei tamen gravitate nimis breviter pertractatis, adhuc investigandum restat, undenam traditiones divinæ à merè apostolicis et purè ecclesiasticis liquidò secerni queant. Absit enim à sanctâ Matre nostrâ Ecclesiâ tetra hæc labes, quam hostes non pauci eidem immeritò affingunt, quòd scilicet purum putum verbum humanum pro verbo Dei tradito fidelibus suis sæpenumerò obtrudat. Abest, inquam, remotissimè, prout sequentes ostendunt regulæ.

I. *Si Traditio illa, de quâ quæritur, non semper viguit, ecclesiastica tantùm esse Traditio dignoscitur :* quæ nempe nec à Christo, nec ab Apostolis, sed post Christi in cœlos ascensum, et Apostolorum ex hâc

vità discessum introducta ab Ecclesiæ Præpositis, ac tandem per modum legis, vel consuetudinis ad nos usque delata est.

II. *Traditiones, quæ aliquando cessârunt, aut etiam variè in variis Ecclesiis observatæ sunt, aut mutari possunt, vel merè apostolicæ, vel merè ecclesiasticæ censendæ sunt.* Sic reipsà cessavit lex, et Traditio apostolica de non comedendo sanguine, et suffocato. Varia fuit praxis conferendi baptismum aut immersione trinâ, aut affusione aquæ. Mutari quoque potest jejunium quadragesimale, et abstinentia à carne certis diebus. « Regula quidem fidei, inquit Tertullianus, l. « de vel. Virg., una omninò est, sola immobilis et ir- « reformabilis, etc.; hâc lege fidei manente, cætera « jam disciplinæ et conversationis admittunt novita- « tem correctionis, operante scilicet, et proficiente « usque in finem gratiâ Dei. » Et S. Augustinus, ep. 36 ad Casulanum : *Sit una fides universæ, quæ ubique dilatatur, Ecclesiæ, etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis operationibus celebretur, quibus nullo modo, quod in fide verum est impeditur.*

III. *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Hæc regula, quam adhibet S. Aug. l. 4 de Baptis. ad probandum, quòd dogma de baptismi virtute etiam parvulos sanctificante ab Apostolis traditum sit, universim non definit, an talia pro meris traditionibus apostolicis, an verò etiam divinis habenda sint. Idipsum verificatur de illâ regulâ Tertulliani, l. 1 de Coronâ mil. : « Constat id « esse ab Apostolis traditum, quod fuit apud Ecclesias « sacrosanctum. »

IV. *In ipsâ catholicâ Ecclesiâ magnoperè curandum, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est,* Vincent. Lirin, commonit. c. 3. Hæc regula universim quidem agnoscitur tanquàm inconcussa ad detegendam apostolicæ originis Traditionem; nondùm tamen satis clarè discernit merè apostolicam (ab Apostolis primò et immediatè profectam) à divino-apostolicâ, quam à Christo acceperunt tanquàm doctrinam, quæ fide divinâ credi debeat : ad hanc igitur originem, et revelationem divinam certò cognoscendam ista inserviunt criteria.

I. *Quidquid Ecclesia constanter et universaliter tenet ceu veritatem revelatam, cui contradicere hæresis sit, illud, etsi sacris in litteris non exprimatur, ad divinam Traditionem referendum est.* Christus enim Apostolis, et toti Ecclesiæ in S. Petro ceu fundamento fundatæ promisit perpetuâm assistentiam et directionem S. Spiritûs in docendâ omni eâ veritate, quam ipse illos ore suo divino docuerat.

II. *Ob eamdem prærogativam etiam illa doctrina, quam Ecclesiæ quædam apostolicæ constanter tradiderunt tanquàm ab Apostolis transmissam, et divinitùs revelatam, pro verè divinâ tunc habenda est, quando universalis Ecclesiæ declaratio postea accedit;* priusquàm verò Ecclesia tale judicium ferat, diversa sentire licebit iis, quibus de divinâ hâc Traditione non satis constat.

III. *Constans et perpetua Traditio, cujus origo, sive inductio et mutatio omnem potestatem humanam excedit, atque à solâ Dei voluntate dependet, rursùs divina censetur,* v. gr. sacramentorum institutio.

IV. *Traditio divina invariabilis est; quæ enim Christus præscripsit, ea nemo audet variare,* S. Aug. ep. 118 ad Januar.

CAPUT II.

De fidei Symbolis.

§ 74.

Symboli vo abulum, etsi non unam habeat etymologiam apud auctores ecclesiasticos, propriè tamen indicium ac signum denotat, quo vel milites dignoscebantur ab hostibus, vel quo in pactis, conventisque loco tabellarum ac syngrapharum veteres utebantur. Quam ob rem hìc communi suffragio professio fidei ideò symbolum vocatur, quia hâc velut tesserâ jam ipso nascentis Ecclesiæ exordio catholicæ religionis vindices, præcipua fidei suæ capita complecti, et ab aliis quibuscumque diversæ fidei sectatoribus distingui voluerunt.

§ 75.

Illustriora hujusmodi symbola sunt quatuor : *Apostolicum* nempe; *Nicænum; Constantinopolitanum :* et sic dictum *Athanasianum,* in quibus una eademque credendorum summa ac norma hoc solùm discrimine proponitur, ut in primo contractior, in cæteris fusior appareat earumdem veritatum confessio. Dùm enim in concilio Nicæno dicitur : *Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri,* quid aliud est, quàm clarior quædam ad confundendam Arii hæresin ex Traditione divinâ superaddita expositio, in quâ idem prorsùs sensus, atque eadem veritas exprimitur, quæ in symbolo Apostolorum illis verbis continetur : *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum.*

Quod de Spiritûs S. Deitate et æqualitate cum Patre et Filio habet Constantinopolitanum, jamjam eredebatur in Apostolico per illa verba : *Conceptus de Spiritu sancto;* illa autem loquendi formula : *Qui ex Patre, Filioque procedit,* apostolico sensui magis adaptata et plana videbatur concilii Patribus, quàm alter Græcorum loquendi modus : *Qui à Patre per Filium procedit,* tametsi hæc discrepantia, sepositâ malevolorum intentione, qui Spiritûs S. Deitatem impetere conati sunt, in verbis multò magis, quàm in re ipsâ sita esse videatur. Additam quoque vocem : *Apostolicam* novimus ad lucidiorem Ecclesiæ christianæ et catholicæ naturam et originem detegendam.

Totum denique symbolum *Quicumque*, de cujus auctore non convenit inter eruditos, nil penitùs aliud est, quàm exquisita ex verbo Dei scripto et tradito mysteriorum Trinitatis et Incarnationis explicatio juxta catholicum sensum, et fidem. Adnectuntur solummodò hæc verba : *Redditurі de factis propriis rationem, et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum,* id quod in S. Scripturis sæpiùs confirmatum legitur. Quapropter hæc symbola

ab universâ Ecclesiâ, quia divinam et catholicam doctrinam proponunt, jure, ac meritò, tanquàm publica fidei catholicæ professio, jam antiquitùs recepta sunt (1).

§ 76.

Utrum Symbolum vulgò Apostolorum dictum conditores habeat ipsos Apostolos, ad fidem adeò non spectat, ut adhuc lis sub judice hæreat. Licet enim plerisque scriptoribus et historiographis catholicis catholica, aut saltem omninò certa videatur sententia, quòd symbolum istud ab Apostolis fuerit compositum; non desunt tamen ex eruditis, qui eamdem persuasionem vel in dubium vocant, vel datâ operâ explodunt. Et sanè ex eo primario fundamento, quòd Patres symbolum istud *fidem apostolicam, regulam fidei ab Apostolis traditam* appellent, nil aliud profectò sequitur, quàm quòd in eâ doctrina apostolica contineatur; et hoc sufficit, ut ab omnibus pro regulâ fidei traditâ haberi possit.

CAPUT III.

De Sanctorum Ecclesiæ Patrum Auctoritate in Doctrinâ Fidei.

§ 77.

Patrum nomine latiùs accepto vocamus eos prælatos, aliosque de clero viros, qui vocibus ac scriptis Ecclesiæ fundandæ, aut amplificandæ operam magis sedulam navàrunt: quâ sub significatione Patres Ecclesiæ dici possunt non tantùm Apostoli, sed etiam, qui juxta S. Augustinum pro Patribus nati sunt filii, id est, pro Apostolis episcopi; imò omnes viri ecclesiastici, qui verbo, aut litteris, de populo christiano optimè sunt meriti. Ex communi tamen probatoque Ecclesiæ usu sub nomine SS. PP. propriè sumpto veniunt viri ecclesiastici, qui doctrinâ eminent, sanctitate florent, antiquitate vigent, et expressâ, vel tacità Ecclesiæ designatione gaudent.

§ 78.

Porrò dignoscendis non minùs, quàm vindicandis traditionibus vel maximè inservit auctoritas Patrum et doctorum Ecclesiæ utpote testium, et custodum antiquæ et apostolicæ doctrinæ; « nullum siquidem, ait « Murat., lib. 1, c. 18, solemniter constitutum est Ec- « clesiæ catholicæ dogma, quod evidenter antea non « apparuerit in Patrum scriptis, atque in aliis ecclesia- « sticæ Traditionis præcedentibus monumentis memo- « riæ mandatum. Id cernere est in conciliis Ephesino, « Chalcedonensi, Constantinopolitano II, III et IV, in « Lateranensi sub Martino, in Florentino et cæteris fe- « rè omnibus, ubi è Traditione Patrum omnia sancium- « tur. » Præterea de Nicæno testatur S. Athanasius, ep. ad Afros: *Episcopi non sibimetipsis adinvenientes verba, sed habentes ea à Patribus testimonia conscripserunt.* De Ephesino, inquit Vinc. Lirin., c. 42 Commonit., « ubi quùm de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne « qua illic forsitan profana novitas in modum perfidiæ « Ariminensis obreperet, universis sacerdotibus, qui « in illo ducenti ferè numero convenerant, hoc catho- « licissimum, felicissimum atque optimum factu vi- « sum est, ut in medium SS. Patrum sententiæ pro- « ferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, « omnes verò catholicos sacerdotes fuisse et per- « mansisse constaret: ut scilicet ritè atque solemniter « ex eorum consensu et decreto, antiqui dogmatis « religio confirmaretur, et profanæ novitatis blasphe- « mia condemnaretur. » Concilium quoque Chalcedonense et Nicænum II usurpant passim in statuendis fidei decretis has et similes formas: *Hæc est fides Patrum; sequimur in omnibus SS. Patres; in tali sensu SS. PP. fuisse comperimus.*

§ 79.

Insuper expressam legem sequendi Patres plures tulêre Synodi, ut Chalcedonensis, act. 1: *Si quis Patrum fidem innovat, anathema sit.* Trullana, can. 19, præcipit: *Si ad Scripturam pertinens aliqua controversia exorta fuerit, ne eam aliter interpretentur Ecclesiæ præsules, quàm quo modo eam Ecclesiæ luminaria, et doctores suis scriptis exposuerunt.* Toletana XV: *Quidquid contra SS. Patres creditur, à rectâ fidei regulâ aberrare intelligitur.* Tridentinum verò, sess. 4, decernit: *Ut nemo prudentiæ suæ innixus in rebus fidei et morum contra unanimem SS. Patrum consensum S. Scripturam interpretari audeat.*

§ 80.

Quoniam verò istud sacrosanctum Ecclesiæ Patres sequendi præceptum turmatim parvi penditur ac perfrictâ fronte violatur, mirum sanè nemini hâc ætate videbitur, si inde tot errores, temeritates ac scandala enascantur, quæ passim, ac impunè vivâ voce resonant, ex prelo prodeunt, atque totum penè orbem litterarium pseudocatholicis plerùmque auctoribus inundant. In hos, si me veritas amet, gravissima illa oratio optimo jure adaptatur, quâ S. Bernardus, tom. 2, tr. de Error. Abæl. c. 5, nov. edit. Abælardum quondam perstrinxit, dùm iste neglectâ omnium Patrum sententiâ peculiares suas, exoticasque opiniones fidelibus obtrudere attentâsset: *Ecclesiasticorum doctorum*, inquit Bern., *unam omnium de hâc re dicit esse sententiam, ipsam ponit et spernit, et gloriatur se habere meliorem, non veritus contra præceptum* Sapientis, Prov. 22, *transgredi terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri..... Quid in his verbis intolerabilius judicem: blasphemiam, an arrogantiam? quid damnabilius: temeritatem, an impietatem?..... nonne omnium meritò in se provocat manus, cujus manus con-*

(1) Rem acu planè non tetigit, nec vidit manticæ, quod in tergo est celeberr. Christophor. Math. Pfaffius, dùm in dissertatione academicâ contra eruditissimum opus illustr. Jac. Bossuet (quod inscribitur: Historia doctrinæ Protestantium in religionis materiâ continuis mutationibus, contradictionibus, innovationibus variatæ, et fluctuantis), observ. 8, ita scribit: « Non est, quòd multitudinem confessionum Protestan- « tibus objiciat Bossuetus, qui meminisse debebat, Ec- « clesiam veterem immani symbolorum multitudine flo- « ruisse: » quasi verò veteris Ecclesiæ symbola eodem modo in substantialibus fidei, sicut symbola et confessiones Protestantium variàssent; aut quasi Bossuetii evidentes demonstrationes hâc temerariâ Pfaffii comparatione, quâ potiùs, ut aiunt, suis verbis proprioque gladio se jugulat, penitùs enerventur.

tra omnes? omnes, inquit, sic, sed non ego sic. Quid ergo tu? quid melius adfers? quid subtilius invenis? quid secretius tibi revelatum jactitas, quod tot præterierit sanctos, effugerit sapientes?..... Magister gentium accepit à Domino, quod et tradidit nobis. Magister omnium suam doctrinam fatetur non esse suam : non enim ait, à meipso loquor. Tu verò de tuo nobis tradis, quod à nemine accepisti. Qui loquitur mendacium, de proprio loquitur; tibi proinde sint, quæ tua sunt : ego Prophetas et Apostolos audio, etc.

§ 81.

Quando autem, et quanta auctoritas SS. Patribus in doctrinâ fidei et morum tribuenda sit, ex adnexis hisce regulis potissimùm colligitur.

I. *Singulorum Patrum auctoritas est inter se invicem inæqualis :* quia alter alterum ingenio, eruditione, linguarum notitiâ, sermonis copiâ, styli efficaciâ superat : subinde in certâ dogmatis materiâ, ad quam illustrandam occasione exortæ hæreseos manum admoverunt; unde præ reliquis eminet auctoritas Athanasii, et Hilarii circa divinitatem Verbi et cum Patre consubstantialem, Cyrilli Alex. circa unam in Christo personam ; Basilii circa divinitatem Spiritûs S.; Augustini circa gratiam et liberum arbitrium.

II. *Nullius tamen seorsim sumpti judicium habetur irreformabile;* seu *singuli SS. Patres in doctrinâ Christi explicandâ, et tradendâ firmum veritatis argumentum præstare non possunt*, Murat. l. 1, c. 19.

III. Idem ferendum judicium erit, *quando multi, aut plures SS. Patres conveniunt de aliquâ veritate contradicentibus cæteris.* Sic multi docent, istius mundi universitatem non simul in instanti, sed sex dierum spatio fuisse productam, et tamen non est indubitata veritas, quia oppositum tenet Augustinus cum aliis quibusdam. *Nulla igitur doctrina fundata in verbo Dei, seu Scriptura diversimodè exposita à sanctis Patribus aut doctoribus nostris, est doctrina Fidei.* Veronius, Reg. fid. c. 1, § 3.

IV. *Si quæstio fidem non tangat, aut si Patres etiam circa quæstionem fidei tantùm opinando, vel ratiocinando versentur, consensus eorum firmum non præbet argumentum*, Blau, § 45; tunc enim non sunt testes fidei Ecclesiarum, sed privati doctores, quibus non competit plus auctoritatis, quàm eorum rationibus, Melchior Canus, l. 7, c. 3, conclus. 4. *Antiqua nempe SS. Patrum consensio non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solùm in fidei regulâ magno nobis studio et investiganda et sequenda est*, Vincent. Lirin. c. 39.

V. Quid si aliqua novella contagio Ecclesiam commaculare conetur? quid si aliquis error deprehendatur? tunc operam dabit christianus catholicus, ut collatas inter se majorum consulat interrogetque sententias. *Quidquid non unus, aut duo tantùm, sed omnes pariter uno, eodemque consensu apertè, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ullâ dubitatione tenendum*, Vinc. Lirin. c. 4.

VI. *Consentiens itaque Patrum testimonium summam parit certitudinem : est regula fidei moraliter certa : eamdemque auctoritatem sibi vindicat, seu fidem illam asserant Scripturæ, seu traditioni inniti.* Blau, l. c. Unde sequitur, unumquemque fidelium, quamprimùm indubitanter cognoverit, veritatem aliquam in materiâ fidei et morum ab omnibus Patribus tradi, consentire, eamque tanquàm moraliter certam amplecti debere, etiamsi nulla Ecclesiæ definitio præcesserit. Murat. l. c.

VII. Sed adhucdùm prudenter quæritur, quando et undenam unanimis Patrum consensus cognosci et dijudicari possit? constat enim verò, quòd non omnes Patres de omnibus dogmatibus pertractaverint, aut scriptis quidpiam consignaverint. Pro responsione hanc regulam generalem statuo :

Ut ex Patribus dogma catholicum probetur, utque ii verè concordes æstimari possint, tot, et tales in ejusdem dogmatis assertione convenire debent, ut ex collectis eorum testimoniis sufficienter constet, eamdem esse in universâ Ecclesiâ circa idem dogma inviolabilem traditionem, quam deinde evidentiorem, et divinitùs certam Ecclesia declarat, dùm dogmata ipsa statuit.

§ 82.

Ex his regulis prono fluunt alveo sequentes veritates : 1° Consentiens Patrum testimonium est regula fidei moraliter certa, cui proin absque notâ temeritatis nemo unus contradicit. 2. Se solo tamen spectatum istud testimonium, seu ante definitionem Ecclesiæ, non facit dogma divinum, ab omnibus fide supernaturali credendum : nullibi enim exstat revelatio, quæ Patribus assistentiam divinam promittit, neque Patres soli constituunt Ecclesiam, cui soli divina assistentia cognoscitur promissa : qui ergo veritatem à Patribus consentienter traditam negat, censurari debet tanquàm temerarius ; coerceri potest tanquàm refractarius de hæresi suspectus, ab infligendo tamen eidem hæreseos stigmate summâ animi æquitate abstinendum erit. Patet quippe ex § 15, quòd hæreticus non sit, nisi qui dogmati catholico, id est, ab universâ Ecclesiâ proposito obluctatur. 3. « Nec sufficit generali lege, et declaratione Ecclesiæ nobis proponi, Patrum consensum esse sequendum ; nam ut ea, in quibus Patrum deprehenditur consensio, sint etiam fidei catholicæ « dogmata, in specie determinari debent. Et sanè hactenùs Ecclesia semper, antequàm ad dogmatis definitionem procederet, sensum Patrum inquisivit, et « nonnisi tunc ad fidem habendam obligavit, postquàm suâ sententiâ eum esse authenticum fidei « sensum declaravit; quemadmodùm Scripturæ sensus, nisi sigillatim interpretatione Ecclesiæ fuerit « indicatus, fide divinâ non creditur, licet etiam generatim omnes Scripturæ libri tanquàm divini fuerint propositi, » Blaus, § 47. 4. Quanquàm igitur consensus Patrum se solo *divinam* non constituat veritatem, est tamen *veritas purè catholica*, quæ fundamentum præbet definiendis ab Ecclesiâ dogmatibus.

Sectio tertia.

DE ECCLESIA.

CAPUT PRIMUM.

De Auctoritate Ecclesiæ Christi.

§ 83.

Vera à Christo constituta Ecclesia idem nobis sonat, ac hominum in Christum Deum hominem verè credentium societas, ejusdem christianæ fidei, ejusdem veræ doctrinæ professione, eorumdem Sacramentorum communione, et vinculo charitatis sub uno capite Christo unita, in quâ legitimus sit ordo, ac regimen pastorum, præsertim episcoporum, uniusque supremi in terris Christi vicarii, ad communem æternam salutem quærendam et promovendam.

§. 84.

Auctoritas Ecclesiæ hujus est illa ratio sufficiens, ex quâ cognitâ intelligitur, testimonium Ecclesiæ esse veridicum, id est, eam veritatem, quam docet, vel testatur, verè compertam habere et sincerè edicere velle, Stattler, loc. theol. § 93.

§ 85.

Testimonium Ecclesiæ vel humanam, vel divinam exigit fidem, prout scilicet vel humanâ, vel divinâ auctoritate innititur : fidei namque firmitas dependet à firmitate testimonii, seu quale est testimonium, talis quoque erit fides ; si quid igitur fide divinâ credendum sit, testimonium divinum adesse oportet. Paucis : omne, quod credimus, eâ fide ac certitudine credimus, quâ veritas nobis innotescit; sed revelata à Deo religionis dogmata fide et certitudine divinâ credimus, § 6 : ergo eâdem fide, et certitudine divinâ constare nobis debet, id esse revelatum, quod credimus, quia fides divina niti debet testimonio divinâ, quod parit certitudinem infallibilem, et eo ipso omne excludit periculum, quia Deum errare, aut falsum testari posse repugnat.

§. 86.

Verùm, edic, unde nobis abs omni partium studio de revelatis omnibus divinis dogmatibus certitudine infallibili constare poterit? Assumamus omne medium cogitatu possibile, quo propagetur per omnia secula complexus doctrinæ revelatæ : 1. Per lumen rationis; 2. per immediatam singulorum christianorum illustrationem supernaturalem; 3. per ministerium prophetarum, qui ad homines divinitùs instituendos perpetuò excitarentur ; 4. per Scripturam sacram; 5. per Scripturam simul et Traditionem; 6. denique per institutionem societatis perpetuæ, quæ sit custos revelationis sive scripto sive voce traditæ, eamque perpetuò exponat et hominum mentibus inculcet. Atqui Christus non est usus quinque prioribus modis.

I. Christus usus non est ratione humanâ ad verbi sui propagationem ; secùs enim caduco et labili nimis niteretur fundamento ; imò non esset verbum Dei, sed verbum hominum, § 38 et seq. Hinc dicebat Apostolus, 1 Corinth. 2 : *Sermo meus, et prædicatio mea non fuit ad vos in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritûs et virtutis.*

II. Christus non immediatè illustra singulos veritate verbi sui : quia Apostolus ait, fidem suam esse ex auditu; et jubet, ut obediamus præpositis nostris, qui nos docuerunt verbum Dei ; et positos esse docet pastores et doctores, ut non circumferamur omni vento doctrinæ. Id quoque ex propriâ experientiâ novit quisque non fanaticus.

III. Non utitur Christus, ut Deus in vet. Test. prophetis divinitùs excitatis, sed promisit adfuturum se cum Apostolis eorumque successoribus, ut inducat in omnem veritatem.

IV. Christus non reliquit Scripturam, tanquàm solam hominum præceptricem, et controversiarum judicem. Nam id non legitur in Scripturis expressis verbis, quod tamen Acatholici, si principiis suis stare velint, deberent ostendere; legimus verò Christum instituisse ministros ad docendum et controversias finiendas, *ut non simus fluctuantes, et non circumferamur omni vento doctrinæ*. Dein Scriptura non singula continet dogmata; in multis obscura est, etc., prout supra de Traditione ex ipsâ adeò Acatholicorum confessione ostendimus.

V. Scriptura denique, et Traditio sunt equidem primarii fontes ; imò adæquata, ut aiunt, omnium tam agendorum, quàm credendorum norma, ac regula ; minùs tamen tutelæ fidei ac defensioni religionis provisum esset, si solis istis inanimatis regulis niteretur. Quùm enim aut hominum perversitate, ignorantiâ, aut curtâ intellectûs humani supellectile in peregrinos sensus utraque regula flecti, obscurari, aut penitùs denegari possit (quod fatali experimento omni retrò ætate in hæreticis comprobatum deploramus) : hinc non absque sapientissimo divini Numinis consilio factum est, ut alius adhuc fons theologicus velut ex percussâ petrâ (petra autem erat Christus) erumperet, cujus beneficio legitimæ Scripturæ et traditiones adveherentur, atque ab omni ambiguitatis suspicione diluerentur.

VI. Fontem hunc lex Christi fundamentalis subministrat per Ecclesiam sive in toto orbe diffusam, sive in conciliis congregatam, cui supremam contulit auctoritatem docendi atque omnes fidei controversias dirimendi : Ecclesiæ ergo auctoritas sola via est apta ad ingenerandum animis christianorum stabilem securamque fidem : id quod ex eâdem lege Christi fundamentali evidenter innotescit.

§ 87.

Inprimis non ex litteris tantùm, quas Christiani sacras agnoscunt, sed ex profanis æquè, ac ecclesiasticis scriptoribus coævis, et ætatum ex ordine sequentium conspirantibus exploratum, certumque habetur : 1° Ante 18 ferè secula vixisse in Judæâ Jesum appellatum Christum. 2° Eumdem promulgatâ religionis novæ doctrinâ adscivisse sibi discipulos, et habuisse sectatores. 3° Hosque tum ante, tum post Christi mortem persuasisse pluribus eamdem doctrinam à se divulgatam. 4° In ejusdem doctrinæ tam prædicatione, quàm receptione illis successisse alios ad nostra usque tempora, et per universum orbem

terrarum. Atqui hæc multitudo et prædicantium, et recipientium illam doctrinam dicitur Ecclesia Christi, utpote auctore Christo instituta.

§ 88.

Christus Dominus verus legislator fuit, cui *Deus Pater.... omnia subjecit sub pedibus ejus : et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*, Ephes. 1. Hunc Deus Pater ceu legislatorem et doctorem audire jussit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui : ipsum audite*, Matth. 17. Ipsemet etiam Christus suam revelavit potestatem dicens : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terrâ*, Matth. 28. Insuper eamdem actu exercuit, atque omnes visibiles sacri imperii partes exactè adimplevit, dùm sanctissimas leges sancivit, v. gr. legem fidei, Marci 16, 15; legem professionis fidei externæ, Matth. 28, 29; legem baptismi, Joan. 3, 5, etc. Denique legum suarum observatoribus præmia æterna promisit : in earum transgressores è contra gravissimas ac sempiternas pœnas statuit : eosque, qui Ecclesiam non audierint, tanquàm ethnicos haberi præcepit : in vanum ergo laborant, qui Christo officium legislatoris abjudicant, et doctorem duntaxat egisse blasphemant.

§ 89.

Quod Christus gessit S. imperium circa legem recens à se institutam, idem commisit Petro cæterisque Apostolis : *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos*, Joan. 20. Hunc in finem eos ex omnibus elegit vocavitque Apostolos, Luc. 6, 13. Hunc in finem hos omnes in omnibus primitùs instruxit : *Docete omnes gentes.... servare omnia quæcumquè mandavi vobis*, Matth. 28. Hunc in finem hos suæ doctrinæ testes constituit : *Et eritis mihi testes in Jerusalem,.... et usque ad ultimum terræ*, Act. 1. Hunc in finem suam ipsius potestatem communicavit verèque contulit, dùm formam sacri regiminis in Ecclesiâ præscripsit; dùm Petro, super quem tanquàm petram, seu fundamentum, Ecclesiam suam ædificari voluit, claves regni cœlorum promisit, Matth. 16; dùm speciali potestatis prærogativâ eidem pascendi oves suas et agnos suos vicarium officium demandavit, Joan. 21; dùm omnibus quoque Apostolis claves regni cœlorum, id est, quæcumque ligandi et solvendi potestatem concredidit, Matth. 18. Hunc in finem *insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum S.* (meæ videlicet missionis Spiritum); *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt*, Joan. 20. Hunc denique in finem omnes Apostolos misit, et jussit docere omnes homines omnia à se illis tradita dogmata : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terrâ : euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs S., docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*, Matth. 28. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*, Marc. 16. Excipe opus redemptionis, et ecce eumdem missionis finem! *Venit enim Filius hominis salvum facere quod perierat*, Matth. 18. Sed idem Christus, qui venit in mundum, ut salvetur mundus per ipsum, misit quoque Apostolos, ut salutem hominum repararent, ut salvos facerent credentes. *Qui verò* Apostolis prædicantibus Evangelium *non crediderit, condemnabitur*. Ecce gravissimam divinæ legis obligationem omnibus impositam, ut audiant Apostolos, plenamque iis fidem adhibeant docentibus quæcumque ipse mandaverat.

§ 90.

Christus in docendis fidei et morum dogmatis ac legibus, quas ipse prior docuerat, Apostolos dono auctoritatis infallibilis præmunivit. Postquàm enim in mandatis dederat Apostolis prædicare et docere quæcumque ab ipso audierant, è vestigio subjunxit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. 28, ỳ 20. Alias quoque promissiones de missione Spiritûs S. relege, § 10. Apostoli ergo acceperunt à Christo potestatem, authenticè declarandi fidei et morum regulas eo ipso, quia præfulgebant munere docendi, § præc., et easdem auctoritate infallibili explicandi, prout absque controversiâ inter ipsos adeò Acatholicos convenit.

§ 91.

Ipsimet quoque Apostoli et dictis et factis confirmant spiritualis imperii potestatem, jurisdictionem, et auctoritatem infallibilem sibi à Christo fuissse collatam. 1° Non dubitant Apostoli asserere, sibi creditum esse Christi Evangelium, 1 Thessal. c. 2 : *Probati sumus, ut crederetur nobis Evangelium;* 1 Timoth. c. 1 : *Secundùm Evangelium quod creditum est mihi;* 2 Corinth. c. 5 : *Posuit in nobis verbum reconciliationis, pro Christo ergo legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos*; 1 Corinth. c. 4 : *Sic nos existimet homo, ut ministros* (doctrinæ) *Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Act. 1, sic loquitur S. Petrus : *Hunc Jesum Deus suscitavit tertiâ die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo : et præcepit nobis prædicare populo, et testificari;* c. 15 : *Viri fratres! vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere.* 2° Exigunt Apostoli, ut sibi fides adhibeatur; 2 Thessal. c. 3 : *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate;* 2 Corinth. c. 10 : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam;* 1 Corinth. c. 4 : *Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in charitate et in spiritu mansuetudinis?* Hebr. c. 13 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* 3° In suis decisionibus provocant ad revelationem Jesu Christi, et assistentiam Spiritûs S. 1 Corinth. c. 7 : *Puto autem, quòd et ego Spiritum Dei habeam;* Gal. c. 1 : *Evangelium.... non est secundùm hominem, neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Act. 15 : *Visum est Spiritui S. et nobis*, etc.

§ 92.

Præterea Christus legem, societatem atque religionem suam ita instituere voluit, ut potestas legislativa,

jurisdictio sacra, et auctoritas infallibilis in rebus fidei et morum Apostolis primitùs ab ipso concessa, ab his ad futuros ipsorum in munere apostolico successores perpetuò transmittatur et usque ad finem mundi permaneat in Ecclesiâ suâ. Christus enim Ecclesiam suam permanere voluit, et in omne ævum permansuram prædixit talem, qualem ipse primitùs instituit, videlicet societatem perfectam, inæqualem, atque infallibilem in iis, in quibus eidem donum infallibilitatis promisit; atqui Christus Ecclesiæ suæ saltem in causâ fidei et morum donum inerrantiæ promisit, Matth. 16. v. 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Jam verò si potestas docendi integram veramque doctrinam Christi, declarandi quæ obscura, explicandi quæ controversa sunt; sicut et potestas ligandi, solvendi, remittendi peccata, ac eorumdem retentione puniendi refractarios Christi legibus, ab Ecclesiâ post Apostolos fuisset ablata, Ecclesia profectò primitùs instituta nullatenùs permaneret; aut si vel semel tantùm Ecclesia induceretur in errorem fidei contrarium, prævalerent saltem pro illo tempore portæ inferi, id quod omninò repugnat perspicuis amplissimisque Christi promissionibus, quibus certi reddimur, nunquàm fore ut Ecclesia aliquando probet docealque errores fidei ac morum sanctitati contrarios. Spopondit enim Ecclesiæ suæ divinus Auctor, se semper illi esse adstiturum : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. 28; quo quidem loco, quùm sermo sit de his qui ad erudiendas omnes gentes missi sunt : *Docete omnes gentes.... servare omnia quæcumque mandabi vobis*, nemo erit, qui non intelligat, visibili Ecclesiæ Christum promisisse præsentiam suam, gratiæque, ne in docendo erraret, adjutorium. Et quorsùm tendit, quid aliud significat illa repetita Christi Dei hominis asseveratio? *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*, Joan. c. 14, v. 16; *Paracletus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*, ibid. v. 26. Et iterùm : *Quùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quid, inquam, hìc aliud promittitur, nisi perpetua assistentia divina, perpetua infallibilitas in docendâ fidei et morum veritate? Et cui promittitur? collegio Apostolorum, collegio episcoporum, toti Ecclesiæ apostolicæ, toti Ecclesiæ catholicæ : *Vobiscum sum usque ad consummationem seculi : dabit vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in æternum.* Istæ etenim Christi promissiones non ita pertinent ad universitatem Ecclesiæ pastorum, quin etiam respiciant universitatem fidelium, quorum summa est securitas, et inerrantia in pastorum, quibus subduntur, auctoritate infallibili. Unde etiam eadem Veritas æterna ad Apostolos dixit : *Qui vos*, id est, Ecclesiam docentem, *audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*, Luc. 10, v. 16. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, Matth. 18, v. 17. Quæ verba ad minimum de contemptore ecclesiasticæ correctionis et coactivæ potestatis intelligenda sunt, prout ex versu subsequenti 18 evidenter elucet : *Amen dico vobis : quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cælo*, etc. Jam verò si singulares prælati Ecclesiarum particularium in causis moralibus tantâ pollent auctoritate, ut, qui illorum judicio stare recusat, sicut ethnicus habendus sit, multò magis in causâ fidei et morum universali judicio totius Ecclesiæ pastorum obsequendum erit, in quorum societate Spiritus veritatis in æternum permanet, ita ut contra eamdem portæ inferi nunquàm sint prævalituræ : illa igitur societas est infallibilis in servandâ et definiendâ fide, quæ habet à Christo absolutam promissionem perpetuæ et non interruptæ assistentiæ ad docendum omnia, quæcumque mandavit; quæ habet secum manentem Paracletum in æternum, et docentem omnem veritatem; quæ habet eamdem auctoritatem ad docendum, quam ipse Christus habuit; atqui in citatis locis hæc omnia expressis verbis declarantur, aliisque Apostolorum testimoniis ulteriùs confirmantur.

§ 93.

Gravissimi sanè momenti testimonium de auctoritate Ecclesiæ infallibili fert Apostolus Paulus, 1 ad Timoth. 3, dicens : *Hæc scribo..... ut scias, quomodò oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis :* quatenùs nempe in Christi promissionibus fundata, sine ullo errandi periculo omnes veritates, quas à Spiritu S. accepit, semper conservat, fideliter custodit ac filiis suis eo fine credendas proponit, ut unitas fidei servetur. Finis enim, teste eodem Apostolo ad Ephes. 4, institutæ potestatis apostolicæ, et totius muneris Ecclesiæ docentis erat, ut sicut unum corpus, unus Spiritus sumus in Christo; sicut unum baptisma, unus Dominus, unus Deus et Pater omnium, ita quoque una omnium sit fides : *Ipse* (Christus), inquit Paulus, ibid. ỳ. 11 et seq. *dedit ... Apostolos ... Prophetas... Evangelistas... pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei.... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris. Ut idem sapiamus et in eâdem permaneamus regulâ*, Philip. 3, ỳ. 16. Atqui finis iste nunquàm obtinebitur; erimus semper sicut parvuli fluctuantes; circumferemur omni vento doctrinæ, si Ecclesia docens careat auctoritate infallibili explicandi, discernendi, et proponendi omnem fidei veritatem : ergo quia Christus voluit hunc finem, seriamque revelavit voluntatem, unitatem doctrinæ et fidei in corpore suo, Ecclesiâ visibili, conservandi : eo ipso etiam voluit medium, ut videlicet Spiritus veritatis, auctoritas judicandi infallibilis jugiter in Ecclesiâ suâ perseveret; ut, sicut omnia membra reguntur ab unâ animâ, sic etiam omnes Christiani regantur ab uno Spiritu Dei, loquente per Ecclesiam docentem, seu pastores à se constitutos. Quinam autem hi sunt? soli Apostoli, respondent adversarii. At quâ fronte id audent asserere contra tot Christi promissiones totque Apostolo-

rum testimonia? ex quibus ipso facto contrarium constat. Quis enim ignorat? Apostolos potestatem, quam a Christo acceperunt, adhuc viventes passim in alios transtulisse, eosque muneris sui successores veluti à Spiritu S. constitutos, à cæteris christianis haberi voluisse. Ex multis id unicum sufficiat exemplum, Act. 20, ỳ 28, ubi Paulus majores natu Ecclesiæ Ephesinæ his verbis alloquitur : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (1).

§ 94.

Eamdem Christi legem fundamentalem; eamdem potestatem, jurisdictionem et auctoritatem infallibilem in Ecclesiâ igitur permanere, semper agnoverunt, et tradiderunt Patres. Sic jam seculo primo S. Clemens Romanus in ep. ad Corinth. ita scribit: *Deus misit Jesum Christum, et Jesus Christus Apostolos, Apostoli in regionibus, et urbibus prædicantes, quos inter se optimos invenerunt, et Spiritu S. probatos, in episcopos, et diaconos illorum constituerunt, qui crediturі erant : et mandârunt, ut post eorum decessum alii viri probati in ministerio succederent.* Ad initium seculi II, S. Ignatius martyr in ep. ad Magnesios et Trallenses admonet episcopum venerari, *qui Dei loco præsidet, et presbyteros, qui senatum Apostolorum referunt; si hos auferas, nulla erit Ecclesia.* Post medium verò ejusdem seculi jam legitur exemplum hæresis Montanistarum à viginti sex episcopis in unum congregatis authentico judicio condemnatæ apud Eusebium, lib. 5 hist., c. 19, vide Stattler demonst. cath. § 149 et seq. S. Irenæus, l. 5, c. 4, scribit: *Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesiâ sumere;* et l. 4, c. 43: *Obediendum est senioribus* (puta episcopis, sicut ex contextu et antiquitatis usu constat) *qui sunt in Ecclesiâ, qui ab Apostolis successionem accepêre; qui cum successione in episcopatum gratiam certæ veritatis obtinuerunt secundum beneplacitum æterni Patris.* S. Clemens Alexand. ad finem seculi II, in lib. 7 Strom. affirmat: *Infallibiles in Christi Ecclesiâ regulas dari, ex quibus omnes illi damnandi sint, quos vel socordia, vel perversum judicium iisdem regulis uti prohibet.... exactam verò doctrinam non nisi in solâ verâ et antiquâ Ecclesiâ posse inveniri.* Tertullianus, postquàm, c. 20 l. de Præscript. jam probaverat, ab episcopis Apostolorum successoribus, nec aliunde veram fidei et legis doctrinam peti debere, cap. 21, inter alia sic concludit: *Nihil ergo recipiendum, quàm quod Apostoli docuerunt, quænam verò genuina sit Apostolorum doctrina, probandum est testimonio Ecclesiarum ab ipsis fundatarum.* Eos demùm, qui erroris capacem Christi Ecclesiam per suos episcopos consensu doctrinæ unitos à Spiritu S. directam, errare posse existimant, sic, l. c. c. 28, explodit: *Age nunc;* ponè: *omnes erraverint.... nullam respexerit Spiritus S. ut eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ut esset doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicum Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm quod ipse per Apostolos prædicabat.... An aliquos Marcionitas, et Valentinianos liberanda veritas expectabat?* ergo *interim per eràm evangelizabatur*, ergo *per eràm credebatur*, etc.? S. Cyprianus, seculo III, de Unit. Eccles. ait: *Adultari non potest Sponsa Christi..... qui præsentiâ suâ et præpositos ipsos, et Ecclesiam cum præpositis gubernat*, ep. 66; ergo totus persuasus erat, Ecclesiam in fide errare non posse. Seculo IV, celebriora sunt testimonia Lactantii, l. 4, de verâ Sap. et Relig. c. 30: *Sola catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis: hoc est domicilium fidei.* Theophili Alexand. ep. ad Epiphanium: *Dominus singulis temporibus eamdem Ecclesiæ suæ gratiam largitur, ut integrum corpus conservetur, et in nullo hæreticorum dogmatum venena prævaleant.* S. Ambrosii, ep. 32 ad Valentinianum imp. l. 5: *Certè si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat, in causâ fidei, in causâ, inquam, fidei episcopos solere de imperatoribus christianis, non imperatores de episcopis judicare?* Seculo V, S. Joan. Chrysostomus, hom. de suâ expulsione, inquit: *Christi Ecclesiâ nihil fortius; si quis eam impugnare proponit, vires atterat, necesse est, velut si cœlo bellum meditatur inferre. Ecclesiam nulla vis vincere potest; Deus est in Ecclesiâ, qui est omnibus fortior.* S. Augustinus in Psal. 60: *Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus seculi finis;* et in verba Apostoli, 1 Timoth. c. 3: *Non inclinabitur in seculum seculi, ipsa est prædestinata columna, et firmamentum veritatis.* Eamdem quoque veritatem clariùs explicat adversùs Donatistas in lib. 1 contra Cresconium, c. 33, lequens de valore baptismi hæreticis collati: *Quamvis hujus rei certè de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hâc re à nobis tenetur veritas, quùm hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas : ut quoniam S. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illâ consulat, quam sine ullâ ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.*

§ 95.

Admodùm pauca hæc sunt testimonia, si cum cæteris comparentur, quibus Patres universim hanc doctrinam testatam faciunt. Quid ergo aliud nobis agendum restat? quàm, *ut idem sapiamus, et in eâdem permaneamus regulâ;* ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc etenim verè proprièque catholicum sonat, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat. Jam verò tanta semper, et ubique ab ipso Apostolorum ævo usque ad nostra tempora de infallibili Ecclesiæ tam dispersæ, quàm con-

(1) Ex recentioribus infallibilitatis Ecclesiæ hostibus et recentissimus, et perniciosissimus esse videtur quidam Anonymus, verus sub ovinâ pelle, sub specie bonæ voluntatis, et catholicæ religionis professione latitans lupus, ex ipsâ jam fronte facilè agnoscendus. Hic auctor, qui omnem novam, et veterem adversùs Ecclesiam armaturam ex hostium officinâ undique, et magnâ diligentiâ corrasit; S. Scripturam in alienum sensum contorsit; Patrologiam et Historiam ecclesiasticam temerè adulteravit, mereretur sanè ut ei larva detrahatur, si non jamdudùm solidâ eorumdem et similium argumentorum refutatione detracta fuisset.

gregatæ auctoritate apud omnes fideles invaluit persuasio, ut pro defensione dogmatis ab Ecclesiâ clarè decisi, pro tuendis ore et corde conciliorum definitionibus bonorum expoliationem, exilia, persecutiones, ipsamque mortem tolerare, sanguinem et vitam crudelissimo martyrio profundere non dubitârint. Hinc etiam non aliâ de causâ tanquàm hæretici, excommunicati, atque ab Ecclesiâ ut rebelles præcisi à catholicis semper habiti sunt Simoniani, Gnostici, Valentiniani, Marcionitæ, Montanistæ, Manichæi, Novatiani, Donatistæ, Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, Monothelitæ, etc., quàm quòd cum Ecclesiâ sentire, eam docentem audire, ejusque dogmaticis decisionibus parere contumaciter detrectâssent : ergo constans fuit omnium catholicorum persuasio, Ecclesiam Christi in materiâ fidei, et morum judicem esse infallibilem. Et quamvis Ecclesia nullo expresso canone suam in hâc parte infallibilitatem definiverit, luculentum tamen testimonium perhibent Scripturæ, et ipsa Ecclesia inerrantiam suam continuâ praxi demonstravit.

§ 96.

Accedit tandem in hujus dogmatis confirmationem ipse consensus, et praxis adversariorum. 1° Fatentur non pauci apud Acatholicos, Ecclesiam fuisse à Deo institutam, ut esset hominum magistra in illis, quæ pertinent ad salutem : ita Lutherus in responsione ad Catharinum ; Melanchton in loc. commun. Kemnitius, loc. commun. c. 3, et vulgò omnes Lutherani : ita Calvinus, l. 4 Instit. et omnes passim Calvinistæ, qui non dubitant Ecclesiam dicere verbi divini custodem, testem, præconem, interpretem judicem. Id quoque in utriusque sectæ publicis fidei confessionibus legitur : vide Saxonicam, art. 12, ubi expressè dicitur : « Semper existere societatem, cui Christus tradidit doctrinam suam, et in quâ conservat ministerium, ad eamdem doctrinam conservandam, et propagandam. » In Wirtenbergicâ sic etiam Lutherani profitentur : « Credimus quòd Ecclesia jus habeat judicandi de omnibus doctrinis. » Calvinistæ in confessione suâ Belgicâ, art. 28, statuunt : « Credimus omnes, et singulos teneri Ecclesiæ doctrinæ, et disciplinæ se subjicere. » Waltonus in prolegomenis Bibl. prol. scribit : « Præterea versionum antiquarum, et quæ auctoritatem in Ecclesiâ purâ, et primævâ obtinebant, collatio, ad verum Scripturæ sensum in dubiis et obscuris eliciendum, multùm lucis afferre nemo negaverit, qui animo perpendit, verbum Dei non litteris sive scriptis, sive impressis, sed in vero verborum sensu propriè consistere, quem nemo meliùs explicare potest, quàm Ecclesia vera, cui sacrum hoc depositum Christus commisit.... Unde ejus vocem omnes sub pœnâ gravi audire tenentur, ut et ipsa Sponso suo in omnibus auscultare debet. » Ita passim theologi melioris notæ apud Anglicanos. II. Nulla est secta, quæ non sub gravi pœnâ jubeat fidem addere judiciis, consistoriis, et colloquiis suorum ministrorum in rebus fidei ; et quæ non declaret alienos à salute, excommunicatione et anathemate percellat illos, qui obsequium ministrorum judicio in synodis lato præbere recusant, ut patet in synodo Alesiensi, Carentoniensi, Dordracenâ, etc. Quid hoc aliud est, quàm idipsum facere, quod in catholicis criminantur? Quid, quod maximè admiratu dignum ! non tantùm post lata in synodis decreta, omnibus injunctum erat obsequium jurejurando promittere, sed tenebantur omnes delegati ad synodum nationalem, et Pastores omnes in litteris suis jurejurando polliceri obsequium omnibus articulis in synodo decernendis, antequàm novissent, an futuri essent illi articuli consentientes verbo Dei, necne. Hujus rei exemplum habetur in synodo Vitriacensi, anno 1617, c. 2, art. 1, ubi hæc formula præscribitur : *Promittimus in conspectu Dei nos illis omnibus, quæ in sancto vestro consessu concludentur, et determinabuntur, nosmet esse submissuros, et omnibus viribus elaboraturos, ut ea faciamus, et exequamur : quandoquidem futurum planè confidimus, ut Deus vobis præsideat per Spiritum suum sanctum, et ad verbi sui normam vos ducat in omnem veritatem, in ecclesiæ suæ salutem.* Ubi, quæso, vel semel quid simile legitur apud catholicos? et quomodò istud jusjurandum cum prætensâ libertate sentiendi concordat? nonne negatâ conciliorum infallibili auctoritate omnium iniquissimum habendum erit? vide plura hâc de re apud cl. Joan. Hoocke, tom. 3, pag. 131 et seq.

Caput II.

Statuuntur limites infallibilitatis Ecclesiæ catholicæ.

§ 97.

Ecclesiæ infallibilitatis nomine intelligitur speciale illud privilegium à Christo Domino eidem concessum, quo suam et Spiritûs S. assistentiam eum in finem promisit, ut omni tempore sine omni erroris periculo doceat omnia, quæcumque usque ad consummationem seculi doceri voluit : fundamentum igitur infallibilis auctoritatis Ecclesiæ consistit in promissionibus Christi Domini, § 92. Quoniam verò hìc ipsemet divinus Auctor legis gratiæ plano utique sensu apertos promissionis suæ limites determinavit, dicens, Matth. 28 : *Docete omnes servare omnia quæcumque mandavi vobis. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Joan. 16 : *Paracletus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Hìc sanè secundùm propriam verborum significationem promissiones suas non ultra doctrinam, et leges à se traditas extendit ; sic etiam, Matth. 16, ℣. 16, non aliud Ecclesiæ ædificium contrà omnes hostiles insultus sartum tectumque conservare pollicetur, quàm quod ipse per doctrinam suam jam antea ædificaverat : in nullius ergo hominis arbitrio potestas residet, præfixos hosce terminos plus ultra dilatandi. Lex porrò Christi fundamentalis his comprehenditur dogmatibus.

§ 98.

I. *Ecclesia Christi est infallibilis in omni eâ doctrinâ, et lege, quam ipse Christus revelavit, Apostolis tradidit, atque in eorumdem successoribus sive per orbem dispersis, sive in concilio congregatis perpetuò conservare vo-*

luit. Ecclesia enim est hominum fidelium societas ejusdem fidei professione unita sub regimine legitimorum pastorum § 83 quos Christus, et Spiritus S. in omnem fidei et morum veritatem ita dirigit, ut universim nihil docere, et consequenter etiam fideles universi nihil credere possint, quod doctrinæ Christi contrarium sit, § 92 et præc.

II. *In definiendâ igitur fidei et morum doctrinâ à Christo traditâ Ecclesia tam dispersa, quàm in conciliis œcumenicis congregata dono inerrantiæ præfulget.*

III. *Veræ quoque S. Scripturæ interpretatio ita penès Ecclesiam sive dispersam, sive congregatam residet, ut præterquàm quòd libros divinos ab aliis discernere valeat, etiam infallibiliter exponat genuinum verbi Dei sensum à Christo, et Apostolis traditum.* Sic conc. Nicænum illa Joan. 10, verba: *Ego et Pater unum sumus*, de Filii cum Patre consubstantialitate intellexit; et Tridentinum, sess. 5, textum ad Rom. 5: *Per unum hominem*, etc., de peccato originali omnibus insito; et illum Joan. 20: *Quorum remiseritis*, etc., sess. 14, can. 3, de potestate remittendi et retinendi peccata intelligendum esse definiit: *sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit*, Blau, § 6.

IV. *Eadem pariter Ecclesia judicium falli nescium ferre potest de veris traditionibus divinis.* Christus enim Apostolis, et toti Ecclesiæ in S. Petro, ceu fundamento fundatæ, promisit perpetuam assistentiam, et directionem Spiritûs S. in docendâ omni eâ veritate, quam ipse illos ore suo divino docuerat; sed traditiones divinas ita docuit: ergo in his docendis promisit eisdem Apostolis, et eorum successoribus in S. Petri successore fundatis perpetuam S. Spiritûs directionem, vi cujus falli nequit Ecclesia, et ejusdem judicium reipsà divinam habet auctoritatem, Stattler, loc. theol. § 85.

V. *Ejusdem divinæ promissionis virtute Ecclesia est Judex infallibilis in fidei, et morum controversiis.*

Caput III.

Secretio eorum, in quibus Ecclesiæ judicium non est fide divinâ credendum tanquàm infallibile.

§ 99.

I. *Ecclesia non gaudet infallibiliter assistentiâ Spiritûs S. in docendis rectè veritatibus, quæ ratione tantùm ex revelatis, licet evidenter, concluduntur:* nam nulla conclusio, quatenùs præcisè conclusio est, sufficit fundando articulo fidei catholicæ, § 23; et Christus Joan. 14, promissam S. Spiritûs directionem restringit ad ea quæ ipse dixisset, id est, expressè revelâsset Apostolis. Interim tamen, si Ecclesia easdem veritates ex aliis quoque Scripturæ textibus, aut Traditionis sensu definiat, tanquàm infallibilia Ecclesiæ judicia, et fidei dogmata ab omnibus habenda sunt. §§ 21, 22, 23.

II. *Judicium Ecclesiæ non est infallibile, quando homines damnat, tanquàm hæreticos, qui falsam doctrinam tradiderunt;* fieri enim potest, ait Muratorius, l. 1, c. 19, ut qui prava scripsit, aut pronuntiavit, rectè animo senserit; quique rectè sentiunt, non rectè semper loquuntur, aut disputant, et cor interdùm aliud credit, quùm os ex simulatione aliud pronuntiat; sicut etiam qui à veritate aberrant, sæpè errorem suum verborum ambiguitate obtegere solent. Dein hujusmodi judicia feruntur in facta non revelata, in quibus nulla ab errore immunitas Ecclesiæ Dei promissa fuit. Neque porrò ipsamet Ecclesia consuevit, divinum assensum hujusmodi judiciis vindicare, ut patet ex variis historiæ ecclesiasticæ monumentis. Illustriora sunt, et hùc revocari jure possunt Innocentii III, verba in cap. *A nobis* de sent. Excommun.: *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnunquàm opinionem sequitur* (in definitionibus nempe factorum; nam quæ ad dogma et fidem spectant, veritate divinâ jam revelatâ innituntur) *quam et fallere sæpè contingit, et falli. Propter quod contingit interdùm, ut qui ligatus est apud Ecclesiam, sit solutus: et qui liber est apud Deum, ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus.* Attamen, quamdiù non constat, judices fuisse deceptos, ratio poscit, ut inviolata et veneranda sint hujusmodi judicia, præsertim si certiora evaserunt per nimiam rerum evidentiam, publicamque hæreticorum pertinaciam, prout tristis plerùmque experientia testatur. Quare in his auctoritati Ecclesiæ, cui ex divino præcepto obedientia debetur, obtemperare et acquiescere nolle, peccatum ariolandi est.

III. *Ecclesiæ decreta non sunt infallibilia in factis, ut aiunt, dogmaticis,* dùm nempe Ecclesia, jure, seu dogmate jam supposito, decidit, num liber determinatus, aut propositio cujusdam libri contrarium hujus dogmatis relatè ad sensum auctoris affirmet? decidit quæstionem facti dogmatici, seu factum cum dogmate conjunctum, v. gr., Ecclesia præsupponit dogma: *Dei præcepta hominibus justis volentibus, et conantibus non sunt observatu impossibilia.* Indagat deinde de facto, num liber: Augustinus à Jansenio Yprensi inscriptus contrarium hujus dogmatis contineat *in sensu à Jansenio intento.* Hujus decisio facti, est decisio facti dogmatici. Verùm in hoc Jansenii negotio ait iterùm Muratorius, « dùm Ecclesia explicat, et statuit, « quem sensum, « et quam doctrinam ipsa damnaverit « damnatamque velit in quinque propositionibus Jansenio tributis, dogma fidei in tuto erit, atque errori « præcludentur viæ, neque ulla necessitas erit credendi supernaturali assensu illam damnatam doctrinam in Jansenii verbis, atque intentione fuisse, « cùm id scire aut credere, nescire aut negare merum tantummodò factum respiciat, à quo doctrina « fidei nequaquàm pendet; » vid. l. 1, c. 20, Murat. aliorumque præstantissimorum virorum argumenta.

IV. *Ecclesia non est infallibilis quoad leges, præcepta, praxes, et cæremonias merè ecclesiasticas.* Quamvis enim aberrare nequeat in declarandis morum legibus, et doctrinis à Christo revelatis; quamvis nunquàm possit proponere legem universalem, quæ fidelium saluti præjudicet, aut Christi doctrinam evertat, eò quòd in his circumstantiis inferorum portæ adversùs Ecclesiam prævalerent; § 52 nihilosecius tamen in-

concussa permanet regula : quod non est revelatum, non est objectum infallibilitatis Ecclesiæ, nec est fide divinâ credendum ; atqui leges, præcepta, praxes, et cæremoniæ merè ecclesiasticæ non sunt revelatæ : ergo etiam non sunt objectum infallibilis Ecclesiæ auctoritatis ; adeòque nec fide divinâ credi debent. Privilegium etenim inerrantiæ fundatur in Christi promissionibus ; jam verò Christus promissiones suas ad leges, et doctrinas à se traditas et revelatas restrinxit, § 92 ; hinc saltem infallibili fidei certitudine non constat, quòd Christi promissiones sese etiam ad leges, et præcepta ecclesiastica extendant. Propterea tamen auctoritas Ecclesiæ in decernendis suis legibus salva atque integra persistit ; et meritò à fidelibus subjectionem debitam, atque internum animi assensum exigit ; aut etiam emergente necessitate easdem leges sub anathematis pœnâ sibi vindicat, quia potestatem legislativam ad puritatem fidei conservandam, fideliumque salutem faciliùs promovendam divinitùs ita accepit, ut nihil institutioni divinæ, aut societatis fini contrarium statuere possit. Si enim reipublicæ civilis judicio obtemperandum sit, quamvis nullo inerrantiæ privilegio gaudeat, quantò magis judicio Ecclesiæ obediendum erit, quæ saltem in substantialibus ab omni errandi periculo divinitùs præservata fuit ?

Caput IV.

Criterion concilii œcumenici.

§ 100.

Nusquàm firmior est, magisque veneranda Ecclesiæ auctoritas, quàm in dogmatis sanciendis. Ita se rem habere, ea omnia suadent et persuadent, quibus Ecclesiam à veritate deviare in salutis doctrinâ nunquàm posse, supra ostendimus, § 97, 98. Id religionis æternùm servandæ necessitas postulat ; id humanæ rationis imbecillitas exigit ; id Christus pollicitus est ; id ubique et semper ; et concorditer credidit Ecclesia Dei, statuerunt concilia, tradiderunt Patres, Murat, l. 1, c. 13. Cognoscere autem existentiam dogmatis tum dicimur, quùm certi sumus, Deum per os Christi, Prophetarum, Apostolorum Ecclesiâ definiente, illud revelâsse, et constituisse dogma.

§ 101.

Porrò Ecclesia fidei dogmata decernere, declarare ac definire solet vel per episcopos cum visibili in terris capite, legitimo romano Pontifice unitos, et in synodo generali congregatos ; vel per eosdem extra concilium in idem consentientes. Concilium in genere nuncupatur legitima præpositorum, præsertim episcoporum Ecclesiæ congregatio vel ad fidei controversias decidendas ; vel ad tollenda schismata ; vel ad fidelium mores reformandos, et restaurandam collapsam Ecclesiæ disciplinam ; unde, ni fallor, jam satis luculenter apparet, quàm necessaria nostrâ potissimùm ætate forent concilia. Concilium verò generale, seu œcumenicum rectè definitur congregatio, ad quam ex convocatis totius Ecclesiæ episcopis tot ac tales conveniunt, ut Ecclesiam universalem repræsentent.

§ 102.

Quùm verò sat multa sint, quæ ad concilium generale legitimum passim requirantur, hinc continget sæpenumerò, ut de conciliis quibuscumque disceptetur, nisi certo indicio constet, quænam ab omnibus tanquàm concilia generalia, ac legitima sine controversiâ habenda veniant. Porrò certum ejusmodi indicium optimo jure *ex unanimi universæ Ecclesiæ consensu, et acceptatione repetitur*, ita, ut ea duntaxat concilia generalia legitimaque credantur, quæ aut jam ipsâ celebratione ita sunt comparata, ut universam Ecclesiam verè repræsentent ; aut, accedente postmodùm totius Ecclesiæ consensu, et acceptatione, repræsentare communi æstimatione censeantur. Primum contingit, quùm in ipsâ celebratione nihil eorum deesse cognoscitur, quæ ad œcumenicam synodum requiruntur. Posterioris verò generis exemplum suppeditat concilium Constantinopolitanum I, et præsertim II, generale V, cui episcopi Galliæ, Hispaniarum, Africæ, Venetiarum, Istriæ, Liguriæ, Insubriæ, non obstante, quòd à Pontificibus Vigilio et Pelagio confirmatum fuerit, satis diù reluctati sunt, eò quòd concilio Chalcedonensi adversari existimârunt ; tandem verò re meliùs cognitâ universalis Ecclesiæ consensu receptum est. Quâ de causâ potest aliquod concilium generale, et legitimum esse quoad se, quin tamen sit tale quoad nos. Verùm, ut hìc cavillantium argutiis omnis præcludatur via, ultrò fatemur quòd dogma fidei haud sit, per accedentem Ecclesiæ acceptationem infallibiliter probari, concilium jam antecedenter verè in se fuisse œcumenicum : subsequens etenim acceptatio doctrinam quidem concilii catholicam fuisse demonstrat, universalitatem tamen concilii invictè et dogmaticè non comprobat ; nam secùs idem verificaretur in conciliis particularibus ab Ecclesiâ receptis. Utrum igitur aliquod concilium, de quo suboritur dubium, reverà fuerit œcumenicum, est quæstio facti, quæ à communi æstimatione et judicio dependet ; et hinc sufficit, si morali certitudine constet. Sic olim S. Athanasius in ep. ad episcopos Africæ probavit adversùs Arianos concilium Nicænum generale ac legitimum fuisse, scribens : *Verbum Domini per œcumenicam Niceæ synodum manet in æternum....* ; *huic certè concilio universus orbis assensum præbuit, et quanquàm multæ habitæ sint synodi....* ; *hanc omnes agnoverunt, et admiratæ sunt, et subscriptione approbârunt.* S. Augustinus, l. 1. de Bapt. contra Donat, inquit : *Plenarii concilii sententia totius Ecclesiæ, quæ erroribus haud subjacet, consensio est.* Eâdem quoque ratione Patres conc. Nic. II, act. 6, pseudosynodum constantinopolitanam contra imagines rectè rejecerunt : *quia hujus modi synodi sonus non in omnem terram more Apostolorum exierit, quemadmodùm lex sanctarum et universalium synodorum.* Ut porrò clariùs innotescat, quænam concilia pro generalibus accipienda sint, ex jam dictis præcipuas quasdam eruo regulas.

§ 103.

I. *Præcipuum, quod ad universale et legitimum con-*

cilium requiritur, in eo situm est, ut extra casum schismatis in conciliis regnet mutua communio potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem, atque episcopos : scilicet, ut nec corpus sit sine capite, nec caput sine corpore quidquam decernere moliatur; sed integra debet esse repræsentatio. Enimverò si in concilio reliqua deessent membra, caput sine corpore vegetari Spiritu, aut vigere sensu Ecclesiæ haud posset : si autem ecclesiastici corporis repræsentatio sine capite existeret, et omni influxu, atque auctoritate legitimi romani Pontificis careret, tunc deesset mutua potestatis communio, et quod necessariò consequitur, totius Ecclesiæ repræsentatio. In eo igitur versatur dogma catholicum, in quo et omnes consentiunt, Ecclesiam capiti junctam ineluctabilem sortiri auctoritatem, cui singuli fideles tenentur assentiri. Dixi : *extra casum schismatis*, quale g., tempore concilii Constantiensis Ecclesiam afflixit. Tunc enim, quùm aut nullum, aut dubium esset Ecclesiæ caput, frustra exigeretur ea mutua communio.

II. *Ut concilium generale legitimum dici possit, requiritur : ut ad illud convocentur totius orbis catholici episcopi*, § 101. Requiritur,

III. *Ut conveniant tot, ac tales episcopi, quot ad repræsentandam Ecclesiam sufficiunt;* quùm autem id exactè determinari nequeat, à communi æstimatione, et Ecclesiarum concordi judicio dependet, § 102. Potest enim unusquisque episcopus seorsim non tantummodo id testificari, quod in suâ diœcesi, sed etiam quidquid in suis universis provinciis vel creditur; vel exercetur tanquàm doctrinæ revelatæ articulus, aut divinùs institutum religionis exercitium, Holden, l. 1, c. 9. Id factum legimus in synodo generali VI, Constantinopolitanâ III, sub Agathone papâ, qui suo, et synodi romanæ nomine in ep. ad Constantinum Imp. scribit se delegisse personas peculiares, *quæ universorum per septentrionales, et occiduas regiones episcoporum suggestionem, unàque apostolicæ ipsorum fidei confessionem offerre deberent.* Requiritur,

IV. *Ut liberè ab iis causæ Ecclesiæ examinentur, ac decidantur.* Vide cl. Wiest, tom. 3, § 314.

V. *In dubio, an concilium generale sit vel ex omni, vel ex aliquâ duntaxat parte legitimum, criterium veritatis sufficiens fundatur unanimi Ecclesiæ acceptatione et consensu*, § 102; id est, eatenùs sunt generalia, quatenùs ab universâ Ecclesiâ fuêre recepta. Sic non universim admittitur sessio IV et V, conc. Constant. Sic à plerisque meritò secernitur à conc. œcum. Florent. decretum Eugenii IV ad Armenos etc. Sic quamvis passim, et ritè defendatur à Germanis, et Gallis Conc. Basileense fuisse œcumenicum usque ad sessionem XXV, pro tali tamen ob defectum unanimis consensûs, sicuti Lateranense V, 1512, ab universâ Ecclesiâ non agnoscitur.

VI. *Omne igitur, et solum istud concilium est generale, quod ab universâ Ecclesiâ ut tale fuit recognitum et acceptatum. Quamprimùm autem de hoc consensu constat, ab omnibus sine ulteriori examine recipiendum est.* Ideò etiam Gelasius papa, caus. 25, q. 1, can. 1, statuit, *uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit, assensus, exequi oportere;* vid. Blau, § 37. « Quis enim verò nesciat infallibilitatem Ecclesiæ in Christi doctrinâ non hypotheticam, sed penitùs absolutam esse, id est, à nullis conditionibus legibusque pendere; atque adeò ipsam Ecclesiam nunquàm opiniones adoptaturam veræ fidei, ac Traditioni contrarias; et nullis diaboli artibus, nullâ suorum præsulum incuriâ ac pravitate ipsam à germanis Christi dogmatibus credendis, et confitendis posse ullo unquàm tempore deduci. » Murat. l. 1, c. 19.

VII. *Non est de fide catholicâ, quod definitum fuerit in ullo concilio provinciali, etsi papa eidem per se, vel per legatos præsideat, illudque approbet*, quia tale concilium particulare non est Ecclesia universalis; vid. Veron. c. 1, § 4.

VIII. *Si verò concilia particularia ab universâ Ecclesiâ recepta sunt, fidei quoque regulam constituunt*, quia Ecclesiæ universalis fidem exprimunt et continent, uti, v. gr., Arausicanum II, Carthaginense IV.

§ 104.

Quùm autem non omnia, quæ in conciliis œcumenicis constituta, aut probata, sive etiam improbata leguntur, eodem obsequii venerationisque genere suscipienda sunt, § 22 ; hinc pro dignoscendo charactere propositionum, quæ ibidem definiuntur, quædam observandæ veniunt regulæ.

I. *Ut conciliorum generalium judicia certissimum, ac infallibile veritatis argumentum præstent, divinâ revelatione semper inniti debent.* Quùm porrò aliæ dogmatum rationes fundamentales in promptu haud sint, quàm SS. Scripturarum oracula, aut ipsius divinæ Traditionis indubia argumenta; hinc etiamsi concilia generalia rationibus minimè propositis dogmata credenda proponant, compertum tamen est, ipsorum decretis sacras Scripturas, et Traditionem argumentum et causam dedisse : unde consequitur,

II. *Si rationes aliunde, quam ex Scripturâ aut Traditione divinâ sint repetitæ, nec ad fidem spectant, nec infallibili judicio ab Ecclesiâ proponuntur.* Sic, ubi in Conc. Lateran. sub Leone X, definitur, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omninò falsam esse, *quia verum verò minimè contradicit*, ob hanc philosophicam rationem canon iste dogmaticus non est. Sic paritas illa symboli quicumque : *Sicut anima rationalis, et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus*, ad philosophiæ, non fidei fundamenta pertinet; quæ igitur nullo alio fundamento consistunt, quàm humanis rationibus, humanisque experimentis humanam quidem, nunquàm tamen divinam exigere fidem, neque fidei dogmatibus accenseri possunt.

III. *Nemo inter catholicos negat quin ad decernendas fidei quæstiones ipsis quoque conciliis necesse sit, Scripturas et Traditionem diligenter consulere.* At qui liqueat, hujus conditionis rationem fuisse habitam, quando Patres obiter, atque alio intenti hujusmodi sententias ingerant? Tunc solùm respondet Murat. l. 1, c. 19, se servandos ab omni erroris periculo immunes Ecclesiæ

pastores, in proponendâ cœlesti doctrinâ, sperare et credere possunt, quando deditam fidem et diligentiam ipsi adhibebunt in colligendâ illâ è S. Scripturâ conciliis, Patribus, aliisque Traditionis ecclesiasticæ monumentis. Hinc rectè concludit et exigit Veronius c. 1, § 4.

IV. *Ut definitio facta sit conciliaris*, id est, ut concilium veritatem definierit propriè tanquàm decretum fide catholicâ tenendum; quemadmodùm Martinus V asseruit, *se confirmare tantùm ea decreta de fide, quæ facta erant in concilio constantiensi conciliariter, seu more aliorum conciliorum, re diligenter examinatâ.* Nam et ab Apostolis presbyterisque in synodum Jerosolymitanam congregatis facta est prius, ut et S. Lucas testatur, magna conquisitio; et in Nicænâ synodo, ut Rufinus tradit, l. 10 Hist. eccl. c. 2, per singulos dies agebantur conventus : nec facilè, nec temerè, de re tantâ statuere audebant Patres. Quæ autem concilia huic muneri defuerunt, conciliabula evaserunt, sicut de synodis Ariminensi, Ephesinâ latrocinii, aliisque exploratum habemus.

V. Sicut itaque ea quæ in conciliorum decretis, vel explicandi causâ, vel etiam obiter præter institutum, et extra materiam inquisitioni subjectam à Patribus proferuntur, non sunt fidei catholicæ judicia, Canus, l. 5, c. 5, q. 4; *ita neque illud dogmaticæ definitionis vim habet, quidquid per modum proœmii, vel clausulæ, viam decreto præmunientis, et parantis aditum canonibus adstruitur*, Holden. l. 2, c. 3, § 2. Unde generaliter dicimus cum citato Veronio :

VI. *Ex iis quæ continentur in capitibus conciliorum id solum, et totum est de fide, definitur, et de fide credendum proponitur.* Ratio hujus regulæ est, quia in capitibus varia exponuntur motiva et argumenta, quæ ad uberiorem duntaxat dogmatis explicationem, non verò ad objectum fidei pertinent; aliquando etenim Ecclesia suam definitionem confirmat testimoniis, ex quibus aliqua seorsim spectata non efficaciter eamdem probant, licet simul sumpta dogmatis veritatem in tuto collocent.

VII. *Quod jam ipsos concernit conciliorum canones, omnes illi fidem divinam et catholicam annuntiant, quorum objectum est materia fidei divinæ;* id quod potissimùm ex eo colligitur : *Si quidpiam expressè ac propriè à fidelibus tanquàm dogma fidei catholicæ accipiendum præcipiatur; si concilium his, aut similibus verbis utatur, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam; hoc patres nostri, et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt*, etc. *Si contrarium asserentes pro hæreticis judicentur. Si demùm concilii definitionem totius Ecclesiæ consensus tanquàm dogmaticam veneratur.*

VIII. *Canones lati in conciliis non nisi eo sensu fidei dogmata creduntur, quo eosdem universa Ecclesia recipit.* Sic dùm conc. Trid. sess. 25, decernit, *sacris imaginibus debitum honorem, et venerationem impertiendam esse*, non definire intendit, cultum hunc esse necessarium, aut præceptum, sed solummodò licitum, etc. Sic pariter canon conc. Florent. de primatu Pontificis non fuit ita ab Ecclesiâ receptus, quasi papa esset judex supremus controversiarum infallibilis; cujus decreta essent de fide, auctoritasque supra concilium; vid. Veron. c. 2, § 15.

IX. *Canones, quorum objectum est lex, potestas, Traditio et ordinatio ecclesiastica fidem solùm ecclesiasticam exigunt.* Enimverò Ecclesia sæpenumerò necesse habet propter unitatem servandam, ut aliquid suâ duntaxat potestate constituat, juxta exemplum D. Pauli, 1 Corinth 7 : *Cæteris ego dico, non Dominus.* Hujusmodi canones occurrunt quandoque in conc. Trid. v. gr. de cæremoniis ecclesiaticis; de impedimentis matrimonii ab Ecclesiâ institutis etc. Unde satis manifestè apparet, quòd, licet Ecclesia leges suas sub anathematis pœnâ contra refractarios meritò sibi vindicet, in hisce objectis apposita clausula, v. gr. : *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum, non dirimi, anathema sit,* pro fidei divinæ criterio dignosci nequeat.

X. *Propositio concilii generalis ab universâ et pro universâ Ecclesiâ facta in claro et certo sensu debet esse determinata* in ordine, ut omnes fideles eidem fide divinâ sine ullâ hæsitatione assentiant. Quapropter de propositionibus, ut aiunt, in globo proscriptis nondùm liquidè constat, quænam singulis censura conveniat, aut quânam ratione fidei opponatur. At in complurium dogmatum sensu inquirendo, modoque explicandi, non est, quòd nunc diù, multùmve fatigentur ingenia. Hoc onere nos Ecclesia levavit, quippe quæ non sua solùm decreta et verba, sed divinorum etiam librorum sensum germanum lucidissimè identidem explicavit Muratorius l. 1, c. 12.

COLLECTIO
DOGMATUM CREDENDORUM.

Ex parte I. isagogicâ theologiæ dogmaticæ de fontibus revelationis.

§ 105.

Quoniam hâc de parte hucusque jam fusiùs actum, in ordine ad secernenda fidei catholicæ dogmata ab iis, quæ talia non sunt; hinc ex traditis fidei regulis absque ulteriore analysi mera tantummodò dogmata excerpimus.

I. *Existit revelatio, eaque potissimùm in sacris veteris et novi Testamenti libris continetur.*

II. *Libri in canonem Tridentinum relati, sunt verè sacri et canonici.*

III. *In vulgatâ versione fidei, et morum dogmata æquè, ac in Autographis referuntur, et in hoc sensu verè authentica est.*

IV. *Dantur Traditiones divinæ.*

V. *Articuli in symbolis Apostolico, Nic., Constantinopolitano, et* Quicumque vult salvus esse, *contenti, fide divinâ credi debent.*

VI. *Ecclesia sive per orbem diffusa, sive in conciliis œcumenicis congregata, est infallibilis: 1. In tradendâ Christi doctrinâ; 2. In definiendis fidei, et morum dogmatis; 3. In decidendis fidei et morum controversiis; 4. In exponendo S. Scripturæ genuino sensu à Christo, et Apostolis tradito; 5. In cognoscendâ, et declarandâ divinâ Traditione.*

Ex parte II. De Deo uno in Naturâ.

§ 106.

Supremum rerum omnium principium, Deum videlicet existere, prima, eaque summa veritas est, quæ tamen in demonstrando religionis systemate præambulum potiùs ad divinam et catholicam fidem, quàm fidei divinæ articulus nuncupari debet. Impossibile enim est, alicui veritati assensum præbere ob revelantis Dei auctoritatem, nisi Deum priùs esse supponatur. Nec possumus in eâdem viâ demonstrationis, vel ut aliis placet, solidæ probationis, huic veritati adhærere: Deus est, propterea quòd Deus hoc revelaverit; hi enim termini sese mutuò destruunt. Præsupponimus igitur tanquàm lumine naturali, luculentissimis argumentis, rationibusque stabilitum, Deum existere (1).

§ 107.

Dogmata.

I. Porrò suppositis credibilitatis motivis *Fides quoque catholica docet*, id est, divinæ Scripturæ, Traditiones, concilia, Patres, et sacra Symbola, quoties enarrant, quæ fidelibus universis credenda sunt, ea etiam percensent, quæ viri docti quâcumque ratione tenent, uti *Deum existere, eumdem esse unicum, æternum, immensum, omnipotentem, immutabilem, incomprehensibilem, ineffabilem, substantiâ, seu naturâ simplicem.* Ita Concilium Lateranense IV sub Innocentio III, anno Christi 1213, definit capitulo 1 de fide catholicâ: « Firmiter credimus, et confitemur, quòd unus solus « est verus Deus æternus, et immensus, omnipotens, « incommutabilis, incomprehensibilis, et ineffabilis.... « una essentia, substantia, seu natura simplex omninò; » id est, oculis corporeis invisibilis, purissimus Spiritus, et omnis materiæ expers; hinc Antropomorphitas, sec. IV pro aris et focis contendendes, Deum habere formam humanam, damnavit concilium Laodicenum, Gangrense et Antiochenum, quibus universa suffragatur Ecclesia, quæ hanc *stultissimam hæresin*, prout eamdem S. Hieronymus, ep. ad Pamach. et S. Augustinus, ep. 120, *quamdam idololatriam* appellitat, sem per abhorruit ac detestata est (1).

§ 108.

II. *Deus est immensus, seu omnibus locis, rebusque omnibus spiritualibus et corporalibus suâ substantiâ intimè præsens* (2).

§ 109.

III. *Deus est in omni genere perfectionum infinitus.* Quare infinitâ, seu perfectissimâ gaudet potentiâ, scientiâ, sapientiâ, intellectu, voluntate et libertate. Deo competit infinita et summa sanctitas, veracitas, fidelitas, bonitas, misericordia, justitia, beatitudo, majestas, et supremum in res creatas dominium. Ita sanè juxta verbum Dei scriptum ac traditum universa omni tempore, et ubique locorum de unius Dei na turâ et sensit et docuit Ecclesia (3).

(1) Quid hìc præstiterit celebris philosophus Emmanuel Kant in suo opere, cui titulus: *Criteria practicæ rationis*, ubi, usitatis principiis tanquàm minus solidis refutatis, aliam ad commonstrandam Dei existentiam philosophandi methodum in orbem litterarium introducere attentavit, judicet absque partium studio, et antiquitatis præjudicio æquus rerum æstimator. Sunt, qui nescio, quid sinistri ex Kanti philosophiâ præsagiunt religioni. Quidquid sit, id affirmare non ausim, eò quòd non satis intelligam; hoc tamen certum mihi videtur, quòd hujus viri critica rationis speculativæ, et practicæ barbaram illam Peripateticorum et Nominalium philosophiam obscuritate suâ saltem adæquet, si non aliquot parasangis superet.

(1) Graviter itaque hallucinatur Isaac de Beausobre, histoire du Manicheisme, l. 3, ubi Antropomorphitarum errorem tolerari posse; quæstionem de Dei spiritualitate adiaphoram esse, neque ad fidem pertinere autumat.

Qui plures admittunt Deos Polytheistæ vocantur; horum illi, qui Deos duos, duoque principia, unum bonum, malum alterum statuunt, Dualistæ, et qui tres divinas Personas tres esse Deos existimant, Tritheitæ, appellantur. Pantheistæ sunt, qui divinam naturam ab hâc rerum universitate minimè distinguunt. Qui demùm rei, vel personæ, quæ non est Deus, uni, vel pluribus divinitatem tribuunt, idololatræ nuncupantur. Hi omnes in tenebris et in umbrâ mortis sedent, et in definiendâ Dei naturâ à veritatis tramite, à rectæ, sanæque rationis lumine enormiter aberrant. Quâ de re miserandam eorum sortem deplorat mater Ecclesia; vesanam doctrinam reprobat christiana religio; totus nempe utriusque Testamenti scopus eò spectare videtur, ut, eliminato polytheismo, unius veri Dei cultus statuatur ac propagetur.

(2) Si in hoc commate SS. Patrum doctrinam attendimus, triplici ratione Deum statuerunt ubique præsentem, scilicet per *potentiam*, quâ omnia producit, conservat, et operatur omnia in omnibus; per *scientiam*, quâ omnia cognoscit, et gubernat; per *essentiam* sive *substantiam*, quâ rebus omnibus intimè creditur præsens. A cæteris curiosis ridiculisque quæstiunculis theologi scholastici longiùs hâc in parte progressi, quàm par erat, consultiùs abstinuissent; et utiliùs hodiè gravioribus occupati theologi cum D. Chrysostomo abstinent, cujus celebre effatum, hom. 22 in Ep. ad Hebr. legitur: *Quòd Deus ubique sit, scimus, quomodò autem non intelligimus.*

(3) Scientia divina, quâ Deus in immutabili æternitate sine omni successione omnia sibi præsentia habet, non nisi unica, eademque simplicissima statui debet: *Scimus enim*, ait S. Gregorius Magnus l. 20 Moral., *quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt.* Unde propriè loquendo in Deo non datur præscientia, sed tantùm rerum omnium perfectissima scientia, quam proin in plures species dispescere nulla convincens ratio suadet, nulla necessitas urget.

§ 110.

Misericordia Dei prædestinantis definitur à S. Paulo ad Rom. 11, *electio ad gloriam*, seu propositum voluntatis, quo Deus ab æterno statuit quasdam intellectuales creaturas per certa media dirigere, et perducere ad vitam æternam; unde S. Augustinus de prædest. Sanct. c. 10, prædestinationem vocat *decretum Dei conferendi gratiam in præsenti, et gloriam in futuro.* Hæc electorum prædestinatio ad gloriam adeò constanti Ecclesiæ fide traditur, ut idem S. Aug. lib. de Dono persev. c. 12, scribere non dubitaverit : *Ille itaque dicat, Ecclesiam aliquando in fide suâ non habuisse veritatem prædestinationis, qui dicere audet, aliquando eam non orâsse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverent fideles;* et c. 19 : *Neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas S. defendimus, nisi errando disputare potuisse. Hinc.*

IV. *Dogma fidei est, dari reapsè electorum prædestinationem ad gloriam.*

V. *Nemo quoque, quamdiù in hâc mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet, ut certò statuat, et de fide credat, se esse in numero prædestinatorum.* Contra hanc enim præsumptionem definit concilium Tridentinum, sess. 6, can. 15 : *Si quis dixerit, hominem renatum, et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certò esse in numero prædestinatorum;...* et, can. 16 : *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certè habiturum, absolutâ et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit :* anathema sit (1).

§ 111.

Justitia Dei reprobantis aut in privatione electionis ad gloriam; aut in damnatione ad pœnam visis peccatorum demeritis in æternum infligendam consistit; hinc duplex necessariò distinguitur reprobatio, *negativa* scilicet, et *positiva*. Negativa importat beneficii, quod electis confertur, specialis meram privationem, quâ Deus nonnullis hominibus non largitur justitiam; aut in eâ acceptâ perseverantiam. Positiva verò est actus divinæ voluntatis, quo destinatur pœna ipsorum peccatis debita. *Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* S. Augustinus, lib. 3 contra Jul. c. 18.

VI. *Exstare igitur æternam aliquorum reprobationem à gloriâ fide divinâ ex verbo Dei scripto, et traditio credit Ecclesia catholica.* Attamen pariter

VII. *Dogma fidei est, Deum homines nequaquàm ad interitum prædestinare absque culpæ iutuitu, et demeritorum scientiâ.* Hoc clarissimis verbis definiit Concilium Arausicanum II, can. 25 : « Aliquos ad malum « divinâ potestate prædestinatos, non solùm non cre- « dimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum crede- « rent, cùm omni detestatione illis anathema dici- « mus. » Idque Conc. Trid. sess. 6 can. 17, ita confirmat : « Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes, quì vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, ut pote divinâ potestate prædestinatos ad malum; anathema sit. »

§ 112.

De distinctione divinorum attributorum ab essentiâ et à se invicem duo oppositi sunt errores. Eunomius, seculo IV, hæreticus omnem prorsùs distinctionem inter attributa, et essentiam divinam sustulit. Nec sine malo consilio hic error fuit, prout S. Greg. Nyss. orat. 12 contra Eunom. observat; opportunè quippe inserviebat Eunomianorum intentio, capitale religionis mysterium, SS. scilicet Trinitatis apertè convellendi, atque præcipuè Filii cum Patre consubstantialitatem negandi. Hunc in finem ita ratiocinati sunt : « Notio ingeniti, sicut quodcumque aliud attributum « ne cogitatione quidem à Divinitate sejungi potest;

Deus non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia, quidquid vult, potest, ait S. Augustinus in Enchirid. c. 96. Et quidquid Deus vult, ab æterno vult : omnia ergo decreta Dei æterna, et immutabilia esse, ex sacris litteris, Traditione, et ipsâ etiam ratione naturali indubitata habetur sententia, quam præter Socinum, aliosque Joan. Crellius Socinianus denegare præsumpsit, Prælect de Deo, ejusque attributis scribens : *possumus ita Dei decreta distinguere, ut alia dicantur à Deo ante mundum conditum facta, alia post mundum conditum diversis temporum articulis.* Saniorem è contra distinctionem clarioris intelligentiæ causâ, uti existimabant, theologi scholastici finxerunt, dùm voluntatem Dei in voluntatem *signi, et beneplaciti*, in *absolutam* et *ordinariam*, ac præcipuè in *antecedentem* et *consequentem* pro humano solùm concipiendi modo diviserunt. Verùm enim verò etiam isti metaphorici conceptus minimè conveniunt Deo, in quo non datur prius et posterius, nullaque cogitio præcisa, seu abstracta locum habet. Quùm porrò ejusmodi teste Estio occasionem errandi præbere valeant, satiùs ignorantur, quàm defenduntur. Quare cl. Antonius Gennensis, Element. Theol. dog. tom. 1, pag. 141, benè et eruditè de his distinctionibus disserit : Divinæ voluntati, in quâ nec antecedens est, nec consequens, aptari nullo modo possunt, quocirca, quùm de his, et similibus rebus disseritur, præstat credere, et fateri ignorantiam, quàm vacuis hujusmodi vocabulis videri velle intelligere, quod nullo modo intelligitur. Præsidium aliquod inesse putant ad explicandas difficultates providentiæ, prædestinationis, reprobationis, et gratiæ Dei; sed fatendum potius, mentem humanam nec debere, nec posse arcana isthæc investigare, quæ nobis credenda tantùm Deus præcepit, eo quòd in hisce quæstionibus nihil planius, proniusque sit, quàm in errorem incidere, aut indignè et injuriosè de Deo loqui.

(1) Prædestinatio, seu electio hominum lapsorum ad gloriam absque intuitu meritorum gratuita omninò, eò certiùs defenditur, quò clarioribus S. Scripturæ, Patrum, et theologorum testimoniis fulcitur. Numerum prædestinatorum esse exiguum relatè ad homines totius mundi docet Christus, Matth. 20 : *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* An verò ex christianis catholicis minor sit numerus prædestinatorum, quàm reproborum, incertis utrinque argumentis, et, ni fallor, in vanum disputant; satiùs profectò cum Ecclesiâ catholicâ profitemur; *quod soli Deo cognitus sit numerus electorum in supernâ felicitate locandus.* Insuper monere hic juvat sacrum oratorem, ne de prædestinatione incautè ad populum verba faciat : *Utile est*, ait S. Aug. l. de Dono persev. c. 1, *ut taceamus aliquid, verum propter incapaces, maximè si timendum sit, ne pejores faciamus eos, qui non intelligunt, dùm volumus hos, qui intelligant, facere doctiores.*

« atqui verbum non est ingenitum : ergo non est « Deus ; » consequenter Eunomiani, exclusâ omni penitùs distinctione, non magis Filium dici posse Deum, quàm ingenitum censuerunt. Quùm porrò ex mente catholicorum Filius non sit ingenitus, eum nec Deum esse perperàm concludebant. Idipsum observavit S. Epiphanius, hæres. 76, de Aetio Eunomii magistro.

VIII. *Quare in hoc solùm Aetii et Eunomii sensu omnem prorsùs distinctionem negare inter attributa, et essentiam divinam capitalis est hæresis fidei divinæ contraria*

§ 113.

In oppositum scopulum alii lapsi sunt, realem distinctionem inter essentiam divinam, et attributa adstruentes. Hic error à plerisque Gilberto Porretano celebri Pictavorum episcopo, seculo XII, tribui solet ; quanquàm res, ut ait Gazz. tom. 1, pag. 178, disputatione non careat. Majori cum certitudine erroris hujus incusatur Gregorius Palamas episc. Thessalon. seculo IV. E contrario

IX. *Ecclesia catholica credit, et confitetur, admitti non debere realem distinctionem inter essentiam divinam, ejusque attributa.* Ita inprimis episcopi Gallicani, an. 1148, habito Remis concilio in symbolo Pontifici Eugenio III oblato, et ab eodem approbato inquiunt : « Credimus, et confitemur, simplicem naturam Dei« tatis esse Deum, nec in aliquo sensu catholico « posse negari, quin Divinitas sit Deus, et Deus « Divinitas. » *Scribatur*, ait S. Bernardus in eodem concilio *stylo ferreo in ungue adamantino, et sculpatur in silice, quòd divina essentia, forma, natura, Deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo verè est Deus.* Solemniùs hæc veritas declarata legitur in concilio Lateran. IV, quùm Abbas Joachimus pristinum errorem denuò resuscitâsse videretur. « Nos, inquit « Innocentius III, sacro et universali concilio ap« probante, credimus et confitemur,... quòd una quæ« dam summa res est, incomprehensibilis quidem, « et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius, et « Spiritus S. » In conc. demùm Florent. anno 1439, Patres, sess. 18 decernunt : *Nulla debet in divinis realis distinctio admitti, ubi non occurrit oppositio relativa*, etc. (1).

Ex parte III. De Deo trino in personis.

§ 114.

DOGMATA.

I. *Deus, qui in essentiâ unus, in personis trinus adoratur.* Capitale hoc SS. Trinitatis mysterium, et christianæ religionis dogma divinâ semper fide ex verbo Dei scripto et tradito et semper credidit et contra quoscumque hæreticorum insultus invictâ constantiâ defendit Ecclesia catholica, quæ suorum conciliorum, et symbolorum auctoritate in unâ illâ individuâ Divinitatis substantiâ tres Personas realiter distinctas, Patrem, Filium, et Spirium sanctum unanimi voce confitetur. Hâc fide imbutus S. Dionysius Alexandrinus in synodo Alexandriæ congregatâ errorem Sabellianorum ; Antiochena I synodus, anno 264, sub Dionysio papâ, et II, an. 270, impiam Pauli Samosateni doctrinam protrivit ; conc. Nicænum œcumenicum I, an. 325, Arii blasphemiam profligavit illis symboli verbis : *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem..., et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei genitum, ex Patre unigenitum ex substantiâ Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri..., et in Spiritum sanctum.*—Doctrinam Nicænam ratam habuêre concilia Sardicense, an. 347, Constantinopolitanum I, an. 381 ; et II generale V, an. 553, in decreto fidei capitulo 1 definit : « Si quis non con« fitetur Patris, et Filii, et Spiritûs sancti unam na« turam, sive essentiam, virtutem, et potestatem, « Trinitâtem consubstantialem, unam Deitatem in tri« bus subsistentiis, sive personis adorandam : talis « anathema sit. » Lateranense IV, c. Firmiter, et cap. 2 : Ideò in Deo Trinitas est solummodò, non quaternitas : quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, et natura divina : quæ sola est universorum principium. In symbolo demùm *Quicumque*, profitemur : *Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur*, etc. (1).

§ 115.

II. De primâ in Trinitate personâ hæc credit Ecclesia catholica dogmata : 1. *Pater verus est Deus ;* id quod nemo eorum negat, qui christiano nomine censentur. Unde et ipsis hæreticis Trinitatem impugnantibus peremptorius semper visus est locus ille. Joan. 17 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* 2. *Pater est persona realiter distincta à Filio et Spiritu S. ; alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritûs S. ;* Symb. *Quicumque.* 3. *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus* ; ibidem.

(1) Aliquam tamen inter essentiam Dei, ejusque attributa distinctionem esse admittendam non tantùm ex dictis contra Eunomianos constat, sed insuper non obscurè indigitatur in prædicto Conc. Florent. quod, loc. cit. verba Christi apud Joan. 16, v. 25 : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, ita exponit : « Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito suo « Filio dedit præter esse Patrem. » Ergo Paternitas aliquo quocumque demùm modo benè viso distinguitur ab essentiâ, et attributis, ac attributa à se invicem ; « id quod fit, scribit iterùm cit. Ant. Genuen« sis, l. 2, c. 2, § 2, vel quia Deus distinctis operatio« nibus nobis motivum suppeditat, ut eum distinctis « aspectibus contemplemur ; vel quia brevitas mentis « nostræ prohibet, quominùs eum uno conceptu in« telligamus. »

(1) Etsi de fide non sit, textum illum ep. 1 Joan. c. 5, v. 7 : *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt*, esse genuinum ac authenticum, quia in variis antiquis, et MSS. codicibus omninò desideratur. Tanta tamen pro illius authentiâ militant motiva, ut planè certum sit, eumdem textum nequaquàm per fraudem, aut errorem intrusum, sed oscitantiâ tantùm librariorum fuisse omissum. Propterea dolenter referimus, etiam inter Trinitatis defensores, imò inter ipsos catholicos quosdam reperiri, qui posthabitis utriusque Ecclesiæ græcæ et latinæ argumentis hoc testimonium suspectum reddunt, et ita hâc saltem ex parte Socinianis pollicem premunt.

§ 116.

III. *Verbum, seu Filius vera Trinitatis persona est; verè distincta à Patre, et Spiritu S.; verus Deus de Deo; Patri consubstantialis; à Patre solo, non factus, nec creatus, sed genitus ab æterno.* Singula hæc dogmata in verbo Dei tum scripto, tum tradito revelata, atque in citatis, § 114, aut in aliis conciliis œcumenicis decisa, confirmataque inveniuntur. Sic conc. Nic. ad calcem symboli concludit de Filio Dei : « Eos, qui dicunt : « Erat aliquando, quando non erat, et antequàm nascereturnon erat; et quia ex nullis exstantibus factus est; aut ex alià substantià dicunt esse, aut « mobilem, aut mutabilem Filium Dei : anathematizat sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia. » Conc. Chalcedonense in ep. synod. Leonis papæ in decreto fidei approbatam ait : « Quùm enim Deus, et « æternus Pater creditur, consempiternus eidem Filius « demonstratur, in nullo à Patre differens; quia de « Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno « natus est coæternus : non posterior tempore, non « inferior potestate, non dissimilis gloriâ, non divisus « essentiâ. » Conc. Constantinopolitanum II in decreto fidei definit : *Si quis non confitetur, Dei Verbi duas esse nativitates, unam quidem ante secula, et sine tempore ex Patre, anathema sit* (1).

§ 117.

IV. De tertiâ Trinitatis personâ fides divina docet : 1° *Spiritum S. esse verum Deum;* 2° *veram Personam à Patre et Filio distinctam;* 3° *Patri et Filio consubstantialem;* 4° *ab æterno à Patre et Filio conjunctim essentiam divinam accipere, seu à Patre, Filioque procedere;* 5° *Spiritum S. esse cum Patre et Filio adorandum.* Recensita hæc dogmata divinis Scripturis et traditionibus innixa, partim ex supra allegatis, § 114, Ecclesiæ declarationibus, partim ex sequentibus conciliis innotescunt. In conc. Constantinopolitano 1, ubi propter Macedonium Spiritûs S. inimicum, et Apollinarem Patres disertè profitentur : *Unam esse Patris, Filii, et Spiritûs S. essentiam in tribus perfectis hypostasibus, sive tribus Personis : Spiritum S. verum esse Deum de essentiâ Patris et Filii;* unde et verbis illis symboli Nicæni : *Credimus in Spiritum S.*, ad confodiendum Macedonii errorem, addidit : *Dominum vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio adorandum, et conglorificandum.* Eamdem hæresim jam ante confixerat synodus Alexandrina, anno 362, Illyriciana, 367, ac Romana sub S. Damaso, ubi in confessione fidei catholicæ ep. synod. inter alia hæc habentur : « Quia post concilium Nicænum hic error « inolevit, ut quidam ore sacrilego auderent dicere, « Spiritum S. factum esse per Filium, anathematizamus eos qui non totâ libertate proclamant, eum cum « Patre et Filio unius potestatis esse, atque substantiæ. Anathematizamus Arium, atque Eunomium, « qui pari impietate, licet sermone dissimili, Filium « et Spiritum S. asserunt esse creaturas. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arii stirpe venientes « non perfidiam mutavêre sed nomen.... Si quis non « dixerit, Spiritum S. de Patre esse verè, ac substantiâ, et Deum verum..... Si quis tres Personas non « dixerit veras..... Si quis non dixerit, Spiritum S. « adorandum ab omni creaturâ, sicut Filium et Patrem, anathema sit. » Processionem quoque Spiritûs S. à Patre et Filio apertè jam stabilivit, an. 431, conc. Ephesinum generale III in ep. synodicâ S. Cyrilli Alex. ab eodem conc. approbatâ, in quâ de Spiritu S. legitur : « Quamvis enim in suâ sit substantiâ « Spiritus, et ejus intelligatur in Personâ proprietas, « juxta id, quòd Spiritus est, non Filius, attamen « alienus non est : quandoquidem Spiritus veritatis « nominatur. Christus autem veritas est, unde et ab « isto similiter sicut ex Deo Patre procedit. » His accedunt concilium Lateranense IV, Lugdunense II, anno 1274; et denique Florentinum anno 1439, in decreto fidei, cui subscripserunt Græci omnes præter Marcum ephesinum, ait : « Definimus, ut hæc fidei veritas ab « omnibus christianis credatur et suscipiatur....., « quòd Spiritus S. ex Patre, et Filio æternaliter « est.....; et ex utroque æternaliter tanquàm ab uno « principio, et unicâ spiratione procedit..... Definimus insuper explicationem verborum illorum : *Filioque*, veritatis declarandæ gratiâ, et imminente « necessitate, licitè et rationabiliter Symbolo fuisse « appositam. »

(1) Vix ullus fidei articulus ab ipsis Ecclesiæ incunabulis usque ad nostra tempora tot nefarios, tot subtiles totque absurdos numeravit hostes, quàm ipsa hæc æterni Patris Filii divinitas, quæ tamen utpote lumen de lumine ex istis errorum tenebris semper resplenduit, et universum orbem christianum illuminavit. Quia verò contra hujus tam apertè in verbo Dei revelato coruscantis luminis radios, Socinianorum secta in dies magis magisque ingravescens, oculos pertinaciter claudit; hinc omni, quâ fieri potest, solertiâ et sollicitudine invigilandum erit, ut huic malo medela paretur, remoraque ponatur, ne secùs ex ipso quoque ovili plures oves lupus iste in suam secum perniciem abstrahat. Ratio autem, cur ex Protestantibus, ut referunt, hodiè tam multi ad castra Socini pertranseant, salvo meliori judicio, hæc esse videtur potissima, quia prætensa conscientiæ libertas cuilibet S. Scripturam proprio marte, et nescio quâ temerariâ fontium et textuum exegesi interpretandi facultatem vindicat; judicem controversiarum refugit, divinamque traditionem contemnit.

Ex parte IV. De Deo Creatore.

CAPUT PRIMUM.

De creatione universi.

§ 118.

In principio creavit Deus cœlum et terram, Gen. 1. 1. *Deum proin universi creatorem esse tanquàm dogma fidei capitale, semper professa est Ecclesia catholica*, quemadmodùm jubet nos credere symbolum apostolicum in primo fidei articulo : *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ*, quibus verbis conc. Constantinopolitanum I addidit : *Visibilium omnium, et invisibilium.* Hæc eadem dogmatica veritas fuit postea in conc. Lateran. IV confirmata, atque in cap. *Firmiter* his verbis definita : Deus...., unum universorum principium, creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium et corporalium, qui suâ omni-

potenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, etc. « Si quis ergo confessus fuerit, aut crediderit, ait « conc. Toletanum I, an. 400, can. 1, à Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse, atque ejus « omnia instrumenta », et can. 9 : « Si quis dixerit, vel « crediderit, ab altero Deo mundum factum fuisse, et « non ab eo, de quo scriptum est : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, qui solus verus Deus est, « anathema sit. » Conc. Bracarense circa an. 563 : « Si quis dixerit creationem universæ carnis non « opificium esse Dei, sed malorum angelorum, sicut Manichæus et Priscillianus dixerunt, anathema « sit. »

§ 119.

Ex præmisso fidei dogmate consequitur et alterum : *Mundum scilicet, non fuisse creatum ab æterno, adeòque non semper extitisse, sed cœpisse initio temporis.* Præterquàm enim, quòd Moses, qui mundi creationem in Genesi describit, id manifestè innuat, ipsa quoque divina Sapientia, Proverb. 8, v. 22, ita effatur : *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidpiam faceret à principio;* et iterùm, 26 : *Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ ;* Psal. 101 : *Initio tu, Domine, terram fundâsti.* In novo pariter Test. Christus Joan. 17, ita Patrem orat : *Clarifica me Pater claritate, quam habui, antequàm mundus esset.* Ac denique Paulus dicit, nos electos fuisse in Christo *ante mundi constitutionem*, Ephes. 1. His aliisque S. Scripturæ oraculis, communique Christianorum consensu edocti indubitanter asserimus, dogma fidei esse, mundum non ab æterno exstitisse, sed cœpisse initio temporis, prout definivit Conc. Lateranense IV, § præc. (1).

Caput II.

De creatione angelorum.

§ 120.

Dogma. I. *Inter nobilissimas Dei creaturas existunt angeli. Angelos novimus ex fide*, ait S. Aug. in Psal. 103, seu ex verbo Dei scripto et tradito ; unde etiam existentiam angelorum tanquàm dogma definivit conc. Lateran. IV : « Deus suâ omnipotenti virtute simul ab « initio temporis utramque de nihilo condidit creatu- « ram spiritualem, et corporalem, angelicam vide- « licet et mundanam, ac deinde humanam quasi « communem ex spiritu et corpore constitutam (1). »

§ 121.

II. *Omnes angeli à Deo creati sunt boni. Opera* nempe *Domini universa bona valdè*, Eccl. 39, v. 21. Secùs Deus auctor mali dici deberet, quod sanè à naturâ Entis perfectissimi, et sanctissimi abhorret. *Fides vera*,

(1) A præfatorum dogmatum fide defeccrunt non tantùm primorum seculorum hæretici, qui mundi fabricam ab angelis velut à minoribus diis, aut omninò à principio malo conditum fuisse finxerunt ; sed insuper omnis generis Fatalistæ, Pantheistæ, et Materialistæ, qui adspectabilis hujus universi originem aut ex fortuito atomorum concursu, aut ex materiâ æternâ increatâ, aut per emanationem ex divinâ substantiâ impiissimè delirantes repetunt, aut denique mundum ipsam Deitatis substantiam esse blasphemant.

Salvo dogmate de mundi creatione defenditur, mundum fuisse productum ex materiâ informi, quæ priùs fuerit à Deo ex nihilo extracta ; id est, (quemadmodùm philosophicè rectiùs inaudit) existentiam, quam nondùm habuit, à Deo obtinuisse. *Deus*, inquit S. Aug. l. 1, de Gen., *rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse, quia etsi omnia de ipsâ materiâ formata sunt, hæc ipsa tamen materia omninò de nihilo facta est.*

An narratio mosaica de mundi productione allegoriam contineat, ita ut sensus sit, Deum in unico instanti omnia creâsse ; an verò in sensu litterali opus sex dierum intelligi debeat, ad fidei dogma non pertinet. Expositio tamen litteralis de distinctione sex dierum à Mose factâ in mundi creatione tanquàm communior veriorque inter Patres et interpretes semper obtinuit.

Singulis hominibus saltem fidelibus angelus seu custos à Deo deputatur. Hanc veritatem, licet dogmatica non sit, nec ab Ecclesiâ definita, veneror tamen veluti purè catholicam § 27 descriptam ; tantus enim consensus Patrum, ubi de justis, electis et fidelibus agitur, idipsum unà cum catholicorum persuasione affirmat, ut sine temeritate negari nequeat, eorum singulis angelum datum esse custodem.

inquit S. Leo, ep. 15 ad Turribium, *quæ est catholica, omnium creaturarum sive spiritualium, sivè corporalium bonam confitetur substantiam, et mali nullam esse naturam :* ac deinde ostendit diabolum factum esse malum, *quia in veritate non stetit*, ut inquit Christus, Joan. 8, 44, Hinc Manichæi, eorumque surculi Priscillianistæ in variis conciliis particularibus, et in magnâ synodo Lateranensi eâ etiam de causâ condemnati sunt, quòd dicerent, *diabolum non fuisse priùs angelum bonum à Deo factum* (1).

§ 122.

III. *Non omnes angeli permanserunt in bono, sed magnus eorum numerus peccavit, et amisso felicitatis statu ad statum miseriæ et pœnarum æternarum damnatus est.* Multis sanè in locis sacræ testantur paginæ, diabolum cum magnâ aliorum Spirituum catervâ gratiam culpâ suâ perdidisse, dicente Domino, Matth. 25, 41 : *Discedite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* 2 Petri, c. 2 : *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Judas quoque in suâ ep. v. 6, inquit : *Angelos, qui non servaverunt suum principatum,... sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magnæ diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Insignis est etiam hâc de re locus Apocal. 12, 7 et seq. Exstare igitur angelos malos, seu lapsos justo Dei judicio condemnatos, quos divinus codex passim dæmones, dæmonia, diabolum, Satanam appellat, adeò certi sumus, ut hanc veritatem dogmaticam nemo unus negare possit. Ita profectò Ecclesia semper docuit, ut patet ex variis conciliis, v. gr. in supra citato Lateran. IV, de fide catholicâ definitur : « Diabolus « et dæmones alii à Deo quidem naturâ creati sunt bo- « ni, sed ipsi per se facti sunt mali : homo verò diaboli « suggestione peccavit. » Et inferiùs de reprobis decernitur : *Illi cum diabolo pœnam perpetuam recipient.* In synodo V generali Constantinopolitanâ II, anathematismo VII, contra Origenem legitur : « Si quis dicit aut « sentit Dominum Christum in futuro sæculo crucifi- « xum iri pro dæmonibus, sicuti et pro hominibus... « IX. Si quis dicit, aut sentit, ad tempus esse dæmo- « num et impiorum hominum supplicium, ejusque « nem aliquando futurum, sive restitutionem fore « dæmonum ac impiorum hominum, anathema sit. » Item Canone 6, adversùs eumdem declaratur : « Si « quis dixerit duplex exstitisse dæmonum genus con- « stans ex animabus hominum, et ex præstantioribus « Spiritibus ad hoc delapsis, anathema sit (1). »

§ 123.

IV. *Dæmones infensissimi hominis inimici sunt : ejusque saluti, quas possunt, Deo permittente, struunt insidias; ipsaque humana corpora ex speciali et extraordinariâ Dei permissione obsidere valent.* Has veritates Scriptura revelavit, traditio confirmavit, atque communis christianorum fides semper hucusque tenuit. I. legesis Gen. c. 3, et confer cum illo, quod in Apocal., c. 12, v. 9, dicitur : *Et draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et Satanas, qui seducit universum orbem.* Job. c. 1 et 2, Matth. 13, v. 25 : *Quùm dormirent homines venit inimicus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.* Versu dein 39, ipse Christus parabolam explicans ait : *Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus.* Luc. 8, v. 11 et 12, *Est hæc parabola : Semen est verbum Dei. Qui autem secùs viam, hi sunt, qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* Luc. 22, 31 : *Ait Dominus : Simon! Simon! ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Quò et illud pertinet, quod Petrus habet, 1 ep., c. 5, v. 8 : *Adversarius vester diabolus tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Joan. 13, v. 2, ubi de Judâ Iscariot Evangelium narrat : *Quùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum.* Idem constat ex Act. Apost, c. 5, v. 3, ubi S. Petrus juxta textum græcum Ananiam sic objurgat : *Cur implevit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Monet nos etiam Paulus Apostolus ad Ephes. c. 6, v. 11 : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli.* I Timoth. c. 4, v. 1 : *Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum.* I Thessal., c. 2, v. 18 : *Quoniam voluimus venire ad vos : ego quidem Paulus, et semel, et iterùm, sed impedivit nos Satanas.*

(1) Non defuerunt ex theologis, qui angelos priùs conditos esse docent in justitiâ quâdam naturali, postea autem gratiâ sanctificante ornatos; hanc sententiam jam suo tempore exortam refert S. Aug. l. 11 de Civ. Dei, c. 13, et de eâ pronuntiat : *Huic sententiæ quisquis acquiescit, non cum illis hæreticis Manichæis sapit*, qui angelos à Deo malos creatos esse blasphemabant. At communis sententia tenet, angelos jam ab ortûs sui initio gratiâ fuisse præditos. Id enim, præter alia Scripturæ loca, indicant illa Ezech. 28, 12, de diabolo verba : *Tu signaculum similitudinis... perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Id affirmat S. Aug. l. 12, de Civ. Dei, c. 9 : *Deus erat simul in eis condens naturam, et largiens gratiam; unde sine bonâ voluntate, hoc est, Dei amore nunquàm sanctos angelos fuisse credendum est.* Denique etiam Catechismus Romanus primum symboli articulum exponens, inquit : *Perspicuum est diabolum reliquosque angelos desertores ab ortûs sui initio gratiâ præditos fuisse.* Quamvis porrò hæc sententia ad fidem non pertineat, præcedens tamen dogma quàm maximè confirmat.

(1) « Quicumque quæstionem hanc inter adiaphoras « collocat, certè non recogitat, agi hìc non solùm de « explicatione atque auctoritate Scripturæ sacræ, de « doctrinâ Christi et Apostolorum, ne ab eis decepti « esse videamur; verùm etiam de doctrinæ nexu cum « lapsu primorum hominum, atque redemptione per « Christum. » Hæc animadvertio doctiss. Engelberti Klupfei II est. part. 1 Instit. theol., pag. 456. Hujus rei haud satis dolendum exemplum orbi christiano exhibuerunt illi protestanticæ communitatis cives Amstelodamenses, qui forsitan ad adeò lugubres effectus minimè recogitantes, nullâ habitâ S. Scripturæ auctoritate existentiam dæmonis quasi ex tripode privati spiritûs exsibilârunt, atque ad aniles fabulas amandârunt. Eâdem temeritate existentiam dæmonis impugnavit Balthazarus Bekkerus Amstelodamensis præco in suo Mundo fascinato, qui anno 1693, ibidem prodiit, atque fervente hâc lite iteratis typis procusus est. Fors hujus antesignani sui gratam memoriam appropinquante anno ejusdem controversiæ centesimo recolere intenderunt præfati cives fanatici.

II. Præterea dæmonem quandoque, si id Deus specialiter permittat, humana corpora obsidere posse, evincitur ex sequentibus Scripturæ locis, quæ de curatione morborum naturalium intelligi nequeunt. Joan. 13, v. 27 : *Et post buccellam introivit in eum Satanas.* Matth. 4, v. 24 : *Obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus, et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos.* Ecce ægroti expressè distinguuntur ab obsessis, sicuti Act. 5, v. 16, his verbis : *Concurrebat multitudo vicinarum civitatum afferentes ægrotos et vexatos à spiritibus immundis.* Evangelistæ hìc certè non loquuntur ad errorem et præjudicium vulgi morbos naturales pro obsessionibus dæmonis habentis; secùs enim profectò sequeretur, Christum in Belzebub principe morborum morbos depulisse; morbos, non dæmones Christum allocutos fuisse; in unico homine integram legionem morborum exstitisse; morbos, non dæmones in gregem porcorum immigrâsse, et quæ sunt ejusmodi. Vide, quæso, Luc. 4, v. 33, 36; Marc. 5, v. 9; Matth. 8, 28, 32; 9, 32, 35; 12, 22, 29. Ubi tandem optimè concludit Christus : *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.* Torta ergo, violenta, ridicula et absurda est eorum expositio, qui hæc et alia Scripturæ loca in alienum sensum detorquent; et quid respondebunt ad ea quæ, Act. 16, 16 - 19, de spiritu pythone, et 19, v. 12, 17, de quibusdam temerariis Judæis exorcistis referuntur, quibus dæmon respondit : *Jesum novi, et Paulum scio, vos autem qui estis? et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum.... ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illâ.* Frustra quoque fatigantur, qui hanc potestatem post Christi passionem dæmonibus omninò ademptam, et nunquàm impertitam esse contendunt. Christus enim inter alia, quæ discipulis suis, imò et fidelibus dona promisit, Marci 16, 17, etiam hoc ponit : *In nomine meo dæmonia ejicient*, quod et ab Apostolis factum fuisse, Scriptura et SS. Patrum traditio satis superque testantur; atque ideò etiam Ecclesia eamdem potestatem, aut insidias dæmonum abigendi, aut eosdem è corporibus expellendi, in suis precibus, benedictionibus, exorcismis, liturgiis, ritualibus, exorcistarum ministeriis semper exercuit (1).

(1) Non hìc monasticam theologiam, quo nomine multis hodiè monachos traducere placet, sed veritatem solùm evangelicam, et nil ultra defendo; hinc tantùm abest ut superstitioni et abusibus patrocinium feram, ut potiùs cum clariss. Gazzaniga theol. in syst. redact. part. 1, pag. 551, confidenter pronuntiem : « Si quid est in religione nostrâ perniciosis abusibus obnoxium, certè hæc doctrina est de dæmonibus corpora hominum obsidentibus; plurimorum enim ignorantiâ, superstitione, ac levissimâ, intolerandâque credulitate non sine magno utriusque reipublicæ detrimento eò deventum est, ut diaboli imperium longè ultra veritatis fines dilatatum, et nescio cujus generis maleficiatorum obsessorumque à dæmone numerus temerè, falsò, et stultè sine numero actus fuerit. Saniora utique capessivit consilia nostræ ætatis theologia, quæ retenta S. Scripturæ puræque Traditionis veritate, superstitiosa in hâc parte scholasticorum opinamenta à foro suo penitùs exclusit. »

(1) Utrùm verò protoparentes statim in ipsâ crea-

CAPUT III.

De creatione hominis.

DOGMATA.

§ 124.

I. *Adam fuit primus homo in nostro globo terraqueo, et ab eo totum descendit genus humanum.* Gen. c. 1, v. 26. *Faciamus hominem....* 27 : *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* Dein in cap. 2, v. 5, dicitur : *Homo non erat, qui operaretur terram;* unde statim v. 7, sequitur : *Formavit igitur Deus hominem;* v. 20 : *Adæ verò non inveniebatur adjutor similis illi;* at si fuissent Præadamitæ, inventi fuissent viri, ac mulieres sibi similes, nec Eva potuisset vocari, Genes. 3, 20, *Mater cunctorum viventium.* Vid. etiam c. 5, v. 1; Sap. 10, v. 1, de Adamo legitur : *Hæc* (Sapientia) *illum qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, quùm solus esset creatus, custodivit.* Act. 17, v. 26, Paulus ait : *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.* Idem Apostolus expressè de Adamo loquitur, 1 Corinth. 15, 45 : *Factus est primus homo Adam in animam viventem.* Similiter 1 Timoth. 2, 13; et ad Rom. 5, unius Adæ peccato mortem regnâsse testatur; itaque si prætensi Præadamitæ mortui sunt, ex Adamo originem habuerunt, à quo peccatum originale in omnes homines propagatum esse fides docet. Præterea dogma istud ex perpetuâ non Christianorum tantùm sed et Judæorum traditione, SS. Patrum et conciliorum doctrinâ demonstratur.

§ 125.

II. *Primi homines Adam et Eva, boni et recti*, id est, ut ait S. Augustin. serm. 26, c. 2, *in naturâ sine culpâ, in naturâ sine vitio creati sunt.* Secùs enim Creator Deus auctor mali dici deberet, quod in Manichæis et Catharis dicentibus, à principio malo Adamum esse conditum, damnavit et damnat Ecclesia catholica. Unde Conc. Arausicanum II, can. 15, declarat : « Ab eo, quod formavit Deus, mutatus est « Adam, sed in pejus per iniquitatem suam illa ergo « mutatio fuit prævaricatoris primi; » quia *fecit Deus hominem rectum.* Eccles. 7, v. 30.

§ 126.

III. *Protoparentes gratiâ sanctificante ornati sunt.* Idem enim conc. Araus. II, can. 19, inquit : « Natura « humana, etiamsi in illâ integritate, in quâ est condita, permaneret, nullo modo seipsam, creatore « suo non adjuvante, servaret. Unde, quùm sine « Dei gratiâ salutem non possit custodire, quam accepit, quomodò sine Dei gratiâ poterit reparare, « quod perdidit? » Decretoria insuper habetur decisio in conc. Trid. sess. 5, can. 1 : « Qui non confitetur, « primum hominem Adam, quùm mandatum Dei in « paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, « et justitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse...., « anathema sit » (1).

§ 127.

IV. *Protoparentes in statu suo primogenito immortalitatis privilegio donati sunt. Deus*, ait Sapiens, cap. 1, v. 13, *mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum...* 15 : *Justitia enim perpetua est, et immortalis.* 16 : *Impii autem manibus et verbis accersierunt illam.* C. 2, v. 23 et 24 : *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Confirmat idem Apostolus, Rom. 5 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* Ita reipsà eventurum protoparenti comminatus erat Deus, si fortè peccando mandatum transgrederetur, Genes. 2 : *In quâcumque die comederis ex eo, morte morieris.* Meritò itaque ut hæreticam damnavit synodus Palæstina hanc Pelagii propositionem : « Adam « mortalis factus est, qui sive peccaret, sive non pec- « caret, moriturus esset. » Eadem est concilii Milevitani, seu potiùs juxta Collect. conc. Labb. Hard. et Isenbiel plenarii totius Africæ conc. Carthaginensis IV, anno Christi 418, definitio : « Placuit omnibus episco- « pis qui fuerunt in hâc S. synodo, ut quicumque dixe- « rit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut « sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in cor- « pore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, « sed necessitate naturæ, anathema sit, » Araus. II, can. 2 : « Mors corporis pœna peccati est. » Hæc et alia veterum synodorum decreta sic confirmant Patres Tridentini, sess. 5, can. 1 : « Si quis non confitetur, « primum hominem Adam... incurrisse per offensam « prævaricationis iram et indignationem Dei, atque « ideò mortem, quam antea illi comminatus fuerat « Deus ; et cum morte captivitatem sub ejus potestate, « qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, dia- « boli..., anathema sit. » Rectè adeòque S. Aug. l. 13 de Civ. Dei, cap. 15, sententiam, quam contra Pelagianos locis plurimis propugnaverat, affirmat esse catholicam Christianorum omnium ; *unde constat*, inquit, *inter Christianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, quâ nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati* (1).

§ 128.

V. *Homo à Deo creatus constat corpore et animâ. Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Genes. 2, v. 7 ; vide etiam 1 Corinth. c. 15, v. 45 et seq.

§ 129.

VI. *Anima humana spiritus est, seu substantia simplex immaterialis, intellectu et voluntate prædita, atque à corpore prorsùs distincta.* Hoc sicut et præcedens dogma non tantùm evidens ratio, sed ipsa quoque S. Scriptura, constans et perpetua traditio docet, ac in specie definit conc. Lateran. IV, cap. *Firmiter :* « Deus « utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, « et corporalem, ac deinde humanam quasi commu- « nem ex corpore et spiritu constantem. »

§ 130.

VII. *Divinâ quoque fide anima hominis creditur esse immortalis.* Id quod expressis verbis definitur in conc. Lateran. V, an. 1512 : « Quùm diebus nostris (quod « dolenter referimus) zizaniæ seminator, antiquus « humani generis hostis nonnullos perniciosissimos « errores à fidelibus semper explosos in agro Domini « superseminare et augere sit ausus, de naturâ præ- « sertim animæ rationalis, quòd videlicet mortalis sit, « aut unica in cunctis hominibus... Contra hujusmodi « pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc « sacro approbante concilio damnamus et reprobamus « omnes asserentes animam intellectivam mortalem « esse, aut unicam in cunctis hominibus, et hæc in « dubium vertentes. Hoc dogma, pergit concilium, « manifestè constat ex Evangelio, quùm Dominus ait : « *Animam autem occidere non possunt*, Matth. 10, 28 ; « et alibi : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in*

tione gratiam sanctificantem acceperint, quantumlibet certum omninò videatur, ad fidem tamen non pertinet catholicam. Aliud quippe est, creatum esse in sanctitate et justitiâ, aliud in eâ constitutum, ut notat Estius in 2, distinct. 25 : Constitui utique in eâ potuit Adamus post creationem ; nam et in paradiso constitutus, seu positus fuit primus homo, Gen. 2, non tamen in eo creatus. Unde satis liquet Patres conc. Trid. dùm ita circumspecti locuti sunt, ut constitutum dicerent, non creatum, non conditum, studio voluisse abstinere à definiendâ quæstione inter catholicos disputatâ, *an homo fuerit creatus in gratiâ.* Neque synodus collecta fuerat ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos, inquit card. Pallavicinus I. 7, hist. conc. Trid., c. 10. Addunt historici, sacræ synodi jussu, deletam vocem, *conditus*, quam illius canonis editores primùm inseruerant, ejusque loco substitutum fuisse verbum *constitutus.* Canon autem conc. Araus. à me antea appellatus, favet quidem sententiæ, quòd Adam in gratiâ conditus fuerit, eamdem tamen ceu dogma fidei non definit. Aliud quippe supponit obiter, aliud definit. Supponit naturam humanam in integritate conditam esse ; definit verò, naturam eamdem, etiamsi primævâ illâ integritate donaretur, nullo pacto in eâ, nisi adjuvante creatore suo perseveraturam.

Ab omni hæreseos labe pura, et extra apostolici teli jactum sita est eorum theologorum doctrina, qui possibilitatem statûs naturæ puræ secundùm principia systematis Augustiniani pernegant, docentque, quòd, licet integritas et justitia originalis primo homini debita nequaquàm fuerit nihilominùs tamen respectu finis propositi oportuerit, ut à Deo supernaturali divinorum auxiliorum fulcimento ornaretur. Quapropter præfati theologi in hoc commate, sicut in aliis sui systematis principiis non sine summâ injuriâ invidiosâ, et hodiè nimis arbitrariè, *Jansenistarum* nomenclaturâ traducuntur.

(1) Quæstioni, num immortalitas illa, aliarumque miseriarum immunitas, quibus gaudebant Protoparentes, humanæ conditioni quodammodò debitæ fuerint, pariter satisfacit S. Aug. l. cit., c. 20, dicens : *Status* immortalitatis *eis* (primis parentibus) *de ligno vitæ, quod in medio paradisi cum arbore vetitâ simul erat, mirabili Dei gratiâ præstabatur ; si porrò id Dei gratiâ præstabatur, non ex naturæ conditione debebatur :* et l. 6 de Gen. ad litt., c. 20. *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio creatoris.* Quibus profectò, aliisque momentis adductum arbitror S. pontificem Pium V, ut hanc ipsam cæteras inter Baii propositiones proscriberet, num. 64 : « Immor- « talitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, « sed naturalis conditio. »

« *vitam æternam custodit eam*, Joan. 12, 25. Et quùm « æterna præmia, et æterna supplicia pro merito vitæ « judicandis repromittit : aliàs incarnatio, et alia « Christi mysteria nobis minimè profuissent, nec re- « surrectio expectanda foret, ac sancti et justi mise- « rabiliores essent, juxta Apostolum, cunctis homini- « nibus. » Dein omnibus, quibus officium docendi commissum est, districtè præcipiendo mandat, ut ejusmodi veritates religionis christianæ, seu dogmata mixta etiam ex ratione et philosophiæ promptuariis pro omni conatu ac studio manifesta facere, et opposita incredulorum argumenta excludere atque resolvere allaborent. Id porrò nostro præcipuè ævo à philosophis et theologis solerter æquè, ac feliciter executum fuisse cernimus. Vid. § 42.

§ 131.

VIII. *Quilibet homo unicâ tantùm constat animâ.* Ita apertè definivit conc. generale VIII, Constantinopolitanum IV, an. 869, can. 10 : « Quùm vetus, et novum « Testamentum doceat, unicam homini, eamque ra- « tione et intelligentiâ pollentem esse animam ; eam- « demque sententiam Deiloquorum omnium Patrum « et doctorum Ecclesiæ doctrina confirmet : sunt ta- « men qui duas homini esse animas asserant, et qui- « busdam vitiosis ratiocinatiunculis suam hæresin sta- « biliant. Itaque sancta hæc, et œcumenica synodus « hujus impietatis cum totâ suâ sectâ magnâ voce « anathematizat. Qui verò posthàc contraria dicere « ausus fuerit, anathema esto. »

§ 132.

« IX. *Si quis fabulosam animarum præexistentiam*, « et quæ ex illâ consequitur, monstruosam restitutio- « nem asseruerit... Si quis dicit, aut sentit, præexistere « hominum animas, utpote, quæ antea mentes fuerint, « et sanctæ virtutes, satietatemque cœpisse divinæ « contemplationis, et in deterius conversas esse, at- « que idcircò refrixisse à Dei charitate, et inde ani- « mas esse nuncupatas, demissasque in corpora sup- « plicii causâ, anathema sit. » Ita sancivit contra Origenem synodus V, Constantinopalitana II. Et idem postea confirmavit conc. Bracarense I, can. 6 : « Si « quis animas humanas dicit priùs in cœlesti habita- « tione peccâsse, et pro hoc in corpora humana, in « terram dejectas, sicut Priscillianus dixit... Si quis « animas humanas vel angelos ex Dei credit sub- « stantiâ extitisse, sicut Manichæus et Priscillianus « dixerunt, anathema sit. » Conc. Toletanum I : « Si « quis dixerit, vel crediderit, animam humanam Dei « portionem, vel Dei esse substantiam, anathema sit. » Cum his quoque consentit universa Ecclesia catholica, quæ talem præexistentiam, transmigrationem, restitutionem, talemque divinitatis portionem respectu animæ humanæ semper velut ethnicam impietatem abhorruit atque damnavit.

§ 133.

X. *Homo creatus à Deo verâ gaudet libertate. Fides enim sana catholica neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in vitam bonam ; neque tantùm ei tribuit, ut sine gratiâ Dei valeat aliquid*, S. Aug. ep. 215. Dogma hoc principale de libertate hominis demonstrant præter verbum Dei scriptum et traditum definitiones Ecclesiæ. Inprimis conc. Araus. II, can. 23, sancivit : « Suam voluntatem homines faciunt, « non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. « Quando autem id faciunt, quod volunt, ut divinæ « serviant voluntati, quamvis volentes agant, illius ta- « men voluntas est, à quo præparatur et jubetur, « quod volunt. » Conc. Constantiense, an. 1414 incœptum, et finitum 1418, damnavit sequentem Wicleffi propositionem ordine 27 : « Omnia de necessi- « tate absolutâ eveniunt. » Conc. Trid., sess. 6, can. 4, statuit : « Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium « à Deo motum et excitatum nihil cooperari assen- « tiendo Deo excitanti atque vocanti...., neque posse « dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam ni- « hil omninò agere, merèque passivè se habere ; » can. 5 : « Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ « peccatum amissum et exstinctum dixerit ; aut rem « esse de solo titulo, imò titulum sine re : figmentum « denique à Satanâ invectum in Ecclesiam...; » can. 6 : « Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias « suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum « operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè « et per se.., anathema sit. » Insuper Romani pontifices Paulus V et Gregorius XIII damnârunt sequentes Michaelis Baii propositiones, 66 : « Sola violentia repugnat libertati hominis morali ; » et 67 : « Homo « peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò « facit. » Innocentius X et Alexander VII, ordine III, Jansenii : « Ad merendum et demerendum in statu « naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à « necessitate, sed sufficit libertas à coactione. » Et IV : » Semipelagiani in hoc erant hæretici, quòd « vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana « voluntas resistere, vel obtemperare. » Quæ propositio ideò ut hæretica proscripta est, quia gratiâ liberum humanæ voluntatis arbitrium tolli significabat (1).

(1) Hisce decisionibus Ecclesia liberum duntaxat arbitrium, non verò receptas hucusque libertatis definitiones canonicâ sententiâ stabilire voluit, inquit P. Herculanus Oberrauch diss. 2, § 43. Hinc tutè illam definitionis formulam : *Libertas est facultas, datis omnibus ad agendum requisitis, agendi, vel non agendi*, impugnare licet ; idque eò certius justum videtur, quùm jam tot alii quibus prædictæ definitionis vitium suboluit, alias atque alias adornare tentaverint. Quæris : quid ergo rei libertas? de ipsâ re concordes, imò omnes intimè conscii sumus, et penè de solo ejus nomine dissidemus ; sola quippe molestia in eo versatur, quibus verbis aptissimè exprimatur. Dicam salvo meliori, quod sentio : *Libertas creata est facultas mentis humanæ, quâ post præviam boni, aut mali cognitionem, causamque motricem voluntas seipsam ultimatò determinat in ordine ad bonum eligendum, aut malum aversandum.* Sic delineata libertas continet omnia, si me veritas amet, quæ nobis ex sensu intimo circa hanc facultatem relucent. Concordat præterea cum gratiâ efficaci, quia, ut ait S. Aug. lib. de Corrept. et Grat., cap. 12, *tantùm Spiritu S. accenditur voluntas eorum* (Justorum) *ut ideò possint, quia sic volunt ; ideò sic velint, quia Deus operatur, ut velint : nam si... nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot et tantas tentationes*

§ 134.

XI. *Denique præter rationem fides quoque jubet credere, Deum omnibus à se creatis rebus providere, eas perpetuò conservare, atque sapientissimè semper gubernare.* Id docemur innumeris vet. et novi Test. oraculis, quibus universalis suffragatur Traditio. Vide Isa. c. 40, v. 26; Jerem. c. 31, 35; Psal. 66, 5; Sapient. 14, 3; Judith 9, 5; Act. 17, 24 et seq. Matth. 6, 28; Matth. 10, 29, etc.

Ex parte V. De lapsu primorum hominum, generis humani redemptione.

CAPUT PRIMUM.

Dogmata de peccatis.

§ 135.

I. *Deus non est auctor, seu causa peccati. Non Deus volens iniquitatem tu es,* Psal. 55. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem,* Psal. 44, 8. *Illud quoque ante docui, Deum non esse causam, cur ii, quorum peccata ante cognita sunt, sive angeli, sive homines improbi efficiantur, sed suâ quisque culpâ tales sunt,* S. Justinus in dial. cum Tryphone. *Modus autem iste, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit, sed quòd tantùm permiserit, justè tamen;* S. Augustinus l. 13 de Trinit., c. 12. Eamdem revelatam doctrinam apertè definitam legimus in conc. Araus. II, can. 23 et 25. Vide §§ 111 et 133. In Tridentino quoque, sess. 6, can. 6, expressis verbis declaratur : « Si quis dixerit,... mala opera, « ita ut bona Deum operari, non permissivè solùm, « sed etiam propriè ac per se, adeò ut sit proprium « ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio « Pauli, anathema sit. »

§ 136.

II. *Non omnia peccata sunt æqualia.* Dantur siquidem peccata mortalia, dantur et venialia sine respectu ad infideles, vel fideles; sine relatione ad prædestinatos, aut reprobos, quemadmodùm Wiccleffus, Calvinus et Lutherus tam stultè, quàm impiè distinxerunt. Testatur enim Scriptura : *Non est homo justus in terrâ, qui faciat bonum, et non peccet.* Eccli. 7, 21. *Septies in die cadit justus.* Prov. 24, 16. *In multis offendimus omnes.* S. Jacobus, c. 3, 2. *Si dixerimus : quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Joan. 1 ep. c. 1, v. 8. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Joan. 19, 11. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* Matth. 7, 3, quem locum sic exponit S. Hieronymus : *De iis loquitur Christus, qui quùm ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt.* Idem S. doctor in ep. ad Cælant. jam scribit : *Stoicorum quidem est, peccatorum tollere differentiam, et delicta omnia paria judicare, nec ullum inter scelus, et erratum discrimen facere. Nos verò, etsi multum inter peccata distare credimus, quia et legimus : tamen satis prodesse ad cautionem ducimus, etiam minima pro maximis cavere.* His aliisque Scripturæ et Patrum testimoniis concordat doctrina conc. Trid. sess. 6, cap. 11. *In hâc mortali vitâ, quantumvis sancti et justi in levia saltem, et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi.* Et cap. 15 : *Asserendum, non modò infidelitate,... sed etiam quocumque alio mortali peccato..... acceptæ justificationis gratiam amitti, divinæ legis doctrinam defendendo, quæ à regno Dei non solùm infideles excludit, sed fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces,* 1 Corinth. 10, *cæterosque omnes, qui lethalia committunt peccata.* Demùm eadem sess. can. 25, contra Lutherum definit : *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideò pœnas æternas mereri, tantùmque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.*

§ 137.

III. *Justus amittere potest charitatem, et gratiam sanctificantem : imò per quodlibet peccatum mortale eam actu amittit, ita ut desinat esse justus. Quùm averterit se justus à justitiâ suâ, et fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes.... omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur : in prævaricatione suâ.... morietur.* Ezech. 18, v. 24. *Si quis in me non manserit, mittetur foràs, sicut palmes, et arescet.* Joan. 15, 6. *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne fortè, quùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* 1 Corint. c. 9, v. 27. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* ibid. c. 10, 12. *Habeo adversum te, quòd primam charitatem tuam reliquisti. Memor esto itaque, unde exciderís.* Apocal. 2, v. 4 et 9. Meritò proin conc. generale Viennense an. 1311, Beguardorum et Beguinarum sacrilegam doctrinam et perversos errores damnavit, quorum primus est : « Quòd homo in vitâ præsenti tan- « tum et talem perfectionis gradum possit adquirere, « ut reddatur penitùs impeccabilis, etc. » Et conc. Trid., sess. 6, can. 23, contra Calvinum, et Lutherum definivit : « Si quis hominem semel justificatum dixe- « rit amplius peccare non posse, neque gratiam amit- « tere : atque ideò eum qui labitur et peccat, nun- « quàm verè fuisse justificatum,... anathema sit. »

§ 138.

IV. *Fides non amittitur, sicut charitas per quodlibet peccatum mortale. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* S. Jacobus cap. 2, v. 14 et 26, *sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita*

infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet. Et l. de Spiritu et Litt., c. 34 : *Projectò,* inquit, *et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissentire... propriæ voluntatis est.* Hìc agitur de gratiâ efficaci, per quam scilicet Deus et ipsum velle operatur in homine; atqui tamen docet Aug. huic gratiæ consentire, vel dissentire hominem posse. Conferatur quoque ista definitio cum citato conc. Araus. II, canone 23, et apparebit ejusdem cum gratiâ efficaci concordia : quamvis enim volentes agant, illius tamen voluntas est à quo et præparatur et jubetur quod volunt.

et fides sine operibus mortua est. Item Joan. c. 12. v. 42, dicitur : *Ex principibus multi crediderunt in eum* (Christum), *sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è synagogâ non ejicerentur.* 1 Corinth., c. 13 : *Si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*, etc. Ergo *sine charitate fides potest quidem esse, sed non et prodesse*, ait S. Aug. l. 15, de Trinit. c. 18. Unde sapienter concludit Trid. sess. 6, can. 18 : « Si quis « dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul et fidem « amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram « fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem « sine charitate habet, non esse Christianum, ana« thema sit. »

§ 139.

Firma et stabilis est omnium Catholicorum sententia, peccatum animam quâdam inquinare maculâ, quæ præterito actu peccati remanet. Id colligitur ex iis Scripturæ locis, in quibus peccata dicuntur *sordes*, *maculæ*, inquinamenta. *Peccâstis*, inquit, Josue, c. 22, 17, *in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet.* Ezech. 36, 25, ait Dominus : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Isaiæ 4, 4 : *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion.* Ad Titum 1, 15 : *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens et conscientia.* Hâc de re etiam Patres Tridentini hominem dicunt per inobedientiam *inquinatum*; infantes per baptismum *mundari*, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Sess. 5, can. 2 et 4. In quo verò consistat hæc macula, quæ in animâ remanet, donec Baptismo, aut pœnitentiâ tollatur, ænigma est, in contentioso scholasticorum foro vix unquàm resolvendum. Vid. Theol. Lugdun. tom. 6. pag. 586.

CAPUT II.

Dogmata de peccato originali.

§ 140.

I. Fide divinâ credimus, et unà cum conc. Trid. sess. 5, can. 1, confitemur : « Primum hominem « Adam, quùm mandatum Dei in paradiso fuisset « transgressus, statim sanctitatem et justitiam..... « amisisse, incurrisseque per offensam prævaricatio« nis hujusmodi iram et indignationem Dei..... « totumque Adam..... secundùm corpus et animam « in deterius commutatum fuisse. » Hoc cum dogmate cohæret.

§ 141.

II. *Peccatum originale naturam humanam non gratuitis tantùm, et supernaturalibus donis spoliavit, sed etiam hominem in facultatibus naturalibus læsit.* Id præter Scripturam et traditionem declaravit conc. Araus. II, can. 1. « Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundùm corpus et animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsâ durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium Pelagii errore de ceptus, adversatur Scripturæ dicenti : *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Ezech. 18, v. 4 et 20. *Nescitis, quoniam, cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis.* Rom. 6, 16. *A quo quis superatur, ejus et servus addicitur.* 2 Petri 2, 19.

§ 142.

III. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Rom. 5, 12. *Adæ nimirum peccatum non ipsi soli, sed universæ ejus propagini nocuit; et in omnes posteros transfusum est.* Hanc fidem semper tenuit Ecclesia, etiam antiquitus decidit synodus Palæstina, seu Diospolitana, in qua errores suos voce tenus exsecratus est Pelagius; Carthaginensis an. 416, et altera sub Aurelio an. 418; Milevitana, Constantinopolitana sub Attico; Antiochena sub Theodoto; Ephesina Œcumenica an. 431, Toletana VI, Arausicana II, canone secundo, quem iisdem fere verbis innovavit synodus Tridentina sess. 5, can. 2 : « Si quis Adæ prævari« cationem sibi soli, et non ejus propagini asserit « nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem, et justi« tiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam « eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobe« dientiæ peccatum, mortem, et pœnas corporis « tantùm in omne genus humanum transfudisse, non « autem et peccatum, quod mors est animæ, anathe« ma sit, quùm contradicat Apostolo dicenti : *Per « unum hominem*, etc. »

§ 143.

IV *Peccatum originale protoparentum in omnes illorum posteros propagatione, non imitatione, transfunditur.* Veritas hæc dogmatica in utriusque Testamenti paginis manifestata depromitur inprimis ex Psal. 50, v. 7, ubi David peccata sua Deo confessus eorum fontem respiciens exclamat : *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea :* seu, ut præter versionem Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, ipse fons hebraicus id ipsum exprimit per numerum singularem : *Ecce in iniquitate formatus sum, et in peccato calefecit me mater mea.* Secundò ex Jobi c. 14, ℣. 4, ubi ita Deum alloquitur : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* cui loco robur maximum addit versio antiquissima septuag. Interpretum, quæ ita legit : *Quis enim mundus à sorde? nec unus, si et una dies vita ejus in terrâ.* Tertiò idem docet Apostolus Ephes. 2, 3 : *Eramus naturâ filii iræ, sicut et cæteri.* Sed *quomodò naturâ*, inquit Aug. tract. 44, in Joan., *nisi quia peccante primo homine vitium pro naturâ inolevit?* Et ad Rom. 5, 12, § præc. cit., quo loco agit Paulus de peccato, quod omnes homines et proinde etiam infantes contraxerunt : *in quo omnes peccaverunt;* at parvuli peccare per imitationem non possunt. Dicitur etiam eo loci : *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors.* At mors nequaquàm in mundum per imitationem intravit (quia morti obnoxii sunt etiam illi, qui Adamum peccando non imitantur, ut parvuli); sed per generationem,

idem ergo de peccato dicendum erit. Confirmatur denique ex universali Traditione, et consensu totius Ecclesiæ, quæ jam antiquitùs in variis conciliis § præc. Pelagianos damnavit docentes, peccatum Adami in illius posteros eo in sensu transiisse, quòd omnes Adamum peccando imitati sint.

Eamdem insaniam plurium seculorum intervallo denuò ab inferis resuscitatam reprobavit, atque proscripsit synodus Tridentina sess. 5, can. 3, ubi ex certo et indubitato supposito inquit : « Hoc adde, « peccatum, quod origine unum est, et propagatione, « non imitatione, transfusum omnibus, inest unicui- « que proprium..... » Dein can. 4. expressè definit : « Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus « orti; aut dicit... eos... nihil ex Adam trahere origi- « nalis peccati....., anathema sit : quoniam non ali- « ter intelligendum est, quod dixit Apostolus : *Per « unum hominem peccatum*, etc., nisi quemadmodùm « Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. « Propter hanc enim regulam fidei ex Traditione Apo- « stolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in « semetipsis adhuc contrahere potuerunt, ideò in « remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut « in eis regeneratione mundetur, quod generatione « contraxerunt : *Nisi enim quis renatus fuerit ex aquâ « et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei.* Joan. « 3, v. 5. » Hic canon à Patribus Tridentinis de verbo ad verbum desumptus est ex concilio plenario Carthaginensi IV, can. 2, qui in codice canonum Ecclesiæ Africanæ legitur, num. 110.

§ 144.

V. *Naturalis illa ad malum propensio, seu concupiscentia, quæ, teste Apostolo,* Rom. 7, 23, *in renatis fonte baptismatis remanet, pœna quidem, et effectus peccati, non tamen verè ac propriè peccatum est, nec ipsum peccatum originale dici potest. Nihil enim damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu,* Rom. 8, 1, *consepulti cum Christo per baptisma in mortem,* Rom. 6, 4. Ob hæc, aliaque plurima divinæ veritatis effata, perpetuâ Traditione firmata, fide divinâ credimus, per baptismum deleri peccatum originale, quemadmodùm conc. Trid. sess. cit., can. 5. definit : « Si quis per Jesu Christi « Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, « reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam « asserit, non tolli totum id quod veram et propriam « peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, « aut non imputari; anathema sit. » Quùm verò Scripturâ, et ipsâ experientiâ teste, concupiscentia in renatis remaneat, eadem verè ac propriè peccatum originale dici nequit. Addunt tamen PP. Tridentini : « Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fo- « mitem, hæc sancta synodus fatetur, ac sentit : quæ « quùm ad agonem relicta sit, nocere non consentien- « tibus, et viriliter per Jesu Christi gratiam repugan- « tibus non valet : quinimò, *qui legitimè certaverit, co- « ronabitur*, 2 Timoth. 2, 5. Hanc concupiscentiam, « quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta « synodus declarat Ecclesiam catholicam nunquàm « intellexisse, peccatum appellari, *quod verè ac pro- « priè in renatis peccatum sit;* sed quia ex peccato est, « et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium « senserit, anathema sit (1). »

CAPUT III.

DOGMATA.

De Verbo Dei incarnato, seu Christo Redemptore

§ 145.

I. *Messias jam ante legem promissus, totque Prophetarum succedentium oraculis in Scripturâ sanctâ prænuntiatus, jamdudùm advenit, isque alius non est, quàm Jesus Christus, qui ipsemet,* Luc. ult. v. 44, ait : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi, et prophetis, et psalmis de me.* Et reverà characteres Messiæ Scripturarum veterum auctoritate expressi in nullo quàm Jesu Christo Nazareno reperiuntur adunati. *Huic prophetæ omnes testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Act. 10, v. 43. *Sicut in Adam*

(1) Posthæc statim declarat hæc ipsa sancta synodus *non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem; sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti papæ IV (an 1476 et 1482 editas), sub pœnis in ejus constitutionibus contentis, quas innovat.* Hæc declaratio, quamvis in antiquioribus aliquot sex primarum sessionum editionibus non inveniatur, legitima tamen, atque unanimi Patrum Tridentinorum consensu approbata recensetur ab Ambrosio Catharino, Dominico Soto, Alphonso Salmeronio, ac Petro Canisio, qui omnes concilio interfuêre. Porrò licet hæc veritas fide divinâ nec credatur, nec credi jubeatur; tantâ tamen nititur auctoritate, ut ejusdem inimicus à piâ sanctæ matris Ecclesiæ mente alienus esse meritò judicetur.

Quàm explorata apud Catholicos habetur existentia peccati originalis, tam explicatu difficilis semper visa est ejusdem peccati natura. *Antiquo peccato*, aiebat S. Augustinus l. de Mor. Eccl. c. 17, *nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Unde circa peccati originalis naturam modumque propagandi in tantâ sententiarum varietate cum eodem S. doctore illud tenendum esse arbitror, quod ipse l. 5 contra Julianum, c. 4, ingenuè fatetur : *Quid autem horum sit verius, libentius disco quàm dico, non audeam docere quod nescio.* Et ep. 167 : *Eleganter dictum esse narratur, quod huic rei satis aptè convenit. Quùm quidam ruisset in puteum..... accessit alius, et eo viso admirans, ait ; Quomodo hùc cecidisti? at ille : Obsecro, inquit, cogita quomodò hinc me liberes, non quomodò hùc ceciderim. Ita quoniam fatemur, et fide catholicâ tenemus, de reatu peccati, tanquàm de puteo, etiam parvuli infantis animam Christi gratiâ liberandam; satis sit ei, quod modo, quomodò salva fiat, novimus, etiamsi nunquàm, quomodò in malum illud devenerit, noverimus.*

Qui ex theologis scholasticis existimant, peccatum originale materialiter esse concupiscentiam, formaliter verò privationem justitiæ originalis, attento subtilis ejusmodi distinctionis sensu, nihil fidei contrarium docent. Eodem etiam modo explicari possent verba confessionis Augustanæ, art. 2 : *Naturæ humanæ corruptio defectum justitiæ originalis, et concupiscentiam complectitur,* nisi et ipsi antiquiores protestantes malè docuissent, prædictorum tenore verborum rationem formalem peccati originalis *privativè* in defectu justitiæ originalis, et *positivè* in concupiscentiâ, seu in continuâ mentis ad malum propensione consistere, id quod cum fidei veritate nullatenùs concordat.

omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. 1 Corinth. 15, 22. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Joan. 3, 16 et 17. « Quo factum est, inquit conc. Trid. sess. 6 « cap. 2, ut cœlestis Pater, Pater misericordiarum, « et Deus totius consolationis, Christum Jesum Fi- « lium suum et ante legem, et legis tempore multis « sanctis Patribus declaratum, ac promissum, quùm « venit beata illa plenitudo temporis, ad homines mise- « rit, ut et Judæos, *qui sub lege erant, redimeret,* ad « Gal. 4, 5, et gentes, quæ non sectabantur justitiam, « justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem « filiorum reciperent. » Totum hoc divinæ dispensationis mysterium, et Ecclesiæ fidem exhibet, atque proponit conc. Chalcedonense gen. IV, 451, in decreto fidei act. 5. « Sequentes igitur sanctos Patres, « unum eumdemque confiteri Filium, et D. N. J. C. « consonanter omnes docemus, eumdemque perfectum « in Deitate, et eumdem perfectum in humanitate, « Deum verè, et hominem verè, eumdem ex animâ « rationali, et corpore; consubstantialem Patri se- « cundùm divinitatem, et consubstantialem nobis « eumdem secundùm humanitatem *per omnia nobis « similem absque peccato,* Hebr. 4, 15; ante secula « quidem de Patre genitum secundùm Deitatem, in « novissimis autem diebus eumdem propter nos, et « propter nostram salutem ex Mariâ Virgine Dei geni- « trice secundùm humanitatem; unum eumdemque « Christum Filium Dominum unigenitum, in duabus « naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, insepa- « rabiliter agnoscendum; nusquàm sublatâ differentiâ « naturarum propter unitionem, magisque salvâ pro- « prietate utriusque naturæ, et in unam personam at- « que subsistentiâm concurrente: non in duas perso- « nas partitum et divisum, sed unum eumdemque « Filium, et Unigenitum, Deum Verbum D. J. C.; si- « cut ante prophetæ de eo, et ipse nos Jesus Christus « erudivit, et Patrum nobis Symbolum tradidit » (1).

§ 146.

II. *Ut igitur admirabile istud opus redemptionis absolveret, secunda in Trinitate Persona, Filius, verus Deus, Patri consubstantialis, divinum Verbum,* § 116, *caro factum est, et habitavit in nobis; sive Filius hic per æternam generationem à Deo Patre procedens propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Mariâ Virgine, et homo factus est. Christus itaque verus Deus, verusque Dei Filius, simul etiam verus homo factus est.* Sic definierunt conc. Nic. I et Constantinopolitanum I, *in Symbolo;* Ephesinum, *ep. synod. S. Cyrilli,* can. 2: « Si quis non confitetur « carni secundùm subsistentiam unitum esse Verbum, « quod ex Deo Patre, et unum esse Christum cum suâ « carne, eumdem ipsum videlicet Deum simul et « hominem, anathema sit. » Conc. Chalced. § præc. præter alia.

§ 147.

III. *Christum, sive Verbum incarnatum, veram animam humanam assumpsisse, semper credidit Ecclesia;* idque definivit conc. Alexandrinum an. 362; Romanum, 373; Antiochenum, 378, et præcipuè Romanum sub Damaso, Anathematismo 7, ait: « Anathematizamus « eos qui pro hominis animâ rationali et intelligibili « dicunt Dei Verbum in carne humanâ versatum; « quùm ipse Filius sit Dei Verbum, et non pro animâ « rationali et intelligibili in suo corpore fuerit, sed « nostram sine peccato animam susceperit atque sal- « vaverit. » Constantinopolitanum I, in ep. Synod. Ephesinum ep. cit.: « Asserimus autem Verbum sibi « secundùm hypostasin carne, animatâ rationali ani- « mâ, inexplicabili, incomprehensibilique modo homi- « nem factum, et hominis Filium extitisse. »

§ 148.

IV. *Christus verum corpus assumpsit, non phantasticum.* Joan. 1 dicitur: *Verbum caro factum est.* Ad Rom. 1: *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem,* etc. Conc. Chalced. in decreto fidei vocat Christum *consubstantialem nobis secundùm humanitatem.* Tota quoque epistola synodica S. Leonis papæ ab eodem concilio, in dicto decreto approbata, in hoc dogmate stabiliendo occupatur. Accedit auctoritas symbolorum Apostolici, Nicæni, et Constantinopolitani, in quibus dicitur, Christum natum fuisse, crucifixum, mortuum, et sepultum, verè utique, non per sensuum illusionem. *Si enim phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus. Et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus; non igitur phantasma fuit corpus ejus.* S. Augustinus l. 83 Quæstionum, quæst. 14.

§ 149.

V. *Christus assumpsit corpus passibile, fuitque doloribus verè obnoxius.* Ut constat ex §§ præc. et conc. Ephesino can. 12: « Si quis non confitetur Dei Ver- « bum passum esse carne, et crucifixum carne, et « mortem gustâsse carne... anathema sit. »

§ 150.

VI. *Corpus Christi formatum fuit in utero beatæ Mariæ ex illius substantiâ,* Christus quippe in Scripturis dicitur *conceptus,* Matth. 1, 20. *Natus,* Luc. 1, 35. Et *factus ex muliere,* ad Galat. 4, 4. Unde in symbolo Apostolico profitemur: « Qui conceptus est de Spiritu « S., natus ex Mariâ Virgine. » In Nicæno: « Et incar- « natus est de Spiritu S. ex Mariâ Virgine, et homo « factus est. » In symbolo *Quicumque*: « Deus est ex « substantiâ Patris ante secula genitus, et homo est « ex substantiâ Matris in seculo natus. »—« In tali quo- « que sensu SS. Patres fuisse comperimus (ait Cyrillus « Alex. in ep. synod. à conc. Ephes. Act. 1, appro- « bata), idcòque illi non dubitaverunt sanctam Virgi- « nem dicere Theotocon: non quòd Verbi natura, ip- « siusque divinitas ortûs sui principium ex sanctâ « Virgine sumpserit; sed quòd sacrum illud corpus « animâ intelligente perfectum ex eâ traxerit (vel, ut

(1) Ut porrò clarius innotescat, quænam sint de Verbo Dei incarnato dogmata credenda, speciatim in sequentibus recensentur, quæ in prædicto conc. Chalced. decreto aut in aliis continentur.

« alii ex græco vertunt), sed quòd ex eâ natam sit « sacrum illud corpus animatum ex animâ rationali. » Pariter conc. Constantinopolitanum II, definit : « Si « quis non confitetur Dei Verbi duas esse nativitates, « unam quidem ante sæcula... aliam verò ejusdem in « ultimis diebus descendentis de cœlo, et incarnati ex « sanctâ gloriosâ Dei Genitrice, semperque Virgine « Mariâ, qui natus est ex eâ, talis anathema sit. » Denique Nicænum II, in definitione fidei ait : « Confi- « temur autem et Dominam nostram sanctam Mariam « propriè ac veraciter Deiparam, quoniam peperit « carne... Christum videlicet Deum nostrum. »

§ 151.

VII. *Christus Jesus igitur conceptus, seu incarnatus est de Spiritu S., et natus ex Mariâ Virgine.* §§ præc.

§ 152.

VIII. *Beatissima Virgo Maria illa prærogativa ex jure divino potitur, quâ glorioso Deiparæ titulo ab universâ Ecclesiâ in variis conciliis Œcumenicis decoratur.* Teste enim Scripturâ, Maria Virgo Mater est Filii Dei, qui ex eâ conceptus, natus, et factus dicitur : *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Luc. 1. *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Ibid. v. 43. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere,* scilicet ex beatâ Mariâ, inquit Apostolus Galat. 4. Atqui Filius Dei verè est Deus, § 116 ; ergo Maria Virgo verè est Mater Dei, quemadmodùm eam SS. Patres, tum qui ante, tum qui post Nestorium floruerunt, uno ore deprædicant, v. gr., S. Ignatius M. ep. ad Ephes.; S. Irenæus, l. 3, c. 21. S. Dionysius Alexand. ep. ad Paulum Samosat. : *Quomodò ais tu hominem esse eximum Christum, et non reverà Deum..... incarnatum ex sanctâ Virgine, et Deiparâ Mariâ?* S. Athanasius Orat. 3 contra Arianos docet, Scripturam duo de Salvatore demonstrare : *illum scilicet Deum semper fuisse... ipsumque postea propter nos, carne ex Virgine Deiparâ Mariâ assumptâ, hominem factum esse.* S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 51 : *Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est,* etc. Unde rectissimè definiit Ecclesia, Mariam et esse, et appellari debere *Theotocon*, sive Dei genitricem. « Si quis « non confitetur Deum esse secundùm veritatem Em- « manuel, et propter hoc, Dei Genitricem S. Virgi- « nem... » Conc. Ephes. can. 1 : « Si quis abusivè, et « non verè Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam « semper Virginem Mariam... criminatur sanctam « Chalcedonensem synodum, Dei genitricem Virginem « asserentem : aut si quis hominis genitricem vocat « eam, aut Christi genitricem, utpote Christo non « existente Deo, et non secundùm veritatem Dei ge- « nitricem ipsam confitetur, eò quòd ante sæcula à « Patre genitus Deus Verbum ex ipsâ incarnatus est, « et natus est... talis anathema sit. » Conc. Constantinopolitanum II. Vid. etiam Nicænum II, § 150 ; et Chalcedonense in decreto fidei § 145 (1).

§ 153.

IX. *Eadem hæc Deipara illæsa prorsùs virginitate Christum de Spiritu S. concepit, genuit, semperque virgo post partum permansit.* Prima hujus dogmatis pars ex sacris litteris manifestè colligitur : Inter alia etenim vaticinatus est Isaias, c. 7, ŷ 14 : *Ecce virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel :* Hoc vaticinium in Christo impletum fuisse disertè testatur Matthæus, c. 1, à versu 18 usque ad 22, quo ita concludit : *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem,* 23 : *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium : et vocabunt nomen ejus* EMMANUEL, *quod est interpretatum : Nobiscum Deus.* Et D. Lucas c. 1, ŷ 26, scribit : *Missus est angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam viro.* ŷ 34 : *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco.* 35 : *Spiritus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Idem confirmant symbola Apostolicum, Nicænum, et Constantinopolitanum. Secundum dogma evincitur ex perpetuâ Traditione, et universali consensu Ecclesiæ, quæ sec. IV, Helvidium, aliosque hujus dogmatis inimicos tanquàm hæreticos condemnavit, et postmodùm in variis conciliis perpetuam Mariæ Virginitatem definivit. Sic Ephesinum, Chalcedonense et Constantinopolitanum II vocant Mariam semper Virginem. Et Constantinopolitanum III, an. 680, ait : « Mariæ Virginitas ante « partum, in partu, et post partum intemerabilis est. » Denique Lateranense I, sub Martino P. an. 649, can. 3, definiit : « Si quis secundùm SS. Patres non confi- « tetur propriè, et secundùm veritatem Dei genitri- « cem, sanctam, semperque virginem, et immacula- « tam Mariam... absque semine concepisse ex Spiritu « S. et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili « permanente et post partum ejusdem virginitate, « anathema sit. »

§ 154.

X. *Duplex in Christo datur natura perfecta, divina, et humana, salvis utriusque proprietatibus, id est, inconfusa et impermixta.* Contra Eutychianos. Christus etenim sæpissimè in Scripturis verus Deus, et verus homo prædicatur, ac duplex Verbi divini nativitas exprimitur, æterna ac temporalis. Joan, 1 : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.... Et Verbum caro factum est.* 1 Joan. 1, v. 1. Ad Philipp. 2, v. 6, etc. Atqui Christus non potest esse verus Deus, verusque homo, nisi duplicem habeat naturam divinam, et humanam, distinctam, et inconfusam. Id præter Symbolum Nicænum et Constantinopolitanum credendum proponunt concilia, scilicet Ephesinum can. 1 et 2, Chalcedonense § 145 ; Constantinopolitanum II, can. 8 : « Si quis ex duabus « naturis Deitatis et humanitatis confitens unionem « fuisse, vel unam naturam Dei Verbi incarnati dicens,

(1) Videant igitur, quid agant, et erubescant, qui hodiè ex Catholicis zelo Nestoriano ducti, has voces : *Deiparam, Matrem et Genitricem Dei* ex precibus Ecclesiæ expunctas ; à concionibus et catechesibus amandatas percupiunt. Fateor : fieri potest, ut hæc veritas vel minimè vel sinistrè intelligatur à plebe, si sensus genuinus non exponatur ; at fieri nunquàm potest, ut veritas non sit quæ ab Ecclesiâ fide divinâ credendâ præcipitur.

« non sic has voces intelligit, sicut sancti Patres do-
« cuerunt, etc. »

Constantinopolitanum III. « Confitemur.... unum
« Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei uni-
« genitum ex duabus, et in duabus essentiis, incon-
« fusè, immutabiliter, individuè, inseparabiliter con-
« sistere; naturarum differentiâ nequaquàm sublatâ
« propter unionem, sed potiùs servatâ unione utrius-
« que naturæ.... Nam nec Verbum mutatum fuit in
« naturam carnis : neque caro transformata fuit in na-
« turam Verbi. Permansit enim utrumque, id quod
« erat naturaliter. » Similia habet Nicænum II, in de-
finitione fidei.

§ 155.

XI. *Certum quoque et indubitatum fidei nostræ dogma est contra Monothelitas, duplicem in Christo admittendum esse voluntatem et operationem, divinam scilicet et humanam.* Utramque hanc voluntatem, et operationem Christus ipsemet manifestavit in horto Gethsemani, ubi pridie ante mortem suam oravit ad Patrem, teste Matthæo, c. 26, v. 39, dicens : *Pater mi ! si possibile est, transeat à me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu :* Vel, ut Lucas habet c. 22, v. 42 : *Non mea voluntas, sed tua fiat :* in quem locum scribit S. Gregorius Nyssenus 1 adv. Apollinarem : *Qui dixit,* non mea, *humanam significat : addens verò,* sed tua, *ostendit divinitatis suæ cognationem cum Patre ; quæ nullam voluntatis differentiam habet, ob naturæ communionem.* Joan. 6, v. 38, pariter ipse Christus testatur : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Præterea ex Apostolo ad Philipp. 2, 8, Christus *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Atqui hoc fieri non potuit, nisi per voluntatem humanam, quam præter divinam Christus habuit. Jure proin, ac meritò Patres concilii Romani sub Agathone doctrinam hanc ex apostolicâ et evangelicâ traditione, sanctorumque Patrum magisterio professi sunt. Conc. Constantinopolitanum III, in expositione fidei, « in unâ personâ Domini nostri Jesu Christi post ad-
« mirabilem unionem, quemadmodùm duas naturas,
« ita etiam duas naturales voluntates, et duas natura-
« les ejus operationes canonicè confitetur et prædi-
« cat. » Demùm Lateranense I, can. 10, decrevit : « Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur
« propriè, et secundùm veritatem duas unius ejus-
« demque Christi Dei nostri voluntates.... ac can. 11,
« duas operationes, divinam et humanam.... condem-
« natus sit. »

§ 156.

XII. *Unica tantùm in Christo agnosci, et credi debet persona.* Contra Nestorianos. Unio nimirùm naturæ divinæ et humanæ in Christo, quæ hypostatica dicitur, creditur vera et personalis, facta in personâ Verbi, ita ut in Christo sit una tantùm persona Verbi. Nam unus idemque in Scripturis et symbolis, à Patribus et conciliis constanter asseritur Filius Dei, et Filius hominis, Deus, Verbum, homo. Ad Rom. 9 : *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Joan. 8 : *Antequàm Abraham fieret, ego sum.* Joan. 10 : *Ego et Pater unum sumus.* Ad Ephes. 4 : *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Vid. etiam textus § 152 cit. Atqui non est idem secundùm naturas, seu propter identitatem personæ. Unde symbola de Filio Dei nos docent, quod de Spiritu S. conceptus, ex Mariâ Virgine natus, passus, crucifixus, mortuus fuerit, atque resurrexerit. Similiter in symbolo *Quicumque,* quod universa recepit Ecclesia, profitemur : « Qui licet Deus sit, et homo, non duo tamen, sed
« unus est Christus. Unus autem non conversione di-
« vinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in
« Deum. Unus omninò non confusione substantiæ, sed
« unitate personæ. » Denique dogma istud expressè definivit conc. Ephesinum Anathematismo 1, 2, 3 et 6, quorum duo ultimi ita sonant : *Si quis in uno Christo dividit substantias post adunationem solâ jungens eas conjunctione, quæ est secundùm dignitatem, vel auctoritatem, vel potentiam, et non magis concursu secundùm naturalem unitionem.... Si quis dicit Deum esse; vel Dominum Christi Dei Patris Verbum, et non magis eumdem ipsum confitetur Deum simul et hominem, propterea quòd Verbum factum est, secundùm Scripturas, anathema sit.* Chalcedonense, vid. § 145 : Et generale V; Constantinopolitanum II. collat. 8. anathemathismo 4 (1).

(1) Ex unione personali duarum naturarum divinæ et humanæ in Christo evidenter consequitur catholica veritas, à Patribus tradita, et in scholis sic dicta *Idiomatum communicatio,* quæ est mutua naturæ divinæ, et humanæ ac proprietatum utriusque naturæ de personâ Christi prædicatio ; puta, ratione unius in Christo personæ, cui competit natura divina et humana, naturæ divinæ propria enuntiari possunt de homine, et vicissim prædicata naturæ humanæ propria affirmari possunt de Deo : ut adeò veræ sint hæ propositiones : *Homo est Deus, Deus est homo. Deus passus ac mortuus est,* etc. Datur itaque in Christo vera communicatio idiomatum ratione personæ, prout docent varia Scripturæ loca, e. gr., Act. 3, dicitur : *Auctorem vitæ interfecistis.* Et 1 Joan. 3 : *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* En hìc mors humanitati propria Deo tribuitur ; rationem reddit S. Leo M. ep. synod. ad Flavianum c. 5 : *Propter hanc unitatem personæ in utrâque naturâ intelligendam, et Filius hominis legitur descendisse de cœlo, quùm Filius Dei carnem de eâ virgine, de quâ est natus, assumpserit. Et rursùs, Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, quùm hæc non in divinitate, quâ unigenitus, consempiternus, ac consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus.* Sicut ergo contra Nestorium pronuntiandum est : *Verbum est homo, Virgo peperit Filium Dei,* quia Verbum et homo unus èst Christus ; ita adversùs Eutychen clamandum : *Natura humana quam Verbum assumpsit, non est divinitas, quam habet à Patre : Christus carne, non divinitate, passus est.* Et contra Ubiquistas Protestantes : *Natura Christi humana non est ubique præsens, omniscia, omnipotens, etc.* Quia in unitate personæ utraque natura suam retinet proprietatem, unde

In Christo non datur communicatio idiomatum ratione naturarum, sive, ut aiunt, in abstracto inter naturam divinam et humanam : ideòque natura Christi humana nequit dici ubique præsens. Id plurima Scripturarum evincunt testimonia. Joan. 11, 15, ait Christus : *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Atqui certò erat ibi

§ 157.

XIII. *Uno, eodemque Latriæ cultu Christus homo, seu Christi humanitas cum divinitate hypostaticè unità adorari debet.* Quod enim ad normam SS. Litterarum, Patrumque antiquorum sensa nobis tradidit S. Joannes Damascenus... l. 3, de Fide orthodoxâ, c. 8 : *Adoratur caro Christi in incarnato Verbo Dei non propter semetipsam; sed propter unitum secundùm hypostasin Verbum Dei.... Non enim Veluti nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam;* idipsum jam antea synodi Œcumenicæ apertis oraculis sanxerunt. Conc. quippe Alexandrinum, et ipsum Ephesinum approbavit anathematismum sequentem S. Cyrilli, qui numero octavus ita sonat : « Si quis audet dicere « hominem assumptum adorari cum Deo Verbo oportere, et cum eo glorificari, et connuncupari Deum « tanquàm alterum cum altero, et non magis unâ adoratione honorificat Emmanuel, et unam ei glorifi- « cationem refert propter hoc, quòd Verbum factum « est caro, anathema sit. » Constantinopolitanum II, can. 9 : « Si quis in duabus naturis adorari dicit Chri- « stum, ex quo duæ adorationes introducuntur, sepa- « ratim Deo Verbo, et separatim homini : vel si quis « ad peremptionem carnis, vel ad confusionem Deita- « tis et humanitatis unam naturam sive essentiam « convenientium portentosè dicens, sic Christum ado- « rat, sed non unâ adoratione Deum Verbum incarna- « tum cum propriâ ipsius carne adorat, sicut ab « initio Dei Ecclesiæ traditum est, talis anathema « sit » (1).

§ 158.

XIV. *Christus etiam quà homo, proprius ac naturalis est, et creditur Filius Dei; adeòque nec sub ipsâ humanitatis expressâ restrictione nuncupari potest Filius Dei adoptivus,* in sensu Nestorii. Ipse namque ingenitus Pater de incarnato Verbo testatur Matth. 3, 17 : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Sicuti Psal. 2, 7 : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Qui etiam,* teste Apostolo Rom. 8, 32, *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Si ergo proprius, seu naturalis ille, quem Pater tradidit, Filius nominatur, Christus sanè quà homo proprius, ac naturalis, Filius Dei est; quemadmodùm eumdem Filium hominis ex revelatione Patris cœlestis S. Petrus confessus est Matth. 16, v. 16 : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Dein Joan. 1 et 3, Christus dicitur *Unigenitus Filius;* atqui plures sunt filii adoptivi. *Multi* enim *nos filii Dei,* inquit S. Hilarius, l. 3, de Trinit., *sed non talis hic* (Christus) *Filius. Hic enim et verus, et proprius est Filius origine, non adoptione : veritate, non nuncupatione: nativitate, non creatione.* Et S. Augustinus, tract. 82 in Joan. : *Nos filii gratiâ, non naturâ : Unigenitus autem naturâ, non gratiâ; an hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum ? ita sanè.* Enchirid. 35 : *Non duo Filii Dei, Deus et homo, sed unus Dei Filius.* S. Gregorius Nyssenus l. contra Apollinarem : *Qui Apollinaris patrocinantur dogmatibus.... objiciunt, quosdam ex Ecclesiâ catholicâ duos in suo dogmate filios agnoscere, alterum naturalem, alterum qui adoptione postmodùm accessit. Quod nescio, à quonam audierunt, aut quâcum personâ luctentur. Nam hactenùs neminem novi, qui talia perperàm effutiret.* Unde etiam Patres Africani in libello emend. Leprorii profitentur : « In hoc maximè fides nostra « consistit, ut credamus unicum Filium Dei, non ado- « ptivum, sed proprium. »

Quamprimùm autem sec. 8, Felix et Elipandus Hispaniarum episcopi, Christum ut hominem Filium Dei adoptivum esse, docuerunt, eorum hæresis statim in variis synodis proscribi cœpit. 1° In synodo Forojuliensi an. 791, quæ in libello episcoporum Italiæ ait : « Eos valdè execramur, qui eum (Christum) « adoptivum impio grunniunt ore, qui adoptivus dici « non potest, nisi qui priùs alienus est ab eo, à quo « adoptari desiderat. » 2° In Narbonensi an. 788, agente potissimùm Hadriano P. et Carolo M. 3° In Ratisbonensi an. 792; 4° Francofordiensi, 794. Memoratu digna sunt verba hujus synodi in ep. synod. ad episcopos Hispaniæ : « Unitas personæ Christi « adoptionis tollit injuriam. Adoptio nullam habet « significationem, nisi ut Christus Filius Dei proprius « et naturalis non sit. Si verè Deus, verè Filius.... « nequaquàm adoptivus.... Prophetæ non dixerunt, « Apostoli non prædicârunt, sancti Tractatores hoc « nomen tacuerunt, Doctores fidei nostræ non docue- « runt. — Nonne olim eadem hæresis in Nestorio ab « universali Ecclesiâ refutata et damnata est?... tu « verò quisquis es, qui Christum prædicas adopti- « vum, unde tibi iste sensus venisset, voluissem sci- « re : ubi hoc nomen didicisses, ostende. » Rursùs an. 799, duæ celebratæ sunt synodi, scilicet Romana sub Leone III, et Aquisgranensis, ubi idem Nestorianus error proscriptus est : et quatenùs duas in Christo personas, unionemque duntaxat moralem exemplo Nestorii adstruit, prout ex confessione fidei à Felice et Elipando propositâ haud obscurè elucet, ab universâ Ecclesiâ tanquàm fidei catholicæ contraria, et aperta hæresis condemnatur (1).

natura divina, utpote immensa, et ubique diffusa : ergo non erat ibi natura humana, secus effatum Christi in nullo sensu verificaretur. Vid Matth. 20, 11. Ibid. 28, v. 5 et 6. Lucæ 24, v. 6 et 51, etc. His accedit tanta Græcorum et Latinorum Patrum auctoritas, ut meritò omnes Catholici ab impio Ubiquistarum commento, quod incarnationis veritatem, et Eucharistiæ mysterium destruit, imò et ipsi sagaciores Protestantes vehementer abhorreant.

(1) Solent equidem theologi nostri magnâ consensione tueri thesin istam : *Christus ut homo est adorandus.* Ego verò sentio, inquit exim. Klupfelius part. 2. inst. theol. dog., p. 110, positionem istiusmodi errori Eutychiano, aut Ubiquistarum opinioni affinem esse. Quòd si enim dicta propositio exigitur ad canones dialecticos; hunc sensum reddit : *Humanitas Christi, vel natura humana Christi est adoranda;* id quod in abstracto sumptum à dogmate stabilito alienum est.

(1) Dixi supra ; in sensu Nestorii. Nam qui ex Patribus quandoque adoptionis terminum usurpant, latè accipiunt, pro naturæ nimirùm humanæ assumptione, non pro adoptione propriè dictâ. Sic pariter Durandus et alii quidam Scholastici docentes Christum secundùm humanitatem esse Filium Dei adoptivum,

CAPUT IV.

DE CHRISTO MEDIATORE.

Per opus Redemptionis et Satisfactionis pro peccatis nostris.

§ 159.

Dogma I. *Fide divinâ credimus, æterni Patris Filium eo fine in hunc mundum venisse; hominem factum; inter homines versatum, passum, mortuumque fuisse, ut hominem lapsum redimeret.* § 145 et 146.

§ 160.

II. *Christus liberè nos redemit, liberè pro nobis mortem subiit.* Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ad Philipp. 2. *Ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, et potestatem habeo ponendi eam : et potestatem habeo iterùm sumendi eam,* Joan. 10. *Christus tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Ad Ephes. 5. *Hoc enim fecit semel se ipsum offerendo.* Ad Hebr. 7. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26, etc. Hanc igitur veritatem dogmaticam in Scripturis adeò manifestè revelatam, et à Patribus traditam, constanter tenuit, ac credit Ecclesia catholica (1).

§ 161.

III. *Idem Salvator Jesus Christus reverà et sibi, et nobis promeruit.* Nulla enim conditio ad merendum Christo defuit : 1° Est verus homo, § 146 et seq. 2° Liberè nos redemit, § præc. 3° Fuit sanctus in omnibus actionibus suis. *Quod nascetur ex te sanctum,* Luc. 1, 35; imò *Sanctus Sanctorum* dicitur Danielis 9, 24. Christus ergo promeruit per omnes actus amoris et dilectionis Dei ; per actus obedientiæ, humilitatis, uno verbo, per omnes actus virtutum. 4° Non defuit operis dignitas atque præstantia. Quamvis enim Christus meruerit tantùm per actiones humanæ naturæ, cui proprium est Deo subjici, eæ tamen actiones erant hominis Dei, et à Verbi personâ summum, et infinitum valorem habebant, quia operanti et patienti homini unita erat divinitas. Unde scribit Apostolus 1 Corinth. 6, 20 : *Empti estis pretio magno.* Et ad Rom. 5, 15 : *Si unius delicto multi mortui sunt : multò magi gratia Dei, et donum in gratiâ unius hominis Jesu Christi in plures abundavit;* v. 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia;* v. 21 : *Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum.* 5° Denique remuneratio à Deo promissa est. Psal. 2, v. 8 : *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Luc. 1, 32, 33 : *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis, etc.*

Christus porrò meruit sibi gloriam corporis : *Nonne oportuit pati Christum, et sic intrare in gloriam suam?* Luc. 24, 26. Nominis exaltationem. *Humiliavit semetipsum factus obediens... propter quod et Deus exaltavit illum, etc.* Ad Philipp. 2 : *Ego te glorificavi super terram : opus consummavi, quod dediti mihi, ut faciam. Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate quam habui, prius quàm mundus esset, apud te.* Joan 17, 4. In quem locum eleganter commentatur S. Augustinus tract. 104. *Ut Christus resurrectione glorificetur, prius humiliatus est passione. Humilitas claritatis est meritum : claritas humilitatis præmium.* Præterea meruit nomen et prærogativam Mediatoris, 1 Timoth. c. 2, v. 5 : *Unus Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Sacerdotis. Ad Hebr. 5, v. 5 : *Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret : sed qui locutus est ad eum. Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Quemadmodùm et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Vide quoque in eâdem epistolâ, c. 7 et 9. Regis Psal. 71, v. 1. Zachar. 9, v. 9. Luc. l. c. Judicis vivorum et mortuorum. Act. 10, 42. Joan. 5, 22.

Christus nobis quoque vitâ, passione, et morte suâ abundè promeritus est justificationem, vitam æternam, atque omnia ea cœlestis gratiæ dona, quæ ad salutem nostram ordinantur. In hujus dogmatis assertionem unanimi suffragio conspirant, Scriptura, Traditio, et Ecclesiæ declaratio. Inprimis « salus nostra perficitur, ait clariss. Franc. Xaver. Gmeiner tom. 2, § 50, vocatione, justificatione, prædestinatione, et gratiarum donis; atqui Christus nobis promeruit VOCATIONEM : *Deus nos liberavit, et vocavit nos vocatione suâ sanctâ.... quæ data est nobis in Christo Jesu,* 2, ad Timoth. 1, 9; JUSTIFICATIONEM : *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.* 1 Joan. 1, 7; PRÆDESTINATIONEM : *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ.* Et GRATIARUM DONA : *Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Joan. 15, 5. » *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Hebr. 5, 9. Quâ de re meritò conc. Trid. sess. 6 de justificatione

per ea verba : *secundùm humanitatem*, intelligunt naturam humanam in unitatem personæ, in consortium divinitatis assumptam : adeòque in strictum hæreseos censum non veniunt.

(1) Differentia theologorum in explicando modo, quo Christi libertas cum mandato Patris de subeundâ morte, et cum ipsâ Christi impeccantiâ stare, ac conciliari possit, adeò non tollit præfati dogmatis veritatem, ut potiùs confirmet, quia omnes omnem lapidem movent, omnesque nervos intendunt, ut eamdem licet variis modis vindicent. Consule eosdem, si libet, et persuasum habeto, ad libertatis essentiam non spectare potestatem peccandi. *Nec libertas, nec pars libertatis est potestas peccandi*, ait S. Anselmus, Dial. de lib. arbit. c. 1, imò potius, ut inquit S. Thomas, *defectus est libertatis.* Interea sufficit nobis asserere cum Ambrosio l. 1 de Spiritu S. c. 12 : *Tradidit ergo Pater Filium, et ipse Filius se tradidit. Tradidit Pater volentem, tradidit offerentem.* Iterùm l. 4, de fide c. 10 : *Sicut potestatis suæ esse significat, ponere animam, et liberæ voluntatis, ita etiam, quod secundùm mandatum deposuit Patris, suæ ac paternæ voluntatis significat unitatem.* Et S. Augustinus l. de Trinit., c. 13, ait : *Quia voluit, mortuus est.*

hoc dogma variis canonibus definivit : v. gr. I, II, III et præcipuè X. « Si quis dixerit, homines sine Chri- « sti justitiâ, per quam nobis meruit, justificari..... « XXVI. Si quis dixerit, justos non debere pro bonis « operibus... exspectare æternam retributionem à Deo « pro ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum... « XXXII. Si quis dixerit..... ipsum justificatum bonis « operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Chri- « sti meritum fiunt, non verè mereri augmentum gra- « tiæ, vitam æternam... atque etiam gloriæ augmen- « tum ; anathema sit. »

§ 162.

IV. *Christus pœnas peccatis nostris debitas sustinuit ; nos verè à peccatis soluto sanguinis sui pretio redemit ; lytrum redemptionis nostræ Deo Patri crucis sacrificio obtulit; verè, ac propriè pro peccatis nostris divinæ justitiæ satisfecit ; nosque deleto delictorum chirographo Deo reconciliavit.* Imò propheta Isaias c. 53, de Christo loquens, ait : *Verè languores nostros ipse tulit*, (in hebraico habetur : verè debitas peccatis nostris pœnas tulit) *et dolores nostros ipse portavit.... ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.... livore ejus sanati sumus. Omnes nos, quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum.... propter scelus populi mei percussi eum.* Ad hoc vaticinium provocavit S. Petrus, dùm 1 ep. c. 2, 24, de Christo scripsit : *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : ut, peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis. Eratis enim sicut oves errantes.* Matth. 20, 28, dicitur : *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis.* Ad Ephes. 1, 7 : *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* In ep. 1 Petri 1, 18 : *Non auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine Christi.* 1 ep. Joan. 1, 7 : *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.* III. Christum pro nobis sacrificium in cruce obtulisse discrtè Paulus testatur ad Ephes. 5 : *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam* (græcè sacrificium) *Deo in odorem suavitatis.* Petri 3, 18 : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus, Justus pro injustis, ut nos offerret Deo.* IV. Ad Rom. 5, 10 : *quùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Ad Coloss. 1 : *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Et c. 2 : *Delens quod adversùm nos erat Chirographum decreti, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Hunc in locum S. Chrysostomus hom. 6, ait : *Ipse punitus solvit et peccatum, et pœnam; tenebat diabolus chirographum ; hoc ergo Christus scidit*, sicque verè ac propriè pro nobis in arâ crucis satisfecit. Quam ob rem rectissimè compellatur Mediator, Redemptor, Salvator, et *Sponsor*. Hebr. 7, quippe qui instar victimæ, morte vicariâ, loco nostri satisfactionem præstitit.

Hujus principalis fidei articuli professionem præter SS. Patres tradunt etiam Symbola Nicænum, Constantinopolitanum et : *Quicumque* « Propter nos homines et « propter nostram salutem... crucifixus etiam pro no- « bis, passus et sepultus est. » Idem profitetur conc. Lateran. IV, de fide catholicâ : « Qui etiam pro saluto « humani generis in ligno crucis passus et mortuus, » etc. (1).

§ 163.

V. *Christus pro omnibus hominibus mortuus est, non pro solis prædestinatis.* Celebriora hujus dogmatis loca in Scripturis habentur Joan. 1, 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* 1 Joan. 2, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris ; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* 2 ad Corinth, c. 5, 14 : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus ;* v. 19 : *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* 1 Timoth. 2, 6 : *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Ibid. c. 4 : *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum maximè fidelium :* ergo non tantùm pro prædestinatis, sed etiam pro reprobis mortuus est, quùm sit Redemptor omnium. Eodem modo loquuntur Patres, symbola et concilia § præc. Confirmatur ex Conc. Trid. juxta quod fide divinâ certum est, neminem posse justificari, nisi cui merita passionis D. N. J. C. communicantur. Sess. 6, can. 10. § cit. : ergo etiam de fide credendum erit, pro fideli justificato, etiamsi in acceptâ justitiâ non perseveret, pretium sanguinis Christi fuisse effusum. Ibid. can. 17 : *Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit.... anathema sit.* Accedit postremò celebris illa propositio numero quinta inter eas quæ damnatæ sunt Innocentii papæ X constitutione an. 1653 : *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Hæc pro-

(1) Nemo est, qui non facilè animadvertat, quantùm Sociniani Jesu Christi adversarii præstantiæ Salvatoris detrahant. Si enim Christus metaphoricè tantùm Deo Patri satisfecit, annuntiando nobis placationem Dei, non egit is præstantius quidquam, quàm Prophetæ. Si solùm declaravit, peccata nostra esse remissa, nihil fecit, quod Sacerdotes V. T. non egerint. Si tantùm, ut nobis daret patientiæ, obedientiæ, et humilitatis exemplum, hoc et martyres præstiterunt. Ita Cl. Carolus Sardagna tom. 1, p. 372. Acerrimus et intolerantissimus hujus dogmatis de verâ Christi satisfactione hostis omnium calculo habetur Gotthilf Samuel Steinbart : *System der reinen Philosophie, oder Glückseligkeitslehre des Christenthums.* Multos sanè mirari hic subit, quòd virulenta hujusmodi Sectæ pestis adeò impunè, et publicè grassari permittatur. Fors ideò, quia, qui malo remoram ponere possunt, nolunt; et qui volunt, non possunt ; sicut proh dolor ! in aliis passim contingere solet.

Omnium catholicorum vox una est, totum Christum pro nobis satisfecisse ; tribuunt quidem actiones mediationis naturæ Christi humanæ, illas tamen ex personæ divinæ, cui intimè unita fuit natura humana, dignitate infinità pretium infinitum adquirere profitentur. Quare aut crasso errore aut intolerantiæ studio deceptus, celebris Laurentius à Mosheim in suis theol. dog. elementis part. 1, sect. 3, perperam adfinxit Catholicis, quasi crederent Christum solummodò secundùm humanam naturam satisfecisse, ejusque satisfactionem non esse perfectam.

positio ejusdem pontificis judicio, cui omnes orbis Ecclesiæ subscripserunt, est falsa, temeraria, scandalosa ; et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietatis derogans, et hæretica (1).

§ 164.

VI. *Christus post mortem descendit ad inferos.* Hunc fidei articulum, quem in Symbolo apostolico profitemur, 1° tradant Scripturæ : Psalm. 15, et Act. c. 2, ℣ 27 : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem;* v. 31 : *Prophetа... providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem, etc.* 2° Patres omnium seculorum : S Ignatius, Ep. ad Trall.; Clemens Alex. l. 6 Strom. ; Tertullianus de Animâ ; Irenæus l. 4, adv. Hæres. c. 45 : *Ea propter Dominum in ea quæ sunt sub terrâ descendisse, evangelizantem et illis adventum suum.* Epiphanius, hæres. 20 : *In cruce suspenditur, sepelitur, ad inferos cum divinitate suâ animâque descendit : captivam ducit captivitatem.* Hieronymus, Comment. in Osæe c. 3 : *Anima ejus descendit in infernum.* Augustinus in ep. ad Dardanum scribit, *Christum secundùm animam in inferno, in sepulchro verò secundùm corpus fuisse.* Idem in ep. 164 ad Evodium : *Quis ergo nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum?* 3° Symbolum Nicænum ; Constantinopolitanum, *Quicumque*, Hierosolymitanum, ut refert S. Cyrillus in Symb. Eccl. Hier., Aquileiense apud Aug. in Expos. Symb. 4° Conc. Lateranense IV, de Fide catholicâ : *Christus pro salute humani generis in ligno crucis passus, et mortuus descendit ad inferos..., resurrexit à mortuis, et ascendit in cœlum. Sed descendit in animâ, resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque, etc.* (1).

§ 165.

VII. *Christus resurrexit à mortuis.* — VIII. *Ascendit in cœlum.* — IX. *Sedet ad dexteram Dei Patris.*

Hæc dogmata ex Scripturis, symbolis, Patribus et conciliis invictè constant. « Si quis secundùm SS. Pa- « tres non confitetur, propriè, et secundùm veritatem « ipsum... Deum Verbum... hominem factum, cruci- « fixum carne, propter nos spontè passum sepultum- « que, et resurrexisse tertiâ die, et ascendisse in « cœlos, atque sedentem in dexterâ Patris..., condem- « natus sit. » Conc. Lateran. I. can. 2.

§ 166.

X. *Christus Apostolis promissum Spiritum S. misit, prout Evangelia et Acta Apostolorum testantur.*

§ 167.

XI *Christus Jesus igitur quâ Intercessor peræquè, ac quâ Redemptor, unus Mediator Dei et hominum est.* Hæc etenim omni tempore erat fides Ecclesiæ, prout in suis precibus passim declaravit, quas ad Deum Patrem semper fundere ac claudere solet *per Dominum nostrum Jesum Christum, etc. Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Rom. 7, v. 34. *Semper*

(1) Licet omnes Christiani conveniant Christum esse omnium hominum Redemptorem, non omnes tamen conveniunt, quinam termino illo universali, *omnium*, intelligi debeant. Calvinus aliique ex Acatholicis, qui funesto germaniæ separationis tempore vexârunt Ecclesiam, docent, termino, *omnium*, intelligi solos prædestinatos, ita ut omnes reprobi à redemptione omninò excludantur. E contra Catholici omnes confitentur quidem, per voeem, *omnium*, non intelligi eos tantùm qui in Scripturis electi, prædestinati dicuntur; sed etiam eos ex reprobis, qui in tempore actualem, aut justificantem gratiam recipiunt ; hinceque contra Calvinistas concludunt Christum mortuum esse ac fudisse sanguinem non pro electis tantùm, sed etiam pro iis reprobis, qui in baptismo, aut in sacramento pœnitentiæ justificati, labuntur postea in peccatum mortale, in eoque tandem moriuntur. Certum igitur, et indubitatum fidei dogma habetur, quòd Christus Dominus non pro solis prædestinatis mortuus fuerit, sed etiam pro aliis reprobis, saltem fidelibus, qui per baptismum gratiam sanctificantem adepti sunt, vid. Gasparum Juenin, tom. 4, quæst. 12.

Quamvis olim prolixa satis, et admodùm inimica invaluerit Thomistas inter et Molinistas concertatio : utrùm nempe Deus omnes omninò homines æqualiter velit salvos fieri ; et utrùm Christus Dominus pro omnibus in individuo hominibus æqualiter mortuus fuerit; negabant id Thomistæ, affirmabant Molinistæ ; utraque tamen pars in eo facilè consentiebat cum aliis Catholicis, quòd Christus simpliciter pro omnibus mortuus fuerit, sanguinisque sui pretium Deo Patri obtulerit pro omnibus omninò sufficiens, prout insinuat synodus Trid. sess. 6, cap. 3 : *Etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Quod insuper clariùs explicatur à catechismo romano, part. 2, de Sacram. Euch. c. 4, his verbis : « Nam si ejus virtutem inspiciamus, « pro omnium salute sanguinem à Salvatore effusum « esse fatendum erit. Si verò fructum, quem homines « ex eo perceperint, cogitemus, non ad omnes, sed « ad multos tantùm eam utilitatem pervenire facilè « intelligimus. »

Suppetunt equidem, ait laud. Klupfelius part. 2, l. 2, § 81, sacrarum litterarum nonnulla testimonia, quæ indicant Christum non pro omnibus, sed solùm pro his qui salutem aliquando consecuturi sunt, sive pro ovibus posuisse animam, aut preces fudisse; velut Joan. 10, 15, et c. 17, v. 9. At loca illa non agunt de institutione mediorum, neque de impetratione remissionis peccatorum per mortem Christi, nec de oblatione pretii infiniti, sed de actuali remissionis peccatorum applicatione, et consecutione felicitatis. Hæc igitur probè in hoc commate ab invicem discernenda veniunt.

(1) A fide igitur verâ circa hoc dogma aberrârunt Sociniani, qui descensum Christi ad inferos de statu Christi post mortem aliis mortuis æquali explicant. Calviniani, qui eumdem descensum sensu metaphorico intelligunt vel de morte et sepulturâ Christi, vel de statu exinanitionis, aut de cruciatibus verè infernalibus, quos Christus tempore passionis, et mortis suæ sustinuerit. Lutherus, qui aliquando blasphemavit, Christum post mortem ad infernum damnatorum descendisse, doloresque infernales sustinuisse, hanc tamen blasphemiam postmodùm revocare consultiùs duxit, et docuit Christum descendisse ad inferos, ut se victorem inferni exhiberet.

Communis equidem Catholicorum, non tamen dogmatica doctrina est, Christum descendisse ad limbum Patrum. Nonnulli tamen eum descendisse ferunt ad purgatorium, ut animas exinde educeret; aut ad infernum, sedem damnatorum, ut se victorem sisteret operum diaboli. Alii denique cum multis SS. Patribus docent, Christum ad omnia ista inferorum loca descendisse juxta illud Eccles. 24, v. 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes.*

vivens ad interpellandum pro nobis. Hebr. 7, 25. *Sed et, si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* 1. Joan. 2, 1. *Ergo unus est Mediator Dei et hominum Homo Christus Jesus.* 1 Timoth., c. 2. Huic mediationi Christi nihil derogat invocatio, et intercessio sanctorum.

Caput V.

De Invocatione et Intercessione sanctorum.

§ 168.

Dogma I. *Secundùm catholicæ fidei constantissimam veritatem profitemur, sanctos unà cum Christo regnantes pro hominibus orare; imò bonum ac utile esse eos invocare ac venerari.* Id in triplici humani generis statu, in lege nimirùm *naturali, mosaicâ et novâ*, factum esse Scripturæ testantur. Nam tempore *legis naturalis*, precibus Abrahæ Deus pepercit Abimelech Gen. 20, 17. Ibid. c. 19, Loth ab angelo supplex postulavit, quod obtinuit, ne urbs Segor excidio deleretur; cui angelus respondit : *Suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro quâ locutus es.* Cap. 26, dixit Deus ad Isaac : *Ero tecum, et benedicam tibi... eò quòd obedierit Abraham voci meæ, et custodierit mandata mea.* Cap 32, Jacob adversùs angelum luctatus est, cujus efflagitavit, et obtinuit benedictionem. Et, c. 48, Jacob Deum, angelum et parentes suos invocat super filiis Joseph dicens : *Deus in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei... angelus qui me eruit de cunctis malis, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque parentum meorum Abraham et Isaac.* Job. c. ult. Deus nonnisi ex Jobi orationibus voluit parcere Eliphaz, et duobus amicis ejus. Tempore *legis mosaicæ* Moses Deum oravit : *Esto placabilis super nequitiâ populi tui, Recordare Abraham, Isaac et Jacob servorum tuorum... Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus est adversùs populum suum*, Exodi 32. Item Ezechiæ oranti Deus nuntiat per Isaiam, 4 Reg., c. 19 : *Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me et propter David servum meum.* Jerem. 15, ait Deus : *Si steterit Moses, et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Dein, 2 Machab. c. 15, Jeremias et Onias orare dicuntur pro populo Judæorum. In novo Testamento diserta quidem testimonia in hujus dogmatis confirmationem haud exstare fatemur; non desunt tamen loca, quibus invictè comprobatur, bonum ac utile esse pro invicem orare, multùmque valere justi deprecationem. *Orate pro invicem, ut salvemini, multùm enim valet deprecatio justi assidua*, Jacobi 5. S. Paulus sæpiùs justorum viventium precibus se commendat ad Coloss. 4; 1 Thessal. 5 : *Fratres, orate pro nobis*; 2 ad eosdem, c. 3; ad Rom. 15, etc. Si itaque Deus justos in terris degentes exaudit, quantò magis beatos, quia ex fide credimus, et in Symbolo apostolico mutuam inter Ecclesiam militantem, et triumphantem profitemur communionem. Unde præclarè concludit S. Hieronymus contra Vigilantium : *Si Apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quantò magis post coronas, victorias et triumphos?...* Quoniam verò hoc argumentum, etsi satis firmum, indirectè duntaxat ex SS. litteris inferatur, idem dogma directè ac evidenter ex traditione constanti evincitur. S. Justinus M. Apolog. pro Christianis, sec. 2 testatur, Christianos etiam eos colere, qui Christum sequuntur et ad ejus similitudinem conformantur : *Sermone, ac veritate honorem deferentes.* Smyrnensis Ecclesia in ep. encyclicâ de martyrio S. Polycarpi : *Martyres*, inquit, *tanquàm discipulos et imitatores Domini meritè amore prosequimur ob eximiam eorum benevolentiam.* Et ad locum, ubi passus est S. Polycarpus, conventuros se illius Ecclesiæ alumni pollicentur, *ut natalem ejus martyrii diem celebrent, etc.* S. Irænæus, l. 5 adv. hæres. c. 19, de Beatâ Virgine Mariâ scribit : *Suasa est obedire Deo, ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata.* S. Cyprianus sec. 3, tract. de habitu Virg. scribit ad Virgines : *Tantùm mementote tunc nostrî, quùm incipiat in vobis virginitas honorari.* Epist. 37 : Tertullus *significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, et celebrantur hìc à nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum.* Et ep. 60 : *Si quis isthinc nostrùm prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio pro fratribus et sororibus nostris, ad misericordiam Patris non cesset oratio.* Origenes de Orat. : Obsecratio, et postulatio, et gratiarum actio non absurdè potest et sanctis offerri. *Cognoscunt enim* (ait l. 8, contra Celsum) *et ipsi, quinam Dei benevolentiâ digni sunt... adjuvant eos... suas illorum precibus adjungunt preces, et simul cum eis postulant.* Idem, hom. 26 in cap. 31 Num., repetit : *Quis dubitat, quòd sancti quippe orationibus nos juvent?* et hom. 3, in Cant. : *Omnes Sancti, qui de hâc vitâ decesserunt habentes adhuc charitatem erga eos qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, et juvare eos precibus suis atque interventu suo apud Deum, non erit inconveniens; scriptum namque est in libris Machabæorum : Hic est Jeremias phopheta Dei, qui semper orat pro populo.* Seculo denique IV, tanta occurit hâc de re testimoniorum copia, ut ipsimet adversarii eâdem denegare non audeant. Sed unde hauserunt istam doctrinam hujus Ecclesiæ seculi præsules, nisi ab antiquioribus præcedentium trium seculorum Patribus? Enimverò non fuisset communis et receptissima, sec. IV, in Ecclesiâ consuetudo invocandi sanctos, si tunc primùm fuisset recens invecta. Meritò itaque conc. Trid. Ephesini, Chalcedonensis et Nicæni II vestigia secutum sess. 25 definivit : « Sanctos unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare :... illos verò, qui negant, sanctos invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum Verbo Dei, adversarique honoribus unius Mediatoris Dei et hominum Jesu

Christi; vel stultum esse in cœlo regnantibus voce, vel mente supplicare, impiè sentire (1). »

§ 169.

II. *Sacrarum imaginum usus, et cultus licitus est.* Ita statuit Tridentinum, sess. 25 : « Imagines Christi, « Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum in templis « præsertim habendas, eisque debitum honorem, et « venerationem impertiendam, non quòd credatur, « inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam « sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, « vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim « fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam colloca- « bant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refer- « tur ad prototypa, quæ illa repræsentant; sicut per « imagines quas osculamur, et coram quibus caput « aperimus, et procumbimus, Christum adoremus; et « sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, vene- « remur : id quod conciliorum præsertim verò II Ni- « cænæ synodi contra imaginum oppugnatores aucto- « ritate est sancitum, etc. » Præter conc. Nicænum II, an. 787 præierat Tridentino Constantinopolitanum IV, generale VIII, an. 869, can. 3, his verbis : « Quicum- « que Christi Salvatoris imaginem non adorat, is in « secundo adventu non videat ipsius faciem. Eàdem « ratione intemeratæ genitricis illius effigiem, sancto- « rumque angelorum, quemadmodùm illos SS. littera- « rum paginæ describunt, ac sanctorum omnium « veneramur et colimus. Qui aliter sentiunt, anathema « sunto (1). »

(1) Nullum exstat præceptum quo obligentur fideles ad invocandos sanctos; quamvis enim in cit. conc. Trid. loco et in professione fidei cacholicæ dicatur : *Sanctos cum Christo regnantes venerandos et invocandos esse;* ea tamen verba nonnisi de bono et utili intelligi debere testantur DD. de Wallenburg, Controvers. fid., lib. 12; Holden. lib. 2, c. 7, § 1, et alii. Propterea nos falsò criminantur Acatholici, dùm hisce adhuc temporibus clamitare non cessant, sanctos à Catholicis invocari debere sub æternæ damnationis pœnâ. Profitemur quidem posse sanctos haud inutiliter invocari; sed teneri catholicos omnes ad actuale hujusmodi invocationis exercitium, nullatenùs tanquàm veritatem christianam adstruimus. 2°. Gravior insuper, et intolerabilior eorumdem calumnia fuit, et adhucdùm in multorum animis residet, dùm, ut suis invidiosam reddant religionem catholicam, sanctos nos adorare, ideòque idololatras esse perperam comminiscuntur. 3° Non est de fide, neque definivit conc. Trid. cultum, qui sanctis defertur, esse religiosum, aut duliæ, vel hyperduliæ nomine appellandum. Imò non desunt ex catholicis, qui docuerunt, honorem, cultumque sanctis exhibitum talem esse, qualis viris sanctis in terrâ degentibus impenditur. Vid. Wiest, tom. 5, § 222, in notis. 4° Quamvis autem certa sit veritas, ad sanctorum notitiam devenire preces, quæ illis fiunt à viventibus; attamen revelatis fidei veritatibus non annumeratur, quòd nempe sancti preces nostras audiant, vel intelligant : imò falsum est, ad praxim invocationis sanctorum absolutè necessarium esse, ut sancti, quos invocamus, infallibiliter et immediatè audiant preces nostras. 5° Non est de fide sanctos esse mediatores nostros, et non Christum solum. Nam quidquid sancti hominibus impetrant, per Christum impetrant. Confer Veronium c. 2, § 7, et Wiest l. c. 6° Non definit Ecclesia, neque de fide credendum proponit, sanctos, qui invocantur, esse sanctos atque beatos, iis exceptis, qui tales in Scripturâ nobis exhibentur, v. gr., S. Stephano, de quo scriptum legimus : *Obdormivit in Domino;* ex quo rursùs dicimus cum Veronio, nequidem in canonisationibus sanctorum infallibilem esse Ecclesiam, § 99, num. 3. Gravissima tamen ejusdem Ecclesiæ in hoc negotio auctoritas jure à catholicis vindicatur.

Si qui sunt abusus in populo fideli, aut in modo invocationis sanctorum, aut in methodo reddendi eis cultum et honorem, uti proh dolor! permulti fuerunt, et adhucdùm sunt, corrigendos peroptant vigilantiores Ecclesiæ pastores. *In has autem sanctas et salutares observationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsùs aboleri sancta synodus vehementer cupit*, etc., conc. Trid. sess. cit. in decreto de invoc. SS. Pium verò hujusmodi mediorum usum tollendum penitùs, nemo sapiens dicat, eò quòd præsulum oscitantiâ, aut populi contumaciâ ex eo leviores aliquando soleant abusiones irrepere. Holden l. c. Hâc igitur secretione factâ, existimo protestantes non dissentire, nec prudenter dissentire posse à doctrinâ catholicâ; nec enim omnem venerationem negant sanctis in cœlis, quùm hominibus piè viventibus agnoscant reddendam, et reddant in terris; sicuti etiam facilè nos inter, illosque convenit, bonum et licitum esse viventes invocare, ut suis precibus nos apud Dominum adjuvent, quin ulla Christo Mediatori inferatur injuria.

(1) Ex adverso sequitur, non esse de fide : 1° An imagines Dei, sanctissimæ Trinitatis, aut Patris, et Spiritûs S. separatim facere et retinere liceat, eisque honorem ac venerationem impertiendam esse. De illarum namque usu licito dubitant, aut oppositum omninò defendunt quidam catholici doctores, ipsumque Tridentinum, quando finem catholicam in hâc materiâ explicavit, ab hâc doctrinâ decernendâ abstinuit, sed præcepit tantummodò, ut *si aliquando historias S. Scripturæ exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.* 2° Longiùs abest à fide, imò si adorationem pro cultu latriæ sumamus, falsissimum est adorandas esse imagines, nequidem Christi, multò minùs Sanctorum. Valet utique apud omnes catholicos antiquum illud :

Effigiem Christi, dùm transit, semper honora
Ast non effigiem, sed quem designat, adora.

Certè populus rudis adorationis nomine intelligit cultum latriæ; istum autem, quùm non reddatur nisi soli Deo, blasphemum foret reddere ulli imagini : quùmque dicimus, nos adorare crucem, sensus patet ex Tridentino; scilicet per crucem, coram quâ procumbimus, nos Christum adorare. 3° Neque est de fide imagines eâdem veneratione cum exemplari honorari; aut cultum imaginibus delatum esse religiosum. Confer hâc de re Holdenum, Veronium, Fratres de Wallenburg, Wiest.

Ab hâc conc. Trid. doctrinâ nullatenùs differt illa in conc. Nic. II tradita; ubi in ep. Adriani Act. 2, inquiunt Patres : « Absit à nobis, ut ipsas imagines, si- « cut quidam garriunt, deificemus, sed affectum et « dilectionem nostram proferimus. » Unde dicitur anathema asserentibus, quòd sicut ad Deos Christiani ad imagines accedant. Sub adoratione verò, quo termino sæpiùs utitur, nil aliud intelligit, nisi venerationem et salutationem : Nos venerandas imagines salutamus, Act. 4. « Sive igitur placebit salutationem, sive « adorationem, idem profectò erit : modò sciamus « excludi latriam.... quæ solùm divinæ naturæ com- « petit, » Act. 6. Malâ igitur versione fundari totam criminationem, quâ Francofordiensis synodus Nicænam II insectatur, ipsemet confitetur Hugo Grotius in discuss. Rivet. Apologet.

Cultus præterea SS. imaginum non ut necessarius, aut præceptus, sed solùm tanquàm licitus credi debet. Usus nempe imaginum, earumque cultus ritus est, ad disciplinam pertinens, non ad dogma. Nec obstat Conc. Trid., quando in decreto citato asserit,

§ 170.

III. *Sanctorum quoque reliquiis cultus ac veneratio licitè defertur.* « Mandat sancta synodus (Tridentina, sess. 25.) episcopis, et cæteris docendi munus sustinentibus, ut juxta catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ usum de reliquiarum honore fideles diligenter instruant, docentes eos : sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritûs S., ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur : ita affirmantes, sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causâ, sanctorum memorias frustra frequentari, omninò damnandos esse prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia (1). »

Caput VI.

De Christo Legislatore, Novique Fœderis Institutore.

§ 171.

Legislatorem quoque in Christo veneramur, dùm abrogatis mosaicis cæremoniis novam instituit perpetuò duraturam religionem et societatem, cui leges dedit saluberrimas, ac potestatem clavium contulit amplissimam, tam media et ordinem salutis determinandi, quàm tales leges ferendi, quibus singula societatis membra ad finem ultimum et certiùs et feliciùs perducantur. Hunc igitur in finem sequentia credit Ecclesia dogmata.

§ 172.

I. *Fides divina per oracula prophetarum et Apostolorum evidenter nos certos reddit Ecclesiam Judaicam, legesque cæremoniales V. T. fuisse abrogatas.* Hoc enim primò prædixerunt prophetæ, Jerem. 31, ỳ 31; Daniel c. 9, ỳ 26; Oseæ c. 3, ỳ 4; Malach. c. 1, ỳ 11, etc.; secundò, annuntiârunt Apostoli, ad Rom. 10, ỳ 4 : *Finis legis Christus ;* et cap. 6, ỳ 14 : *Non enim sub lege estis, sed sub gratiâ;* ad Hebr. 7, 12 : *Translato sacerdotio, necesse est, ut et legis translatio fiat;* ad Galat. 5, ỳ 1 et 2 : *State, et nolite iterùm jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Act. 15 : *Visum est Spiritui S. et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria.* Tertiò, idem credit omnis Ecclesia christiana.

§ 173.

II. *In locum abrogatæ mosaicæ religionis nova successit Deum colentium societas à Christo legislatore instituta. — Qui habet mandata mea, et servat ea,* inquit Christus, Joan. 14, ỳ 21, *ille est qui diligit me;* ibid. c. 15, ỳ 10 : *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ;* Matth. 28 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ. Euntes ergo, docete omnes gentes... servare omnia quæcumque mandavi vobis,* etc. Ideò etiam, 1. Corinth. 9, 21, profitetur Apostolus se non esse *sub lege*, mosaicâ nimirùm, sed *in lege Christi.* Hinc Lutheri et Calvini errorem anathemate meritò confixit Conc. Trid., sess. 6, can 19 : *Si quis dixerit, nihil esse præceptum in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos.;* can. 20 et 21 : *Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui credant, anathema sit* (1).

§ 174.

III. *Idem ergo Legislator Christus Jesus varias, easdemque saluberrimas, ad bonum Ecclesiæ suæ ordinatas leges condidit, et in perpetuum servandas præscripsit;* vid. § 88, et præc. Unde etiam conc. Trid. sess. can. 7, statuit : « *Si quis dixerit baptizatos per baptismum solùm tantùm fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit.* »

§ 175.

IV. *Quinimò Christus etiam societati, seu Ecclesiæ a se fundatæ in personâ Petri et Apostolorum virtute clavium, atque potestate ligandi et solvendi contulit : 1° Jus determinandi; 2° leges ferendi; 3° judicandi et decidendi controversias; 4° jus cogendi privatione bonorum spiritualium, nec non exclusione è sinu societatis Ecclesiæ :* quæ à primis incunabulis usque ad nostra tempora hæc jura divinitùs sibi concessa semper et inviolabiliter exercuit, § 89 et seq.

(1) Ex adverso ad finem non pertinet : 1° reliquias sanctorum venerandas esse cultu, qui sit et dicatur religiosus; 2° eas eâdem veneratione cum exemplari honorari; 3° has, vel illas reliquias, quæ in templis ostenduntur et coluntur, esse hujus, vel illius sancti, cujus esse dicuntur. Porrò duplex iterùm in hâc materiâ distinguenda venit quæstio, una juris sive dogmatis, altera disciplinæ. Quæstio dogmatis est, an liceat colere sanctorum reliquias? disciplinæ verò, an corpora sanctorum ex sepulchris eruenda, et in locis publicis proponenda? an circumferenda in processionibus? etc. Ita Eminent. Gotii, Henricus de Schawæn apud doctiss. Stephanum Wiest. tom. 5, § 234, in notâ. 4° Denique nos inter et Protestantes convenit, nullum esse præceptum divinum, aut ecclesiasticum, quo fideles actu, et reipsà teneantur reliquias sacras venerari. Quare prorsùs nihil prohibet, quin omni modo consentiamus Luthero, tom. 7 edit. Wittenberg.

(1) Qualis hìc doctor fuerit Lutherus, patet ex ejus libro de libertate christianâ, ubi, tom. 2, edit. Wittemb. pag. 8, ita scribit : « Nullo opere, nullâ lege « homini christiano opus est ad salutem, quùm per « fidem liber sit ab omni lege. » Atrociùs illo novæ legis assertores compellat Calvinus in cap. 2 ep. ad Galat. impiè exclamans : « O perniciosum errorem « prædicantium Christum tanquàm novum legislato- « rem! quasi veterem Judæorum legem abrogaverit, « ut novam Christianis legem imponeret.... Non ha- « buit profectò Christus id operis ac muneris, ut no- « vam institueret legem, sed ut ab hominum cervici- « bus servile illius legis jugum aufferret. » Hanc verò utrique reipublicæ adeò perniciosam Lutheri et Calvini doctrinam ipsimet recentiores Reformati et Protestantes passim ita mitigare contendunt, ut saltem nos inter et Protestantes parùm discriminis desuper interesse videatur.

§ 176.

V. *Hinc pariter de fide est obediendum esse præpositis Ecclesiæ.* Hos enim Christus in suâ Ecclesiâ instituit pastores, ut regerent sibi subditum gregem : *Posuit vos Spiritus S. regere Ecclesiam Dei*, Act. 20, ŷ 28. Dedit ipsis potestatem ligandi et solvendi, Matth. 18, 18. Dedit eos ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Ad Ephes. 4, ŷ 11. Jussit, ut omnes gentes docerent: Matth. 28, 19. Eos misit, sicut et ipse à Patre missus est, Joan. 20, 21. Jussit, ut audirentur, et eis obtemperaretur. Luc. 10, 16; ad Hebr. 13, 17; Matth. 23, ŷ 2; et cap. 18, ŷ 17 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus;* vide §§ 91, 92. Quapropter non immeritò anathema in eos pronuntiat Conc. Trid. sess. 7 de baptismo, can. 8, qui dicunt : « Baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, « ita ut ea observare non tenentur, nisi se suâ « sponte illis submittere voluerint (1). »

(1) Hìc denuò necessariò animadvertendum venit, quòd jus, seu potestas Ecclesiæ, ipsæque Ecclesiæ leges accuratè discerni debeant. Potestas enim generalis legislativa Ecclesiæ juris divini est, §§ 89, seq. et præc. Sic pariter omnia jura, quæ Christus in specie vel in verbo scripto, vel tradito concessit Ecclesiæ, fide divinâ credenda sunt, §§ 97, 98. Reliqua verò jura Ecclesiæ, quæ ex potestate generali solùm inferuntur, inquit Blau, dissert. theol. de reg. fidei, § 18, aut præeunte Apostolorum, vel majorum exemplo colliguntur, aut demùm à potestate seculari successivè translata sunt, licet talia meritò sibi nunc Ecclesia vindicet; quia tamen ex jure divino immediatè non procedunt, fide divinâ etiam non sunt credenda; v. gr. potestas prohibendi solemnitates nuptiarum certis anni temporibus; jus peculiares casus reservandi; jus immunitatis ecclesiasticæ tacitâ, vel expressâ principum indulgentiâ extensum, etc. 2. Idem quoque obtinet de legibus Ecclesiæ, quæ tunc solummodò fide divinâ credi debent, quando eorumdem objectum divinitùs determinatum est. v. gr. *obediendum esse præpositis Ecclesiæ*, quos qui audiunt, divinum remuneratorem, qui verò contemnunt, Deum ultorem sentient. Quando verò objecta legum ecclesiasticarum non sunt revelata, seu divinitùs determinata, e. g., *auditio Missæ in diebus festivis de præcepto, communio paschalis, jejunium certis anni temporibus*, etc.; tunc leges Ecclesiæ equidem non fidem supernaturalem ac divinam, attamen subjectionem debitam, et internum etiam assensum exigunt, § 99, num. 4.

Non est de fide legem ecclesiasticam, quatenùs humana est, et à solâ potestate humanâ profecta, obligare posse, aut de facto obligare conscientiam sub peccato mortali, seu, ut utamur terminis *Augustanæ Confessionis*, art. 7, *ita ut imponat jugum conscientiis.* Vid. Veronium, c. 2, § 6. Ratio est 1° quia lex humana ex se non attingit cognitione suâ finem supernaturalem : ergo nec attingit æternam pœnam vel præmium, quæ ad finem supernaturalem et plus quàm humanum spectant; 2° quia nullus legislator potest lege suâ ad eam pœnam obligare, quam ipse in suo tribunali non potest infligere, vel executioni mandare, etc.; quandoquidem tamen hìc superveniat lex *divina* jubens obedire superioribus ecclesiasticis et politicis, parentibus, et dominis, (quemadmodùm constat ex cit. loc. et ad Rom. 13, ŷ 1 usquè ad 7, Ephes. 6, ŷ 5 et 6). Utique hæc lex divina superveniens obligare potest, et obligat sub peccato et pœnâ æternâ : ergo etiam lex ecclesiastica et civilis, quæ lege divinâ fulcitur. Sanè sic explicatam potestatem humanam sive ecclesiasticam, sive civilem Protestantes nec negant, nec negare possunt. Nam primò admittunt Ecclesiam et principes potestatem habere leges condendi, et varia præcipiendi, subditosque habere obligationem illis obediendi. Ostendunt hoc variæ ab illis editæ disciplinæ ecclesiasticæ : *Consistorial und Kirchenordnungen*, quibus varia ordinantur ac præcipiuntur. Secundò non negant legis divinæ præceptum : *obediendum esse præpositis Ecclesiæ.* Si enim ipsimet necessitate exigente possint condere ordinationes et leges ecclesiasticas, ut suos in officio contineant; si ipsi laudabiliter indicant suis jejunia, et dies, ut vocant, pœnitentiales : quare improbant in Catholicis? in quo ergo potest esse in hoc puncto dissensio Protestantes inter et Catholicos? et quare, quod ipsis licitum est, apud Catholicos non liceat.

§ 177.

VI. *Sacram hanc potestatem, quam Christus Apostolis, præ cæteris autem Petro concredidit, etiam ad eorumdem successores pertransire, et in Ecclesiâ perpetuò, id est, usque ad consummationem seculi permanere voluit*, §§ 92 et seq.

§ 178.

VII. *Christus B. Petro, quem suum in terris vicarium, totiusque Ecclesiæ caput constituit; ejusque in hoc munere successoribus non honoris duntaxat et auctoritatis, sed veræ etiam jurisdictionis Primatum contulit*, Matth. 16, ŷ 18; Joan. 21, ŷ ŷ 15, 16, 17, etc. Non minùs apostolicæ sedis primatum Ecclesia catholica perpetuò et constanter agnovit, quemadmodùm præter unanimem Patrum consensum varia quoque testantur concilia. Inprimis seculo IV, Conc. Sardicense in ep. ad Julium Rom. Pont.; Aquileiense et Constantinopolitanum I; seculo V, Ephesinum, Chalcedonense, Milevitanum et Carthaginense agnoverunt in romano Pontifice dignitatem capitis, et B. Petri primatum. Seculo VIII, synodus generalis septima, Nicæna II, act. 2, recepit, atque probavit epistolam Hadriani I papæ ad Tharasium, in quâ hæc habentur : « Cujus sedes (B. Petri) per totum orbem terrarum « primatum obtinens, omniumque Ecclesiarum Dei « caput existit. » His accedunt seculo XIII, Lateranense IV, Lugdunense II; seculo XV, Constantiense, et denique Florentinum in decreto Unionis ait : « Definimus sanctam apostolicam sedem, et romanum « Pontificem in universum orbem tenere primatum, et « ipsum Pontificem romanum successorem esse beati « Petri principis Apostolorum, et verum Christi vica- « rium, totius que Ecclesiæ caput, et omnium Chri- « stianorum patrem et doctorem existere, et ipsi « in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi « universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Chri- « sto plenam potestatem traditam esse; quemadmo- « dùm etiam (vel juxta eum modum quo et) in ge- « stis œcumenicorum conciliorum, et in sacris ca- « nonibus continetur (1). »

(1) Non est de fide, primò, B. Petro ut supremo Christi Vicario et totius Ecclesiæ Primati, atque hoc ipso ejus in hoc munere successoribus à Christo Domino fuisse collatam *ordinariam*, et *immediatam* jurisdictionem in omnia membra Ecclesiæ aliis episcopis immediatè subjecta. Certum quippe est, episcoporum jurisdictionem, sicuti et summi Pontificis à Christo immediatè originem traxisse. Est quidem romanus

§ 179.

VIII. Credimus *unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam,* Conc. Constantinopolitanum I in Symbolo.

Pontifex ordinarius totius Ecclesiæ, sed juxta multorum auctorum sententiam hoc tantum sensu, quòd jus habeat invigilandi omnibus Ecclesiis, et quòd, quamprimùm advertit, episcopos suo deesse officio, suam possit interponere auctoritatem, ipsi à Deo in hunc finem concessam, etc. Nec ex praxi Romanorum pontificum valet oppositum concludi, quia non omnes praxes Ecclesiæ sunt sufficientes fundando articulum fidei; vid. Veronium, c. 1, § 4, num. 4. Secundò hallucinatur doctiss. cæteroquin P. Lucius Ferraris, dùm in suâ Biblioth. promt. tom. 2 de concil. art. 1, num. 84, hanc sententiam, papam esse concilio œcumenico superiorem, inter dogmata ab universali concilio, nempe Lateranensi V, expressè definita refert. Magnificentiùs hæc esse dicta, quàm veriùs luculenter probat Ignatius Kuhn in dissert. theol. de Primatu, anno 1782, Moguntiæ editâ.

Negant quoque non pauci ex catholicis, jure divino adnexum esse cathedræ romanæ primatum Ecclesiæ catholicæ. Ut autem res tota clariùs intelligatur, observandum est aliud esse successionem; aliud rationem successionis. Successio ex Christi instituto, et jure divino est; quia Christus ipse non propter Petrum tantùm, sed etiam propter curaturam usque in finem mundi Ecclesiam primatum dedit: quicumque proin Petro succedit, à Christo accipit pontificatûs et primatûs honorem ac potestatem.... Ratio vero successionis, quâ romanus Pontifex potiùs quàm Antiochenus, vel aliquis alius succedat, non ex primævâ Christi institutione, ut aiunt, descendit, sed ex facto Petri ortum habuit; deinde verò ex agnitione Ecclesiarum jus primatûs in Ecclesiâ romanâ stabilitum fuit. « Potuisset « utique Petrus nullam sedem particularem sibi un- « quàm eligere, sicut fecit primis quinque annis, et « tunc non episcopus romanus, neque Antiochenus « successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset; « potuisset quoque semper manere Antiochiæ: et tunc « sine dubio Antiochenus successisset; quia verò Romæ « sedem fixit et tenuit usque ad mortem, inde factum « est ut romanus Pontifex ei succedat. » Ita Bellarminus de Pont. l. 2, c. 12. Duplicem ergo sensum præ se fert hæc propositio : *De fide est romanum Pontificem esse Petri successorem, seu habere primatum ex jure divino :* primò, quòd Pontifex romanus, quatenùs eligitur in successorem Petri, ex jure divino totius Ecclesiæ teneat præfecturam, et hoc tanquàm indubitatum fidei dogma credi debet; secundò, quòd Pontifex romanus prout est episcopus Romæ, ex jure divino habeat primatum, et hoc, salvâ fide et hæreseos notâ, negatur. Sed quid juvat, obsecro, hæc subtilis speculatio? vid. Kuhn, dissert cit. sect. 3.

Salvo quoque fidei et unitatis vinculo abnegatur romano Pontifici inerrantiæ speciale privilegium; id quod nec ipse Bellarminus de fide catholicâ esse censuit. Non igitur bonæ causæ consuluit, sed magnum Ecclesiæ præjudicium intulit ille anonymus, qui nuper defendere præsumpsit, tot et tam clara pro Pontificis infallibilitate exstare fundamenta, quàm pro ipsâ Ecclesiæ infallibilitate. At quis non videt, actum fore de Ecclesiâ, si labili adeò niteretur fundamento? verùm Deo sint laudes, quòd hujus anonymi assertio fundamento careat. Porrò quamvis Pontificis judicium infallibile non sit, sive aliquid doceat in concilio particulari, sive alloquatur totam Ecclesiam, nisi consensus totus Ecclesiæ accesserit; nihilosecius tamen omnes Catholici cum clero Gallicano in comitiis, anno 1682, habitis, profitebtur, in fidei quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas pertinere Ecclesias. Testatur quoque Veronius, c. 2, § 15, id, quod manat à sede tantæ auctoritatis, esse cum magnâ veneratione suscipiendum.

§ 180.

Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem; quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. Seu catholica Christi Ecclesia ita est una ac vera, ut prorsùs excludat quascumque alias societates, quarum fides diversa et contraria in articulis etiam non fundamentalibus à fide catholicâ deprehenditur. Etenim priorum seculorum vera erat Ecclesia fatentibus ipsis Acatholicis: atqui tamen omnes hæreticorum sectas, sine ullo fundamentalium et non fundamentalium discrimine, percussit anathemate, suoque è gremio rejecit, ut constat ex omnibus fermè conciliis tam œcumenicis, quàm particularibus. Sic damnavit Conc. Nic. I Novatianos; Constantinopolitanum I Quartodecimanos, etsi minimè errarent in articulis fundamentalibus. Novatiani quippe eripiebant tantùm Ecclesiæ potestatem, apostasiæ peccatum dimittendi; et Quartodecimani Pascha lunâ decimâ quartâ pertinaciter celebrabant. Præterea idem Conc. Constantinopolitanum I, can. 6, eos hæreticos appellat, qui ab Ecclesiâ abdicati sanam fidem confiteri præ se ferunt, avulsi autem sunt, et abcissi, et adversùs canonicos nostros episcopos congregationem faciunt. Iterùm, can. 7, postquàm statuit, Arianos, Macedonianos, Sabbathianos, Novatianos, Quartodecimanos, Apollinaristas solâ unctione recipiendos esse, subjungit, ab iis postulandam fidei professionem, quâ scripto etiam declarent *se anathematizare omnem hæresin, quæ non sentit, ut sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia.* Conc. Sardicense in ep. ad omnes orbis episcopos inquit, « æquum esse eos qui separant Filium à « Patre, et Verbum à suo Patre alienant, ab Ecclesiâ « quoque catholicâ separari, et alienos indignosque « haberi christiano nomine. » Ecclesia Africana duobus in conciliis congregata eamdem tradit doctrinam. In Conc. Carthaginensi IV, can. 1, inter articulos de quibus ante ordinationem interrogandus est episcopus,

Unde etiam nostræ fidei professio meritò hanc formulam præscribit : *Romano Pontifici, B. Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi vicario veram obedientiam spondeo ac juro.*

Licet catholici de singulis primatûs prærogativis non conveniant, optima tamen regula ex fine primatûs à Christo instituti deducitur, nempe ut unitas in Ecclesiâ formetur et conservetur, omnisque schismatis tollatur occasio : ex quo legitimè sequitur, ea omnia esse primatûs jura, sine quibus unitas in Ecclesiâ conservari nequit. Quùm verò investigare laboremus ea tantùm, quæ fidei aut institutionis divinæ in religione catholicâ substantialia et necessaria sint, ea omnia quæ inter catholicæ professionis theologos de summi Pontificis auctoritate, et juribus acquisitis decertata et disputata fuêre, ab hoc nostro articulorum fidei catalogo aliena sunt.

Patet tandem ex dictis, quàm falsò nos criminentur Schismatici, dùm docent et clamitant nos papam quasi Deum facere, et iniquæ tyrannidis potestatem ipsi attribuere. Non sic, amici, reverà non sic. Sed quid juvat antiquam recoquere crambem? hoc forsitan juvat, ut desinant tandem aliquando Fratres adversarii fidei dotrinam cum Scholasticorum tricis et absurdis quorumdam catholicorum sententiis commiscere; ut discant saltem hisce temporibus id, quod est verè catholicum ab eo, quod tantùm adiaphorum inaudit, probè scitèque secernere.

reperitur ille postremus : « Credatne quòd extra Ecclesiam nullus salvetur. » Unde etiam S. Cyprianus, l. de unit. Eccl. ait : *Quisquis ab Ecclesiâ segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur : nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* S. Augustinus, sermone ad Cæsareenses, sic loquitur : *Salutem non potest habere homo, nisi in Ecclesiâ catholicâ..... nunquàm nisi in Ecclesiâ catholicâ salutem poterit invenire;* vid. l. de unitate Ecclesiæ, c. 19. Ratio est quia, ut ait Conc. Lateran. IV, « una « est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus « omninò salvatur. » Et Apostolus ad Ephes. 4 : *Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ : unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, etc.* (1).

§ 181.

X. *Datur in Ecclesiâ sanctorum communio*, quæ nempe in bonorum spiritualium mutuâ communicatione consistit; eaque non solùm inter puriora militantis Ecclesiæ membra obtinet, quæ precibus suis, aliisque piis operibus sibi reciprocè præbent auxilium; sed etiam futurorum concivium Ecclesiæ triumphantis sanctorum orationibus adjuvantur, § 168. Extenditur quoque hæc communio ad fideles vitâ functos, qui nondùm cœlesti perfruuntur beatitudine, animas scilicet in purgatorio detentas, ut inferiùs ostendetur. Hanc dogmaticam veritatem semper agnovit, et credidit Ecclesia catholica; unde etiam in symbolo Apostolorum profitetur : *Credo sanctorum communionem.*

Ex parte VI, de applicatione salutis per Christum nobis partæ.

Sectio prima.

DOGMATA DE GRATIA CHRISTI.

§ 182.

I. *Nulla præcedunt hominis merita, quibus gratiam advocet et mereatur, ut adeò omnis Dei gratia omninò sit gratuita.* Manifestè id declarat doctor gratiæ S. Paulus ad Rom. 11, 6, his verbis : *Si autem gratiâ, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia;* ibid. c. 9, 11 : *Ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori;* ℣ 18 : *Cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat.* Ep. 2 ad Timoth. : *Deus nos liberavit et vocavit vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum et gratiam.* Ad Titum, 3, 5 : *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.* Hinc S. Augustinus de peccat. orig. c. 24, scribit : *Non enim gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.* Et in concilio Arausicano II, Pelagii, et Semipelagianorum contraria commenta hisce canonibus reprobantur, can. 3 : « Si quis ad invocatio- « nem humanam gratiam Dei dicit posse conferri; non « autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, « contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem di- « centi : *Inventus sum à non quærentibus me : palam « apparui his qui me non interrogabant.* » Isaiæ, 65, 1; Rom. 10, 20, can. 4 : « Si quis, ut à peccato pur- « gemur, voluntatem nostram Deum exspectare con- « tendit; non autem, ut etiam purgari velimus, per « sancti Spiritûs infusionem, et operationem in nos « fieri confitetur; resistit ipsi Spiritui S. per Salomo- « nem dicenti : *Præparatur voluntas à Domino*, Pro- « verb. 8, et Apostolo salubriter prædicanti : *Deus est, « qui operatur in nobis velle et perficere pro bonâ vo- « luntate.* » Ad Philipp. 2, 13; vid. can. 6, 18 et 25, ubi ita concludit : « Hoc etiam salubriter profitemur « et credimus, quòd in omni opere bono non nos in- « cipiamus, et postea per Dei misericordiam adjuve- « mur; sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis « meritis, et fidem et amorem sui priùs inspirat, ut « et baptismi sacramenta requiramus, et post bapti- « smum cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placi- « ta, implere possimus. » Nec aliâ mente Patres Tridentini locuti sunt, sess. 6 de Justificatione, cap. 5, ubi « declarat S. synodus ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Jesum Christum prævenien- te gratiâ sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione; quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur, etc. Denique, ibidem can. 3, statuit : « Si quis dixerit, si- « ne prævenient Spiritûs S. inspiratione; atque ejus « adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut « pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis « gratia conferatur, anathema sit (1). »

(1) Hoc Patrum axioma : *Extra Ecclesiam non est salus*, non ita accipiendum venit, ut etiam hæretici, quos vocant, materiales à salute excludantur. Qui enim abs omni prorsùs culpâ, et persuasione imbuti, suam religionem pro verâ Christi Ecclesiâ habent, Deoque in justitiâ deserviunt, inter membra Ecclesiæ veræ meritò computantur. Tales autem quàm plurimos in diversis cœtibus et regionibus existere piè confidimus, vehementer optamus. Qui verò illustrantem vocationis gratiam negligunt, supernæ lucis radiis oculos præcludunt, conscientiæ stimulos opprimunt, temporalium bonorum jacturam metuunt, hi, proh dolor! non ex catholicorum, ut aiunt, intolerantiâ, sed ex æternæ veritatis judicio amittunt bona æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri.

(1) Ex his aliisque, quæ brevitatis studio missa facimus, patet oppidò falsas esse, justèque à clero Gallicano, 1700, censoriâ virgulâ notatas fuisse sequentes propositiones, quarum prima ita sonat : Axioma illud theologicum : *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam*, non solùm verissimum est, atque doctrinæ conciliorum et Patrum maximè consentaneum, verùm etiam per illud significatur obligatio, quam Deus habet, dandi gratiam facienti quod in se est, nec solùm facienti, quod est ex viribus gratiæ, sed etiam illi qui, quùm non habeat gratiam, facit quod in se est, ex viribus naturæ. Secunda : Obligationem quam Deus habet conferendi gratiam facienti, quod in se est viribus naturæ oriri ex pacto inter Christum fidejussorem nostrum, et Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam propter Christi merita. « Hæ duæ propositiones (inquit censura) quâ parte causam discernendi inter justos et non justos, in opera merè naturalia referunt, semipelagianismum instaurant, mutatis tantùm vocibus. Pactum autem quod inter Deum et Christum asseritur, commentitium est, temerarium, erroneum, nec solùm tacente, sed etiam adversante Scripturâ, et SS. Patrum traditione prolatum. »

§ 183.

II. *Fides salutaris, cjusque initium, imò ipsi primi piæ credulitatis affectus sunt dona gratiæ supernaturalis.* Dogma hoc manifestè docet verbum Dei scriptum, Joan. 6, 29 : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille;* et ỳ 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quòd autem hæc verba intelligenda sint de necessitate gratiæ ad fidem, ipse Christus Dominus declarat, ibidem, ỳ 65 : *Sed sunt quidam in vobis, qui non credunt...., propterea dixi vobis : Quia nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Ulteriùs Apostolus Paulus ad Ephes. 2, 8, inquit : *Gratiâ estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est;* 1 ad Corinth. 4, 7 : *Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* « Quo testimonio, inquit Augustinus, lib. de « prædest. SS. c. 3, « etiam ipse convictus sum quùm « similiter errarem, putans fidem, quâ in Deum credi- « mus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, « et per illam nos impetrare Dei dona, quibus tem- « peranter, et justè, et piè vivamus in hoc seculo. » In eâdem ep. c. 7, 25, ait Paulus : *Misericordiam consecutus sum à Domino, ut sim fidelis;* 2 Corinth. 3, 5 : *Non quòd sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quo ex loco ita S. Augustinus de prædest. SS. c. 2, argumentatur : « Attendant hìc, et verba ista perpendant, « qui putant ex nobis esse fidei cœptum, et ex Deo « esse fidei supplementum. Quis enim non videat, « prius esse cogitare, quàm credere? nullus quippe « credit aliquid, nisi priùs cogitaverit esse creden- « dum. » His Scripturæ oraculis omninò concordat definitio Conc. Araus. II, can. 5 : « Si quis augmen- « tum, ita et initium fidei, ipsum credulitatis affe- « ctum,...., non per gratiæ donum, id est, per in- « spirationem Spiritûs S....., sed naturaliter nobis « inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius ap- « probatur; et can. 7 : « Si quis per naturæ vigorem « bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æter- « næ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, « id est, evangelicæ prædicationi consentire posse « confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spi- « ritûs S., qui dat omnibus suavitatem in consentiendo « et credendo veritati, hæretico fallitur Spiritu, non « intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis : *Sine* « *me nihil potestis facere,* etc. » Idem confirmat canon tertius Conc. Trid. § præc. citatus.

§ 184.

II. *Ad omne opus salutare necessaria est gratia divina. Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est,* 2 Corinth. 3, 5 ; *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere pro bonâ voluntate,* ad Philipp. 2, 23 ; *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* Rom. 9, 16 ; *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis .....,* *quia sine me nihil potestis facere,* Joan. 15. In quæ verba scribit S. Augustinus, tract. 81 : « Ne quisquam putaret, saltem parvum aliquem fru- « ctum posse à semetipso palmitem ferre, quùm dixis- « set : Hic fert fructum multum, non ait : Quia sine me « parùm potestis facere, sed, nihil potestis facere. Sive « ergo parùm sive multùm sine illo fieri non potest, sine « quo nihil fieri potest. » Cum Augustino consentiunt varia concilia hâc in parte ab universâ Ecclesiâ recepta. 1° Synodus Diospolitana, an. 515, septimum hunc Pelagii articulum proscripsit : « Gratia Dei, atque adju- « torium non ad singulos actus datur, sed de libero est ar- « bitrio, vel in lege atque doctrinâ. » Conc. Carthaginense IV, in causâ Pelagianorum, can. 5, definit : « Placuit, ut quicumque, dixerit, ideò nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jube- mur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam, tanquàm etsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illâ implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandato- rum Dominus loquebatur ; ubi non ait : Sine me difficiliùs potestis facere ; sed ait : *Sine me nihil potestis facere.* » Ejusdem omninò tenoris est canon secundus Conc. Trid. sess. 6 de Justificatione. Teste S. Pro- spero in responsione ad 8 cap. Gallorum Conc. Afri- canum 214 episcoporum definivit : « Gratiâ Dei per « Jesum Christum Dominum nostrum non solùm ad « cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam « nos per actus singulos adjuvari, ut sine illâ nihil « veræ sanctæque pietatis dicere, cogitare, agere « valeamus. » Arausicanum II, can. 9 : « Divini mu- « neris est, quùm et rectè cogitamus, et pedes nostros « à falsitate et injustitiâ continemus. Quoties enim « bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut ope- « remur, operatur; » can. 20 : « Nulla facit homo bo- « na, quæ non Deus præstat, ut faciat homo » (1).

Gratiæ nomen cuncta complectitur beneficia, quibus in ordine tam naturali quàm supernaturali exornantur homines. Creatio, conservatio, bonum ingenium, constans valetudo, liberum arbitrium, naturalia Dei beneficia nuncupantur. Gratia verò ordinis supernaturalis in statu naturæ lapsæ definitur : donum supernaturale homini lapso gratis à Deo concessum, intuitu meritorum Christi, in ordine ad salutem. Hinc S. Augustinus gratiam, quæ propriè, ut ipse ait, gratia est, vocat inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus, l. 4 ad Bonifacium c. 5. Duo ergo distinguuntur gratiæ effectus, quorum alter ad intellectum pertinet, quem gratia illustrat, ut ea quæ facienda sunt cognoscamus ; alter ad voluntatem, ut cognita sancto amore faciamus. « Utrumque enim, in- quit conc. Milevitanum, can. 4, Dei donum est, scire, quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus. »

(1) Ex his consequitur primò, nullum esse in homine lapso amorem Dei, etiam ut Auctoris naturæ sine gratiâ. *Prorsùs enim donum Dei est diligere Deum,* ait Conc. Araus. can. ult. Unde ipse Bellarminus scribere non dubitat, l. 6, c. 7, de Grat. et lib. Arb. : « Existi- mamus non posse Deum sine ope ipsius diligi, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ et gloriæ, neque perfectè, neque imperfectè ullo modo : atque hanc non dubitamus esse sententiam S. Augu- stini imò etiam Scripturarum et conciliorum, quid- quid aliqui in hâc parte minùs considerate scripserint. » Secundò, hominem lapsum non posse sine gratiâ su- pernaturali observare totam legem purè naturalem ; aut vincere tentationes, sicut oportet ; nullum denique sine gratiæ auxilio opus facere ex omni parte bonum.

§ 185.

IV. *Gratia ad omne opus salutare requisita non est merè externa, quæ consistit in libero arbitrio, lege, et doctrinâ Christi; sed interna, quæ animam afficit.* Ecclesia enim catholica verbo, Dei scripto et tradito edocta, gratiæ necessitatem ad opus bonum tum incipiendum, tum perficiendum contra Pelagianos et Semipelagianos propugnans, semper intellexit donum supernaturale internum supra § 182 in not. 2 descriptum. Id apertè colligitur ex citatis, §§ præc., Scripturarum, et conciliorum Dispol. Carthag. Araus. et Trident. decisionibus, quibus unicum addo canonem primum Conc. Trid, sess 6: « Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel legis doctrinam fiant, absque divinâ per Jesum Christum gratiâ posse justificari coram Deo; anathema sit. » Can. 3, vid. § 182 (1).

Quamvis autem hæc, et alia ejusmodi, Scripturis, Patribus, conciliis apprimè consentanea sint, veritatibus tamen dogmaticis non accensentur, atque oppositum nonnulli theologi salvâ fide tuentur.

Gratia ad quemlibet actum salutarem necessaria, alia hìc non intelligitur, nisi actualis, prout manifestè apparet ex citatis §§ præc. Scripturarum, et conciliorum testimoniis. Nec ob aliam causam Patres Carthaginenses gratiam sanctificantem, can. 3, vocant adjutorium, ne peccata committantur, quàm quia ex sapientiâ, bonitate, et promissione divinâ habet sibi adnexa gratiæ actualis auxilia, ad ipsam gratiam sanctificantem conservandam et eliciendos actus supernaturales. Quare etiam Patres Africani in responsoriis litteris ad epistolam Zosimi scribunt: « Præparatur voluntas à Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. » Insuper Christus Dominus etiam justos jubet orare: *Et ne nos inducas in tentationem.* Ecclesia, et omnes justi perenne auxilium Dei ad benè operandum implorant, unà cum regio Psalte deprecantes: *Adjutor meus esto, Domine, ne derelinquas me: Deus, in adjutorium meum intende*, etc. Conc. Araus. can. 10. statuit: « Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare. » At verò, si gratia sanctificans ad singulos pietatis actus sufficeret, supervacaneum, imò stultum foret adjutorium Dei postulare. Etenim *quid stultius quàm orare, ut facias, quod in potestate habes?* inquit sæpiùs contra Pelagianos Augustinus. Exin porrò invictè comprobatur, gratiam actualem ad singulos actus salutares, etiam iis necessariam esse, qui gratiâ sanctificante jamjam instructi sunt. Unde Molinæ sententia, qui docuit hominem gratiâ sanctificante præditum cum solo naturali, et ordinario concursu, hoc est, sine gratiâ actuali, posse bonum opus salutare perficere, meritò reprehenditur, et tanquàm erronea dijudicatur.

(1) Gratiam igitur, quæ ad fidem, et opera salutaria requiritur, non tantùm in illustratione intellectûs, sed etiam, imò potissimum in motione voluntatis esse sitam, veritas adeò certa et explorata habetur, ut doctiss. Bossuetius, défense de la Tradition l. 10, c. 6, affirmare non dubitaverit, posse quidem in scholis disputari de modo, quo Deus corda hominum efficaciter ad bonum movet; omnes tamen catholicos in eo consentire debere, Deum nostras voluntates pro suo beneplacito efficaciter movere. Hoc non obstante, si Dionysio Petavio credimus de Pelag. et Semipelag. hæresi cap. 4, n. 4, et cap. 10, n. 12, scribenti: *Complures sunt Catholicorum theologi, qui, quam Christi gratiam vocamus, eam solâ mentis, sive intellectûs illuminatione definiunt; alteram, quæ in permotione sita est voluntatis liberæ, cujusque modi ea sit, de quo pronun-*

§ 186.

V. *Nemo justus potest in justitiâ usque in finem perseverare absque peculiari auxilio gratiæ Christi. Nisi Dominus ædificaverit domum*, canit propheta regius, Psalm. 126, *in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit, civitatem frustra vigilat qui custodit eam.* Quæ verba de spirituali ædificatione, et custodiâ justitiæ SS. Patres intelligunt. Huic oraculo prophethico consonant illa apostolica, 1 Corinth. 1, 8: *Qui* (Jesus Christus) *confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventûs Domini nostri Jesu Christi*; Philipp. 1, 6: *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Vide ibidem, c. 2, 12, 1 Thessal. 3, 12, item c. 5, ŷ 23 et 24. Non minùs apertè loquitur S. Petrus, 1 ep. 1, 5: *In virtute Dei*, inquit, *custodimini per fidem in salutem;* et cap. 5, 11: *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit vos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicùm passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Hanc porrò perseverantiæ gratiam jugiter à Deo postulat, et implorandam jubet Ecclesia in suis orationibus. Quare docente Conc. Araus. II, can. 10, « Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis (sanatis « legitur in Paris. Lugdun. et Rem. MSS. et à S. Pro- « spero) semper est implorandum; ut ad finem bonum « pervenire, vel in bono opere possint perdurare. » *Cur enim perseverantia poscitur à Deo*, quærit Augustinus, lib. de Dono persev., *si non datur à Deo? ista irrisoria est petitio, quùm id ab eo petitur, quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate?* conc. ergo Trid. sess. 6, can. 22, rectè, ritèque definivit: « Si quis dixerit justificatum sine speciali auxilio Dei in acceptâ justitiâ perseverare posse, « vel cum eo non posse; anathema sit. »

§ 187.

VI. *Etiam homo justus non potest toto vitæ suæ tempore evitare omnia omninò peccata, etiam venialia, sine speciali gratiâ Dei.* Nam in Scripturâ sacrâ nullus hominum ab omni peccato immunis dicitur: *Neque enim est homo, qui non peccet*, 2 Paralip. c. 6, 36; vide alia testimonia, § 136. Quare haud immerito concilio Carthag. IV, can. 6, qui est in codice canonum Ecclesiæ Africanæ 114, « placuit, ut quod ait S. Joannes « Apostolus: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est*, ita intelligatur, ut propter humilitatem nullum debere dicere peccatum non habere, quod tamen verum sit. » Quamvis autem *peccatum non habere non licet, ut valdè utilem agnoscunt, sic absolutè negant, necessariam videri.* Quorum tamen catenùs à Semipelagiano dogmate causa distat, quòd à luce istâ, illuminationeque mentis redundare aliquid in voluntatem asserunt. « Imò etiamnùm catholicos theologos invenire est, inquit Gazzaniga, tom 3, dissert. 2, c. 4, qui eam gratiam, cujus necessitatem S. Aug. contra Pelagianos tantopere vindicavit, quamque in pluribus conciliis definivit Ecclesia, in solâ mentis illustratione reponunt, aliam autem in permotione voluntatis sitam, utilem quidem esse fatentur, non tamen necessariam. » Quantumcumque verò hoc privatorum opinamentum à verò alienum, Scripturæ, et Patribus contrarium inaudiat, expressè tamen proscriptum non est: unde, quia nemo hosce theologos condemnavit, nec ego condemnabo, eò quòd definitum fidei dogma non habeatur, gratiam videlicet internam non solum in illustratione mentis, sed etiam in motione voluntatis consistere.

« *mus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est :* « quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat; propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, « non quia verè ita est....; » Et can. 7 : « Placuit, ut « quicumque dixerit in oratione dominicâ ideò dicere « sanctos : *Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro se « ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria « ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in mundo peccatores; et ideò non dicere unumquemque sanctorum : *Dimitte debita mea, sed dimitte nobis debita nostra;* ut hoc pro aliis potiùs quàm pro se justus « petere intelligatur; anathema sit; sanctus enim, et « justus erat Apostolus Jacobus, quùm dixit : *in multis offendimus omnes.* » Conc. quoque Trid. sess. cit. can. 23, definit : « Si quis hominem semel justificatum dixerit.... posse in totâ vitâ peccata omninò, « etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, « quemadmodùm de Beatâ Virgine tenet Ecclesia; « anathema sit. »

§ 188.

VII. *Admittendam esse gratiam divinam, quæ actu post se trahit effectum salutarem : seu quam consequitur reipsà opus salutare, ad quod ponendum à Deo conceditur, indubitata fidei doctrina est*, et traditur 1° in sacris litteris, quæ passim docent Deum cor hominis *aperire*, Act. 16, 14; *illuminare*, Joan, 1, 9 *immutare*, Job. 12, 24; Esth. 14, 13, ibid. 15, 11; quòcumque voluerit, *inclinare*, Prov. 21, 1; duritiam cordis *auferre, et facere*, ut nos faciamus : *Dabo vobis cor novum, et Spiritum novum; .... auferam à vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum,... et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini*, Ezech. 36, v. 26 et seq.; *Deus autem pacis..... aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum*, ad Hebr. 13, 20. Docent præterea, Deum in nobis operari *velle et perficere*, Philipp. 2, 13; nos ad se *trahere*, ut ad eum veniamus, Joan 6, 44; homines *regenerare*, 1 Petri 1, 3; è mortuis *excitare, et vivificare*, 2 Ephes. 5, etc. 2° Iis consonant antiquissimæ precandi formulæ in Ecclesiâ consuetæ : *Tribue, da, fac, concede;* Dom. IV post. Pent. : *Quæsumus, Domine..., ad te nostras, etiam rebelles, compelle propitius voluntates;* Dom. VI : *Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum, etc.* In vigiliâ Pentec. : *Concede nobis Deus, et nostræ voluntatis pravitatem frangere, etc.* 3° Concordant Patrum suffragia. Gratia à Tertulliano dicitur, *potentior natura, habens in nobis subjectam sibi liberam arbitri potestatem*, ib. de animâ, c, 21. S. Cyprianus, ep. 77, scribit : *Dominus adjuvat dimicantes, vincentes coronat.... remunerans in nobis, quidquid ipse præstitit, et honorans quod ipse perfecit.* Basilius. ep. 38, ad Gregor. : *Quodcumque ad nos ex divinâ potestate bonum venerit, omnia in nobis efficientis gratiæ opus esse dicimus.* Gregorius Naz. orat. 31 : *Docet Paulus, quòd ipsum etiam rectè velle divino auxilio indigeat, imò, ut rectiùs loquar, voluntas quoque ipsa et electio eorum quæ recta sunt divinum quoddam beneficium est, atque à Dei benignitate manans...., ita quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo jure totum Deo assignavit* (Apostolus). Alia innumera SS. Patrum, præsertim S. Augustini, testimonia vide apud Theologos. 4° Dogma istud ex Scripturis, et universæ Ecclesiæ Traditione satis commendatum confirmatur quoque ex iisdem conciliorum decretis, quibus gratiæ ad singulos pietatis actus necessitas, § 184, demonstrata fuit. Confer. can. 1, 2, 3 Conc. Trid. sess. 6 (1).

§ 189.

VIII. *Gratia Dei cum effectu salutari conjuncta, quæ dicitur efficax, nec lædit, nec tollit humanam libertatem.* Utrumque enim dogma manifestè docent sacræ Scripturæ, Patres et concilia; dari scilicet gratiam, quâ Deus in nobis quocumque demùm modo operatur velle, et perficere, § præc., illæsamque nihilosecìùs consistere hominis libertatem, § 133.

§ 190.

IX. *Admittenda est in statu naturæ lapsæ aliqua gratia, cui improbitate, et malitiâ voluntatis humanæ resistitur.* Certè nihil luculentiùs, et frequentiùs occurrit in SS. litteris, quàm justa Dei querimonia adversùs peccatores, qui divinæ gratiæ resistunt. Sic, Act. 7, 51, objurgabat Judæos : *Durâ cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui S. resistitis; sicut patres vestri, ita et vos.* Quibus ultimis verbis al-

(1) Gratia, de quâ impræsentiarum loquimur, denominatur communi theologorum suffragio *efficax*. Nemo igitur Catholicorum negat, dari gratiam efficacem; seu donum Dei supernaturale, quo ita hominem movet ad bonum, ut illud reipsà in opere salutari perficiatur; et hoc solùm de fide est. Quo modo autem Deus operetur in nobis velle et perficere; faciat, ut faciamus; et in quo sensu gratia ista sit efficax; utrùm ex naturâ suâ, sive ab intrinseco, vel ab extrinseco ex consensu voluntatis humanæ, et circumstantiis congruis salvâ quidem fide, sed non salvâ semper charitate, jam à duobus seculis inter Scholasticos nirum, quantùm disceptatum est. Haud enim tantas puto fluctuum agitationes habere Euripum, quantas perturbationes, et quantos æstus olim isthæc de gratiæ efficaciâ quæstio excitavit. Verùm (laus sit Deo) à nostris temporibus pedetentim præfata dissensio ita deferbuit, ut optimum consilium cœptum sit, à quovis in hâc parte Scholasticorum systemate abstinendi, quia nulla exinde aut utilitas, aut necessitas relucet. Eruditè, ac solidè hâc de re pro more suo disserit cl. Wiest, tom. 6, § 80 et seq. Imò firmiter persuasum habent eruditi, eos Scholasticos, qui silente, aut omninò adversante S. Scripturâ, ex proprio cerebro alia, atque alia procuderunt systemata, longè plus bonæ causæ nocuisse, quàm profuisse. Numquid enim doctiores sunt Paulo, gentium et gratiæ doctore? Qui, cur Deus gentes elegerit, Judæos verò in incredulitate reliquerit, hanc tanto Apostolo dignam rationem reddit, ad Rom. 11 : *O Altitudo divitiarum, sapientiæ, e scientiæ Dei :-quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? etc.* Numquid sagaciores Augustino? qui, quotiescumque illa quæstio recurrit, quare iste trahatur gratiâ Dei, alter non trahatur; uni detur fides, alteri denegetur; quidam perseverantiæ donum habeant, alii non habeant, nos aliam solutionem invenit, nisi cum Apostolo exclamando : *O Altitudo! etc.* Sic ep. 104, inquit : *Cur illum potiùs quàm illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest, judiciorum ejus tam magnum profundum verumtamen caveat præcipitium*; quod centies alibi repetit.

ludebat ad ea veteris Testamenti loca, in quibus Deus Israelitis duritiam cordis, et resistentiam gratiæ suæ exprobravit. Prov. 1, 24 : *Vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* Ipsemet etiam Christus conqueritur apud Matth. 23, 37 : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos,... et noluisti?* Apostolus, ad Rom. 2, 4 : *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram.* Confer quoque 1 Thessal. 5, 19; 2 Corinth. 6, 1; Hebr. 12, 15, ubi Spiritum S. extinguere, in vacuum gratiam Dei recipere, et gratiæ deesse, profectò nil aliud est quàm gratiæ resistere. Quòrsùm verò in probandâ tam apertâ veritate, quàm quotidiana testatur experientia, et universa semper credidit Ecclesia, tempus insumere? Quis enim catholicus ex animo non reprobat secundam ex quinque famosis propositionibus his verbis expressam? *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur*, cujus venenum in eo situm intelligitur, quòd sola admittatur gratia cum effectu salutari conjuncta; nulla verò alia, cui humana voluntas resistit (1).

§ 191.

X. *Justis conantibus et volentibus adimplere mandata Dei, non deest ea gratia actualis* (sufficiens) *quâ illa reapsè adimplere possint. Oculi enim Domini super justos;* Psal. 33. *Non vidi justum derelictum;* Psal. 36. *Quis permansit in mandatis ejus, et derelictus est?* Eccli. 2. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* — *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere,* 1. Corinth. c. 10, v 12, 13 Quæ verba de justis intelligenda esse, volentibus servare mandata, indicant verba : *Qui se existimat stare,* etc. S. Cyprianus, l. 3 Testim. c. 91, legit hunc locum Apostoli : *Sed faciet cum tentatione evadendi facultatem,* dein subdit : *Permittit Deus tantùm unumquemque tentari, quantùm potest sustinere.* Iis, aliisque SS. litterarum, et Patrum testimoniis accedunt decreta Ecclesiæ. Conc. Araus. II, can. 25, definit : « Hoc « etiam secundùm fidem catholicam credimus, quòd « acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptizati Chri- « sto auxiliante et cooperante, quæ ad salutem ani- « mæ pertinent, possint, ac debeant, si fideliter labo- « rare voluerint, adimplere. » Et Conc. Trid. sess. 6, can. 18 : « Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam « justificato, et sub gratiâ constituto esse ad observan- « dum impossibilia; anathema sit. » Id quod uberiùs explicat in eâdem sess. cap. 11, docens : « Nemo « audeat temerariâ illâ, et à Patribus sub anathemate « prohibitâ voce uti, Dei præcepta homini justificato « ad observandum esse impossibilia; nam Deus im- « possibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere « quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat « ut possis. » Conformiter itaque ad fidei catholicæ doctrinam Innocentius X primam ex quinque famosis propositionem damnavit : « Aliqua præcepta Dei ho- « minibus justis, volentibus et conantibus, secundùm « præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, « deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant. » Unde sequitur oppositam : Nulla Dei præcepta justis sunt impossibilia, esse verè catholicam (1).

(1) Gratiam, cui humana voluntas resistit, nonnisi à tribus circiter seculis consueverunt theologi vocare *sufficientem;* nam apud veteres rarò id nomen usurpatum legitur, et plerùmque in sensu à nostro admodùm diverso. Imò non defuerunt, Lemosio teste, aliqui D. Thomæ discipuli, qui minus congruè gratiam, de quâ agimus, *sufficientem* appellari arbitrati sunt. Unde strictè loquendo terminus *gratiæ sufficientis* ad dogma non pertinet, quamvis quoad rem pertineat, quia, quo sensu hujusmodi interior gratia dicatur sufficiens, nec ullo Ecclesiæ decreto definitum legitur, nec inter ipsos theologos convenit. Molinistæ gratiam *sufficientem*, sive *inefficacem* appellant eam quæ præbet voluntati talem potentiam agendi, ut voluntas alio uberiori auxilio non indigeat ad operandum. Hinc patet, nullam in Molinistarum sententiâ dari inefficacem gratiam, quæ non sit efficax in se; et vicissim nullam admitti gratiam efficacem in se, nisi quoad merum nomen; nam in eorum systemate gratia voluntatis consensum non operatur ut domina, sed exspectat ut pedissequa, eò quòd voluntas docilem, mysticè versatilem, et à libero arbitrio pendulam gratiam flectat pro suo nutu, eamque modò efficacem reddat consentiendo, modò inefficacè dissentiendo, ita, ut totùm, quantùm est inter efficacem, et inefficacem gratiam discrimen, vel unicè sit à nostræ voluntatis consensu vel dissensu repetendum : vel, ut placet Congruistis, etiam ex attemperatione auxiliorum cum voluntate humanâ, quæ subsit scientiæ mediæ. Hoc quidem systema, velut proprio marte excogitatum vehementer impugnant; SS. litteris, Patribus et conciliis adversari existimant non pauci. Verùm nedùm ab omni censurâ, sed etiam verborum acrimoniâ unio, pax, et charitas in Christo Jesu abstinere nos jubet, quia in dogmate omnes conveniunt, mutuo consensu statuentes, dari reverà interiorem gratiam supernaturalem, inefficacem, seu sufficientem, quæ dat potentiam sive remotam, sive proximam agendi; et solùm in modo explicandi ab invicem differunt.

Sectio secunda.

DE SACRAMENTIS.

CAPUT PRIMUM.

Dogmata de sacramentis in genere

§ 192.

I. *Novæ Legis sacramenta sunt : Baptismus, Confir-*

(1) Quòd dogma fidei non sit, dari omnibus hominibus actu gratiam sufficientem, ita declarat exim. Josephus Bertieri theol. in syst. redactæ part. 2 cap. 5 : « Præceps, et inconsiderata nimis est illorum assertio, « qui fidei catholicæ dogma esse contendunt, gratiam « sufficientem ab omnibus prorsùs obtineri : nam ca- « tholicis, gravissimisque theologis, qui contrariæ « mentis sunt, erroris in fide notam impingunt. At « ipsosmet à temeritate haud excusari posse, centum « Galliarum episcopi docuerunt in pastorali instruc- « tione. » *Temeritas esset erroneam judicare plurium doctorum theologorum opinionem qui docent, sufficientem gratiam non dari excœcatis, et obduratis, quique haud credunt, eam omnibus fidelibus concedi.* Interea illud compertum habemus ex S. Augustino, l. de Corrept. et Grat., c. 11 : *Quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundùm gratiam datur non secundùm debitum;* et de Dono persev. c. 9 : *Ex duobus ætate jam grandibus impiis.... cur ille aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei.*

natio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium. « Si quis dixerit... plura, vel pau- « ciora, quàm septem esse sacramenta; videlicet Bap- « tismum, etc., aut etiam aliquod horum septem non « esse verè et propriè sacramentum; anathema sit. » Ita statuit Conc. Trid. sess. 7, can. 1; quemadmodùm etiam publica, constans, perpetua, et nunquàm interrupta omnium Ecclesiarum ab apostolicis temporibus ad nostram usque ætatem in hanc doctrinam conspiratio testatur, et praxis. Septenarius siquidem sacramentorum numerus non tantùm apud Latinos, sed etiam apud Græcos, aliasque Orientalium sectas, v. gr., apud Coptos, Jacobitas, Syros, Maronitas viget, semperque viguit. Ecclesiam porrò latinam id semper tènuisse, neque ipsi novatores in dubium vertunt. Eamdem omninò consuetudinem apud Græcos fuisse, apertam fidem facit numeri septenarii sacramentorum confessio, quæ extat in Græcorum Euchologiis, et Ritualibus, ubi omnium sacramentorum ritus inveniuntur descripti. Hanc ob causam, quùm Wirtenbergenses theologi Jeremiæ patriarchæ Constantinopolitano, ut ad suas eum jam Schismaticum traherent partes, Confessionem Augustanam, anno 1575, misissent, is rei novitate perculsus, Ecclesiam græcam septem sacramenta admittere, atque semper retinuisse respondit. Eadem quoque Ecclesia schismatica in synodo Jerosolymitanâ definivit : *Credimus septem in Ecclesiâ esse evangelica sacramenta, nec plura, nec pauciora : huncque numerum, addendo vel minuendo mutare hæreticæ pravitatis insanum pronuntiamus commentum.* Quid ad hæc novatores? ubi prætensa eorum cum Ecclesiæ græcæ dogmate conformitas? assignent, si valeant, quis tandem ille fuerit insani, ut loquuntur, dogmatis fabricator, quo nomine appellatus, quâ patriâ oriundus, quâ occasione et auctoritate præditus, ut universo occidenti et orienti persuadere potuerit, non duo, aut tria, sed septem esse sacramenta. Hinc meritò de nostrâ doctrinâ gloriantes, sicut Acatholicorum cœcitati, et pertinaciæ condolemus, ita etiam eorumdem sat graves calumnias toleranter condonamus.

§ 193.

II. *Omnia sacramenta Christus Dominus instituit.* « Si « quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse « omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, ... « anathema sit. » Conc. Trid. sess. et can. cit. (1).

(1) Quamvis Bellarminus, Becanus, Duvmelius, aliique contendant, dogma fidei esse, Christum Dominum omnia sacramenta immediatè instituisse; id tamen nullo Ecclesiæ decreto decisum legitur; unde etiam præfatum Bellarmini dogma salvâ fide negare licet; quod enim ratiocinatione solùm theologicâ infertur, fidei dogma non constituit. Imò Synodus Tridentina testibus Pallavicino, Iodoco Ravenstein, et Ruardo Tappero ibidem præsentibus, consultò hanc particulam *immediatè* omisit, ne secùs aliquos ex scriptoribus catholicis læderet. Quare præfatus Iodocus Ravenstein theologus Lovaniensis in Apol. decretorum Conc. Trid. adversùs Chemnitium, qui, can. 1, sess. 7, legebat septem sacramenta ab *ipso* Christo instituta, scribit, « hanc cavillationem Patres Synodi « studiosè exclusisse, dùm decreverunt, omnia novæ « legis sacramenta à Christo quidem instituta, non « autem, quòd omnia immediatè ab ipso instituta sint. » Interea verbum Dei scriptum tam nos quàm Protestantes convincit tria sacramenta immediatè à Christo Domino fuisse instituta videlicet : baptismum, eucharistiam, et denique pœnitentiam saltem quoad essentiam, seu veram remissionem peccatorum, ad quam impertiendam Salvator noster plenariam Apostolis potestatem adeò disertis, et claris verbis contulit, ut vix aliqua rationi magis contraria, magisque absurda exegesis cogitari queat, quàm illa Protestantium in textum Joan. 20 : *Accipite Spiritum S.*, etc.

Inficias quidem ire non possumus, olim veteres quosdam Scholasticos, puta Lombardum, Hugonem Victorinum, Alensem, et S. Bonaventuram arbitratos fuisse Ecclesiam auctoritate sibi à Christo traditâ aliqua sacramenta instituisse. Verùm hanc sententiam obsoletam nulloque gravi fundamento innixam, post Conc. Trid. nemo unus, nisi in eo sensu defendit, quòd nempe Christus determinationem materiæ, et formæ in nonnullis sacramentis reliquerit Apostolis, et Ecclesiæ; quod autem præcipuum habetur in sacramentis, est promissio et collatio gratiæ; hanc si Christus promisit in certis circumstantiis ministerio sacerdotali conferendam, ipse adhuc rectissimè creditur, et dicitur verus institutor Sacramenti, quamvis Apostoli determinaverint materiam et formam, quarum applicatione confertur promissa gratia. Ita doctiss. Amort demonstratione criticâ relig. cathol. part. 1. Hinc inter theologos nata controversia pariter ad fidem non pertinet, ait Tournelius de Sacram. in genere, q. 1. art. 4, an scilicet, et quomodò Christus singulorum Sacramentorum materiam et formam, seu res et verba determinârit. Observandum autem res et verba duobus modis à Christo determinari potuisse, in genere nimirùm et specie; in genere quidem, si tantùm præscripsit, assumendum esse signum aliquod exterius, et idoneum ad finem sacramentis significandum; Ecclesiæ verò potestatem fecerit tale signum eligendi. In specie verò, si Christus signum illud ipsemet expressit. Utraque sententia habet suos catholicos defensores. Idem denique de verbis dicendum.

(1) Ut ea hìc secernamus, quæ dogmatis sunt, ab iis de quibus nulla adhuc expressa habetur Ecclesiæ definitio, animadvertendum est, juxta cit. can. ad fidem pertinere, sacramenta novæ legis à veteribus plus quàm ritu externo differre. Nihilosecius si veram Acatholici novæ legis sacramentis attribuerent efficaciam, eamdem quoque sacramentis legis veteris inesse vellent, à catholico dogmate non aberrarent, sed cum multis doctoribus scholasticis sentirent; nullo enim decreto Ecclesia oppositum definivit. Nam in Conc. Trid. asseritur tantùm discrimen; quod porrò illud sit, non dicitur. Neque Eugenius IV in instruct. Armen. rem veluti de fide definiit, dùm dixit veteris legis sacramenta *non causâsse gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurâsse.* Nempe apud plerosque in confesso est, quicumque in rebus catholicorum peregrini non sunt, multa Armenis proposuisse Eugenium, quæ ad fidem non spectant.

§ 194.

III. *Sacramenta novæ legis à sacramentis veteris legis plus quàm ritu externo differunt.* Si quis dixerit ea ipsa novæ legis sacramenta à sacramentis veteris legis non differre, nisi quia cerèmoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi, anathema sit, can. 2, cit. sess. Conc Trid. (1).

§ 195.

IV. *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis aut eorum voto, per solam fidem homines à Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint...*; can.

4 et 5 : *Si quis dixerit hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse ; anathema sit* (1).

§ 196.

V. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre ; quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus ; anathema sit*, sess. 7, can. 6 ; vide etiam can. 7.

§ 197.

VI. *Si quis dixerit per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere ; anathema sit*, can. 8. Unde fide divinâ credendum est, sacramenta novæ legis vîm sanctificandi, seu gratiam conferendi ex suâ per Christum factâ institutione ita habere, ut ritè applicato signo, seu ritu sensibili, eodemque verbis consecrato, propter sola merita Christi Deus elargiatur gratiam, si debitæ adsint dispositiones : è contra verò solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam neutiquàm sufficere (2).

§ 198.

VII. *Tria hæc Sacramenta : Baptismus, Confirmatio, et Ordo characterem indelebilem, unde iterari non possunt, sibi adnexum habent.* « Si quis dixerit, in tribus « sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, et « ordine non imprimi characterem in animâ, hoc est, « signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea « iterari non possunt ; anathema sit. » Ibid. can. 9 (1).

§ 199.

VIII. *Non omnes Christiani habent potestatem quælibet Sacramenta administrandi et conficiendi.* Ita definit conc. Trid. sess. 7, can. 10, his verbis : « Si quis « dixerit Christianos omnes in verbo, et omnibus « sacramentis administrandis habere potestatem, « anathema sit. » (2)

§ 200.

IX. *Ad validam Sacramentorum administrationem requiritur in ministro vera et seria intentio*, saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Ita primò concluditur ex iis Scripturæ verbis, Joan. 20 : *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos.... Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt ;* Matth. 28 : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs S. ;* Luc. 22 : *Hoc facite in meam commemorationem ;* 1 Corinth. 3 : *Quid igitur est Apollo ? quid verò Paulus ? ministri ejus, cui credidistis ;* ibid. c. 4 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Secundò, ex antiquo, et constanti Ecclesiæ more. Tertiò, ex Pontificum, et conciliorum decretis. Martinus V ad calcem conc. Constant. inter articulos, de quibus jubet suspectos in fide interrogari, hunc quoque recenset : « Utrùm credat, quòd malus sacerdos « cum debitâ materiâ, et formâ, et cum intentione « faciendi quod facit Ecclesia, verè absolvat, verè « baptizet, et verè conficiat alia Sacramenta. » Eugenius IV in decreto pro Armenis statuit : « Omnia sa-

(1) Per hoc dogma damnatur hæresis Lutheri omnia fidei, nihil virtuti, nihil effectioni Sacramenti tribuentis. Atque idcircò ait Pallavicinus, hist. Conc. Trid. l. 9, c. 7, « ea sunt adjecta verba, quibus excluditur « omnium septem sacramentorum necessitas ad sa- « lutem. »

(2) Novatores, quorum semper propositum fuit, odiosam reddere conc. Trid. doctrinam, mirum in modum pervertunt, atque ut propriam dolosiùs incredulitatem occultent, enormiter deformant sensum, et interpretationem istorum verborum : *Ex opere operato.* Multi etenim arbitrati sunt Romanam Ecclesiam ejus esse mentis, quòd sacramenta naturali, et physicâ efficaciâ sanctificantem gratiam elargiantur. Interea non dissimulo, quòd multi etiam Scholastici catholici, opus operatum nimis materialiter explicantes, Acatholicos in suâ falsâ persuasione confortaverint.

Absit verò, ut nudam terminologiam : *Opus operatum, materiam, formam : causam formalem, materialem, instrumentalem*, et similia ad fidem pertinere credamus ; dicant ergo liberè Acatholici : Hæ voces venerandam non sapiunt antiquitatem ; in Scripturis non extant, nec in Patribus reperiuntur ; sed ex philosophiâ peripateticâ à Scholasticis, seculo XIII, in forum theologicum introductæ sunt, et tunc unà cum doctissimis catholicis sentiunt. Profiteantur autem nobiscum sensum, et rem his vocibus significatam, et amicas eis jungimus manus. Hæc est enim fides Scripturæ, Joan. 3, 5 : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. ; Joan. 20, ℣ 22 et 23 : *Accipite Spiritum S.* etc. ; Act. 2, 38, et c. 22, ℣ 16 : Hæc est fides Patrum : *Homo manus imponit, Deus largitur gratiam*, ait S. Ambrosius, vel quisquis est auctor libri de Dignit. sacerdot. c. 5. *Si quæ sit aquæ gratia non ex aquæ naturâ est, sed ex præsentiâ Spiritûs* S. Basilius lib. de Spiritu S. c. 15. Hæc, nec alia, fides est Ecclesiæ in Conc. Trid. docentis, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato conferri gratiam.

(1) Hîc iterùm Scholastici, quùm ex philosophiæ Aristotelicæ qualitatibus absolutis, relativis, patibilibus, figuralibus, indirectè, reductivè, activè, passivè ; per habitum, per potentiam, per speciem figuræ, et quæ sunt alia hujusmodi absurda et ridicula, naturam et essentiam characteris sacramentalis explicare attentarent, hanc veritatem obscurârunt magis quàm illustrârunt. Nemo igitur succenseat theologis qui talem characterem agnoscere renuerunt. *De charactere*, inquit Albertus magnus in 4, dist. 6, art. 4, *in sensu quo magistri disputant* (nempe an sit qualitas absoluta) *parùm invenitur in dictis sanctorum.* Et Gabriel Biel in 4, dist. 6, scribit : « Sic ergo patet characterem ad « hunc intellectum in quo accipitur à recentioribus, « non esse ponendum. »

Etsi daremus Acatholicis firmum ex Scripturis pro verâ existentiâ characteris argumentum depromi non posse ; indubitata tamen et constans Traditio tanquàm altera fidei regula ejusdem nobis est auctoritatis. Nonne et ipsi Protestantes nobiscum fatentur, baptismum non esse iterandum ? unde autem probant, nisi ex Traditione ? Meritò igitur cum Ecclesiâ catholicâ credimus dari reverà characterem in baptismo, confirmatione et ordine, eumque esse indelebilem.

(2) Hîc canon opponitur Luthero, lib. de captiv. babyl. cap. de Ordine, scribenti, *Omnes christianos eamdem in verbo, et quolibet sacramento habere potestatem ;* et ad Pragenses, 1523 : *Sacerdos in novo Testamento non fit, sed nascitur, non ordinatur, sed creatur. Nascitur autem in baptismo, suntque prorsùs omnes Christiani sacerdotes.* Imò ibidem eo progreditur, ut non solùm omnes baptizatos, sed ipsum etiam diabolum sacramentorum ministrum dicat. Ne autem in Ecclesiâ aliqua suboriatur confusio, distinguit inter potestatem, et usum ministerii.

« cramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, ver- « bis, et personâ ministri conferentis sacramentum « cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia : quo- « rum si aliquod desiit, non perficitur sacramentum. » Conc. denique Trid. sess. 7, can. 11 : « Si quis dixerit, « in ministris dùm sacramenta conficiunt et confe- « runt, non requiri intentionem, saltem faciendi « quod facit Ecclesia ; » et sess. 41 can. 9 : « Si quis « dixerit absolutionem sacramentalem, non esse ac- « tum judicialem, sed nudum ministerium pronun- « tiandi et declarandi remissa esse peccata ; modò « tantùm credat se esse absolutum, aut sacerdos non « seriò, sed joco absolvat ;.... anathema sit. » (1)

§ 201.

X. *Ad valorem Sacramenti non requiritur probitas ministri.*

Una hæc est vox, una sententia Patrum, una, et constans Ecclesiæ praxis, quæ nunquàm iteravit sacramentum à ministro peccatore sive occulto, sive publico collatum. Contrarium verò sentientes, v. gr., Donatistas, Waldenses, Wicleffitas, Hussitas, etc. semper damnavit. Clarum desuper exemplum præbent Patres concilii Constantiensis, qui hunc Wicleffi articulum 4 : *Si episcopus, vel sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat ;* et alterum ordine 30 Joannis Huss. (quem Wicleffus uti erroris, ita et damnationis socium habuit) : *Nullus est dominus civilis, nullus prælatus, nullus episcopus, dùm est in peccato mortali*, unanimi consensu proscripserunt. Patres denique Tridentini perpetuâ traditione innixi, sess. 7, can. 12, sanxerunt : « Si quis dixerit ministrum in peccato mortali exi- « stentem, modò omnia essentialia quæ ad sacra- « mentum conficiendum, aut conferendum pertinent, « servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum ; « anathema sit. » Et sess. 14, can. 10 : « Si quis di- « xerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, li- « gandi et solvendi potestatem non habere ; anathema « sit (2). »

(1) Contra præfatum istud fidei dogma adeò non pugnat sententia Ambrosii Catharini, aliorumque doctorum, ut etiamnùm hodiè à plurimis defendatur, valere omninò Sacramentum à legitimo ministro collatum cum solâ intentione seriò peragendi ritum externum, à Christo ordinatum, et in Ecclesiâ frequentatum ; licet contrariam intùs gerat voluntatem nolitque sacrum esse quod facit. Quomodò etenim contraria sententia conciliari posset cum definitionibus conciliorum Nicæni 1, Arelatensis 1, et Capuensis, ubi validum declaratur baptisma à quibuscumque perditissimis hæreticis, v. gr., ab Arianis, Macedonianis, cum SS. Trinitatis invocatione collatum, dummodò institutionis verba servent. Et quid clarius verbis Innocentii III, tit. de bapt. cap. Si quis puerum. « Non est necesse, « quòd baptizans gerat in mente facere, quod facit « Ecclesia ; imò si contrarium gereret in mente, sci- « licet, non facere quod facit Ecclesia, tamen facit, « quia formam servat, nihilominùs baptizatus est, « dummodò minister baptizare intendat. » Confer. Hiacynthum Serry in Ambros. Catharini vindicis, c. 12.

(2) Sacramentorum cæremoniæ ab Ecclesiâ institutæ non sunt revelatæ, adeòque nec de fide divinâ credendæ. Hinc, can. 13, ecclesiasticus quidem, non verò dogmaticus inaudit. Vide Murat. lib. 1, cap. 13.

CAPUT II.

Dogmata de Baptismo.

§ 202.

I. *Credimus fide divinâ Baptismum esse verum ac propriè dictum novæ legis Sacramentum à Christo Domino institutum*, § 192.

§ 203.

II. *Per baptismi Sacramentum applicatur tam adultis, quàm parvulis, Jesu Christi meritum ; gratia confertur ; peccatum originale dimittitur ; et totum id, quod rationem peccati habet, penitùs tollitur.* Hinc veterem hominem exuentes, et novum induentes, qui secundùm Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti efficimur, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Optimo igitur jure Trid. sess. 5, can. 3, damnat eos, qui negant ipsum Jesu Christi meritum per baptismi sacramentum tam adultis quàm parvulis applicari, quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, *in quo oporteat nos salvos fieri*, Act. 4, 12. Unde illa vox : *Ecce Agnus Dei ; ecce qui tollit peccatum mundi*, Joan. 1, 29 ; et illa : *Quicumque baptizati estis, Christum induistis*, Gal. 3, 27. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ*, Ad Coloss. 1, 13. Præterea Trid. ibid. can. 5, decernit : « Si quis « per Jesu Christi Domini nostri gratiam quæ in « baptismate confertur, reatum originalis peccati re- « mitti negat ; aut etiam asserit, non tolli totum id, « quod veram et propriam peccati rationem ha- « bet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, « anathema sit. »

§ 204.

III. *De communi est ordinariâ providentiæ viâ Baptismus est medium necessarium ad salutem æternam consequendam.*

Prædicta namque, § præc., translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum, post promulgatum Evangelium sine lavacro regenerationis fieri non potest, sicut scriptum est : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei*, Joan. 3, 5. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, Marc. 16, 16. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum ; et accipietis donum Spiritûs S.* Hinc etiam Ecclesia primis statim seculis hæreticos baptismi necessitatem inficiantes publicâ proscriptione damnavit, prout patet ex conc. Carthag in causâ Pelagii, anno 416. Neque aliâ de causâ adeò providè constitutum est, ut ipsis quoque laicis, et mulieribus liceat in mortis periculo baptismum administrare, quàm quòd ad salutem tantoperè necessarius sit (1).

(1) Dixi : de communi et ordinariâ providentiæ viâ, quia sine baptismo vel in re, vel in æquivalenti habito, charitate nempe, aut martyrio nemo salvari potest, unde juxta Ecclesiæ doctrinam consequitur,

§ 205.

IV. *Aqua vera et naturalis est de necessitate Baptismi.*

Hæc propositio dogmatica nititur inprimis auctoritate Scripturæ, traditur à SS. Patribus, atque stabilitur in conciliis. Sic Lateranense IV, cap. Firmiter ait: « Sacramentum Baptismi, quod ad invocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritûs S. consecratur in aquâ, tam parvulis, quàm « adultis, in formâ Ecclesiæ à quocumque ritè collatum, proficit ad salutem. » Florentinum, seu potiùs Eugenius IV, in decreto pro Armenis : « Materia hujus Sacramenti baptismi, est aqua vera et « naturalis ; nec refert, frigida sit, an calida. » Tridentinum sess. 7, can. 2 : « Si quis dixerit aquam « veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque idcircò verba illa Domini nostri Jesu « Christi : *Nisi quis renatus*, etc., ad metaphoram detorserit, anathema sit (1). »

§ 206.

V. *Ad Baptismum requiritur expressa trium SS. Trinitatis Personarum invocatio.*

Dogma istud primò ex ipso Christi mandato distinctè relucet, Matth. 28 : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs S.* Secundò, ex universali Ecclesiæ consensione et Traditione constat, verba præfata : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs S.*, ad valorem et substantiam baptismi pertinere. Quùm etenim variis temporibus Gnostici, Montanistæ, Paulianistæ, Photiniani, Sabelliani et Eunomiani, etc., de SS. Trinitatis mysterio pravè sentirent, errorcsque suos cæteris instillare molirentur, baptismum interpolatà vitiatâque Trinitatis invocatione administrârunt. Hâc de causâ homines sic baptizatos, si fortè ad Ecclesiam venirent, denuò baptizandos sancivit conc. Nicænum I, can. 19. *De Paulianistis*, inquit, *ad Ecclesiam catholicam confugientibus definitio prolata est, ut iterùm baptizentur omnimodis.* Idem statuit Sardicense, et Arelatense II, anno 452, can. 16, 17. Laodicense, anno 364, vel 367. Constantinopolitanum. I, can. 7, et tria Carthaginensia, ut cætera missa faciam. Hujus quoque generis erat illa quorumdam Arianorum baptizandi formula : *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris, et Spiritûs S.*; cujus meminit S. Athanasius, serm. 3 adv. Arianos. E contra verò conc. Nic. I Novatianos non jussit rebaptizari, quia nimirùm isti, teste Innocentio I, ep. 22 ad episcopos Macedoniæ, baptismum evangelicis verbis consecrabant, quibus non utebantur Paulianistæ : hinc etiam S. Augustinus, l. 3 contra Donatistas scribit : *Si evangelicis verbis in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs S. Marcion, baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum.* Tertullianus, l. de Bapt. c. 13 : *Lex tingendi imposita est, forma præscripta ; ite*, inquit, *docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs S.* Conc. quoque Arelatense I, anno 314, can. 8 : « Placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum « symbolum, et si perviderint eum in Patre, et Filio, « et Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantùm imponantur, ut accipiat Spiritum S. Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. » Tandem etiam Tridentinum statu de Baptis. can. 4 : « Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur « ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs S...., non esse verum baptismum ; anathema « sit (1). »

§ 207.

VI. *Baptismus Joannis non habuit eamdem vim cum baptismo Christi.* Ipsus siquidem Joannes Baptista e personam suam, et baptismum suum ab eo qui Christ est, apertè distinguit, Joan. 1, 33; Luc. 2, 15 ; Matth. 3, 11. Et Paulus, Act. 19, eos qui Joannis baptismate tincti erant, baptismate à Christo instituto denuò initiari jussit. His SS. litterarum testimoniis accedit Patrum græcorum, et latinorum auctoritas, perpetuaque Ecclesiæ Traditio. Hinc Patres Tridentini, sess. 7, eliminando novatorum errori, hunc primum canonem opposuerunt : « Si quis dixerit baptismum Joannis « habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit (2).

§ 208.

VII. *Ad valorem baptismi non requiritur fides ministri ;* adeòque hæretici sacramentum Baptismi validè administrant. Invictum hâc de re suppeditat Traditio argumentum ; vide § 206. Quare post tot seculorum præcedentium exempla meritò definivit Synodus Tridentina, loc. cit. : « Si quis dixerit Baptismum, qui « etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, « et Spiritûs S. cum intentione faciendi quod facit

baptismum aquæ si is sit impossibilis, martyrio, aut voto ardenti charitati juncto suppleri posse.

(1) Ritus immersionis in solemni Baptismi administratione generatim quidem usitatus fuit primis XII seculis tam ab Ecclesiâ græcâ quàm latinâ. A seculo autem XIV, in totâ fermè Ecclesiâ latinâ abrogato immersionis ritu non per solemne quoddam decretum concilii, sed per desuetudinem, alter per affusionem invaluit ; trina proin immersio ad substantiam sacramenti non pertinet, nec aliter veteribus visum, qui ratum perinde habuerunt baptismum sive per immersionem, sive per infusionem, aut aspersionem trinam, vel unicam collatum.

(1) Ex his, aliisque sacræ antiquitatis immotis motivis prædicti dogmatis veritas apparet, cui neutiquàm obstat, quòd nonnulli Scholastici contrarium aliquando docuerint, quùm notum sit omnibus, non auctoritatem theologorum scholasticorum, sed verbum Dei scriptum, et traditum esse principium theologiæ. Imò mirari profectò subit, in ipsâ Ecclesiâ catholicâ inveniri potuisse theologos, qui eam sententiam tuerentur, quæ SS. Patrum suffragiis, conciliorum, atque summorum Pontificum statutis palam, apertèque repugnat.

(2) Iste canone id unum evincitur, certâ fide tenendum esse, quòd major fuerit vis et efficacia baptismi Christi, quàm baptismi Joannis. Quare hæreseos accusari nequit, qui existimat baptismum Joannis vim, et efficaciam aliquam ex opere, ut aiunt, operato habuisse ad tollenda peccata ; modò teneat baptismum Joannis tantùm fuisse inferiorem baptismo Christi, quantùm Præcursore Messias præcellit el. Sardagna, tom. 6 de Bap

« Ecclesia, non esse verum Baptismum ; anathema « sit (1). »

§ 209.

VIII. *Infantes sunt baptismi capaces, et expedit eos baptizare.*

Hanc Ecclesiæ Traditionem ab Apostolis suscepit etiam parvulis dandi baptismum, Origenes in cap. 6 ep. ad Rom. *Quantum verò ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum, vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos baptizari non oportere..... longe aliud in concilio nostro* (Carthag. anno 253) *omnibus visum est..... nulli hominum nato misericordiam Dei, et gratiam baptismi esse denegandam.* S. Cyprianus ep. 59 ad Fidum episc. conc. Carthag. IV, desuper ita statuit : « Quicumque parvulos recentes ab uteris ma- « trum baptizandos negat..., anathema sit. » Gerundense in Hispaniâ, anno 517, cap. 5. « De parvulis « verò, qui nuper materno utero editi sunt, si oblati « fuerint, baptizentur. » Similia occurrunt in Bracarensi II, Remensi, Senonensi, Parisiensi, Lingonensi, Bituricensi, Aquensi. Viennense quoque generale anno 1311, ut habetur in Clementinâ unicâ de summâ Trinitate, ait de baptismo : « Credimus esse tam « adultis quàm parvulis communiter perfectum re- « medium ad salutem. » Denique agmen claudit Tridentinum, sess. 5, can. 4, qui ejusdem tenoris cum cit. Carthaginensi est. Item, sess. 7, can. 12 : « Si « quis dixerit neminem esse baptizandum, nisi eâ « ætate, quâ Christus baptizatus est, vel in ipso mor- « tis articulo...; » can. 13 : « Si quis dixerit parvu- « los, eò quòd actum credendi non habent, suscepto « baptismo inter fideles computandos non esse, ac « propterea, quùm ad annos discretionis pervene- « rint, esse rebaptizandos; aut præstare, eorum « omitti baptisma, quàm eos non actu proprio cre- « dentes baptizari in solâ fide Ecclesiæ...., » can. 14. « Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos, « quùm adoleverint, interrogandos esse, an ratum « habere velint, quod Patrini eorum nomine, dùm « baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle respon- « derint, suo esse arbitrio relinquendos, nec aliâ « interim pœnâ ad christianam vitam cogendos, nisi, « ut ab Eucharistiæ, aliorumque sacramentorum per- « ceptione arceantur, donec resipiscant; anathema « sit. »(2)

(1) Cur aliqui oculatissimi inter Græcos episcopi pluribus etiam post Arelatense, et Nicænum concilium annis oppositam adhuc doctrinam, et praxin ipsimet secuti sint, aut saltem toleraverint, ratio videtur in eo sita esse, quòd à præfatis conciliis veritas hæc dogmatica ita clarè, ac perspicuè haud fuerit eliquata, et præscripta ; quemadmodùm colligitur ex S. Epiphanio, qui, anno Christi 370, creatus Salaminæ episcopus, in exposit. cathol. fidei, num. 13, disertè affirmat, *aliquos esse audaciores ex catholicorum partibus, qui præter Ecclesiæ consuetudinem, ac citra generalis concilii decretum, privatâ sibi factione conflatâ, eos qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptizare nihil verentur, quùm nondum ea res universalis Synodi judicio decisa sit.*

(2) Novum adversùs peccatum originale commentus est sacramentum cardinalis Cajetanus asserens, puerum seu in matris utero, seu extra uterum de vitâ periclitantem, ubi non adest suscipiendi baptismatis opportunitas, perinde sine sacro baptismo ab originali peccato mundari, et æternâ felicitate donari posse, alio nimirùm remedio opportuno adhibito. Quonam illo? fide, inquit ille, et pietate parentum, Deo periclitantem puerum offerentium, sacro quodam signo ad arbitrium adhibito cum SS. Trinitatis invocatione. Verùm quàm infeliciter ea purpurato theologo cesserit alea, inde vel maximè patet, quòd ejus assertio ad examen vocata, sess. 7 conc. Trid. unicum duntaxat Scripandum Augustinensium Ordinis præpositum generalem defensorem invenerit, cæteris omnibus in damnationis sententiam conspirantibus, à quâ tamen ferendâ abstinuerunt Patres; propterea quod ad Lutheranos, et Calvinianos errores ea Cajetani opinatio minimè pertineret, ut scribit card. Pallav. l. 9 hist. c. 8.

§ 210.

IX. *Sola recordatio, vel fides suscepti baptismi neutiquàm dimittit, aut minuit peccata quæ post baptismum commissa sunt.* Vid. inferiùs de Sacram. pœnit. §§ 226 et 233. « Si quis dixerit peccata omnia, quæ post « baptismum fiunt, solâ recordatione, et fide suscepti « baptismi vel dimitti, vel venialia fieri ; anathema « sit, » Trid. sess. cit. can. 10.

§ 211.

X. *Si quis dixerit, verum, et ritè collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, quùm ad potentiam convertitur; anathema sit.* Vide. § 206.

Caput III

De sacramento Confirmationis.

Dogma. *Confirmationem* (quâ baptizatis additur robur spiritûs tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam coram inimicis crucis Christi intrepidè profitendam) *verum ac proprium esse novæ legis Sacramentum, divina et catholica fides nos docet :* I. Ex sacris litteris, Act. cap. 8; item cap. 11, ỳ 15 : *Quùm cœpissem loqui, cecidit Spiritus S. super eos, sicut et in nos in initio.* Atqui de Apostolis scriptum est, Luc. ult. : *Sedete in civitate, quoadusque induamini in virtute ex alto;* et, Act. 1, ỳ 8 : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs S. in vos, et eritis mihi testes, etc.* Vide quoque ibidem cap. 19, 5; 2 ad Corinth. 1, ỳ 21 et 22. Ad Ephes. 1, 13. 7 Joan 2, ỳ 20. II. Ex Patribus : Tertullianus l. de Bapt. c. 7 : *Exinde egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione....; dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum S.* Et l. de Resurrect. carnis, c. 8 : *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut anima muniatur. Caro manûs impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur.* S. Cyprianus, ep. 70 ad Januarium : *Ungi quoque necesse est, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit.* Idem, ep. 73 ad Jubaianum loquens de Samaritis, quibus Petrus, et Joannes manus imposuerant, ait : *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesiâ baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem, ac manûs impositionem Spiritum S. consequantur, et signaculo*

dominico consummentur. S. Hieronymus, dial. adv. Lucif. *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, et ita invocetur Spiritus S.? exigis, ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obineret.* III. Ex praxi, et usu Ecclesiæ nunquàm interrupto. IV. Ex conciliis, quorum primo loco nominandum venit Eliberitanum versùs annum 305, ubi duobus in canonibus mentio occurrit sacramenti confirmationis : nempe can. 38 et 77. Nicænum I, can. 8, decrevit, Novatianos ad Ecclesiam redeuntes recipiendos esse per manus impositionem, scilicet confirmatoriam, et sacramentalem, ut scribit Theodoretus, l. 3 fabul. hæret. c. 5, quia Novatiani negligebant sacramentum confirmationis tanquàm minùs necessarium. Laodicenum anno circiter 372, can. 48 : « Oportet eos, qui « baptizantur, post lavacrum chrisma Ecclesiæ acci- « pere, et regni Christi participes inveniri. » Arausicanum I, anno 442, can. 2 : « De eo autem, qui in « baptismate quâcumque necessitate faciente non « chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commo- « nebitur. » Unde saltem hoc manifestè colligitur, confirmationem esse ritum à baptismate distinctum. Hispalense II, anno 619, cap. 7, enumerans ea, quæ simplicibus presbyteris non licet in lege evangelicâ administrare, ait; « non licere eis ecclesiam, vel « altaria consecrare, nec per impositionem manûs « fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Para- « cletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, « nec chrismate baptizatorum frontem signare. » Cabilonense II, an. 813, can. 27. « Dictum est nobis, « quod quidam de plebe bis, aut ter ab episcopis « ignorantibus confirmentur. Unde nobis visum est, « eamdem confirmationem, sicut nec baptismum, « iterari minimè debere. » Parisiense VI, an. 829, cap. 33. « Perlatum est ad nos, quòd in quibusdam « provinciis plerique episcopi post perceptionem cibi « et potûs soleant per impositionem manuum tradere « et Spiritum S., quod tamen excellenti ministerio « prorsùs non convenire, et deinceps fieri non debere « omnibus nobis visum est.... sicut enim baptismus, « exceptâ infirmorum causâ, nonnisi à jejunis cele- « bratur sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritûs S..., « nonnisi à jejunis celebranda est pontificibus. » Denique Tridentinum sess. 7, can. 1, definivit : « Si quis « dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam esse « ceremoniam, et non potiùs verum et proprium « Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam « catechesin quamdam, quâ adolescentiæ proximi « fidei suæ rationem coram Ecclesiâ exponebant : « anathema sit. » Nisi ergo Calvinistæ et protestantes ostenderint, inquit clariss. Sardagna tom. 6, pag. 371, quod frustra hactenùs conati sunt, quis, quo seculo, quibus artibus ceremoniam hanc in Ecclesiam invexerit, omnesque tam Græcæ quàm Latinæ Ecclesiæ pastores manibus et pedibus in sententiam suam ire coegerit; hæc Ecclesiæ doctrina verè creditur Apostolica, invariabili traditione ac nos transmissa juxta auream S. Augustini regulam l. 4, de Bapt. contra Donatistas c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Et, teste Tertulliano, lib. de Præscript. c. 21, *Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit* (1).

(1) Quùm juxta allegata et probata Confirmatio verum ac proprium novæ legis sacramentum sit, requiritur, ut re quâdam sensibili, signaculo, sive elemento, certâque verborum formulâ constet et perficiatur, quia sine his Sacramentum consistere nequit. *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*, ait S. Augustinus tract. 80 in Joan. Id est, formam etiam et materiam habere ex ejusdem Christi institutione juxta communem earum rationem, quibus usi sunt Apostoli, et modo utitur Ecclesia, omnimodis necesse est. Dixi, ait Holdenus, l. 2, cap. 4 § 3, *juxta communem earum rationem*, quod et in hoc, et in cæteris sacramentis oportet animadvertere. Haud refert enim an iisdem penitùs verbis nec pluribus, nec paucioribus administratum sit hoc sacramentum, seu an in eâdem omninò Chrismatis specie, eodemque manuum impositionis et actionis modo, quibus vel à Christo, vel ab Apostolis usitatum fuerit, dummodò easdem communes sacramenti quoad rem, sive elementum, et verba, rationes divinâ institutione præscriptas teneamus.

Acatholici confirmationis sacramentum contemnentes necessariâ illatione nullum agnoscunt à Christo institutum sensibile elementum. Calvinus l. 4 Instit. manuum impositionem vacuum et frigidum signum nuncupat, vehementiusque adhuc in S. Chrisma debacchatur. Ita unusquisque Sectariorum in suo sensu abundans, ruptis obedientiæ et fidei repagulis, quod suo arridet phantasmati amplectitur et sustentat. Catholici theologi, etsi ad unum omnes aliquam divinitùs institutam agnoscant hujus sacramenti materiam, in eâ tamen constituendâ plurimùm discrepant. Plures, iique graves, confirmationis sensibile elementum in solâ manuum impositione collocârunt. Bellarminus cum aliis solam Chrismatis unctionem agnoscit. Manûs denique impositionem, simulque chrismatis inunctionem hujus efformare sacramenti materiam tenent Drouven, Berti, Tourneli, Habert, Boucat, Nat. Alex. Juenin, quibus potiori jure subscribitur, ita tamen, ut evidentiùs de manuum impositione, quàm de Chrismatis inunctione defendatur; verùm nihil hâc de re in specie à conciliis decisum invenitur. Frustra namque nonnulli provocant tum ad conc. Florent. quod in decreto pro Armenis docet : « Secundum sa- « cramentum est Confirmatio, cujus materia est chris- « ma confectum ex oleo et basalmo; » tum etiam ad conc. Trid. quod hìc can 2, de Confirmatione statuit : « Si quis dixerit, injurios esse Spiritui S., qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit. » Nam quod primum attinet : decretum illud non adjudicatur concilio Florentino, sed Eugenio IV, in instructione pro Armenis solùm data post concilium, non pro universâ Ecclesiâ, eò quòd conc. Florent. antea Græcis permiserat, ut salvâ fide ritus Ecclesiæ suæ observarent. Quod ad alterum est; docent nonnulli theologi quod conc. Trid. in præfato canone decernat tantùm, posse adfirmari absque injuriâ Spiritûs S. quod insit virtus aliqua Chrismati consecrato, nequidem attingens hanc quæstionem : utrùm virtus hæc proveniat ex Christi institutione, quasi Chrisma elegerit in materiam hujus sacramenti; an verò solùm ex benedictione, et suffragiis Ecclesiæ, quemadmodùm in aliis sacramentalibus. Ita clariss. Wiest. tom. 6, pag. 415, canon adeòque dogmaticus haud est.

Nemini pariter mirum videri debet quòd Theologi catholici non conveniant in assignandâ formâ hujus Sacramenti; nihil enim hâc de re Ecclesia definivit.

Caput IV.

Dogmata de Sacramento Eucharistiæ.

§ 213.

Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum : et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit sacramentum hoc tanquàm spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vitâ illius, qui dixit : *Qui manducat me, ipse vivet propter me.* Joan. 6, 58 ; et tanquàm antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, et à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis, adcòque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tanquàm membra arctissimâ fidei, spei, et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata. Ita sonat integrum caput secundum conc. Trid. sess. 13. Est itaque Eucharistia sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum ad cœlestem animarum nostrarum alimoniam, in quo corpus et sanguis Christi sub apparentibus speciebus verè, realiter et substantialiter continentur. Hæc autem verba distinctè usurpavit Tridentinum sess. cit. cap. 1, ad refellendas perversas Novatorum nostrorum interpretationes ; particula enim *verè* excludit præsentiam tantùm per figuram et imaginem ; *realiter* præsentiam tantùm per fidem ; *substantialiter* præsentiam tantùm per virtutem à Christo diffusam.

§ 214.

I. *Fidei divinæ et catholicæ dogma est, quod in augustissimo Eucharistiæ sacramento contineatur verè, realiter et substantialiter corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi unà cum animâ et divinitate ; ac proinde totus Christus.* Hanc omnium seculorum fidem contra quoscumque adversariorum insultus Evangelium annuntiat ; Patres uno ore deprædicant ; et concilia confirmant Œcumenica. Lateranense IV, capit. 1, de Fide catholicâ. « Idem ipse sacerdos et sacrificium Jesus Christus, cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur. » Constantiense, Florentinum, et denique Tridentinum, quod sess. 13, can. 1, definivit : « Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri verè, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem unà cum animâ et divinitate Domini nostri Jesu Christi ac proinde totum Christum ; sed dixerit, tantummodò esse in eo, ut in signo, vel figurâ, aut virtute ; et can. 8 : Si quis dixerit Christum in Eucharistiâ exhibitum spiritualiter tantùm manducari, et non sacramentaliter, ac realiter ; anathema sit. » (1)

Tota controversia ad hoc redit : an verba essentialia sint? 1° Illa oratio prævia, quam episcopus manum extendens enuntiat? 2° An verba, quæ profert frontem ungendo? 3° Vel oratio prævia, et illa verba simul? id quod postremùm denuò tanquàm probabilius à recentioribus defenditur. Unde pro more suo egregiè iterùm imponunt catholicis, falsâque laborant hypothesi Chemnitius, Calvinus, Daillæus, quasi apud catholicos de fide esset, verba illa : *Signo te*, etc., essentialem esse confirmationis formulam.

§ 215.

II. *In sacramento Eucharistiæ non remanet substantia panis et vini, sed tota convertitur per consecrationem in corpus et sanguinem Christi ; quam conversionem Ecclesia catholica Transsubstantiationem appellat.* Id ostendunt manifestè inter alia ipsa verba institutionis, Luc. 22. ℣. 19 et seq. Matth. 26, ℣. 26 et seq. Nam Christus Dominus de pane quem habebat in manibus absolutè enuntiavit : *Hoc est corpus meum*, et de vino : *Hic est sanguis meus.* Porrò ista verba juxta ipsos Protestantes non habent sensum figuratum, sed proprium, et litteralem : ergo quia hìc nulla fit mentio panis, et simul additur : *Quod pro vobis tradetur*, panis omninò excluditur ; sicut enim locus prior : *Accepit Jesus panem* de solo pane accipi debet, ita etiam iste : *Hoc est corpus meum*, de solo corpore intelligi potest. Christus itaque tanquàm æterna Veritas contestatur, totum id quod dedit discipulis, corpus suum esse ; secùs debuisset dicere : *hìc, in hoc, sub hoc, vel cum hoc pane est corpus meum.* At quùm hoc non dixerit, sed absolutè pronuntiaverit : *Hoc est corpus meum*, ideò nullâ ratione dici potest, remanere substantiam panis et vini. Profectò dogmata de reali præsentiâ Christi in Eucharistiâ, et de conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi ita sibi cohærent, ut qui primùm admittit, etiam alterum admittere teneatur ob necessarium doctrinæ nexum, quemadmodùm contra Lutherum docuerunt Zwinglius, Beza et Calvinus. Imò ipsemet Lutherus tantam in his verbis institutionis claritatem se invenisse fassus est, ut nequeant ad metaphoram detorqueri. « Vellem « scribit ad Argentinenses, persuadere, nihil esse in

(1) Veronius, cap. 2, § 11, ex hoc dogmate realis præsentiæ Christi infert : 1° Non esse contra fidem, si corpus Christi sub symbolis Eucharistiæ præsens sano sensu dicatur corpus spirituale ; et non corpus animale, quùm Paulus loquens de corporibus gloriosis, dicat 1 Corinth. 15, 44 : *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est et spirituale, sicut scriptum est ; factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Deinde, quia corpus Christi est totum in toto, et totum in quâvis parte, ac si esset Spiritus, infert : 2° Non esse contra fidem, imò dici debere, quod corpus Christi sub symbolis verè præsens, modo spirituali, non corporali, non carnali modo, ibi contineatur. 3° Totum, quod loc. cit, dixit de corpore spirituali, et sacramentaliter existenti sub apparentiis, affirmat posse dici de receptione et manducatione, scilicet Christum manducari sicut realiter, ita etiam spirituali, non carnali modo. 4° Falsum esse quòd corpus Christi contentum in symbolis sit, aut denominari debeat extensum, longum, latum sicut in cruce ; æquale, aut inæquale alteri corpori, etc. 5° Denique à veritate longè alienum existimat, quòd corpus Christi contineatur in symbolis tanquàm in loco, quod producatur de novo, aut conservetur in Eucharistiâ per consecrationem, quùm jam diù productum fuerit in utero Virginis, et conservetur æternùm in cœlis.

« Eucharistiâ præter panem et vinum : magno ille me « beneficio devinciret; jam sæpè gravibus curis in « hâc materiâ desudavi : verùm ego me captum vi- « deo, nulla crabendi via relicta est : textus Evangelii « nimis est apertus. » Idem dogma evincitur ex unanimi et perpetuâ Patrum traditione, qui dicunt 1° eucharisticum panem non esse communem panem, sed esse verum ac proprium Christi corpus. 2° Asserunt Christum de pane fecisse suum corpus. 3° Profitentur post verba Christi non superesse naturam, seu substantiam panis, et vini; tametsi sensus aliter judicent, quorum judicium hâc in re sit contemnendum. 4° Affirmant panem et vinum in Eucharistiâ virtute divinâ transelementari, transmutari, converti in corpus et sanguinem Domini. His suffragantur concilia. « Credimus et profitemur, inquit Lateranense IV, l. « c., et corpus et sanguinem Christi sub speciebus « panis et vini veraciter contineri, transsubstantiatis « pane in corpus, et vino in sanguinem potestate di- « vinâ. » Constantiense sess. 8, proscripsit primum Joannis Wicleffi articulum tanquàm hæreticum : *Substantia panis materialis et similiter susbtantia vini materialis manet in sacramento altaris.* Hanc quoque ab ipso Apostolorum ævo usque ad nostra tempora Ecclesiæ orientalis fuisse fidem patet 1° ex Patribus Græcis et Græcorum liturgiis. 2° Ex conciliis generalibus Lugdunensi II, et Florentino, in quibus, dùm concordia iniretur cum Græcis, transsubstantiatio nunquàm fuit in controversiam adducta. 3° Ex Photio jurato Latinorum hoste, qui sec. 9, ep. ad Nicolaum I, scribit : « In illis missis, ô miraculum! « communis panis in corpus Christi mutatur, et com- « mune vinum sanguis ejus fit, quem in redemptione « pro nobis de proprio latere cum aquâ effudit. » 4° Ex responsione Jeremiæ patriarchæ Constantinopolitani ad replicam theologorum Wirtenbergensium, ubi hæc habet : « Hic panis positus in altari, et vinum « aquâ mixtum mutantur supernaturaliter per invo- « cationem, et adventum Spiritûs S, in corpus Jesu « Christi, et in ejus sanguinem, ita ut non sint am- « plius duo corpora, sed unum solum, ac idem cor- « pus. » Nihil igitur novi attentavit conc. Trid. dùm sess. cit. can. 2, definivit : *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini, unà cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat; anathema sit* (1).

§ 216.

III. *Totus et integer Christus Dominus sub unâquaque specie, tam sub specie panis, quàm sub specie vini; imò sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta continetur.* Prima pars dogmatis hujus constat ex Scripturâ, Joan. 6, ubi Christus ait : *Qui manducat me, ipse vivet propter me :* ergo qui sumit speciem panis consecrati, sub quâ solâ propriè, ac strictè dicta manducatio datur, non modò corpus, verùm etiam totum Christum recipit. Eâdem ratione S. Paulus l. ad Corinth. 11, 27, sub disjunctione loquens intelligi debet : *Qui manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini*, quasi diceret : is qui unam speciem indignè sumpserit, non corporis tantùm, aut sanguinis, sed utriusque simul reus fit, eò quòd utriusque, sub unicâ specie contenti, sanctitatem violaverit : ergo sub quâvis specie integer Christus adest, qui eodem teste Apostolo Rom. 6, 9, *resurgens ex mortuis jam non moritur;* ergo corpus Christi sub specie panis existens non separatur ab ejus sanguine, et vicissim sanguis sub specie vini existens non dividitur à corpore;

(1) Transsubstantiationis nomen teste Augustino Gervasio ante finem seculi XII, primum ab ecclesiasticis auctoribus usurpari cœpit. Universim deinde receptum est contra Protestantes, qui si rem ipsam hâc voce significatam credere vellent, à fidei dogmate minimè aberrarent, etsi nomen rejicerent. Veteres vocibus æquivalentibus usi sunt, v. gr. *conversionis, mutationis, transmutationis.* Novi porrò errores novis quoque vocibus occasionem sæpenumero tribuerunt; hinc S. Athanasius lib. de decretis synodi Nicænæ ait : *Etiamsi ipsæ voces in Scripturis non extent, sententia tamen quam continent, verè ex Scripturis habetur;* ut scimus de voce *consubstantialis, Trinitas*, etc.

Non est de fide, panem, et vinum per consecrationem annihilari; sicut neque oppositum ad fidem pertinet, panem nempe, et vinum per consecrationem non annihilari, quia controversia vocum, non rerum est. Manent hæc, et plura alia inutilia litigia inter septa scholasticorum. Blasphemum quoque sonat dicere, in hoc mysterio transsubstantiari panem in corpus Christi, sicut panis, quem comedimus, transsubstantiatur in corpus nostrum, etc. Vid. Veronium, c. 2, § 12.

Protestantes unà nobiscum hæresis postulant Calvinianos eò quòd negent veram ac realem Christi in Eucharistiâ præsentiam; at circa modum, quo fiat illa substantialis præsentia, à nobis, et totâ verâ Ecclesiâ recesserunt. Lutherus lib. de Captiv. Babyl. cap. de Eucharistiâ liberam reliquit transsubstantiationis fidem. « Permitto itaque, inquit, qui volet utramque « opinionem tenere, hoc solum nunc ago, ut scrupu- « los conscientiarum è medio tollam, ne quis se reum « hæreseos metuat, si in altari verum panem, verum- « que vinum esse crediderit, sed liberum esse sibi « sciat, citra salutis periculum, alterutrum imaginari, « quùm sit hic nulla necessitas fidei. » Verùm an. 1522, consueta sibi animi mobilitate hanc opinandi libertatem omninò sustulit in lib. adv. Henricum Angliæ regem, ubi ait : « Nunc transsubstantiare volo sententiam « meam, et dico : anteposui nihil referre, sive sic, si- « ve sic sentias de transsubstantiatione, nunc autem « decerno impium esse et blasphemum, si quis dixe- « rit panem transsubstantiari. » Hujus mutationis causam ipsemet in libro ad Waldenses declarans fatetur : se nimirùm in odium papistarum nunc statuere, quòd substantia panis et vini remaneat in Eucharistiâ. Quid, quod homo omnium horarum, et quâlibet aurâ mobilior transsubstantiatam sententiam an. 1528, lib. contra Zwinglium denuò mutavit docens : *parùm referre, sive quis panem mutari, sive transsubstantiari credat.* Quis autem sit modus, quo Christus substantialiter sit præsens, à seipsis dissident plerique Protestantes, quorum multi existimant Christum præsentem esse per ubiquitatem; alii cum Osiandro per unionem hypostaticam Verbi cum pane et vino. Moderni verò hypostaticæ unionis pertæsi aliud unionis genus excogitârunt, nimirùm simplicem, eamque intimam conjunctionem cum substantiâ panis et vini, quam unionem sacramentalem appellant.

alioquin Christus in Eucharistiâ esset mortuus. *Semper hæc fides in Ecclesiâ Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie unà cum ipsius animâ et divinitate existere.* Trid. sess. cit. cap. 3 : Ideò jam à primis seculis divinæ Scripturæ et Traditionis apostolicæ auctoritate edoctâ, sub unicâ nempe specie totum et integrum accipi Christum, sæpius sub unicâ tantùm specie Eucharistiam dispensavit. *Ut adeò firmissimè credendum sit, et nullatenùs dubitandum, integrum Christi corpus, et sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri;* ita definit conc. Constantiense sess. 13. Secunda pars evincitur ex evangelio Matth. 26, v. 26, et seq. Marc. 14, v. 22 et 23, ubi Christus panem fregit, deditque discipulis suis, et ait : *Sumite, hoc est corpus meum;* ac præcipuè de calice dixit : *bibite ex eo omnes;* unde apertè constat quòd omnes manducaverint de eodem pane, et biberint ex eodem calice consecrato, totum et integrum Christum accipientes : ergo totus Christus continetur, separatione factâ in quâlibet parte specierum; quemadmodùm idipsum confirmat traditio, et praxis Ecclesiæ, quæ peractâ consecratione, eamdem hostiam frangere consuevit in plures distribuendam, et eumdem calicem omnibus adstantibus porrigere solebat juxta exemplum Christi. Ad normam igitur Evangelii verbique traditi, conc. Trid. sess. 13, can. 3, definivit : *Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unâquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus separatione factâ totum Christum contineri.....* Et sess. 21, can. 3 : *Si quis negaverit, totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub unâ panis specie sumi; quia, ut quidam falsò asserunt, non secundùm ipsius Christi constitutionem sub utrâque specie sumatur; anathema sit* (1).

§ 217.

IV. *Non est de necessitate integritatis sacramenti, aut præcepto divino constitutum, ut Eucharistiæ sacramentum, et ubique sub utrâque specie conjunctum administretur populo fideli.*

Qui enim dixit Joan. 6 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, dixit quoque : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Qui dixit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, dixit etiam : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.* Et denique, qui dixit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo;* dixit nihilominùs : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Conc. Trid. sess. cit. cap. 1. Imò ipse Christus duobus discipulis in Emmaüs sub solâ specie panis Eucharistiam porrexit. Luc. 24, v. 30. Idem colligimus ex praxi Apostolorum Act. 2, v. 42, et cap. 20 v. 7; ex usu, et disciplinâ veteris Ecclesiæ; ex communione infirmorum sub unâ specie panis; ex communione infantium sub unâ specie panis, vel vini; ex communione domesticâ sub solâ panis specie; necnon ex publicâ sub unâ specie; et denique ex conciliis, præsertim Constantiensi, quod sess. 13 statuit : « Quùm jam ante istud « tempus consuetudo communicandi sub unâ specie « ab Ecclesiâ, et sanctis Patribus rationabiliter introducta, et diutissimè observata sit, habenda est pro « lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ « auctoritate pro libitu mutare; quapropter dicere « quòd hanc consuetudinem, aut legem observare sit « sacrilegum, aut illicitum, censeri debet erroneum, « et pertinaciter asserentes oppositum præmissorum « tanquàm hæretici arcendi sunt. » Affert dein concilium præcipuum catholicæ fidei fundamentum, nempe totum, et integrum Christum sub unâ tantùm specie contineri; ex quo consequitur, hypostaticæ unioni adversari eos, qui Christum sub unâ specie totum non esse contendunt. Concilium quoque Basileense an. 1431, incœptum Bohemis et Moravis enixe calicis usum postulantibus eâ lege concessit, ut firmiter crederent, quòd non sub specie panis caro tantùm, nec sub specie vini sanguis tantùm, sed sub quâlibet specie integer, et totus Christus continetur. Conc. quoque Trid. adversùs Novatores doctrinam Ecclesiæ circa utramque speciem sess. 21 can. 1, ita declarat : *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes, et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.* Vid. can. 3, § præc. (1).

(1) Licet de fide non sit, totum Christum sub singulis specierum partibus ante divisionem existere, malè tamen arguit Petrus Suavis, vero nomine Paulus Sarpi, concilium Tridentinum, quasi ex illis verbis in can. cit. *separatione factâ*, videatur necessariò deducendum, non esse totum Christum in singulis partibus ante divisionem. Enimverò præclaram argumentationem! respondet card. Pallavicinus l. 12. cap. 7..... An quoniam tanquàm hæreticus damnatur, qui rem quamdam affirmat in certis quibusdam conditionibus, ex eo necessariò colligatur, rem illam extra tales conditiones falsè affirmari? sed quid stultius quàm arguere tanquàm verum definiri, quidquid tanquàm hæresis non damnatur?

(1) Ex mox citatis conciliis, et diversâ Ecclesiæ praxi manifestum fit, communionem sub unâ vel duplici specie non ad fidem, sed ad disciplinam duntaxat pertinere; quam proin Ecclesia ex potestate sibi à Christo traditâ immutare potest, quando pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaverit; unde ex christianæ charitati consentaneis rationibus non conficientibus Sacramentum usum calicis denuò concedere posset. Porrò quamvis certum, indubitatumque sit, Ecclesiam catholicam justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodò specie communicaret, atque in eo nequaquàm errâsse, canon tamen secundus citatæ antea sessionis conc. Trid. idipsum sub anathemate statuens circa hoc dogmaticus non est. Vid. § 104, num. 9.

Canon 9, sess. 13, *Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexûs, quùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in paschate, ad communicandum, juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ; anathema sit.* Non dogma, sed præceptum tantùm, ut ex ipso tenore patet, ecclesiasticum innuit. Si quis tamen ex ejusdem canonis contemptu Ecclesiæ abnegare intenderet generalem potestatem ferendi leges fidelibus salutares, et determinandi ea quæ Christus eidem determinanda reliquit,

§ 218.

V. *Prolatis verbis consecrationis, corpus et sanguis ità adest, ut etiam præsens permaneat extra usum et sumptionem.* Christus enim Eucharistiam instituens ait Matth. 26 : *Accipite et comedite : hoc est corpus meum.... Bibite ex eo omnes : hic est enim sanguis meus.* Ecce, non dixit : erit, aut fiet, sed est corpus meum. Tunc ergò corpus Christi præsens fuit, quando hæc verba protulit; atqui id factum novimus, antequàm discipuli manducarent et biberent, ut patet ex verbis Lucæ 22, ℣ 20 : *Hic calix novi Test. est in meo sanguine, qui pro vobis fundetur*, ubi clarè indicatur, sanguinem Christi in calice *esse*, non verò *fieri* in ore, aut stomacho sumentis; nam ex eodem calice biberunt omnes juxta illud apud eumdem Lucam : *Dividite inter vos;* et apud Marcum : *Biberunt ex eo omnes;* sed Christus non toties repetit ista : *Hic est sanguis meus*, quoties biberunt, sed semel tantùm : ergo antequàm biberunt, jam aderat sanguis Christi. Idem testatur Apostolus 1, Corinth. c. 10, scribens : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est?* Nonne hìc apertè declarat Apostolus, panem priùs consecrari, mutarique in corpus Domini, quàm frangatur et distribuatur? non enim ait, futurum esse corpus Domini, sed jam esse; neque dixit : calix quem bibimus, aut panis quem edimus; « sed calix cui benedicimus, panis quem frangimus. » His attendentes Patres Tridentini eleganter docent sess. cit. cap. 3 : « Nondùm Eucharistiam de manu Domini Apostoli « susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret, cor- « pus suum esse, quod præbebat, et semper hæc fides « in Ecclesiâ fuit; » ex cujus traditione, et praxi constat, quòd Eucharistia missa sit jam sec. 2 ad absentes : deportata ad infirmos; et data fidelibus, ut eamdem secum domum deferrent, tempore opportuno sumendam. Sic S. Justinus apolog. 2 de Eucharistiâ verba faciens ait : *Eam à Diaconis peractis mysteriis ad absentes deferri.* Communionis domesticæ meminerunt Tertullianus lib. 2 ad Uxorem c. 5. Cyprianus lib. de lapsis. S. Basilius ep. ad Cæsarium. Hieronymus ep. ad Pamachium, etc. De infirmis testatur conc. Nic. I, can. 13. *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua servabitur, ut si quis egrediatur è corpore, ultimo et maximè necessario Viatico minimè privetur.* Græci quoque, ut refert Goarius, et Petrus Arcudius, feriâ 5 majoris hebdomadæ ex antiquissimâ disciplinâ pro toto anno Eucharistiam consecrabant pro infirmis; at quomodò hoc fieri potuisset, nisi Eucharistia in quodam sacrario asservata fuisset? quemadmodùm Patres conc. Touronensis II, can. 3, statuerunt ut corpus Domini in altari non inter SS. imagines, sed sub crucis titulo componatur; id quod etiam ex aliis antiquitatis monumentis eo usque demonstratur, ut ipse Calvinus tanta auctoritate pressus lib. Instit. cap. 17, scribere coactus sit : « Qui sic faciunt « (id est, Eucharistiam servant) habent, fateor, ve- « teris Ecclesiæ exemplum : verùm in re tantâ, in quâ « sine magno periculo non erratur, nihil tutius est « quàm veritatem sequi. » Sed ubinam stat ista veritas? an errâsse potiùs censenda est vetus Christi Ecclesia, quàm novitius Novatorum cœtus? an tutius erit, novas, absurdasque potiùs sectari Protestantium opiniones, quàm veterem Ecclesiæ consuetudinem? Nos itaque Patrum et antiquorum conciliorum vestigiis inhærentes, generali synodo Lateranensi IV et Tridentino longè securius subscribimus, quorum primum can. 20, statuit : « Ut in cunctis Ecclesiis Chrisma, « et Eucharistia sub fideli custodiâ clavibus adhibitis « conserventur, ne possit ad illa temeraria manus « extendi. » Alterum verò sess. 13, can. 4, ita definit : « Si quis dixerit, peractâ consecratione in admi- « rabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et « sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantùm in « usu, dùm sumitur, non autem ante, vel post, et in « hostiis quæ post communionem reservantur, vel « supersunt, non remanere verum corpus Domini; « anathema sit. » His concordat quoque can. 7.

§ 219.

VI. *In hoc sacro sanctæ Eucharistiæ sacramento Christus unigenitus Dei Filius etiam extra usum præsens, cultu latriæ externo æquè ac interno adorandus est.* Vid. §§ 21 et 157. « Nullus etenim dubitandi locus « relinquitur, docet conc. Trid. sess. cit. cap. 5, quin « omnes Christi fideles pro more in catholicâ Ecclesiâ « semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debe- « tur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione « exhibeant. Neque enim idcò minùs est adorandum, « quòd fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institu- « tum; nam illum eumdem Deum præsentem in eo « adesse credimus, quem Pater æternus introducens « in orbem terrarum, dicit : *Et adorent eum omnes « angeli ejus.* Psal. 96, 7; quem Magi procidentes « adoraverunt; quem denique in Galilæâ ab Apostolis « adoratum fuisse Scriptura testatur. » Ibidem quoque can. 6, definit : *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, et ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.* Reliqua, quæ in hoc canone continentur, non sunt dogmatica, ritè tamen ex dogmate inferuntur (1).

(1) Institutio festi corporis Christi facta primùm à Roberto episcopo Leodiensi an. 1246, et confirmata ab Urbano IV, concilio Viennensi, et Tridentino; insuper solemnis circumgestatio in supplicationibus; nec non publica expositio venerabilis sacramenti ex divinâ quidem et catholicâ fide non descendunt, quia nihil horum aut in Scripturâ, aut in antiquâ traditione continetur; optimo tamen jure singula hæc ordinâsse Ecclesiam, exinde jam satis colligitur. 1° Quia prorsùs nulla hìc occasio idololatriæ præbetur, quùm verum Deum omni cultu dignissimum in hoc sacramento præsentem adoremus. 2° Ecclesia potestatem habet, justis de causis, etiam sine mandato Dei, novos dies festos instituendi, ut patet exemplo fidelium veteris Testamenti. 3° Protestantes nullam solidam rationem ostendere hucusque potuerunt, quod catholici male agant, Eucharistiam circumgestando in supplicationibus; non enim repugnat institutioni Christi, qui quamvis hanc circumgestationem non præceperit, eam ta-

ab errore in fide excusari non posset. Vid. §§ 173 et 176.

§ 220.

VII. *Sacramentum Eucharistiæ ex se non remittit peccatum mortale, seu non producit primam sanctificantem gratiam, sed eam in suscipiente supponit.* Fidem hanc præter alia Apostolus pronuntiat. 1 Corinth. 11, 28: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat, et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* In Matth. c. 22, severissimè punitus legitur, qui sine veste nuptiali convivium ingressus est. Ibi verò adumbrari Eucharisticum convivium, et vestis nuptialis nomine gratiam sanctificantem intelligi concors est SS. Patrum et interpretum sententia. Suffragatur pariter constans Ecclesiæ totius Traditio, quæ certos nos reddit, ab altari olim semotos ac separatos fuisse, qui luctuosam propter crimina decurrebant pœnitentiam. Ita colligimus ex concilio Eliberitano can. 78, 79. Ancyrano can. 4, 5 et 7. Nicæno I, can. 1, Arausicano I, can. 3. Ex S. Justino apol. 2, pro Christ. Ex S. Cypriani epistolis 9, 14, 15, 16, et ex tractatu de lapsis. In nonâ enim epistolâ vehementer conqueritur: *Quod lapsis nondùm pœnitentiâ actâ, nondùm exomologesi factâ, nondùm manu ab Episcopo, et clero impositâ Eucharistia à nonnullis detur, quùm scriptum sit, qui ederit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini*, etc. Postquàm igitur Lutherus docere præsumpsit 1° effectum primarium Eucharistiæ esse remissionem peccatorum mortalium (verba Lutheri refert Bellarmi-

men minimè prohibuit, sed determinationi Ecclesiæ, sicut multa alia reliquit. Si ergo David, 2 Regum, c. 6, quamvis ad id nullo Dei præcepto urgeretur, Arcam fœderis maximâ solemnitate, ingentique apparatu de domo Obededom in urbem Jerosolymitanam transtulit, quantò magis Ecclesia piè ac laudabiliter agit, sacratissimum Christi corpus maximâ pompâ circumferendo, quùm ipsa sana ratio dictet, Deum omni possibili honoris significatione adorandum esse. Quare desinant tandem aliquando Protestantes subsannantis Michol vestigiis insistere, et pietati Ecclesiæ atrocissimum idololatriæ crimen imponere. Vid. Sardagna tom. 7, pag. 273.

Puta, putaque calumnia Daillæi est, duas adorationes poni à Tridentino, alteram nempe Christi, alteram sacramenti; quando enim affirmat concilium loc. cit. sacramentum cultu latriæ adorandum esse, Christus ipse sub symbolis contentus intelligitur. Falsissimè quoque præfatus hostis imponit catholicis in apolog. cap. 9, quod adorent etiam species sacramentales, seu symbola Eucharistiæ: nôrunt quippe omnes catholici, symbola, sive species sacramentales secundùm se capaces non esse ullius cultûs et honoris, quia sunt meræ apparentiæ. Nec ullus unquàm catholicorum doctorum finxit aut somniavit duplicem illam adorationem in sensu Daillæi relatam. Vide plura apud Veronium c. 2, § 13. Quis ergo vel deviorum ferat ministros, doctrinam falsam catholicis imponentes, et eâ impostură scissionem foventes tam noxiam Ecclesiæ, saluti animarum, et imperio? Cæterùm, si credere Christum esse præsentem in Eucharistiâ, non habet venenum, neque præjudicet saluti, uti Daillæus in favorem Protestantium statuit, non video, quomodò si Christum in Eucharistiâ præsentem adoremus, possit habere venenum, et saluti adorantis præjudicium inferre. Nonne potiori jure sequeretur, nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse, qui dictam refugit adorationem præsenti Deo exhibere?

nus l. 4, de Euchar. c. 17); 2° non requiri ad præparationem communionis, ut quis non sit sibi conscius peccati mortalis; imò quo plurium et graviorum sibi conscius sit, eo aptiorem esse Eucharistiam; 3° ad præparationem Eucharistiæ non requiri, ut quis per confessionem et pœnitentiam à peccatis justificetur, sed satis esse fidem, quâ certò credat, sibi in eo sacramento omnia peccata esse remittenda; meritò sanè, ac necessariò conc. Trid. horrendam hanc, fideique tantopere contrariam doctrinam damnavit sess. 13, can. 5: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex eâ non alios effectus provenire.* Et can. 11: *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum SS. Eucharistiæ Sacramentum; anathema it* (1).

§ 221.

VIII. *Conficiendæ, seu consecrandæ Eucharistiæ potestas et ministerium ita solis sacerdotibus convenit, ut nulli alteri qui sacerdos non est, in quâcumque necessitate committi possit.*

Christus enim in institutione Eucharistiæ ad solos Apostolos, eorumque in munere sacerdotali successores, postquàm panem et vinum consecravit, dixit Luc. 22: *Hoc facite in meam commemorationem.* Profectò si Apostoli in hoc casu non solos sacerdotes, sed christianos omnes repræsentabant, sequeretur fideles omnes non solùm posse, sed etiam debere, et quidem extra casum necessitatis, Eucharistiam conficere, quod tamen ipsi Lutherani negant; nam in illis verbis Christus non solùm potestatem contulit, sed etiam præceptum dedit consecrandi: ergo si singuli possent, etiam deberent, quod tamen repugnat Apostolo scribenti ad Hebr. 5: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron.* Item 1 Corinth. 4: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* Præterea nul-

(1) Nota 1°: Salvâ quidem fide defenditur à quibusdam Scholasticis, peccatum mortale saltem indirectè, et per accidens hoc sacramento remitti. Sed hæc sententia mera opinio est, et contrarium cum Scripturâ, conciliis, et Patribus longè magis concordat. « Constat, inquit Catechismus romanus part. 2, « de Euchar. Sacr. num. 51, quemadmodùm mortuis « corporibus naturale alimentum nihil prodest, ita « etiam animæ, quæ spiritu non vivit, sacra mysteria « non prodesse.... Quoniam prima gratia omnes præ« ditos esse oportet, antequàm S. Eucharistiam ore « contingere audeant. » Cæterùm effectus hujus sacramenti describit conc. Florent. in decreto unionis, et Trid. l. c. cap. 2. Vid. § 213.

Nota 2°: Errant qui putant merum consilium esse, non strictum præceptum, quamprimùm confitendi, si necessitate urgente sacerdos conscius sibi peccati mortalis, quod Deus avertat! absque prævià confessione celebraverit. Legant cap. 7, conc. Trid. sess. cit. et audiant verba, quæ adduntur ibi in can. 11. « Ne tan« tum sacramentum indignè, atque ideò in mortem « et condemnationem sumatur, statuit ac declarat « ipsa S. synodus, illis quos conscientia peccati mor« talis gravat, quantumcumque contritos se existi« ment, habita copia confessoris necessariò præmit« tendam esse confessionem sacramentalem. Si quis « autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaci« ter asserere, seu disputando defendere præsump« serit, eo ipso excommunicatus existat. »

lum exemplum proferri potest, quod unquàm etiam in casu necessitatis permissum fuerit aliis, quàm sacerdotibus consecrare. Hanc fuisse perpetuam Ecclesiæ fidem, docent Patres et concilia. Sic Arelatense I, Ancyranum, et Laodicenum prohibent Diaconis *offerre*, per quod intelligunt *consecrare*. Nicænum I can. 18, statuit de diaconis : « Nec regula, nec consuetudo « tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offe- « rendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant. » Conc. Lateran. IV. « Hoc itaque Sacramentum nemo « potest conficere, nisi Sacerdos, qui ritè fuerit ordi- « natus. » Et conc. Trid. sess. 22, can. 2, definit : « Si quis dixerit illis verbis : *Hoc facite in meam com-* « *memorationem :* Christum non instituisse Apostolos « sacerdotes, aut non ordinàsse, ut ipsi, aliique sa- « cerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum; ana- « thema sit. »

Caput V.

Dogmata de Sacrificio Missæ.

§ 222.

Quoniam priori Testamento teste apostolo Paulo propter levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, Hebr. 7, 11, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundùm ordinem Melchisedech surgere Dominum nostrum Jesum Christum qui..... in cœnâ novissimâ, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut natura hominum exigit, relinqueret sacrificium quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque in finem usque seculi permaneret;..... sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub eorum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit; et eisdem, eorumque successoribus in sacerdotio, ut offerrent, præcepit per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem;* uti semper catholica Ecclesia intellexit, et docuit. conc. Trid. sess. 22 cap. 1.

§ 223.

I. *In Missâ offertur Deo verum et proprium sacrificium.* Veritatem istam revelatam credimus per vaticinia prophetarum, per sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, per figuram agni paschalis, per verba institutionis Eucharistiæ; per usum et praxin Apostolorum; per constantem atque perpetuam traditionem, ob quam ipsemet Lutherus evidentiâ rei coactus fuit fateri totam antiquitatem sibi adversari. Hinc lib. de Captiv. Babyl., scribit : « Missa cre- « ditur passim esse sacrificium, quod offertur Deo. « Accedunt his dicta Patrum, tot exempla, tantus usus « per orbem constanter observatus..... Nec moveat, « quod totus orbis contrarium et sensum, et usum ha- « beat..... Si nihil habetur, quod dicatur, tutius est « omnia negare, quam Missam sacrificium esse con- « cedere. Hic non moramur, ait iterùm in lib. de Missâ « privatâ, si clamitent papistæ usque ad ravim : Ec- « clesia, Ecclesia; Patres, Patres, quia, ut dixi, nomi- « num dicta, aut facta nihil in tam magnis causis cu- « ramus; scimus enim Prophetas lapsos esse adeòque « etiam Apostolos. Verbo Christi judicamus Eccle- « siam, Apostolos, atque ipsos angelos. » Vah horrendam blasphemiam! sed quid mirum? si Lutherus, prout ipsemet fatetur, magistrum dæmonem, mendacem spiritum habuit. Lib. enim de Miss. priv. an. 1530 scribere non erubuit : « Tandem sibi à dæmone « suggestum, et persuasum fuisse, missæ sacrificium « abrogandum esse. » Contra hunc igitur, aliosque adversarios omni energiâ catholicorum dogmatum vindices ex utriusque Testamenti paginis demonstrant, existere in novo fœdere aliquod sacrificium, idque aliud non esse, quàm Missæ sacrificium. Nobis, qui dogmata, solùm indicandi, non demonstrandi negotium suscepimus, sufficiat hìc, sensum Ecclesiæ declarare, quem in suis Œcumenicis conciliis manifestavit. Decretum Nicæni I. Vide § 221; conc. Ephesinum in explicatione anathematismi II, ait : *Sanctum, ac vivificum, incruentumque in Ecclesiis peragimus sacrificium.* etc. Nec minus apertè suffragatur synodus Chalcedonensis generalis occasione avaritiæ Dioscori docens : Eucharistiam esse incruentum corporis, et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sacrificium, et reverà æterno Patri offerri. Lateran. IV : « Una est « fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus om- « ninò salvatur, in quâ idem ipse sacerdos, et sacrifi- « cium Jesus Christus, cujus corpus, et sanguis in « sacramento altaris sub speciebus panis et vini vera- « citer continentur. » Tridentinum sess. 22, can. 1 « Si quis dixerit, in Missâ non offerri Deo verum et « proprium sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, « quàm nobis Christum ad manducandum dari;..... « Can. 2. Si quis dixerit, illis verbis : *Hoc facite in* « *meam commemorationem*, Christum non instituisse « Apostolos sacerdotes, aut non ordinàsse, ut ipsi alii- « que sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem « suum;..... Can. 4. Si quis dixerit, blasphemiam ir- « rogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto « per Missæ sacrificium; aut illi per hoc derogari; « anathema sit. »

§ 224.

II. *Sacrificium Missæ non in solâ reponi debet mortis Christi commemoratione ac repræsentatione; sed sicut reipsà creditur latreutricum et eucharisticum, ita etiam verè est propitiatorium pro vivis et defunctis.*

Fidem hanc adstruunt ipsa verba institutionis Eucharistiæ. Luc. 22, 19 : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Et v. 20 : *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* (juxta textum græcum) *funditur.* Matth. 26, 28 : *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur,* (græcè) *effunditur in remissionem peccatorum.* « Ergo in cœnâ ultimâ dabat « Christus corpus suum, et frangebat, dabat, et effun- « debat sanguinem suum, et quidem non solùm dando « corpus Apostolis comedendum, et sanguinem biben- « dum, sed dando illud, fundendo istum *pro ipsis, et* « *pro multis, et hoc in remissionem peccatorum.* Non

« enim dicitur : Vobis datur, vobis frangitur, vobis ef-
« funditur, sed pro vobis datur, pro vobis frangitur,
« pro vobis effunditur. Jam verò, ait clariss. Wiest,
« tom. 5, § 273, corpus suum pro ipsis dare, fundere
« sanguinem pro ipsis, et pro multis in remissionem
« peccatorum, quid aliud est, quàm corpus et san-
« guinem suum pro eorum, ac multorum salute of-
« ferre? » Quùm porrò Christus in ultimâ cœnâ insti-
tuens sacramentum Eucharistiæ se incruentè Deo Patri
sacrificavit sub speciebus panis et vini in remissio-
nem peccatorum; et in arâ crucis semetipsum cruen-
tum æterno Patri obtulit sacrificium pro peccatis
nostris, § 162; hinc planè non video, nec capio, quâ
ratione adversarii negare queant, Missæ sacrificium
esse verè propitiatorium; quod enim in ultimâ cœnâ
factum est, hodiedùm quoque in Missâ peragitur, præ-
cipiente Domino : *Hoc facite in meam commemoratio-
nem.* Fidem hanc confirmat et ipse Apostolus ad Hebr.
5, v. 1 : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro
hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut of-
ferat dona, et sacrificia pro peccatis.* Quùm igitur in
lege novâ unicum detur sacrificium Missæ, hoc ipso
illud verè propitiatorium creditur; ipsi namque nova-
tores sacrificio cruento remissionem adscribunt : ergo
eamdem pariter sacrificio incruento in ultimâ cœnâ
oblato, et in Missâ offerendo tribuere debent; eò quòd
utrobique juxta citata institutionis verba sit idem sa-
crificium; idem offerens, una eademque hostia, solâ
offerendi ratione diversa. Jure ac meritò proin con-
cludit conc. Trid. sess. 22, cap. 2 : « Quoniam in di-
« vino hoc sacrificio, quod in Missâ peragitur, idem
« ille Christus continetur, et incruentè immolatur, qui
« in arâ crucis semetipsum obtulit, docet sacro-
« sancta synodus sacrificium istud verè propitiato-
« rium esse. »

I. *Pro vivis ;* ut patet ex sacrificiis et hostiis in ve-
teri Testamento oblatis, quæ fuerunt umbra et figura
hujus sacrificii. Sic David rex, 2 Regum cap. ult., ob-
tulit pacifica pro avertendâ peste, et impetravit.
2 Machab. c. 3, Onias pro salute Heliodori sacrificium
obtulit. 1 Esdræ c. 6, Judæi pro salute Darii Persa-
rum regis. Confer quoque cap. 4 Levitici. Jam verò
sacrificium Missæ multò expressiùs repræsentat sacri-
ficium crucis, quàm vetera illa sacrificia : ergo etiam
multò magis est propitiatorium; quemadmodùm con-
stans et perpetua traditio docet.

II. *Pro defunctis.* Nam præter exemplum quod
Scriptura exhibet, 2 Machab. c. 12, ubi Judas Macha-
bæus sacrificium Jerosolymis offerri jussit pro pec-
catis mortuorum, idipsum universalis traditio Patrum
attestatur, et ex perenni usu Ecclesiæ confirmatur.
Sic Tertullianus, lib. de coronâ mil. c. 3, loquitur de
hâc re tanquàm de antiquâ consuetudine : *Oblationes
pro defunctis annuâ die facimus.* S. Cyprianus, ep. 66 :
*Episcopi antecessores nostri censuerunt, ne quis frater
excedens ad tutelam clericum nominaret, ac si quis hoc
fecisset, non offeratur pro eo, nec sacrificium pro dor-
mitione ejus celebretur.* S. Epiphanius, lib. Anacepha-
leosis inter Aerii errores refert etiam hunc : *Docet non
oportere offerre pro iis qui dormierunt,* quem errorem ipso
teste hæres. 75, Ecclesia proscripsit. S. Cyrillus Je-
rosol. catech. 5 : *Maximum credimus juvamen anima-
rum, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, ac
tremendi sacrificii, quod in altari positum est.* S. Chry-
sost. hom. 69 ad pop. antioch. : *Num temerè hæc ab
Apostolis sancita fuêre, ut in tremendis mysteriis defun-
ctorum agatur commemoratio?* S. Ambrosius de obitu
sororis, ep. 8 ad Faustinum : *Non tam deplorandam
quàm prosequendam orationibus reor, nec mœstifican-
dam lacrymis tuis : sed oblationibus animam ejus Do-
mino commendandam.* S. Augustinus, lib. 9 de curâ
pro mortuis : *In Machabæorum libris legimus, ob-
latum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquàm in
Scripturis legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ,
quæ in hâc consuetudine claret, auctoritas.* Et lib. 9
Confess. de suâ matre Monicâ ait : *Oblatum est pro eâ
sacrificium pretii nostri,* etc. Hâc igitur innixa tradi-
tione synodus Trid. sess. cit. can. 3, definivit : « Si
« quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis,
« et gratiarum actionis, non autem propitiatorium, vel
« soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis
« pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis neces-
« sitatibus offerri debere; anathema sit. » (1)

(1) Non est de fide juxta Veronium c. 2, § 14, quòd sacrificium Missæ eo modo sit propitiatorium, sicut sacrificium crucis : nam istud fuit meritorium redemptionis, seu remissionis peccatorum, et gratiarum omnium, quæ nobis conferuntur, et omne meritum Christi fuit in eo consummatum; illud verò esse voluit Christus veluti medium, seu instrumentum, quo meritum passionis suæ nobis applicaretur, sicut applicatur per sacramenta, per fidem, et per bona opera, modo tamen longè excellentiori, eò quòd offeratur in Missâ; imò scipsum offerat sacerdotum ministerio, æterno suo Patri ille, *qui est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro to-
tius mundi,* 1 Joan. 2; vide Holdenum, lib. 2, cap. 4, § 4. Secundò, non est de fide, an effectus hujus sacrificii aliter conferantur, quàm per impetrationem, adeòque non nisi *per impetrationem, et mediatè* sit propitiatorium, prout docet ibidem Vasquez, et probat hoc sacrificium non habere ad instar sacramenti pœnitentiæ scilicet immediatè vim remittendi peccata, vel conferendi gratiam, vel justificationis augmentum; sed tantùm mediatè, seu vim impetrandi gratiæ auxilium, quo et à peccatis justificari, et in justificatione suâ homo crescere possit. Hoc modo scilicet per impetrationem sunt propitiatoriæ fides, oratio, pœnitentia, etc.; sed istæ ex pietate operantis, illud virtute rei oblatæ, seu justificationis Christi. Quid facilius creditu tali propitiatione? Et quæ ibi derogatio propitiationi sacrificii crucis? Tertiò, non est de fide, virtute hujus sacrificii semper certâ lege obtineri auxilium gratiæ ad justificationem, et bona temporalia, aut remissionem pœnæ temporalis in viventibus. Pendent ista magnâ ex parte ex cujuscumque dispositione, prout experimento compertum habetur. 4° Non est de fide, sacrificium Missæ pro defunctis operari infallibiliter remissionem pœnæ; sed illis solùm ad hunc effectum valere per modum suffragii : vocant autem per modum suffragii, quod solum prosit, prout Deo placuerit illud acceptare, neque certâ lege statuerit, propter illud defunctorum pœnas remittere. 5° Longè quoque abest à fide, valorem hujus sacrificii esse infinitum. Cæterùm communi loquendi formula dicitur Missæ sacrificium in se spectatum valoris infiniti, quùm ex naturâ suâ sit unum, idemque sacrificium cum sacrificio crucis. Spectatum

§ 225.

III. *Missæ, quas Acatholici privatas vocant, legitimæ omninò sunt, ac licitæ, adeòque neutiquàm abrogandæ.* Dogma enim fidei est, in Missâ verum et proprium sacrificium Deo offerri, § 223. At verò Missæ, in quibus solus sacerdos communicat veram habent rationem sacrificii, verumque sunt corporis et sanguinis Domini sacrificium, sub panis et vini speciebus oblatum; quùm sit oblatio externa soli Deo facta in recognitionem supremi ejus dominii, à legitimo ministro ritu mystico consecrata, atque eodem modo offeratur, quo modo Christus summus sacerdos offerendum constituit; adeòque quoad naturam sacrificii nulla omninò est differentia inter Missam solemnem et privatam. Imò, si strictè et propriè loqui velimus, nulla Missa privata denominari potest, ac debet, quia unaquæque communis et publica est; nam 1° Missa semper offertur in gratiarum actionem pro morte Christi, et redemptione per ipsum factâ, quæ sanè publicum beneficium dicitur. 2° Pro omnibus fidelibus ad corpus Christi pertinentibus celebratur. 3° Offertur à ministro Ecclesiæ, qui nimirùm auctoritate publicâ fungitur, et ex solemni Christi institutione ad sacra mysteria peragenda est deputatus. Hinc confidenter quærimus, et adversarios provocamus, ut dicant nobis, ubinam Scriptura, ubinam Patres, ubinam antiquitas præcipiat, ut sacerdotes publicè tantùm offerant sacrificium, et à celebrando abstineant, quando nullus laicorum sumit Eucharistiam? ubinam declaratur, quod ad essentiam sacrificii requiratur, ut populus intersit; ut fiat particeps hostiæ, quæ Deo in recognitionem supremi ejus dominii offertur; quâ recolitur passio, et petuntur auxilia, quibus Ecclesia indiget? Nonne Apostolus jussit, ut probet seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat? Nonne ipsemet Christus corpus et sanguinem suum solis Apostolis, quos sacerdotes ordinavit, in privatâ domo distribuit? Nonne antiquissimus, et perpetuus Ecclesiæ usus luculenter contrarium ostendit? « Tempore per« secutionum, scribit doctiss. Drouwenius de Missis « priv., fugatis undique, et dispersis fidelibus, sacer« dotes, ut poterant, et ferebat iniquitas temporum, « privatim in domibus et tuguriis sacrificium per« agebant » In ipsis quoque secretioribus carcerum recessibus oblatam fuisse Eucharistiam constat ex ep. 5 S. Cypriani ad presbyteros et diaconos; imò jam Tertullianus affirmat lib. de Fugâ in persec. c. 14, licitum esse noctu, et privatim sacrificium offerre. S. Greg. Naz. orat. 19 de obitu Patris sui S. Gregorii senioris testatur, eum in cubiculo suo sacris operatum fuisse, et in ultimâ infirmitate etiam in lecto. S. Ambrosius lib. de Sacram. c. 4, ita tepidos alloquitur christianos : *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodùm Græci in Oriente facere consueverunt?* etc. Conc. Agathense anno 506, can. 2, præcipit laicis, ut die dominico Missam audiant : Eucharistiam verò sumere non jubet, nisi diebus Nativitatis Domini, Paschatis, etc. Pentecostes. Conc. Nannetense, cap. 30, vult ut presbyteri soli non celebrent, sed habeant saltem unum respondentem. Toletanum XII, cap. 5, graviter reprehendit quosdam sacerdotes qui sacrificium offerentes non communicabant : *Quale erit,* ait ibidem, *illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participâsse dignoscitur?* ergo conc. nil aliud requirit, nisi ut sacerdos ipse communicet. Quis igitur improbet judicium Patrum Tridentinorum, quùm sess. 22, can. 8, Protestantium doctrinam proscripserunt : « Si quis dixerit Missas, in quibus so« lus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas « esse, adeòque abrogandas;».... et sess. 13, can. 10 : « Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti sé« ipsum communicare; anathema sit » (1).

CAPUT VI.

Dogmata de sacramento Pœnitentiæ.

§ 226.

I. *Cum Ecclesiâ catholicâ profitemur, pœnitentiam esse verum ac propriè dictum Sacramentum, prorsùs à baptismo distinctum.*

Fidei hæc doctrina, seculo XVI, quandò primitùs Lutherani, Zwingliani, et Calviniani Ecclesiæ bellum cruentissimum intulerunt, res erat per omnes occidentis et orientis provincias communi consensione re-

(1) Nota 1° : Contra Missæ canonem tam inverecundè Lutherus in libro de Abominatione canonis invehitur, ut vix sustinere possint aures christianæ; ait enim, « homines audito nomine canonis signare se cruce de« bere et fugere, ac si diabolus illis occurrisset. » Nec minùs intemperanter sugillat, et carpit varias canonis orationes Chemnitius. Quare Ecclesia pro officii sui debito, et potestate in iis sibi concessâ, quæ spectant ad ordinem salutis, leges à se latas contra quoscumque obnitentes semper protegens, jure, ac meritò eos Acatholicos in conc. Trid. sess. 22, can. 6, anathemate percussit, qui dicunt « Missæ canonem errores « continere, et ideò abrogandum esse. » Id equidem ingenuè fatemur, quòd canon eâ formâ, quâ nunc exstat, integer ab ipso Ecclesiæ initio non exstiterit, cui identidem summi Pontifices nonnihil addiderunt; quâ de causâ, quùm multa in canone contenta ex verbo Dei revelato non descendant, fidem divinam eo ipso non præ sese ferunt, et ad dogmata fidei non pertinent. Ipsum namque Trid. cit. sess. cap. 4, ait : *Ecclesia catholica — — sacrum canonem multis ante seculis instituit.*

Not. 2° : Similiter canones 7 et 9 ejusdem sessionis lege tantùm ecclesiasticâ constituta sunt; unde etiam ad præcepta solùm ecclesiastica referuntur : 1° Cæremoniæ, vel vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica ex suâ institutione utitur. 2° Ritus Ecclesiæ Romanæ, quo submissâ voce pars canonis, et verba consecratoinis proferri jubentur. 3° Prohibitio celebrandi Missam linguâ vulgari, et proscripta assertio eorum qui contendunt Missam linguâ tantùm vulgari celebrari debere; sub quâ tamen proscriptionis pœnâ, si me veritas amet, non comprehenduntur, qui optant solùm, aut consultius fore arbitrantur, ut Missa celebretur, aliique ritus, v. g., in administratione quorumdam sacramentorum, linguâ vulgari perficiantur. 4° Denique præceptum aquam vino miscendi in calice offerendo singula etenim notâ et charactere revelationis carent,

verò secundùm effectum, seu efficaciam respectu hominum est valoris finiti, quia dependet à voluntate Dei, et dispositione hominis. 6° Nec est de fide, ad essentiam hujus sacrificii pertinere plures actiones, quàm solam consecrationem. Confer cit. Veronium.

cepta, omnium seculorum antecedentium persuasione confirmata ; imò ab ipsis Apostolis, et à Christo Apostolorum Doctore accepta et tradita, qui nempe ad Apostolos eorumque successores dixit Joan. 20, 22 : *Accipite Spiritum S.; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt ;* vide quoque Matth. c. 16, 19, et c. 18, ŷ . 18. Synodus proin Tridentina contra præfatos novatores verbi tam scripti, quàm traditi copiosissimâ auctoritate suffulta, definivit, sess. 14, can. 1 : « Si quis dixerit, in catholicâ « Ecclesiâ pœnitentiam non esse verè ac propriè sa- « cramentum pro fidelibus, quoties post baptismum « in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Chri- « sto Domino institutum ; » ..... can. 2 : « Si quis « sacramenta confundens, ipsum baptismum pœni- « tentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo « sacramenta distincta non sint ; atque idcò pœniten- « tiam non rectè secundam post naufragium tabulam « appellari ; » ..... can. 3 : « Si quis dixerit verba « illa Domini Salvatoris : *Accipite Spiritum san- « ctum*, etc., non esse intelligenda de potestate remit- « tendi et retinendi peccata in sacramento pœniten- « tiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intelle- « xit ; detorserit autem contra institutionem hujus « sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium; « anathema sit. »

§ 227.

II. *Christus Ecclesiæ suæ concessit potestatem dimittendi quodvis peccatum, ita ut nullum sit in hâc vitâ crimen irremissibile.*

Constat hoc dogma ex variis Scripturæ testimoniis, 1 Matth. 16, ŷ 19. Christus ait Petro : *Tibi dabo claves regni cœlorum ; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Sub metaphorâ clavium, remittendi et retinendi peccata, aperiendi, vel claudendi cœlum, potestas promittitur Petro, et in ejus personâ toti Ecclesiæ. Ita locum hunc præter innumeros alios, quos laudat Launoius, lib. 7 Epistolarum, ep. 11 ad Formentinum, intelligit Tertullianus in Scorpiaco, c. 10 : *Si adhuc,* inquit, *clausum putas cœlum, memento, claves ejus hîc Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse.* Eamdem potestatem omnibus Apostolis distinctè promittit, et tradit Christus Matth. 18, ŷ 18 : *Amen dico vobis, quæcumque allegaveritis,* etc. Quo testimonio olim usi sunt Patres Africani in epist. synod. inter epistolas S. Cypriani 54, ut decernerent, nulli lapso pœnitentiam agenti, pacem et communionem denegandam esse. II. Concessâ sibi à Christo dimittendi peccata auctoritate usi sunt Apostoli, 2 Corinth. 2, ŷ 7. III. Accedunt alia utriusque Testamenti testimonia, Isaiæ 1, 16 ; Ezech. 18, 21 ; 2 ep. Petri c. 3, ŷ 9, etc. IV. Ex Patrum traditione. V. Ex communi Ecclesiarum conspiratione in proscribendo impio ac crudeli Montanistarum et Novatianorum dogmate, quod statim ac caput extulit, ubique pari zelo ac studio compressum fuit, v. gr., in conc. Carthag. anno 152, Romano, anno 255, aliisque synodis IV et V seculo celebratis, donec sacrilega factio penitùs extingueretur. VI. Ex recentioribus conciliis. Lateran. IV. cap. *Firmiter*, statuit : « Etsi post baptismi « susceptionem quisquam prolapsus fuerit in pecca- « tum, per veram pœnitentiam semper potest repa- « rari. » Et Trid. cit. can. 1, item sess. 6, can. 29. Ergo rectè, inquit S. Augustinus, lib. de Agon. Christi, c. 31 : *Nec eos audiamus qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere.*

§ 228.

III. *Ecclesia pariter à Christo potestatem accepit, dispositis in sacramento pœnitentiæ peccata verè et propriè remittendi, non verò declarandi tantùm, peccata esse remissa,* § præc. Unde sapienter docet conc. Trid. sess. 14, cap. 6 : « Quamvis autem absolutio sacerdotis « alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum « et nudum ministerium, vel annuntiandi Evange- « lium, vel declarandi remissa esse peccata ; sed ad « instar actûs judicialis, quo ab ipso velut à judice « sententia pronuntiatur ; » ideòque, can. 9, contra Acatholicos definit : « Si quis dixerit, absolutionem « sacramentalem sacerdotis non esse actum judicia- « lem, sed nudum ministerium pronuntiandi et de- « clarandi remissa esse peccata confitenti, modò tan- « tùm credat se esse absolutum ; ..... anathema « sit » (1).

§ 229.

IV. *Christus Ecclesiæ suæ non solùm potestatem remittendi, sed etiam retinendi peccata concessit,* §§ 226, 227. Veritatis hujus, et constantis Ecclesiæ fidei tot sunt invicta argumenta, quot extant librorum pœnitentialium sanctiones, quibus certus pœnitentiæ agen-

(1) Multi Scholæ theologi, ipso præcunte scholasticorum principe Magistro Sententiarum, docuêre sacerdotalem absolutionem declarativam esse duntaxat peccati à Deo jam dimissi. Immeritò tamen novatores hâc scholasticorum opinione, quasi errori suo consona foret, gloriantur ; à quo multùm sanè discrepat. Novatores quippè idcircò docent absolutionem nudum esse ministerium declarandi peccata esse dimissa, quia illis nec pœnitentia verum est sacramentum, nec confessio peccatorum necessaria, nec absolutio actus judicii, qui coram Deo animam à peccatis mundet ; sed ad unum pœnitentis solatium, et cæterorum exemplum inservit : ipsa denique solvendi et ligandi potestas à Christo Ecclesiæ concessa apud novatores posita est solummodò vel in prædicatione Evangelii, vel in imponendis, aut relaxandis pœnis exterioribus. At ab his erroribus longè absunt Scholæ doctores, qui omnes votis conspirantibus subscribunt prædictis veritatibus, quas novatores negant. Longè igitur dispari ac diversâ ratione ad hanc opinionem ducti sunt scholastici et novatores ; isti ex erroneo principio, illi ex certâ quâdam Scholæ opinione. Scilicet in eâ versabantur persuasione, contritionem ex charitate perfectâ necessariò prærequiri in pœnitente, ut à sacerdote validè possit absolvi ; ex quo sequitur pœnitentem jam justificatum esse per contritionem perfectam, quùm ad sacerdotem absolvendus accedit, adeòque non alias sacerdotis partes esse, quàm ut declaret, peccata esse à Deo remissa. Quùm verò ea Scholæ opinio, quæ charitatem perfectam prærequirit ad absolutionem, damnata non fuerit à conc. Trid., nec consequenter damnata censeri debet altera, quæ ex istâ nascitur, absolutionem scilicet declarativam esse remissionis peccatorum jam à Deo concessæ sensu exposito. Hæc et alia vide apud cl. Tournelium de Sacram. pœnit. quæst. 2, art. 2.

dæ modus, ratio, mensura, et tempus definitur pro diversâ peccatorum specie, gravitate, et dispositione pœnitentium, antequàm fuerint plenè reconciliati. Ita patet ex conc. Ancyrano, anno 314, Nicæno I, Carthag. III et IV; necnon ex SS Patribus. Unde conc. Trid. sess. 14, can. 15, statuit : « Si quis dixerit, cla- « ves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non « etiam ad ligandum; et propterea sacerdotes, dùm « imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem « clavium, et contra institutionem Christi; ..... ana- « thema sit » (1).

§ 230.

V. *Soli episcopi, et sacerdotes habent à Christo traditam absolvendi à peccatis auctoritatem.* Illi enim soli legitimi hujus sacramenti sunt ministri, quibus solis ligandi, solvendique potestas, et remittendi, aut retinendi peccata, divinitùs est concessa; atqui solis Apostolis, eorumque legitimis in sacerdotio successoribus, quos in Apostolorum personâ alloquebatur, potestatem hanc attribuit Salvator, § 92. Dein dogma istud universim in divinis et apostolicis traditionibus continetur; unde S. Ambrosius, lib. 1, de Pœnit. potestatem remittendi peccata expendens, inquit : *Hoc jure vindicat Ecclesia, quæ veros sacerdotes habet : hæresis vindicare non potest, quia sacerdotes Dei non potest, etc.* Quàm primùm igitur Joannes Wicleffus post Waldenses temerario planè ausu laicis clavium potestatem adjudicare sine omni fundamento præ-

(1) Nota 1° : Ex dicto jure retinendi peccata, atque ex antiquâ Ecclesiæ disciplinâ circa ministerium sacramenti pœnitentiæ non obscurè derivantur quorumdam criminum, sive casuum reservationes ab episcopis hodiè fieri solitæ. Sicuti enim antiquis temporibus episcopi tanquàm primi disciplinæ pœnitentialis ministri tempus et modum pœnitentiæ canonicæ moderabantur, rigorem (ad quem non sine horrore respicimus, cujusque memoria apud omnes confessarios in perpetuâ recordatione sit, oportet), crescente fidelium numero, et frigescente charitate mitigabant, ne tam rigidum pœnitendi exercitium absterreret, eisque pro galeâ salutis laqueum desperationis injicerent, et pœnitentes aut absoluto, aut abbreviato satisfactionis curriculo Ecclesiæ reconciliabant; ita etiam hodiernæ reservationes episcoporum, quæ non nisi umbra, seu exigua pristinæ disciplinæ particula sunt, ad meram disciplinam ecclesiasticam spectant; quamvis, ut dictum, reservandi potestas in jure divino fundata sit : quemadmodùm id indigitat conc. Trid. sess. cit. can. 2 : « Si quis dixerit, episcopos « non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad « externam politiam; atque ideò casuum reservatio- « nem non prohibere, quominùs sacerdos à reservatis « verè absolvat; anathema sit. »

Nota 2° : Præterire hìc non possum judicium Doctiss. Caroli Witasse de veteri, et modernâ pœnitentiæ disciplinâ : « O gravem, et castam tunc Ecclesiæ disci- « plinam! Quàm hæc digna Dei læsi majestate, quàm « religioni christianæ consentanea! Quis criminum « pondus non sentiebat, quis ea non cavebat in futu- « rum? Nunc ut peccare ludus est, sic et pœnitere et « confiteri; quotusquisque enim est, qui, si lacrymu- « lam fundat, præclarè se gravissima quæque scelera « redemisse non existimet? Quis non conqueritur, si « vel per aliquot dies, omnibus licet flagitiis cooper- « tus, à tremendis mysteriis arceatur? Quis non ægrè « fert, si aliquantulùm gravior pœnitentia imponatur? « adeò à majorum fervore degeneravimus! »

sumpsit, statim in conc. Constantiensi ejusdem doctrina damnata fuit. Postea etiam Trid. sess. cit. can. 10, contra Lutherum definivit : « Si quis dixerit, sa- « cerdotes, qui in peccato mortali existunt, potesta- « tem ligandi et solvendi non habere; aut non solos « sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omni- « bus, et singulis fidelibus esse dictum : *Quæcumque « ligaveritis, etc.; et quorum remiseritis peccata*, etc.... « anathema sit. »

§ 231.

VI. *Ad pœnitentiam à Christo in novâ lege institutam requiritur contritio, confessio, et satisfactio.* Pœnitentia etenim homini lapso jure divino, et necessitate, ut aiunt, medii est necessaria, quæ rectè describitur ut virtus, quâ homo movetur ad dolorem animi, ad odium et detestationem peccati, ad firmum melioris vitæ propositum, et ad sui vindictam in compensationem injuriæ Deo illatæ. *Agite plenam pœnitentiam*, ait S. Cyprianus, lib. de Lapsis, *doloris et lamentationis animi probate tristitiam.* S. Aug. in ep. ad Macedonium : *Nil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod malè fecerit, impunitum esse non sinat.* S. Greg. Magnus hom. 34, in Evang. : *Pœnitentia est, perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare.* S. Isidorus Hispal. de Offic. Eccl. c. 10 : *Pœnitentia nomen sumpsit à pœnâ quâ anima cruciatur, et corpus mortificatur.* Veritatem hanc palam ubique Scripturæ utriusque Testamenti annuntiant. Job cap. 42, 1, 6 : *Idcircò ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favillâ et cinere;* Psalmita, psal. 50 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies;* Isaias, 38, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ;* Joel. 2, 12 : *Convertimini ad me*, inquit Deus, *in toto corde vestro, ... scindite corda vestra, non vestimenta vestra;* Act. 2, 37 : *His auditis compuncti sunt corde;* 2 Corinth. 7, 10 : *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*, etc. Ex his apparet quòd pœnitentia sine contritione subsistere nequeat. De confessione et satisfactione paulò postea occurret mentio; interim audire sufficiat Tridentinum, quod, sess. cit. can. 4, statuit : « Si quis negaverit, ad in- « tegram et perfectam peccatorum remissionem re- « quiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sa- « cramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, con- « fessionem, et satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ « partes dicuntur; aut dixerit, duas tantùm esse « pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos con- « scientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex « Evangelio, vel absolutione, quâ credit quis sibi « remissa esse peccata per Christum »....; et can. « 13 : « Si quis dixerit ...., optimam pœnitentiam « esse tantùm novam vitam; anathema sit » (1).

(1) Nota 1° : Quamvis de fide sit, actus istos contritionem, confessionem et satisfactionem requiri in Sacramento pœnitentiæ; non tamen est dogma fidei, actus hos constituere materiam sacramenti, prout multis demonstrat card. Pallav. l. 12, hist. cap. 12.

Nota 2° : Longè à veritate exorbitavit Lutherus, quando pœnitentiam in solâ resipiscentiâ, animi mutatione, et vitæ novæ institutione collocandam effu-

§ 232.

VII. *Contritio concepta ex multitudinis, turpitudinis, et gravitatis peccati consideratione, ex gehennæ metu, et æternæ beatitudinis amissione, cum proposito melioris vitæ, est verus, utilis, ac voluntarius dolor, qui præparat ad gratiam, nec facit hominem hypocritam, et magis peccatorem.* Constat iterùm hæc veritas dogmatica ex Scripturis tum novi tum veteris Testamenti : Exodi 2, 10 : *Ut probaret vos venit Dominus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccetis;* Deuteronomii 6, 13 : *Dominum Deum timebis, et illi soli servies;* Prov. c. 14, 27 : *Timor Domini fons vitæ, ut declinet à ruinâ mortis,* etc.; Matth. 10, 28 : *Potius timete eum qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam;* Luc. 3 : *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ...., jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* His consentiunt Patres, et Trid. quod, sess. 6, can. 8, definit : « Si quis dixerit, gehen- « næ metum, per quem ad misericordiam Dei de pec- « catis dolendo confugimus, vel à peccato abstine- « mus, peccatum esse, aut peccatores pejores fa- « cere....; » et, sess. 14, can. 5 : « Si quis dixerit, « eam contritionem...., quâ quis recogitat annos suos « in amaritudine animæ suæ, ponderando peccato- « rum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, « amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ dam- « nationis incursum, cum proposito melioris vitæ, « non esse verum, et utilem dolorem, nec præparare « ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et ma- « gis peccatorem; demùm illam esse dolorem coa- « ctum, et non liberum, ac voluntarium; anathema « sit » (1).

§ 233.

VIII. *Confessio sacramentalis sacerdotibus facienda ab iis, qui post baptismum in peccatum aliquod grave lapsi fuerint, ex institutione Christi necessaria est.* Veritatem hanc dogmaticam primò probant testimonia Scripturarum ex Matth. 16 et 18, et Joan. 20, adducta superiùs, §§ 226, 227, ad veritatem sacramenti adstruendam. Ut quid enim verò dixit Christus : *Quæ ligaveritis, erunt ligata, quæ solveritis, erunt soluta;* nisi quia voluit, pro diversâ criminum conditione, ac qualitate, clavium dispensationem diversam esse debere? At consistere illa regula non posset, nisi teneretur quisque confessione spontaneâ, peccata sua sigillatim exponere sacerdoti. Nam ex quo sacerdotes potestatem acceperunt à Christo remittendi, aut retinendi peccata : sequitur eos constitutos esse judices, et medicos conscientiarum, eò quòd ipsum officium involvat in suo conceptu potestatem judicandi, seu ferendi sententiam juxta æquitatem. Atqui judicium nullum exercere possent, nullamque vulneribus animæ opportunam medicinam adhibere, nisi ipsis peccata aperiuntur; quia causæ notitiam sibi aliunde comparare nequeunt, nisi ex spontaneâ reorum confessione; unde doctiss. Alcuinus ep. 71, ita ratiocinatur : *Quid solvit sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati? cessabunt opera medici, si vulnera non ostendunt ægroti.* Et conc. Trid. sess. cit. cap. 5, ritè concludit : « Constat enim, sacerdotes judicium hoc « incognitâ causâ exercere non potuisse, neque æquita- « tem quidem illos in pœnis injungendis servare po- « tuisse, si in genere duntaxat, et non potiùs in specie, « ac sigillatim sua ipsi peccata declarâssent. » Istud concilii argumentum firmum, ac efficax fore non diffitetur Calvinus, si verum sit, sacerdotes à Christo judices fuisse institutos in tribunali pœnitentiæ : at id prorsùs negat, lib. 3, Instit. c. 4, § 18. Verùm non satis attendit Calvinus, eo ipso sacerdotes à Christo Domino judices institui, quo ipsis remittendi, vel retinèndi peccata, solvendi, vel ligandi auctoritatem concessit, § 230. Secundò, confirmatur hoc dogma ex illo Act. 19, 18 : *Multi credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos.* Frustra Lutherus *actus* interpretatur *miracula*. Nam 1° fideles ad confessionem illam adacti dicuntur timore incusso à dæmone in improbos exorcistas insiliente. 2° Syri legunt : *Delicta sua*, vel, ut habetur in Bibliis Waltonianis : *Offensas suas, confitebanturque quod fecerant.* Ita hunc locum accipiunt Chrysostomus, Basilius, æcumenius. Ipsi-

(1) Quamvis maximè famosæ, et quondam acerrimè inter theologos agitatæ quæstiones ad fidem non pertineant : nimirùm an contritio imperfecta, quæ attritio dicebatur, specie differat à contritione perfectâ? An omnem voluntatem peccandi penitùs excludat? An ad justificationem in sacramento obtinendam abs Dei amore sufficiat? vel utrùm præterea requiratur amor Dei saltem initialis? Adeò tamen modo apud theologos invaluit posterior, eaque verior sententia de cujusdam amoris divini necessitate, ut paucos hodiè invenire sit, qui adhucdùm fermè jam sopitæ attritionis formidolosæ patrocinium in se suscipiant. « Ducentesimus circiter annus est, scribit laud. « Drouwenius de re sacramentariâ l. 6, cap. 4, ex « quo lucem infeliciter vidit opinio affirmans, absque « ullo divini amoris motu, et ex solo gehennæ metu, « aut turpitudinis peccati intuitu, veram nasci attri- « tionem; quæ ad reconciliationem in sacramento « obtinendam sufficiat; atque adeò in comparatione « contrariæ meritò dicitur hesternum commentum. « Quùm enim ad decimum sextum usque seculum « vel penitùs fuisset incognita vel à paucissimis scri- « ptoribus obscurè insinuata : tantam deinceps non « ex divino eloquio, non ex Patrum sententiis, non « ex decretis conciliorum, sed ex hominum novitatis « amantium conspiratione arrogavit auctoritatem, ut « seculo decimo septimo scholas penè omnes, multis « licet contradicentibus, audacter pervaserit; eòque « demùm res perducta est, ut à quibusdam servilis at- « tritionis sufficientia tanquàm doctrina fidei sit as- « serta, et pro amoris divini necessitate pugnare, « medios inter Catholicos periculosa res fuerit. » Verùm hæc Drouwenii censura paulò nimis acerba videri debet christianæ charitatis studioso; utut constet, formidolistas haud levioris mensuræ malevolas censuras in adversarios vibrâsse.

met Calvinus, Chemnitius, et Centuriatores de confessione exponunt, licet generali tantùm, sed malè; nam syriacum vocabulum, quod à Schaha derivatur, distinctam enumerationem significat; et vox syriaca Sachluth nil nisi offensam denotat. Græcus quoque textus non tantùm ibidem habet : palam *denuntiare*; verùm etiam *confiteri*. Tertiò, jam in veteri Testamento juxta Leviticum sacerdotes mosaici judices erant constituti, ut inter lepram et lepram distinguerent : an ergo ipsis potestate inferiores sunt sacerdotes novi Testamenti? Quartò, ex præscriptione, et perpetuâ SS. Patrum traditione. Quintò, ex conciliis, de quibus varia antiquiora prætermitto, et brevitatis gratiâ solum Tridentinum adduco, quod sess. 14, can. 6, definit : « Si quis negaverit confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse « jure divino; aut dixerit, modum secretè confitendi « soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio « semper observavit et observat, alienum esse ab « instituto, et mandato Christi, et inventum esse humanum; » .... can. 7 : « Si quis dixerit, in sacramento « pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ et diligenti præmeditatione habetur, etiam occulta » .... can. 8 : « Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, « et traditionem humanam à piis abolendam; anathema sit » (1).

§ 234.

IX. *Post condonatam culpam, ac pœnam æternæ mortis, plerùmque adhuc pœna temporalis remanet exsolvenda;* unde falsum omninò, et à verbo Dei alienum inaudit, culpam à Deo nunquàm remitti, quin universa etiam pœna tam æterna, quàm temporalis condonetur. Docemur id 1° auctoritate Scripturarum. Peccavit protoparens Adamus, pœnitentiam egit, veniam à Deo obtinuit; et tamen ob illud inobedientiæ peccatum obnoxius fuit morti, et omnibus vitæ hujus miseriis, Gen. c. 3. Peccârunt Israelitæ post exitum de Ægypto tam sæpè in Deum rebelles, idoli manu facti cultores, murmuratione sacrilegâ, multisque aliis contaminati criminibus : Moses oravit, ut secundùm multitudinem misericordiæ suæ peccatum populi remitteret. Deus respondit Numer. 14 : *Dimisi juxta verbum tuum; attamen qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro quâ juravi patribus eorum.* 2 Regum. c. 12, Nathan ad David pœnitentem et clamantem : *Peccavi Domino;* ait : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Denique, ut multa alia exempla præteream, omnes homines, etiam illi, quibus peccatum originale remissum fuit in baptismo, in pœnam illius peccati sustinere debent miserias vitæ et mortis. 2° Argumentum colligitur ex iis testimoniis, quibus Deus postulat ut dignos fructus pœnitentiæ faciamus, § 231. 3° Ex usu et praxi Apostolorum, qui vel sibi, vel aliis dura imposuerunt opera pœnitentiæ. Ita S. Paulus 1 Corinth. 9, 27 : *Castigo*, inquit, *corpus meum, et in servitutem redigo, ne fortè, quùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et ad Coloss. 1, 24 : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Ecce non dicit Apostolus : *Ea quæ desunt passionum Christi in Christo,* nihil quippe deest ipsis, quùm sint infiniti pretii, sed *quæ desunt in carne meâ;* quia nempe, ut applicetur pretium passionum Christi, requiritur conformitas membrorum cum capite nostro, scilicet necesse est, ut dura et acerba quisque fidelium sustineat, suamque ferat crucem, si velit in se adimpleri, ac sibi applicari pretium meritorum Christi : *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, et sequatur me*, ait Christus, Matth. 16, 24. *Si tamen compatimur, ut et cum ipso conglorificemur*, Rom. 8, 17. Alterum quoque patet exemplo ejusdem Apostoli, qui 1 Corinth. 5, incestuosum Corinthium *tradidit Satanæ in interitum carnis*, (hoc est, juxta Origenem, in afflictionem corporis) *ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi.* 4° Idem comprobant Patres, constans et perpetua Ecclesiæ praxis, quæ omni tempore pœnitentibus opera pœnalia injunxit, et quidem olim pergravia. 5° Concilia antiqua, et Trid. sess. 14, can. 12 : « Si quis dixerit totam pœnam simul cum « culpâ remitti semper à Deo; » .... can. 15. « Et « fictionem esse, quòd virtute clavium, sublatâ pœnâ « æternâ, pœna temporalis plerùmque exsolvenda re- « maneat; » .... item sess. 6, can. 30 : « Si quis « post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ « pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc seculo, vel in « futuro in purgatorio, antequàm ad regna cœlorum « aditus patere possit; anathema sit. »

(1) Præter præceptum divinum extat quoque, quantùm ad determinationem temporis ecclesiasticum, vi cujus obligatur omnis utriusque sexûs fidelis, ut postquàm ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere ...., alioquin et vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, et moriens careat christianâ sepulturâ, Conc. Lateran. IV, can. 21, et Trid. cit. can. 8. Falsissimum igitur est, Nectarium Patriarcham Constantinopolitanum abrogando Pœnitentiarii publici munus, simul abrogâsse confessionem, aut Innocentium III, in conc. Lateran. IV, confessionem secretam instituisse. Quicumque verò pernegatæ confessionis sacramentalis vestigia in S. Chrysostomo Nectarii successore se putant invenisse, haud satis videntur attendere, quid tradat lib. 3 de Sacerdotio, atque alibi, tum de potestate sacerdotali, tum de confessionis necessitate. Comparat, lib. cit. aut anteponit potiùs leviticis sacerdotibus sacerdotes novi Testamenti quoniam isti *immunditiam animæ non purgatam probandi; sed prorsùs purgandi potestatem acceperunt.* Addit ibidem, non in baptismo solùm, verùm etiam post baptismum *sacerdotes peccata admissa condonare posse.* Hom. 12 de Cruce et Latrone inquit : *Peccata propria confiteri ne erubescamus.* Tom. 2. edit. Paris. 1738, hom. 3, pag. 42 : *Sicut æger medico, ita sacerdoti vulnus manifesta.* Hæc, et alia vide apud exim. Klupfelium, part. 2, pag. 437.

§ 235.

X. *Contra fidem agunt, qui satisfactionem pœnitentium in eâ solâ fide reponunt, quâ sibi perperàm imaginantur, Christum pro ipsis ita satisfecisse, ut propriâ satisfactione non indigeant.*

Deus enim vult, jubet et exigit opera satisfactoria in homine pœnitente præter Christi satisfactionem, § præc. Quare Conc. Trid. cit. can. 12, statuit : « Si « quis dixerit,.... satisfactionem pœnitentium non « esse aliam quàm fidem, quâ apprehendunt Chri- « stum pro eis satisfecisse ; anathema sit. »

§ 236.

XI. *Satisfactio Deo rependitur per Christi merita pro peccatis quoad pœnam temporalem : pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel à sacerdote injunctis, vel etiam sponte susceptis : ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis pietatis operibus.*

Neque verò ita est nostra satisfactio, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Jesum Christum. Nam qui ex nobis tanquàm ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus : ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est; in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur à Patre. Ita docet Trid. sess. cit. cap. 8 et 9. Dicitur præterea : *Pro peccatis quoad pœnam temporalem, pœnis à Deo inflictis.* Hoc patet ex § 234. II : *Vel à sacerdote injunctis;* datur enim sacerdotibus virtute clavium, Matth. 16 et 18, Joan. 20, potestas solvendi, et ligandi, remittendi, aut retinendi peccata : ligant autem, quùm excommunicationis, aut alterius pœnæ vinculum injiciunt, atque opera satisfactoria imponunt; quemadmodùm Ecclesia catholica semper intellexit, et perpetuo usu ac praxi confirmavit. III. *Vel etiam sponte susceptis : ut jejuniis*, etc. Docet hoc passim S. Scriptura, 2 Paralip. 7, v. 13 et seq. ; Jerem. 18, 8; Tobiæ 12, 8 : *Bona est oratio cum jejunio, et eleemosynâ magis quàm thesauros auri recondere : quoniam eleemosyna à morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam æternam ;* Dan. 4, 24 : *Quam ob rem, rex, tibi placeat consilium meum; peccata tua elemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum : forsitan ignoscet delictis tuis;* Jonæ 3, v. 4 et seq. de Ninivitis dicitur : *In Deum crediderunt, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis..... Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de viâ suâ malâ, et misertus est Deus super malitiam*, etc. Christus quoque, Matth. 16, 24 : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me.* His consonant Patres, v. g., Tertullianus, lib. de Pœnit. c. 8, scribens : *Delictum nostrum Domino confitemur, non quidem ut ignaro; sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur..... In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.* S. Cyprianus, lib. de Lapsis : *Dominus orandus est, Dominus nostrâ satisfactione placandus est*, etc. Meritò itaque Conc. Trid. hanc veritatem iisdem verbis, quibus dogma positum est, definivit, sess. 14, can. 13 et 14 : « Satisfactiones, quibus pœnitentes per Jesu m « Christum peccata redimunt, non sunt traditiones « hominum, sed verus Dei cultus : nec doctrinam de « gratiâ, nec verum Dei cultum, neque ipsum bene- « ficium mortis Christi obscurantes » (1).

Caput VII.

De Indulgentiis.

§ 237.

Duo sunt tantum dogmata, quæ hìc hominibus necessariò credenda sunt, scilicet.

I. *Potestatem esse in Ecclesiâ conferendi indulgentias divinitùs traditam, seu à Christo concessam.*

II. *Indulgentiarum usum Christiano populo esse utilem ac salutarem.*

Docemur id primò auctoritate Scripturarum, Matth. 18, v. 18 : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Nihil excipit Christus : non culpam quæ in sacramento ; non pœnam temporalem, quæ extra sacramentum dimittitur. Quùm porrò Christus dederit Ecclesiæ potestatem remittendi peccata, Joan. 20, 22; peccata autem dicant reatum culpæ, et pœnæ tum æternæ, tum temporalis : eo ipso Christus Ecclesiæ concessit potestatem remittendi culpam, et pœnam tam æternam quàm temporalem. II. Illâ potestate à Christo acceptâ semper vel ab initio usa est Ecclesia.

(1) Not. 1° : Non conturbet quemquam *satisfactionis* vocabulum ; quasi Christus plenè perfectèque pro peccatis nostris non fecisset satis, dùm nos *satisfacere* dicimur. Confitemur enim, solam mortem unigeniti Filii Dei satisfactionem esse, et propitiationem pro peccatis omnibus, sive eo quod ex Adamo trahimus, sive illis, quæ propriâ voluntate commisimus. Quamvis autem hâc Christi satisfactione culpa et pœna æterna deleatur, certum tamen est, Deum à pœnitentibus ob graviora crimina requirere lacrymas, jejunia, preces et eleemosynas, atque alia animi verè pœnitentis indicia, quæ dùm facimus, Deo satisfacere dicimur pro peccato, non quòd pretium offeramus, diluendis peccatis dignum, aut sufficiens, sed quòd officia illa præstemus, quæ Deus à peccatore, cui Filii sui satisfactionem applicare vult, requirit. Desinent, opinor, Protestantes doctrinam catholicorum de satisfactione reprehendere, si ista sopositis parùmper præjudiciis, velint ponderare. Hucusque laud. sæpè Klupfelius, part. 2 Theol. lib. 3, pag. 447.

Not. 2° : Non est de fide : 1°, satisfactiones has esse vel de congruo, vel de condigno. 2° Non est de fide, an satisfactiones istæ valeant ex solâ dignitate, an ex promissione, an ex utroque. An verò ex justitiæ rigore, an ex solâ fidelitate Dei? 3° Non est de fide, satisfactiones ejusmodi non valere, nisi per opera charitatis, seu per jejunia, orationes, eleemosynas, dummodò à charitate sint imperata. 4° Non est de fide, justum posse satisfacere pro alio, nisi eo modo, quo fideles possunt se mutuo juvare orando et impetrando. 5° Longiùs abest à doctrinâ, et veritate fidei, viventem posse satisfacere pro mortuis, nisi orando, et per modum suffragii. 6° Non est de fide, in Ecclesiâ thesaurum esse satisfactionis sanctorum, sive in quantum constat ex satisfactionibus sanctorum, aut indulgentias, quæ dantur, vivis, seu defunctis dari per distributionem hujus thesauri, in quantum constat ex satisfactionibus sanctorum. Confer Veronium, cap. 2, § 3.

Sec. I, usus est S. Paulus in reconciliatione Corinthii incestuosi, quem post annum absolvit, et à prolixiori pœnâ indulgentiùs liberavit, 2 Corinth. 2, v. 6 et seq. Sec. II et III, Ecclesia ad petitiones martyrum de impositis, vel imponendis satisfactionis operibus lapsis plurimùm relaxabat, prout Tertullianus adhuc catholicus in lib. ad Martyres cap. 1, et S. Cyprianus, qui ep. 11 ad Martyres monet illos, ne libellos omnibus petentibus promiscuè concedant; ep. tamen 13, ad Presbyt. et Diac. scribit : *Occurrendum puto fratribus nostris, qui libellos à martyribus acceperunt, si incommodo aliquo, et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectatô præsentiâ nostrâ apud quemcumque Presbyterum præsentem..... exomologesin facere delicti sui possint, ut veniant ad Dominum cum pace.* Sec. IV, concilia Nicænum I, can. 12. Ancyranum, can. 5. Neocæsar. Laodic. Carthag. IV, de severitate pœnitentiæ impositæ remittunt, pro majori pœnitentium fervore, ac studio in adimplendâ, quæ imposita fuerat, satisfactione; id quod à judicio, et arbitrio episcopi dependebat. « Porrò quùm potestas conferendi indul-« gentias à Christo Ecclesiæ concessa sit; atque hu-« jusmodi potestate divinitus sibi traditâ antiquissimis « etiam temporibus illa usa fuerit : sacrosancta syno-« dus indulgentiarum usum christiano populo maximè « salutarem, et sacrorum conciliorum auctoritate pro-« batum, in Ecclesiâ retinendum esse docet et præ-« cipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles « esse asserunt; vel eas concedendi in Ecclesiâ po-« testatem esse negant. » Ita conc. Trid. sess. 25 in decreto de indulg. (1).

(1) Nostro præcipuè ævo frequens inter eruditos disputatio fervet : An indulgentiæ sint tantùm relaxatio pœnarum canonicarum, quæ olim vigente pœnitentiâ infligere consuevit Ecclesia? An verò etiam sint relaxatio earum pœnarum temporalium, quæ coram Deo exsolvendæ restant et ex naturâ rei peccato debentur? Postremum equidem communiter tenetur, et gravissimis innixum fundamentis creditur; ex fide tamen divinâ et catholicâ non constat, ait Holdenus in suâ fidei Analysi lib. 2, cap. 6, § 3. « An per quas-« cumque indulgentias aut levari, aut remitti possint « hujusmodi pœnæ, quæ coram Deo, et ex naturâ rei « debentur peccato. » 1° Non est de fide, docet pariter Veronius cap. 2, § 4, in usu, seu concessione indulgentiæ, prout de facto fit, remitti pœnas temporales debitas post peccatum remissum in foro Dei, sive in purgatorio, sive in hâc vitâ. « Quidam catholici, in-« quit Suarez disp. 49, sect. 1, dixerunt, per indulgen-« tias non remitti reatum pœnæ apud Deum, sed so-« lùm tolli obligationem exequendi canonicas pœnas « seu injunctas per Ecclesiam. » Atque hæc sententia in recentissimis dissertationibus à litteratissimis professoribus Petzeckio et Campero editis omni conatu propugnatur; sed quomodò in eorum hypothesi indulgentiæ utiles permaneant, meâ opinione haud satis ostenditur. 2° Non est de fide catholicâ posse Ecclesiam talem indulgentiam concedere, ut per eam remittat reatum pœnæ temporalis apud Deum, immediatè, ac per se, per solam condonationem ipsius pœnæ luendæ sive in purgatorio, sive in hâc vitâ. 3° Longius abest à fide Ecclesiam catholicam posse concedere defunctis, quæ sit vera indulgentia, id est, remissio pœnæ; multò minus de fide est Ecclesiam habere voluntatem remittendi has pœnas, nisi per modum suffragii. His addit cit. Holdenus : « Incerti « sunt etiam indulgentiarum omnium effectus, quæ « pro solatio animarum in purgatorio existentium con-« ceduntur. Multò magis dubium est an deprecatio-« nes, oblationes, privilegia altarium, et si quæ sunt « alia hujusce rationis opera, aliquid habeant virtutis « et valoris pro defunctis vi indulgentiarum ad hunc « finem concessarum, nisi tantùm per modum suffra-« gii, hoc est, juxta mensuram pietatis, et sanctitatis « deprecantis et offerentis, atque secundùm omnipo-« tentis et miserentis Dei beneficium hominibus pror-« sùs incognitum. » Hâc secretione factâ doctrinæ fidei non facilè intelligitur, quare DD. Protestantes super hâc materiâ tantoperè laborent, ut ab eâdem scissionem ab Ecclesiâ infeliciter sint auspicati. Quandoquidem etiam ipsimet affirmant pastores suos omnes, et singulos, ut utamur verbis Molinæi in Eras num. 20, *remittere peccata quoad omnem pœnam etian. temporalem*, sanè non apparet, quomodò potestas hujusmodi, quam ipsi cuilibet minimo pastori ruri degenti concedunt, summis Ecclesiæ Pastoribus denegari possit? eò magis igitur mirum videri debet, eos in catholicis improbare et evertere velle quod ipsi faciunt.

(1) Quùm nullum sit sacramentum, nisi verbum accedat ad elementum, hinc in isto pariter sacramento

Caput VIII.

Dogmata de Sacramento Extremæ Unctionis.

§ 238.

I. *Ex Apostolicâ et per manus acceptâ traditione didicit, et novit Ecclesia catholica, sacram et extremam infirmorum unctionem esse verè ac propriè sacramentum à Christo Domino institutum, à beato Apostolo Jacobo promulgatum, ac per olei unctionem, et orationem à Presbyteris conferendum.*

Hæc omnia expressè ac distinctè denuntiantur Jacobi, c. 5, 14, et seq. juxta universalem Ecclesiæ interpretationem et usum. Dicitur enim ibidem : *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quæ sanè novæ legis Sacramentum indicant. Ad verum quippe sacramentum requiritur signum sensibile, promissio gratiæ huic signo adnexa, institutio divina, et mandatum observandi hunc ritum. Jam verò hæc omnia hic exprimuntur. 1° Signum sensibile, nimirùm oleum, et oratio : *Orent super eum, ungentes eum oleo.* 2° Promissio gratiæ huic signo adnexa. *Et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei.* 3° Institutio divina; quia Apostolus promittit sacrâ illâ unctione gratiam, et remissionem peccatorum; atqui nemo præter Deum potest ulli elemento vim producendi gratiam, et remittendi peccata tribuere. 4° Mandatum continent verba : *Inducat presbyteros Ecclesiæ*, ut patet ex contextu : *Patientes estote. Nolite jurare. Tristatur quis in vobis? oret. Orate pro invicem, ut salvemini.* Quæ certè mandatum ad omnes fideles spectans exprimunt. Accedit, ut dictum, perpetua Ecclesiæ traditio, quâ suffulta synodus Trid. optimo jure statuit sess. 14, can. 1 : « Si quis dixerit extremam « unctionem non esse verè et propriè sacramentum « à Christo Domino institutum, et à B. Jacobo Apo-« stolo promulgatum; sed ritum tantùm acceptum à « Patribus, aut figmentum humanum; anathema « sit. » Idem confirmatur ex canone 2 et 3 (1).

§ 239.

II. *Ex jure divino non laici ætate seniores, sed soli sacerdotes hujus sacramenti ministri constituti sunt.*

In eodem quippe Jacobi contextu dicitur : *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ*, id est, qui regunt Ecclesiam, quippe ad ministerium sacrum, et publicas Ecclesiæ functiones specialiter sunt consecrati. Requiruntur etenim juxta Jacobum presbyteri, ut orent super infirmum, eum ungant, ut per eorum ministerium tribuatur animi levamen, et peccatorum remissio ; verùm ad hunc effectum producendum ob defectum clavium insufficiens est ætas senilis. Quanquàm igitur græca vox *presbyteros* secundùm etymologiam significet ætate seniorem, in Scripturis tamen novi Test. ubi agitur de muniis ecclesiasticis, non intelliguntur ætate seniores, sed gradu, et dignitate sacerdotii majores. Sic Act. 15, v. 2 : *Convenerunt Apostoli et seniores*, id est, aliqui ex 72 discipulis, quos Apostoli, mortuo Christo, presbyteros consecrârunt, qui hoc nomen cum Apostolis commune habuerunt; nam ipsemet Petrus 1 ep., 5, ad Seniores scribens se vocat conseniorem : *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior, et testis Christi passionum.... pascite, qui in vobis est gregem Dei.* Paulus Act. 20, 17 : *Mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ*, quos tamen v. 28, episcopos appellat : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus S. episcopos regere Ecclesiam Dei.* Pariter ad Titum scribit c. 1, 5 : *Constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Porrò, si ætate solùm fuissent presbyteri, non debuissent constitui, sed tales jam extitissent. Neque istam potestatem habuit Timotheus ratione ætatis, quia, quùm Paulus eidem scripsisset ep. 1, c. 4, 11 : *Præcipe, et doce*, subjungit : *Nemo adolescentiam tuam contemnat*, et v. 14 : *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Dogma denique stabilitur traditione Patrum; constanti praxi Ecclesiæ, quæ nunquàm aliis, quàm sacerdotibus hujus sacramenti administrationem commisit ; unde Conc. Trid. sess. cit., can. 4, definit : « Si quis dixerit presbyteros « Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infir- « mum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab « episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quâvis « communitate ; ob idque proprium extremæ unctio- « nis ministrum non esse solum sacerdotem ; anа- « thema sit. »

verbum, seu formam adesse oportet, quam B. Jacobus commemorat, dicens : *Et orent super eum.* Qualis autem in specie sit illa oratio, et quibus præcisè verbis constare debeat, fides divina non satis manifestat ; ut patet ex variis formulis, quæ ab Ecclesiâ latinâ, et græcâ in administratione hujus sacramenti usurpabantur. Forma, quæ dicitur Ambrosiana probabiliùs jam sec. IV, in Ecclesiâ Mediolanensi consueta erat teste D. Bonaventurâ hujusmodi : *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, æreas possis superare potestates.* Similiter Petrus Arcudius, lib. 5 de Concordiâ Eccl. orient. cum occid., varias refert formulas indicativas et absolutas antiquitùs nonnullis in locis adhibitas, quasque nullibi improbatas legimus, licet Ecclesia multis jam seculis verbis merè deprecativis utatur, à quibus equidem sine piaculo deflectere nemo unus præsumit ; exinde tamen colligitur. 1° De fide non esse, hujus sacramenti formulam à Christo in specie intimâ, seu certis et determinatis verbis fuisse institutam. 2° Verba deprecatoria ad essentiam extremæ unctionis certitudine fidei non pertinere. 3° Sicut respectu materiæ de fide non est, unctiones quinque sensuum, quibus utitur Ecclesia latina, ad sacramenti substantiam requiri, quanquàm extra casum necessitatis ex præcepto ecclesiastico ordinentur.

CAPUT IX.

Dogmata de sacramento ordinis.

§ 240.

I. *Existit in novo Test. sacerdotium visibile et externum ; daturque in Ecclesiâ potestas consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini ; atque peccata remittendi et retinendi.*

Christus enim munus, et potestatem sacerdotalem quam Apostolis contulit, etiam ad eorumdem in sacerdotio successores transire voluit, § 92, quoad II, et III, membrum confer §§ 223 et 230. His addo Tridentini can. 1, sess. 23, ubi idem quod credimus sancitum est.

§ 241.

II. *Ordo, seu aliqua saltem sacra ordinatio, quâ sacri inaugurantur ministri, verum et propriè dictum novæ legis sacramentum est.*

Constat hæc veritas dogmatica 1° auctoritate Scripturarum, Luc. 22, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ad Ephes. 4, 11, 1 ad Timoth. 5, 22 : *Manus citò nemini imposueris.* 2 ad eumdem cap. 1, 6 : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ad Titum vide § 239 ; Act. 13, 2, et seq. Ibid. c. 14, 22 et cap. 20, 28. Ex his apparet quòd omnia ad sacramentum requisita adsint ; nempe signum à Deo permanenter institutum : annexum habens promissionem gratiæ, et divinum mandatum, divinaque institutio ; Apostoli enim minimè ausi fuissent, ministros Ecclesiæ propriâ auctoritate constituere, et potestatem sibi arrogare conferendi gratiam per impositionem manuum, nisi Christus hanc eis potestatem concessisset, et ritum hunc usurpari præcepisset. 2° Auctoritate Patrum qui ordinationem vocant sacramentum, aiuntque gratiam per illam conferri, atque à Deo institutam esse. 3° Ex consensu Ecclesiæ latinæ et græcæ, qui tantus est, ut omnes, quotquot christiano nomine gloriantur, semper professi sint, ordinem esse verum novæ legis sacramentum. Quùm porrò id nullus hæreticorum ante Lutherum negaverit, ideò etiam nulla id definiendi necessitas imposita fuit conciliis usque ad Tridentinum, quod can. 3, sess. cit., decernit : *Si quis dixerit ordinem, sive sacram ordinationem non esse verè, et propriè sacramentum à Christo Domino institutum ;.... Et* can. 4 : *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere : Accipe Spiritum sanctum ;...* anathema sit (1).

(1) Sola manuum impositio sacramenti Ordinis signum, vel materia essentialis communiter habetur,

§ 242.

III. *Datur in Ecclesiâ sacra Hierarchia divinitùs fundata;* cujus nomine intelligitur principatus sacer secundùm certos gradus tam ordinis, quàm jurisdictionis distinctus, ita ut ii qui in Ecclesiâ sacrâ potestate præditi sunt, certâ ratione sibi invicem subordinentur, episcopis primum, presbyteris secundum, et ministris sive diaconis tertium locum in hâc hierarchiâ occupantibus. Hæc igitur potestas, quam Christus Petro, Apostolis, discipulis, ac legitimis eorum successoribus cum in finem contulit, ut Ecclesiam regant, divinaque mysteria in eâ celebrent, atque dispensent § 89, et seq. tum imperium, sive regimen Ecclesiæ, tum ministerium sacrum concernit. Dogma istud ringentibus licet fidei adversariis ex S. Scripturâ, et nunquàm interruptâ Traditione comprobatum jure merito definivit Trid. sess. cit. can. 6 : *Si quis dixerit, in Ecclesiâ catholicâ non esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris; anathema sit* (1).

quam constat et Apostolos, et ecclesiam ex perpetuâ Traditione adhibuisse. Quare conc. Nic. 1, Antioch. A. 341 Carthag. IV, cap. 2, 3, 4, episcopos, presbyteros, diaconos per manuum impositionem ordinari referunt. Similia habent Toletanum IV, Hispal. II, una cum aliis, quibus accedit Tridentini declaratio sess. 14, cap. 3, quâ ministri extremæ unctionis dicuntur episcopi, vel sacerdotes ritè ordinati per impositionem manuum presbyterii. Nihilosecius præter hanc in Ecclesiâ latinâ porrectio instrumentorum adhiberi debet : quod enim Ecclesia præscribit in iis in quibus potestatem habet, et magni momenti sunt, inviolabiliter servandum est, v. gr., variæ sacramenti ordinis ceremoniæ ab Ecclesiâ institutæ, ad quas præprimis refertur ista porrectio instrumentorum, et unctio sacerdotum, non quidem divinâ ordinatione, sed ecclesiasticâ tantùm potestate ita ritè præscriptæ, ut qui hanc potestatem contemnit, eidemque resistit. Dei ordinationi resistat. Quamvis ergo præfata porrectio instrumentorum, et unctio de fide non sit salvo tamen Ecclesiæ jure omitti et contemni nequeunt.

(1) 1° Minoribus ordinibus, uti et subdiaconatui institutio divina et veri sacramenti ratio absque temeritate denegatur. 2° Quanquàm communis et certa habeatur sententia, diaconatum esse sacramentum, ea tamen fidei dogma non constituit; nam illi, qui hoc negârunt, Cajetanus, Durandus, Victoria, et ut aliqui volunt, Maldonatus nullâ unquàm censurâ ab Ecclesiâ notati sunt; « Quocirca Dominicus Soto, Estius, et Bellarminus minimè deduci putant evidenter ex Scripturâ, aut traditione, nullamque hâc de re exstare definitionem, scribit Augustinus Gervasio de Sacram. lib. 4, § 122, quæst. 4. Nec te moveat Tridentinus ille canon sextus; licet enim ex eo deducatur, diaconatum ad divinam institutionem referendum esse, non tamen inde sequitur, pro certo eum accensendum esse sacramentis. Etiam episcopatûs divina institutio inde evincitur. Quot tamen Theologi sunt, qui ipsum Sacramentorum albo accensendum esse inficiantur? Etiam Apostolatus à Christo fuit institutus, nec tamen habitus est inter Sacramenta. » 3° Non est de fide, septenarium ordinum numerum, quem conc. Trid. sess. cit. cap. 2, recenset, statui debere. 4° Non est de fide, sacerdotes succedere 72 Christi discipulis, quia eorum potestas satis determinata haud est. Si autem postea ab Apostolis ordinati sunt sacerdotes, succedebant Apostolis in munere, et potestate tantùm sacerdotali, sicut omnes subsequentes alii sacerdotes.

§ 243.

IV. *Episcopi jure divino supra simplices presbyteros dignitate, et auctoritate eminent; necnon confirmationis, et ordinis ministri sunt.*

Scriptura namque 1° episcopis totius gregis curam et administrationem demandat. Act. 20, 28. 2° Episcopos judices presbyterorum esse declarat 1 Timoth. 5, 19 : *Adversùs presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus : peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant;* ergo Timotheus episcopus ex divinâ institutione jus habuit recipiendi accusationem contra presbyteros, eosque puniendi. Præclarè S. Epiphanius hæres. 75, contra Aerium scribit : *Quid autem attinebat episcopo vetare, ut ne presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso potestatem haberet? Quare deinceps admonet : adversùs presbyterum*, etc. *Non alicui ex presbyteris præcepit, ut accusationem contra episcopum non admitteret.* Et S. Hieron. apol. 1 adv. Ruffinum, ait : *Quomodò inter homines ordo dignitatum, ex laborum varietate diversus est, quùm episcopus et presbyter, et omnis ecclesiasticus gradus habeat ordinem suum.* Idem in ep. 2 ad presbyterum Nepotianum dicit : *Esto subjectus pontifici tuo, et quasi animæ parentem suscipe..... Gaudeat episcopus judicio suo, quod tales Christo elegerit sacerdotes.* Tandem in dial. adv. Luciferianos : *Ecclesia multis gradibus consistens ad extremum diaconis, presbyteris, episcopisque finitur.* 3° Ep. ad Titum c. 1, 5, soli Tito, quia episcopus erat, tribuitur potestas corrigendi, et ordinandi in insulâ Cretâ. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas et constituas per civitates presbyteros.* Paulus quoque et Barnabas, Act. 14, per singulas Ecclesias constituerunt presbyteros. 4° Denique ipse Christus legitur in Evangelio Apostolos suos in primo dignitatis gradu collocâsse, dùm solis eisdem dixit Joan. 20 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* 5° Docemur id ex Traditione, et constanti Ecclesiæ praxi. 6° Ex conc. Trid. sess. cit. can. 8 : *Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores : vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem...; anathema sit.*

Caput X.

Dogmata de sacramento Matrimonii.

§ 244.

I. *Matrimonium est verum evangelicæ legis sacramentum.*

Ad hanc veritatem dogmaticam probandam neutiquàm probandam prætermittenda nobis videntur, quæ Paulus ad Ephes. 5, 25, et seq. commendans mutuam inter conjuges dilectionem, exemplo Christi, qui Ecclesiam sponsam suam ita dilexit, ut seipsam pro eâ tradiderit, scripsit : *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesiâ.* Ex quo non obscurè colligitur, Matrimonium fidelium in lege novâ conjunctionis Christi cum Ecclesiâ signum esse; et sicut

Christus Ecclesiæ suæ per charitatem, et gratiam conjungitur, ita etiam in hoc sacramento gratia à Christo conferatur. Id multis argumentis passim comprobant doctores catholici. Verùm alii non pauci clari nominis theologi contendunt, Scripturæ auctoritate hoc fidei dogma solidè persuaderi non posse. Quidquid sit, potissimùm, et invictè ex universali traditione ostenditur. Patres enim passim matrimonium rem sacram et divinam, gratiâ præditam, necnon expressè Sacramentum vocant. Sic S. Ignatius M. in ep. ad Polycarpum scribit : *Decet ut sponsi et sponsæ de sententiâ episcopi connubium faciant, quæ nuptiæ sint secundùm Dominum.* S. Justinus in dial. cum Tryph. *Connubia Jacobi*, ait, *rei per Christum perficiendæ figuram fuisse... Nam magnorum sacramentorum œconomiæ, et dispensationes in quolibet ejus generis facto sunt celebratæ.* Clemens Alex. lib. 3, strom. *Matrimonium aliquid sacrum est et divinum.* Tertullianus lib. 2 ad uxorem : *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater ratum habet.* S. Cyrillus Alex. comment. in Evang. lib. 2, de Christo invitato ad Canæ nuptias scribit : *Ipse invitatus venit, ut generationis humanæ principium sanctificaret.* Lib. 2, in Joan.: *Ut illas præsentiâ suâ cohonestaret, iisque qui postea nascituri erant, gratiam præstitueret.* S. Ambrosius, lib. 1, de Abraham c. 7 : *Cognoscimus præsulem, et custodem conjugii esse Deum, qui non patietur alienum thorum pollui. Qui sic egerit, peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam solvit : et ideò sacramenti cœlestis amittit consortium.* S. Chrysost. hom. 56, in Gen. : *Sacramentum sunt nuptiæ, et imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declaravit.* S. Augustinus lib. de Nuptiis, et Concup. c. 17 : *In nuptiis bona nuptialia diligantur proles, fides, Sacramentum*, lib. de Bono conjug. c. 18. *In Christianorum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas uteri.* Similia habet in aliis locis. S. Innocentius I : *Statuimus fide catholicâ suffragante illud esse conjugium quod primitùs erat divinâ gratiâ fundatum... Quid verò aliud est matrimonium gratiâ divinâ fundatum, nisi signum gratiæ efficax?* Prætereo cætera SS. Patrum testimonia, et provoco tantùm ad omnes orientis et occidentis Ecclesias, quæ miro ac perpetuo de hoc sacramento consensu erant unitæ, etiam post schisma apud Græcos excitatum. Hîc enim matrimonium non simpliciter mysterium vocant, sed unum ex septem mysteriis, quæ per Spiritum S. operantur, et spiritualem effectum continent. Confirmatur denique ex conciliis Carthag. III, cap. 13, ait : « Sponsus et sponsa, quùm « benedicendi sunt à sacerdote, à parentibus suis, vel « paranymphis offerantur. Qui cùm benedictionem « acceperint, cândem nocte pro reverentiâ benedictio- « nis in virginitate permaneant. » Lateran. II, can. 23 ; Lugdun. II, sess. 4 ; Veronense, Constantiense, sess. 15, et Eugenius IV, in decr. Arm. matrimonium inter novæ legis sacramenta annumerari debere statuunt ; hinc nequaquàm dogma novitium, quemadmodùm placet Novatoribus calumniari, definierunt Patres Tridentini sess. 24, can. 1. « Si quis dixerit matri- « monium non esse verè et propriè unum ex septem « legis evangelicæ sacramentis à Christo Domino in- « stitutum, sed ab hominibus in Ecclesiâ inventum ; « neque gratiam conferre ; anathema sit » (1).

§ 245.

II. *Polygamiam simultaneam Christianis omnibus lege evangelicâ prohibitam credimus.*

Christus enim matrimonium ad primævam suam institutionem revocans ait Matth. 19, v. 4, et seq. : *Qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ. Quod ergo Deus conjunxit homo non separet*, etc. Confer loca Marc. 10, v. 11 et 12. Luc. 16, 18. Ad Rom. 7, v. 2, et seq. Et 1 Corinth. 7, 10. Si ergo qui dimiserit uxorem et aliam duxerit, jam mœchatur juxta citata testimonia Scripturarum, multò magis ille mœchatur, qui dùm priorem retinet, alteram accipit. Expressiùs et clariùs id evincit Traditio, universalis fidelium sensus, et constans Ecclesiæ praxis, quæ à temporibus Apostolorum ad nostram usque ætatem nunquàm polygamiam, neque etiam summis principibus permisit. Quare conc. Trid. sess. cit. can. 2, optimo jure contra Lutherum antiquum dogma noviter declaravit his verbis : *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum ;* anathema sit (2).

§ 246.

III. *Matrimonii vinculum non dissolvitur propter hæresin, molestam cohabitationem, aut adfectatam absentiam à conjuge.*

Nititur hæc veritas citatis § præc. Scripturæ oraculis, ubi generatim et illimitatè Luc. 16, dicitur : *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur : et qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Marc. 10. *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum, et alii nupserit, mœchatur.* In genere pariter citatis in locis loquitur Apostolus. Eamdem doctrinam

(1) Quod attinet res et verba, seu materiam et formam, atque ministrum sacramenti matrimonii nihil definivit Ecclesia ; unde theologi in varias abeunt sententias. Qui tenent ministrum sacramenti esse sacerdotem docent : materiam constituere contractum matrimonialem, et formam verba quæ Sacerdos conjuges benedicendo pronuntiat ; atque hæc sententia alteri, quæ contrahentes tanquàm ministros agnoscit, longè præferenda esse videtur, quia SS. Patres passim docent : per sacerdotis benedictionem matrimonium sanctificari, licitum fieri, conciliari, obsignari, gratiam sacramenti conferri ; imò ante exortos scholasticos theologos nullus produci potest scriptor ecclesiasticus, qui asserit ipsos contrahentes esse ministros. Clariss. Wiest. tom. 6, § 172.

(2) Lutherus comment. in cap. 16. Genesis scripsit : « Non esse prohibitum exemplo Abrahæ plures simul habere uxores, seque illam consuetudinem neque introducere velle, neque improbare posse, quia Patrum exempla sunt libera. » Hâc tamen libertate usus Philippo Landgravio Hassiæ duas simul uxores indulsit, prout per instrumenta publica comprobat illustriss. Bossuet histor. Variat. Eccl. protestant. lib. 6.

adstruit Traditio accepta à Patribus et conciliis, v. gr., Eliberitano can. 9; Milev. II, seu potius Carthag. IV, can. 17. Ut adeò Lutherus nedùm toti antiquitati, sed insuper evangelicæ et apostolicæ doctrinæ nullo alio fundamento quàm Epicureorum et Ebionitarum exemplo adversetur, dùm lib. cap. 7, prioris ep. Pauli ad Corinth. Et in lib. de Causis matrimon. plures causas assignat, ob quas matrimonium dissolvi, et novum iniri possit. Verùm quàm temerarius et nocivus hic ausus sit, ipsimet protestantes agnoscunt, dùm hanc magistri sui doctrinam passim ad praxin deducere minimè permittunt; et hinc tacitè saltem approbare coguntur quintum Tridentini canonem : *Si quis dixerit propter hæresin, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit* (1).

(1) Quod neque adulterii causâ matrimonii vinculum dissolvatur, ex iisdem fontibus clarè promanat; rectiùs dico, manifestè evincitur. Unicum discordiæ pomum, negotiumque facescere videntur verba Matth. 5 : *Exceptâ fornicationis causâ*, et cap. 19 : *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur.* Verumtamen juxta mentem latinæ Ecclesiæ verba illa : *Nisi ob fornicationem* non ad sequentia : *Et aliam duxerit*, sed ad antecedentia : *Quicumque dimiserit uxorem suam*, pertinent; ita ut sensus sit : *Quicumque dimiserit uxorem suam* (quod non licet quàcumque ex causâ, sed nonnisi ob gravissimam, qualis est fornicatio), et aliam duxerit, mœchatur. Ita, et non aliter explicandam esse Christi sententiam suadent 1° consensus Pauli, Lucæ et Marci, qui exceptionem illam non memorant. 2° Patres et concilia particularia non pauca. 3° Scopus et contextus. Nihilo secìus indissolubilitatem matrimonii consummati fidelium ob causam fornicationis, seu adulterii nondùm definivit Ecclesia tanquàm dogma fide divinâ credendum. Quùm enim in conc. Trid. teste card. Pallav. l. 22, c. 4, jam paratus esset canon : *Si quis dixerit, matrimonium consummatum ob adulterium dissolvi posse, anathema sit;* in gratiam Græcorum Venetæ reipublicæ subjectorum mutatus est, prout nunc legitur septimus. Hàc porrò canonis mutatione videntur Patres Tridentini se in animo non habuisse per can. 7 fidei dogma proponere, aut condemnare Græcos in contrariâ sententiâ et praxi versantes : si enim id voluissent, procul dubio canonem non immutâssent, nec temperâssent auditis oratoribus Venetis. Adde et in ipso conc. Florentino Græcos fratres in fide concordes ab Eugenio IV, amicè compellari, quanquàm sciret eos propter adulterium conjugia dirimere. Censura igitur can. 7, lata solos perstringit Lutheranos, qui affirmabant errare Romanam Ecclesiam, dùm docet non posse dissolvi matrimonium propter adulterium.

Quùm Christus Dominus eam Ecclesiæ suæ in res spirituales potestatem concesserit, quæ necessaria ac utilis est ad optimum Ecclesiæ regimen, ad mores ritè, sanctèque instituendos, atque ad salutem animarum promovendam § 89 et seq. Hinc legitimo planè nexu ex jure divino infertur potestas statuendi impedimenta matrimonii, legesque ferendi ecclesiasticas, quæ spectant publicam sacramentorum administrationem, ceremonias, nuptiarum solemnitatem et conditiones quibus fideles possunt nuptias licitè, et validè celebrare. Matrimonium enim novæ legis sacramentum est, quod in bonis Ecclesiæ continetur, ejusque subsidio spiritualis Dei civitas crescit. Dein signum, seu materia hujus sacramenti consistit in contractu matrimoniali, cui ipse Christus impedimentum ligaminis annexuit. Eâdem potestate usus est Paulus in ipso Ecclesiæ nascentis exordio varia circa matrimonium

§ 247

IV. *Status virginitatis liberè ex amore Dei susceptus præstat, et excellentior est conjugio.*

Hæc nedùm Patrum, et præstantissimorum, quos tulit ætas quævis scriptorum una vox et sententia est, sed etiam veritas evangelica ab Apostolo præsertim 1 Corinth. 7, prædicata : *Dico non nuptis et viduis : bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.— Mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. — Qui non jungit matrimonio virginem suam, melius facit. — Beatior autem erit, si sic permanserit.* Corinthios tamen admonet dicens : *Hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Idipsum confirmat Christus

disponens : v. g., 1 Corinth. 7 : *Cæteris ego dico non Dominus*, etc. Eamdem quoque potestatem exercuit antiqua Ecclesia. Sic conc. Eliberit. initio sec 4, can. 15, statuit impedimentum disparitatis cultûs; can. 61. Affinitatis, can. 66. Incestus, Ancyranum an. 314, nullum esse decrevit matrimonium cum desponsatis puellis à viro raptis. Neocæsariense eodem anno can. 2, per affinitatem matrimonium abrumpi denuntiat. De voti quoque impedimento præclara conc. Chalcedon. declaratio est : « Sancimus, inquit, virginem, quæ se « Deo dicaverat, similiter et monachos, non licere « matrimonio conjungi, etc. » Quamvis igitur hæc, aliaque per leges merè ecclesiasticas ordinentur; adeòque ad disciplinam tantummodò spectent, potestas tamen quâ Ecclesia circa matrimonium, quatenùs sacramentum est, utitur, ex jure divino derivatur. Quare synodus Trid. sess. cit., can. 3, 4, 6, 8, 9, 11 et 12, meritò damnat Novatores, negantes matrimonium sacramentum esse, eoque titulo omnem etiam jurisdictionem ac potestatem Ecclesiæ in matrimonia abjudicantes; licet contenta in dictis canonibus impedimenta, et statuta de fide non sint, sed ad leges, et jura tantùm ecclesiastica pertineant.

His conciliorum decretis neutiquàm derogatur ab Ecclesiâ potestati civilis; *Matrimonium enim*, inquit D. Thomas, lib. 4, contra gentes, c. 38, *ordinatur ad bonum naturæ, ad bonum politicum, et ad bonum Ecclesiæ.* In quantum ergo ad bonum politicum dirigitur, subjacet ordinationi legis civilis, vi cujus reges et principes quædam impedimenta statuunt, quæ nimirùm necessaria, aut convenientia visa fuerint, ut matrimonium finem suum certiùs consequatur; unde legibus non modò naturæ et Ecclesiæ, sed etiam civilibus potest persona effici ad matrimonium inhabilis : « Nec debent, ait Petrus, Soto lect. 4, de Matrim., ægrè ferre prælati Ecclesiæ, si seculares principes statuant quæ temporali paci necessaria sunt. Quùm etenim potestas regia ad tranquillitatem et bonum reipublicæ sit potissimùm instituta, ad regum proinde et principum curam pertinet, de iis rebus leges sancire, è quibus rerum publicarum tranquillitas pendet; pendet verò quàm maximè à matrimonio. Confer doctiss. Drouven lib. 9, pag. 477. Et tractatum an. 1785, Viennæ editum sub titulo : *Ist es wahr, dass die K. K. Verordnungen in Ehesachen dem Sacramente entgegen stehen?* Iterea tamen, si veritatem dicere fas est, et cur nefas sit? vehementer optandum foret, ut utraque independens potestas sacra et politica amico magis fœdere dextram sibi jungeret; secus enim non solùm evanescit concordia sacerdotii et imperii, sed ipsa quoque salus, pax, et tranquillitas utriusque reipublicæ claudicat. *Aliæ nimirùm sunt leges Cæsarum, aliæ Christi : aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit*, ait S. Hieron. ep. 3 ad Oceanum et S. Ambrosius lib. 8 in Lucam : *Dimittis uxorem..... quia lex humana non prohibet, sed divina prohibet.*

Matth. 19, 12 : *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.* Propterea hæc veritas haud immeritò tanquàm doctrina fidei habetur, errorque Lutheri et Calvini, qui sec. 16 antiquum Joviniani errorem Scripturæ contrarium, à SS. Patribus, præsertim Augustino et Hieronymo datâ operâ refutatum, et à conc. Romano sub Siricio papâ, necnon à Mediolanensi sub S. Ambrosio damnatum, è suis denuò cineribus revocârunt, damnatur à conc. Trid. sess. cit. can. 10, his verbis : « Si quis dixerit, « statum conjugalem anteponendum esse statui virgi- « nitatis, vel cœlibatûs, et non esse melius, ac beatius « manere in virginitate, aut cœlibatu, quàm jungi ma- « trimonio; anathema sit. »

Sectio tertia.

DOGMATA DE JUSTIFICATIONE ET MERITO BONORUM OPERUM.

§ 243.

I. *Non omnia peccatorum opera, quæ ante justificationem fiunt, sunt peccata; adèòque status gratiæ sanctificantis non semper necessariò requiritur ad bonum operandum.*

Quis enim enumerare poterit, quoties S. Scriptura hortetur peccatores ad pœnitentiam, ut nempe in gratiam cum Deo rectâ viâ redire valeanti? Et quis nescit posse à peccatore opus undequaque bonum ordinis non tantùm naturalis, sed etiam supernaturalis perfici? nihil enim prohibet, quin peccator per fidem et charitatem non quidem perfectam, sed saltem inchoatam opera sua bona in Deum referat : hæc quippe opera bona à peccatoribus fiunt, Dei opitulante gratiâ, quæ eorum corda emolliendo ad perfectam pœnitentiam disponit. Sic Act. 10, laudatur Cornelius, centurio, *tanquàm vir religiosus ac timens Deum cum omni domo suâ, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper.* Et Luc. 18, à Christo publicani humilitas commendatur, etc. Ex his apparet, non abs merito contrariam doctrinam universalis Ecclesiæ judicio fuisse proscriptam. Nam conc. Constant. sess. 15, damnavit hanc thesin Joan. Wicleffi : *Homo, quidquid in peccato mortali fecerit, peccat mortaliter;* et illam Joan. Huss : « Divisio immediata operum est, « quòd sint vel virtuosa, vel vitiosa, quia si homo est « vitiosus, et agat quidquam, tunc agit vitiosè, quia « sicut vitium, seu peccatum mortale inficit universa- « liter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes « actus virtuosi. » Conc. autem Trid. sess. 6, can. 7, statuit : « Si quis dixerit omnia opera quæ ante jus- « tificationem fiunt, quâcumque ratione facta sint, « verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto « vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, « tantò eum graviùs peccare; anathema sit (1). »

(1) Præter jam dicta eruditè observat Gazzaniga, tom. 3 de Grat. habit. c. 2 : « Cavendam esse quo- « rumdam theologorum hallucinationem, qui hanc « quæstionem de operibus peccatorum cum aliâ im- « peritè confundunt de operibus infidelium; quùm « tamen hæc secunda inter catholicos impunè agita- « tur; prima autem ad fidem spectat. Quare in duo- « bus à Norisio in vind. Aug. c. 3, § 4, Maldonatus « vir aliàs in paucis doctus vapulat. Primò, quòd à « conc. Trid. definitum dicat, non omnia infidelium « opera esse peccata; de quâ re nec vestigium appa- « ret. Secundò, quòd Augustino tribuere videatur, « eam Novatorum sententiam, à quâ S. doctor alie- « nissimus fuit. » Observatu etiam digna sunt, quæ docent Wallenburgici in compend. controvers. partic. c 58, his verbis : Definivit conc. Trid. aliqua opera quæ justificationem præcedunt, non esse peccata, illa scilicet quæ procedunt ab auxilio speciali, et per quæ homines Deus disponit ad gratiam justificationis : non autem definivit esse alia opera quæ non sint peccata.

§ 249.

II. *In justificatione impii peccata non teguntur, aut solùm intrinsecè condonantur, sed verè remittuntur, ac prorsùs delentur.*

Ait enim Scriptura : peccata auferri, tolli, deleri, ablui et mundari. 1 Paralip. 21, 8; 2 Reg. 12, 13; Joan. 1, 29; Psal. 50, 2, et v. 9; 1 Corinth. 6, 11; 1 Joan. 1, 7. Vid. § 203 (1).

§ 250.

III. *Justificatio hominis non in solâ remissione peccatorum, non in solâ imputatione justitiæ Christi; neque in solo Dei favore; sed etiam in renovatione interioris hominis, seu intrinsecâ per gratiam et charitatem sanctificatione consistit.*

Constat id ex innumeris S. Scripturæ locis, quorum aliqua tantùm adducere sufficit. Psal. 50 : *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Ezech. 36, 26 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris... Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri.* Ad Titum 3, 5 : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus S. quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratiâ ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.* Rom. 5, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ephes. 4, 24 : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem*, etc. Idipsum docent SS. Patres : *Recipimus justitiam*, inquit Augustinus lib. 6, de Genesi ad litt. c. 24, *ex quâ per peccatum lapsus est homo.* Et lib. de spir. et litt. cap. 32 : *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quâ nos ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores suos.* Dein dogma istud expressè definivit conc. Trid. sess. cit., can. 10 et 11 : « Si quis dixerit, homines sine justitiâ Christi, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse..... Si quis dixerit, homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi; vel solâ remissione peccatorum, exclusâ gratiâ, et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. dif-

(1) Libro 1 de nuptiis, et concupiscentiâ c. 25, scribit S. Augustinus : *Ad hæc respondetur : dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut sit, sed ut in peccatum non imputetur.* Lutherus verò in assertione, art. 2 ita dolosè corrumpit hunc locum, ut pro voce *concupiscentia* substituat vocem *peccatum* dicens : « Concludamus ergo cum pulcherrimo verbo Augu- « stini : Peccatum, inquit, remittitur in baptismo, « non, ut non sit, sed ut non imputetur. » Idem fecit Melanchton in Apol. confess. Aug. art. 2.

fundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam quâ justificamur esse favorem Dei, anathema sit » (1).

§ 251.

IV. *Sine justitiâ Christi, per quam nobis meruit, nullus justificatur homo* §§ 161, 182.

§ 252.

V. *Fides in adultis necessaria ad justificationem et salutem, non est fides illa specialis quâ quisque certò credit peccata sibi à Christo esse remissa; sed catholica fides quâ creduntur ea quæ sunt à Deo revelata.* Nam *sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Ad Hebr. 11, eunucho baptismum postulanti his verbis : *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* respondit Philippus : *Si credis ex toto corde, licet; et respondens, ait : Credo filium Dei esse Jesum Christum.* Act. 8, v. 36, 37. *Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,* inquit Christus Marc. 16, v. 15, 16. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei : et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Joan. 20, 31. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus suscitavit eum à mortuis salvus eris.* Rom. 10, 9. Ergo fides ad justificationem, et salutem necessaria est fides Evangelii, fides quâ credimus veritates à Deo revelatas. « Quùm verò Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, et gratis « Rom. 3, 22 et 24. Et cap. 5, v. 1, ea verba in eo « sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ « catholicæ consensus tenuit et expressit; ut scilicet « per fidem ideò justificari dicamur, quia fides est sa« lutis humanæ initium, fundamentum, et radix omnis « justificationis; sine quâ impossibile est placere Deo, « et ad filiorum ejus consortium pervenire. » Ita Trid. sess. 6, cap. 8, docet et can. 12, definit. « Si quis dixerit fidem justificantem nil aliud esse quàm fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse quâ justificamur, anathema sit. » Vide etiam can. 14 (2).

(1) « Quænam sit exacta, seu in quo præcisè consis« tat hujus divinæ justitiæ ratio quâ justificamur, « quæque et nostra aliquâ ratione dici potest, dùm « nobis utcumque insit, an nempe sit qualitas aliqua, « an habitus permanens, an actus transiens amoris, « et contritionis, theologis disputandum relinquimus, » ait Holdenus lib. 2, c. 5, § 2. Non enim est de fide 1° an justificatio fiat per habitum permanentem in animâ; 2° non est de fide an non æquè benè fieri possit justificatio (saltem si de adultis loquamur) per affectum dilectionis Dei, et contritionis de peccato, ita Veronius c. 2, § 2. Quia de hâc re nihil habet Tridentinum, nec aliud concilium universale. Imò Patres Trid. à nomine habitus teste Estio consulto abstinuerunt; neque alius eorum scopus erat, quàm docere, hominem non extrinsecâ justitiâ, sed intrinsecâ justificari, quod posterius negabant Novatores.

(2) Non est de fide, fidem explicitam in Trinitatem, incarnationem et passionem Jesu Christi esse omnibus adultis necessariam necessitate, ut aiunt, medii ad salutem, id enim nullibi ab Ecclesiâ legitur apertè definitum. Hinc non defuerunt ex antiquioribus, nec desunt ex recentioribus theologis catholicis, qui multis comprobare nituntur, gentiles eosque qui nihil de his fidei mysteriis audierunt, et audire potuerunt, per fidem implicitam et charitatem perfectam salvari posse; ideòque etiam citata, aliaque id genus Scripturæ et Patrum testimonia explicant de fide in voto, quemadmodùm similia testimonia, quæ omnimodam baptismi et pœnitentiæ sacramenti necessitatem evincunt, de baptismo et Pœnitentiâ saltem in voto explicari solent.

Catholici fiduciam in promissiones, merita et misericordiam Christi adeò non excludunt, ut potiùs eamdem tanquàm dispositionem requirant ad justificationem, prout ipsum docet Trid. loc. cit. cap. 6, his verbis : « Disponuntur autem adulti ad justitiam, dùm peccato« res se esse intelligentes à divinæ justitiæ timore quo « utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei miseri« cordiam se convertendo, in spem eriguntur fi« dentes, Deum sibi propter Christum propitium « fore. »

§ 253.

VI. *Sola fides non justificat.*

Quis enim dixerit justificari aliquem posse sine peccatorum remissione? At verò Christus eam dilectioni attribuit; Lucæ 7, v. 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Qui non diligit,* ait Joan. 1, ep. 3, *manet in morte.* Præterea charitatem sic commendat Apostolus 1 Corinth. 13, v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum,* etc. Idem ad Rom. 2, 13, de necessariâ legis observantia scribit : *Non auditores legis justificati sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Datâ quoque operâ contrarium errorem explodendum suscepit B. Jacobus in suâ epistolâ, quam hodiè passim etiam Protestantes pro canonicâ habent, cap. 2, ubi inter alia hæc habet, v. 14 : *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides salvare eum?* v. 17 : *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsâ;* et iterùm, v. 24 : *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, non ex fide tantùm..... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.* Meritò igitur anathemate eos percutit synodus Trid. sess. 6, can. 9, qui dixerint solâ fide hominem justificari (1).

§ 254.

VII. *Justitia, seu gratia sanctificans non est æqualis in omnibus, semperque augeri potest.*

Constat id luculenter ex S. Litteris, Job. 1 : *Numquid considerâsti servum meum Job, quòd non sit ei similis in*

(1) Protestantes moderni doctiores potissimi verî Evangelii veritate convicti, ut quodammodò excusent doctrinam Pseudo evangelistæ sui Lutheri, non tantùm religioni, sed et statui summoperè nocivam, ingenuè fatentur fidem, quam adhucdùm solam requirunt, debere esse vivam, hoc est, bonis operibus conjunctam. Ita ex parte Protestantium testes sunt fide dignissimi Joannes Gerardus, Franciscus Budæus, Joan. Albertus Fabricius, Molanus Abbas in Lokkum, cujus postremi expensâ explicatione celeberr. Jac. Benignus Bossuet tract. super reunione Protest. asserere haud dubitat : *Quidquid inest asperum* (in doctrinâ Protestantium de justificatione) *Lutherani recentiores, atque ipse vir doctus Molanus abbas adeò emollierunt, ut omnis prope modum ad nudas voculas redacta sit quæstio.* Confer clar. Wiest, tom. 6, pag. 130, ubi etiam hoc memoratu dignum effatum ejusdem Molani citatur : « *De hâc materiâ justificationis Andabatarum more hactenus pugnatum est, nec quidquam inter utramque sententiam, quod ipsam rem attinet, superest discriminis.*

terrâ; Matth. 11, v. 11 : *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ..... Ecce plusquàm Elias hic;* Matth. 8, 10 : *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel;* Luc. 7 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit;* unde etiam S. Augustinus, ep. 167 ad Hieron., scribit : *Induti sunt sancti justitiâ, alius magis, alius minùs.* Augmentum gratiæ probant sequentia testimonia : Psal. 83 : *Ibunt de virtute in virtutem;* Prov. 4, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem;* Apocal. c. 12, 11 : *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc;* ad Philipp. 1, 9 : *Hoc oro*, inquit Apostolus, *ut charitas vestra magis ac magis abundet;* 2 Corinth. 9, 10 : *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Hinc etiam Ecclesia orat ad Deum : *Da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum.* Ex Patribus denuò solus sufficiat Aug. qui, serm. 158 de Verbis Apostoli, c. 5, scribit : *Justificati sumus, scd ipsa justitia, quùm proficimus, crescit.* Et tract. 5 in Ep. 1 Joan, c. 3, de charitate sic disserit S. doctor : *Quùm fuerit nata, nutritur : quùm fuerit nutrita, roboratur : quùm fuerit roborata, perficitur.* Scripturæ igitur et Patrum auctoritati consentanea prorsùs est ista conc. Trid. sess. cit. can. 24, sententia : « Si quis dixerit justitiam acceptam non.... « augeri coram Deo per bona opera....., anathema sit. »

§ 255.

VIII. *Nemo mortalium certissimè credere potest, se justificatum esse, nisi id speciali revelatione cognoverit. Quis* enim *dicere potest : Mundum est cor meum, purus sum à peccato ?* ait sapiens, Prov. 20, 9. *Nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit; scd omnia in futurum servantur incerta,* Eccles. 9, v. 1 et 2. Hunc in locum B. Hieron. Comment. in c. 9 Ecclesiastis, inquit : *Porrò hic sensus est : etiam in hoc dedi cor meum, et scire volui, quos Deus diligeret, quos odisset, et inveni justorum quidem opera in manu Dei esse, et tamen utrùm amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, et ambiguos fluctuare, utrùm ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient.* Præterea Eccli. 5 legitur : *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Et Paulus de seipso testatur, 1 Corinth. 4, 4 : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum;* unde colligit S. Aug. lib. de Perfect. justit. c. 15 : *Quantâlibet homo justitiâ sit præditus, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum. Multa peccantes, plurima ne quidem intelligimus, quapropter dicit Apostolus : Nihil mihi*, etc. Idem tradit Tridentinum, sess. cit. cap. 9 : « Sicut nemo pius de Dei misericordiâ, « de Christi merito dubitare debet, sic quilibet, dùm « seipsum, suamque propriam infirmitatem et in- « dispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare et « timere potest, quùm nullus scire valeat certitudine « fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei « esse consecutum. » Vide quoque in eâd. sess. can. 13 et 14 (1).

(1) Hic Trid. non excludit omnem omninò certitudinem, sed tantùm negat certitudinem fidei.

§ 256.

IX. *Justitia, seu gratia sanctificans semel accepta amitti potest,* § 137 (1).

§ 257.

X. *Justi operibus bonis ex gratiâ factis verè merentur vitam æternam.*

Dogma istud adeò multis et claris S. Scripturæ oraculis et Patrum testimoniis illustratum cernimus, ut planè mirari oporteat quòd sint qui in plenâ luce lucem non videant. Pauca exempli loco deserviant : Eccli. 16, 15 : *Misericordia facit locum unicuique secundùm meritum operum suorum;* et c. 18, 22 : *Ne vereatis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum;* Matth. 5, 12 : *Merces vestra copiosa est in cœlis;* et cap. 25, 34, per enumerationem operum confirmatur. Rom. 2, 6 : *Reddet unicuique secundùm opera sua iis qui secundùm patientiam boni operis gloriam quærunt, vitam æternam;* 1 Corinth. 3, v. 8 : *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem;* 2 Timoth. 4, 8 : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex, non solùm autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.* Cui simile est illud Jacobi 1, 12 : *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, quùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Jam verò merces, corona, retributio non redditur nisi veris meritis, quemadmodùm SS. Patres tradunt. *Præceptis Dei obtemperandum est,* inquit S. Cyprianus, lib. de Unit. Eccl., *ut accipiant merita nostra mercedem.* S. Chrysost. hom. 22 in Gen. : *Quia in nostrâ voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideò et peccantibus supplicia proposita sunt et benè viventibus præmia.* S. Ambrosius, serm. 7 in psal. 118 : *Justus scit sibi coronam bonorum esse repositam meritorum.* S. Aug. ep. 105 ad Sixtum : *Nullane sunt merita justorum ? sunt planè, quia justi sunt, sed ut justi fierent, merita non fuerunt.* His consonant concilia Araus. II, can. 18; Lateran. IV, cap. *Firmiter;* Florent. in Decreto fidei; Tridentinum, sess. 6, can. 26 et 32, in quo definit : « Si quis « dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona « Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati meri- « ta, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab « eo per Dei gratiam et Jesu Christi merita fiunt, « non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æter- « nam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ de- « cesserit, consecutionem, atque gloriæ augmentum;

(1) Calviniani dùm in synodo Dordracenâ statuunt hominem justitiâ semel acceptâ non posse excidere, non negant equidem justum in peccata prolabi posse, volunt tamen quòd peccata quæcumque ipsi à Deo non imputentur. Lutheri sectatores à pravo magistri sui errore, quem tradidit in lib. de Captiv. Babyl. scribens : « Fidelis etiam volens non potest perdere « salutem, nisi nolit credere : nulla enim peccata pos- « sunt eum condemnare, nisi sola incredulitas, » jam tempore confess. Aug. art. 11, recesserunt, et calvinianæ doctrinæ portentum, quo teste Grotio contra Rivetum nullum in Christianismum potuit dogma perniciosius introduci, in Anabaptistis expressè condemnârunt, uti videre est apud illustriss. Bossuet in Hist. variat. lib. 3.

« anathema sit. » Unde in confesso est apud omnes Catholicos, tantùm abesse, ut merita justorum derogent meritis Christi, ut etiam totam suam efficaciam inde acquirant (1).

§ 258.

XI. *Actus spei etiam in justis boni sunt et commendandi.* Christus enim ad benè operandum sub spe præmii nos admonet, dùm sic nos orare docet : *Adveniat regnum tuum*, Matth. 6, 10 ; et v. 33. *Quærite primum regnum Dei.* Idem Dominus iis qui propter justitiam persecutionem patiuntur, mercedem promittit, Matth. 5, 10 : *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Insuper discipulos invitat ad perferenda mala intuitu mercedis, Luc. 10, 20 : *In hoc nolite gaudere, quoniam spiritus vobis subjiciuntur ; gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sint in cœlo.* Dein David etiam frequenter repetit se Dei mandata observare *propter retributionem.* Hinc in concussum manet conc. Trid. sess. 6, can 31, decretum : « Si quis dixerit « justificatum peccare, dùm intuitu æternæ mercedis « operatur, anathema sit. »

Ex parte VII, dogmata de consecutione salutis post vitæ humanæ exitum.

§ 259.

I. *In pœnam peccati omnibus hominibus ad mortem divino decreto decurrendum est*, § 127.

« Si quis soli Adæ prævaricationem suam, et non « ejus propagini asserit nocuisse : aut certè mortem « tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem « et peccatum, quod mors est animæ, per unum ho- « minem in omne genus humanum transiisse testa- « tur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo « dicenti, Rom. 5, 12 : *Per unum hominem peccatum « intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in « omnes homines mors pertransiit.* » Ita concilium Arausicanum II, can. 2. Citata Apostoli verba perpendens S. Aug. lib. 2 de Pecc. Merit. c. 4, ait : *Corpus mortuum est non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ pulvere factum est, sed propter peccatum. Quid ampliùs quærimus?*

§ 260.

II. *Post mortem corporis justorum animæ, quibus nihil superest infirmitatis humanæ luendum, in possessionem æternæ felicitatis, seu beatificæ Dei visionis sine dilatione admittuntur ; impiorum verò animæ mox ad infernum detruduntur.*

Dogma istud quoad primum membrum manifestat nobis : I. Scriptura, Psal. 126 : *Quùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Jam verò somnus pro morte sæpiùs usurpatur in SS. litteris et Psal. 3, 6 : *Revertatur pulvis in terram suam ; et Spiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum*, Eccles. 12, 7 ; 2 Corinth. 5, 1 : *Scimus, si terrestris domus nostra hujus habitationis* (corpus nempe) *dissolvatur, habemus domum non manufactam, æternam in cœlis.* Et v. 8 : *Voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Dominum.* Ad Philipp. 1, 23, inquit Apostolus : *Coarctor è duobus, desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Quid hoc aliud indicat, quàm : Cupio corpus deserere, migrare ad cœlestem gloriam, Christo conjungi, Deo frui. 1 Corinth. 13, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem ;* Apocal. 7, 9 : *Sancti* dicuntur *stantes ante thronum Dei, et in conspectu Agni.* Addunt alii verba Luc. 23 : *Hodiè mecum eris in paradiso.* II. SS. Patrum traditio : Clemens Rom. Ep. ad Corinth. de S. Petro scribit : *Martyr effectus discessit ad debitum gloriæ locum.* S. Ignatius, Ep. ad Rom., ait : *Sinite me ferarum esca fieri, per quas licet Deum adipisci.* Ecclesia Smyrnensis de S. Polycarpo, qui hanc veritatem ipsemet tradidit, Ep. ad Philipp. apud Eusèb. lib. 4 Historiæ ecclesiasticæ, 15, canit : *Devicto injusto præside, immortalitatis coronâ receptâ, cum omnibus justis exultans Deum glorificat.* Athenagoras in Apol. : *Persuasi sumus nos hâc vitâ mortali defunctos, meliorem esse victuros, ut apud Deum et cum ipso simus.* S. Cyprianus in Exhort. ad martyrium cap. ult. ait : *Quanta est securitas claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, et mundus, et aperire eos statim, ut Deus videatur, et Christus. Terris repentè subtraheris ut in regnis cœlestibus reporteris.* S. Gregorius Nyss. orat. fun. de Pulcheriâ filiâ Theodosii senioris inquit : *Si à te puella migravit, ad Dominum recurrit, tibi oculum clausit, sed sempiterno lumini aperuit. Hinc avulsa est planta, sed in Paradisum consita, à regno in regnum translata est.* Similia habent alii permulti ; unde etiam Ecclesia ad illud Act. 7 : *Stephanus vidit gloriam Dei*, rectè in officio addidit : *Vidit, et introivit.* III. Concilia : Lugdunense II, anno 1274, in professione fidei eamdem veritatem declarât his verbis : « Credimus illo- « rum animas qui post baptisma susceptum nullam « omninò maculam incurrunt, eas etiam animas, quæ « post contractam peccati maculam, vel in suis corpo- « ribus, vel iisdem exules corporibus, sunt purgatæ, « in cœlum mox recipi. » Conc. Florent. in decreto

(1) Ex his colligitur quid sit opus meritorium christianum, seu meritum supernaturale : scilicet rectè dicitur actus moraliter bonus, liber, ab homine justo et viatore procedens, supernaturalis, divinæ gratiæ auxilio, et Jesu Christi meritis secundùm christianæ legis præcepta elicitus, et in obsequium remunerantis Dei exhibitus, à quo rependitur præmium pertinens ad vitam æternam. Exinde tamen neutiquàm sequitur, hominem bonis operibus gratiam fidei, justificationis et perseverantiæ promereri posse.

Non est de fide 1° meritum illud hominis justificati esse vel de congruo tantùm, vel etiam de condigno, licet sit verum meritum. 2° Non est de fide hujusmodi merita provenire ex justitiâ potiùs quàm ex fidelitate promissionis Dei. 3° Multò minùs est de fide merita nostra ex gratiâ Dei procedentia talia esse, ut iis ex justitiæ rigore debeatur merces. 4° Nec est de fide quòd præter charitatem, et ex eâ procedentem contritionem perfectam, omnia bona opera justorum sint meritoria vitæ æternæ ; seu quænam in specie opera gloriam mereantur ? An opera temperantiæ, spei, fidei, et alia, si hæc à charitate non imperentur ? an verò sola opera à charitate imperata ? 5° Nec denique est de fide justum posse mereri pro aliis, quocumque merito, nec conversionem peccatoris, nec aliam gratiam. Vide Veronium, c. 2, § 1, et Holdenum, l. 2, cap. 5, § 3.

unionis, mox recitatis syn. Lugdun. verbis hæc alia adjecit : « Et intueri clarè ipsum Deum trinum, et « unum sicuti est ; pro meritorum tamen diversitate « alium alio perfectiùs.... Illorum autem animas, qui « in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, « mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus « puniendas. »

Pro veritate secundi membri sequentia unà cum aliis stant testimonia, Eccles. 11, 28 : *Facile est coram Deo in die obitûs retribuere unicuique secundùm vias suas... ; et in fine hominis denudatio operum ipsius ;* ad Hebr. 9, 27 : *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium ;* Luc. 16, v. 22 et 23 : *Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est et dives, et sepultus est in inferno.* Hunc in locum sic commentatur S. Aug. lib. 2 de Animâ et ejus Orig. c. 4 : *Quis adversùs Evangelium tantâ obstinatione mentis obsurdùit, ut in illo paupere, qui post mortem ablatus est in sinum Abrahæ, et in illo divite, cujus in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat ?* nempe *judicari animas, quàm de corporibus exierint.* Si quis contendat, eo loci non contineri historiam, sed parabolam ; numquid tamen negare poterit, Christum docere nos voluisse, quid hominibus contingat post mortem, ut scilicet bonorum vel malorum operum statim referant præmium, aut pœnam ? eò quòd in morte elapsum sit tempus merendi, aut demerendi, quemadmodùm Ecclesia semper et credidit, et docuit, etc. (1).

§ 261.

Memoratæ faustissimæ visionis suavitate post hujus vitæ exitum eousque privabuntur illæ justorum animæ, quibus aliquid luendum superest, donec divinæ justitiæ satisfecerint vel pro levioribus quibusdam noxis nondùm remissis, vel pro aliquâ pœnâ temporali, quæ ipsis post condonatam culpam adhuc solvenda restat in purgatorio, cujus in hunc finem existentia præter veteris ac novi Fœderis quædam oracula, universalis potissimùm ostendit Traditio.

III. *Fide igitur divinâ et catholicâ credimus, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis adjuvari posse, maximè verò acceptabili altaris sacrificio.*

30. Vous dites, Monsieur, que le Baptême n'étouffe pas la raison, qu'il n'en interdit pas l'usage, et qu'il ne peut être opposé par conséquent à un examen raisonné qui doit servir d'introduction à la foi. Mais cet examen doit-il être accompagné de doute et d'incertitude jusqu'au moment de la conviction, ou bien, est-ce une simple attention à des motifs assez lumineux, pour obtenir sans résistance et sans délai l'acquiescement du néophyte, dès qu'il est en état de les comprendre? Voilà ce qui nous partage. Vous ne pouvez au moins faire valoir contre mon sentiment les droits de la raison. Car elle n'a point celui de résister ou de suspendre son obéissance, quand elle est suffisamment éclairée. Elle serait trop ingrate, si elle se croyait avilie par la faveur inestimable d'une instruction qui l'élève d'abord à la connaissance de la vérité, et ne lui laisse d'autre soin que de s'avancer dans la route qu'on lui a si heureusement frayée. Vous ajoutez que la grâce sanctifiante ne se démontre point par elle-même à l'esprit d'un baptisé dans le premier exercice qu'il fait de sa raison. J'en conviens; elle ne se démontre pas même de cette manière dans tout le cours de sa vie. Mais lorsqu'on rappelle à son esprit, capable de réflexion, le Baptême qu'il a reçu, les engagements qui en sont inséparables, dont le premier est de croire, et le second d'agir conformément à cette croyance, les motifs qui l'engagent à remplir de tels engagements, il ne lui faut pas d'autres indices pour sentir ce que Dieu a fait pour lui, et il deviendrait infidèle et perfide, s'il hésitait un instant sur ce qu'il doit lui-même faire pour Dieu. Vous continuez en disant, n° 58, que *ce n'est pas précisément la promesse qu'on a faite au Baptême qui doit décider le salut d'un chacun.... Car quelque promesse qu'on pût avoir faite à Dieu, même en âge de raison, elle n'a de force qu'autant qu'elle est juste; et pouvant très-bien arriver qu'elle fût aussi facilement impie que juste, tout particulier qui est ignorant sur ce point, ne peut la tenir, sans s'exposer, avant d'en avoir reconnu la légitimité, et sans donner dans une vraie témérité.* Tout cela est certain. Aussi quand on insiste sur les promesses du Baptême, on ne les envisage pas détachées des motifs qui en pressent l'exécution. Mais ou ces promesses sont illusoires, ou il est impossible que quiconque a pu les faire, en recevant le Baptême, n'ait des motifs suffisants pour en reconnaître la justice. Un adulte qui les a prononcées, après s'être convaincu par lui-même de la vérité du christianisme, est dès-lors obligé de les accomplir. Il ne lui est plus permis de réclamer contre elles, parce que les motifs qui les lui ont inspirées, ne perdront jamais rien de leur force et de leur autorité. Un enfant a récité les mêmes promesses par une bouche étrangère et sans un examen personnel. Mais elles ne sont ni moins saintes, ni moins inviolables de leur nature; et si cette manière de recevoir le Baptême, et de subir le joug qu'il im-

pose est légitime, il est de la sagesse et de la bonté de Dieu, d'avoir préparé à ce néophyte des motifs qui lui montrent la justice de ce qu'il a promis, aussitôt qu'on l'invite à l'exécuter. Toute société chrétienne, qui ne veut, ni ne peut fournir de semblables motifs aux enfants baptisés dans son sein, lorsqu'ils ont l'usage de leur raison, s'est trop pressée de leur donner le Baptême. Elle les expose visiblement à cette témérité que vous blâmez avec raison, et qui consiste à tenir une promesse de la dernière importance, sans être assuré qu'elle soit juste. Mais une Église, qui par sa doctrine et par sa constitution, ne laisse aucun intervalle entre l'accomplissement possible et la connaissance des engagements du Baptême, est en droit, non seulement de le conférer aux enfants qui ne font que de naître, mais encore de les condamner d'infidélité dans les premiers moments de leur raison, s'ils refusent, ou s'ils diffèrent alors de ratifier ce qu'on a promis pour eux. Ainsi, Monsieur, je trouve comme vous ces deux conséquences également ridicules: *Tu seras Romain, parce que tu as été baptisé à Rome; Tu seras Calviniste, parce que tu as été baptisé à Genève.* Mais Rome peut dire à un néophyte sortant des ténèbres de l'enfance : *Tu dois être Chrétien, l'ayant promis au Baptême, parce que tu peux maintenant connaître et accomplir tes obligations. Tu dois être Catholique par la même autorité qui t'apprend à être Chrétien.* Au lieu que Genève, qui n'admet pour former la foi, d'autre moyen que la lecture des livres saints, dont ce néophyte est manifestement incapable, n'a rien à lui demander jusqu'à ce qu'il sache les lire, et qu'il puisse les examiner. Rome et Genève s'accordent néanmoins à baptiser les enfants peu de jours après leur naissance. Toutes deux attribuent la même vertu aux engagements inséparables du Baptême. Que doit en conclure toute personne équitable? Que l'une est aussi ferme et aussi constante dans ses principes, que l'autre chancelle et varie dans les siens; et que si l'enfant baptisé à Rome n'éprouve aucune difficulté dans son Église à observer les promesses de son Baptême, celui qui a été baptisé à Genève, trouve dans les mêmes promesses une raison décisive de renoncer à sa Communion.

31. Ce qui paraît favorable dans les canons du concile de Trente à la persécution, c'est *la contrainte* dont il menace les adultes qui ne voudront pas approuver par leur propre consentement les promesses qu'on a faites pour eux au Baptême. J'ai répondu dans ma première Lettre, 1° Que cette forte expression n'est employée par le concile, qu'à l'égard de la vie chrétienne : *Non aliâ pœnâ ad vitam christianam cogendos;* et qu'il ne dit pas même que cette contrainte, qui serait louable dans le magistrat politique et chrétien contre une profession publique de violer les lois et de mépriser la morale de Jésus-Christ, puisse et doive être employée par les pasteurs de l'Église. J'ai parlé ainsi en prenant le mot de contrainte dans le sens rigoureux de châtiments temporels exercés sur les biens, sur l'honneur, ou sur le corps. Dans ce sens, je suis intimement convaincu que l'Église n'a aucun droit de contraindre à embrasser la foi; et quoique S. Augustin ait accordé ce droit aux princes, après avoir pensé qu'ils ne l'avaient pas, j'aime mieux m'en tenir au premier sentiment de ce saint docteur; et en écartant la vexation, qui ne fut jamais un moyen propre à toucher les cœurs et à éclairer les esprits, dire que les souverains doivent réprimer l'erreur et protéger la vraie Religion, par des instructions ménagées aux sectateurs de l'une, par des grâces et des distinctions réservées aux défenseurs de l'autre, par des mesures efficaces pour prévenir ou pour arrêter les livres et les enseignements pernicieux, par des lois fidèlement exécutées pour empêcher tout exercice public d'un culte réprouvé. Du reste, à regarder l'obligation de conscience dont on est responsable à Dieu et à l'Église, elle n'est pas moins pressante pour la foi que pour les mœurs. Je l'avais déjà reconnu dans ma première lettre, où je disais vers le milieu, *que les engagements du Baptême dans votre communion, comme dans la nôtre, embrassent avec les maximes de la morale chrétienne, les dogmes au moins fondamentaux du christianisme.* Et vers la fin, *que le concile de Trente prenant le Baptême comme il se pratique dans l'Église Romaine, a pû décider.... que les promesses de ce Baptême, communes à toutes les sectes chrétiennes, n'imposent pas une moindre obligation, que si elles avaient été prononcées par un adulte.* Ce n'est donc pas en ce sens que j'ai voulu modifier le *cogendos* du concile; et *l'adoucissement* que vous m'imputez à cet égard, n° 61, est très éloigné de ma pensée. C'est pourquoi, en supposant que *la vie chrétienne*, dont il est parlé dans ce canon, renferme la foi et les mœurs, j'ai répondu, 2° que le mot de contraindre, *cogendos*, que vous censuriez si sévèrement dans le concile de Trente, était aussi susceptible *de bénignes explications*, que celui de presser, *urgendos*, que vous tolériez dans Steyaërt. Je l'ai prouvé par le *compelle intrare* de l'Évangile; et quand j'ai cité sur ce passage le Commentaire de Bayle, à qui vous prétendez aussi, n. 61, que *j'attribue tout le contraire* de ce qu'il pense, je n'ignorais pas que ce Commentaire *ne tend qu'à établir le tolérantisme :* et c'est delà que je concluais que le terme de contrainte peut être très bénignement expliqué. Pour moi, sans pousser la bénignité aussi loin que Bayle, je ne vois dans la contrainte approuvée par le concile de Trente contre les Chrétiens déserteurs de leur Baptême, dès qu'on voudra l'étendre à la foi comme aux mœurs, que les peines spirituelles que l'Église peut ajouter à la privation des sacrements, quand il s'agit de préserver la société des fidèles de la contagion d'une fausse doctrine, soutenue d'un exemple dangereux. Ces deux réponses différentes, mais subordonnées l'une à l'autre, justifient pleinement le concile de Trente; et la manière dont vous le traitez dans votre seconde Lettre, me donne lieu de croire qu'elles ont fait quelqu'impression sur vous.

32. Je serais bien fâché, monsieur, de vous *irriter davantage*, n° 60, *en persistant*, comme je le fais, dans le sentiment de M. Bossuet. Mais vous me paraissez

trop ami de la vérité, pour me savoir mauvais gré de vous l'exposer telle que je la connais, et telle que je désirerais qu'elle méritât votre suffrage. Vous me pardonnerez dans cette vue la longueur excessive d'une Lettre qui s'est grossie insensiblement sous ma plume, jusqu'à devenir une dissertation. Elle vous prouvera au moins le cas que j'ai fait de celle que vous avez pris la peine de m'écrire, et l'attention sérieuse que j'ai donnée à tout ce qu'elle contient. On ne peut rien ajouter à la sincérité des sentiments avec lesquels je suis, Monsieur, etc.

Au Puy, ce 24 Juin 1756.

DE SCHISMATE IN GENERE.

AUCTORE HOLDEN (1).

Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, *etc.* (1 Cor. 1, 10.)

Cùm quidam ex meorum numero amicorum, quas de resolutione fidei lucubrationes edideram, perlegisset, summo à me studio contendit, ut de schismate insuper breve aliquod corollarium adjungerem. Quid quæris? Impetravit. Is enim vir est, ut à me vix sine scelere quippiam ei denegari possit; tum propter summam conjunctionem, quæ inter nos intercedit, tum quòd constanter asseveret (plurimùm autem judicio eruditissimi viri tribuo) id generis opusculo, me quasi facem prælaturum, quâ, qui de rectâ religionis apostolicæ devii aberrant viâ, germanam et certam ingredi possint. Hanc igitur appendiculam festinans scripsi, in quâ, brevitate quâ possum maximâ, et quæ sit schismatis natura, quàm varium ejusdem ac multiplex genus, et denique quàm sit miserabilis schismaticorum status disputo.

Atque ea etiam hìc ponenda sunt, quæ in præcedentibus duabus tractatiunculis retulimus, de naturâ et consensione Ecclesiæ, de jurisdictione spiritali, quam Christus Dominus illius rectoribus pastoribusque tradidit; de obedientiâ his et submissione debitâ, et postremò de hæreticorum cujuscumque sectæ dogmatibus ab Ecclesiâ catholicâ pleno consensu, mirâque conspiratione ejectis feliciter et explosis.

Schisma destruit charitatem.

Nostrum porrò in præsentiâ institutum est, genuinam ac propriam schismatis naturam, ut ab hæresi contra distinctam, explicare, quandoquidem cum fide hæc, illa pugnet cum charitate. Cùm etenim charitas sit animi vita, quodcumque schisma charitatem adimit, idem necesse est et animi vitam tollat. Quare Augustinus afflictationes vexationesque animo inutiles, nisi charitatis ergo perlatas, asserens, hæc habet, lib. 1 de Sermone Domini in monte, cap. 3: *Neque schismatici aliquid sibi ex istâ mercede promittant, quia similiter ubi charitas non est, non potest esse justitia. Dilectio enim proximi malum non operatur; quam si haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia.*

Variæ hæreticorum opiniones de schismate.

Verùm priusquàm ulteriùs progrediar, advertendum inprimis inveniri quosdam de sectâ, quam aiunt *Protestantium* (quâ voce omnes eos, in præsenti tractatu, qui orthodoxi non sunt, comprehensos volo), qui arbitrantes tenui adeò discrimine (cùm reverà omne discrimen, quod membrum abscindit ac dividit à corpore, maximum sit, sive doctrinam spectet, sive communionem) sese in gravissimis quibusque fidei articulis ab ipsis catholicis differre, ut existiment se in statu quo nunc sunt, tutò posse persistere, etiam cum certâ spe æternæ salutis. Quinimò in ea tempora incidimus, quæ tot ac tantis diversorum undequàque sectariorum scatent generibus, ut nihil tam clarum, nihil tam sensibus obvium sit, quod non vocetur in dubium; tanta est eorum hominum, qui se acutulos credunt, temeritas et insolentia! Adde quòd cæca quædam audaciùs opinandi libido ita nonnullorum animos invaserit, ut abrogatis sanctioribus Ecclesiæ institutis, auctoritate ejusdem spretâ, immersos quosdam in nescio quas negationes, varias illas quidem et propè infinitas, reperire possis; alios, qui, defendere palàm minimè erubescant, schismaticorum vitam omni periculo vacuam esse; alios denique, quod magis mirere, qui mordicùs asserunt, nullum omninò schisma, aut divisionem inveniri eorum inter et orthodoxorum Ecclesiam. Quapropter ea probare tenemur, quæ luce meridianâ clariora sunt. Nam cui in mentem venire potest, Protestantes, qui romanam Ecclesiam, non multò post Lutheri defectionem, deseruerunt (legitimè, necne, non est hoc tempore disputandum), quique omnem cum eâ communionem, atque tum fidei articulos, tum sacrificii et sacramentorum usus abjecerunt, schisma identidem non fecisse? non divisisse se ab illâ Ecclesiâ, in cujus communione diù manserant? atqui hoc ipse ab ipsis Protestantibus præsens audivi; neque aliter, ut ingenuè fatear, unquàm adduci potuissem ut crederem.

Quid in hâc appendiculâ tractatur?

Quare brevissimè demonstrabo et dari schisma Catholicos inter et Protestantes; et quòd hoc schisma se teneat ex eorum parte; illos jure meritissimo schismaticos audire; vivere denique scienter et voluntariè in tali statu, esse perquàm periculosum; quanquàm ex illiteratis nonnulli, non sibi conscii criminis et periculi in quibus versantur, ob ignorantiam, quæ

(1) Vide Holdeni vitam, supra, col. 789-790.

ineluctabiliter circumfunduntur, aliquid excusationis, imò legitimè, habere possint. At primò sciendum est quid sit schisma.

ARTICULUS PRIMUS.

In quo natura Schismatis consistat; et quot Schismatum sunt genera?

Schisma, juxta vocis etymologiam et proprietatem, communemque notionem, nihil aliud est quàm *totius divisio aut sejunctio in duas aut plures partes;* sed quoad præsens, est divisio aut separatio facta in morali hominum, vel mystico corpore et societate, qui eamdem fidem, religionem, cultum divinum profitentur, licet sub diversis legibus ac statutis diversorum regnorum et rerumpublicarum vivant; est, inquam, *horum divisio quoad fidem, vel usum et exercitium religionis.*

Duplex genus schismatum.

Hujus generis schisma duobus modis contingere potest. Primò, potest esse duarum partium, aut membrorum hujus mystici corporis mutua inter se divisio, quorum tamen utrumque communionem habet cum toto. Secundò, potest esse sejunctio unius membri à reliquo corpore.

Primum genus non potest evenire in necessariis.

Verùm hìc notandum est primi generis *schisma* nunquàm fieri posse in universâ fidelium Ecclesiâ seu congregatione, quoad certos ac necessarios fidei orthodoxæ articulos, ita ut altera pars voluntariè propugnata, in certam et evidentem hæresim labatur : nam nec concipi potest totam eamdemque Ecclesiam pugnantia inter se dogmata, eaque divinitùs edocta, *essentialiter* et *necessariò* credenda subditis proponere.

Duabus ex causis provenire potest hoc genus schismatis.

Quapropter omne hujus naturæ et conditionis schisma, hoc est, duarum partium inter se dissentientium, nihilominùs communicantium cum toto aliâ ex causâ aut origine dimanet necesse est; nititurque maximâ ex parte, incertâ aliquâ opinione, aut cultùs divini exercitio quodam minùs necessario; quamcumque verò partem amplexus fueris, Schismaticus non audies; quippe quòd universa Ecclesia neutram damnârit : vel aliquâ ratione facti, vel ecclesiastici vel civilis, quæ discrepantium impotentiùs inter se partium animos commiserit; ut, verbi causâ, si duarum diœcesium populi et pastores, vel Ecclesiæ metropolitanæ, aut diversarum gentium, aut ejusdem gentis et nationis, mutuam inter se invicem in sacrificiis sacramentisque communionem contumaciùs renuant, detestentur, horreant; quæ dissensio nullo alio ex capite dimanat, quàm ex quæstione aliquâ theologicâ, in scholis problematicè, acriùs tamen quàm par erat, utrinque agitatâ, propugnatâque pertinaciùs; vel ex aliquâ institutione, aut quæstione facti, sive civilis, sive pontificii, tantus partium hinc inde tumultus oriatur; quâ tamen quasi privatâ discordiâ, particularique dissensione, nihil obstante, ambæ fideliter partes cum toto, universalique Ecclesiâ conveniant, ingens quidem ac detestabile peccatum, turpisque divisio admitteretur hoc pacto à partibus, ob defectum mutuæ earum inter se charitatis, quanquam, quoad cætera, omnia summâ consensione cum universâ Ecclesiâ conspirarent.

Hoc genus schismatis potest ab Ecclesiâ dirimi.

Atqui neque hoc genus schismatis ad nostrum pertinet in præsenti institutum. Attamen obiter advertere possumus, Ecclesiam universalem (cui hæc pugnantia inter se membra uniri ponimus, cujusque se jurisdictioni et imperio, ratione conjunctionis quam servant cum illâ, humiliter submittunt) vim habere et potestatem illa inter se conjungendi; vel enodando, solvendoque controversiæ nodum, convocato in illum finem generali concilio, si res postulet; vel saltem imperando, ut in gratiam redeant; ni faciant, anathemate percussuram rebelles animos.

Secundum genus schismatis ex duplici causâ, sed in duplici materiâ evenire potest.

Secundi generis schisma, cùm membrum aliquod singulare à totâ Ecclesiâ deficit, est id quod nobis hoc tempore potissimùm examinandum est; quod duabus identidem ex causis solet oriri, aut potiùs in duobus subjectis inveniri, vel in articulo quodam doctrinæ christianæ, ut Arianis evenit; vel in materiâ facti divinæ institutionis, ut Græcis et Donatistis.

In quam immensam, quovis ex capite hoc schisma oriatur, magnitudinem aut multitudinem excrescere possit, et an in tantam, ut majorem Ecclesiæ universæ partem sub se contineat, an et ipse papa fieri possit schismaticus, imò et earum partium propugnator acerrimus : quanto tempore regnare schisma possit : quas denique calamitates, quot ac quantas miseriarum excitare tragœdias valeat, sive per spirituales, sive temporales, innatâ sibi immanitate, respublicas sæviat; has inquam, et similes quæstiones tacitus sciensque prætermitto, cùm ad nostrum institutum non pertineant, earumque solutio de secularium principum gestis pendeat, quorum notitiam in aliud tempus acquirendam lubens rejicio.

Omne schisma ab uno auctore originem trahit.

Operæ tamen pretium erit lectorem admonere, id generis et conditionis schisma originem suam uni cuidam certo et particulari homini, qui primus dux et auctor defectionis exstitit, acceptam referre.

Schisma involvens hæresim.

Si hoc schisma, de quo agimus, insit vel dimanet ex aliquo doctrinæ catholicæ articulo (quamvis merè speculativo) qui universim defenditur, et ut fidei articulus plenâ Ecclesiæ consensione proponitur, hoc, in quam, schisma hæresim involvit, ut illud Arianorum Christo Domino divinitatem sacrilegè auferentium.

Schisma involvens sacrilegium.

Si verò insit aut dimanet ex quæstione facti, aut ex cultu aliquo externo, tradito universim et recepto in Ecclesiâ, ut divinitùs instituto, sive in sacrificiis accidat, sive in sacramentis, tale schisma in se includit *sacrilegium.*

Schisma specialiter involvens inobedientiam.

Si insit vel dimanet ex contemptu, aut ex oppositione factâ superiori potestati, in re licet Religioni non essentialiter annexâ, implicat tamen in se inobedientiam.

Omne schisma quodammodò involvit inobedientiam.

Atque hìc notabis omne *schisma* aliquo modo inobedientiæ reum esse, vel immediatum admissæ contra superiorem (ut fit in quolibet hæresiarchâ), vel saltem contra communes, generalisque Ecclesiæ universalis principes, magistratus, præsides, pastores congregatos, verbi causâ, in œcumenico concilio, vel alio quovis pacto, mirâ inter se harmoniâ consentientes. Ut si quis ex primitivis illis episcopis, presbyteris, vel Christianis concilium Apostolorum convocatum Jerosolymis contempsisset, quo sancitum est ut quisque à *suffocatis et sanguine abstineat*, Act. 15. Quod idem dicendum est de Nicæno et reliquis. Quare necesse non est, examinemus Protestantium inobedientiam, quâ divisi sunt à personali papæ auctoritate, cùm id nos multis irretiret implicatos quæstionibus, quæ ad rem nostram nihil facerent. Nihilominùs evidenti deductione concludere possumus, quòd sive schisma oriatur à speculativo, sive à practico dogmate, vel exercitio universim ab Ecclesiâ recepto, traditoque ut cœlitùs revelato; sive ex quovis alio actu aut cultu ab ipsâ Ecclesiâ instituto, aut ex quâcumque controversiâ concilio generali decisâ; vel denique ex quovis dissensu aut litigio, tam ecclesiastico quàm civili, nimio animorum ardore et inordinato affectu intento: clarum, inquam, est, ea schismata cum charitate opponi, ideòque et ab omnibus improbanda et fugienda.

ARTICULUS II.

Datur schisma inter Protestantes et Romanam Ecclesiam.

Dari schisma inter Protestantes et Romanam Ecclesiam, tam in articulis doctrinæ christianæ necessariis (eos autem necessarios articulos appello, quos universa Ecclesia Romana ita essentiales existimat, ut qui contrarium volens et sciens teneat, ejus Ecclesiæ membrum esse non possit), quàm in cultu divino, et exercitio sacrificiorum atque sacramentorum, evidentissimum est.

In quibus est schisma Protestantes inter et Catholicos.

Nullus negare potest quin omnes Romani catholici sacrificium Missæ tantâ reverentiâ et fide prosequantur, quantâ idem Protestantes è contra irreverentiâ et incredulitate detestentur. Nemo Romanus negabit panis substantiam in Christi Domini corpus in SS. Eucharistiæ sacramento transubstantiari; nemo Protestantium id agnoscet. Nemo Romanus sacramentum Cœnæ Dominicæ, *Protestantium* ministro offerente, capiet; nemo renuit *Protestantium*. Nullus item *Protestantium*, ni fallor, vel adorare, vel sumere vult sacrosanctum altaris sacramentum, offerente ac sacrum faciente Romano sacerdote, sacramque Synaxim fideli populo ministrante. Quis porrò unquàm audivit Catholicum Romanum, purgatorium, animasque ibi detentas vivorum suffragiis juvari negantem? Nec hoc, nec illud agnoscunt *Protestantes*. Catholici sanctos precantur et venerantur, septemque agnoscunt ex Christi latere fluxisse sacramenta: primum *Protestantes* damnant: secundum blasphemant. Quid multa? Si quis Catholicorum his articulis contraiverit, is fidei valedixerit, et ut ramus, cujus omnis vitalis succus exaruit, à trunco vitæque arbore, quæ est Ecclesia, abscindetur; cùm è contra hos omnes *Protestantes* nec flocci æstiment. Quisquis igitur catholicus aut verbo, aut opere his contradiceret, præter universæ Ecclesiæ consuetudinem, in numero Catholicorum non haberetur; et vice versâ, quisquis *Protestantium hos amplecteretur*, in album statim Romanorum referretur. Certum itaque fixumque maneat separationem, *Schismaque* inveniri hos inter et illos, idque in documentis et thesibus maximè essentialibus et substantialibus fidei christianæ actibus et exercitiis.

ARTICULUS III.

Protestantes schismaticos esse, non autem catholicos.

Nec minùs evidens est quàm præcedens, *Protestantes* jure merito *schismaticos* audire, et non catholicos. Illi necessariò *schismatici* sunt, qui priùs reliquos deseruerunt. (Utrùm legitimè, an contra, præcedentibus disputationibus ventilatum est.)

Quid Schismaticum esse.

In hoc enim *schismatici* essentia consistit: deficit quippe, separat se, ac dividit à corpore, cujus antea membrum fuerat. Sic, si quis unus in familiâ vir, aut si quâ unâ in civitate familiâ, aut civitas in Republicâ se à reliquo corpore sejungat, aliòque ob errores, innovationesque, quas sibi fortassè fingit irrepsisse, commigret, cùm cæteri tamen omnes illas leges et instituta agnoscant, et quæ ab initio Reipublicæ amplexi fuerant, hæc eadem esse uno ore fateantur: quis non fatebitur, cùm unicum hoc membrum cæteris dissentire videat, id à cæteris dividi, fierique *schismaticum*? quis cùm reliqua omnia legibus parere, obedire magistratibus, munia obire, miretur unum hoc refragari, non idem *schismatis* damnet? Pari igitur ratione si in initio Lutheri temporum, cùm nondùm fidem exuerat, omnes Europæ populi unam eamdemque Ecclesiam unanimi consensu, et summâ, quâ in doctrinâ, quâ in sacramentis et sacrificiis, communione, adibant et agnoscebant; Hispani, Itali, Germani, Galli, Angli, etc., et si statim *Protestantes* diviserint se sub Lutheri defectione (quod si quibus id factum sit motivis, quibus rationibus inchoatum, et in Anglià receptum, explicarem, quivis modestissimus Anglus erubesceret profectò suam luctuosam planè et miserandam ab Ecclesiâ defectionem ex venenosâ adeò et putridâ insuper radice exilivisse), tam in *substantialibus* fidei articulis, quàm in *essentiali* sacramentorum et sacrificiorum communicationis usu et exercitio, à totâ Ecclesiâ quam Itali, Hispani, Galli, Germani venerantur et agnoscunt; et si se Ecclesiæ legibus surripuerint, fidem noluerint dare eidem do-

ctrinæ ; sacramentorum et sacrificiorum usum et exercitium (sub prætextu errorum innovatorumque rituum, qui universam Ecclesiam, ut somniant, invaserant) abjecerint ; quibus tamen Catholica Ecclesia eo ipso tempore utebatur, quibus eorum majores longè antea, quibus proprii parentes, iique ipsi paulò priùs usi fuerant ritibus, doctrinâ, sacrificiis, religione : hæc, inquam, si vera sunt, si luce clariora, evidentissimè sequitur *Protestantes schismaticos*, divisos, segregatos et esse, et jure haberi. Idque nullus suî et rationis compos inficiabitur, quidquid effutiant nonnulli, ut incalescunt nimio disputandi ardore, piâque partium harum affectione, vel ut eludant et quasi leni exeant declinatione incommoda consequiorum tela.

Schismaticorum quorumdam Anglorum evasio refutatur.

Quòd si objicias *Protestantes* Angliæ non esse habendos *schismaticos*, nisi probetur eos à superiori aliquâ auctoritate defecisse ; quod quidem poni non potest, nec dici, cùm papæ jurisdictionem extra terminos propriæ diœcesis extendi denegent. Qui verò proprii non sunt Britanniarum episcopi, sed aliarum nationum pastores, nullam omninò sibi assumunt, aut vindicant auctoritatem, potestatemque in Ecclesiam Anglicanam ; quò fit, licere Anglis pro suo arbitrio novos mores, et ritus, quin quisquam contradicat, induere, eosdemque, cùm voluerint, inveteratos deponere.

Respondeo tamen certum esse, quod priùs commonueram, nullum hujus naturæ *Schisma*, de quo in præsenti, vel unquàm originem traxisse, vel potuisse oriri, quàm ex uno certo hæresiarchâ, qui priusquàm defecerat, superiorem agnoverat potestatem : quare omne *schisma* necessariò existit primò ab oppositione, aut contemptu altioris imperii et auctoritatis, quemcumque tandem ponamus hujusce divisionis auctorem : et quamvis ut *schisma* excitetur in Ecclesiâ, necesse non sit opponatur statim pontificis maximi auctoritati, ut retrò dictum est : an tamen in *schismatis* Anglicani initio jurisdictionem aliquam eamque agnitam in Angliâ habuerit papa ; et an tantam, ut *Ecclesiæ Catholicæ caput* nuncuparetur, cujus et Angli tunc membra Ecclesiæ erant, et denique an eam, quam et illâ et hâc tempestate habet in regnis Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, etc., propria eorum decreta, leges, statuta, contra papæ primatum lata, testentur. Verùm demus illis suam hanc defectionem, auctoritati papæ initio oppositam non fuisse, et ponamus nullum omninò eo tempore papam vixisse, hoc tamen eorum factum nullâ ratione excusari potest, quin *schismatis* inuratur notâ, tum quòd à spiritali suo superiori se primus auctor alienaverat, eodemque pacto cæteri omnes à toto corpore perduellionis rei defecerant ; cùm etiam quòd se diviserant, vel ut Evangelistæ verbis utar : *Prodierant ex nobis, sed non erant ex nobis* (id est, ex electis) ; *nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*, 1 Joan. 2. Quoniam omnis contra auctoritatem defectio, universim loquendo, annexa est *schismati* cuilibet, præsertim in primo auctore, sectæque principe (ut etiam et in illis), nec tamen *schismatis* principalior pars est. Namque sufficit ad essentiam *schismatis* aut schismatici, quòd se segreget ac dividat à reliquo corpore, cujus antea membrum fuerat, et quòd nullam cum illo communionem servet in iis, quæ sibi ad subsistendum, et ad corporis sui substantiam ducit *necessaria*. Quare si priusquàm se reformarent *Protestantes*, universa Ecclesia Catholica (cujus etiam tum rami erant) summâ cum iis communione, tam in Ecclesiasticis ritibus et ceremoniis, quàm in usu et exercitio sacramentorum conjuncta fuerit, et si se separaverint et sejunxerint à reliquo Ecclesiæ corpore, in variis fidei articulis, quos et ante et post illam horum defectionem Ecclesia tenuit firmiter, et etiamnum tenet, ut essentiales partes Religionis, præsertim cùm de sacrificiis et sacramentis loquimur (qui sunt actus Religionis magis principales), fieri omninò non potest, quin divisio et *schisma* ex eorum parte se teneat.

Schismatici nolunt subjectum schismatis Ecclesiæ judicio subjicere.

Quod porrò magis clarum est ex eo quòd *schismatici* nolint controversiam præsentis Ecclesiæ judicio subjicere. Nam cùm concilium generale sit supremum in terris Ecclesiasticum tribunal, et cùm Ecclesia catholica cum suis membris communicare non renuat, nisi ob res ita dijudicatas et decisas, evidens est primos *Protestantes*, qui censuræ et judicio Ecclesiæ stare noluerunt, omnem cum eâ societatem exuisse, et per consequens *schismaticos* esse. Neque enim is ulteriùs civis est, qui non acquiescit ultimæ et definitivæ sententiæ latæ, sed decretis repugnat et reluctatur supremæ potestatis, illius etiam civitatis, cujus membrum se fatetur.

Articulus IV.

Vitam schismaticam esse periculosam probatur.

Esse periculosum animæ Christianæ statum, *vitam schismaticam*, cognitam ut talem, et divisam ab illâ Ecclesiâ, quam omnes fideles agnoscebant, quam ii ipsi ante defectionem, quam parentes et majores multis ante seculis ut germanam et orthodoxam venerati sunt : hoc, inquam, vitæ genus periculosissimum esse, ita mihi clarum videtur, ut probationibus non indigeat, præsertim iis hominibus, quorum affectus benè moderati felicioribus ingeniis pollent, cum sensu aliquo interno et sollicitudine æternæ salutis obtinendæ : primò, quoniam plurimi ex *Protestantibus* erudit homines, hoc concedunt : deinde omnes antiqui Patres id manifestissimè demonstraverunt contra illorum temporum *schismaticos*. Verùm, ut clariùs tanti momenti veritas innotescat, rem altiùs repetam, totumque hoc ulcus, quantùm quantùm est, pro meis viribus patefaciam.

Nota 1° : Omnis hæresiarcha schismaticus superioribus reluctatur.

Est igitur primò advertendum, quod jam supra

dictum est, omne *schisma* ex quocumque corpore id exsilierit, seu Ecclesiastico, seu politico, seu temporali, seu denique spirituali, esse divisionem aut defectionem à superioribus et principibus istius corporis, cujus separationis primus auctor ipse aliquando membrum fuerat; imò fieri potest, illum, munus aliquod principale in isto corpore, ut judicis, ducis, tribuni, episcopi, aut sacerdotis gessisse.

Nota 2° : Omne schisma est destructivum corporis in quo accidit.

Advertendum secundò, divisiones, *schismata*, et quascumque denique defectiones, nata esse apta destructioni eorum corporum in quibus accidunt (quamvis aliter aliquando variis de causis evenire possint), secundùm mensuram quantitatis quâ gaudent. Nam si pax et concordia non servetur in quâlibet societate, secundùm leges et statuta sui dominii et administrationis, quæ examinanda et judicanda sunt à superioribus, et ab iis qui cum imperio pro illo tempore sunt, in nomine corporis aut reipublicæ, initio defectionis omnis et schismatis, impossibile est quòd tale corpus subsistat, ipso Christo Domino his verbis testante, Matth. 11 : *Omne regnum divisum contra se, desolabitur; et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit.*

Unio necessaria in omni societate.

Hæc, inquam, concordia partium et membrorum cum toto, ita *essentialis et necessaria* est in omnibus societatibus, rebuspublicis, regnis, civitatibus, et familiis, ut nihil clariùs aut evidentiùs fingi possit. Hi enim principes et superiores cujuscumque generis (ut radices in vegetativis, aut in sensitivis cor) vitam motumque reliquis membris ac partibus ministrant; divisio autem membri unius et separatio ab his, moralis interitus est ipsius separati. Quòd si ipsi casu aliquo pereant, totum protinùs ædificium ruit. Cùm igitur Christi Ecclesia sit (ut retrò dictum est) hominum societas Christi legem et statuta profitentium et observantium sub imperio visibilium magistratuum ac superiorum, quos suos ipse in terris vicegerentes constituit, et quibus solis media *infallibilia* tribuit ad leges suas interpretandas, et ad diligenter curandum, ut religiosè à cæteris observentur; et consequenter qui non vivit sub hoc imperio, et qui non recipit Christi legem ab his traditam magistratibus, non potest, universim loquendo, propriè certòque Christianus esse. Hæc, inquam, cùm ita sint, optimè sequitur omnem actum *schismaticum* ortum in Ecclesiâ, naturâ suâ tendere ad destructionem et ruinam, quantùm in se est, omnis Christianæ societatis et conjunctionis : item, membra taliter abscissa et separata, nihilque commune habentia cum reliquo corpore, illius ulteriùs viventia membra non esse.

Unde gravitas peccati in schismate.

Unde pari ratione deduci potest omne peccatum in actu *schismatico* inclusum (si cætera sint paria), magis vel minùs esse grave, secundùm corporis aut societatis qualitatem ac dignitatem. Sic destructio alicujus familiæ per intestinam discordiam et seditionem, non est æquale peccatum cum destructione et ruinâ integræ civitatis, nec unius civitatis comparatæ toti provinciæ, nec provinciæ regno vel imperio. Jamverò ulteriùs manifestum est sòcietatem totius Ecclesiæ Christianæ et Catholicæ, quæ est Christi *sponsa et mysticum corpus*, latiùs patere, et majoris longè momenti esse, quàm ulla alia inter homines esse possit. Est enim sola et unica communitas, in quâ æterna salus comparanda et procuranda statuitur. Unde necesse est actum *schismaticum* tendentem ad divisionem, et per consequens ad ruinam hujus sacrosanctæ societatis, et ad perditionem eorum omnium, qui in infelici illâ divisione involvi possint, esse maximum et gravissimum peccatum; talique *schismati* scienter inhærere, æquale fere peccatum implicat, cum primi auctoris seu hæresiarchæ peccato.

Quòd Romana Ecclesia fuit olim Ecclesia saltem vera Christi.

Atque hìc ex *Protestantibus* quæro, utrùm tota societas, quæ nunc Romana Catholica Ecclesia dicitur, hoc est, quæ sub illâ denominatione, communionem secum ipsâ habet, et in Religionis exercitiis et in articulis fidei, saltem semel fuerit per trecentos aut quadringentos annos immediatè proximos post Christi in cœlos ascensionem, imò immediatè ante *Protestantium schisma* (cùm nulla alia illâ tempestate existeret), quæro, inquam, an non fuerit illa ipsa Ecclesia Catholica, cui tot deferuntur encomia, tot adscribuntur in sacrâ paginâ benedictiones, tot divina cantantur elogia? cui omnis obedientia toties à Christo Domino inculcata debetur? et denique an illa non sit, quæ semel quidem veram fidem habuit, eamque professa semel saltem est?

Quòd Romana Ecclesia ab Apostolis continuatâ serie ad nos usque semper visibilis pervenerit.

Ulteriùs porro quæri posset, utrùm hæc eadem Ecclesia per longam annorum et continuatam multis seculis seriem pervenerit, atque descenderit ad nos usque sine omni interruptione? et an non per externam saltem et visibilem congregationem hominum, eamdem semper doctrinam, religionem, eumdem usum et exercitium sacramentorum et sacrificiorum præ se ferentium, ad hoc usque tempus defluxerit? Quæ duo cùm certa sint, ut vel ipsi *Protestantes* fatentur, ulteriùs urgeo, quæroque quibus nunc licitum sit fundamentis hanc Ecclesiam impugnare, aut deserere? pellicem Babylonicam nuncupare? adulteram, obscœno ore, erroneam, et meretricem dicteriis acerbissimis dicere? Sufficitne, quæso, quodlibet leve et debile argumentum, aut apparens ratio, ut quisque pro suo arbitrio, securus omnis erroris, contemnere sic possit illam, quæ universim creditur esse Christi sponsa, imò et divortium cum illâ facere? An non potiùs habendæ sunt fortissimæ demonstrationes, ineluctabiles consequentiæ, evidentissima et inevitabilia argumenta, imò usque adeò efficacia, ut nullus sic crasso natus sub a , sic omnis rationis expers

reperiri possit, qui iis nequeat convinci? Aliter meherclè is meritò et scurrilis dicacitatis, et defectionis reus agi posset.

Schismatis origo, superbia.

Hinc colligere poteris omne *schisma* ex superbiâ et arrogantiâ humanæ naturæ vitiatæ tanquàm ex fonte manare; quod manifestum est ex eo quòd hæresiarchæ, eorumque sectatores, et *schismatis* in Ecclesiâ propugnatores, propagatoresque, normam suæ fidei nolint sumere ab iis, qui cum auctoritate præsunt Ecclesiæ universali, in quâ vivunt, et quòd solùm in illud velint credere, quod sibi ipsi congruum et conveniens esse, juxta proprias Scripturæ ac Patrum interpretationes fingunt, et non juxta id quod audiunt, et fidelibus vident oculis, ab universâ unanimi consensu Ecclesiâ prædicari et exerceri; quin imò eâ insolentiâ efferuntur, ut omnia pro suo libitu emendanda et corrigenda existiment; nec curant si dixeris unum solum homuncionem in initio *schismatis*, contra communem orbis terrarum consensum sic delirâsse; ita ut solum fundamentum, quo nititur *schismaticus*, et super quod suam Ecclesiam ædificat, et denique quo suam defectionem legitimam probat, est proprium judicium et phantasia, cùm universalis auctoritas, et unanimis consensio, et in doctrinâ, et in cæremoniis præsentis Ecclesiæ Catholicæ, cujus membrum hic hæresiarcha, priusquàm exputrefieret, fuerat, et contra quam sua exaltat cornua, deberet rectiùs multò esse sibi infallibile motivum, petraque immobilis, super quam jaceret fundamentum fidei, et religionis, nullâ tempestatis vi diruendæ.

Proprium cujusvis judicium non potest esse fidei communis et Catholicæ sufficiens regula.

Quanquàm autem juxta hoc principium, cuilibet licitum sit vel addere, vel adimere pro suo arbitrio, ex doctrinâ Christianâ et cultu divino, quidquid sibi visum fuerit, quidquid suo genio fuerit et judicio consentaneum; verumtamen dici non potest hoc fundamentum, scilicet judicium cujusque proprium et singulare, esse certam et sufficientem regulam ac methodum, quâ tota universalis Ecclesia fidem ritusque suos ordinet et observet. Nam hic *schismaticus* (vel quisquis iisdem principiis innititur) suam fidem ædificans, cæremonias formans, et eliciens ex proprio cerebro malesano, Scripturæ ac Patrum interprete, potest, quantùm nos colligere possumus, intra paucos dies, novâ Scripturarum interpretatione de pristinâ deterreri sententiâ, et in aliam paulò post similiter mutandam incidere. Ideòque si nullum firmius fundamentum, nulla solidior ratio foret, quâ universalis fulciretur Ecclesia, ritusque stabilirentur Christianæ Religionis, quàm privata et singularis uniuscujusque opinatio, nihil certi et *infallibilitatis* haberet in se Christi religio, quod Christianis omnibus commune et necessarium esset, ut fusiùs superioribus disputationibus probatum est.

Qui omnibus fidei articulis non credit, nullam habet fidem Catholicam.

Hinc ultimò deduces, vel unius articuli Christianæ doctrinæ abjurationem, qui adeò *necessarius et essentialis* est, ut qui contrarium defenderet, *hæreticus* statim audiret generali Ecclesiæ consensu, adeò involvere in se defectionem à reliquâ fidelium societate, ut nullam omninò fidem *Catholicam* habere judicandus sit hujuscemodi *schismaticus*. Nam quamvis cæteros omnes orthodoxos articulos, uno hoc excepto defendat ac teneat, imò licet illius fides, ob rationem habitam aliorum articulorum, quos illum tenere ponimus, aliquâ ratione minùs propriâ *divinâ* dici possit: tamen, *quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, Joan. 2. Et ratio est manifesta, quia fieri omninò non potest, ut unicuique articulo Religionis Christianæ fidem habeamus, eò quòd nobis ab Ecclesiâ Catholicâ proponitur, quin necesse identidem sit, cæteras omnes propositiones, quas eadem Ecclesia nos docet eodem nixa fundamento, teneamus. Quare si hoc principio niti volumus, id est, *Ecclesiâ Catholicâ*, vel omni, vel nulli (par enim est utrinque ratio) assentiri tenemur. Unde patet omnia hujus naturæ *Schismata* (de quibus in præsenti) ex inobedientiâ et contradictione *tunc præsentis Ecclesiæ Catholicæ* oriri.

Quàm periculosa res sit, Ecclesiam universalem in quocumque tempore existentem non audire, non observare, in quâcumque dico tempestate, in præcedentibus tractatiunculis satis narravimus; Verbumque æternum paucis nos verbis id clarissimè docet, Luc. 10: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Et iterùm Matth. 18: *Qui non audit Ecclesiam, sit tibi tanquàm ethnicus et publicanus*

Objectio.

Nunc itaque videamus an satis sit Protestanti dicere, (licet, ut credo, paucissimi velint): omnes fideliter propositiones firmiterque teneo, quas vos *Catholici* agnoscitis et tenetis; omnes præterea Religionis, quos exercetis, actus lubens et ipse factitabo; nihilominùs cum Protestantibus solidam communionem in suæ Religionis cæremoniis, ritibus, et exercitiis sartam tectam (pace vestrâ) servatam volo.

Solutio.

Licet enim hìc videri nolit *Schismaticus*, cùm promptissimus sit omnes exequi Religionis actus, quos Ecclesia Romana præstat, eâque de causâ arbitratur se ab illâ nequaquàm exclusum, reverà tamen excluditur, eò quòd societatem ineat cum membris *schismaticis*, idque in *essentialissimis* actibus et exercitiis eorum infidelitatis, divinique cultûs sacrilegè exhibiti. Quo pacto fit unus ex illis, et per communicationem, quâ particeps fit cum illis in sacris, aut veriùs dixeris, sacrilegis cæremoniis, segregat se à verâ fidelium societate: *Quæ enim conventio Christi ad Belial? Quæ pars fideli cum infideli? Quæ societas luci ad tenebras? Qui consensus templo Dei cum idolis?* 2 Cor. 6.

Ecclesia, *Christi sponsa* est, eique unitur, ut capiti, reliquum corpus. Quæ veritas toties ab Apostolo pronuntiata, et conceptis inculcata verbis est, ut mirari satis non possim tantam esse hæreticorum audaciam,

temeritatem, insaniam, ut non solùm impudentissimis eam audeant maledictis et scurrilibus lacessere contumeliis, verùm etiam crudeliter et barbarè laceratam in partes membratim (qui *schismaticorum* mos est) dividere et distrahere: *Vocati estis* (verba sunt Apostoli 1 Cor. 1) *in societatem filii ejus Christi Domini nostri. Obsecro vos, fratres, per, etc., ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eâdem sententiâ.* Et inferiùs, ubi disserit de diversis membrorum in eodem corpore physico muneribus, quod comparativè ad mysticum Christi et Ecclesiæ refert, hæc habet: *Ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Vos estis corpus Christi, et membra de membro. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis : sicut et in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo*, ibid. 12. Exhortatur item Ephesios ad unionem servandam inter se: *Supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis*, Eph. 4. Ubi iterùm Ecclesiam vocat corpus Christi: *In ædificationem*, inquit, *corporis Christi crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem suî in charitate*, ib. v. 12, 15 et seqq. Et S. Judas, 4, 19, ait : *Hi sunt qui separant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Et S. Joannes, 1 Epist. 2 : *Ex nobis*, inquit, *prodierunt*, etc., ut supra. Et idem Evangelista, cap. 17, Christum afferens orantem Patrem pro Ecclesiâ : *Serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos*, etc., et alibi in Scripturis passim.

Quis ignorat quàm horrendo mulctati sint supplicii genere Chore, Dathan et Abiron, ob excitatam in Judaïcâ Synagogâ divisionem? Num. 16. Quam tamen Ecclesia Christiana tantùm superat, quantùm imaginem verus homo, aut umbram sol. Verùm nolo appendiculam hanc tremendis Scripturarum citationibus, quibus severè *schisma* prohibetur, implere; quas si omnes ingererem, si execrationes, interitus, supplicia et minas contra auctores et sectatores *schismatis* adscriberem, in ingens hoc opus volumen excresceret.

Quod idem tam ex conciliis generalibus, quàm ex SS. Patribus colligi potest, qui omnes uno ore lamentabilem *schismaticorum* statum et conditionem, ut periculosam, deplorant et detestantur, quod ex libris, quos contra suorum temporum *schismaticos* scripserunt, colligere manifestè licet. Quodlibet autem seculum suum *schisma* plùs minùs passum est, juxta Christi Domini propheticum testimonium. Sed hæc omnia in variis Catholicorum libris et scriptis, lector, reperire poteris. Mihi satis est, quantùm ad præsens institutum attinet, demonstravisse *schisma* ex innatâ sibi naturâ tendere ad destructionem et ruinam corporis ex quo pullulat; imò et eorum insuper membrorum, quæ se à corpore sejunxerunt, nullamque idcircò causam sufficientem esse, quâ defendi, aut jure excusari possit ejus prima fabricatio; aut quâ justificari is queat, qui totius corporis et societatis auctoritati resistit : qui expressus S. Augustini sensus est et sententia, Epist. 48.

Pravi mores et abusus in Ecclesiâ corrigendi.

Non tamen is ego sum, qui asseverare audeam, morbos aliquando et pravos mores, humoresque in quâcumque societate aut corpore inesse non posse; imò fateor esse aliquando id generis vitia eradicanda, amputandosque lictoris falce luxuriantes nimiùm ramos ingruentium sensim in societatem morum alienigenarum et incognitorum; veteresque (si casu exaruerint) vivificandos denuò, et quasi postliminio revocandos. Quanquàm verumtamen hoc fieri non debeat (saltem in iis rebus, quæ essentiales et necessariæ sunt ad totius corporis aut societatis conservationem) ab aliquo quocumque particulari privatoque membro, sine capitis aut gubernatorum consensione, multò minùs eis universim contradicentibus et renitentibus. Vitia quidem et defectus communes, in quibuscumque acciderint societatibus, corrigi et emendari facilè possunt conspiratione et consensu superiorum, et eorum qui ex naturâ et conditione munerum quæ obtinent, auctoritate suâ et consilio rectæ totius corporis administrationi, in quo omnis ejus salus consistit, consulere tenentur; aut saltem suffragiis et conspiratione majoris partis ejusdem societatis; nunquàm verò unius particularis conatu, toto reliquo corpore reluctante. Fateor etiam particulares et quasi privatos abusus, qui solùm certos quosdam ac determinatos homines, seu particularem aliquam congregationem, vel Ecclesiam, sive episcopalem, sive archiepiscopalem, sive denique nationalem infecerunt, auferri posse curâ et diligentiâ illius particularis congregationis. Quinimò nonnunquàm privatus aliquis viam proponere superioribus et magistratibus potest, quâ etiam publica vitia tolli possint, modò id fiat cum debitâ reverentiâ, humilitate, prudentiâ.

Non est membri alicujus privati et particularis totum corrigere, toto reclamante.

At sanè nihil latiorem ad schisma viam aperit, et consequenter ad omnem societatem, sive ecclesiasticam sive civilem, funditùs evertendam, quàm privatorum hominum, imò vel familiarum, aut congregationum particularium (reclamante interim et renitente reliquo universali corpore) insolentia, quâ sibi, nescio quo pacto, vindicant potestatem, auctoritatemque statuendi, quid, etiam in universo corpore, justum et rectum sit, quid distortum et abscindendum; qui ritus divini et Religionis exercitia recipienda, quæ rejicienda; quæ denique fidei Catholicæ dogmata tenenda, quæ impugnanda. Neque interea laborant, an hæc, aut illa sint corpori universo essentialia et necessaria : quo certè nihil absurdius fingi aut excogitari potest, nihil Christianæ reipublicæ perniciosius. Quapropter iterùm cum Augustino concludamus, nullam usquàm ullo tempore justam et legitimam causam assignari posse, quâ membrum aliquod particulare fretum, Catholicam queat communionem jure deserere.

Licebitne aliquàndo unius parochiæ ministro aut pastori pro suo libito corrigere et transmutare Christianæ fidei dogmata maximè necessaria, Religionis actus, ritusque essentialissimos, exercitos scilicet et agnitos in totâ diœcesi in quâ vivit; idque contumaciter se opponendo episcopo, sociisque in episcopatu sacerdotibus, ministris et universæ fidelium istius diœceseos congregationi? Vel licebitne ulli episcopo idem moliri, invito suo metropolitano, et cæteris suis coepiscopis, sacerdotibus, reliquisque ut supra? aut cuilibet archiepiscopo, invito primate? Aut denique primati alicui licitumne erit se eodem modo pontifici maximo reliquisque primatibus, archiepiscopis, episcopis, sacerdotibus, universæque fidelium societati opponere? Nequaquàm certè. Quod si his licitum non sit, multò minùs licitum erit cuicumque laico, cujuscumque fuerit gradûs aut dignitatis. Atque hìc animadvertendum est, defectionem hujusmodi, vel schisma sacerdotis, episcopi, archiepiscopi, primatis, non solùm esse oppositum superiori suo immediato (juxta ordinem divinæ hujus Hierarchiæ Ecclesiæ) reliquisque omnibus ex congregatione istius superioris, (ut verbi causâ, parochi suo episcopo et universæ illi diœcesi) verùm etiam ut plurimùm evenire in materiâ fidei, aut consuetudinis, quæ ab Ecclesiâ universâ per totum terrarum orbem diffusa, veluti Christianæ Religionis aliquid omninò substantiale et necessarium creditur et exercetur. Quam, quæso, non inferret rerum omnium confusionem, et ordinum inversionem, hoc, si statuetur privilegium? Quod autem dictum est de Hierarchâ Ecclesiastico, à fortiori dictum esto de quocumque monacho apostatâ, aut regulari fratre, qualis olim Lutherus fuit. Nam præterquàm quòd horum rebellio fit adversùs divinitùs institutum et canonicum superiorem suum ac judicem, (quod ipsum schismaticum est ac abhorrendum) hi insuper sub sunt regularibus præpositis, à quibus etiam deficere, sacrilegum quid et impium est, ob defectum obedientiæ, quam priùs voverant.

Evasio refutatur.

Nec dici potest talem parochum contendentem sibi adjungere integram suam parochiam, aut episcopum totam suam diœcesim, aut metropolitanum, vel primatem, suum archiepiscopatum aut primatum, incipere posse et inducere talem reformationem juxta terminos propriæ suæ jurisdictionis : semper enim supponi debet hanc eorum divisionem opponi cum superioribus, reliquisque magistratibus universæ et Catholicæ Ecclesiæ, idque non solùm iis renitentibus, verùm etiam oppositum universim sentientibus, et palàm profitentibus quod hi expressè rejiciunt; hoc etiam maximè in iis rebus, quæ Christianis omnibus communes sunt, et ad universos pertinent : utpote in essentiali aliquo fidei articulo, aut divinitùs instituto Religionis exercitio (hoc est, quod tale à reliquâ Ecclesiâ censetur, et ab universâ, ante defectionem hanc, habebatur) ac proinde per consequium necessarium, impium est et damnandum, tanquàm et Hæresim et Schisma involvens : vel in aliâ thesi aut praxi minùs necessariâ, leviorisque momenti, (propugnatâ tamen universim ab Ecclesiâ, creditâ nempe, aut practicari solitâ) quod pariter detestandum, tanquàm Schisma charitati contrarium, lacerans, ac in partes dividens Ecclesiæ catholicæ unitatem et societatem, Christi scilicet corpus mysticum; estque reipsà, quantùm in se est, totius Christianitatis abolitio et extinctio.

Alia refutatur evasio.

Nec porrò dici potest, quemvis Angliæ, verbi causâ, episcopum esse aliâ ratione particulare membrum Ecclesiæ Anglicanæ, quàm in initio schismatis Primas Cantuariæ, reliqui episcopi, clerici et laici istius regni, membra fuêre universæ Christi Ecclesiæ. Eodem itaque modo, quo Anglicana Ecclesia se divisit et separavit ab universali, particularis quivis Angliæ episcopus æquè legitimè defecisse potuit à reliquâ suâ nationali communitate, seu congregatione, in rebus, inquam, ad Religionem spectantibus. Item et æquè legitimè quivis particularis parochus à totâ diœcesi; imò quivis laicus (qui graviter aberrâsse existimâsset à verâ doctrinâ et Religione omnes nationis suæ episcopos, clericos, populumque) deseruisse pari ratione potuit. Concludendum itaque est, unumquemque particularem hominem, cujuscumque dignitatis aut conditionis, omnes partes et membra, omnes denique societates et congregationes (quæ tantùm particulæ sunt universalis Ecclesiæ) teneri, inquam, omnes (sub quocumque civili imperio subsint) Catholicæ, id est, universæ Ecclesiæ adhærere, quidquid oppositum schismaticè et seditiosè suadeat tam in divinis omnibus et essentialibus fidei articulis, et substantialibus Religionis exercitiis et ritibus, quàm in consuetudinibus et usibus, licet minùs necessariis, receptis tamen et practicatis universim ab Ecclesiâ, quo primo schismatis prorumpit lethalis vapor. Imò et mutuam, non modò inter se, pacem et communionem conservare tenetur quævis congregatio, sive episcopalis, sive archiepiscopalis, sive nationalis; verùm etiam cum reliquis pastoribus, rectoribus, et fidelibus christianis aliarum nationum totius Ecclesiæ universæ, quoad actus omnes divinæ fidei, et essentialia Religionis exercitia. Aliter reperietur facilis via cuilibet particulari congregationi et personæ, quâ exeat ab universali, seque dividat in tot divisas Religionis professiones, oppositaque inter se, etiam essentialiter fidei dogmata, et divini cultûs exercitia, quot quisque clericus, imò quod quisque laicus, cujuscumque sexûs aut conditionis, totius Ecclesiæ catholicæ sibi fingere possit; eruntque tot sententiæ quot homines, tot Religiones quot capita; vel veriùs dixeris, infinitæ opinationes; at nulla prorsùs Religio. Hanc affirmat veritatem in omni schismatis progressu frequens nimis experientia, quodque præsens et recens in Angliâ testatur tum fidei, tum cultûs divini varietas

Alia refutatur evasio.

At dixerint fortassis Protestantes, regem aut supremum senatum cujuscumque regni vel reipublicæ, eas sancire leges et statuta posse, quibus directè, vel in-

directè saltem, istius regni aut reipublicæ, tam clerici quàm laici, omnem externam jurisdictionem, superioritatem ac dependentiam abjicere teneantur, illamque leges ferendi potestatem essentialiter annexam esse omni regno et reipublicæ; cùm aliter aditum intercludere nequeant periculis quæ in suam perniciem et ruinam ex illo fonte oriri et emanare possent.

Catholicorum dependentia à summo Pontifice nihil officit obsequio civili magistratui, jure divino et naturali debito.

Ut plenè et fusè politicæ hujus evasionis parti fieret satis, altiùs multò examinanda erat summa suprema-que omnis civilis imperii nativa potestas, quàm mihi hoc tempore per otium licet. Verùm, quantùm attinet ad ecclesiasticam hujus evasionis partem, clarè demonstrare possem (si necesse esset, aut mihi imperaretur) quamcumque dependentiam Protestantes autumant episcopos, orthodoxosque cujuscumque regni aut reipublicæ ex papâ habere, aut ex quâcumque aliâ externâ potestate vel jurisdictione, hanc sano modo conceptam, ut in se est atque ut reipsà necessariam, juxta certa et vera catholicæ Religionis principia, nullam, ne levissimam quidem ullius periculi umbram inferre secum in respublicas, licet actu, vel armis, vel Religione cum papâ contendentes. Imò verò è contra certissimum est, orthodoxorum principia, doctrinamque catholicam ritè intellectam, ad sanctissimam, strictissimamque obedientiam civilium magistratuum, si qui usquàm cives desciscunt, Religione interpositâ, cogere, in eâque optimis divinisque institutis retinere, in iis potissimùm rebus, quæ civiles sunt, quamcumque demùm fidem magistratus profiteantur.

Potestas civilis institutiones divinas non attingit.

Cùm rursùs ex alterâ parte æquè certum sit, nulli civili, supremæque potestati cujusvis regni aut reipublicæ licere, vel emendare, vel corrigere essentiales fidei christianæ articulos, aut sacrorum rituum ordines invertere à Christo Domino (in communi Ecclesiæ sententiâ) institutos, aut ab eodem per divinam revelationem traditos, et ab Ecclesiâ catholicâ per universam Traditionem receptos; nec quidquam denique, quod certissimè et evidentissimè pugnet cum christianâ charitate. Quare magistratuum decreta efficere non possunt, ut æquum ac justum schisma evadat, cùm, ut retrò diximus, schisma quodcumque charitatem è medio tollat. Nec itidem rescindere valent, aut abrogare ritus et usus christianæ Religionis, quos universalis Ecclesia per longam et continuatam multorum seculorum seriem ab ipso Christo divinitùs institutos, ad sua se tempora religiosissimè deducere et derivare contendit. Aliter sanè civilis potestas vim in se haberet Religionem omnem, imò et ipsum nomen Christianitatis evertendi delendique. Nam si aliquem unum fidei articulum facultas abrogandi magistratui concederetur, quem tamen universa fidelium societas cœlitùs revelatum et institutum credit, reliquos profectò ad unum omnes simili ratione solutos ad nihilum redigere posset.

Alia refutatur evasio.

Nec facies satis, quamvis ponas episcopos, clericos, theologosque omnes regni illius aut reipublicæ unanimiter conspirâsse cum supremo civili magistratu in iniquis id generis legibus ferendis, seditionibus, muneribus, promissis et minis denique ad id illectos coactosque; cùm nihil aliud sic efficere possit civilis magistratus, quàm eos homines sui sceleris conscios et participes constituere, quorum reverà erat tam immani flagitio, etiam cum ultimo vitæ discrimine, se, fortunasque suas omnes opponere.

Nec admitti ullo modo potest, quemlibet supremum magistratum in suâ quemque republicâ, regno, aut civitate, (imò nec si Christianus sit, multò minùs si vel Ethnicus, Paganus, vel Turca) nullis sic circumscriptam terminis jurisdictionem habere, ut pro suo arbitrio, quidquam sibi visum fuerit, tam in humanis quàm divinis, tam in iis quæ ad civile ministerium, quàm quæ ad sacra et religionem pertinent, statuere possit: aut denique nihil ita novum, inauditum, ipsi rationi et lumini naturali contrarium et oppositum, in quocumque genere civili aut divino imperare, quod omnes statim exequi non debeant. Quod, quæso, quid illud est, quàm jam non supremum magistratum gerere, sed se similem Altissimo? ut facilè iis fundamentis demonstrari potest, quæ in ultimo capite Analysis fidei divinæ, supra, in voluminis decursu, jacta à nobis sunt: ubi naturæ, divinique fori jura et leges altiori loco positas esse cursim statuimus, quàm quo humana jurisdictio, quamvis amplissima, pertingere possit. Fixum itaque sit iis superiorum decretis obtemperandum non esse, quæ sacro-sanctas naturæ leges, divinaque instituta, communi hominum sententiâ et consensu, evertunt.

Atque utinam omnis suprema civilis auctoritas, omnes reges et monarchæ seriò secum perpenderent regulas, quas Deus optimus maximus populo Judaico præscripsit, cùm regem poscerent, quarum una est (his proh dolor! penitùs ex memoriâ hominum obliterata temporibus) quâ rex jubebatur legis exemplar *accipere à sacerdotibus Leviticæ tribûs, et habere secum, et legere illud omnibus diebus vitæ suæ,* Deut. 17; hoc est, scire tenebatur, et accipere legem per sacerdotum explicationem, et Traditionem, eosque in rebus dubiis et arduis consulere, quorum oraculo enodandæ et solvendæ erant. Utinam, inquam, hâc tempestate omnes, qui cum summo imperio sunt, descriptas illas diviniori calamo regulas observarent, tum denique imperia suaviora multò evaderent, et subditorum onera leviora! Quas porrò si legerent et intelligerent profani isti et irreligiosi planè auctores, qui vel sacerdotalem potestatem regibus et monarchis tribuere non erubescunt, saniorem forsan aliquando mentem inducerent, temerario et sacrilego superbi illius Oziæ facinore docti, regum, potestatum secularium non esse, ut munia sacerdotalia obeant, aut ut *adoleant incensum Domino, sed sacerdotum qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium.* Quòd si quis ulteriùs pergat, sacerdotibus, ut Ozias, minari, recordetur quo tremendi

supplicii genere is demùm fuerit mulctatus ob tentatum superbè sacrilegii scelus.

Christiani præcipuè tenentur agnoscere Religionis principia esse immutabilia.

Est igitur certa conclusio, quòd quicumque se profitetur Christianum, hoc est, qui verè et reipsà credit Christum Dominum, verum Deum et hominem, tradidisse revelatam divinitùs doctrinam fidei supernaturalis, sacros instituisse Religionis ritus : est, inquam, evidens conclusio hujus conditionis et professionis viro necessarium esse, nullam sub cœlo auctoritatem, sive ecclesiasticam, sive civilem agnoscere, quæ vim abrogandi habeat ea quæ à Christo revelata et instituta sunt; vel quæ cum illis evidenter opponi possint, decernendi, quod schismatis origo foret.

Non est defectus charitatis, quòd judicant Catholici de Protestantibus.

Tandem ex dictis constat, quàm injustè et iniquè nos minimæ charitatis insimulant ac damnant Protestantes, eò quòd asseveramus impia eorum dogmata, et scelerata schismata ad æternam ducere perditionem. Enimverò si quæ sit christiana veritas, si catholica Religio, si ad salutem consequendam, aut fides divinitùs edocta, aut cultus cœlitùs institutus, humano generi necessariò requiruntur (quod Christiano cuicumque blasphemum est inficiari) luce meridianâ clarius est, quidquid horum ruinæ viam parat, bonis omnibus horrendum ac detestandum esse. Hunc autem proprium atque genuinum schismatis et hæresis effectum esse, in hoc libello, ni fallor, demonstratum est.

Aliud est judicare de schismate, aliud de schismatico.

Quid verò de singularibus quibuscumque hominibus, Protestantium erroribus et schismatibus implicatis judicandum sit, nobis adeò certò constare non decernimus. Quanquàm enim de quovis peccato juxta speciem suam nativam et communem rationem, indubitanter possumus judicare; verùm de cujusvis, quod malum est operantis, actione particulari, circumstantiis innumeris et incompertis involutâ, cautè judicandum esse censemus. Parùm est judicari ab humano die, et temerè judicantem severè judicandum esse Christianos docet divina veritas. Quis enim altissima æterni Patris sapientiæ, providentiæ, prædestinationis arcana præsciverit unquàm? Quis inscrutabile cor hominis penetraverit? De *schismatis* igitur crimine intrepidè, de *Schismaticorum* culpâ temperatè judicandum existimo.

Conclusio.

Tanta denique est earum rerum, quas modò brevissimè perstrinximus, perspicuitas et evidentia, tam certa veritas, ut obstupefierem, credo, admiratione perculsus multorum Protestantium, non quidem ineruditorum, imò omnis probitatis et honestatis moralis apprimè amatorum, qui tamen in tantâ veritatis luce miserè hallucinantur : planè, inquam, obstupefierem, nisi me mea assidua naturæ hominis inquisitio et investigatio, seriaque et longo multorum annorum usu defæcata ingeniorum animadversio in diversa raptantium, saucios nimià habendi cupiditate, et pravâ distortos educatione, vel consuetudine corruptos animos, non solùm eorum hominum quibus parciùs sua bona natura diviserat, sed etiam quorum indoles magnam spem excitârat (quos et ideò aerios nimium, et inordinatis cogitationibus ac *sensibus suis abundantes* sæpissimè video) nisi hæc, inquam, mea me studia, longaque erudiisset meliùs experientia, ingenuè fateor, nunquàm statuissem modum ea admirandi, quæ quotidiè despicatissima fiunt, quæque dicuntur disparata. Verùm, ut video, definiendum est illum solum vitiis nostris medendi artem callere, errata corrigendi, et ad meliorem nos reducendi frugem, *qui illuminat tenebras nostras, et ubi vult spirat.* De cujus omniscii manibus, cujusque *miserationes super omnia opera ejus*, sicut speramus, nos aliquando liberalia pro conatibus nostris exiguis præmia recepturos, ita et pertimescere è contra debemus, ne dignis suppliciis nostram voluntariam et perversam cæcitatem justus Judex prosequatur.

Synopsis Historica.

SCHISMA GRÆCORUM.

AUCTORE LIEBERMANN (1).

Magnum Græcorum schisma, quo tota penè Ecclesia orientalis à sede Romanâ scissa est, primum auctorem habuit *Photium*, virum ingenio et seculari litteraturâ celeberrimum, sed ambitioni perditè servientem, et omnis fraudis et simulationis artificio eruditum. Hic anno 857 sedem Constantinopolitanam invasit dejecto per invidiam legitimo patriarchâ S. Ignatio.

(1) D. Liebermann luce nostrâ fruente, biographiam ejus silebimus, ne nimia laus nobilis theologi invitos abripiat nos. Cæterùm nôrunt omnes eum Argentorati multis ab annis primas vicarii generalis partes occupare, illiusque *Theologiam dogmaticam* inter præcipuas hujus seculi meritò computari. (Edit. Mogunt. 1836, apud Kirchhemium, Schottum et Thielmannum.)

Cùm autem se à Nicolao I et Hadriano II, summis pontificibus condemnatum videret, contra Romanam sedem et Ecclesiam latinam se extulit mirà audaciâ, multa, contra eam accusationis capita proferens, quæ tamen pleraque cæremonias tantùm et instituta ecclesiastica spectabant. Unica de Spiritûs sancti processione quæstio ad fidem pertinebat.

Michaele imperatore, qui Photii fautor fuit, sublato, S. Ignatius restitutus est; Photius autem in concilio Constantinopolitano, quod auctoritate Honorii II, Romani Pontificis anno 869 coactum fuit, denuò condemnatus, Basilii imperatoris sententiâ in exilium pulsus est. Verùm homo versipellis, ut erat fraudum callidissimus artifex, brevi gratiam imperatoris captavit insigni versutiâ, ita ut mortuo Ignatio in pristinam sedem redierit anno 878, eamque tenuerit ad annum usque 886, quo Basilius defunctus est, nam à Leone VI qui philosophus dictus est, iterùm expulsus in exilio vitam finivit. Ita pax aliquo modo restituta est.

Germinârunt tamen identidem discordiæ semina usque ad *Michaelem Cærularium*, qui seculo XI omnem cum Latinis communionem abrupit, atque ita secundus auctor effectus est exitialis illius schismatis, quod sensim per orientales Ecclesias propagatum est, et omnes ferè Græcos infecit.

Facta sunt subinde conciliandæ pacis tentamina, præsertim in concilio Lugdunensi anno 1274, et denuò in Florentinâ synodo anno 1439 habitâ. Verùm spem ex tam lætis initiis conceptam mox iterùm dejecit Græcorum mala fides, et ad omne exitium ruens pertinacia. Paulò post repulsam, quæ Florentiæ sancita fuerat, pacem urbs Constantinopolis et cum eâ pars nobilior Ecclesiæ græcæ jugum subierunt Othmanorum. (Anno 1453.)

SCHISMA MOSCOVITARUM SEU RUSSORUM.

Seculo X, fides christiana ex orientali imperio ad gentem Moscovitarum adducta est; stabat tunc temporis communio cùm Ecclesiâ latinâ, et Russi, quo tempore Christiani facti sunt, Catholici fuerunt. Verùm cùm fidei præcones ex urbe imperii principe accersiti novas Ecclesias Constantinopolitanæ sedi subditas fecerint, contigit ut, patriarchâ Constantinopolitano ab unitate avulso, etiam Moscovitarum plurimi in idem schisma traherentur. Non tamen generalis fuit discessio; nam adhuc concilii Florentini tempore tot in Russiâ Catholici erant, quot schismatici. Medio tandem seculo XV, *Photius* quidam, archiepiscopus Kiewiensis, schisma per totam gentem propagavit.

Seculo XVI, ad finem vergente, (anno 1588) agente ipso Constantinopolitano patriarchâ Jeremiâ, episcopus Moscoviæ Russorum patriarcha creatus est. Sed mox in sedis Constantinopolitanæ damnum crevit nova dignitas, et 100 post annos patriarcha *Nicon* penitùs se subduxit auctoritati Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Verùm et hæc Patriarchalis dignitas paulò post extincta est, cùm Petrus I, quem et magnum dicunt, ad res sacras et ecclesiasticas ordinandas concilium aliquod ecclesiasticum composuit, cui ipse tanquàm supremum caput præsideret.

Græci eamdem nobiscum fidem tenent, in hoc tantùm dissentiunt quòd Ecclesiæ romanæ primatum non agnoscant, et Spiritum sanctum dicant à solo patre procedere.

Russorum Ecclesia, cùm Græcæ propago sit, ab eâ etiam ritus suos et doctrinam habet, nec quidquam in iis mutari hucusque passa est. Habemus celebre *statutum canonicum seu ecclesiasticum Petri magni*, quod monumentum est summè authenticum doctrinæ totius Russorum Ecclesiæ. Nihil in illo continetur, quod non cum Catholicis dogmatibus consentiat, excepto, quòd primatum romani Pontificis non recipiat, et quæstionem de Spiritûs sancti processione silentio prætereat.

NOVATORUM SECULI XVI PRÆCURSORES.

Novatores, qui sæculo XVI Ecclesiam turbârunt, Wicleffum et Joannem Huss præ cæteris inter patres et præcursores suos numerant; quamvis magnum sit inter eorum et novatorum dogmata discrimen, ut alio loco ostendetur (1). Sed unum est arctissimæ affinitatis vinculum, odium in Ecclesiam Romanam, hoc ubi adest, parùm obstat etiam in rebus gravissimis sentiendi diversitas. Primus in universitate Oxoniensi professor anno 1369 errores suos sparsit. Compressa quidem fuit eo tempore hæretici hominis audacia, sed error penitùs exstinctus non est. Seculo XV ineunte, ex Anglià in Bohemiam cum Wicleffi libris perlatus, acerrimum nactus est propugnatorem Joannem Huss, Pragensis academiæ rectorem, virum novitatis amantem, ac superbè de seipso sentientem. Novum hæresiarcham unà cum fidelissimo amico Hieronymo Pragensi Constantiæ ad rogum condemnavit Sigismundus imperator anno 1416. Exinde vehementiùs exarsit Hussitarum bellum, quo per sexdecim annos Bohemia et omnes circum regiones dirè vexatæ sunt.

Sed inter Hussitas quoque dissidia exorta sunt. Moderatiores, qui Calixtini vocantur, quia calicis usum in Eucharistiâ postulabant, jam anno 1433 ad Ecclesiæ unitatem redierunt, acceptâ à Patribus, qui tum in concilio Basileensi congregati erant, facultate sub utràque specie communicandi. Multò his pertinaciores fuerunt, qui Thaboritæ dicti sunt, à monte munitissimo propè Pragam, in quo arcem ac præsidium sectæ suæ constituerant, et cui Zischa eorum dux nomen Thabor indiderat. Ex his prodierunt fratres Bohemi, qui postea Lutheranis et Zwinglianis se adjunxerunt.

ECCLESIARUM PROTESTANTIUM BREVIS HISTORIA ORDINE CHRONOLOGICO.

Lutherus Islebiæ in Saxoniâ natus, ex ordine Eremitarum S. Augustini, theologiæ doctor et professor in academiâ Wittenbergensi, opus pseudoreformationis aggreditur. (1517.)

Zwinglianismi seu Sacramentariorum initia apud Helvetios. (1519.)

Lutherus ad comitia Wormatiensia citatus, cùm videret damnationem sibi imminere, clam aufugit, et

(1) Vid. hujus Demonstrat. part. 1, cap. 11, art. 4, § 3.

favente sibi Frederico Sapiente Saxoniæ duce per decem menses delituit in castro Wartburgensi, quod Patmos suum vocare solebat. (1521.).

Motus Rusticorum et Anabaptistarum in Suevià et finitimis regionibus. *Münzerus*, qui fanaticorum dux fuerat, Mülhusii ultimo supplicio afficitur. (1525.)

Nova religio in Sueciam, Daniam et Norvegiam inducitur. Hæc regna sub unà Christierni II ditione tenebantur. Hujus se obsequio subduxit Gustavus I, regnumque Sueciæ occupavit anno 1521, ubi paulò post Ecclesiarum ac monasteriorum bonis inhians, reformationem sibi in adjumentum adscivit anno 1527. Daniam et Norvegiam ad novam religionem traxit Fredericus I, qui Christierno II successit. (1527.)

Comitia Spiræ præsente Carolo Cæsare habita, in quibus causa Catholicorum vicit. Contra protestati sunt Joannes dux et elector Saxoniæ, qui Frederico fratri successerat, et Philippus Hassiæ Landgravius cum reliquis Lutheranis. Inde Protestantes dicti sunt. (1528.)

Lutherani Carolo V in comitiis Augustæ Vindelicorum habitis confessionem fidei porrigunt à Melanchthone exaratam, quæ postea à plerisque Lutheranis tanquàm liber symbolicus seu fundamentalis habita est sub nomine confessionis Augustanæ. (1530.)

Post Augustana comitia res ad arma spectare cœpit : itaque Protestantes Schmalcaldicum fœdus sanxerunt contra imperatorem et Catholicos. Fœderis articulos concinnavit Lutherus. (1531.)

Zwinglius in bello à Tigurinis et Bernensibus contra finitimos Catholicos inito occubuit. Eodem anno extinctus est Œcolampadius, qui Zwinglio minister subservierat, sicut Luthero Melanchthon.

Henricus VIII Angliæ rex, qui fidem romanam adversùs Lutherum strenuè defenderat, et propterea à Leone X titulo defensoris fidei condecoratus fuerat, orto postea inter illum et Pontificem dissidio in causâ divortii, omnem cum sede Romanâ communionem abrupit, et seipsum caput constituit Ecclesiæ Anglicanæ. (1533.)

Anabaptistæ Monasterii et in Belgio omnia permiscent seditiosis et effrenatis violentiis. Joannes de Leyden, rex et dux fanaticorum, Monasterii regni sui sedem fixerat ; sed captâ urbe, diris tormentis affectus, mortem subiit atrocissimis criminibus meritam. (1535.)

Eodem anno Calvinus ex Gallià profugus Basileæ quatuor institutionum libros absolvit, et publici juris fecit. Ab hâc epochâ desumitur Calvinianæ hæresis initium. Paulò post cum fratre Antonio Calvino Genevam petiit, ibique theologiæ professor renuntiatus est anno 1536.

Cùm omnes ferè Europæ nationes pervagaret novarum opinionum lues, et novas quotidiè strages pateretur antiqua Religio, de convocando generali concilio actum est inter principes christianos et sedem apostolicam. Clemens VII seriò in hoc opus incubuit, ut ex ejus litteris patet anno 1533 ad Franciscum regem Galliæ datis ; sed morte impeditus est. Vix sedem romanam conscenderat Paulus III, cùm Clementis consilium prosecutus, synodum indixit, quæ tamen novis semper interpositis impedimentis, nonnisi anno 1545 initium sumpsit Tridenti, quæ urbs est in Germaniæ confinibus sita.

Lutherus è vità excessit hoc ipso anno, quo principes fœderis Schmalcaldici, cujus ipse classicum cecinerat, in Cæsarem insurrexerunt. (1546.)

Schisma anglicanum mortuo Henrico VIII in apertam hæresin degeneravit sub Eduardo VI, agente inprimis Thomâ Cranmer, Cantuariensi archiepiscopo. (1547.)

Hoc anno à Carolo V imperatore data est famosa constitutio, quæ *Interim* vocatur. Cùm enim priori anno ob pestem Tridenti grassantem concilium post decimam sessionem interruptum fuisset, voluit imperator hoc edicto præscribere, quid *interim*, id est, usque ad concilii generalis definitionem servandum esset. Hæc constitutio tùm Catholicis displicuit, tùm Protestantibus quàm plurimis, inter quos occasio fuit *belli adiaphoristici*, cui sopiendo diù post (anno 1580) editus est *Liber Concordiæ*, quo tamen finis non potuit fieri discordiarum. (1548.)

Concilium Tridentinum per quatuor annos interruptum, resumitur sub Julio III summo Pontifice. Mauritius Saxo, fœdere cum rege Galliæ, aliisque principibus Germaniæ inito, Cæsarem aggreditur, qui in angustias redactus pacem inire cogitur cum Protestantibus. Inde Transactio Passaviensis (1551.)

Transactionem Passaviensem anno 1555 secuta est Pax religiosa, quæ licet Protestantibus plenam Religionis libertatem concederet, eorum tamen audaciam non compescuit, sed auxit potiùs ; utpote qui nullà fœderis religione commoti ab hoc inprimis tempore omnia susque deque verterunt.

In Anglià Religio catholica anno 1553 sub Mariæ regimine pristinas sedes receperat. Sed, succedente in locum Mariæ Elisabethâ, denuò dejecta et sævissimè vexata hæresi locum cedere coacta est. (1558.)

In Gallià Calvinismus potentissimos nactus fautores, principem Condæum ac Burbonicam domum, sævire cœpit civilibus bellis. (1560.)

Colloquium Pisciacum (Poissy), in quo celebriores athletæ fuerunt ex parte Catholicorum cardinalis Lotharingius, ex parte Calvinistarum Theodorus Beza. (1561.)

Concilium Tridentinum anno 1552 post sessionem sextam decimam denuò suspensum, et anno tantùm 1562 auctoritate Pii IV iterùm continuatum, quartà decembris anno 1563 vigesimam quintam et ultimam sessionem habuit. (1563.)

Nox S. Bartholomæi sub Catharinâ de Medicis ejusque filio Carolo IX. (1572.)

Philippus II rex Hispaniæ, cùm in Belgio Protestantium hæresin cruentis suppliciis extinguere conaretur, jacturam fecit septem provinciarum. (1579.)

Liga Catholicorum, studio principum Lotharingiæ Parisiis inita contra Bourbones sectæ Calvinianæ tunc temporis addictos, ad quos post Henrici III mortem

regni successio pertinebat. (1585.) Henricus III Jacobi Clementis impii sicarii manu percussus moritur. (1589.) Liga totis viribus se opponit Henrico Navarrensi proximo throni gallici hæredi. Henricus ad sacra Catholicorum transit (1593); urbem Parisiensium ingreditur, et sub nomine *Henrici IV* gloriosè regnat. (1594.)

Edictum Nannetense, quod armatis precibus Calvinistæ ab Henrico IV obtinuerunt. (1589.)

Calvinismi progressus in Germaniâ. Jam seculo XVI sedem fixerat in Palatinatu ad Rhenum, in ditione principum Anhaltinorum, in urbe Bremensi, etc. Seculo sequenti in Hassiam receptus est, et partem electoratûs Brandeburgici.

Mors Arminii Lugduni Batavorum (Leyden) theologiæ professoris, qui Arminianis ortum dedit. Hæc secta in doctrinâ de prædestinatione à cæteris Calvinianis recessit, et à Gomariensibus in synodo Dortrechtanâ, anno 1616 damnata, ac diris persecutionibus agitata est. Arminianorum doctrinæ inter alios addicti erant Joannes Clericus et Hugo Grotius. (1609.)

Protestantes Hallæ Suevorum unionem ineunt; Catholici Ligam illis opponunt duce Maximiliano I, Bavariæ principe (1610.) Bohemi hæretici in proprium regem seditionem movent, quæ tricenario bello initium dedit. Cùm enim res Bohemicæ infeliciter successissent, Protestantes novas turbas cientes primum quidem Danorum regem, postea autem, cùm hìc malè res gereret, Gustavum Adolphum regem Sueciæ sibi constituerunt ducem. (1617.)

Pax Westphalica inita Monasterii inter Cæsareos et Gallos, et Osnabrugi inter Suevos principesque Protestantes et imperatorem. Annus 1624 tanquàm normalis assumptus est. (1648.)

In Anglià secta Puritanorum Elisabethæ auctoritate aliquandiù compressa ingentes vires cepit sub Jacobo I, ex domo Stuart, qui Hiberniæ regnum cum anglico conjunxit. Hæc secta in apertam tandem seditionem prorupit adeò, ut Carolum I Jacobi successorem extremo supplicio interimeret, animos inflammante Oliverio Cromwello exercitûs duce, qui reiminis habenas arripuit sub nomine Protectoris. (1649.)

Initium Quakerorum seu Tremulantium in Anglià auctore Gregorio Fox sutore. A Guillelmo Penn in Americam inducti urbem Philadelphiam fundârunt in provinciâ quæ ab eorum duce Pensylvania dicta est. Cœtus Methodistarum recentior est et ad seculum XVIII pertinet.

Sociniani ex Poloniâ expelluntur. (1558). Jam anno 1553 Michael Servetus tanquàm Antitrinitarius Genevæ operâ Calvini flammis traditus fuerat. Anno 1566 Bernenses Gentilem Neapolitanum ejusdem hæresis accusatum morte mulctârunt. Inde factum, ut qui hujus impietatis suspecti erant, in Poloniam secesserint, ubi Gubernatoris Podoliæ præsidio tuti dogmata sua spargebant. Præcipui hujus sectæ duces fuerunt ambo Socini, Lælius et Faustus nepos Lælii. Primus Tiguri apud Helvetios mortuus est anno 1562. Faustus autem non tantùm scripta patrui summâ cum diligentiâ collegit, sed ipse etiam plura opera conscripsit, et formam quasi indidit errori, cùm opiniones, quæ liberiùs in omnem partem vagabantur, in systema coegit. Obiit Faustus Socinus prope Cracoviam anno 1604; tantamque apud suos celebritatem habuit, ut secta ab eo nomen acceperit. Opera Socini et aliorum quorumdam ejusdem impietatis defensorum octo tomis collecta habentur sub hoc titulo : *Bibliotheca fratrum polonorum, quos Unitarios vocant.* Vocantur autem Unitarii, quia unum Deum profitentur sine personarum distinctione.

Difficile esset omnia doctrinæ capita recensere, in quibus à Catholicâ Ecclesiâ et inter se dissentiunt Protestantium societates. Nulla est, quæ in eâ, quam semel assumpsit, doctrinâ permansit. Abjecto semel erga legitimam auctoritatem obsequio, quilibet sibi jus arripuit innovandi et Ecclesiam suo modo reformandi; donec tandem in effrenam licentiam degeneraverit inconsulta libertas, ita quidem, ut spretâ librorum symbolicorum auctoritate, ac veterum magistrorum doctrinâ, omnia nunc errorum monstra impunè grassentur.

Protestantes omnes, neque eam Ecclesiæ constitutionem admittunt, quam à Christo habet Ecclesia catholica, neque hujus Ecclesiæ in decidendis fidei quæstionibus auctoritatem. Verbum autem divinum, cui tanquàm fundamento veram Christi Religionem inniti profitentur, in solâ dicunt Scripturâ contineri.

Exinde id saltem sequitur, Protestantes, nisi à seipsis desciscant, fidem in Religione postulare, et tanquàm primum credendi principium nobiscum assumere auctoritatem divinam. Non ita Sociniani et moderni Protestantes, qui omnia humanæ rationi subjiciunt, neque assensum tribuendum esse volunt propter divinam Scripturæ auctoritatem, sed ob perspectam ex rationibus intrinsecis veritatem. Quàm affinis sit hæc doctrina Naturalismo nemo non videt; non ita frater fratri similis est, sicut Socinianus aut *evangelico-christianus* Deistæ.

DE JUDAISMO.

(AUCTORE EODEM.)

Observanda.

I. Religio Judaica hoc inter alias peculiare habet, quod origine divinâ sit, neque alia fuerit usque ad Christum, quæ soli et invisibili Deo, rerum omnium conditori, legitimum et sanctum cultum exhibuerit.

Hæc christianorum fides est, quam capite secundo hujus partis propugnavimus. Verum ibidem post demonstratam legis hujus cœlestem originem, et sapientissimam institutionem, statim prolatum est, eam non tantùm sponsionem nullam habuisse perpetuæ durationis, sed interire debuisse, ejusque interitum in ipso reipublicæ initio per Mosen et postea per prophetas sæpiùs fuisse prædictum. Ulteriùs progressi sumus, et probavimus, tempus huic legis intéritui præfixum jam à multis seculis effluxisse; novum in orbe apparuisse legislatorem à Prophetis prædictum, Jesum Nazarenum; hunc novi fœderis mediatorem fuisse, et conditorem novæ Ecclesiæ, quæ ubique diffusa omnes gentes unius Religionis vinculis colligaret. Tunc impleta sunt, quæ Deus per prophetas prædixerat (1)... *Ecce dies venient, et consummabo super Domum Israel et super Domum Juda Testamentum novum..... Dicendo novum, veteravit prius; quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est* (2)..... Ab eo ergo tempore Mosaica dispensatio divinitatis charactere, quem antea gerebat, exuta fuit; quamvis Apostoli ab exordio Ecclesiæ passi sint, ut ii, qui ex Judaicâ gente ad Christi Ecclesiam accesserunt, antiquum vivendi modum retinerent. Hanc scilicet reverentiam veteri legi exhiberi voluerunt propter originis ejus dignitatem, ut non sine honore sepeliretur, quæ pars erat et primordium veri.

A tempore propagatæ Religionis Christianæ nova incipit Religionis Judaicæ epocha. Ab eo scilicet tempore Judæi cessârunt esse populus Dei, et nunc pœnas perfidiæ suæ, ac incredibilis pervicaciæ luunt jam per octodecim ferè secula. Eorum in obsidione urbis Jerosolymæ contumacia superat omnem fidem, nec quidquam divinam in illum populum vindictam clariùs ostendit; nam Titi clementissimi imperatoris monita et minas tam pertinaciter contempserunt, ut nullam sibi reliquerint ad salutem viam. Numerus eorum, qui in illâ obsidione perierunt, ad undecies centena millia refertur; capta verò centum millia, et venundata. Templum, invito Tito, flammis consumptum est. Tam evidens Dei vindicta in hoc infortunio apparuit, ut imperator negaverit suis armis interiisse Jerosolymam, neque laureas sibi ob victoriam à variis populis oblatas accipere, nec congratulatorias orationes audire voluerit. Ultimum hoc templi excidium fuit, hæc postrema Judæorum captivitas, quâ extorres patriâ facti, et per orbem terrarum dispersi, testimonio sunt universis gentibus non ob aliud eos, quàm ob illatas Christo impias manus, fuisse punitos.

Sub Adriano Judæi iterùm rebellârunt, et *Bar-Cocheba* duce, Syriam et Palæstinam diripere conati sunt; at imperator misso exercitu rebelles subegit, interfectisque sexcentis millibus, reliquos sub hastâ vendidit, et militum custodias constituit, qui Judæos urbis aditu et conspectu arcerent; quod quidem Christianæ fidei proficiebat; tum enim legis servitus à libertate fidei et Ecclesiæ penitùs fuit exclusa, et Marcus primus ex gentibus apud Hierosolymam episcopus factus est.

(1) Jerem. 13, 31.
(2) Ad Hebr. 8, 8-13.

At Judæi vitam agunt calamitosam apud extraneos, Deo ipso injurias suas persequente. Nulla adhuc spes liberationis ex hâc diuturnâ captivitate affulget; nulla à mille octingentis ferè annis signa apparent specialis illius providentiæ, quæ semper antea præsens fuerat rebus Judæorum, et in adversis sicut in prosperis aliquomodo visibilem se exhibuit. Illustre hujus rei argumentum habemus in illo eventu, qui Juliani imperatoris tempore contigit. Cùm enim in odium Christianæ religionis templum Hierosolymitanum instaurare statuisset Apostata, vaticinia penitùs implevit, dùm vanitatis convincere voluit. Nam Judæi ad hoc opus ex omnibus mundi partibus confluentes primùm fundamenta veteris templi omninò diruêre, ut ad verbum impleretur Domini vaticinium, non relinquendum lapidem supra lapidem; cùm autem nova ponere fundamenta tentarent, subitò erumpentes globi flammarum exustis aliquoties operantibus locum fecerunt inaccessum. Ita narrat Ammianus Marcellinus (1) scriptor ethnicus Conf. quæ cap. 2, de Religionis Mosaicæ abrogatione dicta sunt.

II. In historiâ theologiæ vidimus Judæos jam ante Christum in plures sectas scissos fuisse; ex his autem nulla fuit, quæ non antiquam religionem suo modo corruperit. Hæc corruptio vehementer increvit post Christum, quando pars sanctior nationis, seu ii qui veri Abrahæ filii erant, non carne tantùm, sed et spiritu, Christianæ religioni nomen dederunt; reliqui autem à Deo rejecti, et suæ pervicaciæ permissi, longiùs quotidiè recesserunt à veris et genuinis legis suæ principiis. Exinde orta est hodierna Judæorum religio, seu *Judaismus*, in eo ab antiquâ revelatione Mosaicâ distinctus, quod innumeris erroribus scateat et fabulis ac figmentis tam putidis et absurdis, ut ad eas credendas requiratur mentis cæcitas verè judaica.

Judæi hodierni in duas potissimùm sectas dividi possunt: in sectam *Rabbinistaram*, seu *Rabbinorum*, aut *Pharisæorum;* et in sectam *Karaitarum*, vel *Karæorum*. Sadducæi, qui adhuc supersunt, sectam non efficiunt; sed cum aliis permistim vivunt, neque audent sententiam suam manifestare, ne è synagogâ ejiciantur.

Rabbinistæ præter legem scriptam admittunt legem traditam, quam Mosen ex ore Altissimi accepisse dicunt, quando per quadraginta dies in monte Sinai versatus est. Legem hanc oralem etiam κατήχησιν, instructionem et commentarium legis scriptæ vocant, eamque dicunt per longam generationum seriem à senioribus, sacerdotibus et prophetis, ac demùm à viris magnæ Synagogæ diligentissimè conservatam fuisse usque ad tempora Rabbi *Judæ Hakadosch* vel sancti, qui tempore Adriani imperatoris vixit circa annum Christi 150. Hic primus legem traditam scripto consignavit in opere, quod משנה, *mischna* vocatur, vel secunda lex. Mischnæ ab aliis rabbinis post-

(1) Lib. 18, cap. 1.

modum áddita est גמרא *gemara*, quæ est quasi commentarium textûs. Ex *mischnâ* et commentario seu *gemarâ* coaluit liber doctrinalis Judæorum, qui *Talmud* dicitur. Primum *Talmud* Hierosolymis concinnatum est, et ideò *hierosolymitanum* vocatur. Verùm, cùm 200 post annis Judæi Babylone commorantes alias Rabbinorum interpretationes collegerunt, seculo V, aliud prodiit, clarius et multò copiosius, quod *Babylonicum* vocant. Hodierni Judæi passim sequuntur Talmud Babylonicum, ejusque auctoritatem parem habent Scripturæ sacræ.

Karaitæ, quales hodiedùm existunt, cum antiquâ Sadducæorum sectâ confundi non debent; admittunt enim cum reliquis Judæis immortalitatem animæ, spirituum existentiam, pœnas et præmia alterius vitæ. Probabile admodum est, sectæ hujus initia ad seculum sextum æræ christianæ referenda esse. Cùm enim eo tempore immensa illa traditionum collectio prodierit, quam *Talmud Babylonicum* vocant, tota fabulis et Rabbinorum somniis farcita, quidam sanioris judicii, viri ejusmodi ineptias fastidientes, satius duxerunt soli librorum sacrorum textui adhærere. *Karaitæ* per Syriam, Persidem, Ægyptum, Poloniam et Russorum imperium dispersi sunt; sed parùm multi. Nobis ex Protestantibus inprimis noti sunt, qui eos multis laudibus extollunt tanquàm traditionum contemptores.

Inter Judæorum doctores magnam celebritatem habent *Masorethæ* et *Cabalistæ*. De Masoretharum origine valdè discrepant eruditi; et dùm aliqui in illis collegium agnoscunt Ecclesiasticum, ab Esdrâ ideò institutum, ut libri sacri ab erroribus, qui in captivitate irrepserant, castigarentur et omnis corruptio in posterum præcaveretur; alii eorum originem ad annum Christi 478 aut 600 referunt. Masora (מסורת), à *masar*, *tradidit*, probabiliter non unius scholæ rabbinicæ, nec unius seculi opus est; imò videtur ultimam manum ei ante undecimum aut duodecimum seculum admotam non esse. Masorethis debemus textûs hebraici punctuationem, quo et facilior fit lectio et certior. Sed de his plura dicentur alio loco.

Cabalistæ à קבל *kibbel* (recepit) nominantur, quia contendunt, se tenere *receptam* legis explicationem, non vulgarem et communem, sed arcanam, ænigmaticam et symbolicam; quæ abdita mysteria ex sacris litteris eruere conatur. Multùm hæc doctrina vanitatis et superstitionis habet; sed de his etiam mentio recurret.

III. Difficile esset perfectum religionis judaicæ, qualis hodiedùm est, systema conficere. Omnia ferè doctrinæ puncta, quæ ex religionis naturalis principiis deduci possunt, cum Christianis communia habent; credunt insuper nobiscum futuram corporum resurrectionem; inspirationem et divinam auctoritatem Pentateuchi, aliorumque vet. Test. librorum, qui in canone Esdræ continentur; sed rejiciunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, sacramenta, etc. Cardo autem controversiarum, quæ inter Judæos et Christianos agitantur, in hoc versatur: *An Jesus Naz. sit Messias promissus.* Mirum est in quot se partes vertant Judæi, cùm Christianorum argumentis circa Messiæ adventum premuntur. Tot diversæ sententiæ, tot ridicula et absona opinionum commenta, in quibus sibi perfugium quærunt, satis probant, nihil jam esse, quod desperatam eorum causam sustentet. Generalis et crassus Judæorum error est, quòd Messiam sibi fingant opibus et potestate præcellentem, omnibusque populis cum summâ auctoritate imperantem. In hoc errore inter alios fuit Rabbi Maimonides seculo XII, Cordubæ natus, quem Judæi aquilam doctorum appellant. Alii, cùm humilem et abjectam Messiæ conditionem, quam prophetarum vaticinia prædixerunt, in alium sensum detorquere non possent, neque cum splendidissimo Messiæ regno et temporali potestate conciliare, commenti sunt duos Messias, unum ex prisco illo Josepho, Jacobi et Rachelis filio, oriturum, virum dolorum et scientem infirmitatem; alterum filium Davidis, ex Sion regnaturum in omnes gentes. Obscura est hujus doctrinæ origo, veteribus Judæorum doctoribus planè incognita, qui nunquàm alium agnoverunt Messiam præter illum, qui ex familiâ David ortus esset. Quicumque prophetas, inprimis Isaiæ cap. 52 et 53, attentiùs perlegerit, ex contextu orationis cognoscet, prophetam loqui de uno eodemque viro justo, qui debebat extrema pati et videre semen longævum; qui exaltandus dicitur et elevandus valdè, quamvis inglorius sit inter viros aspectus ejus. Hæc utique commoverunt Maimonidem, ut hanc opinionem inter Judæorum traditiones numerare dedignatus sit.

Rem totam breviùs absolvendam putant illi, qui fidem in Messiam ex numero dogmatum expungunt. Ad hos pertinent R. Josephus Abbo, R. Tobias Metensis, etc. Alii demùm sunt, præsertim ex veteribus, qui dogma de Messiâ ad mentem Christianorum exponunt. Rabbi Abarbanel inter præcipuos Messiæ characteres ponit miracula, quæ patraturus est, ejusque ortum ex familiâ David. Notatu digna sunt hæc ejus verba..... *Meâ sententiâ dubitandum non est, Messiam justitiam nostram natum esse, antequàm invaluit magna illa expulsio, occisio, perditio et exitum Hispanicum.....* Existit inter Judæos R. Eliæ traditio hæc habens..... *Sex mille annos durabit mundus. Duo millia Messiæ dies complectentur. Sed propter peccata nostra, quæ multiplicata sunt, ex istis annis Messiæ elapsi sunt anni Messiæ, qui jam elapsi sunt.* Ultima verba: *sed propter peccata*, à rabbinis addita fuisse censent eruditi. Plura videri possunt in opere majore D. *Wiest* (1).

Tandem nec illi omittendi sunt, qui clarissimis prophetarum oraculis, iis inprimis quæ tempus adventûs Messiæ prænuntiant, eò redacti sunt, ut faterentur Messiam natum quidem esse, sed absconditum latere propter Judæorum peccata, vel in horto Eden, vel inter leprosos et ægrotos ad portam urbis Romæ.

Propositio. — *Hodierna Religio Judæorum falsa est, et neutiquàm ut divina revelatio haberi potest.*

Argumentum primum. — *Vera est Religio Christiana, et*

(1) Tom. 2 Histor. Judaismi.

omnibus divinæ Revelationis characteribus insignita : ergo hodierna Judæorum Religio, etc.

Antecedens toto tractatu de verâ Religione probatum est.

Prob. conseq. 1° Ex consensu omnium Judæorum, qui fatentur Religionem suam ut falsam et obsoletam habendam esse, si Religionis Christianæ divinitas admittatur.

2° Religio Christiana et Judaica sese mutuò excludunt; nihil enim potest sibi magis esse oppositum. Primarium Religionis Christianæ dogma, cui tanquàm fundamento tota innititur, hoc est : Messiam advenisse, eumque esse Jesum Naz.; ab hoc se originem ducere, et divinam, quam sequuntur, doctrinam accepisse gloriantur Christiani. Atqui hoc ipsum est, quod pertinaciter negant Judæi, et si admitterent, Judæi esse desinerent. Ergo, etc.

Argumentum II. — *Hodierna Judæorum Religio nullos divinæ Revelationis characteres habet. Ergo*, etc.

Prob. Propositio certa est, si 1° veteres divinæ originis characteres tempore Jesu Naz. amisit; si 2° novos hucusque non acquisivit; atqui, etc. Ergo, etc.

Prob. min. 1° Religio per Mosen promulgata ab origine suâ temporalis tantùm fuit, et adveniente Messiâ abroganda. Messias autem jamdudùm advenit; neque is alius esse potest, quàm Jesus Nazarenus. Hæc omnia copiosiùs et diffusiùs à nobis exposita sunt partis hujus capite 2. Ergo à tempore Jesu Nazareni Religio Mosaica divinâ, quam habuit, auctoritate destituta est.

2° Ab eo tempore Judæorum Religionem nullos acquisivisse divinæ Revelationis characteres in aperto est. Nulla hucusque ad eam confirmandam patrata sunt miracula; nullos habuit prophetas, et illa specialis divinæ providentiæ procuratio, quam ante Christum constanter experti sunt Judæi, etiam tum cùm pœnas infidelitatis suæ luerent, eos omninò deseruit. Porrò doctrina, quam hodiedùm profitentur, non tantùm nullas habet notas divinæ originis, sed Deo prorsùs indigna est. Vaticiniorum sensum pervertunt; puerilibus et absurdissimis fabulis in Talmude contentis eamdem divinam originem attribuunt, ac legi scriptæ. In hâc verò non nisi litteram vident, quæ occidit, neque ex eâ, quâ legi suæ inhærent pertinaciâ, quidquam meliores fiunt.

DE MAHUMETISMO.

(AUCTORE EODEM).

Observanda.

I. Religio mahumetana à Mahumete auctore suo nomen habet, qui Meccæ principe quâdam Arabiæ civitate natus est ex paupere sed nobili hujus gentis familiâ. Primùm mercaturam secutus *Kadidschæ* nupsit viduæ nobili et diviti. In hâc latiori vitæ conditione, ut erat non divitiis tantùm, sed et corporis et ingenii dotibus inter populares suos præstantissimus, cœpit novum vitæ genus meditari, consiliumque secum iniit avocandi Arabes ab idololatriâ, in quâ ipse educatus fuerat, et restituendi, ut ipse dicebat, Religionem primævam Adami, Nohemi, Abrahami, Mosis, Christi et omnium veri Dei Prophetarum. In hunc finem commentus est, se colloquia habere cum angelo Gabriele in speluncâ *Hirâ*, non multùm à Meccâ distante. Tandem cùm annos natus esset 40, publicè Religionem suam promulgare cœpit. Multos in civitate suâ adversarios expertus est, qui, cùm Arabum deos conviciis appeteret, tam vehementer in eum concitati sunt, ut ad declinandas eorum insidias coactus fuerit Medinam confugere, ubi brevi tempore multos sibi fautores et amicos comparavit. Hæc fuga, quæ arabicâ linguâ *Hedschira* appellatur, initium dedit æræ arabicæ; contigit anno post Christum 622.

Quamdiù vires deerant, solâ persuasione usus est Mahumetes, imò repetitis vicibus declaraverat, se à Deo missum, ut homines solummodò admoneret, nec sibi licere quemquam ad fidem compellere : cùm autem Medinæ incolas sibi devinxisset, et auctum jam videret asseclarum numerum, confestim cœpit missionem suam armorum vi comprobare, id sibi à Deo injunctum asseverans, ut infideles armis aggrederetur, et victoriis fidem conciliaret novæ Religioni. Ex hoc tempore prosperâ plerumque fortunâ usus est, ita ut per totam Arabiam Religionem suam cum imperio protenderit, cœperitque terrori esse exteris, cùm anno *Hegiræ* 11, ætatis 63, veneno sublatus est, postquàm *Abubekrum* socerum successorem suum constituerat, seu *vicarium*, quem Arabes linguâ suâ *Calipham* vocant.

II. Successor Mahumetis Abubeker, vir magni nominis, primus librum edidit, quem Mahumetani *Alcoranum* vocant, ex articulo *al* et verbo *coran*, quod *lectionem* significat (1); quanquàm etiam ipse Mahu-

(1) Inter stupendas viri cujusdam eruditissimi ac inter incredulos principis excogitationes, non exigui sanè momenti hæc est, quod ineptè omninò nos obscuri homines *Alcoranum* dicamus, retento Arabum articulo; cùm Latinum articulum non habeat, Germani autem et Galli suum articulum apponant. Quapropter dicendum esset *Coranus*, der coran, *le coran*. Pulchrè, benè, rectè! Hoc tamen observamus, quòd, nisi pugnare secum velint, qui tantæ eruditionis admiratione tenentur, hanc regulam ad omnes illas voces applicare debeant, quæ ex arabicâ linguâ cum ad-

metes libri auctor dici possit in hoc sensu, quòd ex sermonibus constet à Mahumete habitis, et ab ejus successore in unum volumen collectis. *Alcoranus* dividitur in *Suras* seu capita 114, quæ in ipso libro originali non numeris, sed titulis distinctæ sunt. Quædam ex his suris *Meccanæ* inscribuntur, quia *Meccæ* dicuntur revelatæ; aliæ *Medinenses*, quia traditæ fuerunt Medinæ; aliæ demùm ex parte *Meccanæ*, ex parte *Medinenses*. Alcoranus continet *judicia*, *historias* et *paræneses*. Ad *judicia* pertinent leges et sanctiones, tam ad res sacras, quàm politicas spectantes. Ad *historias*, narrationes, quæ partim ex libris sacris, quamvis corruptæ, desumptæ sunt, partim fictæ et ex libris apocryphis, præsertim ex Talmude Judæorum mutuatæ. Ad *paræneses* referuntur adhortationes ad novam Religionem, etc. Communis et certissima Mahumetanorum fides est Alcoranum divinam habere originem, imò ab omni æternitate fuisse apud thronum Dei; et in tempore Mahumeti fuisse ab angelo Gabriele per partes communicatum.

III. Superstitionis Mahumetanæ celerrimam fuisse propagationem negare non possumus. Secundò post mortem Mahumetis anno jam Damascum ac maguam Syriæ partem sibi subegerat. Sarrazeni, qui primi Mahumetis Religionem acceperant, post mortem Abubekri, duce Omaro, qui secundus inter Caliphas fuit, imperium in totam Syriam, Palæstinam, Ægyptum, in magnam occidentalis Africæ partem, demùm in totam ferè Persiam et Armeniam extenderunt. Jussu hujus Omari factum est, ut famosissima in toto terrarum orbe bibliotheca Alexandrina, quæ plura centena millia librorum complectebatur, igni absumpta fuerit. Sub Othmano confectum est Persicum bellum, et Mesopotamia Mahumetico imperio adjecta. Post sub initium 8 seculi, India ex unâ parte, ex alterâ Hispania subacta. En quibus argumentis persuasa fuit mahumetana Religio!

IV. Mahumetis asseclæ in duas sectas majores dividuntur, et in plures alias minores. Nam Othmano per conjuratos interfecto, Ali, Mahumetis gener, qui Fatimam, magni prophetæ filiam, uxorem duxerat, in Calipham electus est; quod causa magni schismatis fuit. Alii enim instigante inprimis Aichâ uxore Mahumetis superstite, quæ summam habebat apud Arabes venerationem, Moaviæ à multis jam annis Syriæ procuratori imperium detulerunt. Interfecto postmodùm Ali, ejusque filio imperio depulso, dignitas Calipharum à stirpe et familiâ Mahumetis ablata est, sed mansit secta, quæ usque nunc Persidem occupat, Moaviam, ejusque successores execratur, et Ali doctrinam sequitur, quam solam ut veram et genuinam agnoscit.

PROPOSITIO. — *Mahumetana Religio divina revelatio esse non potest.*

ARGUMENTUM PRIMUM. — *Religio Mahumetana Religioni Christianæ contradicit; ergo divina revelatio esse non potest.*

Consequentia patet ex criteriis Revelationis parte 1° hujus demonstrationis stabilitis; sic enim habet regula secunda... *Nulla revelatio posterior priori opposita esse potest....* Ex quo sequitur Religionem illam à Deo revelatam esse non posse, quæ Religioni Christianæ contradicit, cujus divinam originem certis et evidentibus rationibus jam probavimus.

Prob. ant. Religio Mahumetana totam Jesu Christi pro salute hominum œconomiam evertit; quamvis enim Christum verum Dei legatum fuisse dicat, in lege et prophetis promissum, ex Mariâ virgine natum (1); nihilominùs pugnat directâ fronte cum præcipuis Religionis Christianæ dogmatibus; Jesu Christi divinitatem negat, mysteria rejicit, et sacramenta; omnemque Ecclesiæ Christi obedientiam detrectat. Ergo, etc.

ARGUMENTUM II. — *Mahumetana Religio omnibus illis notis divinæ revelationis destituitur, quæ vel ex Religionis ipsius præstantiâ, vel ex illius, qui eam tradidit, dotibus desumuntur.*

Prob. prima pars : Qualis sit Mahumetanorum Religio ex Alcorano discimus, cui cœlestem et divinam originem attribunt. Verùm dici vix potest, quàm multa liber ille contineat pugnantia, quàm multa Deo indigna, et sanæ rationi adversa. Primùm quidem credi sibi vult nullâ inquirendi libertate (2), quod ipsum manifestum jam est indicium iniquitatis; deinde doctrinam continet de fato, et absolutâ Dei prædeterminatione; summam beatitudinem in voluptatibus carnis ponit : totam Religionem in rebus externis collocat; in purificationibus, orationibus, jejuniis, eleemosynâ; quæ si quis diligenter servaverit et ad minimum semel toto vitæ suæ tempore Meccam peregrinatus fuerit, verus erit, ut in Corano dicitur, Mahumetis discipulus, et certò incola paradisi; illos, qui vi, vel metu compulsi contra Dei leges agunt, à peccato excusat (3); de repudio leges statuit ab omni æquitate naturali abhorrentes (4), multa alia præterimus de pœnâ talionis, de vindictâ privatâ, etc. Demùm totus ille liber insulsis refertus est narrationibus, quæ magnam auctoris ignorantiam produnt. Inprimis ex Talmude et Rabbinorum scriptis magnam messem collegit absurdissimarum fabularum.

Prob. secunda pars : Mahumetes acri et callido ingenio instructus facillimè potuit inter suos prophetam agere; virtutes aliquas præ se ferebat quidem, sed notum est, quanta ejus fuerit in simulando dexteritas; neque ita potuit viri quasi divini personam agere, ut non multa ostenderit vitia, quæ Dei legatum maximè dedecent. Quantùm libidini deditus fuerit, probat uxorum multitudo et singularis illa, quam sibi tanquàm prophetæ et Dei ministro attribuit, prærogativa, tot quot vellet uxores assumere, cùm asseclas suos ad

jecto articulo mutuatæ sunt. Ideòque loco *Algebra*, dicendum esset : *gebra*, *la gebra;* loco *Almanach*, dicendum : *le manach;* loco *Alambic*, dicendum : *l'ambic*, etc.

(1) Azoarâ 29.
(2) Azoarâ 13.
(3) Surâ 21.
(4) Surâ 2 et 5.

quatuor restringeret (1). Ambitione incensum fuisse supra omnem modum, tota ejus vita ostendit; nec defuit, ubi hæc imperabat, crudelitas. Unde cùm semel spes imperii affulsit, nihil potuit dominandi cupiditatem cohibere, nec à cædibus, nec ab incendiis temperavit. Ergo, etc.

ARGUMENTUM III. — *Religio Mahumetana divinam originem nec prophetiis nec miraculis probare potest.*

I. Non prophetiis. Mahumetes in Alcorano (2) gloriatur se in Pentateucho et Evangelio prænuntiatum esse, et asseclas suos hortatur ad Judæos et Christianos adeundos et consulendos, quod præter impostoris impudentiam parùm communem nihil probat. Ubi enim hæc vaticinia in libris veteris aut novæ legis latitent, nemo hucusquè invenire potuit, et duo testimonia, quæ ex sacris litteris affert *Surâ* 7, v. 147, et *Surâ* 61, v. 6, nullibi leguntur.

II. Non miraculis. Præter ea valdè miranda, quæ de Mahumete narrantur in Alcorano, plura alia mirabilia narrant Mahumetani: sed ne ullum quidem factum afferre possunt, quod fidem aliquam mereatur. A nemine visa sunt prodigia illa, et propriâ absurditate refelluntur. Sed quod in hâc controversiâ præcipuum est, Mahumetes nunquàm ad miracula provocavit adversarios sibi contradicentes. Imò se ad miracula faciendа missum non esse, sæpiùs repetit in Alcorano, speciatim Surâ 3, 6; 13, 19. Consequenter ad hanc Mahumetis doctrinam diversi generis prophetas distinguunt Mahumetani, secundùm varia Dei attributa. *Moses*, aiunt, missus fuit ad probandam Dei providentiam; *Salomo* ad manifestandam ejus sapientiam, gloriam, et majestatem; *Christus* ad *justitiam*, scientiam, et potentiam declarandam; justitiam, quia vixit sine peccato; scientiam, quia futura prædixit; potentiam, quia miracula soli Deo propria operatus est. Prioribus ergo prophetis necessaria fuit virtus miraculorum, quia nullus ex iis potestatem habuit cogendi homines. At *Mahumetes* ad fortitudinem Dei demonstrandam suscitatus opus habuit gladio, non miraculis, ut ad fidem etiam invitos cogeret. Ergo, etc.

ARGUMENTUM IV. —*Neque ex aliis divinæ Revelationis argumentis ullum manet Mahumetanæ Religioni præsidium.*

Prob.: Ex illis argumentis, quæ ex eventibus stupendis in Religionis Christ. defensione desumpsimus, et quæ jure merito miracula in ordine morali vocari possunt; nullum est, quod Mahumetismo conveniat.

I. Non certè singularis ejus ad immutandos mores efficacia et saluberrimi effectus in orbe producti. Nam insanis superstitionibus orbem replevit, mores induxit efferatos, aut efféminatos; et gentes Religione Christianâ excultas barbaras fecit.

II. Non martyrum constantia et fortitudo. Multos quidem Martyres fecit Mahumetanorum furor, et zelus Religionis ferro et igne armatus; sed martyres nullos tulit hæc Religio, neque ad Martyrium valdè exstimulat, quod Surâ 16, v. 110, dicitur...: *Qui post susceptam fidem, abnegaverit Deum, præter eum, qui invitus ad hoc coactus fuerit, super hunc erit ira Dei.*

III. Non religionis stabilitas. Nullibi enim stat Mahumetismus, nisi ubi imperat.

IV. Non demùm propagationis incredibilis celeritas, quæ rerum et circumstantiarum ignaris posset videre stupenda; sed propiùs considerata nonnisi naturalis videbitur, et causarum merè naturalium effectus. Non enim necesse est Deum supernaturali modo intervenire, ut Religio corruptæ naturæ favens, et carnis voluptates suadens propagetur; ut gens robusta et in arte bellandi exercitata armis imperium proferat, et nationes sibi subdat inermes, ignavas, internis scissionibus divisas. Non potest supernaturali providentiæ adscribi armis tentata, et felici bellorum exitu parta fortuna.

Innumeras præterea ad innovandas res opportunitates invenit Mahumetes, tum in Arabum, tum in aliarum gentium statu; ipse autem callidè religionem suam temporum circumstantiis ita accommodavit, ut in eâ quælibet natio aliquid tanquàm suum inveniret.

CONCLUSIO.

Ergo Mahumetana Religio 1° divina non est, cùm nullas nec internas, nec externas divinæ originis notas habeat. 2° Divina esse non potest, cùm multa evidenter falsa, absurda et contradictoria contineat, et contradicat revelationi priori, cujus divinitas invictè probata est. Conf. Wiest, op. M. tom 2. § 229 et seqq., item § 251. — Hoecke, tom. 2, in Appendice, cap. 3. — Dobmayer tom. 3, pag. 729. — Grotius, de Veritate Rel. christ., lib. 16. — Zimmer, Veritas Rel. christ., pag. 119 et seqq., atque inprimis Diction. de Bergier, art. Mahométisme.

(1) Azoarâ 43, 46.
(2) Azoarâ 17.

DE GENTILISMO.

(AUCTORE EODEM.)

Observanda.

I. Communi gentilium vel ethnicorum aut paganorum nomine continentur omnes, qui unquàm exstiterunt, aut adhuc existunt, falsorum numinum cultores. Infinitæ ferè sunt religiones paganorum, quæ nullo inter se vinculo colligatæ, in hoc tantùm conveniunt, quòd, ut Apostolus ait (1), veritatem Dei commutaverint in mendacium, et coluerint et servierint creaturis potiùs quàm creatori. Mansit quidem apud omnes gentes aliqua unius summi Dei notio ex antiquâ humani generis traditione orta, sed fœdè deformata et quasi obruta densissimis idololatriæ tenebris.

(1) Rom. 1, 25.

Hoc certum : Deum verum et vivum, cui soli omnis honor et gloria debebatur, solum fuisse, qui nec templa nec altaria habuit; cui nulla gens cultum exhibuit, si Judæos excipias. Omnes evanuerunt in cogitationibus suis, atque ii etiam, qui Deum cognoverunt, non sicut Deum glorificaverunt (1).

II. Nos gentilismum hic consideramus, in quantum divinæ Revelationis auctoritatem sibi attribuit. Semper enim veritatem æmulatur dolus; neque Religio unquàm fuit, quæ non cœlestem originem mentita sit, aut oraculis et prodigiis, aliisque divinæ sanctionis testificationibus fidem sibi conciliandam existimaverit. Habentur etiam apud gentiles libri sacri, quos non minori veneratione prosequuntur, ac Judæi et Christiani suos. Græci et Romani suas divinationes, sua oracula, sua prodigia prædicant, quæ, si vera essent, certissima essent revelationis criteria, ut ipsi demonstravimus.

III. Mirum est, quot laudibus Voltarius et alii incredùli libros extollant, qui apud Sinenses, Indos et Persas tanquàm sacri servantur. Illorum doctrinam cum Evangelio comparare et sanctissimæ Religioni, quam à Christo Jesu accepimus, præferre non verentur. Profectò nisi infernale in Religionem Christianam odium eos excæcaret, non possent ita apertis oculis cæcutire. Sed quales illi libri sint breviter dicendum.

Inter libros sacros, qui apud Sinenses exstare dicuntur, præcipuus procul dubio est ille, quem *Chingu-King* vel *Schu-King* appellant, et qui communiter à Confucio 500 ante Christum annis adornatus dicitur. D. *de Guignes*, vir rerum Orientalium peritissimus, anno 1776 opus hoc in gallicum idioma vertit juxta originale Parisiis asservatum. Indorum libri sacri sunt, 1° liber *Vedam*, quem Brachmanes Indorum philosophi à supremo numine *Bramæ* datum fuisse credunt. 2° Commentarium in Vedam, quod *Schaster* vocatur, vel *Ezour*, aut *Ezour-Vedam*. An liber, qui *Vedam* dicitur, adhuc existat, aut an unquàm extiterit, incertum est. Commentarii seu Ezour-Vedam gallicam versionem habemus, cum adnotationibus, in quibus probatur libri novitas. Eadem clarissimi *Lessii* sententia contra Voltarium.... *So viel muss wenigstens jeder Unpartheiische und Berständige eingestehen, dass dies Werf von einem neuern Braminen gemacht worden, der mit der jüdischen, mahumetanischen und christlichen Religion befannt war.*

De religione Persarum aut Magorum pauca admodum nobis tradiderunt græci et latini scriptores. Neque recentiori ætate clariorem ejus cognitionem accepimus ante D. *Anquetil Duperron*, qui cognoscendæ religionis causâ diù in Persiâ et Indiis versatus est, et *Zoroastris* celeberrimi apud Persas philosophi et legislatoris libros in Galliam attulit, quorum dein versionem Parisiis edidit anno 1771 sub titulo : *Zend-Avesta*. Communis eruditorum sententia est Zoroastrem 550 circiter annis ante Christum Persis leges et Religionem dedisse, eo fere tempore, quo Confucius apud Sinenses floruit, finitâ jam aut ad finem vergente Judæorum captivitate.

(1) Rom. 1, 21.

Prima græcæ theologiæ monumenta, quæ ad nos pervenerunt, sunt Homeri et Hesiodi poemata; sed his nunquàm divinam originem attribuit antiquitas. Aliud de Sibyllinis libris dicendum; quos Romani ut sacros coluerunt et in arce capitolinâ servârunt, ut eos in causis gravioribus et negotiis publicis consulerent. Sed de oraculis et Sibyllinis libris locuti sumus, cùm de prophetiis ageretur (1).

Propositio prima. — *Libri, qui à gentilibus ut divini habentur, divini non sunt, nec esse possunt.*

Probatur prima pars : Etiamsi libri illi nihil continerent Deo indignum, verisque ac genuinis Religionis naturalis veritatibus contrarium, nondùm sequeretur eos divinam habere auctoritatem; ad hoc enim necesse esset, ut positivis argumentis cœlestis hæc origo probaretur; ut eorum auctores divinæ suæ missionis et inspirationis fidem fecissent; sed nihil ejusmodi probari hucusque potuit. Obscura et incerta est illorum librorum origo; de eorum auctoribus et antiquitate eruditi non consentiunt.

Probatur secunda pars : Liber Sinensium *Chingu-King* totus ineptiis repletus est, summamque auctoris ignorantiam prodit. Nullibi in eo occurrit dogma de unius Dei existentiâ, sed potiùs commendat idololatriam; in tradendis morum regulis valdè jejunus est et insufficiens, ac philosophorum tum Græcorum tum Romanorum libris longè inferior. De Confucio ita scribit Lessius..... *Confucius lebte in den Zeiten der unsichern Geschichte; selbst Sineser sagen, dass er nichts von der Religion gelehrt; hingegen Götzendienst und Wahrsagereien geschützet habe.*

Idem de sacris Indorum libris ferendum est judicium. Librum *Vedam* tam sacrum habent *Braminæ*, ut nullus nisi Braminæ oculus eum possit intueri. Dicunt illum in linguâ Samscredonâ scriptum, quæ jamdiù emortua est, et à Braminis tantùm intelligitur. De ejus autem argumento et doctrinâ nihil produnt. In *Ezour-Vedam* plura quidem utilia et plena veræ sapientiæ documenta occurrunt; sed notandum 1° illos commentarios non esse perantiquos, ut legenti cuique apertum est; multa esse ex sacris Judæorum et Christianorum libris, imò ex Alcorano desumpta. 2° Totos scatere fabulis, superstitionibus et absurditatibus. Præterea ex publicâ professione Religionis Indorum judicari potest, quid in sacris eorum libris contineatur. Præter supremum Deum tres adhuc minores colunt, *Bramam, Isuren*, et *Vischnu;* his putant curam humani generis omnem esse commendatam. Dæmonem colunt, ne noceat. Multas habent impias, crudeles et fœdas Religionis cæremonias, etc.

Quod Persas attinet, de ipso Zoroastre, quem *Gauri*, seu antiqui habitatores *Zertuch* vocant, et quem auctorem dicunt *Zend-Avestæ*, tam parùm conspirant scriptorum testimonia, ut ad ea concilianda sex hujus nominis viros statuere necesse esset. Nec minor est, cùm de Zoroastris libro agitur, tum veterum tum recentiorum dissensio. Chardinus rerum Persicarum fidelis-

(1) 1 parte hujus demonst. cap. 2, sect. 2, art. 3. de Prophetiis, obj. 3, etc.

simus scriptor, omni diligentiâ adhibitâ librum nec videre unquàm potuit, nec aliquid certi de eo comperire. D. *Anquetil Duperron*, à quo traductionem habemus Zend-Avestæ, contendit se librum hunc invenisse, non quidem apud *Gauros*, qui adhuc in Perside inter Mahumetanos commorantur; sed apud illos, qui Arabum et Tartarorum imperio infensi in Indias penetrârunt, ubi adhuc hodiedùm *Persarum* nomine compellantur. Quæ in hoc libro traduntur, cum antiquâ Persarum Religione, sicut eam descripsit Thomas Hyde, Anglus, non conveniunt; scatet præterea ineptiis et absurdis sententiis; duo admittit principia; unum boni, quod *Ormutz*, aliud mali, quod *Ahriman* vocat; de virtutibus ita loquitur, ut auctor videatur plures et præcipuas ignorâsse, reliquas perfunctoriè tantùm attigit. Amorem erga homines commendat quidem maximoperè, sed exclusis alienigenis; in ritibus externis, quorum permagnus est numerus, multa sunt superstitiosa, fœda et indecora; talis est ille de urinâ vaccæ, quæ ut sacrum purgationis medium commendatur. Ergo, etc.

Propositio II. — *Nulla est ex gentilium Religionibus, quæ divinæ Revelationis characterem habeat, aut habere possit.*

Prob. prima pars : 1° Ut aliqua ex gentilium religionibus dici posset divinitùs revelata, probandum esset, eam certo aliquo tempore fuisse è cœlo in terras delatam, et hominibus promulgatam. Sed nihil ejusmodi probari potest; omnes enim ethnicæ Religionis partes ex ignorantiâ, levitate, cordis corruptione, metu et adulatione, aliisque impuris fontibus manârunt; et ex iisdem sua postmodùm ceperunt incrementa.

2° Paganæ Religiones nullas habent divinæ revelationis notas, nec naturales internas, nec supernaturales externas. Ergo, etc.

Prob. ant. *Non naturales internas*; ut partim ex præcedenti probatione jam vidimus, partim in secundâ parte hujus probationis videbimus.

Non supernaturales. Hæc enim in vaticiniis consistunt et prodigiis; sed nihil ejusmodi apud idololatras gentes reperitur. Multùm quidem apud Græcos et Romanos valuit *divinatio*, cujus ferè infinita fuerunt genera; sed tam vana fuit hæc superstitio, tam futilis et ridicula, ut in illâ refutandâ operam collocare necesse non sit. Qui eorum elegantem et ingeniosam confutationem videre velit, legat Ciceronis lib. 2 de divinat. Conf. quæ parte primâ de Prophetiis objectione secundâ dicta sunt; ibidem objectione tertiâ oraculorum, quorum magna erat apud gentiles Religio, vanitatem probavimus. Si ad miracula provocant gentiles, respondemus, ea omnia, quæ ab eorum auctoribus narrantur prodigia, aut fabulas esse, aut naturales eventus; ea plerumque indigna esse divinâ majestate; neque ad Religionis confirmationem facta. Vid. part. 1 hujus demonst. de Miraculis § 4, obj. 5.

Prob. secunda pars : Divina esse non potest ea Religio, quæ res continet evidenter absurdas, quæ cum Dei perfectionibus aut certis Religionis et legis naturalis principiis pugnat; atqui, etc. Ergo, etc.

Major certa est ex parte primâ hujus demonstrationis; *de criteriis veræ Revel.*, regulâ primâ.

Minor cuilibet patet, qui levem tantùm paganismi et mythologiæ cognitionem habet. Quid enim sanis Religionis principiis magis contrarium, quàm illa pene innumera deorum multitudo, quæ tanta fuit, ut Varro 300 Joves recensuerit; illa tam viliter et minutatim concisa Deorum officia, scurrilitati mimicæ magis quàm divinæ majestati convenientia? quid morum genuinis legibus exitiosius, quàm ea, quæ de diis immortalibus tradebat theologia gentilis; quos tam flagitiosos finxit, ut Religio, nedùm à vitiis avocaret, adderet commendationem?... *Deos suos, quos venerantur, imitantur*, ait Cyprianus, *fiunt miseris et religiosa delicta*....

Si religiosos paganorum ritus consideremus in deorum honorem, et quandoque, uti dicebatur, ipsis jubentibus instituti, ut ludi scenici, festa, gladiatorum spectacula, sacrificia, etc.; nihil potest cogitari turpius, lascivius, atrocius. Horret animus ex tam impudicæ, tamque sævæ superstitionis consideratione. Ut alia omnia omittamus, certum est, humana sacrificia apud omnes paganas gentes obtinuisse, partemque fuisse religiosi cultûs. Ergo, etc.

Nota. Hanc demonstrationis Christianæ partem breviùs contrahere necesse fuit, ne in nimiam molem accresceret opus. Difficile non erit rerum divinarum studiosis hanc cognitionem novis quotidiè accessionibus augere, et ex parvis initiis majora capere incrementa. Quod præsentem circa gentilismum quæstionem attinet, eam explicatiùs, fusiùsque tractatam invenient apud *Wiest*, op. Maj. tom. 2, § 217 et seqq.; item § 250. — Zimmer, veritas Religionis Christ. cap. 3 à § 68 usq. ad 109. — Dobmayer, tom. 3, pag. 697 et seqq. — Hoocke, tom. 2, appendice, cap. 2. — Grotium, de Verit. Rel., chr. lib. 4. — Bergier, Traité dogmatique, tom. 1, chap. 3.

COMPENDIUM HISTORICUM

DE CONSTITUTIONE CIVILI CLERI, DE CONCORDATIS ANNORUM 1800 ET 1817, DE SECTARIIS DICTIS LA PETITE ÉGLISE.

Ex quo tempore omnimodis Reformatis Europæ ingruere licuit, novatorum superbia luxurianter spatiari cœpit hâc fulta propositione : *Nil fide dignum quod humanæ rationi non subjaceat.* Nihil inviolatum superfuit cùm dogmata Religionis et ethices principia in cujusque arbitrium detrusa sunt, tactuque fœdare sanctam Fidei arcam impunitum fuit; mox enim omnipotentis Creatoris consilia, spuriis creaturæ sententiis subdere vulgare factum est. Cùm autem usque ad insaniam efferbuit omnia scrutandi febris, quid concussæ excisæque domesticis cladibus, Germania, Anglia, Batavia deploraverint, dicere vetant hujus com-

pendii limites; sufficit ut Anglia, olim *Insula sanctorum* à papâ cognominata, in immensam animorum comessationem corruerit, et sicariorum, tyrannorum impietatisque patria facta sit : inde enim erupit ut è luctuoso fomite, lues pyrrhonismi, quâ sæviente, non defuerunt qui angli Hobbesii batavique Spinosæ vestigiis insistentes, in Epicuri, Lucretii ethnicorumque figmenta sese præcipites dederint.

Diutiùs hâc peste caruit Gallia, Ludovico Magno Religionem armis et legibus studiosè protegente. Cùm autem administratorem moribus perditum excepit effrenatæ rex ipse libidinis, civilia religiosaque rumpere vincula cœpit grassata et manifesto incessu patens impietas. Tum prodiit infeliciter celebris Arouet de Voltaire, qui revelationi Deoque ipsi bellum infestum ausus est indicere, Fidem, mores antiquare, solium suffodere aggressus, unà cum antesignanis suis, d'Alembert, J. J. Rousseau, d'Holbach, Maupertuis, Bayle, Lametrie, Raynal, Grimm, Helvétius, d'Argens, Fréret, Saurin, Marmontel, de Bordes, Thiriot, Damilaville, innumerisque scriptoribus, inter quos non sine mœrore reperias Historiæ naturalis et Litterarum Peruanæ auctores, ut omittam Diderot, Piron, Parny, Grécourt, ejusdemque farinæ plurimos, omnes lutulentæ memoriæ.

Quò verò rectiùs ad scopum tot deletrices machinæ torquerentur, nomen philosophorum mentiti, odio in Christum coalescentes, formandâ communione actuum animorumque fœderati sunt. His accedebant arcanæ hominum societates vulgò dictorum *francs-maçons*, non minùs Religioni, cui valedixerant, infensorum, quàm principibus, occultam in regno radicari potestatem iniquè ferentibus, Jansenianorum et Molinistarum controversiæ, Illuminatorum et Quesnellitarum ineptiæ. Ex tot malorum colluvie arma sibi paravêre philosophi, et ad ducis nutum instructi, scientias, dona Dei, in Dei contemptum derivantes, hi adversâ fronte, argumentis, hi velut à latere, ludibriis et cavillationibus Religionem lacessere et oppugnare cœperunt, conscià, quod mirum est, nobilium virorum turbâ. Adeò novis avidè Gallia rebus inhiat!

A fructibus eorum cognoscetis eos. Mox in quid præcipitem patriam detruserint, multis signis auspicari licuit. Regnante enim Ludovico XV prænuntia procellæ prodierunt indicia : crudus Religionis contemptus; in reges convicia; populi efferatus animus; regicidarum numerus; societatis Jesu exilium; publicanorum exactiones; principis, magnatum imò quorumdam antistitum libidines. Infaustis solium ascendit ominibus Ludovicus XVI, virtutibus suis olim futurus in odio; quo imperante, ovatione plebeiâ exceptus Voltaire octogenarius occubuit, dignos hæredes instituens, qui ferro, quod calamo commendaverat, scelere, quod scriptis jocisque paraverat, absolverent. Rex autem ærario exhausto, pulsum à se ministrum Necker, sed urâ populari revectum in gratiam recipere coactus, reducis consilio obsequiosior, generalia regni comitia indicit, anno 1788, quò afflictis rebus mederetur. Anno sequenti mensis maii 5, habita sunt comitia. Constanter priùs trium ordinum legatos complectebantur, plebeii verò legati à cæteris ordinibus desciverunt, votum enuntiari expetentes non de more per ordines et ordinum præeminentiam, sed capitatim, quia absentibus plerisque nobilitatis et cleri legatis, nullis imò ex Armoricâ missis optimatibus, longè numero aliis ordinibus præstabant. Acriter obstiterunt nobiles, præsertimque clerus; victi verò suorum etiam proditione, pertinaciæ et virtutis non leves pœnas luere cœperunt. Cùm enim legati in unam molem conflati, conventûs nationalis nomen adepti sunt, ex causidicis et plebeiis formatus est consessus qui ecclesiastica investigaret et procuraret : quo verò suadente primò annates papales decumæque antiquatæ sunt; dein, 2 novembris 1789, bona omnia cleri in nationis manum addicta sunt et arbitrium.

Januarii 5 1790, fisco adjudicantur sacerdotum bona migratorum è patriâ; 13 februarii, vix tribus discussa diebus lex editur, quæ vota sacramentumque monialium irritat et solvit : eodem tandem anno fingitur *Constitutio civilis cleri*, anno sequenti exacta, digna prorsùs quæ auspicia habuerit temporalium rapinam, spiritualium profanationem, apostasiæ triumphum. Textum, notum omnibus, prætermittentes, duos tantùm paragraphos hujus portentosæ legis compendiosè excutiemus.

§ 1. *De officiis ecclesiasticis.*

Art. 1, 2, 3, 6 novam diœcesium divisionem, parochiarumque distributionem indicant, episcopo et administratorum civilium concursu absolvendam, et 83 episcopos, pro 83 præfecturis, eos fluviali, montano, maritimo nomine distinguendo, decem in Gallià metropolitanis addicunt.

Art. 4 omnem auctoritatem ecclesiasticam alienigenæ aut Gallo in externis terris degenti, per Galliam recognoscendam minaciter prohibet.

Art. 7, 8, 9, 15, 16 parochianorum vicariorumque numerum pro libitu gubernantium assignant.

Art. 10, 11, 12, 13 seminariorum numerum, locum, regimen, superiores, imò orandi tempus et ædem sacram designant.

Art. 14 episcopos vicariorum suorum permanenti consilio subjicit, quibuscum deliberare tenetur de gubernandâ diœcese et seminario regendo; fiduciariæ tantùm regulæ diœcesim lustranti ad tempus permittuntur.

Art. 15, 16, 17, 18, 19 confirmatur parochiarum amplificatio vel minutio ab episcopo cum laicis excutienda, locorumque necessitatibus obnoxia; item pronuntiatur collatio bonorum fabricarum in unam.

Art. 20 in perpetuum abolet et eruit dignitates, canonicatus, præbendas, beneficia et præstimonias, quocumque stent genere et causâ.

§ 2. *De nominatione ad beneficia.*

Art. 1, 2, 3 eliguntur laicorum et aliquot presbyterorum suffragiis parochi et episcopi, dummodò vox una dimidium voventium superet.

Art. 4 et 5 vacante sede episcopali, procuratori generali præfecturæ munera competunt omnes electores convocandi, diemque electionis statuendi; si autem intra quatuor menses locum habiturus sit consessus administrandæ præfecturæ, tamdiù vacare debet sedes episcopalis.

Art. 6 episcopi eligendi causâ, dies, locus, hora assignantur.

Art. 7 ad 13, quis sit suffragiis elevandus, explicatur, vicarius scilicet, parochus, seminarii superior officio per quindecim annos functus in diœcesi cujus

sedes supprimitur, missionarius, vicarius generalis, collegii vel xenodochii rector, post quindecim annos in exercitio exactos.

Art. 14 et 15 de proclamatione electi, coram clero et plebe, in ecclesiâ, ante missam gratulatoriam, à præside conventûs electoralis tractant, et de mittendo ad regem rerum gestarum instrumento.

Art. 16, 17. Electus episcopus cum instrumento suæ electionis et promulgationis intra 30 dies astat coram suo metropolitano, à quo canonicam postulat confirmationem. Huic libet, assistente consilio suo, inquisitione mores et doctrinam electi scrutari, quem confirmare tenetur, nisi propter causas scriptas, et à consilio approbatas illum removeat, quo casu superest ad laicos appellatio. Cùm autem metropolitanus eligitur, episcopus ex longinquiori tempore suffraganeus metropoleos, eadem in confirmando metropolitano agit, quæ hic in confirmando episcopo.

Art. 18, 19, 20. Episcopo confirmationem canonicam collaturo non licet aliud quàm catholicitatis sacramentum ab electo exigere; huic autem directè interdicitur ne quid ideò postulet à summo pontifice; epistolam tantùm in testimonium servatæ communionis scribere licet. Non aliàs quàm in ecclesiâ cathedrali, die dominicâ, per missam, coram populo et clero fiet consecratio.

Art. 22, 23, 24. Evolvitur episcopalis potestas, vel potiùs impotentia. Vicarios suos eligere potest ex presbyteris qui à decennio munere suo funguntur, eosque revocare nequit, nisi accensente consilio suo et causâ cognitâ; non licet quemquam parochum annexum cathedrali munusque vicarii sibi vindicantem excludere; unà cum suo consilio vicarios superiores et rectores seminariorum nominat.

Art. 25 ad 38. Non absimilis ab episcopali est electio parochorum. Adsunt enim omnimodæ religionis electores : annua sunt electionis tempora convocanda procuratore syndico; sufficit major pars suffragiorum. Vicarius quinquenino functus et quilibet ex ordinatis hoc spatio parochiæ vel xenodochio adjunctus, curiam affectare potest. Electus parochus astat coram episcopo ut interroganti mores et doctrinam patefaciat; sique consentiente consilio approbet eum episcopus, canonicâ institutione sacrandus est, nullo alio quàm catholicitatis sacramento astringendus.

Art. 38 ad 40. Electus Constitutioni sacramentum præstat in ecclesiâ suâ parochiali, instrumentum redigente scribâ municipii, die dominicâ, coram omnibus; nonnisi præstito sacramento, curiales episcopales sedes occupatæ censentur.

Art. 41, 42. Vacantibus sedibus providet primus vel secundus cathedralis vicarius, si desit episcopus; vicarius, si desit parochus.

Art. 43, 44. Jus habet eligendi vicarios suos parochus inter ordinatos in diœcesi; quos tamen revocare nequit, nisi assentiente episcopo unà cum consilio suo.

In §§ 3 et 4, de pensionibus sacerdotum, et de lege commorationis in suis diœcesibus et parochiis agebatur.

Hæc fuit inaudita decretorum congeries; ad id insaniæ provecti sunt homines qui falso nitentes principio, meminisse noluerunt quòd *Omnis potestas à Deo*, non ab hominibus, procedat.

Superabundant argumenta quibus impugnetur ista Constitutio. Jam in ipsâ expositione articulorum quædam indicavimus; superest ut alia breviter suis instructa consequentiis, apponamus.

Sit in principio : Omni odio excipienda est constitutio hæretica, schismatica, antichristiana, à summo pontifice damnata, humanis etiam legibus adversa. Atqui sic se habebat civilis Constitutio cleri.

1° Hæretica erat : Siquidem fidei nostræ nonnullum fundamentum eruit; dogma scilicet auctoritatis divinæ quam à Jesu Christo, capite suo, mutuata est Ecclesia, se suosque regendi, quâ deficiente, non filiorum suorum saluti providere potest; jus scilicet præscribendi ministris suis quibus fidem suam et obsequium patefaciant formulas, Ecclesiæ præstitum; jurisdictionem scilicet supremam quæ summo pontifici, utpote Jesu Christi vicario competit in ecclesiasticis, quæ jurisdictio audacter suffoditur; præeminentiam scilicet episcoporum in presbyteros, quos tamen Constitutio judices superioris sui declarat; necessitatem scilicet missionis canonicæ commissæque jurisdictionis ad implenda sacerdotalia munera : hæc autem explodit Constitutio.

2° Schismatica erat : siquidem bona, titulos, hierarchiam, miscet, antiquat, subvertit, et secularem potestatem, summoperè illegitimam invocans, missione veros pastores exuit, adulterinos induit, altare altari opponit, novæque terrarum distributioni spiritualem adjudicans rapiensve jurisdictionem, directè sacris canonibus infensam se præbet.

3° Antichristiana erat : siquidem sacramento ad servandas suas leges obligari præcipit presbyteros, quibus decretis vota religiosa soluta sunt, optimæque institutiones eradicatæ; siquidem inauditum excogitat eligendi modum, divinâ nequaquàm potestate innixum; electionisque capaces facit tum fideles, tum Judæos, tùm omnigenos hæresis asseclas.

4° A summo pontifice damnata est in brevibus quæ Pius VI edidit 10 julii 1791 et 10 augusti anni ejusdem. Præterea antistitum et doctorum omnimodis reclamationibus attrita est, plaudente papâ, qui istam hæreticis scaturire sententiis asserebat; ad quæ accedit satis eloquens tot presbyterorum et antistitum martyrium.

5° Nec inò humanis congruit legibus; siquidem nulli libet destitutum à bonis suis expellere nisi priùs indemnem fecerit; quod tamen raptorum modo constituentes patravêre per art. 20; siquidem præscriptio certissimè inter leges coætaneas vigebat, atqui supposito, quod falsum erat, quòd deessent aliquot tituli, longissimâ et placidâ præscriptione fruebantur presbyteri et moniales; siquidem lex nonnisi de futuris providere debet, hìc verò vi retroactivâ armatur, quamvis sit pœnalis et spoliatrix, sitque in axiomate *Odia restringenda;* siquidem libertatis conscientiæ nomine, ab ipsis legatis toties inclamatæ, penitùs subruta fuit libertas religioni suæ adhærendi, et apostasia præscripta est : propriis ergo se legibus et dictis adversos præstabant ipsi legislatores.

Ex his sequitur : 1° Posito quòd *melius sit parere Deo quàm hominibus*, mortem potiùs subeundam esse, quàm tale juramentum præstetur; 2° hos qui spe vel metu decepti juraverunt, intrusos esse presbyteros, *qui non intrant per ostium;* siquidem omnes sciebant se nullam acquisivisse jurisdictionem; 3° schismatica et hæretica pollicitos, et schismate et hæresi inquinari; quibuscum in divinis communicatio labes esset

et contagium; 4° qui non resipuerint, damnatos fuisse in æternum.

Adeò portentosa Galliæ clerus non impunè admitti passus est; cardinalis de la Rochefoucault, annuentibus 140 episcopis, indixit quid de Constitutione sentiendum esset, in *Expositione principiorum*. Ludovicus XVI, jam summi pontificis epistolâ præmonitus, sanctionem decreti ut potuit protrahere aggressus, tandem invitissimus apposuit. Januarii 4, 1791, quo die præstandum sacramentum indictum fuerat, sequentibusque, vix sexta pars inferioris cleri se juramento inquinavit; inter antistites verò quatuor tantùm defecêre, Cardinalis de Brienne, et Aureliani, Augustoduni Vivariique episcopi. Deerat autem qui consecratione schisma perennius faceret, cùm pro Aurelianensi, Vivariensi et Augustodunensi regione tantùm sufficerent tres fidei desertores. Obicem suis è legibus natum removit Conventus, et ille qui actu, manu, exemplis, consiliis et scriptis talem pestem præcipuè Galliis infuderat, Talleyrand de Périgord, episcopus Augustodunensis, assistente episcopo in partibus Lyddæ, et episcopo Babylonis, primos episcopos præfecturarum conseravit.

Interea, bis intra paucos dies Pius VII per brevia 10 martii et 13 aprilis gregem suum corroboraverat. Assentiebantur ei quisque fidelis antistes et sacerdos, juristæ, canonistæ, causidici; ipsi privati cum clero Constitutioni adversabantur. Tunc episcopi cum *Expositione principiorum* summo pontifici dimissionem à suis sedibus misêre, rogantes eum ut Ecclesiæ bono, non ipsorum saluti invigilaret: has Pius VII accipere noluit.

Sedente autem novo conventu in Galliis, sub nomine Legislativi, 14 martii 1792, Pius VI frustra ad pœnitentiam lapsos revocare tentavit, ad Ecclesiæ universæ sententiam appellantes. Ut verò hoc ipsis latibulum occluderet, summus pontifex respondit obsignatam afferendo 265 antistitum de repudiandâ Constitutione sententiam. Conventus interim primò clericalibus indui vestibus prohibuit; dein, decreto 26 maii 1792 atrocibus pœnis presbyteros qui juramentum renuerant, affici imperavit. Hic deficiunt verba quibus delineari possint tetriores tabulæ quàm Diocletiani Neronisve ferocitas ediderit, viris nuper christianis in christianos belluino more ingruentibus: tunc enim de Ecclesiâ dici potuit quod de Rachele: *Vox in Ramâ audita est ploratus et ululatus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.* Matt. v. 18, c. II.

Liceat tamen retrospicere, dum undique disperguntur oves, cæduntur pastores, quid solii, suis defensoribus destituti, majestas perpessa sit, quâque ratione Gallica gens, suo erga principes amore tamdiù percelebris, inter reges clementissimum benevolentiâque quâ populum suum complectebatur venerandissimum elegerit, ut in ipso furores suos exsatiaret. Ex longo tempore Ludovicus XVI nil nisi suorum captivi etiam in aulâ et regiâ suâ vicem gerebat, aliquot Helvetiotum fidelitati malè defensum à Gallis imò et impetitum toties caput committere coactus, subitâ 10 augusti irruptione mactatos omnes defensores vidit; ipse ad legatos confugiens, nihil apud eos auxilii, sed sibi suæque familiæ vincula et carcerem adeptus est. Ibi per orationem et patientiæ diuturna exempla quasi præludium instantis martyrii egit, et quæ adhuc terrenarum infirmitatum peccata vel culpæ expianda erant, longo solvere cœpit supplicio.

Inter eos qui schismatis præcipui fautores eminuêre, nullus ex presbyteris tetriori audaciâ inclaruerat quàm Grégoire, ex parocho ad episcopatum Blesensem erectus. Hic, ut magis et magis dignorum æmularetur sociorum facinoribus, longa primò adversùs regiam dignitatem inclamans, ante omnes evertendo throno operam contulit. Mox autem, in ipsum regem, qui in vinculis jacebat, convicia aggerans, in judicium traducendi Ludovici XVI propositum suggessit; 344 legati frustra, à 387 aliis morte damnatum regem, votis defendere ausi sunt, quæ alio tempore ipsi plerique morte expiârunt.

Quid in hâc scelerum victoriâ dicti constitutionales presbyteri egerint, ut rectè judicetur, ad quid crudelitatis viluerint, dignoscendum est. Quinque ex septemdecim episcopi morte regem damnârunt; longè atrocius exemplum præbentes, presbyteri, ad 25 in Conventu sedentes, capitale supplicium octodecim vocibus postulavêre, quinque tantummodò carcerem voto exposcentibus. Quantùm à fidelibus discreparent, etiamque à laicorum multorum benignitate notatum fuit etiam in his temporibus, nonnullisque patuit hoc axioma: *Nihil bono melius, nihil malo pejus est sacerdote.* Testamento mirando Ludovicus extremas voluntates postquàm significâsset, familiæ suæ viam ad cœlum mox secuturæ triturus, immolatus est anno 1793, 21 januarii, quod annuâ nunc expiatione celebrare solemus.

Ad fugam necemve adactis pastoribus, ipsam religionis larvam divellere quam præ se ferebant intrusi seu constitutionales, facilesque et formidine pressos animos omnigenâ apostasiâ rursùs inquinare placuit. Intrusis plaudentibus et opitulantibus, à lupanari et scenâ mimicâ feminæ extractæ, sub nomine *dearum Rationis*, altaribus sacris insidentes, thure et hymnis dignatæ sunt, exauguratisque templis nullum ethnicæ libidinis exemplum defuit. Ipsi sacerdotes, mense novembris 1793, ebriosa in Deum jactitare coram populo et legatis, munus suum cum conviciis repudiare, sacrilegas inire nuptias properârunt, interque apostatas hujus seculi cruentatâ memoriâ præeminent Lebon, Schneider, Chabot, Duquesnoy, qui facinoribus auspicati, iter facinoribus novis terentes, ipsis conscios tetriores visi, tandem necati sunt; quo verò jubente vel permittente in ista ruebant truncato Robespierre, 27 julii 1794, paulisper à furore descivisse visi sunt persecutores; siquidem anno sequenti templa nondùm in privatum dominium lapsa per emptionem, cultui restituta sunt, permissaque sacerdotibus presbyteria, eâ lege, ut reipublicæ decretis se juramento astringerent: mox verò, mensibus septembris et octobris, de

novo cruduit gubernantium sævitia.

Ipse constitutionalis clerus non semper à suorum ferocià immunis fuit, quamvis multi, inter quos præcipuè Talleyrand et Grégoire, uxores publicè duxissent, civilibusque mixti negotiis, nihil acerbiùs à suis collegis excogitari censerent, ad omnia facinora jam instructi. Episcopus Parisiensis Gobel, Fauchet, episcopus præfecturæ dictæ Calvados, Lamourette, episcopus Rhodani et Ligny, Expilly, Finisterræ, Gouttes, Araris et Ligeris, Roux, Ostiorum Rhodani, capite plexi sunt. Plerique, instante nece, quem deseruerant Deum inclamationibus flectere tentaverunt; Fauchet omnibus erroribus suis valedixit, nec minùs pœnitentiæ signis in extremis noscitur, quàm priùs famosum se facinorosis præstiterat sermonibus. Lamourette, Lugduni obsidione factà captivus, Gobel, conjurationi dictæ des Girondins immixtus, in mortis limine ut præcedentes ejurationibus scandalorum præteritorum elucre maculas conati sunt. Gouttes et Roux, hic præsertim morum et verborum intemperantià celebris, post damnationem resipuêre; de Expilly solo dubitatur. Alii, qui politicis tempestatibus involuti, et non tantùm schismate inquinabantur, sed omnis pudoris et religionis cultum abjecerant, pessimam vitam pessimâ morte concluserunt. Ad meliores oculum convertamus.

Inter has tum malacias, tum procellas effluxit quinquennium variorum regiminum successione distinctum. Anno 1796 in sacerdotes damnatum à Pio VI juramentum renuentes de novo exarsit gubernii furor; Rupifortii et Reæ insulæ vetulæ naves pestilentique carceres coacervatis sacerdotibus referti, deplorandam famam adepti sunt. Eo tempore, dux à Directorio missus Buonaparte, victoriarum impetu in Romam raptus, spoliatione bonorum primâ ad pauperiem, novâque anni 1797, ad indigentiam summum pontificem redegerat, qui tandem nocte intempestâ, 20 februarii 1798, vi abduci, Valentiæque in vincula jussus est conjici. Ibi summus pontifex Pius VI, semper de sacramento damnando sui tenax propositi, captivus occubuit, 29 augusti 1799.

Insperatà autem pace recreata est Ecclesia, cùm per vim et dolum Directorii eversor Buonaparte, anno 1799, consulatu instructus, templis suum decus superstitesque ministros restituit, politicæque artis, cujus scientissimus erat magnum specimen sic edidit, instauratorisque Religionis famam sibi immeritò, ut videbimus, conciliavit.

Interea Venetis divino afflatu correpti cardinales, nil tale sperantem Chiaramonti 21 martii 1800 papam eligebant, Romæque inter pericula, protegentibus Austriacis, sedi pontificiæ imponebant. Anno verò 1800, pulsis Austriacis, Bonaparte Martinianam Vercellensem episcopum quasi legatum suum statuit, qui cum summo pontifice de Religione in Gallicis redintegrandà pacisceretur. His libentissimas dare manus Pius VII novus papa festinavit, miserusque malorum ab ecclesià Gallicà acceptorum, aliundeque superba viri consilia in Religionis commodum detorquere sperans, Lutetiam legatos misit cardinalem Herculem Gonsalvi, Josephum Spina, archiepiscopum Corinthiacum, theologumque P. Caselli. Quibuscum, stantibus pro gubernio Gallico Josepho Buonaparte, Cretet, consiliariis, et Andegavensi doctore Bernier, absoluta est famosa 15 julii 1801 compositio.

In præfatis inscribitur : Gallia respublica declarat religionem catholicam, apostolicam, romanam à longè maximâ parte civium incoli; Sanctitas sua declarat Religionem multa jam percepisse bona et in futurum majora sperare ex instauratione cultûs catholici in Galliis et ex ipsâ consulum catholicitate. Sequuntur 17 articuli.

Concordatum anni 1801.

« I. Religio catholica, apostolica, romana liberè in Gallià exercebitur. Cultus publicus erit, habità tamen ratione ordinationum quoad politiam, quas gubernium pro publicâ tranquillitate necessarias existimabit.

« II. Ab Apostolicâ Sede, collatis cum Gallico gubernio consiliis, novis finibus Galliarum diœceses circumscribentur.

« III. Summus pontifex titularibus ecclesiarum Gallicarum episcopis significabit se ab eis, pro bono pacis et unitatis, omnia sacrificia firmâ fiduciâ exspectare, eo non excepto quo ipsas suas episcopales sedes resignent.

« Hâc hortatione præmissâ, si huic sacrificio quod Ecclesiæ bonum exigit, renuere ipsi vellent (fieri autem id posse summus pontifex suo non reputat animo), gubernationibus Gallicarum ecclesiarum novæ circumscriptionis, de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur modo.

« IV. Consul primus Gallicanæ reipublicæ, intra tres mensis qui promulgationem constitutionis Apostolicæ consequentur, archiepiscopos et episcopos novæ circumscriptionis diœcesibus præficiendos nominabit : summus pontifex institutionem canonicam dabit juxta formas, relatè ad Galliam, ante regiminis commutationem statutas.

« V. Item consul primus ad episcopales sedes quæ in posterum vacaverint, novos antistites nominabit; iisque, ut in articulo præcedenti constitutum est, Apostolica Sedes canonicam dabit institutionem.

« VI. Episcopi, antequàm munus suum gerendum suscipiant, coram primo consule juramentum fidelitatis emittent quod erat in more ante regiminis commutationem, sequentibus verbis expressum : *Ego juro et promitto, ad sancta Dei Evangelia, obedientiam et fidelitatem gubernio per constitutionem Gallicanæ reipublicæ statuto. Item promitto me nullam communicationem habiturum, nulli concilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra neque extra conservaturum, quæ tranquillitati publicæ noceat : et si, tam in diœcesi meâ quàm alibi, noverim aliquid in statûs damnum tractari, gubernio manifestabo.*

« VII. Ecclesiastici secundi ordinis idem juramentum emittent coram auctoritatibus civilibus à Gallicano gubernio designatis.

« VIII. Post divina officia, in omnibus catholicis Galliæ templis, sic orabitur : *Domine, salvam fac rempublicam; Domine, salvos fac consules.*

« IX. Episcopi, in suâ quis ue diœcesi, novas parœcias circumscribent; quæ circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquàm gubernii consensus accesserit.

« X. Iidem episcopi ad parœcias nominabunt, nec personas eligent nisi gubernio acceptas.

« XI. Poterunt iidem episcopi habere unum capitulum in cathedrali ecclesiâ, atque unum seminarium in suâ quisque diœcesi, sine dotationis obligatione ex parte gubernii.

« XII. Omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, atque alia quæ non alienata sunt, cultui necessaria, episcoporum dispositioni tradentur.

« XIII. Sanctitas sua, pro pacis bono felicique religionis restitutione, declarat eos qui bona Ecclesiæ

alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque à se, neque à Romanis pontificibus successoribus suis; ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, reditus et jura eis inhærentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes.

« XIV. Gubernium Gallicanæ reipublicæ in se recipit tum episcoporum, tum parochorum, quorum diœceses atque parœcias nova circumscriptio complectetur, sustentationem quæ cujusque statum deceat.

« XV. Idem gubernium curabit ut catholicis in Gallià liberum sit, si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus.

« XVI. Sanctitas sua recognoscit, in primo consule Gallicanæ reipublicæ, eadem jura ac privilegia quibus apud sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.

« XVII. Utrinque conventum est quòd, in casu quo aliquis ex successoribus hodierni primi consulis catholicam religionem non profiteretur, super juribus et privilegiis in superiori articulo commemoratis, necnon super nominatione ad archiepiscopatus et episcopatus, respectu ipsius, nova conventio fieret.

« Ratificationum autem traditio Parisiis fiet quadraginta dierum spatio. »

Quòd si concordatus ille à quibusdam fuerit nimiæ indulgentiæ incusatus, si etiam hanc occasionem arripuerint nimis multi, ut à fide desciscerent, ut infra memorabimus, verè christiano alio sub respectu conventio illa considerabitur. Meminiscant, qui nonnisi florentem nunc et multis ab annis Religionem cernentes, præterita ex præsentibus judicant, eo tempore, tum per sacerdotum exilia et cædes, tum per Directorii corruptos mores, jam obsolere in Galliis omnem cultum; meminiscant superbissimi et tenacissimi viri arbitrio tanti momenti quæstionem permissam fuisse, istaque considerantibus Pii VII agendi ratio qualis fuerit, apparebit; id est, omni charitatis, sapientiæ, amore boni, prudentiâque referta. Meminiscant de Gallià totâ, regione christianissimâ, vel schismatis, vel etiam impietatis furoribus agitandâ, forsanque in perpetuum, tunc temporis actum fuisse, mirabunturque ex primo aditu, reducem Religionem usque ad hos terminos processisse. Videant, qui ausi sunt aliquid ex debitâ pontifici laude detrahere, ad quid in Deum et mores irreverentiæ ducti fuerint hujus ætatis cœvi, qui per decennium à 1791 ad 1801 piis institutionibus caruêre, et quamvis certum sit portas inferi nunquàm contra Ecclesiam prævalere debere, imminenti malo certè citò medicina paranda erat.

Huic concordato, seu conventioni assensum dedit Pius VII 15 augusti 1801 per bullam *Ecclesia Christi*, chirographumque imposuit 8 septembris, Legislativo cœtui in Galliis offerendæ. Dein, per breve *Tam multa* omnibus ab episcopis tum Gallis, tum Sabaudis cessionem sedis suæ postulavit, ut ex articuli 2 dispositione facilè prænosci poterat. Omissis recusantium aut comperendinantium inclamationibus, decem metropolibus sedes 60 episcopales annexæ sunt in Gallià, Sabaudiâ, terrisque recens submissis, in locum 159 episcopatuum qui priùs existebant. De quibus infra ampliora scribentur.

Super concordato deliberaturus consessum habuit cœtus Legislativus 2 aprilis 1802 concionantibus Buonaparte et Portalis. Adoptatæ verò compositioni insertæ sunt ab hoc multifariæ dispositiones sub titulo *articulorum organicorum*, quæ non parùm schisma subolebant; siquidem episcopi ab ordinationibus conferendis, non assentiente gubernio, prohibebantur; vicariis generalibus episcopi defuncti administratio diœcesis committebatur spreto jure capitulorum; ex damnatâ Constitutione cleri plura mutuata fuerant; multa judicio ecclesiastico submittenda, civilis auctoritatis arbitrio permittebantur. Vehementer in hæc invectus est summus pontifex; ut verò concordato probato isti articuli quasi incorporati erant, pacis amore, neque accessorium principale secum rapere ct, Pius VII in posterum querelas de his articulis remisit exponendas. Solemni Paschatis die 1802 Lutetiæ, in ecclesiâ metropolitanâ, assistentibus consulibus, restauratio catholici cultûs celebrata est, et indictum in lætitiæ signum Romæ jubilæum. Multa dein Buonaparte in clerum beneficia congessit, sed tempestatum præmuntia.

Supererat ex Constitutionis cleri tempore, dissidii causa, cui mederi arduum videbatur. In bullâ *Qui Christi Domini*, omittebantur intrusi episcopi, qui tamen sedes suas cedere non dubitârunt. Omissionis causa in aperto erat; siquidem jura nulla detrahi poterant jura nulla habentibus. Quod ægrè ferentes, et auxilio freti famosi Fouché inter eligendos à gubernio et à summo pontifice confirmandos plures ex suis inscripserunt. Legato suo inter alia Pius VII præceperat, ut retractationi directè obtinendæ ab his insisteret. Conflictum ut averteret Bernier, se quasi spondentem pro renitentibus proposuit, acceptusque, seu verbis et ambagibus se involvi et ludi permisisset, seu postea impudenter datam retractationem mendacio impugnârint intrusi, illos sanctæ sedi satisfecisse vulgavit, dum ex eis plurimi se nihil recantavisse jactitarent. Cùm autem postea Buonaparte anno 1804, sub nomine Napoleonis primi imperatoriam dignitatem affectaverit, summique pontificis, Lutetiam arcessiti, et ampliandorum Ecclesiæ commodorum spe illecti manu coronam accipere voluit; tunc ipse Pius VII in conspectu evocatos constitutionales episcopos allocutus, omnes ad subscribendam formulam adegit quâ Romanæ sedis judicio adhærebant, seque fidei catholicæ asseclas et esse et futuros spondebant. Sicque res prosperè cessit; in gremium enim Ecclesiæ revocatis schismatis principibus, inferioris gradûs sacerdotes, augescente numero fidelium pressi, episcoporum vigilantiâ compescentium coacti, vel retractationem attulêre, vel morte abrepti nullum schismate suo pollutum hâc ætate superstitem sacerdotem reliquerunt.

His compositis, supererat ut de *articulis organicis antiquandis*, multisque benemeritis in Ecclesiam conferendis, cum Napoleone, qui talia spondendo, à Româ Pium VII nimis fidentem evocaverat, mentio foret et pactum. Multas perpessus repulsas summus pontifex, mœrens 16 maii 1805 Romam revisit, non diutiùs pace fruiturus. Sensim Urbe circumseptâ, dispersis cardinalibus, exhausto ærario pontificali, Napoleo rapinam absolvere properans, subductum papam Savone primò, dein Fontebellaqueo detinuit, ecclesiasticas terras suæ ditioni adjecit, et excommunicatione non singulariter et nominatim, sed in globo, cum persecutoribus vicarii Christi perstrictus est.

Secundum ergo prodibat exemplum rapti à sede suâ summi pontificis et in vincula conjecti, eodem semper

prætextu velatâ usurpatione et invadentium Romam inextinctâ ambitione. Cùm Pius VI abductus Directorii jussu fuit, ipsi exprobrabatur nex ducis Galli Duphot, qui civilem vestem induens, per noctem seditiosorum hominum cœtui immiætus, pontificis satellites armis et vitâ spoliare aggressus erat, quam Romæ obtinuerat dignitatem oblitus, ut plebeculæ turmas legitimæ potestati infensas duceret, et ex hospite hostis repentè factus. In Pium VII non minori iniquitate sævitiæ collatæ sunt; siquidem Anglorum partes nimium acriter tenere insimulatus summus pontifex, Anconitano portu quamvis bellum non indiceretur, spoliatus, frustra per quotidianas concessiones quanti pacem et amicitias cum Gallis et eorum imperatore, quem ad meliores sententias revocare sperabat, æstimaret, patefecerat; insaturabili aviditate Italiæ inhiabat Napoleo, Italiamque sine Româ quasi coronam sine gemmis duxisset. Sunt etiam nunc multi qui utilem et meliorem etiam pro bono Religionis fugam duxissent; utquè Pii VII tum in historiis quæ mundana redolent, tum in ecclesiasticis quibusdam scriptis consilia et acta minùs reverenti modo explicata sunt, non indignum esse puto aliquot verborum defensione, unum ex summis pontificibus, qui majorem Deo gloriam et Ecclesiæ laudem fuerint adepti. Non ergo cum multis fugam vix ullo modo ab exprobratione eximere possem. Nec ut propositi argumentum afferam innumeras quibus scaturiebat tale consilium difficultates; quas etiam, Deo adjuvante solutas supposuero, patentemque ad effugium viam; Anglorum ergo in ditione hæreticorum papa exulâsset, tutelamque hostibus religionis adversùs christianos quæsivisset? Quantò tunc impiorum plausu id evenisset! In Siciliamne aut Sardiniam confugisset? Sed quibus auxiliis? Non equidem terreno itinere, nam in Italiâ jam ferè seu violenter, seu corruptelâ civium Napoleoni jam dominium reale stabiliebatur : ergo Britannicis navibus insedisset. Quis autem eorum fidem punicam non noscit? Hispania tum temporis hostilibus se armis totam in Napoleonem contulerat, sed adhuc victor, nil nisi rura et Gades occupare nequibat, et in quâcumque civitate papam fugitivum residere scivisset, obsidione pressam mox occupâsset. Sed, ut dixi ista prætermittantur; tutas terras pontifici patere admitto, quid tum mali immineret, facilè dignoscitur ex postfactis. Ille jam prætextus, toties à Napoleone et adeò iniquè causatus, silicet in Anglos inclinatio, et in Gallos odium, tunc temporis vi et realitate quibus summoperè indigebat, omninò instructus fuisset. Tunc facillimè omne opus à Concordati conventione inceptum ruisset; tunc imperatori non impossibile visum fuisset illud quod adeò invitus deserere consilium coactus est, eligendi scilicet patriarchæ et suorum popularium sacerdotes vel corruptos, vel deceptos, vel timore pulsos, in schisma detrudere et communionis cessationem cum pontifice inter hostes patriæ versato. Quidquid deinde cum omnium gentium indignatione perpetratum est, Romæ expugnationem, ecclesiastici dominii usurpationem, quasi hostiles clarigationes jusque in hoste adeptum jactitare potuisset. Fugato etiam papâ, impossibile fuisset cardinalibus, vel ipsis exulibus et dispersis, vel merâ servitute oppressis, vel administrationi ecclesiasticorum bonorum providere, vel si necesse esset, novum Christi eligere vicarium. Imò, ducis exemplo milites indigent, forsanque quod in inferioribus et bonum et legitimum esset, in capite Ecclesiæ animæ pavescentis et debilis indicium apparuisset.

Dum Savone commoratus est papa, frustra omnibus dolis irretire tentavit eum Napoleo, ut ab ecclesiastico dominio retinendo dissuaderet. Captivum nimis in Gallos inclinantem, contumeliis afficiendo, in spiritualibus nihil proficuit Napoleo, sed in temporalibus felicior, conventionem 1813 extorsit, quæ Pio nihil nisi nomen papæ relinquebat. Nimiæ tandem pœnitens indulgentiæ, summus pontifex reclamationibus cui accedebat cardinalium obsistentia, subreptitium pactum damnavit, nullis jam territus, ferreamque viri voluntatem vicit pauperculus et senior monachus. Italiæ ergo suum pastorem, Ecclesiæ suum caput reddere Napoleoni necessum fuit, cui, ex eâ die quâ Pio VII violentæ manus injectæ fuerunt, omnia improsperè contigerant. Clades cladem urgere non cessârunt, donec avito solio Borbonidum familia imponeretur; quibuscum facilis nodorum solutio fuit; annoque 1817 novo concordato, *explosis articulis organicis*, correctus est concordatus 1801, immutataque est diœcesorum distributio.

CONCORDAT DE 1817.

« Au nom de la très-sainte et indivisible Trinité.

« Sa Sainteté, le souverain pontife Pie VII, et Sa « Majesté très chrétienne, animés du plus vif désir « que les maux qui depuis tant d'années affligent « l'Église cessent entièrement en France, et que la « religion reprenne, dans le royaume, son ancien « éclat, puisqu'enfin l'heureux retour du petit-fils de « saint Louis sur le trône de ses aïeux permet que le « régime ecclésiastique y soit plus convenablement « réglé, ont, en conséquence, arrêté de faire une con« vention solennelle, se réservant de pourvoir ensuite « plus amplement, et d'un commun accord, aux inté« rêts de la religion catholique. En conséquence, Sa « Sainteté le souverain pontife Pie VII a nommé pour « Son plénipotentiaire son Eminence Monseigneur « Hercule Consalvi, cardinal de la sainte Eglise ro« maine, diacre de Sainte-Agathe *ad suburram*, son « secrétaire d'état, et sa Majesté le roi de France et « de Navarre, Son Excellence M. Pierre-Louis-Jean« Casimir, comte de Blacas, marquis d'Aulps et des « Rolands, pair de France, grand-maître de la garde« robe, son ambassadeur extraordinaire et plénipoten« tiaire près le saint Siége.

« Lesquels, après avoir échangé leurs pleins pou« voirs trouvés en bonne et due forme, sont convenus « des articles suivants :

« Article 1er. Le Concordat passé entre le souverain « pontife Léon X et le roi de France François 1er est « rétabli.

« Art. II. En conséquence de l'article précédent, « le Concordat du 15 juillet 1801 cesse d'avoir son « effet.

« Art. III. Les articles dits *organiques*, qui furent « faits à l'insu de Sa Sainteté et publiés sans son « aveu, le 8 avril 1802, en même temps que le dit

« Concordat du 15 juillet 1801, sont abrogés, en ce « qu'ils ont de contraire à la doctrine et aux lois de « l'Eglise.

« Art. IV. Les siéges qui furent supprimés dans le « royaume de France par la Bulle de Sa Sainteté du « 29 novembre 1801, seront rétablis en tel nombre « qui sera convenu d'un commun accord, comme « étant le plus avantageux pour le bien de la Reli- « gion.

« Art. V. Toutes les Eglises archiépiscopales et « épiscopales du royaume de France, érigées par la- « dite Bulle du 29 novembre 1801, sont conservées « ainsi que leurs titulaires actuels.

« Art. VI. La disposition de l'article précédent re- « latif à la conservation desdits titulaires actuels dans « les archevêchés et évêchés qui existent maintenant « en France, ne pourra empêcher des exceptions « particulières, fondées sur des causes graves et « légitimes, ni que quelques-uns desdits titulaires « actuels ne puissent être transférés à d'autres « siéges.

« Art. VII. Les diocèses, tant des siéges actuel- « lement existants que de ceux qui seront de nou- « veau érigés, après avoir demandé le consentement « des titulaires actuels et des chapitres des siéges « vacants, seront circonscrits de la manière la plus « adaptée à leur meilleure administration.

« Art. VIII. Il sera assuré à tous lesdits siéges, « tant existants qu'à ériger de nouveau, une dotation « convenable en biens-fonds et en rentes sur l'Etat, « aussitôt que les circonstances le permettront, et, en « attendant, il sera donné à leurs pasteurs un revenu « suffisant pour améliorer leur sort. — Il sera pourvu « également à la dotation des chapitres, des cures et « des séminaires, tant existants que de ceux à éta- « blir.

« Art. IX. Sa Sainteté et Sa Majesté très-chrétienne « connaissent tous les maux qui affligent les églises « de France; elles savent également combien la « prompte augmentation du nombre des siéges qui « existent maintenant sera utile à la religion. En con- « séquence, pour ne pas retarder un avantage aussi « éminent, Sa Sainteté publiera une bulle pour procé- « der sans retard à l'érection et à la nouvelle circon- « scription des diocèses.

« Art. X. Sa Majesté très-chrétienne, voulant d n- « ner un nouveau témoignage de son zèle pour la « religion, emploiera, de concert avec le saint Père, « tous les moyens qui sont en son pouvoir pour faire « cesser le plus tôt possible les désordres et les obsta- « cles qui s'opposent au bien de la religion et à l'exé- « cution des lois de l'Eglise.

« Art. XI. Les territoires des anciennes abbayes, « dites *nullius*, seront unis aux diocèses dans les limites « desquels il se trouveront enclavés à la nouvelle cir- « conscription.

« Art. XII. Le rétablissement du Concordat, qui a « été suivi en France jusqu'en 1789 (stipulé par « l'art. I de la présente convention), n'entraînera « pas celui des abbayes, prieurés et autres bénéfices « qui existaient à cette époque. Toutefois, ceux « qui pourraient être fondés à l'avenir seront su- « jets aux règlements prescrits dans ledit Concordat.

« Art. XIII. Les ratifications de la présente conven- « tion seront échangées dans un mois, ou plus tôt, si « faire se peut.

« Art. XIV. Dès que les ratifications auront été « échangées, Sa Sainteté confirmera par une bulle « la présente convention, et elle publiera, aussitôt « après, une seconde bulle pour faire la circonscrip- « tion des diocèses. — En foi de quoi les plénipo- « tentiaires respectifs ont signé la présente con- « vention, et y ont apposé le cachet de leurs armes.

« Fait à Rome, le 11 juin mil huit cent dix-sept.

« *Signé* HERCULE, card. CONSALVI, BLACAS « D'AULPS. »

Hæc de concordato 1801 ejusque *articulis organicis*, tot malorum feracibus dicenda breviter habebamus; nèc tamen qui pro Napoleone oraverunt, nec qui in sacris cum eo communicaverunt, schismatis notam incurrere verentur: Bulla enim promulgata non fuit, seu difficultate temporum, seu potiùs perpetuâ in in peccantem summi pontificis clementiâ. Nunc ad aliam schismatis 1791 et ipsius concordatûs consequentiam transimus, deplorandum scilicet schisma quo multorum christianorum animi contaminati sunt. Sed ad superiùs dicta remeandum est, in his enim tribus compendii nostri objectis, omnia invicem connectuntur; nec sine Constitutione civili cleri Concordato 1801 locus fuisset, nec sine Concordato 1801 *parvæ Ecclesiæ* sectatores emersissent.

Quo die Pius VII bullam *Ecclesia Christi*, 15 augusti 1801 promulgavit, eodem episcopis Gallicis breve *Tam multa* indixit, quò omnes muneri resignando, ut ipsi anno 1791 proposuerant, assentirent, necessitate ut rectè aiebat summus pontifex, hanc concessionem exigente. Sabaudis Germanisque episcopis Gallicæ tunc annexis eadem præcipiebantur. Supererant tantùm 81 ex 159 episcopis, seu fidelibus seu intrusis; 45 benevolè excepto brevi, 36, et postea 38 obniti ausi sunt vel purè et simpliciter, vel diem prolatandam postulantes, eò quòd subitam Ecclesiæ viduitatem periculosam autumati essent, remque minùs accuratè perpensam fuisse. In primis aderat renitentibus Narbonensis archiepiscopus; cui ipse scripsit Pius VII immisso Lundinum legato qui pertinaciam temperaret. Sed frustra; Bononiæque celeberrimus episcopus Asseline 26 maii 1802 subscriptam à 24 episcopis epistolam edidit, quâ refragantium, ad numerum 38 adunatorum, causam suscipiebat. Cùm autem in proposito constans summus pontifex novam diœcesibus distributionem assignavit, ex art. 2 Concordati 1801, ab eodem Asseline 6 aprilis 1803 delineatæ sunt famosæ *Expostulationes canonicæ*, in queis reverenter objicit indictâ causâ fidelissimos antistites sede suâ dejici; Tridentinæ synodo canonibusque sacris derogatum fuisse; infeliciter et cum Ecclesiæ damno diœceses misceri et perturbari; schismaticis et intrusis nimiùm benè consultum fuisse, redintegratamque communionem non secùs ac veris pastoribus; additione *articulorum organicorum* pollutam admitti compositionem. Anno 1804 vulgatæ sunt *Reclamationes canonicæ*, caliginem mentis Pio VII infusam deplorantes. Multos verò post annos reduces ex Anglià antistites, excepto episcopo Blesensi, quem etiam in extremis recantâsse notum est, omnes à sententiâ *Expostulationum* recessêre.

Hæc de antistitibus; sed magis acerbo animo inferioris cleri presbyteri causam arripuerunt, antesignano parocho Blanchard, in Anglià exulante. Multis ille libellis reverentem episcoporum sententiam corrupit, ita ut necesse fuerit Hybernorum et Anglorum episcoporum censuris impeteretur; siquidem ipse ejusque assecłæ seu directè, seu indirectè concluserant: Solis episcopis sedem suam retinentibus

episcopatum continuari ; intrusos esse cæteros ; hæreticum et schismaticum esse qui Concordato 1801 consentiret; Pium VII apostatam, schismaticum et pseudopapam esse, cùm huic Concordato subscripserit.

Quibus autem ratiociniorum ambagibus rem intricando ad istam pervenerint conclusionem, facilè dignoscitur. Præter abbatem Blanchard, Gaschet, Châteaugiron plurimique, superbiâ intumescente correpti, Romanæ Sedi non aliter ac olim Jansenistæ bellum indicere æquum putaverunt, prodiitque liber de *Controversiâ pacificâ*, auctore Blanchard, in quo primò demonstrâsse scriptor se jactitabat, quàm nulla, quàm injusta, quàm illegitima fuerit conventio cum gubernio gallico inita. In *Sequentiâ controversiæ*, Pii VI agendi rationem et sententias Pio VII directè opponit; eò audaciæ procedit, ut dicat Pium VII schismaticam constituisse Ecclesiam. Talibus dictis et ausis nedùm manus darent, omnes scientiâ et auctoritate verè præditi viri exterriti sunt, et talibus damnandis unanimes consensêre. Milner, Anglus vicarius apostolicus, episcopus Castabalæ, hortatus est fideles ut se hue schismatis infici non sinerent Augusti die 10 1808 ab omni munere ecclesiastico exercendo in sibi commissis provinciis Blanchard orbavit. Qui jugi sacri impatiens redegit *Defensionem cleri Gallici* et *Abusum sine exemplo;* novis erroribus veteres errores amplificavit et in deterius convertit : primus enim declaravit non esse Pii VII standum decretis, seque ambigere an summum illum pontificem denuntiare deberet ut tantummodò sanctorum canonum spretorem, vel ut schismatis et hæresis maculâ fœdatum. Quibus scriptis editis, Douglas, episcopus Cantuariæ, vicarius apostolicus Londini, censurâ opus et interdicto ejus auctorem publicè perstrinxit ; qui reluctans scripsit se non in spiritualibus à vicario apostolico dependentem esse, nec nisi ab episcopis Gallicis auctoritatem suam ducere, ab episcopis solis Gallicis sibi detrahendam, si libuerit. Novo interdicto 23 septembris 1808 perstrictus est.

In libello de *Abusu sine exemplo*, Blanchard episcoporum Hybernorum suffragiis inniti sese declaraverat. Anno sequenti, ex eis congregati episcopis decem et septem subscripserunt unà declarationi in quâ Pio VII firmiter adhærere se profitebantur, et quidquid Ecclesiæ Gallicæ bono perpetrando tentaverat, communibus plausibus excipiunt. Duodecim subscribunt anno 1809 alii Hyberniæ episcopi. His in libello dicto *Oppositio*, Blanchard dicteria ingerit.

Anno autem 1811, cùm Douglas interdictum rupisset in gratiam abbatis Trévaux, è fautoribus Blanchard recedente, hic novo scripto et opiniones, et commenta, et consequentias tutari festinavit.

Ut verò semper, quotiescumque nova molientibus systema absurdum excogitare accidit, adsunt qui dura ferrea faciunt, qui convicia injuriasque amplificant, abbas Gaschet in Litteris apologeticis longè aliud ac Blanchard ediderat, et portentosius scripsit : siquidem ex anno 1809, ad episcopum Castabalæ hæc scribere ausus est : « Pius VII Ecclesiæ jam non magis pertinet quàm Judæus, Ethnicus et Publicanus : non in mente venit ut à tot sceleribus absolvi queat; hujus pontificatus Ecclesiæ pestis est : destituitur Pius honore sacerdotali, privilegiis pontificalibus, ecclesiasticâ jurisdictione, fidelium obedientiâ, eò quòd schismaticum se et hæreticum gesserit; blasphemat qui ejus nomen in canone missæ pronuntiat; pseudopapa est. » Usque ad hanc insaniam unus è presbyteris descenderat; Blanchard, aiebat, eadem sentit atque ego, sed consequentiarum deducendarum etsi capacissimus, quæ scriptis suis apprimè indigitat, pleno ore fateri timor eum vetat.

Ad ista nefaria debacchante schismaticorum furore, episcopis Gallicis inutile visum est errorem suâ dementiâ corruentem ecclesiasticis armis debellare ; imprudenter forsan, siquidem vix orientalibus præfecturis notus, error undecim occidentalibus præfecturis insidere cœpit, reducibus ex Angliâ plurimis anno 1814, qui schismatis labe inficiebantur. Ut verò in his qui è gremio Ecclesiæ aberrantes recedunt, contingere solet, illa paucorum hominum congregatio suis stare consequentiis nescivit, rursùsque in plures opiniones dissenserunt ipsi Blanchard asseclæ ; falso enim posito principio, in multifarias ruere consequentias sibi invicem adversantes necesse est. Fleury, Cenomanensis presbyter, qui de isto schismate satis amplo opere tractavit, quatuor sectis dividi *parvam Ecclesiam* indicat.

Haud absimilia in Belgio semina sparserat Stevens, quæ per auctoris retractationem anni 1821 contrita fuêre.

Ad tres præcipuè increpationes redigi possunt *parvæ Ecclesiæ* sectatorum argumenta : 1° Papam potestatis suæ terminos esse transgressum ; 2° schismaticis fideles miscuisse; 3° bonorum direptionem, contra septimum Decalogi præceptum, admisisse.

Respondeo ad primum : Nemo non nescit postulante et urgente necessitate summo pontifici licere consuetas omittere regulas; hoc sequitur ex ipsâ quam omnes nôrunt, potestâ Sedi Apostolicæ à Christo super omnem Ecclesiam, ad ipsius bonum curandum commissâ et creditâ. Iis statutis, sequitur quæstionem facti et utilitatis, non juris, superesse : atqui nemo est qui hanc necessitatem non perspiciat ; cùm ipsorum adversariorum confessione pateat non alios quàm 38 episcopos superesse qui 159 sedes occuparent; aliis vel abreptis morte, vel dimissione datâ sedis dispositionem permittentibus; cùm de pretiosissimâ totius catholicitatis parte ad Christum revocandâ, vel in æternum rescindendâ ageretur, arripiendaque esset nunquàm reditura occasio. Cùm eversis templis sacrificia, dispersis pastoribus gregem vel suum, vel numerosiorem reddere ante omnia interesset. Concesso autem quòd necessitati cedendum esset, dummodò probaretur, quem alium exceptionis regularum judicem et arbitrum eligere fas est quàm ipsum qui regulam præscripsit ? atqui bono Ecclesiæ consulens papa, regulas, ut fatentur omnes, disciplinares ferre potest : ergo et urgente necessitate abrogare. Adde quòd non unus Pius VII, sed et cardinales, et tota præter 38 episcopos assenserit Ecclesia. Ergo cuncta legitimè patravit.

Ad secundum : Falsum est schismaticis in errore manentibus indultam esse veniam et communionem. Duplici retractationi, ut diximus, dandæ obligati fuêre, directis verbis sese Ecclesiæ subjicientes sententiæ. Ex quo ergo tempore formulæ quam summus pontifex obsignandam proposuerat, utpote Christi vicarius et interpres, constitutionales consenserint episcopi, nec charitas eos schismaticos dicere sinit; nec canonum auctoritas tales credere permittit.

Ineptè autem Pii VI in constitutionem decreta cum Pii VII pugnare decretis dicerentur ; iniquè utriusque ratio agendi adversari invicem crederetur : absimilibus de rebus agitur, absimilibus temporibus, absimilibus propositis. Illinc de damnatâ Constitutione, hinc de adoptato Concordato; illinc ineunte schismate, hinc ad finem vergente; illinc cùm Religionis ruinam, hinc cùm ipsius restaurationem principes seculi molirentur. Rectè ergo et sapienter unusquisque in suo tempore pontifex bono Ecclesiæ consuluit.

Ad tertium : Cuilibet fas est quid de jure suo detrahere, cùm nullo modo id exercere possit, ne in acerbiora incidat ; atqui evidenter bonorum repetitio inutilis, periculosa, et propter civilis belli imminentiam damnosa fuisset ; ergo sapiens et utilis fui concessio, et quasi peccatorum absolutio.

Quòd si hæc minùs sufficerent, ad diruenda sectæ hujus argumenta, aliunde ex ipsâ absurditate suâ corrueret et sui systematis insaniâ : quid enim magis à

sensu communi et catholico aberrat, quàm hæc in summum pontificem schismatis incusatio; ex quâ sequeretur et cardinales, qui assensêre, et alios episcopos, qui sedes dereliquêre, et eos qui cum eis communionem servavêre, schismaticos esse, solosque *parvæ Ecclesiæ* fautores Religionis sigillo distinctos remansisse; utque papa caput est Ecclesiæ, Ecclesiam ipsam totam in schisma corruisse? sequitur, paucos et ignotos ex ultimis sanctuarii gradibus presbyteros, siquidem anno 1817 omnes ad unum episcopi ab eorum sententiâ recesserunt, adversùs auctoritatem ecclesiasticam, doctorum et magistrorum eruditionem jure ac meritò bellavisse imò eos frustra repetitis superiorum interdictis obrutos, contra quæ renitendo, ipsi schisma consummaverunt.

Deplorandum verò hanc scissionem diximus, eò quòd, quantulicumque numero et viribus fuerint, et quantocumque tumore superbiæ obcæcati viam rectam amiserint, meminisse fas est plerosque pro fide exilium et tormenta perpessos fuisse. De hâc autem sectâ nunc temporis actum est, et quasi de extinctâ omninò loquimur; cùm enim per ordinationis propagationem reviviscere et continuari nequeant, successoribus carent ejus ministri, sicque nullâ existentiæ conditione instruitur.

Ex his omnibus rectè concludas quantùm prophetica sit illa vox Christi : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Quid enim tunc temporis defuit periculi? Principes populi et gentes insurrexerunt in Christum; dolo et vi simul oppugnata est Ecclesia; schismaticorum conviciis et hostili impetu contristata; quamvisque omni humanæ nequitiæ telis sacrum pectus ex adverso opponerêt, invicta stetit, novasque vires et decus novum ex ipso bello collegit. Nunc que exprobrantibus impiis miraculorum propugnaculo non in nostræ ætate niti et clarescere Religionem sanctam, opponen la est hæc redargutio : Quid majus miraculum desideratis, quàm recentia Ecclesiæ bella triumphumque?

UTRUM HÆRETICI ET SCHISMATICI

SINT EXTRA CHRISTI ECCLESIAM.

(AUCTORE PERRONE.)

Propositio. — *Hæretici et schismatici declarati extra Christi Ecclesiam sunt.*

Hic non loquimur, ut ipsa propositionis enuntiatio indicat, de iis qui in hæresi vel schismate ignorantiâ invincibili, seu, ut præfertur, bonâ fide versantur. Hos siquidem animâ saltem, seu spiritu ad veram Christi Ecclesiam pertinere, ut infantes omnes ritè baptizatos, nemo est qui dubitet. Neque pariter loquimur de hæreticis aut incredulis vel occultis, vel nondùm ab Ecclesiâ solemni judicio declaratis. Quamdiù enim isti ab Ecclesiâ sejuncti aut expulsi non sunt, ad ejus saltem corpus spectant. Propositio igitur est de illis, qui exteriùs ab Ecclesiâ divisi sunt, et in separatam ac distinctam ab ipsâ societatem aut cœtum coalescunt, et quidem per voluntariam ac culpabilem defectionem.

Hos autem neque ad animam, neque ad corpus, ut aiunt, Ecclesiæ, sed nullo modo ad Ecclesiam pertinere facile est evincere. Sectarii atque schismatici, sunt veluti totidem rami excisi à magnâ illâ arbore, quam Christus plantavit ut cresceret usque ad consummationem seculi; sunt rivuli à fonte separati, membra à corpore recisa. Utpote perduelles atque in proprio sensu pervicaces contra Ecclesiæ definitiones, ipsos eadem Ecclesia damnavit atque exscidit ab unitate. Ecclesia juxta Christi mandatum eos habet velut ethnicos et publicanos, et cohærenter ad Pauli aliorumque Apostolorum doctrinam et praxim veluti proprio judicio condemnatos et subversos devitat, nec ullâ ratione communicat, nec sinit in spiritualibus communicare cum eis filios suos. Ergo hæretici atque schismatici voluntarii tam alieni sunt ab animâ Ecclesiæ, quàm alienus et extraneus est error à veritate, et divisio et confusio ab ordine et individuâ unitate; tam sunt alieni a corpore ipsius Ecclesiæ, ut membrum à corpore abscissum, ut ramus ab arbore avulsus, ut rivulus à fonte divisus, ut rebelles ac refractarii à societate depulsi atque extorres. Hinc sicut nulla est conventio Christi ad Belial, et nulla societas lucis ad tenebras, sic nulla hæreticis et schismaticis pars est cum Christo ejusque regno, seu cum verâ Christi Ecclesiâ.

Hæc proinde semper fuit et sententia et praxis antiquitatis in revelatione fundata. Christus ipse, ut supra animadvertimus, in Apocalypsi acriter objurgat angelum, seu episcopum Ecclesiæ Pergami, eò quòd pateretur in suâ Ecclesiâ quosdam *tenentes doctrinam Nicolaitarum*, et idcircò injungit ipsi pœnitentiam (1). Apostolus Paulus in epistolâ ad Galatas anathema dicit iis, qui docerent diversam doctrinam ab illâ quam ipse iis tradiderat. B. Joannes scripsit ad Electam et filios ejus : *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis* (2). Hinc ab ætate ipsâ apostolicâ Cerinthiani, Ebionitæ, etc., jam segregati erant ab Ecclesiâ, Irenæo teste (3). Cùm idem S. Joannes Cerinthum in

(1) C. 2, 15 : Κρατοῦντας τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν.

(2) 2 Joan. v. 10, 11 : Εἴ τις ἔρχεται πρὸς ὑμᾶς, καὶ ταύτην διδαχὴν οὐ φέρει, μὴ λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἰκίαν, καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε. Ὁ γὰρ λέγων αὐτῷ χαίρειν, κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ τοῖς πονηροῖς.

(3) Lib. 3 cont. hæres. c. 28; et apertè affirmat apost. Joannes, qui ep. 1 loquens de hæreticis cap. 2, 18, 19, inquit : *Et nunc antichristi multi facti sunt..., ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis : nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*, etc., etc. Hieronymus De script. eccl. testatur eumdem Apostolum rogatum ab Asiæ episcopis se contulisse ad conscribendum suum evangelium, ut illud opponeret Ce-

balneo invenisset, *fugianus*, inquit, *ne balneum corruat, in quo Cerinthus est veritatis animicus* (1); sic B. Polycarpus Joannis discipulus, cùm ei obviàm Romæ venisset Marcion dicens : *Agnosce nos*, respondit ei : *Agnosco te primogenitum Satanæ*, ut refert idem Eusebius, qui post hujus facti narrationem è vestigio subdit : « Adeò religiosè cavebant Apostoli, eorumque « discipuli, ne vel sermone tenùs miscerentur cum « ullo eorum, qui veritatem adulterabant (2). » Origenes deseruit domum cujusdam matronæ à quâ alebatur, maluitque pauper ac sine hospitio esse quàm ibi diutiùs commorari, eò quòd quidam hæreticus ibidem degeret, licet ipsius occursum omni studio effugere contenderet (3). Tertullianus hæreticos omnes interrogabat : *Qui estis, et unde venistis*, etc. (4)? Tum : *Edant ergo* (sic eos perstringebat) *origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus Aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem* (5). Hinc prodierunt hæreticorum catalogi quos exhibuerunt S. Irenæus, S. Epiphanius, S. Augustinus, aliique ad nostram usque ætatem (6). Ergo hæretici et schismatici quâvis ætate tanquàm omninò ab Ecclesiâ Christi extranei habiti sunt.

Cujus rei causa obscura non est. Alioquin enim Ecclesia Christi esset commixtio veritatis cum omnibus erroribus atque absurditatibus, quæ ab humanâ ignorantiâ ac perversitate excogitari unquàm possent, prout reipsà excogitatæ sunt ab hæreticis sive antiquioribus sive recentioribus (7); si cuilibet impunè fas esset innovare, jam nullum daretur adjumentum ad cognoscendam atque intemeratam servandam veritatem, quam Christus è cœlo detulit atque Ecclesiæ suæ patefaciendam gentibus omnibus tradidit, fareturque in Ecclesiâ absoluta confusio ac sententiarum perturbatio, atque in tantâ opinionum varietate et discrepantiâ nulla via pateret ad veritatem cognoscendam, ancipites quique essent circa id quod credendum vel agendum ad salutem obtinendam; vel cuipiam saltem pro lubito fas esset credere vel agere quidquid sibi bonum videretur. Quæ omnia, quàm absurda sint et Christo injuriosa, quisque videt, siquidem actum esset de ipsâ revelatione.

Sequitur autem ex dictis, 1°, ineptè sibi placere Protestantes perinde ac si ad Christi Ecclesiam pertinerent, vel cæteros omnes qui christianum nomen gerunt, eò quòd in Christum se credere profitentur. Necesse enim præterea est, ut pertineant ad unitatem tum fidei, tum regiminis qualem Christus instituit, et teneant eam doctrinam, quam Christus per Ecclesiam suam homines docuit.

Sequitur 2° ex desperatione inveniendi veritatem et ob insitam ipsorum systemati fluctuationem et perpetuas varietates, Protestantes adductos ad hoc fuisse, ut scilicet proclamarent tolerantismum religiosum universalem omnium sententiarum, opinionum ac paradoxorum, quarumcumque sectarum, quæ eodem innituntur principio independentiæ à quâcumque auctoritate, ejusdemque fructus legitimi sunt (1).

Sequitur 3° talem veram esse causam communis illius odii, quo Protestantes, quodcumque gerant nomen, prosequuntur Ecclesiam catholicam, quæ ipsis nunquàm cessat objicere verba Christi : *Nescio vos*, neque eos in suâ unitate et communione consistere permittit.

Sequitur 4° hæreticos et schismaticos se quidem ab Ecclesiâ separâsse, vel fuisse per eamdem expulsos ab unitate, quin tamen eorum errores ac perduelliones Ecclesiæ Christi unitatem vel scindere, vel lædere unquàm potuerint.

Difficultates.

I. Obj. Si hæretici vel schismatici in Ecclesiâ non essent, nullam in ipsos Ecclesia jurisdictionem exercere posset; atqui ex sententiâ Catholicorum Ecclesia veram potest in eos exercere jurisdictionem. Ergo.

Resp. : Dist. min. : Si nullo titulo ad Ecclesiam pertinerent, concedo; aliter, nego. Jam verò hæretici et schismatici ratione baptismi subditi ecclesiæ facti sunt,

rintho, aliisque hæreticis et maximè tunc Ebionitarum dogmati consurgenti; conf. præterea Tertull. lib. 3 adv. Marcionem c. 8.

(1) Ib. c. 3, et apud Euseb. hist. ec. l. 4, c. 14, verba quæ ab Apostolo Joanne prolata refert S. Irenæus hæc sunt : Φύγωμεν, μὴ καὶ τὸ βαλανεῖον συμπέσῃ, ἔνδον ὄντος Κηρίνθου, τοῦ τῆς ἀληθείας ἐχθροῦ.

(2) L. c. : Τοσαύτην αἱ Ἀποστολοι καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν, πρὸς τὸ μὴ δὲ μέχρι λόγου κοινωνεῖν τίνι τῶν παραχαραττόντων τὴν ἀλήθειαν. Hæc quidem Eusebius ex Irenæo, l. 3 adv. Hær. c. 3 ed. Maur.

(3) Eus. hist. ec. lib. 6, c. 2.

(4) De Præsc. c. 37.

(5) Ib. c. 32.

(6) Conf. hist. hær. Bernini, ac postea Pet. Paletta S. J. Storia ragionata delle eresie. Verona 1797. Dictionnaire des hérésies par M. l'ab. Pluquet, etsi plures in his operibus desint ex recentioribus sectis nuper exortis.

(7) Verè affirmari potest de hæreticis cujusque ætatis quod de philosophis inquiebat Tullius, nihil esse tam absurdum, quod dictum non fuerit ab aliquo philosophorum; sic nihil est tam absurdum ac impium sive circa fidem, sive circa mores quod dictum non fuerit ab aliquo hæreticorum, et quidem prout observatum est, juxta germana hæreseon principia earumque naturam, quæ tota est in substituendo spiritum privatum auctoritati legitimæ. Nos qui brevitati studemus, nonnisi pauca exempla dedimus, sed interea, ex paucis quæ adduximus et adducemus, quisque poterit speciem aliquam sibi efformare absurditatum, in quas ducit hæresis natura et principium fundamentale.

(1) « Les protestants (inquit Sismondi in *Revue encyclop.* Paris, mars 1826, art. *Opinions religieuses*), « n'ont pas toujours bien compris leur propre système, ils n'ont pas toujours senti que l'*indépendance* « *des opinions individuelles était l'essence de leurs* « *églises* (hæretici enim habent *ecclesias*, nunquàm « *ecclesiam*); ils n'ont pas toujours renoncé à l'uni- « formité de croyance, et ils ont paru quelquefois « embarrassés de ce qu'on leur reprochait leurs va- « riations et les nombreuses dissidences qu'on trou- « vait entr'eux. Encore aujourd'hui, une moitié des « protestants, persistant dans la même erreur, combat « pour l'unité des doctrines, quoique avec bien peu « de chances de l'obtenir, puisque chacun cherche « cette unité dans un système différent. »

et cùm perpetuus atque indelebilis sit character, quem ipsi ex baptismo receperunt, hinc Ecclesia perpetuum atque inalienabile jus habet in ipsos licet perduelles ac refractarios, quamdiù ipsi in vivis sunt, multò magis quàm princeps in subditos suos, licet rebelles ab ipsius auctoritate.

Inst. Est Ecclesia ipsa, quæ hæreticos quandoque atque schismaticos è societate suâ rejicit atque expellit. Ergo.

Resp. : Dist. ant. : Rejicit atque expellit, ut puniat et corrigat, atque è contagionis periculo filios suos innoxios servet, concedo ; abdicando jus quod in ipsos habet, nego.

II. Obj. — 1° Licet Sadducæi graviter in fide errarent, 2° ac decem tribus schismaticæ essent respectu Ecclesiæ judaicæ, non ideò cessabant pertinere ad veram Ecclesiam; ergo à pari licet hæretici atque schismatici à fide Ecclesiæ catholicæ, ejusque unitate discesserint, ad veram Christi Ecclesiam pertinere non cessant.

Resp. ad primum : Dist. : Quia nullo solemni judicio fuerunt à synagogâ expulsi, ideò pertinebant ad veræ Ecclesiæ corpus, transeat ; pertinebant ad animam, nego. Erant enim in corpore Ecclesiæ prout nunc sunt tot increduli, qui ad Ecclesiæ corpus pertinent, etsi nullo modo nec illi pertinuerint, nec isti pertineant ad Ecclesiæ animam. Juvat præterea iterùm referre quod de Sadducæis habet Josephus Flavius, quod scilicet cæteri Judæi illis nullum munus publicum concrederent, nisi publicè saltem à corporis morte animas superstites esse docerent (1), seu nisi assentirent Pharisæorum sententiæ.

Ad secundum : Dist.: Schismaticæ erant civiliter seu politicè, concedo ; religiosè, subdist., plerique, concedo ; omnes, nego. Plures enim semper fuerunt in decem tribubus, qui mosaica instituta ritè servabant, et statutis temporibus Jerosolymam Deum adorandi causâ ascendebant, nisi per vim ab hujusmodi officio impediebantur (2) ; qui verò in decem tribubus idololatriam sectabantur, neque ad animam neque ad corpus Ecclesiæ judaicæ pertinebant.

Resp. 2° : Nego conseq. et paritatem, quia Christus apertis verbis alium rerum ordinem induxit in Ecclesiam suam.

III. Obj. 1. Omnes qui in Christum credunt et habent charitatem erga proximum sunt veri Christi discipuli, dicente Domino : *Creditis in Deum, et in me credite* (3) ; tum : *Qui credit in me, habet vitam æternam* (4) ; et alibi passim. 2. Ac rursùm : *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (1). Ergo quicumque in Christum credunt et proximum diligunt, sunt in verâ Ecclesiâ Christi.

Resp. ad primum, dist. ant. : Omnes qui credunt in Christum, et in ea omnia quæ Christus docuit, et credenda per Ecclesiam proposuit, seu eo modo quo Christus vult, concedo ; eo modo quo volunt hæretici, nego. Quandoquidem Christus ipse Apostolis dixit : *Docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis* (2). ergo non partem aliquam, et prout unicuique libet. Addo adhuc hæreticos ignorare quid Christus sit : utrùm Deus scilicet, an homo tantùm, etc.

Ad secundum dist. : An sint veri discipuli, et non solùm fidei professione, sed et operibus bonis quorum præcipuum est charitas, concedo ; discipuli *simpliciter*, nego. Vult enim Christus Dominus discipulos suos cognosci ex bonis operibus, quæ fidem commendent. Sunt enim aliqui de quibus dixit Apostolus, qui *verbis profitentur se nôsse Deum, factis autem negant* : quo sensu etiam dicebat apostolus Jacobus : *Ostendam tibi ex operibus fidem meam* (3). Addatur hæreticos nec veram hanc charitatis dilectionem habere, vel habere posse. Etenim sine fide nulla vera datur charitas, quæ commisceri non debet cum liberalitate, dicente Apostolo : *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (4).

IV. Obj. Plures interdùm in schismate vixerunt, in eoque defuncti sunt, quin tamen ab Ecclesiâ Christi extorres habiti fuerint, quin etiam nonnulli in sanctorum album relati : tales fuerunt sancti Meletius et Paulinus Antiocheni episcopi, talis Lucifer Calaritanus, plures ex iis, qui Acacii schismati adhæserunt. Ergo.

Resp. : Dist. ant. : Plures, etc., bonâ fide, atque in dubio de vero ac legitimo episcopo, vel pontifice, concedo ; aliàs, nego. Idem enim dicendum est de schismatibus partialibus, ac de generalibus quando scilicet pontifex est dubius, ut supra notavimus. Meletius porrò et Paulinus viri sancti erant, et uterque communicabat, saltem mediatè, cum universâ Ecclesiâ. Lucifer Calaritanus vel in unitate Ecclesiæ defunctus non est, neque inter sanctos ab Ecclesiâ universali recensetur, vel saltem eum ante mortem pœnituit, ut aliqui volunt (5). Nulli pariter ex iis, qui Acacii schismati adhæserunt inter sanctos relati fuêre, quin potius Euphemii et Macedonii constantinopolitanorum antistitum nomina è sacris dypticis expuncta sunt eò quòd Acacii nomen in dypticis retinuerint (6).

(1) l. 18, Antiq. c. i, n. 4 ; en ejus verba : Ὁπότε γὰρ ἐπ' ἀρχὰς παρέλθοιεν, ἀκουσίως μὲν καὶ ἀναγκαῖως, προσχωροῦσι δὲ ὃ οἷς ὁ Φαρισαῖος λέγει, διὰ τὸ μὴ ἄλλως ἀνεκτοὺς γενέσθαι τοῖς πλήθεσιν.

(2) Atque hinc patet quàm insulsè Voltairius in Quest. sur l'encyclopédie, art. *prophéties*, dicat plures prophetas fuisse schismaticos.

(3) Joan. 14, 1 : Πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ, πιστεύετε.

(4) Ib. 6, 47 : Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, ἔχει ζωὴν αἰώνιον.

(1) Ib. 13, 35 : Ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις.

(2) Matth. ult. : Διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν.

(3) Ad Tit. 1, 16 : Θεὸν ὁμολογοῦσιν εἰδέναι, τοῖς δὲ ἔργοις ἀρνοῦνται.

Jacob. 2, 18 : Δεῖξόν σοι ἐκ τῶν ἔργων μου τὴν πίστιν μου.

(4) 1. Cor. 13, 3 : Καὶ ἐὰν ψωμίσω πάντα τὰ ὑπάρχοντά μου... ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, οὐδὲν ὠφελοῦμαι.

(5) V. Nat. Alex. hist. ec. sec. IV. c. 6, art. 11.

(6) Ibid. sec. V. c. 3, ar. 16, circa finem. Nec non Petr Ballerini in append. ad § 1, c. 2, op. De rat. primatûs.

DE PROTESTANTISMO.

(EODEM AUCTORE.)

PROPOSITIO PRIMA. — *Protestantismi origo variique ejus successus ipsius arguunt falsitatem.*

Eâdem nempe ratione quâ origo, stabilitas ac perpetuitas Ecclesiæ catholicæ, ejus divinam institutionem invictissimè ostendunt, sic origo ac perpetua vicissitudo et successus quos subiit protestantismus, non minùs quàm sectæ omnes, quæ in Ecclesiâ passim excitatæ sunt, invictissimè ejus arguunt falsitatem.

Divinum opus omnes præ se fert characteres divinos, quibus facilè ab humano quocumque molimine secernitur; talis porrò est Ecclesia catholica, quæ ex suâ origine semper eadem immutabiliter stetit, semper sibi constans, semper præ se ferens divinæ assistentiæ ac divinarum promissionum signa atque argumenta, ut ex iis, quæ hactenùs dicta sunt, quisque intelligit. *Dei enim perfecta sunt opera* apud quem *non est mutatio nec vicissitudinis obumbratio* (1).

Jam verò protestantismus sec. XVI ortum suum habuit ab apostatâ Luthero ex æmulatione privatâ ordinis, cui ipse nomen dederat, dein incrementum cœpit ex pervicaciâ ac perduellione à constitutione dogmaticâ Leonis X, qui nefarios illius proscripserat errores. Tunc primùm rerum sacrarum hic restitutor proclamavit principium protestantismi de absolutâ spiritûs privati independentiâ ab Ecclesiæ auctoritate. Quo principio semel constituto cœpit totum religionis christianæ ædificium labefactare prout ipsi libuit. Rejecit indulgentias, purgatorium, missas privatas, necessitatem bonorum operum, statuit articulum de *solâ fide justificante*, sustulit omnia ferè sacramenta. Ad hæc adjecit Scripturarum corruptionem, expunxit plures libros è censu hagiographorum scriptorum, quin tamen sibi unquàm constans fuerit; sæpè affirmat quod negaverat, negat quod affirmaverat (2), projectus in omnem libidinem, arrogantiâ tumens, ita ut sæpè videatur spiritu satanico correptus (3).

Ex eodem protestantismi destructivo principio velut ex equo trojano plures statim prodiêre *sacrorum emendatores*: Zwinglius in Helvetiâ, Calvinus in Galliis, Carolostadius in Germaniâ, Munserus in Westphaliâ, etc., qui *emendârunt* suo sensu quod *inemendatum* reliquerat Lutherus: seu veriùs subverterunt quod intactum adhuc ille servaverat. Sed et isti *novos emendatores* nacti sunt in Quakeris, fratribus Bohemis, Pietistis, Herrnhutanis, Swedenborgianis, Arminianis, et in Socinianis, qui rursùs dejecti de loco quem sibi usurpaverant, *emendati* fuerunt ab illuminatis et philosophis, ac demùm à rationalistis ac naturalistis. Protestantismus in innumeras prope sectas sive frustula divisus est, quæ se invicem non ita pridem damnabant, atque anathematizabant (1); ac quantùm poterant, morte mulctabant (2).

Donec ad saniora consilia se recipientes ejusmodi restitutores cœperunt seriò secum consulere de fœdere ineundo præsertim inter duas principales sectas lutheranorum et calvinistarum. Plures prodiêre libri ex utràque parte ad pacem hanc conciliandam (3), at

(1) Deut. 32, 4. Jac. 1, 17 : Οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα.

(2) V. Catechismus christianus D. Martini Lutheri ex suis operibus simul collectus per Ludovicum Uplerer, 1744, qui denuò recusus fuit Augustæ Vindel. an. 1828, hâc inscript. « Dis. Christophori Besold motiva, « sui reditûs ad rom. cathol. Ecclesiam elaborata, « translata, et edita per P. W. K. appendix secunda. »

(3) V. Lessius diss. cit. cum ejus appendice.

(1) Sic enim, ut diximus, protestantes vocant hæresiarchas sec. XVI. Simon magus fuit primus *emendator sacrorum*, quem postea tercentum alii subsecuti sunt usque ad Lutherum et Calvinum. Postremum locum inter hos *sacrorum emendatores* obtinent rationalistæ, seu potiùs athei, qui sacra omnia plenissimè emendârunt.

(2) Nemo est, qui ignoret Lutherum, Melanchthonem, Bugenhagen, Regium ac theologos Ulmæ et Tubingæ pronuntiâsse, Anabaptistas utpote hæreticos posse morte mulctari, ac reipsà Muller, Kraut et Peisker capitis sententiam Jenæ subiisse, cooperante Melanchthone; omnes nôrunt submersiones aliaque supplicia, quibus in Helvetiâ isti enthusiastæ affecti fuerint; Servetum Calvini jussu fuisse igne combustum, Gentilem capite truncatum res pariter notissima est. Poet reformatorum coryphæus in Galliis decrevit imitandum esse Calvini exemplum in catholicorum supplicio, quod ipse dederat respectu Serveti (isti tamen accusant catholicos intolerantiæ!) et sanè episcopos, sacerdotes, religiosos catholicos passim ab ipsis morti datos esse præsertim in rusticorum bello, quod dirigebant reformationis præcones, indubiis monumentis compertum est; vid. Baro de Stark op. cit., p. 406. seqq.

(3) Fœderis conditiones à theologo heidelbergensi David Paræo in suo Irenico 1614, propositæ non sine stomacho rejectæ sunt à lutheranis; juxta illas doctrinæ, in quibus ambæ sectæ à se invicem discrepabant, fundamentales declarabantur, quique hoc inficiaretur syncretista vocabatur. Gustavus Adolphus occasione cujusdam principum conventûs auctor fuit ut collatio institueretur inter TT. lutheranos et calvinistas an. 1632, in quâ confessio augustana velut fundamentum sumeretur, quam reformati, quin propriis doctrinis aliquid inferrent detrimenti, facilè admittere potuissent; nihil tamen factum est; prout nihil pariter profuit colloquium in urbe Cassel an. 1661, habitum inter TT. marburgenses et wittenbergenses. Decretum tamen hic editum est quo statuebatur, ne propter articulos de quibus convenire non poterant, se invicem injuriis lacesserent, neve calumniis objurgarent, vel odio prosequerentur, sed unusquisque alterius partis asseclas vera membra unicæ veræ Ecclesiæ haberent. Hæc porrò conventio dicta fuit unio conservativa; verùm TT. lutherani, qui illius participes fuerant, incurrebant in suspicionem, quòd essent syncretistæ. Paria pre se ferebant ea quæ proposuit

irrito conatu, sæpiùs instituta sunt colloquia religiosa, præcipuè Lipsiæ an. 1631, et Maulbruni an. 1654, ast nec ista optatum effectum consecuta sunt. Sub seculi XVIII initium adnitente vel maximè Borussiæ rege, qui Berolini templum pro utràque confessione, ut aiunt, erexit ac dedicavit, denuò tentata pax est, sed obsistentibus lutheranis res infecta cessit. Novi exarati libri ad eumdem scopum obtinendum, ac nova data edicta præsertim à Borussiæ rege Guillelmo I, ann. 1736, quibus jubebat calvinistas recedere à doctrinâ de prædestinatione, lutheranos verò à consuetudinibus abstinere, quas adhuc cum religione catholicâ retinebant; donec Fridericus II, an. 1740, sectis omnibus plenam libertatem restituit. Quo tempore etsi nihil directè ad unionem ineundam molitus fuerit Fridericus, attamen longè latèque recentiori philosophiâ, rationalismo ac naturalismo sese diffundentibus, omnis difficultas sublata videbatur. Sed necdùm optatam pacem sunt assecuti. Ipsius successor Guillelmus III, 18 junii 1798, emisit edictum, in quo proposuit novam liturgiam, quâ ambæ confessiones uterentur, quin tamen ulli liturgiam illam acceptandi obligationem imponeret; sed et istud edictum nullum alium effectum obtinuit, quàm ut scriptores non pauci è grege rationalistarum unionem plenis buccis prædicarent ac omnibus factam esse suaderent. Cùm verò, an. 1817, jubilæum reformationis celebraretur, qui illic sacra moderabantur, die 27 Sept. publicè declarârunt se optare, ut unio quàm primum locum haberet; plura ad illam stabiliendam præscripta sunt, indictæ synodi, Berolini aliisque in locis calvinistæ et lutherani in eodem templo sacram cœnam celebrârunt, eâ lege, ut quisque circa realem Christi præsentiam crederet, quidvis prius quisque sibi persuaserat sive panem scilicet sive reale Christi corpus. Hæc unio, quæ partialis fuit, Ecclesiæ evangelicæ sibi nomen adscivit an. 1818. Synodis nova ecclesiæ constitutio proposita fuit, et an. 1820 edita denuò est nova liturgia, quæ librum symbolicum unitæ ecclesiæ constituit, atque omnibus ecclesiis commendata, quæ rursum, an. 1834, indicta est (1); attamen hoc eodem anno 1834, contra hanc liturgiam scripsit D. J. G. Scheibel (1).

Et hæc de varietatibus sectarum protestantium in se; quod ad doctrinam attinet, et hæc ex principio à Luthero posito de omnimodâ independentiâ spiritûs privati ab Ecclesiæ auctoritate in Bibliorum interpretatione suas conversiones subiit (2). Non pauca dogmata, ut vidimus, rejecerat Lutherus, multò plura ejus discipuli, donec agentibus potissimùm Gallis et Anglis naturalistis et latitudinariis necnon Fridericc II, Borussiæ rege, ac demùm philosophia kantiana eò deventum est, ut fides omnis cessaverit, ac ipsa etiam religio revelata, si tamen nomen excipias.

Etenim ex systemate kantiano distingui debet religio vera à religione seu fide ecclesiasticâ. Religio vera est religio rationis, quæ sola admitti potest: fides ecclesiastica est fides præstita veritatibus positivæ revelationis. Religio revelata nec potest, nec debet aliud esse, quàm simplex vehiculum ad faciliùs invehendam religionem rationis, quam alio nomine vocat *fidem religiosam*, cujus objectum ex propriâ cujusque hominis ratione erui potest. Quo purior et universalior sit fides hæc religiosa, sensim sine sensu deficiet fides ecclesiastica. Hinc statutus canon ad exponendas sacras Scripturas, non aliud scilicet in illis esse quærendum quam solam religionem rationis; reliqua verò non esse nisi involucra vel accommodatitium quid ad vulgi opinionem, quæ tunc vigebat, quùm Scripturæ editæ sunt, vel privatam biblici scriptoris opinionem. Juxta Jacobium ejusque asseclas religio perinde ac quævis alia scientia philosophica in naturali et immediatâ fide, in perceptione veri et supernaturalis absque probatione, id est, in scientiâ intuitivâ consistit: alia, præter hanc internam, revelatio non existit: nec ulla forma externa religionis (3). Quo convenit saltem ex parte *philosophia identitatis* invecta à Schelling, ejusque discipulo Daub; necnon doctrina de *absoluto* quod in historiâ tantùm suî conscium (id est, personale) sit, et de reditu, qui aliquando fiet, omnis separati ad identitatem; adeòque de annihilatione omnis personalitatis (4).

Th. Tubingensis Psaff in diversis opusculis collectis et vulgatis an. 1723, 2 vol. 4, cui tit. Gesammelte Schriften, so zur Vereinigung, etc., seu Collectiones ad stabiliendam concordiam, etc. Ultraque pars, aiebat ipse, habet articulos necessarios ad salutem; diligant se ergo ut fratres, et adhuc residuam opinionum diversitatem patienter ferant, ita quidem, ut in posterum liberum unicuique sit cœnam ex manu lutherani vel calviniani prædicatoris accipere. Hoc verò consilium, saltem apud lutheranos, fautores non habuit; ipse Leibnitzius et Molanus ei adversabantur. Vid. Amiraldus calvinista in op cui tit. « De secessione ab Ecclesiâ Romanâ deque pace inter evangelicos in negotio religionis constituendâ » 1647; et dein in Irenico an. 1662, Calixtus « de tolerantiâ reformatorum circa quæstiones inter ipsos et augustanam confessionem professos controversas consultatio » 1697. Vid. Hist. Eccle. D. Hortig continuata à Joan. Jos. Ign. Dœllinger sac. th. prof. in univ. Monach.

(1) Sic inita tandem aliqua saltem ex parte pax fuit religiosa inter lutheranos et calvinistas, licet tam in doctrinâ quàm in constitutione quoad res maximè essentiales differant inter se, ac tam acriter inter ipsos dimicatum fuerit, ut teste Schrœkio, in Hist. Eccl. à tempore reformationis, vol. 4, p. 292, lutherani majori odio et detestatione insectati fuerint calvinistas, quàm ipsos catholicos. Quoad unionis seu societatis istius documenta cons. folium period. religiosum cui tit. Der katholik, id est, catholicus, editum à D. Weiss Spiræ an. 1834. mens. apr. fasc. 4, p. 1-26; mens. maii fasc. 5, p. 141-181, mens. jun. fasc. 6, p. 280 310.

(1) Actenmaessige Geschichte, etc., seu « Historia « authentica tentaminis reformatam et lutheranam « ecclesiam uniendi per quamdam *agendam* commu- « nem, etc. Lipsiæ 1834. »

(2) Quæ quidem jamdiù prædicta fuerant à Bossuetio ac Fenelonio inter catholicos, ac Leibnitzio inter protestantes.

(3) In lib. de Rebus divinis.

(4) Dùm dicimus ex principio independentiæ spiritûs privati à legitimâ auctoritate omnes sectas ortas esse, omnesque errores illos profluxisse, inter quos fluctuant protestantes, non exclusis ipsis rationali-

Hinc nova prodivit exegesis sacrorum librorum, juxta quam sublata sunt miracula et vaticinia omnia, introducti mythi, adoptatum systema, ut vocant, *accommodationis* (1) : eminent in hâc scholâ Paulus Hetzel, Eichhorn, uterque Rosenmuller, (2) Koppe, Heinrichs, Kuinoel.

Semler oppugnat inspirationem Scripturarum, plures libros expungit è canone, vetus Testamentum in contemptum adducit, opponit religioni exteriori, ac publicæ fidei ecclesiasticæ religionem interiorem, et moralem privatam (3). Gruner asserit christianismum jam sub finem seculi 1, in suis principalibus doctrinis à doctrinâ platonicâ fuisse corruptum, atque idcircò rejicit christiana mysteria. Eckermann contendit doctrinam Jesu nihil amplius esse, quàm popularem in-

smo ac naturalismo, quos affirmavimus fructum germanum esse principii reformationis, duo hæc confundère non debemus, quæ occasionem querimoniæ dederunt protestantibus. Plures enim inter ipsos conqueruntur catholicos injustè adscribere principiis Reformatoris Saxonis errores, qui non solùm ex illius doctrinâ non profluunt, verùm etiam toto cœlo eidem adversantur : Lutherus enim per Adæ peccatum prorsùs periisse hominis arbitrium autumavit, humanamque rationem penitùs obtenebratam ; dum rationalistæ utrumque rejiciunt, ac rationem sibi solam sufficere obtendunt. Assentimus propterea et nos doctissimo profess. Mohler, qui in suâ Symbolicâ, p. 355, primâ edit. 1832, adstruit recentiorem theologiam protestanticam reactionem esse perfectissimam atque completam adversùs antiquam ; rationemque terribiles vindicias sibi sumpsisse totalis oppressionis, ad quam eam redegerant reformatores, quæ onus præterea in se suscepit in omnibus contradicendi eorum doctrinæ. Ast his non obstantibus, verissimum est idem esse principium formale prædicatum à reformatoribus, cuique Lutherus et rationalistæ inædificârunt, et cujus ope propugnârunt suas reformationes atque doctrinas. Absoluta oppositio, quam invenimus inter ejusmodi protestantes, maximè evincit falsitatem illius principii formalis fundamentalis, atque necessitatem illius auctoritatis, quæ nobis verum præbeat sensum verbi Dei, et proponat, conservet ac semper tueatur divinam revelationem in suâ integritate, atque in unico ipsius sensu. Itaque duo hæc distingui debent, principium scilicet generale ac fundamentale reformationis à Luthero invectum de independentiâ rationis ab auctoritate, et peculiare doctrinæ Lutheri systema. Systema rationalismi adversatur peculiari doctrinæ Lutheri, ideòque ab eo recedit rationalista ; quatenùs autem hoc systema provenit ex independentiâ rationis ab auctoritate, rationalismus genuinus fructus est reformationis, ut cæteri errores omnes, quos recensuimus.

(1) Cujus auctor videtur Semler. Cons. Hugh James Rose op. cit. Sur l'état de la religion protestante.

(2) Etsi Rosenmuller junior in suis scholiis in lib. vet. Test. magis moderatum se præbere videatur, at in Daniele edit. an. 1832, nullam planè temperantiam servavit, sed abjudicat Danieli prophetiam ejus nomine inscriptam, vel saltem suspectam reddit existimans valdè probabile ante an. Chr. 200 aut 180 nondùm fuisse scriptum volumen, quod Danielis nomen præ se fert. Ad gravissimam verò Christi Jesu auctoritatem, qui referente Matthæo 24, 15, et Marco 13, 14, prædictionem quæ, Daniel lib. 27, legitur de futuro templi Jerosolymitani excidio, Danieli prophetæ tribuit, respondet Jesum ex receptâ tunc æqualium suorum sententiâ locutum esse : uti nihil dicam de ipsius scholiis vid. proemium,§ 3.

3) Recolantur superiùs relata ex op. ministri protestantis Bar. de Starck.

structionem ad moralem et rationabilem cultum Dei ; insuper evangelia esse corrupta, et apostolicas epistolas falsas continere interpretationes et errores. Henke querebatur de nimis adhuc dilatatâ *christolatria*, tanquàm de impedimento magnæ et beneficæ *revolutionis* in rebus religiosis. Wegscheider, cujus operis dogmatici, quod classicum apud rationalistas audit, sæpè in priori hujus tractatûs parte mentionem fecimus, supernaturalem revelationem minimè necessariam, quinimo impossibilem declarat. Ad eumdem censum pertinent Roehr, Boehme, Schultess, nec non Schott, Bretschneider et de Wette, qui postremus in dogmatibus christianis non aliud videt præter expressionem symbolicam religiosarum idearum : utpote omni humanitate expertes incredibilique arrogantiâ tumentes doctrinas christianas aggressi sunt Basedon et car. Frid. Bahrdt. (1).

(1) Generalis bibliotheca germanica ab an. 1768, medium erat sive organum ac vehiculum omnium aptissimum ad omnes ejusmodi impietates disseminandas. Quique alios audaciâ et impietate superabat, primas habebat, et summis laudibus in hâc pessimâ bibliothecâ efferebatur. Cùm impossibile sit errores sigillatim persequi, quos isti docuerunt et docent, ut aliqua saltem idea habeatur istarum impietatum, placet ea referre, quæ scribit protestans. Joan. Tremblay in op. cit. Considérations sur l'état présent du christianisme, pag. 62 : « Plusieurs prédicateurs, ait « ipse, (en Allemagne), *ne nient pas* à la vérité l'exis- « tence de Dieu, la providence, une vie future ; et « cependant enseignent publiquement qu'on ne peut « proprement rien savoir de ces vérités fondamentales « de la Religion ; représentent, non seulement dans « les églises, mais aussi dans les écoles, comme nulles, « les preuves de l'existence de Dieu, tirées de la con- « sidération de l'univers, et soutiennent que tout ce « qu'on peut affirmer, c'est qu'un homme vertueux « doit désirer qu'il y ait un Dieu. On sait qu'ils en « disent autant du christianisme, et affirment que « J.-C. a enseigné la même doctrine, et que la bible « ne doit être employée que comme une introduction « à la raison pure, puisqu'on ne peut pas plus prou- « ver la révélation que l'existence de Dieu. » Et tamen isti sunt professores in universitatibus et curam gerunt animarum ! Cons. præterea opus cui titulus : Der Triumph., etc. Seu triumphus philosophiæ sec. 18. Germantown 1803, auctore eodem Starck, qui edidit *Convivium Theoduli*. Nunc in medium prodeat minister Genevensis Chastel et principii loco statuat « qu'on « peut distinguer en deux classes les dogmes du chris- « tianisme ; les uns sont reconnus antérieurement à « l'interprétation de l'Evangile, et sans eux, il n'y a « point de christianisme ; ce sont les dogmes de l'exis- « tence de Dieu, de la mission divine de J.-C. et « l'inspiration des écrivains sacrés ; nous les appelle- « rons *primitifs*. Les autres dérivent d'une interpréta- « tion déterminée de l'Évangile, après que celui-ci a « été reconnu pour règle de foi... nous les appellerons « d'*interprétation*. » (De l'usage des confessions, ec., p. 2.) Circa prima dogmata affirmat, omnes christianos convenire ; quoad dogmata interpretationis asserit convenire catholicos ; reformatos verò consentientes esse circa dogmata *primitiva*, dissentientes verò in dogmatibus *interpretationis*. At ex allatis documentis patet falsum esse protestantes et reformatos consentientes esse circa dogmata primitiva, nam et illa destruxerunt. Observat præterea fidei confessiones non fuisse obligatorias nisi sec. III, easque causas fuisse divisionum, et multiplicationis hæreseon. At in hoc dupliciter labitur ; 1° quia fides cœpit esse obligatoria à suâ promulgatione, ut patet ex epistolis

Post hæc non est quòd aliquis quærat, quid sentiant protestantes, præsertim rationalistæ et naturalistæ circa singulos fidei christianæ articulos. Satis sit observare nonnullos ex ipsis eò devenisse, ut dicere non erubuerint, Joannem Baptistam et Christum Jesum fœdus invicem iniisse, ut alter præcursoris, alter Messiæ personam sustineret (1), et alii scripserint apologiam Judæ Iscariotis (2).

Libros ferè omnes sive veteris, sive novi fœderis vel prorsùs rejecerunt, vel in dubium eorumdem authenticitatem revocârunt. Quo potissimùm tempore protestantismus sibi Ecclesiæ evangelicæ titulum adscivit, ut observat Reinhard, Scripturæ et evangelii auctoritatem plerique ex protestantibus rejiciebant. Inter libros vet. Test. maximè Pentateucho historica abjudicatur auctoritas: eum Davidis aut Salomonis ætate confectum asserunt Vater atque Gesenius, tanquàm epos declaratur à de Wette. Alii, ut Fulda et Nachtigal, universum vet. Test. seriùs ortum apertè pronuntiant. Idem contigit libris novi Test. Eichhorn omnia evangelia tardiorem habuisse originem contendit; Vogel, Horst, Ballenstedt, Bretschneider evangelium Joannis genuinum esse negant, imò opus cujusdam Gnostici illud esse autumant (3). Schleiermacher, Borussiæ regis concionator, primam epistolam ad Timotheum apostolo Paulo abjudicat, Eichhorn utramque rejicit, ac illam præterea, quam Paulus ad Titum scripsit. Juxta hunc auctorem Apocalypsis non est nisi drama, in quo excidium judaismi atque ethnicismi exprimitur; Semler priùs eamdem rejecerat veluti furentis auctoris librum. Tria priora evangelia, Matthæi nempe, Marci et Lucæ à communi quodam fonte syrochaldaico, quem *Urevangelium* vocant, hausta fuisse tradunt Lessingius, Semlerus, etc., ac præsertim Kuinœlius (4).

Apostolorum; et symbolum apostolicum statim obtinuit à prædicatione evangelicâ, etsi daremus non esse confectum ab ipsis Apostolis, quod tamen Ruffinus cum aliis affirmat. 2° Adeò multiplicatæ fuerunt hæreses duobus primis Ecclesiæ seculis, ut Hippolytus, Eusebio teste, H. E. lib. 6, c. 20, secundo Ecclesiæ sec. labente, librum scripserit adversùs triginta duas hæreses, quod jam ante ipsum præstiterant Hegesippus, qui floruit sub Hadriano, et Melito, Bardesanes dictus hæreticorum malleus, apud eumdem lib. 4, c. 22, etc. Num ignorantiæ vel malæ fidei ministri protestantis vel utrique simul hæc adscribenda erunt?

(1) Ita Becker., vol. 3, Hist. univ. ad usum juventutis, ubi Christum Dominum et Joan. Baptistam velut ferventioris ingenii homines (Feuerkoepfe) traducit, qui ad excutiendum jugum sacerdotum Judæorum, quorum detestabantur superbiam et hypocrisin, post longas deliberationes convenerunt inter se, ut alter Præcursoris, alter Messiæ personam gereret. Wieland in Agathodemon. Berol. 1799, vocat Christum *nobilem theurgum judæum*; alibi ut enthusiasten traducit lib. 4, p. 355, 355.

(2) Edita est à prædicatore evangelico, in quâ nititur Christum accusare, quòd sibi socium adsciverit Judam, hunc verò ab omni maculâ purgare suæ proditionis. Cons. op. *Correctiones* pro amicis et inimicis catholicismi à Joan. Bapt. Pfeilschifter. Offenbachii ad Mœnum 1831, p. 116, seqq.

(3) Cons. Hughes lames Rose, op. c.

(4) Vid. Joan. Gregorii Rosenmuller Scholia in novo Test. ed. 6, tom. 1, in præf. ubi *de quatuor evangeliis* p. 2, seqq. necnon Kuinoel comment. in lib. novi Test. historicos Lip. 1832, vol. 1, prolegomena § 1. De origine evangeliorum Matthæi, Marci et Lucæ.

Quod verò accidit integris libris, à fortiori singulis librorum sacrorum partibus evenit, quarùm vix ulla est, quæ non traducatur ab uno vel altero tanquàm adscititia vel interpolata; nos nimis tæderet singula persequi.

Interea ex his, quæ vix à nobis delibata sunt sive circa protestantismi originem et vicissitudines, sive circa fructus quos protulit tum in doctrinâ sive theoreticâ sive practicâ, sive circa exegesin et criticam sacram, sic argumentum perstringimus. Quod à pessimo atque eversore principio originem ducit, quodque naturâ suâ infert opinionum et sententiarum divisionem et sectas, et eò tendit ut omnem fidem, proindeque religionem omnem revelatam è medio tollat, ac nonnisi ad dubium quoddam universale revocet, et morum corruptionem inferat, non potest certo à Deo esse ejusdem revelationis auctore, et secum fert propria falsitatis ineluctabilia argumenta, dicente Christo, *non potest arbor bona*, etc., *ex fructibus*, etc. Atqui ex dictis talis est protestantismus. Ergo.

Atque hinc sequitur 1°: Divisionem intrinsecam esse atque essentialem protestantismo, nec nisi per quamdam conventionem, ac mutuam cessionem posse inter se diversas sectas coalescere permittendo, ut unaquæque in negotio religionis id sentiat, quod cuique lubet, prout factum vidimus in fœderatione initâ inter lutheranos et calvinistas, quasi ageretur de latifundio, proindeque unitatem essentialiter opponi naturæ protestantismi.

Sequitur 2°: Si cohærentes velint esse protestantes principio essentiali reformationis, neminem jus habere alteri exprobrare propria sensa religiosa utut impia et absurda (1).

Sequitur 3°: Frustra nonnullos protestantes adhuc gloriari quòd protestantismus habeat pro basi ac regulâ purum verbum Dei, tum quia sepositâ Ecclesiæ auctoritate, nunquàm ipsis constare potest, quodnam sit istud Dei verbum, quùm nullus ferè sit liber, cujus authenticitas in dubium revocata non sit, et non revocetur: tum quia absque Ecclesiæ auctoritate, nunquàm ipsi certi esse possunt de inspiratione divinâ sacrorum librorum, quæ pariter vel penitùs abjudicata est ab universâ Scripturâ, vel saltem in dubium revocata quoad plures libros; tum denique quia cùm verbum Dei pendeat ab interpretatione spiritûs uniuscujusque privati, nullus est error, nullum paradoxum, quod non cohonestetur per verbum Dei sic expositum, prout Anabaptistæ, Quakeri, Sociniani, Methodistæ, etc., faciunt. Quomodò enim verbum Dei prout litteris consignatum est, potest regula esse fidei, si tota lis ferè semper vertitur circa sensum verbi Dei? Quicumque in judicio lites agitat, legem pro se habere contendit, et nisi judex esset qui sententiam ferret,

(1) Sic enim statuit Revisio protestant: « Notre « croyance n'est que la liberté d'examen. » (An. 1825, 4° livr., p. 153.) Et alibi: « Ce principe fondamental « du protestantisme est admis aujourd'hui *sans restriction*. » (5° livr., p. 151.)

nullus unquàm liti et controversiæ finis esset. Nullus unquàm hæreticus extitit, qui non gloriaretur pro se esse verbum Dei; ita Gnostici, ita Manichæi, etc., qui non secùs ac protestantes in innumeras prope sectas, seu frustula divisi sunt, quod pariter contigit Arianis, aliisque omnibus sectis ab Ecclesiâ separatis, quæ proinde omnes æquè perierunt (1).

Sequitur 4° : Hanc potissimam rationem esse cur tot ex privatis et principibus viris tum doctrinâ et eruditione conspicui ejusmodi chaos, quod necessariò protestantismo inest, animadvertentes, ad Ecclesiæ catholicæ gremium, à quo eorum patres recesserant, sese receperint, ut in illâ conscientiæ pacem nanciscerentur, quam frustra inter tot sententiarum varietatem ac fluctus quæsierant. Dùm contra nonnisi pauci sordidique apostatæ cælibatus ac propriæ vocationis pertæsi ad protestantismum defecerunt (2).

(1) Gnostici citò in quinquaginta sectas divisi sunt, ipsis fatentibus Moshemio, Clerico, Beausobrio apud Gibbonium op. 1, c. 15. Tertull. loquens de Marcionitis dicebat : « Faciunt favos et vespæ ; faciunt Eccle- « sias et Marcionitæ » Recensentur novemdecim fidei confessiones spatio quatuordecim circiter annorum editæ ab Arianis, cons. Petavius l. 1 de Trin., c. 7, n. 13; et sic cæteris omnibus evenit; quod attinet ad nostros protestantes, res adeò aperta est ut ipsimet nunc de hâc variatione glorientur. Certè impossibile est ut ipsi possint confessionem fidei elicere sive communem sive perpetuam : non *communem* quia est *negotium individuale* ; non *perpetuam*, quia eorum religio assimilari potest tabulis meteorologicis, in quibus attendendum est ad diem, horam, locum atque atmosphæræ statum, an humidus aut siccus, supra vel sub *zero*. Hinc protestantes non possunt dicere nisi : *Ego credo in me, et protestor contra Ecclesium Romanam.* Cons. ep. data ad redact. Revis. protest. in Mém. cath. 1827, mens. febr.

(2) Innumeri propè sunt nobilitate, doctrinâ, et eruditione insignes, qui ad religionem catholicam ab initio hujus seculi tum in Germaniâ, tum in Angliâ, Gallià et fœderatis statibus Americæ redierunt. Longum esset catalogum texere. A multis annis in Hungariâ id animadvertitur quoad transitum ex unâ in aliam religionem, quod singulis annis ex *frigescentibus catholicis* ad relig. protest. à 30 ad 40, migrent; contra ex protestantibus à 500 ad 600 ad Ecclesiam catholicam se conferant; licet provocati protestantes ut hoc factum negarent, altum tamen silentium servàrunt. Cons. Universalis Amicus relig. et eccles. et Correspondens eccles. à D. Benkert Herbipoli (Wurzburg) n. 9, 28, feb. 1834, p. 10, seqq. Diximus è *frigescentibus catholicis*, quia verissima est observatio cl. Maestrii, hoc discrimen intercedere inter catholicos et protestantes relatè ad firmitatem in propriâ religione, quòd quò catholicus innocentioris vitæ est, eò tenacius Ecclesiæ suæ adhæret, et eò magis fluctuat, quò inquinatioribus moribus diffluit; è contra quò magis protestans vel sectarius corruptus mente et corde est, atque in vitia effusus, tantò est firmior in suâ sectâ : et quò integrioribus moribus præstat, eò magis dubitat de veritate suæ sectæ et ad religionem catholicam accedit. Et sanè, ut plurimum, qui ad protestantismum nunc accedunt quinam sunt, nisi perditi quidam apostatæ sacerdotes, vel religiosi ad omnia vitia projecti? Nempe quod veteribus hæreticis solemne fuit, recentioribus etiam familiare est, quod cit. Tertullianus illis exprobrabat, inquiens · « Nunc apostatas nostros, ut gloriâ « eos obligent, *quia veritate non possunt.* Nusquàm fa- « ciliùs proficitur, quàm in castris rebellium, ubi ip- « sum esse illic promereri est, (de præscr. c. 41, ed. Rig.). Quod possem pluribus exemplis illustrare, nisi ageretur de re notissimâ.

(1) Sic Henke in Hist. Eccles. cujus iteratæ editiones, continuationes et compendia, communem plausum, quo apud protestantes fuit excepta, ostendunt. In hujus porrò historiæ initio statim evangelistæ ut mendaces, Apostoli verò ut corruptores doctrinæ J. C. traducuntur, etc. Huc referuntur pariter historiæ dogmatum ab ipsis passim vulgatæ.

(2) Ita respondere solent protestantes, cùm ipsis objicitur recessus à doctrinâ emendatorum suorum.

(3) Sic Ernestus Sartorius prof. Th. dogm. et mor. *Dorpart* in *Beitraege zur*, etc., id est : Collationes ad defensionem evangelicæ orthodoxiæ. Heidelbergæ 1825.

Difficultates.

Obj. : 1° Etiam Ecclesia catholica suas vicissitudines passa est. 2° Fidei definitiones, quas identidem Ecclesia catholica emisit, totidem argumenta sunt progressûs ac perfectibilitatis systematis, quod adoptavit protestantismus. 3° Quid porrò sunt fidei dogmata, quibus gloriatur Ecclesia catholica, nisi unius vel alterius Ecclesiæ istius Patris inventa, vel formulæ verborum sine sensu (1) ? 4° Cùm proinde vera lux non prodierit nisi seculo 16, ex illo tempore clariores semper radios emisit ad tenebras dissipandas, quas Ecclesia tum decipiens tum decepta effuderat, ac fanatismus et dominandi libido foverant, donec emendatores sacrorum, captivitatis illius vincula solventes, in libertatem et se et nos asseruerunt. 5° Atque hinc ratio eruitur cujusdam inconstantiæ atque fluctuationis, quæ tum in ipsis tum in primis eorum discipulis interdùm conspicitur circa plures vel pauciores articulos, quos retinuerunt cùm nec uno temporis momento potuerint omnes ideas illas deponere, in quibus ab infantiâ fuerant enutrit (2). Nec est 6° quòd rationalismus nobis objiciatur aut naturalismus, si enim res benè perpendatur rationalismus, est proprius Ecclesiæ catholicæ, et caput Ecclesiæ Romanæ spectari debet ut verus rationalista; etenim ipse prætendit, quòd spiritus suus internus, seu ratio sua intra sui pectoris veluti penetralia, possit per immediatam inspirationem divinam sententias legesque proferre, quæ norma sint in rebus fidei, etiamsi desit vel illi opponatur Scriptura. Item concilia Ecclesiæ catholicæ sunt *naturalistica*, *rationalistica*, seu phantastica, quatenùs ipsa confirmant proprias sententias non jam in solo canone infallibili verbi Dei scripti, sed in prætensâ ac fallaci illustratione internâ, et inspiratione Spiritûs sancti, prout potissimè concilium Tridentinum se gessit (3). Ergo.

Resp. ad primum : Dist. : In disciplinâ mutabili et accidentali, transeat, vel concedo; in fidei morumque doctrinâ, nego. Jam enim ostendimus vel ipsos adversarios nobis ultro dare vel à primo Ecclesiæ seculo omnia germina catholicæ doctrinæ reperiri. Sæpiùs provocati adversarii, ut assignarent epocham mutationis, quam nobis objiciunt, nunquàm id efficere potuerunt prout superiùs ostendimus.

Ad secundum, dist. : Id est, majorem recepti jam dogmatis dilucidationem ex occasione eorum, qui ali-

quem articulum impugnârunt, concedo ; per novorum dogmatum introductionem, nego. Nempe ex occasione, quo aliqui receptam in Ecclesiâ doctrinam temerare infami ausu aggressi sunt, Ecclesia accuratiori examini subjecit controversum articulum, ipsumque sibi vindicavit per expressam illius articuli definitionem, et condemnationem oppositæ novitatis. Ita constanter se gessit Ecclesia, quod ut obtineret semper ad vetusta monumenta ac receptam fidem provocavit, ut ex historiâ conciliorum unicuique constare poterit. Protestantismus contra per suum perfectibilitatis inventum unum post aliud omnia fidei dogmata rejecit, donec vel ipsum fidei nomen sustulit, et tunc demùm summam adeptus est, ad quam tendebat, perfectionem, omnia scilicet destruendo (1).

Ad tertium, respondeo fidei dogmata esse totidem veritates divinitùs revelatas, quas à Christo Ecclesia accepit ad posteros transmittendas et intemeratè servandas ab edaci novatorum dente, prout divinâ ope suffulta hactenùs præstitit, ac præstabit usque ad consummationem seculi juxta fundatoris sui pollicitationes. Quod attinet ad supposita Patrum inventa, respondeo non esse istam nisi gratuitam adversarii assertionem omni destitutam fundamento, imò planè contrariam omnibus historicis documentis. En quid de Ecclesiæ Patribus jam suo tempore scripserit S. Augustinus : *Quod invenerunt in Ecclesiâ, tenuerunt ; quod didicerunt, docuerunt, quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt* (2). Et longè ante S. Augustinum Tertullianus inquiebat : « Quicumque hâc regulâ incedi- « mus quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, « Christus à Deo tradidit, constat ratio propositi nos- « tri (3); » et ita distinguebat Catholicos ab hæreticis, qui suis novitatibus antiquam doctrinam Ecclesiæ catholicæ temerare audebant, ut innumera ejusmodi testimonia præteream, quæ impudentissimi mendacii arguunt adversarium nostrum, qui nonnisi imperitis fucum facere potest. De formulâ verborum, quam dicunt sensu vacuam, satis disseruimus, quin eadem refricare debeamus.

Ad quartum, dist. : Qualis lux nempe jam affulserat Simonianis, Nicolaitis, cæterisque hæreticorum pestibus usque ad Lutherum et deinceps, seu à diabolo excitata, concedo ; lux quæ à Deo sit, nego. Optimè Tertullianus : « Sed quæritur à quo intellectus interpretetur « eorum quæ ad hæreses faciant? A diabolo, cujus « sunt partes intervertendi veritatem (1). » Mirum sanè est Christum Ecclesiæ suæ non prospexisse nisi usque ad Lutheri, eorumque sociorum perduellionem & apostasiam ; incognitum fuisse principium regenerationis per sexdecim integra secula. Appositè rursùm Tertullianus :

« Quod apud multos unum invenitur non est erratum, « sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos er- « râsse, qui tradiderunt? Quoquomodo sit erratum ; « tamdiù utique regnavit error, quamdiù hæreses non « erant. Aliquos Marcionitas et Valentinianos (Luthe- « ranos et Calvinistas) liberanda veritas exspectabat : « interea perperàm evangelizabatur, perperàm crede- « batur, tot millia millium perperàm tincta, tot opera « fidei perperàm administrata, tot virtutes, tot charis- « mata perperàm operata, tot sacerdotia, tot ministe- « ria perperàm functa : tot denique martyria perperàm « coronata (2) ; » libertas verò in quam nos asseruerunt, est solutio ab omni freno et subjectione legis evangelicæ, divinorumque mandatorum, ita ut neque Islamitæ tantâ licentiâ utantur, nempe credendi quidquid placet, et faciendi quidquid lubet.

Ad quintum, dist. : Id est in destructionis progressu, à quo sive quodam irresistibili conscientiæ clamore, sive contrariâ animorum dispositione detinebantur, concedo ; secùs, nego. Nimirùm ejusmodi restitutores vel statim non agnoverunt omnes principii à se constituti pessimas consecutiones, vel nondùm satis firmi in impietate ab iis exhorruerunt, atque ut proprium est eorum qui periculum vident nec pedem à præcipitio retrahere valent, nituntur per incohærentiam in medio itinere consistere. Ast abyssus aperta erat, impulsum ipsi dederant, eorum discipuli omnem harum consecutionum necessarium nexum secuti sunt, magisque obfirmati antecessorum exemplo post varias fluctuationes, demùm fructus omnes illius destructivi principii collegerunt, quos producere debebat. Sic cadaver per aliquod tempus lineamenta servat, quæ postea cùm corruptum ac dissolutum est, amittit. Sic contigit protestantismo. Bossuetius ac Fenelonius ejusmodi dissolutionem jamdiù præviderant, atque prædixerant ; eventus veritatem ejusmodi prædictionis comprobavit.

Ad sextum, dist. : Eâ nempe ratione quâ datur participatio justitiæ cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras, aut conventio Christi ad Belial, concedo ; aliâ ratione, nego. Si rationalismus est proprius Ecclesiæ catholicæ, ut impudentissimus auctor affirmat, quî fit ut Ecclesia catholica illum damnet et anathematizet, et rationalistæ pejus, quàm à cane et angue abhorreant ab Ecclesiâ catholicâ? Nonne hoc est vocare lucem tenebras, et Christum Antichristum? Quanquàm hìc opus non sit plura congerere ad depellendam calumniam, quùm vel ipsi protestantes rationalistæ ejusmodi invento glorientur ; Wegscheider unus ex antesignanis recenset auctores rationalismi, qui omnes

(1) Vadem damus hujus assertionis non suspectum D. Muller profess. Scaphusiæ. « Des théologiens mêmes, « inquit, se font une affaire de noyer dans un vain « déisme... Tous ensemble sciemment, ou sans s'en « douter, tiennent la même conduite et le langage « suivant : Déchirons et jetons loin de nous ces liens « qui attachaient à la foi et au devoir nos ignorants et « tenebreux ancêtres, » Vid. Recherches hist. de Muller dans ses lettres confidentielles à Briester, 1801, p. 41 et pag. 69, 88, ubi citat textus Schroeck et Vincentii Lirinensis ad judicium ferendum novi *perfectibilismi* protestantium. *Celui-ci*, inquit Starckius op. cit., est au but, *quand il aura atteint à l'athéisme*.

(2) Lib. 2, cont. Julian., p. 34, tom. 10, edit. Maur.

(3) De Præscript., c. 37.

(1) Ib. c. 11.

(2) Id. c. 28, 29, ed. Rigalt.

protestantes sunt (1). Kantius, à quo potissimùm originem duxit, nonne protestans est? Nonne protestantes ii sunt, à quibus mysticismus et fanatismus prodîêre (2)? Porrò si jus suum est cuique tribuendum, teneant protestantes quod suum est, iste est fructus, sive effectus illius magnæ lucis, quæ demùm regnum suum adepta est sec. 16, et illius libertatis, quam in mundum intulit Lutherus cum cæteris suis *sacrorum emendatoribus*.

Atque hinc responsio patet ad id, quod subdit idem auctor de Romano pontifice ac de conciliis Ecclesiæ catholicæ, rationalistis, naturalistis, phantasticis, eò quòd definitiones edant per inspirationem immediatam sine et contra Scripturas. Cui unquàm id persuadere poterit? Nunquàm sive pontifex, sive concilia definitiones fidei edunt nisi in verbo Dei, seu revelatione divinâ fundati, quæ pervenit ad nos tum per Scripturam, tum per traditionem (de quâ in tract. de Locis theologicis); nihil sive pontifex sive concilia de suo obtrudunt, sed testes sunt doctrinæ, quam Christus docuit, et Apostoli tradiderunt, prout supra exposuimus. Aliud porrò est divina assistentia, quâ suffulta est Ecclesia juxta Christi promissa, aliud illa divina immediata inspiratio de quâ loquitur adversarius, quam nunquàm sive pontifex, sive concilia sibi vindicant, quùm produnt fidei definitiones; divina enim inspiratio non tribuitur à catholicis in iis quæ ad religionem pertinent, nisi hagiographis scriptoribus. Sola divina assistentia tribuitur tum Romano pontifici ex cathedrâ, ut aiunt, decernenti, tum Ecclesiæ sive dispersæ, sive in conciliis congregatæ. Divinæ autem assistentiæ nomine designant illam peculiarem opem, atque specialem providentiam, quâ Deus ita præsto est Ecclesiæ suæ, ut non patiatur illam in errorem labi, quâcumque demùm ratione id obtineat; verificari enim debent Christi dicta : *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam;* et *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, aliaque ejusmodi. Si adversarius legisset concilium Tridentinum, reperisset nullum esse fidei decretum, in quo non referantur testimonia tum ex Scripturâ, tum ex traditione deprompta (1).

Propositio II. — *Sterilitas protestantismi in suis missionibus apud infideles novum est ipsius falsitatis argumentum.*

Inter cæteros divinos characteres et dotes, quibus præstat catholica Ecclesia, mira ipsius fecunditas recenseri debet in conversione infidelium. Cùm enim ipsa missionem à Christo accepisset per ea verba : *Euntes per mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ;* nunquàm destitit filios suos in diversas regiones mittere, qui spiritu verè apostolico repleti eas de tenebris infidelitatis ad evangelicam lucem revocarent. Innumeros propterea recenset, qui in ejusmodi ministerio non solùm magnos exaltârunt labores, sed et sanguinem profuderunt, ac plures præterea, qui quovis seculo tum prophetiæ, tum signorum dono ditati religionem mirificè propagârunt. Nedùm ullum regnum, vel provincia, sed nec regio, nec civitas, nec vicus est in toto terrarum orbe, qui ad Christi fidem non venerit nisi per Ecclesiæ Catholicæ operarios. Historia ecclesiastica in suis annalibus quovis ferè seculo aliquam gentem vel regionem refert, quæ evangelium amplexa sit per operarios à romanis pontificibus ad prædicandum missos (2).

(1) Op. cit. Sic enim inter cætera scribit in præf. p. 11 : « Omninò progressus in litterarum doctrinis... « effecti *plerosque protestantium Ecclesiarum socios* ad « altiora quasi scientiæ atque culturæ templa adduxe- « runt, unde aliam fidei religiosæ formam ac speciem « intuentur, quam majoribus nostris pro illius ætatis « rationibus licuit. » Et clariùs adhuc proleg. cap. 1, § 13 : « *Protestantismus* autem, inquit, quùm accuratâ « et subditâ librorum sacrorum indagatione nitatur, « eorumque argumentum ad verum vitæ usum trans- « ferre studeat, utrumque autem pro illorum libro- « rum diversâ indole, sæpius obscurâ, nisi rationis ar- « tisque usu obtineri nequeat, jam ab initio reforma- « tionis Ecclesiæ primis ejus auctoribus hic rationis « usus adeò obversabatur, ut in ipsâ sacrorum emen- « datione *rationalismi germina* clarissimè appareant. » Ac demùm ostendere nititur rationalismi principia fuisse à Luthero posita, et concludit, « quæ cùm ita « sint, theologi recentiores, qui ad Lutheri exemplum, « clarissimisque rationibus ducti ultra libros symbo- « licos et usum rationis, quem dicunt *formalem*, sa- « pere tandem aliquando didicerunt, suo jure, sicut « Lutherus, rectè uti videntur, neque ideò calumniandi « sunt. »

(2) Celeres rationalismi progressus inter protestantes, ejusque aperta oppositio contra quodlibet christianismi principium, divisit protestantes in duos, ut ita dicem, ingentes exercitus, in *naturalistas*, qui rejiciunt positivam Dei revelationem, et *supernaturalistas*, qui ipsam admittunt. Qui quidem postremi iterùm in duas classes subdividuntur, quarum altera ad unguem sectatur Lutheri placita, admittitque propterea libros symbolicos, seu fidei professiones unà cum aliquâ hierarchicâ constitutione suarum Ecclesiarum, prout in Borussiâ potissimùm viget; altera verò est *pietistarum* seu *mysticorum*, qui libros symbolicos rejiciunt, neque obsequi se profitentur nisi interiori Spiritûs sancti lumini. Pietistæ in Germaniâ propriæ sectæ fundatores agnoscunt Philippum Jacobum Spener, comitem Zinzendorf, Frid Wantenville et Spangenberg.

(1) Præclarè Vincent. Lirin. in suo Commonit. n. 32, scribit : « Christi verò Ecclesia, sedula et cauta de- « positorum apud se dogmatum custos, nihil in his « unquàm permutat, nihil minuit, nihil addit, non am- « putat necessaria, non apponit superflua, non amittit « sua, non usurpat aliena... denique quid unquàm « aliud conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod « antea simpliciter credebatur, hoc idem postea dili- « gentiùs crederetur?... Hoc, inquam, semper, nec « quicquam præterea, hæreticorum novitatibus exci- « tata, conciliorum suorum decretis catholica perfecit « Ecclesia, nisi ut quod priùs à majoribus solâ tradi- « tione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scri- « pturæ chirographum consignaret. »

(2) S. Innocentius I jam sec. V, ep. 25 ad Decentium episc. Eugub. scripsit : « Cùm sit manifestum in « omnem Italiam, Gallias, Hispaniam Africam atque « Siciliam, et insulas interjacentes nullum instituisse « Ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Pe- « trus, aut ejus successores constituerint sacerdotes. » Addit autem D. Constant in notâ *c* : « Hilarius iis qui « unâ fidei communione ac societate copulabantur li- « brum de synodis scribens, cum iisdem Germaniæ « primæ et secundæ, Britanniarumque episcopos re- « censet. His si adjungantur variæ Illyrici provinciæ, « quas Innocentius, ep. 13, n. 2, suam in eas vicem « Rufo committens recenset, diœceseon, quæ ad ro- « manum patriarchatum attinent, satis accurata habe- « bitur enumeratio. » De Anglià, Hibernià, Scotiâ,

Hæreticæ sectæ è contra semper sterilitate à Deo mulctatæ sunt; adeò ut nulla proferri possit gens, quam aliquando ab infidelitate aliqua hæretica secta ad Christi fidem converterit. Hujus sterilitatis conscii hæretici infidelium conversionem penitùs neglexerunt, vel animum desponderunt post infelicia tentamina nullosque successus, ac semper ad Christi fideles seu Catholicos pervertendos studium omne adhibuerunt; *cùm hoc sit negotium illis* (hæreticis), ut jam scripsit suo tempore Tertullianus, *non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi, hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem, operentur : quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent* (1). Ac talis constanter omnium hæreticorum indoles fuit, talis perpetua eorum agendi ratio.

Ac proinde ita se gessit protestantismus. Ab initio reformationis, ut ipsi vocant, de conversione infidelium protestantes ne cogitârunt quidem. Omnes eorum machinationes dirigebantur ad perversionem catholicorum, ad extirpationem antiquæ fidei. Licet verò nonnullæ protestanticæ respublicæ classibus instructæ essent, et maritimo potirentur imperio, quibus subsidiis uti potuissent ad Christi fidem inter paganos disseminandam, iis uti maluerunt ad catholicas missiones evertendas, ut se gesserunt Batavi, et heu! nimis felici successu in Japoniâ præsertim et Indiis orientalibus. Imò ut protestantes zeli defectum in evangelii propagatione tegerent, declarabant minimè per conscientiam licere paganos in suâ fide turbare, atque in Dordracenâ synodo objectioni Remonstratentium respondebant : « Qui sine peculiari vocatione et missione « paganis evangelium annuntiat, hæc in eum quadrat « apostoli Petri objurgatio, quòd se videlicet rebus « alienis immisceat, Deumque tentet, cùm sine voca- « tione tanto se objicit periculo. » Subsequentibus temporibus decanus Canturiensis in oratione habitâ coram rege Angliæ asserebat nemini licere, quin habeat, ut Apostoli, extraordinarium mandatum, illudque probare possit, religionem etsi falsam regionis alicujus aggredi, hominesque ab ejus professione contra magistratûs voluntatem dimovere (2).

Ast perculsi gloriosis catholicorum successibus demùm et ipsi protestantes cœperunt seriò de missionibus apud infideles cogitare sub finem sec. XVII. (3). An. 1647, jam exorta erat quædam societas in Anglià ad hunc finem quæ à senatu (parlamento) approbata est, tamen nonnisi tardiùs aliquid profecit. Fridericus IV Daniæ rex missionem instituit, an. 1706, pro suâ colonià Tranguebar in Indiis orientalibus; in Groenlandiâ verò ab an. 1708 Evangelium prædicavit *venerabilis Joannes Egede.* Anabaptistæ inchoârunt missiones suas an. 1792. Anglia præsertim sub hujus seculi XIX initium maximè cœpit suum exercere zelum ex occasione missionum Anabaptistarum et Methodistarum, pluresque ibi institutæ sunt societates generales et particulares ad propagandas missiones : ab an. 1807 insudatur convertendis nigris in Sierra-Leone Africæ. Societas Britannica nuncupata, et extranea bibliorum propagandorum erecta est Londini an. 1804, quibus aliæ auxiliares adjectæ sunt. His porrò delibatis circa originem et progressum missionum protestantium, expendamus breviter media quibus ad finem obtinendum ejusmodi societates usæ sunt, deinde successum et fructum.

Jam verò si spectemus *numerum* missionariorum protestantium constat ab an. 1824 societatem Ecclesiæ anglicanæ 419 missionarios permanentes habuisse (1). Eodem an. Methodistæ numerabant 623 (2). Hæ duæ proinde societates jam tunc suppeditârant 1042 operarios. Nunc supputatione institutâ ad cæteras societates, quas mox recensebimus, in solâ Anglià haberemus 3,442 emissarios; ex Americâ societates quæ illic sunt, miserunt ad missiones saltem 1000 concionatores; itaque, non computatis missionariis, quos protestantes regiones suppetitârunt, habemus summam 4,442 (3). Licet verò missionarii societatis propagationis Evangelii teneantur, juxta tenorem diplomatis dat. 16 Junii 1801, prospicere instructioni coloniarum anglicanarum, cui tribuuntur 122 missionarii, ac 96 ludimagistri, attamen certum est, hos ipsos debere operam navare conversioni infidelium.

Si verò spectemus *numerum* societatum, quæ pecunias, ac libros quotannis subministrant ad opus conversionis infidelium, inveniemus ex Anglià, statibus fœderatis Americæ, ex Gallià, Germaniâ, Hollandiâ, Helvetiâ, ac regionibus septentrionalibus XIX societates principales, quibus aliæ quatuor addi debent institutæ ad distribuenda *Biblia*, *tractatus religiosos*, *librum precum*, *et homilias Ecclesiæ anglicanæ* (4). Unaquæque verò ex his societatibus suas habet numerosas veluti minoris gentium sodalitates, quas vocant auxiliares; in solâ Gallià 200 numerantur, in Anglià vix numerari possunt. Scopus harum societatum est, pecunias ac libros subministrare missionariis, qui conversioni infidelium dant operam. Porrò hæ societates jam ab an. 1824

Hungariâ, Poloniâ, reliquisque septentrionalium regionum gentibus ad Christi fidem conversis romanorum pontificum sedulitate subsequentibus temporibus, res vulgatissima est.

(1) De Præscrip. c. 42.

(2) Cons. hist. eccl. D. Hortig continuata à Joh. Jos. Ignat. Doellinger sac. Th. D. et profess. ordin. in univ. Mon.

(3) Dixi *demùm*, nam notum est missionem, an. 1536, à Genevensibus tentatam non fuisse nisi abortivam.

(1) V. eruditam dissert. cl. D. Nic. Wiseman rect. collegii Anglor. in almâ hâc urbe, et prof. linguarum orient. in Archigymn. rom. quam priùs recitavit in acad. relig. catholicæ, postea typis vulgavit Rom. 1831, ex quâ pleraque documenta, quæ hìc recensentur, desumpsimus, et quæ interea proferimus, ut videant protestantes, in quorum manus hæc dissertatio non venit, quibus fundamentis, quæ hìc traduntur, nitantur.

(2) Quarterlay Review journ. 1825, p. 29; et Christian. register, in quo solùm enumerantur 210.

(3) Nouveau journal asiatique. Paris 1828, t. 2 p. 29, computat 5000 missionarios.

(4) Jowett Christian researches in the mediterranean. 3. edit. Lond. 1824. p. 318.

subministrabant singulis an. 1,715,500 nummos scutatos, id est, 4,700 in dies singulos (1). Cùm verò missionarii adhuc conquererentur de ejusmodi stipendio quasi nimis exiguo, reditus seu proventus annui societatum jam ascendunt ad 3,431,000 scutos (2). Societas biblica innumera exemplaria S. Scripturæ in omnia ferè idiomata ac dialectus conversæ quotannis, distribuit ope suorum publicanorum et viatorum, qui veluti totidem missionarii spectari debent. Anno enim 1830 solo distribuit 632,676 exemplaria novi Testamenti (3). Et hoc medium censetur aptissimum ad conversionem infidelium.

His addantur subsidia externa, quibus abundant missiones protestantes, nempe favor, qui vel à magistratibus vel legibus tribuitur (4); apparatus moderatorum ac omnis gradus magistratuum, publicarum ephemeridum, doctorum virorum, etc., opes et commoda quibus ejusmodi missionarii obruuntur (5), regiones in quibus ut plurimùm commorantur, quæ ad Britanniam pertinent; quòd si barbaros ac silvestres penetrare interdùm tentant, semper armatis provinciæ præsidiis utuntur, præmia distribuunt cum magnâ pompâ ac apparatu suis alumnis in scholis, quas gratis aperiunt (6), adeò ut verè scribere potuerit D. Buchanan magnus missionum fautor : « Nulla gens chri- « stiana unquàm campum tam extensum habuit ad « propagationem fidei christianæ, qualem nos habe- « mus ex influxu quem exercemus super centum « milliones incolarum Indostan. Nulla unquàm natio « tot commodis abundavit ad dilatationem suæ religio- « nis, qualia nobis offeruntur inter gentes, quæ nullam « opponunt resistentiam, quæ obtemperant libenter « miti imperio nostro, quæ reverentur principia no- « stra, et dominationem nostram velut benedictionem « æstimant (7). » Talia igitur sunt media, talia subsidia ac commoditates, quibus protestantes instructi sunt ad disseminandam evangelicam doctrinam apud infideles. Restat ut videamus, quo successu ac fructu opus istud perficiant.

Ex confessione ipsorummet protestantium, fautorumque harum missionum, ejusmodi fructus post tot labores, tot impensas, nullus aut ferè nullus omninò est, vix enim numerant nonnulla individua (8) quæ commodioris vitæ illecebris inducta sunt, vel quia depulsa à propriis contribulibus. Ipsmet missionarii animum despondent ob invictas et insuperabiles difficultates, quas in conversionibus ubique offendunt, omnes ferè missiones in statu decrementi inveniuntur, nonnullæ penitùs perierunt. Relationes horum missionariorum ferè semper reticent conversiones factas, et se se extendunt ad exaggerandam *meliorem spem* in futurum. Si interdùm numerum individuorum recensent, statim ab aliis mendacii arguuntur. Et hæc non in unâ vel alterâ mundi parte, non ab unâ vel alterâ sectâ, sed idem omninò plenus defectus reperitur ubique terrarum, ubi isti missionarii cujuscumque demùm confessionis seu sectæ, appulerunt et operam impenderunt ad infidelium conversiones, adeò ut auctor historiarum missionum protestantium non dubitet his verbis narrationi suæ finem ponere : *Sub finem hujus libri, cujus erat scopus enarrare propagationem christianæ religionis, animos omninò desponderemus, si nostræ religionis propagatio penderet à successu operum, quæ hactenùs suscepimus, quæque in his voluminibus descripsimus* (1). Non minùs aperta est confessio quam D. Bickerseth, qui erat à secretis societatis missionariæ, apud Ecclesiam anglicanam exhibet in sermone quem habuit, an. 1823, ad novos socios Eboraci cooptandos.

Decem priorum annorum decursu, ait, *societas nunquam notitiam habuit vel unius individui, quod ab idololatriâ transierit ad christianam religionem* (2). Post viginti an. labores, alibi dicitur : *Felix successus præsens et visibilis non est certè criterium, quòd labores nostri Deo accepti sint* (3) : ut alia innumera prope monumenta ejusdem tenoris omittam (4); quare his annis gubernium anglicanum, cui cordi est conversio coloniarum suarum, omni spe destitutum, ut videtur, alicujus successûs missionariorum protestantium, promovit, saltem indirectè, Catholicorum missiones; adeò ut verè affirmari possit, protestantes tot missionariis, tot impensis, tantâ bibliorum diffusione nullum alium fructum tulisse, præter hunc, quòd nempe catholicorum missiones vel everterunt, vel exturbârunt, vel earum successus quoquo modo impedierunt : qui semper præcipuus ipsorum scopus et finis est.

Contra verò missionarii catholici ut plurimùm absque ullo præsidio regum aut magistratuum, pecuniis aliisque humanis facultatibus destituti, soli se conferunt ad efferatos ac silvestres populos inter continua ac præsentia pericula vitæ amittendæ, quòcumque penetrant, atque ubique uberrimos fructus ferunt. Solus

(1) Quarter. Rew. p. 29.
(2) Qui calculus valdè moderatus est. Ephemerid. enim asiat. Paris. 1828. t. 2, p. 32, illi addit vicies centena millia libel. gall.
(3) Christ. regist. eodem an. Lond. vulgatum.
(4) Societas propagationis evangelicæ an. 1819 à Georgio III litteram regiam, ut vocant, impetraverat, quâ præscribebatur stipes expetenda in universo regno, collegitque scut. rom. 283,200 Christian. remembr. vol. 11. Lond. 1829, p. 50.
(5) Quilibet stipendium annuum percipit scut. 1132; quòd si uxorem habeat, augetur aliis scut. 188; quòd si filios habeat, alia 94 adduntur in singulos filios. Report of. the society. Lond. 1829. p. 195-197.
(6) Report. ib. an. 1826, 1827. p. 51.
(7) Memoir on the expediency of an ecclesiastical establishment in britisch India. By the rev. Claud. Buchanan D. D. 2. Edit. Lond. 1812. p. 48.
(8) Cons. cit. Diss. sessione quartâ, ubi recensitis missionibus anglicanis in Indiis orientalibus; missionibus Anabaptistarum, et independentium in iisdem regionibus, omnium sectarum in Indiâ et Australasiâ; in Americâ circa servos; in Mediterraneo; inter Calmuchos, atque ex confessionibus eorum ipsorum, quorum maximè interest earum fructus patefacere, adductis certissimis documentis, ostendit nullum vel penè nullum esse istarum missionum omnium fructum.
(1) Month. rew. 1817. p. 252.
(2) York Herald, may 1823,
(3) Report of P. C. K. soc. Lond. 1829. p. 43.
(4) Quæ videri possunt cit. Diss. sez. 4, 5.

S. Franciscus Xaverius ultra decies centena hominum millia suâ manu sacro baptismate tinxit, plures principes ac reges ad religionem christianam adduxit, ubique ecclesias ædificavit, quæ adhuc consistunt, non obstantibus atrocibus Batavorum aliorumque hæreticorum persecutionibus ac conatibus ad eas evertendas. Atque ut ad recentiores missiones veniamus, etiam omissis quæ ad Paraquariam spectant, de quibus egregiè scripsit Muratorius (1), Brasiliam, Novam Franciam, sive Canada etc., postremis etiam hisce annis plures missionarii in Virginiâ, apud Iroquenses, aliasque septentrionalis Americæ silvestres gentes felici exitu laborârunt, ibique adhuc operam suam impendunt (2), et plura hominum millia ad evangelicam lucem venerunt, ac veniunt. Ubique expetuntur ab iis, penès quos olim conversati sunt, ac posteà ab Europeis ejecti (3). Nuper præterea ipse Præses, licet protestans, provinciarum fœderatarum in Americâ, promovit ejusmodi missiones catholicorum, quæ jam magnam fructuum copiam producunt. Idipsum dicatur de missionibus catholicis apud Indos orientales; D. Buchanan fatetur paucorum annorum spatio non obstantibus diris persecutionibus in insulâ Ceilan auctum esse numerum catholicorum ad 50,000, dùm missiones protestantium omninò defecerunt (4). Eumdem habent exitum missiones Sinenses; etsi vix unquàm ibi quieverit persecutio, attamen ab anno 1800 ad 1827, numerantur 22,000 baptismate initiati in solâ provinciâ Sucinen (5), atque ita non dissimili ferè modo augentur in aliis provinciis ejusdem imperii Kansii et Kaukowan, Zokien et Kiansi, Canton et Kouansi, quæ excoluntur à religiosis diversorum ordinum vel à sacerdotibus secularibus; idem successus in provinciis Thibet, Tunkini, in regno Cocini, Siamensi, etc.; et ibidem pariter conatus protestantium irriti omninò sunt, ita ut nec unum adhuc ad religionem christianam adduxerint. Quidam protestans Scotus ab Indiâ reversus : *Neminem novi*, inquit, *exceptis missionariis catholicis, qui operetur conversiones* (6). Et hæc delibâsse sufficiat ad ostendendum ex confessione et factis ipsorum protestantium discrimen ingens inter fructum, ac exitum missionum catholicorum et acatholicorum (7) ubique gentium et quovis tempore.

His constitutis, sic argumemtum nostrum perstringimus : Ubi vis naturalis est maxima, effectus autem minimus, et ubi vis naturalis est minima, effectus autem maximus, ejusmodi effectus à causâ seu vi naturali repeti nullâ ratione potest; atqui ex demonstratis, aliisque quàmplurimis, quæ brevitatis gratiâ prætermisimus, et afferri possent, constat, omnibus perpensis, ex parte protestantium vim seu causam naturalem maximam esse, sive numerus missionariorum spectetur, sive protectio, sive subsidia, sive commoda, etc.; minimam verò ex parte catholicorum, effectum verò contrarium omninò tamen produci, minimum scilicet ac penè nullum ex missionibus protestantium, maximum verò et perennem ubique locorum ex missionibus catholicorum : ergo hujus discriminis ratio à causâ supernaturali repeti debet; quia nempe soli Ecclesiæ catholicæ à Christo ipsius fundatore dictum est : *Euntes docete : sicut misit me Pater, et ego mitto vos : ego posui vos ut fructum afferatis, et fructus vester maneat : faciam vos fieri piscatores hominum : ecce ego vobiscum sum.* Contra verò hæretici non sunt *de genere virorum illorum, per quos salus facta est in Israel;* de ipsis scriptum est : *Nescio vos : non novi vos, discedite à me, operarii iniquitatis : scribe virum istum sterilem;* seu, quod idem est, eâdem ratione quâ jugis fecunditas Ecclesiæ catholicæ est argumentum ineluctabile divinæ ipsius institutionis ac jugis divinæ protectionis, ita sterilitas protestantismi in suis missionibus ad infideles novum est ipsius falsitatis argumentum. Q. E. D.

Atque ex his sequitur 1° imputationem illam *proselytismi* quam toties protestantes catholicæ Ecclesiæ objicere solent, præclarissimum esse testimonium fecunditatis et gloriæ ejusdem Ecclesiæ, ac nullius spei incredibilisque sterilitatis quæ inest sectis omnibus protestantibus; proinde ipsæ cùm videant irritos ac inanes esse suos omnes conatus et infelicem exitum suarum missionum, invidiâ quodammodò tabescunt et crimini vertunt Ecclesiæ catholicæ, quod ipsæ attingere, licet maximè velint, omninò non possunt (1).

(1) Il cristianesimo felice nelle missioni del Paraguay; Venez. 1743.

(2) V. Lettera del p. Carlo Vanquickenborne della compagnia di Gesu, 10. Marzo 1829, edita in Amico d'Italia vol. 16, p. 165.

(3) Ibid.

(4) Brist. critic. Jun. 1828.

(5) Annal. de l'association de la propag. de la foi; Lyon, 1830.

(6) Ibid.

(7) Cons. Wiseman diss. cit.

(1) Hic juvat recensere media quibus utuntur protestantes, qui accusant catholicam Ecclesiam *proselytismi*, ad proprias sectas augendas, seu potius procurandam defectionem ab Ecclesiâ catholicâ; vel si agatur de infidelibus, ad impediendum ne ad eam veniant.

1. Jubilæum reformationis.

2. Anniversarium reformationis festum.

3. Missiones apud infideles, et juxta professorem Elvers ad impugnandum catholicismum (saltem aliquando verum scopum ipsorum confitentur).

4. Instituta ad convertendos Judæos, ad quod opus ab unâ tantùm ex societatibus Londin. quotannis 90,000 nummi scutati (*thalari*) impenduntur.

5. Societates biblicæ et propagationes, quibus addi debent innumeri emissarii ubique locorum, qui causam protestantismi vel clanculùm vel apertè omni conatu promovent.

6. Studium occupandi cathedras in catholicis universitatibus et scholis.

7. Domicilium in regionibus catholicis, et publicum ibidem exercitium sui cultûs.

8. Distributio tractatuum, et editiones librorum, in quibus doctrinæ distinctivæ catholicorum (difformatæ, ut supponitur) et protestantium non sine strepitu traduntur; bibliothecæ librorum protestantium, quæ omnibus pateant.

9. Incitamenta et exhortationes ad amplectendam religionem protestantem.

10. Theoretica confirmatio proselytismi. Quidam

Sequitur 2° protestantes, si fundamentali atque essentiali reformationis principio de omnimodâ spiritûs privati independentiâ religiosâ in rebus fidei adhærere velint, nec posse missiones instituere apud infideles. Si enim unusquisque jus habet ex sacris litteris sibi cudendi religionem, non possunt ipsi nisi biblia porrigere, ac dicere pagano : Hinc tibi effinge religionem: cave tamen ne filiis tuis tradas ea quæ didicisti, cùm eodem jure et ipsi fruantur sibi propriam cudendi religionem. Addo nec posse ipsos affirmare volumen, quod tradunt verbum Dei purum continere, cùm uniuscujusque pariter sit, non solùm judicare de sensu sacræ Scripturæ, sed ex eodem principio præterea sit expendere quinam libri genuini sint, quinam divinitùs inspirati, num integri sint, num aliquid adjectum eis fuerit vel detractum; alioquin contra proprium principium examinis se gererent, et propriâ auctoritate imponerent infideli, cùm notum sit, ex dictis, plures protestantes hunc vel illum librum, hanc vel illam alicujus libri partem rejicere, negare divinam inspirationem, etc., et quidem ex principio fundamentali protestantismi. Quæ cùm ita sint, quin protestantismi essentiam destruant, nequeunt hæretici vel unam operari conversionem.

Sequitur 3° Societatem biblicam, dùm sacra volumina diffundit ad conversionem infidelium, destruere principium essentiale protestantismi, et præterea nocere causæ propagationis evangelicæ, quia, etiam cæteris omissis, cùm infideles idonei per se non sint ad intelligendam Scripturam, scandalum potiùs ex diversis ibidem contentis narrationibus patiuntur, et graviter offenduntur, quo fit ut animum magis avertant à religione christianâ, ut reipsà passim evenire apud Indos, ab. Dubois qui, per an. 30, missionibus illis operam navavit, testatur et factis luculentissimis ostendit (1).

Sequitur 4° ingentem illam pecuniæ copiam, quam undique corrogant quæstores societatum protestantium ad missiones promovendas, non esse, ex confessione ingenuorum nonnullorum protestantium, nisi totidem latrocinia ac simplicium deceptiones, qui, dùm sibi blandiuntur cooperari magno operi conversionis infidelium et dilatationis verbi Dei, pecuniam suam non erogant, nisi ad alendam seductorum cupiditatem, qui non possunt conversionem paganorum promovere, quin subruant fundamentum essentiale et constitutivum protestantismi (1).

Sequitur 5° nec veram neque christianâ denominatione dignam eam professionem esse, quæ si sola obtinuisset, mundus paganus adhuc in tenebris esset suæ superstitionis, cujusmodi esse protestantismum ostendimus, spectatâ ejus intrinsecâ impotentiâ annuntiandi ac disseminandi religionem christianam. Quin neque subsisteret ipse protestantismus, qui non secùs ac hæreses omnes, non prodiit, nisi ex catholicorum quorumdam seditionibus ac perversione, quod jamdiù significaverat Tertullianus testimonio sup. adducto : *Quoniam et ipsum opus eorum* (hæreticorum) *non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent.*

Difficultates.

Obj. 1° : Falsum inprimis est, missiones protestantium eâ sterilitate laborare, quam fingunt catholici, sed ubique florentissimæ sunt. Anno 1830, proselyti religionis weslejanæ, seu methodisticæ jam ascendebant ad 39, 000; proselyti verò societatis propagationis evangelii in partes exteras numerabantur eodem an. 6, 043, et ita porrò quoad cæteras societates (2), præsertim 2° fratrum Moravorum. 3° Quis ignorat felices successus missionum Ziegenbalg, Schultze, et Schwartz? 4° Addatur ejusmodi successus adhuc non esse, nisi certum argumentum ulteriorum progressuum. 5° Quòd si vel anima sola salva facta esset, nonne satis tot labores ac impensæ benè erogatæ fuissent (3)? Notum præterea est 6° missiones protestantium plurimùm impediri à missionariis catholicis, qui ubique animos christianorum et infidelium commovent adversùs nos, quos propterea nec recipi patiuntur; quid mirum proinde, si missiones protestantium non omnes adhuc fructus producunt, quos sperare liceret absque hujusmodi impedimento? Ergo.

Respondeo ad primum : Dist. : Supputatis proselytis vel à numero Bibliorum, quæ distributa sunt; vel à numero discipulorum, qui vel scholas vel aliquam congregationem frequentant, concedo; propriè dictis, nego. Admissis itaque exaggeratis ac sæpè falsis missionarium protestantium relationibus, illud seriò est animadvertendum, nempe eos solere numerum seu censum proselytorum instituere ex numero, quem distribuunt Bibliorum (4). Hæc tamen ratio computationis falsa est; plures enim, imò plerique volumen Bibliorum accipiunt, ut illud dein adhibeant ad varios usus domesticos, amiciendi, ex. gr., ut dicam cum Horatio :

Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis (5);

protestans, Thomas nuncupatus, appellat ad Jesum, ad Apostolos, præsertim Paulum, ad reformatores sec. XVI, et ad missionarios evangelico-christianos, qui proselytismum commendant et confirmant.

11. Matrimonia mixta inter protestantes et catholicos, quæ illi summo studio promovere satagunt in regionibus præsertim catholicis.

12. Innumeræ propè ephemerides in quibus agitur de religione; adeò ut ipsorum theologia possit dici theologia ephemeridum prout notavit Starckius.

13. Demùm calumniæ, dicteria, etc., quibus putidè religionem catholicam ubique insectantur; et tamen quotidiè deficiunt, et Ecclesia catholica propagatur et crescit.

(1) Lettres sur l'état du christianisme dans l'Inde par M. Dubois.

(1) Fol. period. anglicanum protestans, Age 7, sept. 1831, vocat hos *latrones immanes, et pessimum genus dæmonum terrestrinm, sycophantas,* etc.

(2) Christ. regist. an. 1830.

(3) Vulgus enim deceptum cùm nihil aliud pro regno Dei facere velit, sibi maximè placet, si, datâ singulis annis exiguâ pecuniâ, sibi blandiri potest, se cooperari magno operi conversionis paganorum, et dilatationis verbi divini.

(4) V. Wiseman diss. cit. sess. 5.

(5) Nouveau journ. asiat. 1828, t. 2, p. 40.

ita ut, innumeris distributis Bibliis, nemo Christianus fiat; tum etiam, ut magnificiant numerum suorum proselytorum, solent inter hos accensere discipulos, qui eorum scholas frequentant (1) : quæ pariter supputatio falsa deprehenditur eò quòd ejusmodi discipuli vix scholâ abscedunt ut illicò ad idola sua redeant atque illudant magistris suis à quibus interdùm et victum et donaria accipiunt (2). Tum denique in censum referunt proselytorum eos omnes qui ipsorum congregationibus et concionibus assistunt (3); et tamen compertum est plerosque iis non adesse nisi rei novitate et curiositate permotos, tum ut irrideant concionatorem, vel ut eorum subsidiis pecuniariis perfruantur (4), quæ ubi cessaverint, cessat proselytorum numerus, ac penitùs evanescit. Tales sunt triumphi ejusmodi missionariorum, talis exitus Biblicæ societatis ! *Risum teneatis amici!*

Ad secundum, dist. : Id est, in opificiis et coloniis instituendis, concedo; in convertendis infidelibus, nego. Nempe istiusmodi fratres Moravi adeò celebrati in missionibus Sareptæ, non eunt nisi ad proprium lucrum, atque ad instituendas colonias, ad promovendam industriam, minimè verò ad novos Christianos efformandos, ut testatur Klaproth testis oculatus (5). Omni effectu missiones ad radices Caucasi institutas caruisse fatetur Henderson (6). Quare Alexander Russiarum imperator, an 1822, tum Moravorum missiones in Sareptâ, tum nonnullas alias omninò de medio sustulit : hinc penitùs perierunt, ut aliæ plurimæ (7).

Ad tertium, resp. omnibus nota esse quæ plenis buccis Protestantes ab initio de istorum missionibus in Tranguebar, Trichnipoli, Taujore, ac Travancor prædicabant, adeò ut episcopus protestans Heber, ut refert D. Robinson, dicere soleret, *ibi subsistere vim causæ christianæ in Indiis*, ac nullibi adeò florentem vidisse Christianismum. At postea compertum est post quinquaginta annorum labores, concurrentibus pluribus adjunctis politicis septem millia fuisse filios spirituales à Schwartz relictos, si fidem damus eidem Geor. Heber, qui postea adeò imminuti sunt, ut vix vestigia supersint illius celeberrimæ missionis, et an. 1826, quinquaginta candidati inventi fuerint in ecclesiâ Tanjore, ubi ille pseudoapostolus sepultus est. Quid de reliquis dicemus (8).

Ad quartum. dist. : Certum argumentum progressuum, quos sibi et mens et desiderium effingit, concedo; qui jure ab antecedentibus expectari possint, omninò nego. Jam enim ostendimus ex monumentis ipsorum Protestantium irritos cessisse omnes eorum conatus, quare si ex præteritorum laborum exitu conjicere licet sortem futuram, affirmare procul dubio possumus, nullam iis inesse posse spem felicioris exitûs. Plantatio enim, quam non plantavit Pater, ut verbis utamur Ignatii M., (1) vitæ fructus edere non potest. Nunc addimus hanc fraudem communem esse penès hos missionarios Protestantes, qui cùm non possint in suis relationibus exhibere fructum determinatum laborum suorum, ad decipiendos emungendosque incautos, toti sunt in magnificandâ spe fructuum, quos jamjam percepturi sunt, quin tamen eos unquàm colligant (2). Optima profectò agendi ratio, et horum Apostolorum digna !

Ad quintum, dist. : Quæ tamen longè faciliùs sine ipsis salva fieri posset, concedo; per ipsos, nego. Verendum nempe est ne iis congruant verba Christi : *Væ vobis,..... qui circuitis mare et aridam, ut faciatis* UNUM PROSELYTUM; *et cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò quàm vos* (3). Notum est enim, plerosque ex ejusmodi proselytis ad evangelicam professionem venire, ut liberiùs vivant, ut jugum servitutis excutiant, plures (si sermo sit de missionibus Quakerorum et Methodistarum) cooptari in Christianorum cœtum absque baptismo, interdùm Eucharistiam ipsis porrigi confectam in liquore, quem *rum* vocant, quique illic minoris quàm vinum prostat, et quidem aquâ dilutum, etc., et adeò flagitiosæ vitæ ut plurimùm esse, ut ab ipsis magistratibus protestantibus excludantur isti proselyti ab officiis publicis (4). Jam præterea observavimus, ejusmodi missiones impedimento potiùs esse veri Christianismi prædicationi ac dilatationi.

Ad sextum, dist. : Impediri apud exteras gentes, transeat; apud gentes quæ subsunt ditioni Protestantium, nego. Itaque observo inprimis optimè fungi officio suo missionarios catholicos, dùm sedulam dant operam, ut suos greges à lupis avertant; præterea non esse solos missionarios catholicos, sed et ipsos locupletiores agrorum possessores, qui non naturam, sed Quakeros prædicatores et Methodistas expellunt furcâ, ne servos ad fugam ac rebellionem adducant; nec non civiles ipsos magistratus, ne deteriores fiant coloniæ per istorum prædicationem. Cæterùm etiam in regionibus, in quibus missiones Protestantes favore ac protectione regum utuntur, quotidiè in pejus ruunt (5). Deinde si desiderio martyrii flagrarent hi novi apostoli, absterreri nullâ ratione deberent ab ejusmodi impedimentis, quæ Catholicos non absterrent. Ast nimius eos tenet cuticulæ amor, à minimis periculis fugiunt; nil mirum proinde si nemo ex ipsis hactenùs pro Evangelio sanguinem fuderit; nempe, ut de Pelagio

(1) The history, design. and present state of the religions, etc., by the British in Calcutta and its vicinity 1824, p. 217, seqq.; ann. 1831, jam distributa erant à societate Biblicâ 12,000,000 Bibliorum exemplaria in 143 linguas conversa.
(2) Ib. t. 3, p. 399, nec non Report., etc., p. 211.
(3) Register p. 85, seqq.
(4) Memoir of the rev. Henry Martyn. edit. 8, Lond. 1825, p 279-387.
(5) Voyage au mont Caucase et en Géorgie, Paris 1823. t. 1, p. 261.
(6) Voyage dans la Russie méridion. Paris 1826, t. 2, p. 870.
(7) V. Wiseman Diss. cit. p. 85, seqq.
(8) Ibid.

(1) Epist. ad Philadelph. c. 3.
(2) V. Wiseman dissert. cit. sez. 4.
(3) Matth. 23, 15 : Οὐαὶ ὑμῖν . . . . ὅτι περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηρὰν ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον· καὶ ὅταν γένηται, ποιεῖτε αὐτὸν υἱὸν γεέννης διπλότερον ὑμῶν.
(4) Catholic. miscell. Mai. 1825, p. 227 et p. 296; Heber op. cit., t. 3, p. 463, seqq.
(5) Diss. cit.

scribebat S. Hieronymus, isti fovent inimicam suam, id est, carnem suam.

Inst. : Saltem in dubium revocari nequeunt progressus quos religio christiana ingentes fecit Protestantium missionariorum operâ in insulis Sandwichianis, quæ jacent in Oceano Pacifico, necnon in aliis insulis ejusdem maris *socialibus* nuncupatis, quæ sub illorum culturâ ita profecerunt, ut altera Paraquaria jure dici possint. Ergo. — Resp. : Dist. : Id est, operâ missionariorum Protestantium dissipatæ sunt optimæ illorum populorum dispositiones, concedo; Religio propagata est, nego. Nempe tum rex ac principes illarum regionum, utpotè optimâ indole prædiți, subditos suos ab idololatriâ abduxerant, interea ministros religionis christianæ exoptaverant atque petierant ab Anglis, qui ad ipsos Protestantes missionarios, puritanos præsertim, miserunt. Sed simul suum influxum virtutemque illùc intulerunt ejusmodi Apostoli (ut plurimùm sutores, sartores, etc.), illicò omnia permiscuerunt ac perturbârunt, seditionem, ignaviam, inertiam omniumque vitiorum colluviem quacumque disseminârunt. Sanctè adeò instruebant suos proselytos, ut Sandwichianorum rex Riho Riho, qui à quinque annis jam baptismo lustratus erat cùm Londini mortuus est, et polygamiam sectaretur et incestum; inter cæteras enim uxores suas habebat propriam sororem, quam secum in Angliam duxerat, quæque Londini pariter defuncta est (1). Eos non secùs ac Pomarem regem insularum *socialium* pœnituit, quòd accerserint ejusmodi prædicatores, qui veluti grando ac ventus urens omnia mala secum in illas insulas detulerunt ex confessione ipsorummet protestantium (2). Hinc novi sunt accersiti missionarii, catholici nempe, qui eò appulerunt an. 1827; atque ex tabulis, quæ an. sequenti ad nos pervenerunt, colligitur eos citò cœpisse tot infortuniis illorum incolarum occurrere, protestantes omnem ferè influxum jam amisisse in illos populos, et florere jam religionem catholicam (3). Ecquid aliud hæresis nisi desolationem ac mortem producere potest? Fructus vitæ nonnisi veritas potest afferre.

(1) Annal. de l'association, etc., n. 21, juillet 1830, p. 286.
(2) Times, 20 sept. 1830, rev. 70, p. 609.
(3) Annal., etc., ib., p. 275, seqq.

AN EXTRA CATHOLICAM ECCLESIAM DETUR SALUS.

(EODEM AUCTORE.)

PROPOSITIO. *Culpabiliter in hæresi vel schismate vel incredulitate ex hâc vitâ decedentibus nulla salus esse potest.*

Hæc propositio, quæ sectarios omnes et incredulos valdè commovet, non solùm ex Scripturæ auctoritate ac perpetuo et constanti Ecclesiæ catholicæ sensu, verùm et ex ipsâ ratione apertissimè constat, ita ut cæcus sit oportet, qui ejusdem veritatem non videat. Jam verò, ut patet ex ipsius propositionis enuntiatione, de iis hìc tantùm agitur, qui *culpabiliter* vel in hæresi vel schismate, aut incredulitate versantur, seu de iis qui *formales*, ut aiunt, sectarii sunt, minimè verò de *materialibus*, ut præfertur, seu de iis, qui ab infantiâ erroribus ac præjudiciis imbuti sunt, quique nec dubitant quidem se in hæresi vel schismate versari, vel si quod dubium in ipsorum mentibus exsurgit, toto corde ac sincero animo veritatem inquirunt : hos enim ad Dei judicium remittimus, cujus est cordium cogitationes habitusque introspicere atque scrutari. Dei enim bonitas et clementia non patitur quempiam æternis cruciatibus addici, qui voluntariæ culpæ reus non sit. Contrarium affirmare esset contra expressam Ecclesiæ doctrinam (1).

(1) Huc enim referri possunt propositiones in Baio proscriptæ, nempe 68 : « Infidelitas purè negativa in « his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est; » et 67 : « Homo peccat damnabiliter etiam

Porrò contumaces adversùs Ecclesiæ definitiones, vel pertinaciter ab Ecclesiæ unitate divisos, salutem

« in eo, quod necessariò facit. » Item 39, etc.; quæ licet præcisè sint de infidelibus negativis, ratio tamen eadem est quoad hæreticos, qui invincibili ignorantiâ laborant. Sed audiatur S. August. : « Qui sententiam « suam, ait, quamvis falsam atque perversam, nullà « pertinaci animositate defendunt, præsertim quam « non audaciâ suæ præsumptionis pepererunt, sed « à seductis in errorem lapsis parentibus accepe- « runt, quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, « corrigi parati cùm invenerint, nequaquàm sunt in- « ter hæreticos deputandi. » Ep. 43, edit. Maur. al. 162, cons. præterea tract. 45, in Joan. et in lib. de util, cred. c. 1, edit. Maur. t. 8, lib. de hæres. ad *Quod vult Deum*, c. 1, circa finem, etc. Sic cæteri Patres, quos longo agmine citare possem, qui in eàdem sententiâ sunt. Quare meritò Suarez de fide, etc., disp. 19, sect. 3, ubi quærit « utrùm sit de ratione hæresis « ut voluntariè et cum pertinaciâ committatur. » Resp. n. 1 : « In primo puncto hujus articuli generaliter « sumpto nulla est difficultas : certum est enim de ra- « tione hæresis esse, ut voluntariè fiat. Ita docent « *omnes theologi*, D. Thom. 2-2, q. 11, a. 2, et 1 p., « q. 32, a. 4, et *reliqui scholastici*... et *Patres antiqui*, « etc. ; » et n, 9, : « Primò statuendum est *pertinaciam* esse de ratione hæresis. In hoc fundamento « conveniunt omnes doctores allegati..... et meritò, « quia *expressè in jure canonico traditur*, etc. » Cons. ex recent. Bergier, diction. art. *hérésie*, église § 5, item De la Forest, Méthode d'instruction pour ramener les prétendus Réformés à l'Église Romaine. Rome 1817, second entretien, p. 25, seqq. — Card. de la Luzerne évang. du 19e dim. après la Pentec. Blanco

obtinere non posse, seu in perpetuum damnatum iri satis apertè Christus declarat, sive cùm apud Matthæum inquit : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (1); sive cùm apud Lucam ait : *Qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit me* (2); vel apud Marcum : *qui verò non crediderit condemnabitur* (3); ac demùm apud Joannem : « *Qui non credit jam judicatus est* (4). Quare apostolus Paulus hæreticos dicit *subversos* et *proprio judicio condemnatos* (5), et Apostolus Petrus eos vocat *magistros mendacii, qui introducunt sectas perditionis, Dominum negant, superinducentes sibi celerem perditionem* (6). S. Joannes passim eos vocat *antichristos* (7), *seductores* (8), qui propterea sollicitè discipulos suos admonet, ut caveant ab ejusmodi seductoribus, scribens : *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis. Omnis qui recedit et non permanet in doctrinâ Christi, Deum non habet* (9). Apostolus Judas eos vocat *illusores quibus procella tenebrarum servata est in æternum;* (10) *et hos quidem*, addit, *arguite judicatos* (11) : quæ quidem omnia ita sunt perspicua, ut commentario non egeant.

Patres apostolici his principiis inhærentes, eorum vestigia perquàm diligenter sectati sunt, et quemadmodùm Apostoli Simonianos, Nicolaitas, Cerinthianos, Phantasiastas, Ebionæos ab Ecclesiâ expulerunt, iisque pœnas æternas, nisi resipiscerent, denuntiârunt, sic eorum discipuli ac successores Menandrianis, Basilidianis, Saturnianis, Marcosianis, Valentinianis, Gnosticis cæterisque illius ætatis novatoribus ac protestantibus easdem æternas pœnas comminati sunt (12). Ita SS. Ignatius, Polycarpus, Irenæus, Justinus, Theophilus, etc. Ex quibus S. Ignatius : *Ne erretis*, inquit, *fratres mei. Si quis schisma facientem sectatur regni Dei hæreditatem non consequitur. Si quis in alienâ sententiâ ambulat, iste passioni non consentit*, cujus quidem assertionis hanc rationem reddit : « *Quotquot enim Dei et J. C. sunt, hi sunt cum episcopo. Quotquot autem pœnitentiâ ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et isti Dei erunt;* alibi S. martyr hæreticos vocat *feras humanam formam præ se ferentes, patronos mortis magis quàm veritatis, abnegatos à Christo, Christum ignorantes, quos nonnisi rarò ac difficulter ad pœnitentiam converti affirmat;* docet præterea *mortiferum eos propinare pharmacum, quod qui ignorat libenter cum voluptate noxiâ mortem accipit; à quibus propterea omnes custodiendos sollicitè admonet.* Ita quidem de hæreticis sui temporis Ignatius. S. Polycarpus verò adeò ab hæreticis abhorrebat, ut cùm audiret aliquas adversùs receptam doctrinam novitates, obturatis sibi auribus, exclamaret : *Deus bone, quæ me in tempora reservàsti, ut hæc sustinerem? Atque statim è loco fugiebat, in quo stans aut sedens ejusmodi sermones audisset* (1). S. Justinus non dubitat hæreticos vocare *atheos* et *impios*, *injustos* et *exleges* (2), sed præterea addit eos esse, quos Christus prænuntiaverat *lupos* indutos pellibus ovium, *pseudochristos*, *pseudoapostolos*, fidelium seductores, eosque appellari eorum nomine, à quibus secta quæque et opinio ortum habuit « nonnulli enim, « ait ipse, vocantur Marciani, alii Valentiniani, alii « Basilidiani, alii Satorniliani, alii aliud vocabulum « habent ex suæ quisque sectæ principe (3); » et Judæorum pseudoprophetis comparat qui quæ ab impuro spiritu diabolo sunt mentibus suis injecta, docuerunt et etiam docent (4). S. Theophilus, cùm perbellè Ecclesias sanctas per orbem dispersas insulis frugiferis comparâsset aquâ salubribus, stationibus ac portubus munitis, ut iis qui tempestate jactatis perfugio esse possint, ad quas proinde, qui salutem consequi cupiunt, veritatis facti amatores se recipiunt; hæreticas verò sectas insulis saxosis et inaquosis, infrugiferis, ferarum plenis, ad perniciem navigantium et tempestatem subeuntium appositis, in quibus naves conteruntur, et qui appellunt penitùs pereunt, concludit : *Ita se habent erroris doctrinæ, hæreses dico, ad quas qui accedunt omninò pereunt* (5). Ita quidem Patres apostolici unanimiter docent, à quibus hanc doctrinam pariter hauserint subsequentes Patres, ita ut omnes unius sententiæ hâc in parte sint, quin vel unus excipi possit (6).

Non est propterea, cur eorum testimonia hìc sigillatim exscribam; non possum tamen me cohibere, quin afferam nonnulla S. Cypriani dicta, qui non solùm docet Apostolos hæreticos execratos esse, non solùm graphicè eos describit, gladiis ac venenis eos subruere veritatem adstruit, negat esse christianos et multos secum trahendo decipere affirmat; non solùm vocat *pestes, bestias, fures, latrones, prædones, laniones*, aliisque non minùs probrosis nominibus compellat, sed præterea, quod non est sine animadversione præ-

Opuscoli storici critici, etc., t. 2, lettera sullo stato degli eretici e scismatici, etc., ut alios quàmplures præteream.

(1) 18, 17.
(2) 10, 16.
(3) c. ult.
(4) c. 3, 18.
(5) Ad Tit. 3, 10, 11
(6) 2 Pet. 2, 1.
(7) 1 Joan. 2, 18, 19, et alibi.
(8) 2 Joan. 7.
(9) Ib. 8, 9.
(10) Ib. 13.
(11) Ib. 22.
(12) Eus. Hist. Eccles. l. 4, c. 7.

(1) Ap. Eus., l. 5, c. 20.
(2) Dial. cum Tryph., n. 35.
(3) Ib. Satis porrò est ut protestantes subrogent propriæ sectæ denominationes, nempe Lutheranos, Calvinistas, Zwinglianos, Socinianos, etc., et patebit se ib. esse descriptos τίνες καλούμενοι Μαρκιανοί, οἱ δὲ Οὐαλεντινιανοί, οἱ δὲ Βασιλιδιανοὶ οἱ Σατορνιλιανοί, καὶ ἄλλοι ἄλλῳ ὀνόματι ἀπὸ τοῦ ἀρχηγέτου τῆς γνώμης ἕκαστος ὀνομαζόμενος.

(4) Ib. n. 82. Α' πὸ τοῦ ἀκαθάρτου πνεύματος διαβόλου ἐμβαλλόμενα ταῖς διανοίαις αὐτῶν ἐδίδαξαν, καὶ διδάσκουσι μέχρι νῦν. Videant hìc Lutherani præsertim num hæc quadrent in Lutherum cùm scriberet librum *de Abrogandâ Missâ privatâ*.

(5) Lib. 2, ad Autolycum : Οὕτως εἰσὶν ἐδιδασκαλίαι τῆς πλάνης, λέγω δὲ τῶν αἱρεσεῶν, αἳ ἐξαπολλύουσι τοὺς προσιόντας αὐταῖς.

(6) Ita S. Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, cæterique omnes.

termittendum, causam aperit et originem hæreseon omnium atque repetit ex eo, quòd caput Ecclesiæ non quæritur, primatus Petri contemnitur, et cathedra ac ecclesia una et episcopatus unus deseritur. « Asserentes, inquit, noctem pro die, interitum pro « salute, desperationem pro obtentu operis, perfi- « diam sub prætextu fidei, antichristum pro vocabulo « Christi, ut dùm verisimilia mentiuntur, veritatem « subtilitate frustrentur. Hoc eò fit, fratres dilectis- « simi, dùm ad veritatis originem non reditur, nec « caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina ser- « vatur. Quæ si quis consideret et examinet, tractatu « longo atque argumentis opus non est. Probatio est « ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Do- « minus ad Petrum : *Ego dico tibi*, etc. » (1) Et cùm hæreses, prosequitur, et schismata postmodùm nata sint, dùm conventicula sibi diversa constituunt veritatis caput, atque originem reliquerunt, nempe Romanum pontificem de quo locutus fuerat. Demùm concludit, « : Tales (hæretici et schismatici) « etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, ma- « cula ista nec sanguine abluitur.... esse martyr non « potest, qui in Ecclesiâ non est, ad regnum perve- « nire non potest, qui eam, quæ regnatura est, dere- « linquit (2). »

Vix tamen opus est auctoritate ad veritatem hanc adstruendam, cùm ratio ipsa evidenter eam evincat : quicumque enim peccati alicujus lethalis reus est, et cum ejusmodi noxâ ex hâc vitâ decedit, perpetuam damnationem incurrit : atqui peccatum lethale et quidem gravissimum est voluntariè schismati vel hæresi aut incredulitati adhærere, veritatem à Deo credendam propositam respuere, legitimam et divinitùs institutam auctoritatem contemnere, Ecclesiam non audire, et privatum sensum pertinaciter adversùs Ecclesiæ doctrinam sequi. Ergo.

Atque hinc factum puto, ut Protestantes ipsi, qui nunc nobis succensent ob istud dogma fidei catholicæ, quod propugnamus, nullam videlicet dari salutem extra Ecclesiam catholicam, ad hæc ferè tempora id ipsum docuerint. Licet enim semper fluctuantes fuerint circa molestam ipsis quæstionem, num catholici salvi fiant : ac modò affirmaverint, modò negaverint, attamen certò certius est plures ex ipsis, Starkio protestante referente, spectare propriam Ecclesiam seu veriùs sectam veluti *solam operantem salutem* (3); ac Sulzer testatur se adhuc invenisse in quodam mandato magistratûs Tigurini in Helvetiâ an. 1740, quòd Ecclesia reformata dicta fuerit *sola operans salutem*, quin etiam observat Henricum Dodwellum docuisse sec. XVII, *sola membra ecclesiæ episcopalis* posse spem certam habere perveniendi ad æternam beatitudinem (4) : quæ doctrina omnes profectò reformatos, presbyterianos cæterosque omnes, ut ipsi vocant, *non-conformistas* excludit ab æternâ salute. Ecclesia anglicana adhuc retinet Symbolum athanasianum nuncupatum, quod certè excludit à salutis consecutione omnes unitarios, methodistas, rationalistas, imò et Græcos schismaticos negantes Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere. Recens minister protestans affirmat se plures novisse ministros Anglicanos dicentes non posse sibi persuadere eos, qui in Trinitatem non credunt, posse salvari (1). Quo fundamento autem id sentiant diversæ protestantium sectæ, prorsùs ignoro; cùm æquè novatores omnes sint atque ex eodem principio independentiæ religiosæ progenitæ, multò minus intelligo, quare tot fidei confessiones cuderint et recuderint, quas jam inde à suo tempore recensebat Bossuetius (2), quibus novus et satis prolixus catalogus addi posset. Sed operam perderet, qui cohærentiam in protestantibus quæreret. Id solum ex dictis colligo, nullam esse rationem cur nobis adeò irascantur, dùm docemus, quod ipsorum sectæ ad hæc usque tempora docuerunt. Quòd si ipsi postea mutârunt sententiam, ut in cæteris omnibus, numquid et nos Catholici mutare debemus? Error mutari potest, veritas non potest (3).

(1) De unit. Eccles.
(2) Ibid.
(3) Entretiens philos., etc., p. 405.
(4) V. Vérité et Amour par Sulzer, p. 199, seq.

(1) Anct. opusc. « Quelques réflexions sur la ma- « xime chrétienne : hors de l'église il n'y a point de « salut. » Paris 1827. Vid. etiam Lessius in append. ad tract. consultat. de religione, etc., c. 1, q. 2, rat. 8.

(2) Hist. des variat. præsertim lib. 3, § 1 seqq. lib. 8, §§ 16, 17, 63, lib. 9, §§ 86, 87, lib. 10, §§ 58, 68, etc.

(3) Sed rursùm hìc adnotare debemus perplexitates, et arbitrariam docendi ac sentiendi rationem in Babele Protestantium, inter quos alii adeò januas cœlorum aperiunt, ut velint ipsas patere non solùm hæreticis, etc., sed etiam ipsis idololatris, ut ex adductis documentis evincitur; alii adeò illas occludunt, ut aditus non pateat vel ipsis laborantibus invincibili ignorantiâ, ut ex cit. op. Starckii patet. Alii accusant catholicam Ecclesiam veluti barbaram, eò quòd profiteatur extra proprium sinum nullam dari salutem, et ita porrò. Jam verò neque in præsentiâ inter Protestantes desunt, qui adhuc doceant extra propriam sectam nullam esse salutis spem. En quomodò scribat D. Harms : « Extra Ecclesiam (Lutheranam) non est « salus. Neque approbare possumus, si quis nostrùm « ad *catholicam* aut reformatam Ecclesiam transeat « non obstante initâ societate, de quâ supra); nam « apud nos est selectissima Ecclesiastica institutio « (quis dubitet?). Potiùs verò quàm ut aliqui no- « strùm in rationalisticam unionem conveniant (quæ « tamen est fructus naturalis protestantismi) conce- « dere possumus, ut Judæi fiant, etsi hoc cæteroquin « legibus civilibus sub capitis pœnâ vetitum sit ». Einige Winke, etc., id est : « Nonnulli nutus et « exhortationes de rebus ad Ecclesiam spectantibus » Kiel 1820. Theremin verò sic concionatur : « Jus alios « damnandi utique nos habemus, nam scriptum est : « *qui non credit jam judicatus est.* Et quare illos non « damnabimus, quos Deus ipse damnavit? » Predigten, etc., seu Conciones, vol. 2, Berol. 1819. Professor Gotting. Elvers : « Quia et nos, sicut Lutherus, « inquit, pericula in Ecclesiâ catholicâ non ignora- « mus, et firmam salutis spem *in solâ fide* in hâc « Ecclesiâ nunquàm doceri aut teneri videmus : de- « bemus et nos sicut Protestantes, majores nostri, « huic adhærere sententiæ, non quòd omnes Catholici « æternum damnentur, nam tam terribile judicium « nobis nunquàm arripuimus (et si arriperent, parùm

Sequitur autem ex dictis I. Quàm malè propriæ consulant saluti, qui effutiunt *probi hominis* non esse deserere eam religionem, in quâ unusquisque natus est et enutritus. Idololatræ enim, Islamitæ, etc., hanc eamdem exceptionem facere potuissent, vel etiam possent adversùs Apostolorum et Ecclesiæ prædicationem. Si probi hominis non est deserere religionem in quâ quisque natus est, cur igitur Protestantes tot Biblia, tot impensas, tot labores insumunt in missionibus quas tanto studio atque impetu promovent? Ast inde solum ejusmodi principium inter Protestantes invaluit, quia cùm viderint suas sectas ubique dilabi, ac plures quotidiè ex ipsis ad Ecclesiam catholicam se recipere, ejusmodi commentum effutierunt, ut per hunc saltem inanis honoris prætextum sectarii retinerentur. Sanè nihil potiùs probro esse potest homini honesto ac ingenuo, quàm non amplecti veritatem, cùm ipsius menti affulget, et velle in proprio errore cognito et detecto persistere. Quanquàm, ut veriùs dicam, hæretici, schismatici, et increduli accedendo ad Ecclesiam catholicam, inter matris amplexus denuò *redeunt*, quam ipsi vel eorum majores per summum nefas deseruerunt.

Sequitur II. Unumquemque pro viribus teneri dubia, quæ interdùm sibi suboriuntur, discutere et veritatem inquirere, eamque statim amplecti, cùm eam deprehendit, quin velit in gravissimâ habituali noxâ vitam degere, ac damnationis æternæ evidenti periculo sese exponere, moras nectendo ad conversionem.

Sequitur III. Non solùm gravissimi criminis reos illos esse *qui veritatem Dei in injustitiâ detinent*, quique quæstum faciunt ex animarum damnatione, verùm etiam eos omnes, qui omnem diligentiam non adhibent in inquisitione veritatis, ac negligunt negotium maximi momenti, qui propterea sibi solis imputare debent æternæ damnationis reatum si ex ipsorum culpabili vel socordiâ, vel morâ, ac præcipuè orationis neglectu veritatem non agnoscunt, et ad Ecclesiæ sinum non redeunt.

Difficultates.

I. Obj. : Apostolus scribit : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit.... uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.... si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Unde sic : Qui ædificant super fundamentum Christi fœnum et stipulam, ii profectò sunt, qui doctrinas fortè erroneas docent : atqui tamen asserit Apostolus eos tantùm probandos esse quasi per ignem, non verò æternis cruciatibus plectendos. Ergo.

Resp. : Nego maj. Etenim hæretici non superædificant, sed destruunt et subvertunt fundamentum Christi, ut patet ex v. 17, quos *destruet Deus*, ut addit Apostolus : in adductis igitur verbis loquitur de iis doctoribus, qui reipsà superædificant ; ac docet, eos qui doctrinam germanam et solidam tradunt consecturos esse mercedem ; eos verò, qui vanam, inutilem et ad captandam gloriam prædicant, operam perdituros, et operis jacturam esse passuros (1) ; haud dissimilem interpretationem adducti testimonii exhibet ipse Rosenmuller.

II. Obj. : 1° Licet sectarii errent ab Ecclesiâ dissentiendo, attamen certâ persuasione ducuntur, se veritatem tenere et obsequium præstare Christo. 2°, Sanè, subdit Courayerius (2), hæresis est semper error involuntarius, propterea præ culpis omnibus veniâ digna est. Nemo voluntariè errorem profitetur ; quòd si criminis gravitas à libertate electionis dimetienda est, concludamus oportet, hæresim omnium culparum minimam esse. Ergo.

Resp. ad primum, dist. : Certâ persuasione, at erroneâ atque ex mentis arrogantiâ ac pervicaciâ profectâ, concedo ; persuasione prorsùs innocuâ, nego. Hæresis crimen non consistit præcisè in solâ mentis aberratione aut ignorantiâ, sed in pervicaciâ voluntatis, quæ sese opponit Ecclesiæ magisterio, ex quâ fit, ut privatum judicium quis præferat auctoritati legitimæ à Christo institutæ, ut suo loco vidimus, quod proinde includit perduellionem, et est omnium criminum in genere suo gravissimum. Cæterùm etiam qui occidebant Apostolos et martyres putabant se obsequium præstare Deo, quin propterea excusabiles essent.

Ad secundum, nego juxta dicta, et sic corruit tota Courayerii argumentatio, quæ laborat, ut præfertur, falso supposito.

I. Inst. : 1° Inhumanum planè ac durum est ob opinionum diversitatem, infinitam propemodùm hominum multitudinem sempiternis cruciatibus addici, quorum cæteroquin non pauci charitate, et evangelii zelo flagrant ; eò magis 2° quòd principium istud de nullâ salutis spe extra Ecclesiam catholicam decedentibus contrarium charitati sit, et inducat in animum perpetuum odium adversùs proximum. Ergo.

Resp. ad primum : Dist. ant. : Et hæretici præcisè ob meram opinionum diversitatem æternùm punientur, nego ; ob contumacem resistentiam Ecclesiæ doc-

« tali judicio Catholici commoverentur), sed quòd « protestans, qui Ecclesiam suam relinquit, et catholicam fidem amplectitur, veram Evangelicam fidem « (nego suppositum) non inquirendo, neque sibi illam « adsciscendo, salutem suam æternam magno exponit « periculo (hui quibus scrupulis tanguntur !), prout « et protestans pater filios catholicè instituendo, « ipsorum æternam salutem dubiam reddit. » Ita in Ephem. univ. Eccles. 1827 n. 189.

Novissima *agenda borussiana* continet et Symbolum athanasianum quod sic incipit : « Qui salvus fieri cupit, rectam præ omnibus christianam (Symbolum « dicit *catholicam*) fidem habeat oportet. Qui illam « non omninò integram aut puram habet (qualem vidimus teneri à Protestantibus, qui Scripturas rejiciunt, Apostolos accusant, et Christum ut seductorem habent et enthusiasten, etc.) absque dubio in « æternum peribit ; » sic verò implicit : « Hæc est recta « christiana fides ; qui ipsam firmè et fideliter non « tenet, salvus fieri non potest. »

(1) Cons. Bernardinus à Piconio, h. l.

(2) Not. 119, ad lib. 1 Hist. conc. Trid. Pauli Sarpii.

trinæ, ac voluntariam perduellionem, concedo. Hoc verò posteriori sensu inhumanum ac durum esse quempiam damnari nemo affirmare poterit, quin dicat inhumanum ac durum esse hominem lethalis peccati reum ejusmodi damnationi subjacere. Cùm præterea, ut ex probationibus patet, Christus et Apostoli ita docuerint, jam non est quòd quis opponere queat hoc durum esse, quin Christi ipsius doctrinam reprehendat velut injustam, ipsumque ore blasphemo arguat iniquitatis, quòd sine causâ æternas pœnas comminetur. Resipiscant, redeant unde discesserunt, et jam nulla erit ratio querimoniæ, quòd si nolint atque idcircò æternùm pereant, id sibi imputent. Quòd si impunè quisque ac pro lubitu innovare posset in rebus fidei, jam actum esset de fide ipsâ et de unitate à Christo institutâ. Quod verò attinet ad zelum et charitatem, quâ plures inter suos flagrare prædicant, jam vidimus quid censuerit S. Cyprianus, cui addimus S. Augustinum de hæretico atque schismatico voluntario scribentem : *Foris ab Ecclesiâ constitutus et separatus à compage unitatis, et vinculo charitatis æterno supplicio punieris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris* (1).

Ad secundum, nego, nisi contra charitatem esse quis contendat quempiam admonere de mortali periculo, si cœptum iter insistere pergat. Cæterùm Ecclesia nunquàm non omnium sive hæreticorum sive schismaticorum sive incredulorum conversionem ac resipiscentiam exoptat atque efflagitat enixis ad Deum precibus, eos adhortari non desinit, ipsorum ruinam luget; veritas enim nescit odisse nisi errorem, ac diligit errantes quia charitas est (2).

II. Inst. : Ad salutem consequendam satis est honestè vivere, opera misericordiæ in proximum exercere; et sanè Christus in extremo judicii die minimè sententiam feret in præscitos, quòd malè crediderint, sed ex eo potiùs quòd malè vixerint : *Esurivi enim*, inquiet, *et non dedistis mihi manducare*, etc. (3) Ergo.

Resp. : Nego ant. : Tum quia Christus apertè dixit : *Qui non crediderit, condemnabitur*, cum reliquis, quæ adduximus in probationibus. Non sufficit proinde honestè vivere, prout olim pagani et ipsi dicebant, teste S. Augustino, qui propterea sub hoc prætextu recusabant Religionem christianam profiteri, sed necesse præterea est vivere vitâ supernaturali, quæ per fidem unicè haberi potest : *Sine fide enim impossibile est placere Deo;* et *justus ex fide vivit.*

Ad prob. autem dist. : Quia Christus partialem et inadæquatam causam damnationis exposuit, concedo; totalem et adæquatam, nego. Alioquin et mœchi et ebriosi, fures, etc., imò et Hebræi et Islamitæ et idololatræ, qui recensita opera misericordiæ exercerent, salvarentur, quod est absurdum. Voluit itaque illis verbis Christus ostendere solam fidem sine operibus ad salutem minimè perducere, secùs ac docuerit Lutherus Protestantium parens (1), sed necessaria præterea esse opera bona, ut quis salvus esse possit; dicente eodem Christo : *Qui non credit, jam judicatus est* (2).

III. Inst. : Hujus seculi sapientia æquo animo ferre non potest immania ejusmodi dictata 1° quæ Dei ipsius indignam prorsùs ideam ingerunt; 2° procul proinde amandandum est istiusmodi ignorantiæ ac superstitionis figmentum, cum quo nec philanthropia, nec mutua vivendi consuetudo, nec ipse humanitatis sensus consistere possunt (3).

Resp. : Dist. ant. : Et nos debemus componere ac temperare fidei doctrinam ad cujusque ætatis sapientiam, seu *sapientia* seculi debet esse fidei regula, nego; lux et sapientia Christi, concedo. Si deberemus fidem accommodare pravæ hujusmodi regulæ, actum omninò esset de fide ipsâ, imò et de præceptis Decalogi, quandoquidem nec ista ferre potest, saltem in nonnullis præceptis, mundana illa sapientia. Hanc sapientiam relinquimus Protestantibus, Rationalistis et incredulis omnibus, qui cùm sibimetipsis sint et sapientiæ et legis norma, possunt pro lubito mutare quod ipsis placet; nobis non alia affulget lux, quàm ea, quam attulit Christus in mundum, seu in seculum tenebris obvolutum cui olim plures restiterunt; nunc verò plures eam à se quotidiè repellunt, utpote minùs accommodatam ipsorum cupiditatibus, ut aliam lucem luci Christi omninò contrariam sectentur. Apostoli aliter docuerunt, aliter sensit tota antiquitas, atque ipsi Protestantes, donec nova lux philosophica ipsis

(1) Ep. 173, cl. 204, ad Donat. Presbyt. edit. Maurin.

(2) Cùm doctus quidam protestans feriâ 6 maii hebd. officiis divinis nostris interfuisset, ad teneras effusasque Ecclesiæ catholicæ preces, quibus ipsa Deum orat pro *catechumenis, hæreticis et schismaticis, judæis, paganis*, pio quodam enthusiasmo veluti extra se raptus non potuit se cohibere quin exclamaret : *Date huic infantem vivum; hæc est enim mater!* 3 Reg. 3. V. Feller. Catech. philos. § 495. *n. a.*

(3) Matth. 25, 42.: Ἐπείνασα γάρ, καὶ οὐκ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν.

Hic error, quem nonnulli sapientes neoterici Protestantes velut novum proferunt, antiquissimus est; etenim Apelles hæreticus seculi II, inter cætera docebat, « non esse omninò examinandam fidem; sed « unum quemque in eo, quod semel imbibisset, per« sistere oportere; quippe eos, qui in Crucifixo spem « suam collocâssent, servandos esse affirmabat, « dummodò in bonis operibus deprehenderentur » Euseb. Hist. Eccles. lib. 5, c. 13.

(1) Hinc receptum illud ejusdem Lutheri effatum quod ei exprobrat ipsemet Gotius : *Pecca fortiter et crede fortius.* Vid. opp. Luth. edit Wittemb. tom 6, fol. 160, à quo dogmate, ut patet ex adducto nuper testim. Elvers prof. Gott. nondùm recesserunt Lutherani, etsi omnem fidem abjecerint; imò observat Cobbet (ep. 7, § 199) hanc unicam fuisse doctrinam in quam convenerint omnes illustres reformatores Ecclesiæ catholicæ, nempe *bona opera inutilia esse ad salutem*; et sanè, prosequitur ipse, eorum vitâ ratio comprobabat sinceritatem talis professionis, quia nemo erat inter ipsos, qui carnificis manum non sibi promereretur. Et hìc interim rursùm notetur cohærentia et unitas Protestantium *ex quibus* alii docent ad salutem sufficere solam fidem sine operibus, alii opera sola sine fide. Feliciter!

(2) Joan. 3, 18 : Ὁ δὲ μὴ πιστεύων ἤδη κέκριται.

(3) Ita cit. Anonym. auct. Quelques réflexions, etc.

affulsit, ut ex dictis patet, imò ut proprium est eorum qui nullam regulam sequuntur, ad aliud extremum plures protestantes accesserunt excludendo à consecutione salutis illos etiam, qui ex invincibili ignorantiâ sectæ, ab illâ, quam ipsi profitebantur, diversæ adhæserunt (1).

Ad primam prob., nego. Alioquin dicendum foret ideam Dei prorsùs indignam ingerere dictatum, quo adstruitur Deum æternis pœnis illum plectere, qui culpæ gravis reatu irretitus ex hâc vitâ discederet, quod nemo nisi incredulus aut insanus dicet; talem verò esse ostendimus eum, qui culpabiliter hæresi vel schismati, aut incredulitati adhærens, migrat ex hâc vitâ.

Ad secundam prob. pariter, nego quòd superstitionis ac ignorantiæ figmentum dicendum sit dogma istud, quod apertè adeò in revelatione continetur, atque in illo puro verbo Dei scripto, quod unicè pro regulâ habere Protestantes gloriantur. Sed ita est, quoties istud verbum Dei purum et scriptum aliquod continet quod cum istorum principiis consistere non potest, vel rejiciunt vel eludunt ejusmodi sapientes, quibus magis placent vana philosophiæ seu incredulitatis commenta, quàm Christi doctrina. Quod attinet ad philanthropiæ atque humanitatis sensum cum quo doctrina ista consistere nequit juxta adversarios, jam diluimus in responsione ad secundum.

Et hæc sunt argumenta, seu potiùs declamationes, quas solidis adeò rationum momentis in re tam gravi opponunt sectarii, qui sic committunt negotium æternæ salutis subjectivæ suæ persuasioni; quid si deciperentur? Ipsi viderint.

(1) Hinc Leibnitius fassus est « Ecclesiam Roma- « nam *longiùs quàm Protestantes* progressam *non ab- « solutè damnare eos*, qui sunt extra suam commu- « nionem. » Cons. opp. Leibnit. collectio per Ludov. Dutens tom. 1 oper. Theol. Genevæ 1768. *Tentamina Theodiceæ* p. 1, § 96, ubi observat, quòd cùm aliàs hoc posuerit ob oculos cl. Pelissoni, perinde ac sententias plurium TT. Cathol. præsertim celeberrimi P. Friderici Spée, ipsum minimè abnuisse.

DE TOLERANTIA.

(EODEM AUCTORE.)

Propositio. — *Tolerantia religiosa est impia et absurda.*

Duplex distinguitur tolerantia politica seu civilis, et theologica seu religiosa, quarum prima dici potest extrinseca, altera intrinsecca. Tolerantia politica est libertas, seu facultas quam princeps vel respublica tribuit civibus eam profitendi religionem, quam quisque maluerit; religiosa est expressa vel tacita professio veritatis omnium religionum omniumque sectarum, quâ scilicet quilibet tenet religiones omnes aut sectas æquè veras ac bonas, hominique proinde omnes æquè salutares esse. Juxta istud principium nulla religio vel secta potest aliam tanquàm falsam accusare ac respuere, atque inde oritur *indifferentismus*, quem vocant, erga religiones omnes utpote quæ tum veræ, tum bonæ, tum divinæ cùm esse possint, perinde est unam potiùs quàm aliam profiteri et sequi. Nos hìc de tolerantiâ politicâ non disserimus, dantur enim nonnulla rerum adjuncta, in quibus ea non modò licita, sed etiam necessaria est.

Porrò tolerantiam religiosam impiam atque absurdam esse evincimus 1° ex eo quòd per eam inutilis planè evaderet revelatio : si enim religiones omnes sive christianæ, sive antichristianæ æquè bonæ sunt ac salutares, ad quid Deus voluntatem suam hominibus patefecisset? Ad quid supplicia comminatus esset in eos, qui ejus resisterent voluntati? Nonne illusoria omnia ista forent? At verò, *non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur : dixit ergo et non faciet, locutus est, et non implebit* (1)?

Evincimus 2° ex eo quòd in tali hypothesi duæ vel plures darentur veritates sibi invicem contrariæ : hoc verò absurdum esse nemo non videt; etenim veritas individua est ac simplicissima, nec ipsi opponi potest nisi error et falsitas. Veritas necessariò excludit errorem et falsitatem, ut lux tenebras expellit, neque cum iis consistere ullo modo potest.

3° Ex eo quòd tunc Deus æquè patrocinaretur veritati et errori, et æquè diligeret et salvaret eos qui ipsi obsequerentur et eos qui voluntariè et culpabiliter ipsi resisterent, rejicerentque veritates à se credendas propositas; et propterea, quod consequens est, Deus esset indifferens ad veritatem et falsitatem, ad virtutem et vitium, ad obedientiam ac perduellionem. Quod esset destruere ipsam Dei notionem, atque inducere Deum Epicuri.

4° Ex eo quòd Christus, si sermo præsertim sit de diversis christianorum sectis, auctor fuisset et revelator omnium contrariarum opinionum, quæ reperiuntur in diversis his ac propè innumeris sectis non solùm divisis ab Ecclesiâ catholicâ, sed etiam à se invicem. Christus propterea se Deum esse et non esse revelàsset; vel saltem indifferens esset ad utrumque, sive adoraretur ut Deus, sive haberetur ut simplex creatura, et sic de cæteris; ac licet ipse quidpiam docuerit, nihil ipsum referret, etsi quisque contrarium omninò doceret ac sentiret, et hoc non ex

(1) Num. 24 19.

ignorantiâ, sed ex voluntariâ perfidiâ ac contumaciâ. Quæ quidem omnia aliaque non pauca, quæ urgeri possent, non solùm falsam et impiam, idcòque in Deum contumeliosam, sed et absurdam ejusmodi tolerantiam evincunt, utpote et revelationi ac rectæ ipsi rationi contrariam.

Quod et ipsi protestantes ad hæc ipsa fermè tempora viderunt. Hinc tot ipsorum synodi, in quibus se ad invicem ejusmodi protestantismi frustula seu sectæ anathematizabant (1); *hæreticos* alii alios vocabant, atque alienos à salute (ac rectè si alias unquàm, hâc saltem vice et verè); hinc antiquioribus prætermissis, anno 1828, in Hibernià celebrata est synodus à presbyterianis, in quâ proscripti sunt novi Ariani atque Unitarii, ac nova proinde inter ipsos scissio facta est (2). Neque his contenti, ut capitalis criminis reos Protestantes passim insectati sunt eos, qui diversa à propriâ sectâ sensa profiterentur. Innumera suppeditat historia protestantismi exempla eorum, qui sic vexati, dilaniati ac combusti etiam sunt (3). Loquor porrò de Protestantibus à Protestantibus ipsis neci traditis. Nam quod attinet ad Catholicos, notum est protestantismum, nullâ sectâ exceptâ, constans et atrox bellum à suis incunabulis movisse adversùs Catholicos, quod adhuc in diversis eorum provinciis perdurat, non obstante systemate nuper ab ipso inducto de tolerantiâ universali, quæ ita semper intelligenda est, ut excipiantur Catholici, quos adhuc non pauci Protestantes profitentur se odio habere, et factis reipsà ostendunt (4). Quorsùm verò hæc omnia, quorsùm apud eos zelus proselytismi et missionum, si omnes religione, æquè bonæ sunt ac Deo eâdem ratione sunt acceptæ, vel si saltem Deus indifferens est erga quamcumque professionem? Si quilibet salvari potest in suâ, ut aiunt, confessione, quare igitur ipsi solliciti sunt de propriâ augendâ sectâ, et eos acriter persequuntur, qui ad catholicam Ecclesiam redeunt? Velint igitur nolint protestantes, et dictis et factis ostendunt, se saltem in praxi aliter omninò tenere, conscientiâ scilicet obluctante, quæ dictat impiam ac absurdam esse ejusmodi tolerantiam religiosam, quam nunc ipsi comminiscuntur.

Atque ex his infertur I. Tolerantiam religiosam universalem certam afferre perniciem omnibus religionibus, quas, dùm supponit æquè veras esse, hoc ipso declarat omnes æquè falsas vel saltem dubias.

Infertur II. Tolerantiam ab iis solùm propugnari posse, qui nullam vel religionem vel fidem habent, nempe ab Atheis, Deistis, Protestantibus, qui cùm nunquàm in incerto non sint, quærunt, per hanc persuasionem, quamdam conscientiæ tranquillitatem ac pacem, quam aliter obtinere non possunt; et sanè à protestantibus præsertim proclamari hæc tolerantia cœpta est, postquàm rationalismus ac nova philosophia apud ipsos invaluit, quæ omnem revelatam religionem è medio tollit. Hinc demùm eam inierunt veluti societatem in quâ recudere, ut ita dicam, trium præcipuarum Ecclesiarum, seu priorum emendatorum Lutheri, Zwinglii atque Calvini, reformationem nisi sunt.

Infertur III. Pacem et tranquillitatem, quam *indifferentistæ*, seu *tolerantes* sectantur, non esse veram animi quietem, sed languorem soporemque vix aut ne vix quidem ab ipsâ morte dissimilem : placent nempe istis tenebræ, aut saltem non displicent mors et exitium : placet ipsius mortis ac sepulchri tranquillitas : atque his quidem mentis animique morbus eò sanè gravior atque insanabilior est, quò magis negligitur, ignoratur et latet. Quid enim agas cum homine, qui sanari renuit, qui ægrotare se negat, qui, imminente jam morte, incolumem se ac tantùm non immortalem arbitratur? *Desperata est plaga ejus*, ut Michææ verbis utar.

Infertur IV. Talem potissimam causam esse, cur omnes sive deistæ, sive sectarii adeò abhorreant ab unanimi catholicorum voce : *Extra Ecclesiam catholicam nulla salus*. Lethifero siquidem somno correpti nolunt ab hoc, quem amant, sopore expergefieri; hinc veluti

(1) Jam plura superiùs documenta dedimus. Consul. Bossuet, l. c.

(2) Revue cathol. 15 fév. 1830. *Irlande*, synode d'Ulster.

(3) Recolantur exempla paulò ante prolata.

(4) Non solùm antiquitùs sed et inpræsentiarum protestantes profitentur intolerantiam adversùs Ecclesiam catholicam. Sic enim legitur in op. Lichtblicke von Protestanten, etc., id est : « Lumina à protestantibus agnita, vel novissimæ confessiones pro veritate factæ ab ipsius adversariis per doctorem Fr. Brenner. » Bambergæ 1830. p. 44. « Si protestantes nullibi jam sunt concordes, in Religionem catholicam uniuntur, communem rem esse constituunt illam à se arcere atque impugnare; ipsique quamvis liberalissimi, in aciem se sistunt, ut pugnam plenius inflamment, dirigant, atque prælientur. » Et sanè in folio litterario Jenæ 1820, num. 11, 13 : « Sincerus protestans, dicitur, non potest indifferens esse, si quis confessionis suæ particeps infidelis evadit (id est, catholicus fit); talem moralem corruptionem oportet cum irâ et indignatione omnis immoralitatis considerare. » Et Dr. Krug. in op. Die Kirchenverbesserung, etc., id est : « Ecclesiæ *melioratio* (reformatio), seu pericula protestantismi. » Lips. 1826, protestantibus principibus acclamat : « Protegite potenti brachio vestro libertatem evangelicam tantâ cum difficultate acquisitam. » Sic Dr. Espe in op. *die Hoffnung des siéges*, etc., id est : Spes victoriæ protestantismi in innovatâ pugnâ cum rom. Ecclesiâ, Lips. 1827. « Vincendum nobis est, inquit; hoc, amici, verbum signale omnium sit, qui ex persuasione nostræ adhærent Ecclesiæ, quando vel per verbum, vel, si nos cogunt, per factum contra adversarios in arenam descendamus. » Finem verò huic declamationi seu diatribæ imponit jurejurando æternæ pugnæ adversùs Romanam doctrinam; quod per subsequens *amen* confirmatur. Hoc verò scriptum coronâ donatum est. Omitto quæ in novissimâ berolinensi *Agenda*, seu liturgia leguntur, ne nimius sim. Interea ex his habetur specimen odii perpetui protestantismi in Ecclesiam catholicam. Nec mirum; aliter enim esse nequit.

Dùm verò vel hìc vel alibi de odio Protestantium aut sectarum in Ecclesiam catholicam verba fecimus, intellectum id volumus *de spiritu*, ut præfertur, *sectæ*, non autem de singulis individuis. Nec enim abnuimus non deesse inter sectarios ipsos sive ex privatis sive principibus viris eos, qui catholicos colant, ac omni comitate etiam ac favore prosequantur.

ii, qui non tam mente quàm corpore ægrotant, ipsi medico irascuntur, non aliter isti, dùm unanimiter nunc tolerantiam religiosam proclamant, catholicos indignantur, eosque acriter persequuntur, eò quòd in eamdem sententiam minimè conveniant. Non tamen ideò ab hoc pietatis officio desistere debemus, sed potiùs quasi tuba extollere vocem nostram : hæc enim vox dùm illos, licet invitè, turbat et anxios tenet, potest fortasse ipsis salutare pharmacum præbere. Dubium enim et conscientiæ turbatio in iis, qui errorem sectantur, solet esse primus ad veritatem gradus. Dolendum planè vehementissimè, quòd nonnulli neoterici scriptores, nescio quo falsæ pietatis obtentu, vel inani spe ducti, in iis præsertim regionibus in quibus maximè malum crevit ac præstantissimo remedio opus est, vix audeant apertè hoc fidei nostræ dogma tueri ; imò illud ita infirmare contendunt, ut omnem vim suam amittat (1), ex hàc porrò pessimâ agendi ratione fit, ut isti protestantes nullum percipiant emolumentum ex ejusmodi temperamentis, veritas potiùs prodatur, et vacillantes catholici in extremi exitii periculum adducantur (2).

Difficultates.

I. Obj. : Deus delectatur rituum et cæremoniarum quibus colitur varietate, quemadmodùm homines fructuum et florum in hortis, principes officiorum et ministrorum multitudine in regiis ædibus, vel imperatores multarum urbium ac gentium multiplici obsequii genere gaudent. Ergo.

Resp. : Nego ant. in sensu adversariorum ; ut enim una veritas, ita una est vera religio, cui superstitio è regione adversatur, ut error opponitur veritati. Jam verò Deus, qui veritas est, errore et falsitate delectari nequit, nec proinde diversitate religionum. Diversitas florum in hortis, et officiorum in ædibus principum nullam arguit oppositionem, sed mirifica est in eumdem finem conspiratio. Sic etiam diversum obsequii genus potest imperatori placere, si ea obsequii varietas componi possit cum obsequio ipso, secùs verò si pugnet. Atqui veritas cum errore, religio cum superstitione componi nequeunt, quemadmodùm non componitur contemptus cum obsequio, obedientia cum contumaciâ (1).

II. Obj. : 1° Publica tranquillitas postulat, ut quisque patriam religionem sequatur ; 2° nam, si secùs agat, nec reipublicæ, nec principum legibus præstabit obsequium ; 3° hinc multa bella, seditiones et clades catholicorum intolerantia peperit. 4° Quòd si religio patria colenda non est, si unica est christiana Religio, in quâ salus obtineri possit, ergo crimen est pœnâ æternâ dignum, quòd quis fide et revelatione careat, de quâ nihil unquàm audivit (2). Quod cùm absurdum sit, sequitur 5° eum, qui falsam religionem profitetur, quam veram putat, tum culpâ liberum esse, tum Deo placere posse, non secùs ac illum qui veram religionem profitetur ; Deus enim ex intentione operantis judicat omnes. In omnibus proinde religionibus Deus æquè coli potest, ac salus æterna obtineri (3).

Resp. 1° ad primum : Posse ejusmodi argumentum adversùs Deistas retorqueri et adversùs omnes hæreticorum antesignanos seu primos reformatores : publica tranquillitas postulat, ut nemo agat et scripta in lucem emittat contra religionem patriam ; ergo Deistæ, ac primi protestantes, qui tot scripta edidêre contra patriam religionem seditiosi fuerunt, et in Deum ipsum peccârunt.

Resp. 2° : Directè dist. ant. : Publica tranquillitas postulat, ut quisque religionem patriam sequatur, si vera sit, concedo ; si falsa, nego. Nunquàm enim debent homines assentiri mendacio ; nec principes jus ullum habent recipiendi falsam religionem, cùm ipsi præsertim ad veram religionem complectendam teneantur (4). Cæterùm licet nemo possit religionem

(1) Inter hos non infimum locum obtinet Franc. Oberthur in suâ ideâ biblicâ Ecclesiæ Dei, Solisbaci 1828, in quâ, vol. 1, p. 1, hæc leguntur : « Quo pertinet quòd hodiè magis, quàm olim, plurimi christianorum gravem experiantur luctam inter sensum humanitatis, nunc multò, quàm aliàs, acutiorem, dissidentes in religionis theoriâ, ac diversarum Ecclesiarum vel confessionum, ut vocant, homines excusantem, atque ab omni, quem inde contraxisse *videri possent*, *reatu* absolventem ; et ex alterâ parte inter conscientiam, illum in publicis fidei symbolis articulum : *Extra Ecclesiam non est salus*, metuentem. » Cui quidem luctæ novâ, quam ipse aperuit, viâ, consulere se posse arbitratus est ; p. 65, scribit Apostolum docere « ut salutem quis adipiscatur, non interesse, *cujus Ecclesiæ sit membrum*, sed quàm justus ; » p. 68 : « Fidem verò.... scripturâ monente interpretamur esse *religionem sinceram hominis* ; » p. 79, « profitetur consilium suum hoc esse ut pharisaismo occurrat, quo quis confidit salutem obtinere per solam professionem externam suæ religionis, cæterosque despicere, *qui alieni sunt à propriæ sectæ communione* ; » p. 100, repetit Ecclesiæ unitatem 1° ab uno fundatore ecclesiæ J.-C. 2° Ab uno totius Ecclesiæ fundamento, Apostolorum doctrinâ. 3° Ab uno externo ejusdem professionis communi symbolo, baptismate. Quo sensu quælibet secta posset sibi vindicare unitatem. Hoc opus à capite ad calcem scatet doctrinis novis, erroneis, depromptis magnâ ex parte à protestantibus. Quid mirum proinde si auctor in proœmio ad cit. 2 editionem, p. 10, jactet elogia, quæ suæ huic lucubrationi tribuerunt relationes, quæ à Protestantibus Gottingæ scribuntur ? Et sanè sæpiùs citatum ac laudatum hoc opus est à scriptoribus protestantibus, biblicis et rationalistis.

Sic probari non possunt, quæ in hanc sententiam habet Marianus Dobmayer in suo Systemate theologiæ catholicæ, Solisbaci 1811, t. 4, p. 195.

(2) Hàc enim ratione fit ut timore depulso, ipsi transeant ex unâ in alteram communionem, ac si ageretur de transitu de unâ in aliam scholam aut academiam : quemadmodùm non pauca luctuosa exempla testantur infirmorum scilicet quorumdam catholicorum.

(1) Cons. Segneri Incredulo senza scusa, p. 2, cap. ult.

(2) Rousseau Emile, t. 3.

(3) Ita Baylius in comm. phil.

(4) Peropportunè hoc animadvertit The catholic miscellany Jun. 1826. Tabula ibi apponitur mutationum in religionis professione quibus subjacere debuit Henricus Jenckins in provinciâ Eboracensi sectando religionem præscriptam à legibus civilibus cum quibus unum ferè ac idem est facta. Henricus Jenckins ortus an. 1501, vivere desiit an. 1670, cùm vixisset an.

falsam suscipere, etsi illa humanis legibus præciperetur, ac prohiberetur vera religionis professio, pax tamen servanda est, nec ordo publicus perturbandus: sola in ejusmodi casibus resistentia quæ passiva dicitur, est opponenda, prout religio docet, ac primi Christiani in praxim deduxêre (1). Quod si fiat, nullum tranquillitati publicæ detrimentum affertur, etiamsi falsa patria religio non observetur.

Ad secundum, dist.: Is reipublicæ legibus obsequium denegat, quia nec potest obsequi, nec tenetur, concedo; secùs, nego. Tales enim leges sunt essentialiter nullæ, Deo enim opponuntur. Tunc enim quispiam homini obedire tenetur, ubi Deo ipse contraria non præcipit; *oportet enim Deo magis obedire quàm hominibus* aliquid contra Deum præcipientibus.

Ad tertium, dist.: Et ista bella, seditiones, cædes ad summum exorta sunt ex intolerantiâ civili; transeat. Ex intolerantiâ religiosâ, nego. Si quid enim probaret adversariorum argumentandi ratio, evinceret nonnulla esse et locorum et rerum adjuncta, in quibus toleranda est à principibus seu reipublicæ moderatoribus religionum diversitas, quod minimè diffitemur; quanquàm bella et seditiones, de quibus adversarii loquuntur, aliam omninò causam à religione diversam habuisse suo loco ostendimus (2).

Ad quartum, nego sequelam. Perperàm siquidem colligit Rousseavius culpam in eo esse, quòd quis fide et revelatione destitutus sit, de quâ nihil unquàm audivit. Nam juxta catholicæ Ecclesiæ doctrinam, si quis ignorantiâ invincibili veræ fidei laboret, is neque in culpâ est, neque propterea pœnæ obnoxius. Deus enim impossibilia non jubet. Hinc theologi docent infidelitatem negativam non esse peccatum (3).

Ad quintum, dist.: Quam veram putat invincibiliter, concedo; vincibiliter, nego. Quare rursùm negamus Baylii sequelam: *Ergo in omnibus religionibus Deus æquè coli potest;* alioquin sequeretur Deum æquè coli sive ab iis, qui humano sanguine et obscœnis ritibus falsa numina colunt, sive ab iis, qui legitimum cultum vero Deo exhibent, quod tamen adeò horrendum dictu est, ut ipsorum incredulorum aures offendat.

III. Obj.: 1° Quilibet videtur admittere religiones omnes veras esse hoc sensu, quòd ipsæ sint totidem idiomata, quibus creatura infirma exprimit obsequium, gratum animum et amorem suum erga dominatorem universi. Quæcumque demùm sit ipsius ignorantia vel barbaries, quicumque sint errores, in quibus illius mens obvolvitur, ipsius obsequium semper ad Deum dirigitur; semper Deus totius universi ille est, qui illud recipit, quocumque nomine id ipsi offeratur. Gentes silvestres ac barbaræ agnoscunt actionem Dei in fulgure, quod iram et minas patefacit, benevolentiam in pluviâ, quæ campos fecundat, providentiam in febri, quæ vires debilitat, atque in cortice peruanâ medicinali, quæ eas restituit. Quærunt hunc Deum, ac putant se eum invenisse in tuguriolis suis, vel intra proximam silvam. Sæpè in saxo informi, in arboris trunco, in ave arbitrantur eum invenisse. Stolidè profectò ipsæ decipiuntur; attamen dùm ad hæc objecta convertunt preces, ens invisibile mente revolvunt, vel ens cujus actio est invisibilis, magis potens quàm homo sit, quod remuneratur vel punit, ejusque protectionem implorant. Sed hoc *esse* solum in mundo est. Ita quidem Sismondi (1), cui consonat Benjaminus Constant, dicens: 2° « Omnes cultus diversi exprimere non de- « bent nisi sensum omnibus communem (2). » Ergo.

Resp. ad primum, dist.: Si invincibiliter ignorent, quali obsequio Deum honorare debeant, concedo; si Deus manifestaverit modum, quo velit honorari, illisque innotescat, nego. Certè si Deus non manifestâsset voluntatem suam circa modum quo coli ab hominibus velit, quâcumque demùm ratione homo exprimat venerationem suam et obsequium creatori, dummodò cum rectâ ratione non pugnet, rectè fungitur munere suo. Ast si homini innotescit hic modus, quem Deus præscripserit, jam ipse non potest pro lubito suo Deum colere; alioquin fieret inobedientiæ reus. Quare jam concidit tota superstructa moles illius argumenti, seu potiùs poeticæ descriptionis, quam subdit Genevensis hic auctor. Silvestris enim ac rudis ille homo, quem sibi fingit quærentem Deum suum in tugurio, vel silvâ, etc., est *esse*, ut ita dicam, abstractum, ac difficile est, imò impossibile, ut si ejusmodi homo cæterorum utitur consuetudine, non possit deprehendere errorem suum, vel lux saltem aliqua ei identidem interiùs non affulgeat, Deum creatorem universi non esse vel truncum vel saxum, ac si sincerâ mente, et prout oportet, Deum quærit, Deus certò præstò illi erit, internâ saltem illustratione ad eum erudiendum, ne in tam turpem idololatriam corruat. Hinc receptum illud adagium in scholis: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Quare tam rudis ignorantia quæ invincibilis sit, vel non datur, vel diuturna saltem non erit. Hinc diversum tulit judicium Apostolus Paulus circa ritum seu cultum idolo-

169, ab an. 1501 usque ad an. 1534, sub Henrico VII, et Henrico VIII, an. 33; catholicus ab an. 1534 ad an. 1547, sub eodem Henrico VIII, an. 13, partim catholicus, partim anglicanus ab an. 1547 ad 1553, sub Eduardo VI, an. 6, anglic. ab an. 1553 ad 1558, sub Mariâ, 5 an. cathol. rursùm ab an. 1558 ad 4 an. 1649, sub Elisabethâ, Jacobo I, et Carolo I, an. 91, anglic. ab ann. 1649 ad ann. 1653 interregnum, fanaticus. Ab ann. 1653 ad ann. 1660 sub Cromwel an. 7, presbyterianus; demùm ab an. 1660 ad an 1670, sub Carolo II, annis 10, anglicanus. Id est, debuit octies mutare religionem; quod si id non est ludere in negotio salutis, ac Deum et homines contemnere, profectò quid sit nescio. Tale porrò esset principium Rousseavii

(1) Illustre hujus agendi rationis præbuerunt exemplum milites christiani sub Juliano Apostatâ, qui licet scirent facilè futuros se totidem victimas superstitionis hujus imperatoris, si victor è Perside rediisset, attamen fortiter alacriterque pugnabant adversùs imperii hostes.

(2) P. 1, n. 367.

(3) Recolantur quæ superiùs allata sunt ex propositionum Baii proscriptione, S. Augustino, etc.

(1) In Revue encyclop. Paris 1826, Janv. art. opin. religieuses.

(2) De la religion, etc., lib. 1.

latricum, eosque, qui *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum et serpentum* (1); nec sufficit ut cultus interpretativè, ut aiunt, referatur in Deum unicum et verum, nisi id ex ignorantiâ inculpabili fiat, si tamen dari posset, sed requiritur, ut apertè atque, ut loquuntur scholæ, *formaliter* in verum Deum dirigatur; aliàs vel ipsa turpissima idololatria, quæ victimarum sanguine vel obscœnis ritibus sordescit, in Deum dirigeretur, eumque coleret ac honoraret.

Ad secundum, dist. : Diversitate accidentali et innocuâ, concedo; essentiali ac perniciosâ, nego. Omnia ejusmodi systemata à Protestantibus vel incredulis excogitata evanescunt, si lenocinio verborum, quibus concinnata sunt, expolientur.

Inst. 1° : Christianus sibi conscius suæ fallibilitatis nunquàm vi adiget cæteros ad propria sensa admittenda; id enim non aliud esse arbitraretur, nisi ipsos in æternas pœnas conjicere : nonnisi invito animo poterit à propriâ communione eos repellere, qui, ipso latente, forsan meliùs et rectiùs, quàm ipse, sentiunt, quosque fortè Jesus ipsi præfert. Semper reverebitur sensus fratrum suorum, nunquàm eos ut hæreticos habebit, nunquàm odio prosequetur, nunquàm ob ipsorum fidem rejiciet. Ita minister Genevensis Chastel, qui præterea refert 2° Ecclesiam Genevensem declarâsse, vere christianos esse eos omnes, qui admittunt Deum, Jesum Christum et Scripturas (2); hinc subdit : 3° Omnes reformati, quicumque demùm sit modus quo interpretantur Scripturas, debent se considerare ut fratres, repellere à se anathemata, schismata, controversias, ac se invicem in Christo ut fratres diligere ac revereri. 4° Quod attinet ad catholicos, si nos eos à communione nostrâ rejicimus, non propter ipsorum dogmata vel ritus id facimus, sed tum propter spiritum intolerantiæ, quam profitetur ipsorum Ecclesia, tum propter eorum dependentiam ab auctoritate humanâ, etc. (3). Ergo.

Resp. ad primum : Dist. : Christianus protestans, concedo; catholicus, nego. Certè nullum jus habet protestans, si velit sibi esse consentiens, ac fidelis principio reformationis, cæteros erroris accusare, vel repellere, vel anathematizare, fidei confessionem exigere, etc., cùm omnes et singuli Protestantes eodem jure gaudeant, quibus

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas ;

quòd si secùs fecerunt eorum majores, violârunt ejusmodi jus, prout violavit omnium primus Calvinus dignus eorum parens dùm igni damnavit Servetum, eò quòd hoc jure uti voluerit, licet admiserit et ipse Deum, Jesum Christum, et Scripturas, ac proinde verus esset Christianus juxta declarationem Ecclesiæ Genevensis; quod pessimum exemplum cæteri reformati secuti sunt usque ad hanc epocham, in quâ primum totum systema protestantismi ejusque spiritum agnoverunt. Ipsis propterea gratulari debemus. Ast Catholicus, qui ab auctoritate infallibili instituitur, ejusmodi commixtiones ac fœdera, quæ erroris tantùm propria sunt, nec facere nec inire potest, alioquin jam non Catholicus.

Ad secundum. Quæ ecclesia Genevensis rursùm jure suo usa est in hâc declaratione, et emendavit suos emendatores; non longè abest forsitan illud tempus, quo eadem ecclesia declarabit Christianos eos etiam, qui rejiciunt Scripturas, ut plures jam reformati faciunt, ut ex dictis suo loco patet. Islamitæ ex declaratione Ecclesiæ Genevensis veri christiani sunt, nam et ipsi admittunt Deum, Jesum Christum (ut magnum prophetam sicuti Ecclesia Genevensis), et ex parte saltem, scripturas. Magnam amplitudinem per hanc declarationem Ecclesia Genevensis adepta est.

Ad tertium. Concedimus totum, sed interea petimus à ministro Chastel, num suis irenicis, quo nomine volunt appellari, congruere possint, quæ de hæreticis sui temporis scribebat Tertullianus : « Pacem « quoque, ait ipse, cum omnibus, miscent. Nihil enim « interest illis licet diversa tractantibus, dùm ad unius « veritatis impugnationem conspirent (1); schisma « est unitas ipsis (2). » Adeò verum est hæreticos, seu protestantes omnium seculorum eodem spiritu duci !

Ad quartum, dist. : Quin tamen propterea Catholici conquerantur, concedo; quasi conquererentur, nego. Non debet adversarius noster cum suâ Ecclesiâ Genevensi sollicitus esse de catholicorum sensu propter ejusmodi communionis denegationem. Nam eam Catholici nec quærunt, nec ambiunt, atque utpote intolerantes etiam ultrò oblatam respuerent, ut humanæ, quam ipse vocat, auctoritati subesse pergant.

Inst. 1° : Ast religio non est dogma : ipsa consistit in relatione hominis cum Deo suo, minimè verò in illâ Dei notione, quam sibi quisque efformat, vel in verbis, quibus eam exprimit. 2° Religio est quædam animi affectio, non autem scientia; ipsa enascitur ab expressione amoris (3). Ergo.

Resp. ad primum, dist. : Ita tamen ut dogmata credenda proponat, concedo; secùs, nego. Religio utique in se non est nisi moralis virtus, quæ hominem inclinat ad Deum debito cultu prosequendum; at objectum istius cultûs sunt etiam dogmata, quæ Deus revelavit ac credenda proposuit. Qui enim renuit fidem Deo revelanti ac per Ecclesiam revelationem proponenti adhibere, iste Deum profectò, ut decet, nullâ ratione colit; atque in hâc fide præcipuè consistit tanquàm in suâ radice ac fundamento tota relatio, quam homo habet cum Deo suo, qui veram sui notionem homini manifestavit, et ut plurimùm verba quibus eam exprimat.

Ad secundum, nego. Hæc siquidem animi affectio

(1) Rom. 1, 23. Καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν οὗ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνους φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν.

(2) Op. cit. de l'usage des Confessions, etc., p. 81 et p. 106.

(3) Ibid

(1) De præscript., c. 41.

(2) Ib. c. 42.

(3) Sismondi, l. c.

non est nisi fructus, et effectus quem religio producit, non autem religio ipsa. Notiones rerum confundi non debent, alioquin orietur confusio. Sic expressio amoris non est nisi affectus, quem inspirat ipsa religio, non verò ab ipsâ enascitur religio, quæ absolutè stare potest absque ejusmodi expressione.

IV. Obj. : Deus ipse commendat tolerantiam religiosam ; 1° Deus enim, inquit Salvador (1), creare voluit cœlum ac terram in bonum omnium hominum. 2° Fœdus inivit cum Noe cunctorum hominum parente. 3° Moyses neque allexit neque impulit unquàm socerum suum ad reliquendos deos suos ; 4° bona Noemi dicebat nuribus suis : « Ite, revertimini ad populum vestrum et *ad Deos vestros* (2) ; » 5° legati Jephte loquuntur non sine veneratione de Kamos Ammonitarum Deo (3) ; 6° Michæas progressus est eò usque, ut ratione formali ac positivâ prænuntiaverit tempora tolerantiæ generalis : « concident (populi) « gladios suos in vomeres... non sumet gens adversùs « gentem gladium... quia omnes populi ambulabunt « unusquisque *in nomine Dei sui :* nos autem ambulabimus in nomine (Jehovah) Dei nostri in æternum « et ultra. » Conf. Is. 2, 4. Ergo.

Resp. : Nego ant. Ad primum, dist. : In bonum omnium hominum creare voluit cœlum et terram, ut omnes homines, tantis beneficiis per eum cumulati, eum colerent ac digno obsequio et amore prosequerentur, concedo ; ut sic ostenderet sibi placere tolerantiam religiosam, id est, omnium superstitionum fœdissimarum cultum eumque probare, nego. Quis enim tam stultum nefas in animum inducat suum nisi atheus? Si quid valeret hoc argumentum, sive inductio Judæi philosophi Salvador, id etiam sequeretur, quòd nempe Deo placerent homicidia, furta, blasphemiæ, flagitiaque omnia, in quæ homines scelesti facilè adeò prolabuntur, cùm et pro ipsis creaverit Deus cœlum et terram, et *pluere faciat super justos et injustos.* Attamen adversarius noster id etiam præ oculis habeat, Deum nempe creâsse pariter paradisum et infernum, ut pro meritis post præsentem vitam decernat vel præmia vel pœnas. Deus quidem vult ex animo omnes homines salvos fieri, atque *ad agnitionem veritatis* venire ; quòd si homines desciscunt, si malunt cupiditatibus indulgere, et colere opera manuum suarum, et veri Dei, qui fecit illos, oblivisci, etsi creaverit pro ipsis etiam cœlum et terram, æternùm tamen, nisi resipiscant, à Deo punientur.

Ad secundum, dist. : Quatenùs nunquàm ampliùs diluvio esset homines perditurus sicut priùs, concedo ; ad cohonestandam tolerantiam religiosam, nego. Quin potiùs, ne vera religio oblivioni daretur, vel humanis commentis corrumperetur, elegit sibi Abraham ejusque posteritatem in populum peculiarem, cui commissam voluit revelationem suam, donec veniret plenitudo temporis, in quâ gentes ab erroribus revocarentur ad veri Dei cognitionem et amorem ; quod suo tempore ostendemus (1).

Ad tertium, dist. : Nunquàm allexit neque impulit socerum suum ad relinquendos deos, quos non habebat, concedo ; quos habebat, nego. Jethro enim erat cultor, imò sacerdos veri Dei, cui in deserto obtulit holocausta et hostias, ut patet ex libro Exodi (2). Non poterat proinde Moyses eum impellere ad falsos deos relinquendos. Cæterùm quòd non impulerit etiam ut sese cum populo Israel conjungeret, ac proinde profiteretur cultum Mosaicum, hoc falsum est, ut rursùm patet ex lib. Numerorum, c. 10, 29-31, ubi et semel et iterùm eum invitavit, multa bona ei promittens. Judaicane an potiùs philosophica est hæc fides integerrimini illius Salvador?

Ad quartum, nego prout profert Salvador, nunquàm enim dixit Noemi : *Ite, revertimini ad populum vestrum et ad Deos vestros* (3), sed solùm : *Rrevertimini, filiæ meæ, et abite ;* cùm verò discessisset ab eâ Orpha, altera ejus nurus, dixit Noemi ad Ruth : *En reversa est cognata tua ad populum suum et ad Deos suos, vade cum eâ*, ita ut sensus sit : Vade et tu in terram tuam, prout et illa perrexit, quæ quidem profata est Noemi, ut interpretes passim exponunt, ad explorandam Ruth constantiam atque animi propositum (4). Quid igitur ibi habetur, quod vel innuat tolerantiam religiosam?

Ad quintum, dist. : Id est, ad mentem Ammonitarum ac Moabitarum, concedo ; ex mente Jephte qui non credebat nisi in verum Deum, nego. Ut si nos argueremus adversùs Islamitam ac diceremus : Si tuus propheta Mahumedes hoc tibi præscripsit, etc., numquid hinc sequeretur nos habere Mahumedem, ut verum prophetam, vel de eo loqui non sine veneratione? Non puto. Talis verò est sensus legatorum Jephte (5).

Ad sextum, nego. Imò contrarium omninò vaticinatur, sensus enim est : Etsi omnes gentes ambulent in vanitate sensûs sui, falsos deos vel idola colentes, nos tamen semper ambulamus et ambulabimus in nomine Jehovah Dei nostri ; en quomodò verba Michææ vertit Rosenmuller, qui interdùm ab eo in medium profertur : « Nam omnes populi ambulant in « nomine Dei sui, nos verò ambulamus in nomine « Jehovah, Dei nostri in perpetuum et æternum (6) ; » qui præterea sic pergit exponendo sensum prophetæ : « Id est, quùm Jehovah vobis spem faciat tam præ- « claræ restitutionis, oportet vos bono animo stare, « et hâc promissione fretos pergere in vero ejus « cultu, utcumque aliæ gentes suis diis serviant, et « in suis superstitionibus superbiant ; » consonat

(1) Hist. des institutions de Moïse, p. 120.
(2) Ruth c. 1, 12.
(3) Jud. 11, 24.

(1) In tract. de Incarnatione.
(2) C. 18, 12.
(3) Sic enim Salvador refert verba Noemi : *Allez, retournez à vos peuples et à vos dieux ;* jam verò etiamsi recederemus à versione vulgatâ, hebraica veritas ita se habet : שבנה בנתי לבן

(4) Ita exponunt non solùm interpretes catholici, à Lapide, Tirinus, Calmet, etc., sed ipsi protestantes, ut videre est in criticis sacris ad h. l.
(5) Ita pariter hunc textum exponunt cit. interpretes.
(6) In h. loc.

Chaldæus paraphrastes, qui sic reddit citatum versum : « Etenim omnes populi ambulant juxta id, quod « idola colunt; nos verò confidimus in verbo Jeho- « vah, Dei nostri, in seculum et in secula seculo- « rum (1). » Hæc ignorare non poterat judæus auctor; ubi igitur est formalis, imò *formalissima*, ut ipse loquitur, et positiva prædictio futuræ alicujus tolerantiæ generalis (2)? Quare verò proferat auctor Isaiam, cap. 2, 4, non video, cùm ibi nec syllaba nec iota habeatur ad rem suam.

Inst. : Intolerantia civilis nullo modo distingui potest ab intolerantiâ religiosâ. Duæ enim hæ intolerantiæ sunt prorsùs indivisibiles : impossibile siquidem est pacificè vivere cum iis qui tanquàm inimici Dei habentur (1). Ergo.

Resp. : Nego ant. quoad omnes partes. Non solùm enim distingui possunt duæ istæ intolerantiæ, sed distingui omninò debent, ut distinguuntur et differunt inter se objectum temporale et spirituale. Regis enim seu magistratûs qualiscumque est pœnas in delinquentes contra incolumitatem reipublicæ decernere, vel eas infligere. Religionis est declarare eos, qui culpabiliter falsitatem vel errorem sectantur, extra viam salutis esse, et eos interea non solùm pati, sed amare, iis benefacere, atque omnimodè eorum salutem procurare ad exemplum Christi et Apostolorum qui non solùm pacificè vixerunt cum iis, qui pervicaces in suis erroribus erant, sed omni beneficentiæ argumento eos prosecuti sunt, ut eos sibi conciliarent. Eò magis quòd nos semper lateat, num isti aliquando non sint reversuri ad veritatem, ac resipiscant. Quamdiù vivunt, juvat spem aliquam alere de eorum conversione; quod non rarò felicem habet exitum.

(1) Ibid.

(2) En verba auctoris : « Il va jusqu'à prophétiser « de la manière la *plus formelle* et la *plus positive* les « temps de la tolérance générale : un jour tous les « peuples cesseront de combattre, et prendront plaisir à la paix; chacun marchera en invoquant le nom « de son Dieu; Israël toujours le nom de Jéhovah. » Perfrictæ frontis sunt ii, qui fidem omnem abjecerunt.

(1) Ita Rousseau, Emile, liv. 4, t. 3.

DUVOISIN VITA.

Duvoisin (Joannes Baptista), iis accensendus est viris quibus nihil defuit ut magnum ex omni puncto relinquerent nomen, si tempestate meliori vixissent. Doctoris infulâ donatus, à primâ ferè juventute professoris vices explevit in Sorbonâ. Dein Parisiacæ officialitatis promotor, censor regius, canonicus Antissiodorensis, Laudunensis canonicus ac vicarius generalis, hocce postremo munere defungebatur, cùm, ingruente civilium procellarum asperitate, extra Galliæ fines deportatus est. Ad Angliam primùm appulit, unde transiit Bruxellas, episcopum Laudunensem revisurus, demùmque Brunswici consedit, ut publicas matheseos humaniorumque litterarum lectiones recitaret. Pacatâ post *concordatum* anni 1801 Gallià, Duvoisin in patriam redux ad episcopatum Nannetensem evectus est, sibique adeò Bonapartii conciliavit benevolentiam, ut baronis titulo et honorariæ legionis stemmate ab eo insignitus fuerit. Utinam à formidando bellatore qui jam Europæ fata suo premebat ense, non alia fiduciæ pignora accepisset! Verùm compluribus immixtus est hujus temporis negotiis in quibus perdifficillimum erat terrestris heri gratiam æquè ac veritatis jura servare. Unus fuit ex quatuor episcopis deputatis ut S. pontifici Pio VII in Gallià captivo adessent. Cardinalibus etiam adjunctus ac episcopis quibus commissa cura de quibusdam difficultatibus sententiam cum rationum expositione ferendi; imò congressûs fuit plerùmque amanuensis. Tunc, si nonnullis fides, Religionis partes non equidem deseruit, sed molliori brachio tutatus est. Hujus in excusationem afferri tamen potest epistola paulò antequàm obiret ad Bonapartium scripta : *Imperatorem obtestor*, aiebat, *ut S. Pontifici restituat libertatem; cujus captivitas ultima vitæ meæ momenta conturbat. Mihi non semel contigit ut ipsi dicerem quantùm hâc captivitate doleat Christianitas universa, quàmque molestum foret si ea produceretur. Imperatoriæ felicitati necessarium esse mihi videtur, ut Sua Sanctitas Romam revertatur.*

Epistolæ mox citatæ nemo est qui non pios sensus incultamque simplicitatem miretur. Num verò sufficiat ad delenda omnimodò factorum quorumdam vestigia, incertum est. Audiamus hìc laudatum jam in primo Cursûs nostri theologici volumine scriptorem : « Hæc epistola, inquit auctor libri inscripti : *Mémoires pour servir « à l'histoire ecclésiastique du 18e siècle*, honori habenda est episcopo Nannetensi; nonne autem validior esse potuisset? In extremo hocce momento episcopum sanè decebat veritatem totam effari. Illâ igitur epistolâ haud « auferetur nota mollitiei eò minùs ignoscendæ, quòd multo ingenii acumine, multâ habilitate pollebat. »

Narrant de eo historiunculam quæ duplex est monumentum et leporum ingenii, et propè aulicæ comitatis quâ Bonapartio placere studebat. Civilis turbinis damna reparaturus, imperatorem deorabat ut ecclesiis Nannetensibus campana aliquot largiretur; quo penuriam ærarii opponente : *Eia*, inquit præsul, *æneo cuique tormento, quod bello occupaveris, denatur metalli libra una, et nobis plus quàm satis erit.*

J.-B. Duvoisin subitâ thoracis distillatione sublatus est, nonâ julii die, anno 1813. Lingonis natus erat decimâ sextâ die octobris anni 1744. Pleraque illius opera sermone gallico prodiêre : 1° *Dissertation critique de la vision de Constantin*, 1774, in-12 ; 2° *l'Autorité des livres du nouveau Testament défendue contre les incrédules*, Paris 1775, in-12 ; 3° *l'Autorité des livres de Moïse établie et défendue contre les incrédules*, Paris 1778, in-12 ; 4° *Essai polémique sur la religion naturelle*, Paris 1780, in-12 ; 5° *De verâ Religione*, Parisiis, 1785, 2 vol. in-12. In ultimo hoc opere collectæ sunt prælectiones theologicæ quas in cursu sorbonico publicè recitârat. Dividuntur in dissertationes quatuor, quarum prima habet de religione naturali ; secunda de religione revelatâ in genere ; tertia de religione judaicâ (inde multa expressimus quæ circa librorum sacrorum authentiam divinitatemque observantur); quarta de religione Christianâ. 6° *Examen des principes de la révolution française*, 1795, in-8° ; *Défense de l'ordre social contre les principes de la révolution française*. Londres 1798, in-8° ; 8° *Démonstration évangélique*, Brunswick 1800, et Paris 1802-1805. Postremæ editioni parisiacæ accessit tractatus de Tolerantiâ, gallico quoque sermone adornatus. Demonstratio evangelica, auctore Duvoisin, etsi immortali Abrincensis episcopi operi non præstet, utilior tamen est, utpote necessitatibus hodiernis aptiùs respondens.

ESSAI

SUR

LA TOLÉRANCE.

Toute religion peut être considérée, ou dans ses rapports avec Dieu, comme un moyen de l'honorer, et de conduire l'homme au bonheur d'une autre vie, ou dans ses rapports avec la société civile dont elle peut favoriser ou contrarier les intérêts.

Une religion dont les dogmes et les pratiques seraient en opposition avec la nature, les sentiments et les besoins de l'homme, avec les attributs et les desseins de Dieu suffisamment manifestés, ne serait propre ni à honorer Dieu, ni à conduire l'homme dans la voie du salut. Dieu, qui veut être adoré en esprit et en vérité, la réprouverait nécessairement, et l'homme, éclairé des lumières de la religion, ne pourrait s'empêcher de la condamner et d'en plaindre les sectateurs.

De son côté, le souverain ne doit pas tolérer dans ses États une religion dont l'esprit et l'enseignement seraient incompatibles avec les principes de la morale sociale et l'autorité du gouvernement.

Il faut donc reconnaître deux sortes d'intolérance : *l'intolérance religieuse*, qui consiste à rejeter, comme improuvée de Dieu, toute religion qui n'est pas la véritable, en laissant toutefois le jugement des consciences à celui qui seul en est le scrutateur ; et l'*intolérance civile*, qui consiste à proscrire la profession de toute doctrine et de tout culte opposé au bien de la société.

L'intolérance religieuse envisage les cultes dans leur rapport avec la vie future : l'intolérance civile dans leur rapport avec la vie présente. Le théologien examine une religion pour savoir si elle est vraie ou fausse, si elle vient de Dieu ou des hommes ; le souverain et l'homme d'État, pour savoir si elle est conforme ou contraire à l'intérêt de la société. Je dis à l'intérêt, et je n'ajoute pas aux lois de la société. Car la vraie religion, toujours d'accord avec les intérêts des peuples, peut se trouver en opposition avec des lois particulières ; et alors ce n'est pas la religion qu'il faut rejeter, ce sont les lois qu'il faut réformer.

L'intolérance religieuse et l'intolérance civile étant distinguées par leur objet et par leur motif, il est évident que l'une n'est pas une suite nécessaire de l'autre. Cependant on ne les a pas toujours distinguées. Les uns ont décrié l'intolérance religieuse, pour mieux établir la tolérance civile ; les autres ont combattu la tolérance civile pour justifier l'intolérance religieuse.

D'une part il est certain que le *tolérantisme* universel qui admet toutes les religions comme également bonnes, ou plutôt comme également inutiles, ne tend à rien moins qu'à l'extinction de tout principe religieux. D'un autre côté, l'on ne peut disconvenir que les droits de la conscience et la saine politique ne prescrivent des bornes à l'intolérance civile. En cette matière, comme en tout ce qui tient à l'ordre moral, il faut se défier des opinions extrêmes, et chercher le juste milieu où se trouvent toujours le vrai et l'utile. On se propose dans ce petit écrit de montrer que l'intolérance dont l'Eglise catholique fait profession n'a rien d'incompatible avec la tolérance civile, telle que la prescrit une sage politique ; et pour y parvenir, on croit n'avoir besoin que de se former une idée juste de l'une et de l'autre.

I.

DE L'INTOLERANCE RELIGIEUSE.

S'il existe une religion qui prétende remonter jusqu'à Dieu, et qui justifie son origine par des preuves de faits auxquelles la raison ne puisse se refuser, il faut tenir pour certain tout ce qu'elle enseigne; et si elle enseigne clairement que l'on ne peut être sauvé que par la croyance de ses dogmes et la pratique de son culte, il est manifeste que l'intolérance religieuse fait partie de sa doctrine.

Cette intolérance est un des caractères du christianisme, à l'égard des autres religions, et de l'Eglise catholique, à l'égard des communions chrétiennes qui se sont séparées d'elle ou par l'hérésie, ou par le schisme. Ce n'est pas que, dans la doctrine de l'Eglise, on soit coupable précisément pour n'être pas chrétien ou catholique, car il est de principe parmi les théologiens que l'ignorance et l'erreur invincible ne sont pas des péchés (1). Mais aussi nous faisons profession de croire, premièrement, que l'on ne peut être sauvé que par la foi en Jésus-Christ, et par les moyens de salut qu'il nous a laissés; secondement, que cette foi et ces moyens de salut ne se trouvent que dans l'Église catholique. De ces deux points, le premier est clairement enseigné dans tous les livres du nouveau Testament : l'autre se prouve, en montrant, contre tous les sectaires, que l'Église mère, de laquelle ils se sont séparés, a conservé seule le dépôt de la doctrine et des sacrements, et la succession du ministère institué par Jésus-Christ.

Il ne s'agit pas ici d'exposer les preuves sur lesquelles est appuyée la maxime fondamentale : *Hors de l'Église point de salut.* Nous ne voulons que la justifier contre les reproches de ces philosophes qui ne cessent de la présenter comme un dogme anti-social, fait pour armer les peuples contre les peuples, et pour troubler la tranquillité des gouvernements.

L'intolérance religieuse ne tend ni à diviser les peuples, ni à troubler l'ordre social. Que l'on juge le christianisme et par ses principes, et par les faits, on demeurera convaincu qu'il est plus propre qu'aucun autre système philosophique ou religieux à réunir tous les peuples par les liens d'une charité universelle. Une religion qui nous apprend que tous les hommes sont frères, qui nous ordonne d'aimer notre prochain comme nous-mêmes, et nous montre notre prochain dans le samaritain comme dans le juif, dans le gentil comme dans le chrétien, qui nous fait un devoir rigoureux de la soumission aux puissances, même hétérodoxes et persécutrices, qui ne veut conquérir que par la persuasion, et ne sait se défendre que par la patience : une pareille religion est bien éloignée de fournir des motifs, et même des prétextes de guerre.

Ad secundam respondemus : Qui talia agit, errore caligante obductus, imperio intemperanter utitur, principium autem non evertit : omnis auctoritas immoderantiæ capax est, quotiescumque errori subjacet; attamen legitimum in se retinet imperium.

Argumenta hæc evolvendi corroborandique causâ, excerptum fragmentum ex opusculis Muzzarelli *de Tolerantia* et *de Inquisitione* jam dictis inscribimus. (*Explicit annotatio.*)

O vos philanthropiæ legati præconesque, ore pleno boatis à Christo Jesu præceptum fuisse ut mitibus et benignis animis hæretici necnon apostatæ excipercntur; ast apostoli, apostolorum discipuli, primi pastores Christianique priscæ ætatis omni commercio civili cum hæreticis abhorrebant, quos popularium odiis scopum designabant. Vel ergo apostolis spiritus et mens Christi non innotuit, vel à Jesu Christo non originem repetit illa quam adeò studiosè ferventerque protegitis, tolerantia.

Quâ de causâ apostoli, eorum discipuli, priscique Patres civilem cum hæreticis scissionem fieri imperaverant? Ob scandali corruptelæque periculum, quod verè catholicis cum istis conversantibus ingruere potuisset. Directis illud verbis aperit D. Paulus ad Romanos, quos ab his seductoribus hortatur ut recedant : *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab eis; nam per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentûm.* (Rom. 16, 17 et 18.) Sic ergo argumentor : Ob periculum scandali vetârunt apostoli ne discipuli sui cum hæreticis pacta, colloquia, contubernium inirent; ergo scandali communicandi occasiones summo studio removebant à discipulis : si ergo coætanei eorum principes christicolæ fuissent, si religio christiana horum in imperiis præcipuâ auctoritate eminuisset, num sivissent apostoli irrepere sectarum omnium tolerantiam evidenter periclitante fide catholicâ? Insuper, apostoli, formidantes ne commercio hæreticorum labefactarentur christianorum ferventissimi, metune caruissent ne ad principes christianos lues ascenderet, quorum è fidelitate sæpius pendet totius fides populi? Annon exegissent ipsos principes ab his desciscere? Annon eos à lethali tolerantiâ deterruissent? Virine qui persecutionibus ingruentibus tali intolerantiâ hæreticos repudiârunt, in prosperis rebus seipsis amicissimos præstitissent? Virine diffisi virtuti discipulorum toto zelo flagrantium, ipsis confidere potuissent cùm remissiores fierent animi? Virine qui à se ne in discrimen scandali inciderent, communionem concivium arcebant, indistinctè omnes veritatis hostes admisissent, si auctoritate pollere ipsis esset concessum?

Breviter argumentemur : Apostoli, ut patet, Jesu Christi doctrinam servabant; atqui apostoli certissimè tolerantiâ omninò destituti erant; ergo Jesu Christi doctrina tolerantiæ adversatur. Denique, absque dubio principes, ut possunt, ad sequendum Christi doctrinam astringuntur; Christi verò doctrina absolutè tolerantiam explodit; ergo principes simul verè christiani verèque tolerantes sint, impossibile est.

His positis, quis mirabitur ad christianismum erc-

ctos principes ferreâ virgâ sæpius sui imperii hæreticos et ethnicos impetivisse, plaudentibus et hortantibus summis Ecclesiæ antistitibus? Constantinus hæreticos et schismaticos privilegiis exuit, servitutibusque onerari voluit. (*Inst. cat. de Sim., tit.* 23, 31, 46, *tit. de Hæret. C. Theod. leg.* 16, *c.* 40, 64, *et Just. in cod. tit.*) Concilia ipsorum prohibuit, et oratoria catholicæ Ecclesiæ ditioni adjudicavit (*Euseb. vit. Const. l.* 3, *c.*63). Theodosius Justinianusque vetuerunt ne testimonio juridico, testandi facultate, hæreditate, publicove munere frui possint hæretici. Honorius Arcadiusque legem in Manichæos Donatistasque indixerunt, quâ bonis, donationibus et hæreditate interdicebantur capessendis. Valentinianus eos urbibus exulare jussit, ne contagione populos labefactarent. Docent demùm concilia Toletana priusquàm solium ascenderent hispanos reges juramento se obligare ad eruendum ex imperio suo quemcumque non catholicum, et hæreticos Ecclesiæ tranquillitati infensos, acriter insectandum (Concil. Tolet. 6 et 8). Audiatur quid in historiis Theodoretus nobis retulit, ut videatur quid in hâc materiâ cautelæ principes christiani admiserant : *Constantinus Magnus, inquit, omni prædicatione dignissimus, qui primus omnium pietate ornavit imperium, cùm orbem terrarum adhuc furentem videret, dæmonum quidem sacrificia penitùs interdixit, horum tamen fana non evertit, sed occludi præcepit. Hujus quoque filii paterna vestigia secuti sunt. At Julianus impietatem restituit, et pristini erroris flammam accendit. Jovinianus verò, imperium excipiens, idolorum rursùs cultum prohibuit, et Valentianus quoque Magnus iisdem legibus rexit Europam. At Valens aliis quidem omnibus permisit religionem sequi quam vellent et iis servire quos haberent pro diis, solos verò insectatus est eos qui apostolica dogmata defendebant. Itaque toto ejus imperii tempore, et in aris ardebat ignis, et libationes atque hostias idolis offerebant, et epulas in foro celebrabant, et Bacchi orgiis initiati cum scutis currebant, canes dilaniantes, furentes, bacchantes, et alia agentes quæ magistri improbitatem ostendunt. Hæc omnia nactus Theodosius fidelissimus imperator radicitùs extirpavit et oblivione perpetuâ damnavit.* (Theod. hist. l. 5, c. 20). Quòd si hæc fuit catholicorum mens principum primitivis in seculis, redolente adhuc recenti christianismi ingenio, hosne pravarum cogitationum quis insimulabit? quis zelum eorum pro tyranni rabie, pro violento superstitionum afflatu nunc habebit?

Erraret autem qui eorum ditionis esse tam momentosas res existimaret. Hos enim ad condendas leges illas sanctissimus quisque et doctissimus Ecclesiæ stimulabat antistes. In exemplum prodeat quod D. Ambrosius Juniori imperatori Valentiniano rescripsit. Symmachus præfectus, à senatu romano legatus, suppliciter postulaverat ut priscis honoribus dignatæ restitueretur ara Victoriæ. Quibus auditis, epistolam cujus subsunt fragmenta Juniorem scripsit ad Valentinianum Ambrosius : *Quoniam omnes romanæ ditionis incolæ vestram causam armis protegunt, ô imperatores et principes terræ, et vestrum est etiam militari pro Deo omnipotenti, tutandâque fide. Nulla enim spes assecurandæ salutis suæ, nisi toto animo honoretis Deum verum, id est, Deum Christianorum omnia regentem..... Quicumque stipendia meretur pro Deo vero, et intrinsecùs in corde adorandum agnoscit, nec id dissimulat, nec cultum cum cæteris miscet, sed fidus ac devotus excolit, at saltem ejus est vetare ne quo honore idola ornentur, ne cultûs profani ritus reviviscant. Nullus enim est qui Deum decipiat, qui intima pectoris ei obscura faciat. Cùm ergo, christianissime imperator, tuum sit fidelis stare Deo, fidem venerari et tueri, miror sperâsse istos fore ut ethnicorum altarium redintegrationem præciperes, impensasque sacrificiorum suppeditares... Ista enim, nisi jam diruta fuerint, te imperante, dirui gavisus essem. Totum ferè per orbem à præcedentibus interdicta principibus, à Gratiano fratre tuo, augustæ memoriæ, Romæ veræ fidei venerationis causâ prohibita sunt. Oro et obsecror, ne fratris æqua decreta deleas! Civilium jura legum solvere unusquisque veretur; quæ de Religione jussa sunt impunè solvere dabitur?... Quòd si christianis aliquot nomine tantùm illo decoratis istud decretum æquum fore visum est, humillima ne magni pensites nomina; quicumque huic assentitur consilio, jam in corde sacrificavit. Et reverà si aliquid sententiæ adversum meæ decernitur, illud aut pati aut dissimulare nequibunt episcopi. In ecclesiam tibi introire licebit, sed viduam suo sacerdote, vel eo tibi obsistente. Quid antistiti respondebis inclamanti : Ecclesia dona tua respuit, qui ethnicis dona templis apposuisti? Oblata tua nec patitur altare Christi, qui simulacra altaribus donâsti; nam in verbo tuo manus est, in sigillo tuo actio. Domino nostro Jesu Christo sordent officia tua, qui placita idolorum perpetrâsti; scriptum est enim : « Nemo potest duobus « servire magistris. » Deo sacratæ virgines privilegiis tuis non jam gaudent, quæ à virginibus vestalibus usurpantur. Quid tibi cum sacerdotibus Dei, cùm profanis ethnicorum petitis manus dedisti? Non possumus alieni facinoris participes fieri... Te igitur rogo ut saluti tuæ consulas coram Deo.* (Epist. 17.)

Hæc S. Ambrosius. Annotandum est quàm rectè ejus sententia omnem inutilem tolerantiam eradicet, allatisque rationibus robur afferat. Quòd si princeps in imperium suum catholicum vel indifferentiæ religionis aditum patefaceret, vel libertatum quibus fruuntur hæretici auctionem inferret, numquid verbo ad verbum S. Ambrosii epistolæ transcribendæ regnicolis episcopis locus adesset, quantùm ab hâc indifferentiâ libertateque horreant, ita manifestaturis? Quâ ergo de causâ isti priscæ Ecclesiæ auctoritatem inclamant, quos reapsè prisca damnavit Ecclesia?

Legatur hortatio Julii Materni ad Constantem et Constantinum ut eos ad funditùs eruenda idola incitaret; en damus ex eâ excerptum : *Amputanda sunt hæc, sacratissimi imperatores, penitùs atque delenda, et severissimis edictorum vestrorum legibus corrigenda, ne diutiùs romanum orbem præsumptionis istius error funestus commaculet, ne pestiferæ consuetudinis convalescat improbitas; quidquid honorem Dei conatur perdere, ne diutiùs in terrâ dominetur. Nolunt quidam et repugnant, et exitium suum pronâ cupiditate desiderant; sed*

subvenite miseris, liberate pereuntes. Ad hoc Deus vobis summum commisit imperium ut per vos vulneris istius plaga curetur. Facinoris eorum periculum scimus, erroris notæ sunt pœnæ, sed melius est ut liberetis invitos, quàm ut volentibus concedatis exitium..... Asperi cibi, amari potus nolentibus ingeruntur; et si invaluerit malum, et ignis adhibetur et ferrum; sic homo receptâ sanitate et salute sibi redditâ, quidquid ægrotantis corporis vitio invitus passus est, hoc totum pro utilitate suâ factum esse sanitis animi judicio confitetur (De Myst. et Error. prof. relig., cap. 2). Et (cap. 29) : *Tollite, tollite, securi, sacratissimi imperatores, ornamenta templorum. Deos istos aut monetæ ignis, aut metallorum coquat flamma.....* Et (cap. 3) : *Vobis ad vindicandum et puniendum hoc malum necessitas imponitur, et hoc vobis Dei summi lege præcipitur ut severitas vestra idolólatriæ facinus omnifariam persequatur* (Biblioth. Pat., edit. Ven., t. 4).

Quid de S. Antonio dicam? hæc de ipso retulit S. Athanasius vitam ejus describens : *Sic enim Antonius Arianos detestabatur, ut omnibus diceret nec juxta eos, quidem esse accedendum. Nam cùm venissent quidam Ariani, reperit post eorum examinationem infidelissimam sectam, et fugavit eos de monte, dicens multò serpentibus deteriores hominum esse sermones..... Unde aiebat : Cum Arianis nulla vobis sit conjunctio, quæ enim societas lucis ad tenebras?..... Ipsa, mihi credite, irascuntur elementa, et omnis contra arianum furorem (secundùm Apostoli dictum) ingemiscit creatura, quòd sibi Dominum suum, per quam omnia et in quo omnia facta sunt, videat coæquari vel aggregari.* In ejus testamento mens notabiliùs emicat : *Schismaticorum quoque et hæreticorum venena vitate, meumque circa eos odium consectamini, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi quòd nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis fuerit aliquandò, propter eorum pravam voluntatem et pertinax contra Christum bellum.*

Ex eo quod accidit S. Martino, innotescit quàm graviter ferat Deus catholicos cum his qui ab Ecclesiæ sinu discesserunt, communicare. S. Martinus, ut Priscillianistas Hispaniæ et cum istis multos catholicos morti certæ eximeret, imperatori Maximo obsequiosior, interdùm communionem habuit cum Ithacii asseclis, quamvis ipsis sigilli sui approbationem dare abnueret. Amaris tamen hanc mollitiem lacrymis prosecutus est, fateturque ex eâ imminutam sentire in se ejiciendorum dæmonum virtutem. « *Cæterùm, cùm quosdam ex energumenis tardiùs quàm solebat et gratiâ minore curaret, subinde nobis cum lacrymis fatebatur se propter communionis illius malum, cui se vel puncto temporis, necessitate, non spiritu miscuisset, detrimentum sentire virtutis.* » Hæc sunt Sulpitii Severi verba (Dial. 3).

Theodosius apostatas acerbiùs quàm idololatras tractandos esse existimavit : testimonio et hæreditate destitutos, perpetuâ mulctavit infamiâ. « *Hi qui sanctam fidem prodiderint et sanctum baptisma profanaverint, à consortio omnium separati sint, à testimoniis alieni, testamenti non habeant factionem, nulli in hæreditate succedant, à nemine scribantur hæredes.* » (Leg. 4, App. Cod. Theod.)

Idem Theodosius Eunomianos et Montanistas hæreticos urbibus expulit, additâ in eos qui rure convenirent pœnâ deportationis. « *Eunomianæ superstitionis clerici seu Montanistæ consortio vel conversatione civitatum universarum atque urbium expellantur. Qui si fortè in rure degentes, aut populum congregare, aut aliquos probantur inire conventus, perpetuò deportentur, procuratore possessionis ultimâ animadversione punito, domino possessione privando, in quâ his consciis et tacentibus infausti damnatique conventus probabuntur agitari.* » (Leg. 54, de Hær., Cod. Theod.)

Ingresso Constantinopolim barbaro Gainâ qui ab Arcadio ecclesiam donari sibi volebat in quâ cum Arianis cultui suo vacaret, repulsam perpessus est, eo quòd S. Joannes Chrysostomus in postulata acerrimè invectus est. Frustra Arcadius omnipotentis barbari tyrannidem ostentans, episcopum sanctum deprecatus est, ut furentis iracundiam annuendo injunctis averteret. « Non patiar unquam, ait Chrysostomus, ut illi qui psallunt et præconia in honorem Verbi profundunt, è templo expellantur, in eorum ut ditionem veniat qui Verbo blasphemantur. » Coram Arcadio Gainam eò pellexit, ut ab incœpto suo desisceret. (Theodoret., lib. 5, c. 32.)

Marcianus imperator, variis pœnis Eutychianos perstrinxit, scripta eorum igne deleri jussit, et deportari eos qui vel exemplaria scriberent, vel aliis legenda committerent. « *Præcipimus ubicumque hujusmodi scripta reperta fuerint, ignibus concremari; eos verò qui vel scripserint, vel aliis legenda tradiderint docendi studio vel discendi, censemus deportatione puniri.* » Mulctâ etiam compesci voluit eum qui attentis auribus hæretica verba hausisset. « *Eos verò qui discendi studio audierint sceleratè disserentem, decem librarum auri mulctâ compescimus. Ita enim materia subtrahetur erroris si peccatorum et doctor defuerit et auditor.* » (Concil. Chal. act. 3.)

Justinus acerbis legibus Manichæos, et ab officiis publicis interdictione ethnicos, Judæos et hæreticos afflixit. « *Manichæi undique pelluntur et capite puniuntur. Reliqui autem hæretici (hæreticus enim est omnis heterodoxus) Græci, seu pagani et Judæi, et Samaritani prohibentur magistratum gerere et dignitatem habere aut jus dicere, aut defensores aut patres civitatum fieri (ne habeant licentiam vexare aut judicare christianos aut episcopos), item militare quoque prohibentur, præterquàm si ex genere cohortalinorum sint.* » (Cod. de Hær. et Man. l. 12.)

Memoratu digna sunt quæ ad imperatorem Justinianum monachi Palæstinæ scripserunt, ut ipsum ad expellendos imperio hæreticos Antimi discipulos, incitarent. « *Timendum est enim,* aiunt, *piissime imperator, ne propter multam dilationem illud Israelis populi patiamur et nos, in medio habentes ab omni sacerdotio anathematizatos, qui quoniam in medio habuit Acham et Jonatham inscientiâ et ignorantiâ seipsos anathemati subjicientes., in periculo fuit totaliter perire, licèt ignoraret*

quòd in medio haberet anathema. Non ergo, christianissimi imperatores, malum contemnite, sed utimini zelo ad cognitionem Dei et his quæ ipsius sunt adimplentes quod scriptum est (*Prov.* 20) : « *Ventilator impiorum rex sapiens;* » *ut cum David et Eliâ et Josiâ et Agapeto qui maximè zelaverunt pro Deo partem vos habeatis in præsenti quidem sicut et illi, et sub scabello pedum omnes inimicos vestros subjiciat; in futuro verò cum illis regnum æternum tribuat, qui promisit coram isto centuplum, et in futuro seculo vitam æternam donare.* » (Syn. C. P. sub Menna. act. 1.)

An directis verbis intolerantiam principum christianorum laudanter exceperint Patres, nobiscum exploretur : S. Leo episcopo Turribio de Priscillianistis scribebat :

« Merito patres nostri sub quorum temporibus hæ-
« resis hæc nefanda prorupit per totum mundum in-
« stanter egêre ut impius furor ab universa Ecclesia
« pelleretur ; quando etiam mundi principes ita hanc
« sacrilegam amentiam detestati sunt, ut auctorem
« ejus cum plerisque discipulis legum publicarum
« ense prosternerent. Videbant enim omnem curam
« honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam
« solvi, simulque divinum jus humanumque subver-
« ti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali
« professione licuisset. Profuit diu ista districtio ec-
« clesiasticæ lenitati, quæ etsi sacerdotali contenta
« judicio, cruentas refugit ultiones, severis tamen
« Christianorum principum constitutionibus adjuva-
« vatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt
« remedium, qui timent corporale supplicium. »
(*Epist.* 15)

Illis S. Leonis in principum christianorum gratiam declarationibus accedunt S. Gregorii Magni ad Gennadium, patricium et exarcham Africæ ad comprimendos hæreticos jussa, cui scribens, ait : « Sicut Excellen-
« tiam vestram hostilibus bellis in hâc vitâ Dominus
« victoriarum fecit luce fulgere, ita oportet etiam ini-
« micis Ecclesiæ ejus omni vivacitate mentis et cor-
« poris obviare, quatenùs ejus ex utroque triumpho
« magis ac magis enitescat opinio ; cum et forensi-
« bus bellis adversariis Catholicæ Ecclesiæ pro Chri-
« stiano populo vehementer obsistitis, et Ecclesia-
« stica prælia sicut bellatores Domini fortiter dimica-
« tis. Notum est enim hæreticæ religionis viros, si
« eis, quod absit, suppetit nocendi licentia contra ca-
« tholicam fidem vehementer insurgere, quatenùs
« hæreseos suæ venena ad tabefacienda, si valuerint,
« Christiani corporis membra transfundant... Sed
« Eminentia vestra conatus eorum comprimat et su-
« perbas eorum cervices jugo rectitudinis premat. »
(*Lib.* 1. *Ep.* 72.)

Pantaleoni, Africæ præfecto, zelum ejus in Donatistas suscitandi causâ scribebat : « Hæreticorum
« nefandissimam pravitatem, qualiter lex persequa-
« tur instantiùs, Excellentiæ vestræ non habetur in-
« cognitum. Hi igitur quos et fidei nostræ integritas,
« et legum damnat districtio mundanarum, non leve
« peccatum est, si vestris inveniant temporibus li-
« centiam reserpendi.... Quale de vobis judicium
« hominibus relinquatis, attendite : si hi qui alio-
« rum temporibus justâ ratione compressi sunt, vo-
« bis administrantibus viam sui excessûs inveniant.
« Deinde perditorum animas Deum nostrum de ma-
« nu vestrâ scitote requirere, si tantum nefas, in
« quantum possibilitas exigit, emendare negligitis. »
(*Ep.* 32, *l.* 3.)

Quid plura ? In fine proferamus adhuc epistolam ejusdem Gregorii ad Mauricium imperatorem Donatistarum sectam legum gladio non subjacere deplorantis. Cùm Mauricii ferventem erga Religionem animum amplis laudibus extulit, subjicit : « Qua-
« liter autem pietatis vestræ serenitas contra Dona-
« tistarum flagitiosissimam pravitatem consideratione
« justitiæ et sincerissimæ religionis zelo commota
« sit, directarum lucidissimè tenor insinuat jussio-
« num ; sed venientes viri reverendissimi ex africanâ
« provinciâ episcopi asserunt ita esse incautâ dissi-
« mulatione postpositas, ut nec Dei illic judicium
« haberetur in metu, nec principales hactenùs jus-
« siones sortirentur effectum ; hoc etiam subjungen-
« tes quòd in præfatâ provinciâ Donatistarum præ-
« miis prævalentibus, fides catholica publicè venum-
« detur.... Ea propter obsecro vestram serenitatem
« per Dominorum christianitatis animæ salutem, ut
« cos, qui tales esse cognoscuntur, districtâ ulcisci
« jussione præcipiatis, et ruinam percuntium ereptio-
« nis manu suspendatis, atque insanis mentibus cor-
« reptionis medicinam adhibeatis, et errorum ab eis
« morbos expellatis, quatenùs dum piæ provisionis
« vestræ remedio, pestiferæ pravitatis fuerit caligo
« depulsa, et vera illic fides radios suæ serenitatis
« asperserit, cœlestis vos ante Redemptoris nostri ocu-
« los triumphus expectet : quia quos exteriùs ab
« hoste defenditis, etiam interiùs à diabolicæ frau-
« dis veneno, quod est gloriosius, liberatis. » (*Libr.* 5, *Epist.* 63.)

Illis, ut videtur mihi, ex fragmentis quæ fuerit mens S. Gregorii satis innotescit, facilèque percipitur an hæreticos indifferenter versari in catholicis regionibus sineret, an verò omnibus viribus eniteretur, ut in eorum perniciem et eradicationem principes armaret.

Claris fulciebatur S. Gregorius antecessorum sanctorum exemplis inter quos numeres S. Innocentium I, S. Gelasium, S. Symmachum, qui, teste Anastasio in Vitis eorum, delitescentes Romæ Catafrigos et Manichæos exulare coegerant.

Dicendum est denique omnes priscæ Ecclesiæ sanctos intolerantiam professos fuisse. S. Ephrem, Syrus, discipulos suos in testamento à conversatione cum hæreticis detorquebat (c. 6, n. 27) : *Parùm enim interest an cum dæmone quis habitet, an cum viro apostatâ et desertore iniquo.* S. Victorinus hæreticos à familiari colloquiò arceri curabat (Vitâ, c. 2, n. 10, ap. Bolland., 12 Jan.). Bidulphus, presbyter et monachus, etiam salutare recusabat regem Ariovaldum, Longobardum, arianismo infectum (Baron. an. 626, n. 31). Ariovaldus verberibus opprimi jussit, sed per

miraculum effugit. Illud commemorat abbas Jonas, cœtaneus et eodem vivens in monasterio.

In canonibus apostolicis vetantur episcopi, sacerdotes et diaconi, ne orent cum hæreticis, deponendusque est episcopus vel presbyter qui hæreticos baptismo admittit, eorumve hostias accipit. Non per principis edicta licitum fieri reputabatur, quod ex naturâ suâ vetitum erat, ut scandali capax. Attentè duo canones considerentur : *Episcopus, vel presbyter, vel diaconus qui cum hæreticis vel solùm comprecatus est, segregetur. Sin autem eis tanquàm clericis aliquid operari permiserit, deponatur* (Canon apostol. 44). *Episcopum vel presbyterum qui hæreticorum baptismum vel sacrificium admiserit, deponi jubemus. Quæ est enim conventio Christi cum Belial; vel quæ pars est fideli cum infideli* (Canon. apost. 45. Mansi. t. 1, col. 39)?

Quid sentietis de S. Simeone Stylito, ad Justinum, aut secundùm alios Justinianum, scribente, ob contemptum quo Samaritani imagines Jesu Christi et Mariæ affecerunt : *Quamobrem obsecramus victoriosam potentiam vestram ne ulla posthàc eis misericordia ostendatur, neque ampliùs illis parcere quispiam velit.*

Fortissimi S. Maximi sententia etiam fuit nullo favore hæreticos donandos esse, quorum, si tantisper indulgens sis, audacia crescit et viget; exemplo monacharum Severianarum confirmatur. Joannem ergo aulicum epistolâ deterret ab omni officio in hæreticos conferendo : *Ne velut angues nostrâ operâ in apertum producti, simpliciores quosdam seductionis morsu à tutâ fidei basi excutere prævaleant, inveniamurque et ipsi quod volumus, imminentis eis supplicii consortes et socii. Sic namque à principio consuetâ etiam erga illas miseratione usus clarissimus præfectus, ut et ingentis auri pretio æstimandam domum eis ad habitandum cum reliquâ ubertim supellectili donaverit; at ubi superbiæ jactantiâ inflatas invenit, animum avertit* (S. Max. Epist. ad Joan. Cubic.). Addit postea monacharum istarum facinora prima, scilicet puellarum catholicarum seductionem, baptismique sacrilegi collationem, sicque concludit. « *Unum solummodò duros vos atque inflexi animi volo ac flagito; ut scilicet nihil unquàm hæreticis conferatis, unde insana eorum opinio stabiliri possit.* »

Tot fragmentorum longior series fortassè fastidium commovebit; sed adversantes se ipsos incusent, qui auctoritates inclamârunt. Aliquot ergo citationes patienter ferant, inter quas S. Gregorii Nazianzeni auctoritatem, qui Olympium hortatur ut Apollinaristas pœnâ et repressione affligat ob id unum, quòd nedùm suâ indulgentiâ potuerit eos unitati Ecclesiæ iterùm coagulare, nil profecerit nisi ut superbiam et obstinatos animos adhuc ferociores reddiderit. Hæc sunt ejus verba : » Senex etiam edoceri potest, nec ego senectutem simul et prudentiam accepisse mihimet videor; quamvis enim Apollinaristarum impietatem intùs cognoverim, attamen eos mitiora adoptaturos credidi, si mitia experirentur; experientiâ autem didici, imprudens, me in pejus eos detrusisse; Ecclesiæ nocuisse nimiâ lenitate, eò quòd pravi non mitia experti mitescunt, non bonitate leniuntur. « Quid ad hæc, philanthropiæ asseclæ? quid vos prudentes seculi respondetis?

Anastasio imperatori, schismatico Acacio faventi, scribit Gelasius papa, « non satis esse si legibus suis nominis Romani gloriæ commodisque quamplurimùm inserviat, nec tamen seriùs invigilet ne quid detrimenti capiat communionis fideique Catholicæ sinceritas. Quo enim pacto, mercedes divinas gratiasque Jesu Christi tum præsentes, tum futuras fidens possit expectare? Ecclesiæ pace nihil profecto pretiosius; pro ea fortiter obeundum, non equidem pro qualicumque pace, sed pro pace verè christianâ. Porro pax charitatis expers non vera pax appellanda, secundùm verba Apostoli : *Et charitas de corde puro et conscientiâ bonâ et fide non fictâ* (I *Tim.* 1, 5). Nam non illa est charitas de corde puro, quæ contagione exteriori contaminatur. Quomodo conscientiâ bonâ procedens, si malis æquè ac bonis misceatur? Quomodo fide non fictâ, si cum malis consocietur? Quod si Eutychianum dogma procul è catholicorum corde repelli debeat, quid non peste illâ laborantes à societate resecentur? Nonne ait Apostolus peccare *non solùm qui non facienda faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* 1, 32)? Quemadmodum enim qui malorum consortium sequitur, malo ipse videtur assentiri; sic etiam qui perversitatis participem et quasi discipulum admittit, temerè perversitatem ipsam condemnet. » Hæc est Gelasii I Papæ sententia fideliter, etsi non litteraliter, expressa (vide Gelas. Epist. ad Anast., c. 3). Perpendant eam pacis et charitatis Christianæ fervidiores fautores, videantque an, judice Gelasio, pacem charitatemque rectissimè intellexerint.

Luculentum excerptum è S. Maximo Taurinorum episcopo non nisi dolens omitterem. Non equidem principes monet, sed dominos hortatur ut irrepentem in agricolas superstitionem excutiant; sed in his de tolerantiâ notatu dignissima reperiuntur. Ipsamet auctoris verba non datur hic subjicere, jure autem asserimus sensui nos omnino nihil detracturos vel adjecturos esse. « S. episcopus, Ecclesiæ suæ fideles alloquens, dicit « verè religiosi sanctique hominis esse ut contagionem de suis eruat possessionibus et Gentilium superstitiones circumquaque destruat. Haud enim licet Christum in corde gerenti, Antichristum domi retinere, dumque ipse Deum adorat in Ecclesiâ, cultum dæmonibus à sibi subditis per templa exhibitum tolerare. Nequicquam vero ad excusationem mussitaretur : Nec jussi, nec ipse commisi; quicumque enim sciens in domo sua patrari sacrilegia, non obsistit, jubere videtur, cum silentio idololatriæ consenserit. Porro Apostolus plecti dignos commemorat non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus. Ergo qui aratorem suum videt sacrificantem, nec impedit, reus est, si non imitationis, at saltem tolerantiæ; si non jussione, at voluntate peccat; ejus enim silentium aratoris est malus approbator. Cum aratore qui peccat sacrificans, peccat et Dominus non prohibens; nam si prohiberet hic, ille non peccaret. » (Vid. S. Maximi Taurin. Sermon. 63).

S. Bernardus, hominum mitissimus, populi in sævitiam invehitur, qui sponte suâ hæreticos aliquot trucidaverat; principes autem laudat qui per vim fidei corruptelam arcebant. « *Approbamus zelum, sed factum non suademus, quia fides suadenda est, non imponenda. Quanquàm melius procul dubio gladio coercentur, illius videlicet qui non sine causâ gladium portat, quàm in suum errorem multi trajicere permittuntur. Dei enim minister ille est, vindex in iram ei qui malè egit.* » (In cant. serm. 66, n. 12.)

Quàm vellem hìc ad verbum referre liceat totum monitum sancti papæ Pii quinti nuntio suo apud Hispanias à cardinale Commendone delegatum, ut Philippum regem hortaretur ad occupandam Flandriam, ibi catholicam religionem decori, dignitati potestatique restituturum. Videri potest illud in opere illustriss. Graziani (*De Scriptis*, t. 2, p. 295; edit. Flor). Excerpta aliquot adduco in argumentum, ut pateat quid pontifex sanctus experientiâ de hâc materiâ sentire didicerat. « Nunc temporis, inquit, christianitatis lugenda est conditio, hæreticis eam crescente audaciâ impugnantibus, catholicis ipsam dissimulantibus. « Sectarum vestigiis istarum insistunt, et in deteriora « quotidiè prolabi nos patitur Deus, *perdens prudentiam prudentium, et dissipans consilia gentium, ut videntes non videant, et audientes non intelligant.* « Religionis hodiè qui causam dissimulat, semper « in posterum se dissimulaturum esse spondet. *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, et potentes potenter tormenta patientur.* Et revera, ex agendi ratione « principum christianorum summo pontifici aliquoties « concludere licet in Dei consiliis esse, ut, jam frustrà sui officii exemplo zelantium hæreticorum « monitos principes, Deo rebellantium, nunc tempo- « ris per ipsos istos jam principibus rebellantes hæ- « reticos, aliquando cogat ad apertè declarandum « *utrùm Deo serviant*, utque meritò regnis suis eos « exspoliet per eamdem quâ ea conservare aggressi « sint sine Deo, dissimulationem. Principes Deo ser- « vire nolunt; in eo confidere dubitant *cujus nomen « est Omnipotens;* divina eos justitia subditis suis « servire cogit, et *ponere firmamentum suum formidinem, et errare in invio, et non in viâ.* Religionem « causamque Dei, *qui caput est omnis principatûs et « potestatis*, conculcare voluerunt, necessariòque « eversa sunt et disturbata omnia, spreta sunt officia, « imperiorum locum attentat democratia, ceu potiùs « horrenda anarchia; et tamen dissimulatur, speratur « *in spem contra spem*, et sperare in Deum per veram « fidem abnuitur. Si vero mora concedatur, *si ab increpatione tuâ, Deus, dormitaverint qui ascenderunt « equos;* si ulceris venenum perpetuant, doloris tan- « tummodò cruciatus molliendo; si dissimulatâ Reli- « gionis causâ, ignescere patiuntur incendium, solum « flammarum impetum reprimendo, jam certum est « *quia propè sit dies tenebrarum et caliginis.* Utinam « verò illis, qui deprecari periculum publicæ causâ « salutis medendo noluerunt, at saltem copia detur « propter propriam salutem pœnitendi, agnoscereque « eis liceat christianitatis tribulationes non tantùm ex « justo Dei judicio consequi, meritam pœnam à prin- « cipibus exigentis, eò quòd à principio sectis irrepen- « tibus molliores se præstiterint, sed etiam eas ne- « cessariò ex formâ prolabi à gubernantibus adoptatâ, « et ex consilio dissimulanter agendi, lucro consu- « lendi, prava causando, per quæ *conturbata sunt et « inclinata sunt regna.* » Videatur etiam, p. 304 ejusdem libri, sermo ad senatum Polonorum anno 1573 habitus a cardinale Commendone.

S. Augustini auctoritate procinctu nos impugnatis, sancti ergo doctoris quæ vera fuerit sententia declaremus oportet; mox enim adversarios pœnitebit Africæ jubar invocâsse, cùm patebit concordem fuisse cæteris cum Patribus Augustinum.

Scimus S. Augustinum mansuetissimo corde præditum, ut converteretur, non periret peccator semper optâsse, Christi simul et Ecclesiæ vero spiritu imbutum. Sic prudentiæ charitatisque regulæ volunt alliciendos in meliora improbos mansuetudine precibusque, dummodò absque bonorum scandalo periculoque fieri queat. Cum S. Augustinus Donatum deprecaretur à trucidatione hæreticorum, hoc ipso se ab his fervidè intolerantibus segregabat, qui zelatorum nomen mentiti, ferociam, avaritiam ambitionemque velabant. Cùm potestatis politicæ vim improbaret schismaticos in expetendam Ecclesiæ communionem invitos compellentis, liberum ultroneumque reditum et desiderabat, et sperabat. Experientiâ autem edoctus quantùm hæreticorum temeritas illam medicinam annihilaret, ab hâc agendi ratione deterritus est. *Sunt duo libri mei*, inquit, *quorum titulus est Contra partem Donati. In quorum primo libro dixi, non mihi placere ullius sæcularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctari. Et verè tunc mihi non placebat, quoniam nondùm expertus eram vel quantùm mali eorum auderet impunitas, vel quantùm eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ.* (Retractat. l. 2. c. 5.) Qui nunc S. Augustino patrocinium expetent? Nec satis hæc. Utinam liceret epistolam 93 ad Vincentium et epistolam 185 ad Bonifacium évolvere! Hic quid sentiret, innotescit: sit tantùm in exemplo hujus fragmentum quo allegatis ratiociniis confirmatio, objectisque solutio affertur. Isti verò quibus displicent leges in impietatem collatæ, asseruntque ab apostolis ideò nunquam flagitatum fuisse à principibus adjumentum, non advertunt alias tunc fuisse circumstantias, et quodque opportuno tempore esse patrandum. Atqui, qualem imperatorem christianum hoc tempore fuisse nôrunt, qui contra impios decerneret? Quomodò Deo reges *in timore* serviunt, nisi religiosè severi, contra Dei præcepta delictum vetent et affligant? utpote homines, Deo servire debent; utpote principes, legibus bonum imperare, malum prohibere debent. Ezechias Deo servivit lucis templisque destructis; quem imitatus est Josias. Rex Ninivitarum Deo servivit, totam civitatem ad pacandum Dominum

adigendo. Darius Deo servivit, Danieli frangendum idolum permitteus, leonibusque hostes ejus exponens. Deo ergo serviant reges, cùm in ipsius gratiam illa perficiunt quæ soli perficere possunt. Sapiens vir regibus num dicere posset : Ne curetis an intra fines Imperii vestri Dei vestri Ecclesia protegatur, an debelletur non vestrâ interest quidquid vel religiosum, vel sacrilegum in illis agatur? Tunc cur non diceretur : « Ne curetis eos qui per imperia vestra bonos « pravosve mores expromunt : donato enim à Deo « homini libero arbitrio, cur sacrilegis faciles, in « adulteria leges sævirent? Minusne peccatum animæ « in Dei fidelitate delinquentis, quàm fœminæ fidem « hominî datam repudiantis? Melius est, fatemur, « si blandis eloquiis et doctrinâ adjuvante homines « ad Dei cultum reducantur quàm si pœnis et timore « cogantur : quamvis autem illis agendi modis potiùs « sit recurrendum, non tamen his est omninò abstinendum; plurimis enim benè consultum fuit, cùm « timore et doloribus primò debellati, postea eruditi « fuerunt et instituti. » Hæc omnia exemplo suo mansuetissimus S. Franciscus Salesius, Genevensis episcopus corroborat, Epistolâ ad Clementem VIII, quâ aliquot hæreticorum obstinatos animos devictos fuisse commemorat, minitante exilium piissimo Emmanuele Sabaudio; « *Dùm configitur spina*, subjicit S. Franciscus, *et afflictio dat intellectum.* »

Qui sancti Augustini verba sibi contra nos vindicant, eos vel fore ut pœniteat oportet, vel hos opera ejus numquàm excussisse, vel lectorum credulitati impudenter confisos fuisse. Non sanctum doctorem fugiebat quid imperatores, quid S. Aurelius Carthaginensis episcopus in Pelagium, Cœlestium eorumque asseclas animadvertissent; et factis exemplisque didicerit vim tantùm fraudulentis hæreticorum dolis obviando parem esse. Honorius imperator legis edictæ certiorem Aurelium fecit, quâ renitentes hæreticos asperiùs tractari jusserat. In epistolâ ad S. Aurelium, à se sententiam episcoporum sancitam fuisse declarat, seque ut Ecclesiæ pronuntiantis patronum egisse. Concludens ait : « Cum ipsi juxta synodum Nycænam confessione sincerâ conditorem rerum omnium Deum, « imperiique nostri veneremur auctorem; non patietur « tua Sanctitas sectæ detestabilis homines in injuriam « religionis nova et inusitata meditantes, secretis tractibus occultare sacrilegium semel publicâ auctoritate damnatum. Una enim eademque culpa est eorum qui aut dissimulando conniventiam, aut non « damnando, favorem noxium præstiterint. » Hæc fuit mens principum laicorum *venerandæ antiquitatis*, de religionis dissimulatione. Honorii mandata S. Aurelius explevit, legemque apud cæteros omnes episcopos detulit, monuitque ut juberent omnes condemnationi hæreticis impactæ in synodo subscribere. Obmurmurantibus hæreticis, Juliano imperatoris vigilem pietatem ut tyrannicam acerbitatem detestante, respondit S. Augustinus *hoc sermone vulgò uti hæreticos* (Lib. 3. Cont. Julia. c. 2). Volusiano, Romæ præfecto, clàm in urbe commorari Cœlestium tolerante, in consortium imperii vocatus ab Honorio Constantius præcepit ut diligentissimè perquisitos hæreticos civitate ejiceret, ita ut non minùs quàm ad centesimum lapidem ab urbe habitare possent. Volusianus edicto decretum imperatorium exsecutus, adjectâ capitali pœnâ Cœlestium à civitate exulare coegit. Videntur hæc omnia in Historiâ pelagianismi, auctore P. Patouillet (T. 1, c. 22, 24). Ibi etiam citatur prima imperialis constitutio in Pelagianos decreta, quâ eos exilio Honorius mulctavit, eâ scilicet ratione quòd : *Convenit à societate segregari qui malum operantur, nec ferendum est commercio vitæ fruantur, homines non tantùm factis detestandi, sed venenatorum errorum contagio formidandi.* S. Bonifacius papa, ait S. Prosper, imperatoriâ ope exsultans, apostolicas et principum constitutiones contra Pelagianos vigere curavit. Sic utraque potestas in eradicandam hæresim, quam ut commune malum execrabantur, conjurabant.

Quis non mirabitur priscæ Patres Ecclesiæ, omnes intolerantiam hostilitate notos, hujus adversariorum nostrorum idoli velut ministros ab illis laudatos fuisse? Vel enim auctoritatem SS. Patrum veneratione dignantur, vel non : si prius, cur ipsi non obtemperant? si posterius, cur illam sibi vindicant? si ad id mollitiei pervenistis ut errorem in hæreticis et spuriæ fidei hominibus toleres, non nos ad id insaniæ venimus ut istud in te toleremus laxamentum, præcaventes ne istâ rationis aberratione quisque etiam verè christianus decipiatur et pereat.

His fundamentis stat Inquisitio, quam constituendo nec Ecclesia nec civilis potestas fidem incredulis imponere decreverunt, sed præcaverunt ne venenum passim diffunderent, ne suâ peste cæteros inficerent, qui corruptione vel erroribus scatebant. Quòd si quid immoderatius accidit, principibus solis, in Hispaniâ præsertim, assignandum est; numquàm talibus manus dedit Ecclesia, aliundeque facinora ampliari et acerbari notum est. (Vide, D. de Maistre, Litter. de Inquisit.)

Esto, inquiunt adversi; non levis autem est ordinis eversio istud propositum per vim homines in fide quam à nativitate susceperunt, conservandi. Voluntaria fides nititur in obedientiâ, et illi qui symbolo Inquisitionis violenter parere coguntur, nec emendationem, nec catholicum animum induunt. Dominus noster Jesus Christus in Evangelio asserit nullos ad se esse ituros nisi Pater eos trahat. Cur ergo quemvis libero arbitrio suo regi non sinitis, quod ab ipso Deo fuit homini concessum, ut ostenderet ei viam justitiæ, quâ cognitâ nemo ignorantiæ causâ peribit?

Ad hæc sancti Officii fautores respondent verba promissiva esse, cæcorumque in modum ratiocinia dari. Confunduntur interna fides exteriorque fidei professio, quibus mixtis, adversarii sibi dædalicas angustias suscitant. Fides interna est assensus intelligentiæ revelatis à Deo ex liberâ voluntate profectus, quæ ad hanc submissionem imperandam determinatur sustinente et incitante divinâ gratiâ. Quòd si voluntas ad hunc actum cogeretur, nil mereretur laudis, nec

verè credens faustiùs ac infidelis et cæcus sese haberet. Errant autem qui contendunt ab Ecclesiâ et Inquisitione voluntatem cogi per vim temporalium pœnarum, ad interiorem hunc actum promovendum; nec Ecclesiæ, nec Inquisitioni jure licet hominem libero spoliare arbitrio; etiamsi vellent, certissimè scopum non ferirent, interiores enim voluntatis nostræ actus non nisi Deo patent; et inter ferrum et rotas non suum homo liberum arbitrium deponit.

Ad externam autem fidei professionem et Ecclesia et Inquisitio adigendi, cogendo filios subjectosque suos jure gaudent; confessionem illam manifestant verba, cultus, cæremoniæ, actiones exteriores. Immeritò eam pro fide duceretis; nil est, uti diximus semper, nisi professio sive testimonium fidei nostræ, quæ Ecclesia expetit, et etiam extorquere potest justitiæ et utilitatis causâ. Cùm enim infans aut adultus sive ipse et sponte suâ, sive alieno stipulante ab Ecclesiâ aquas baptismales expetit, Ecclesiæ nonne ex hoc tempore cum adoptantis inter cæteros filios suos, imperio, legibus et pœnis subjacet? Cur ergo, si postea eum pœniteat inconsultò sacram militiam adlisse, si Ecclesiæ signa derelinquit, consciosque sceleris secum seducere velit, cur non liceret Ecclesiæ auctoritatis suæ jura exercere in recalcitrantem, eumque cogere ad exteriorem professionem fidei quam exteriori pollicitatione amplexus est? Concedimus hypocritas esse quos minæ terruerunt, quique ore fidem profitebantur quam corde suo expulerunt. Ecclesiæ vis in eos directa ipsis inutilis ad bonum erit, eorum perfidia irritabitur, sed tot aliis proficiet qui corruptoribus ab istis seducti fuissent, si iis sis licuisset impunè perversarum luem doctrinarum spargere. Cum mater è filiis aliquot peste lethiferâ et immedicabili laborare cognovit, annon præcavebit ne contagio plures inficiantur, magnum et opimum laboris præmium existimans, si reliquos servaverit?

Imperator Honorius, exilio mulctatis Pelagianis, subjicit, in decreto quod refert Baronius (ad ann. 418, n. 19) : *Decet enim originem vitii à conventu publico sequestrari, nec in communi eos celebritate consistere qui non solùm facto nefario detestandi, verùm etiam exemplo venenati spiritûs sunt cavendi.* Sic S. Bonifacius eadem allegans ratiocinia, Zachariam papam rogabat ut hæreticos Clementem et Adelbertum in vincula conjiceret (Vit. S. Bonifac. lib. 2, cap. 4) : *Obsecro auctoritatem vestram..... ut per verbum vestrum isti duo hæretici mittantur in carcerem, nullusque cum eis communionem habeat, ne fortè fermento doctrinæ illorum fermentatus aliquis pereat; sed segregati vivant, et, juxta dictum Apostoli, traditi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.*

Cæterùm, illustris S. Augustinus argumentum ex Evangelio inductum sustulit, illud invictâ ratione retorquendo..... Eadem objiciuntur quæ jam Petilianus præposuit, imperatoria in Donatistas edicta ægerrimè ferens; ne ergo mirentur nos verbo ad verbum prisci doctoris responsum præstare : *Sicut fieri potest, ut quos in libero dimisit arbitrio, attrahat tamen Pater ea Filium : sic fieri potest, ut ea quæ legum coercitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium. Quidquid enim homo durum et molestum patitur, admonetur ut cogitet quare patiatur; ut si pro justitiâ se pati perspexerit, idipsum bonum eligat pro justitiâ talia sustinere. si autem viderit inanitatem esse pro quâ patitur, se infructuosissimè laborare atque cruciari considerans, mutet in melius voluntatem, simulque careat et molestiâ sterili et ipsâ iniquitate, multò utique graviùs et perniciosiùs nocturâ.* (Contra Litt. Petilian., lib. 2, n. 183, 186.)

Eamdem jam quæstionem haud dissimili S. Augustinus argumento solverat : *Ad fidem quidem nullus est cogendus invitus, sed per severitatem, imò et per misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Numquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideò mores pessimi non legis integritate puniuntur? sed tamen malè vivendi ultrix disciplina præpostera est, nisi cùm præcedens benè vivendi doctrina contemnitur. Si quæ igitur adversùs vos leges constitutæ sunt, non eis benè facere cogimini, sed malè facere prohibemini. Nam benè facere nemo potest, nisi eligerit, nisi amaverit, quod est in liberâ voluntate; timor autem pœnarum, etsi nondùm habet delectationem bonæ conscientiæ, saltem intra claustra cogitationis coercet malam cupiditatem.* (Ibid., n. 183, 184.)

In vitâ S. Porphyrii, à diacono Marco relictâ, legitur illos etiam libenter ad fidem admitti per ipsum, quos formido ad id compellebat; id ratiocinio notabili laudat : *Si non conspecti fuerint*, inquit, *fide digni, ut qui jam fuerit in malo habitu, qui ex eis nascuntur possunt esse salvi, ut qui cum bono conversantur.* (Vit. S. Porphyr., cap. 9, n. 73.) Childebertus, Francorum rex, in edicto quo idololatriæ sacrilegioque puniendis per imperium invigilavit, cùm humilis generis delinquentes fuste verberari ad centum ictus jussisset, magnatesque carcere mulctari, addidit : *Sunt autem hi in pœnam redigendi, ut qui salubria et à mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem corporis eos ad desiderandam mentis valeat reducere sanitatem.*

Quòd si desiderarentur directiores et notiores ab adversariis auctoritates; eas sufficeremus. Afferte, afferte, inquiunt, nemo enim dubitare potest quin in regionibus Inquisitione devastatis, crassâ scateant gentes ignorantiâ. « Metus enim accusatorum, carcerum, pœnarum, quæ meram suspicionem imprudentibus verbis solùm innixam subsequuntur, de religiosis sermonem habere prohibet, dubia sua explanare, si quæ sunt, interrogare et edoceri non sinit. Brevior et tutior est via silentii, actumque cæteris non dissimilium verborumque consentaneorum, quidquid in mente aut simile aut absimile habeas. Peccator qui dicitur habitualis, nec à concubinatu discedere annuit, paschalem cibum communione accipit, ne finiente anno hæresis suspicione ictus Inquisitioni denuntietur. Ubicumque viget inquisitio, abundant laxiores casuistæ. » (Fleury, serm. 7 in Hist. ecclesias., n. 13.)

Ast, respondent Inquisitionis fautores, hoc brevius excerptum incertissima et æquivoca subolet : Inquisitio enimverò de religione disputari vetat ; sed quibus locis personisque ? In lusoriis, in publico, cum ignorantibus et pravis, cum militiæ vel astronomiæ dedito, qui omnes certissimè dubiis tollendis doctrinæque afferendæ sunt impares ; præcavendum ergò est ne cæco cæcum ducente, ambo in foveam incidatis. Præterea, in his locis et cum his responsoribus controversiam habendo, tibi nil proficuum assequeris, timendumque superest ne qui vos audiunt simplices et nescii, in iisdem dubiis permaneant. Dubiane depellere tua placet, ut lumen doctrinamque haurias ? Confuge ad theologos quos Spiritus sanctus regendæ Ecclesiæ præfecit, quique semper in promptu sunt ut fidei rationes evolvant. Illi sunt consulendi, si pio affectu veritati detegendæ inhias, investigationesque prudentes et æquas nullo impedimento coercebit Inquisitio. Hæc tibi si repugnant, tutiùs certè teipsum habebis tacendo et cæteros imitando, quia etsi in incredulitate perstes, at saltem sermonibus et exemplis in eamdem hæresim non abripientur nimis tibi confisi fratres. Peccator amicam suam expellere non vult timetque ne omissis paschalibus debitis, in se sæviat Inquisitio : Paschali ergo mensæ assidet, concubinamque continuat. Sic voluntariè duo facinora committit. Absit metus Inquisitionis, amicam retinebit, paschalibusque abstinebit ; quo casu etiam duplici crimine ultroneus inquinatur. Sed, si absente præsenteve lege in facinus ruere peccator decrevit, non expetendum ut tollatur in ipsius gratiam præceptum bonis utilissimum, quos officii sui monet, pravis nondùm induratis utilissimum, quibus evenit ut sæpiùs se recipiant, peccata sincerè confiteantur, et ad exiguum saltem tempus à pravis consuetudinibus, in quibus senuerant, discedant paulisper imminuto scandalo. Jesus Christus de Paschate celebrando sæviora statuit ac Inquisitio : Mortem æternam, id est, infernum, minitatus est eis qui non manducant carnem ejus ; quod certissimè longè acerbius est quàm apud Inquisitionem accusatio. Anathema incurritur, non ad diem, sed irrevocabile et in æternum. Jesumne rigidissimo rigidiorem se præstitisse inquisitore dicent, minitandoque adeò tremenda, in hypocrisim peccatores conjecisse, eorumque agmen ampliavisse ? Hæc concludere si non audeant, non dubitabimus exprobrare quòd inconsideratè argumentando sese sponte his ambagibus impediverint, queis prævidendis impar fuit eorum dialectica.

VIVÆ VITA.

Viva (Dominicus), ex provinciâ Hydrunti oriundus 1648, in societatem Jesu cooptatus est Neapoli, 1663 Vicennio theologiæ professor, quinquennio studiorum rector, Neapolitanum collegium, omnemque dein provinciam administravit. Vir labori deditissimus, morum et vitæ omninò integer, scientiâ prudentiâque antistitum animos sibi multorum conciliavit. Inter ejus admiratores eminet Benedictus XIV, summus pontifex, cujus in scriptis Viva ut peritissimus theologiæ commendatur, nec sine momento est talis judicis in hâc causâ sententia. Multa opera scripsit, inter quæ memorantur, unum ad approbandam condemnationem propositionum Quesnel; aliud ad statuendum ex synodorum conciliorumque cleri Gallicani sententiis, ad futuram synodum provocationem illicitam esse, quùm summus pontifex decrevit, judicioque assensit sparsa per orbem Ecclesia; tertium ad determinandum quo sensu propositiones ab Alexandro VII, Alexandro VIII et Innocentio XI pro spuriis habendæ sint, ex quo citata decerpsimus. Obiit ineunte decimo et octavo sæculo.

DAMNATÆ THESES

CONTRA FIDEM.

Prima propositio, ab Alex. VII confixa.—*Homo nullo unquàm vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

I. Exponitur: Bifariàm potest quis ad hos actus theologales obligari. Primò per se, et ex vi præcepti divini et naturalis de eliciendis aliquando his actibus; secundò per accidens, et ex vi aliorum præceptorum,

puta ex præcepto non succumbendi alicui gravi tentationi, quæ aliter superari non potest, quàm per exercitium horum actuum ; aut ex præcepto confessionis sacramentalis, cùm ex Trid. sess. 6, cap. 6, ad justificationem in sacramento recipiendam peccatores se disponant per actus fidei, spei, et cujusdam charitatis initialis, quatenùs, ut habet concil. : *Fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illum tanquàm omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Hanc secundam obligationem ex vi aliorum præceptorum nemo unus negavit : de primâ dubitârunt nonnulli apud Tamb. l. 2 de prec. Dec. cap. 5. Imò Sancius, Serra, Bannez illam negare ausi sunt, nixi tum eo principio, quòd nulla obligatio sit adstruenda, nisi de illâ constet ; tum etiam quia præceptum videtur non obligare, nisi sit determinatum, ac pro tempore determinato obliget, ut propterea Lugo de Euchar. disp. 16, n. 28, et de Pœn. d. 15, n. 39, doceat, præceptum divinum communionis et confessionis non obligâsse extra articulum mortis nisi tantùm radicaliter, donec ab Ecclesiâ tempus determinaretur.

II. Definit proinde sancta Sedes in sole cæcutire eos qui de hâc obligatione dubitant, cùm ea pomeridianâ luce sit clarior ; et similiter ab Innoc. XI, sex aliæ ejusdem furfuris propositiones damnatæ fuerunt, nim. 5, ex 65, ab eo proscriptis, quæ habet : *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vitâ eliceret, condemnare non audemus.* 6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis.* 7. *Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam quâ justificari possimus.* 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundùm se.* 17. *Satis est actum fidei semel in vitâ elicere.* Et 56. *Sufficit mysteria Trinitatis et Incarnationis semel credidisse.*

III. Ostenditur falsitas, tùm quia ex ipso rationis dictamine absonum est hominem nunquàm, aut rarò admodùm ad Deum finem ultimum se convertere, credendo quæ dignatus est revelare, sperando in ejus misericordiâ, et prosequendo bonitatem ; tùm etiam quia lege naturali tenemur Deum conditorem colere cultu præstantissimo supremæ ejus excellentiæ consono, quod potissimùm per actus theologales præstatur. Præterea, quia hujusmodi actus necessarii sunt ad piè vivendum, et ad alia media salutis usurpanda. Ac demùm quia quidam contemptus est, ac enormis ingratitudo, habitibus infusis virtutum theologalium ferè nunquàm uti, ac ingentem hunc thesaurum in sudario reponere, ac nolle illo salutem negotiari.

IV. Confirmatur quia, ut docent communiter DD. apud Martinum Perez disp. 23, sec. 3, ad suscipiendum sacramentum confessionis et communionis pluries in vitâ datur obligatio per se ex vi præcepti divini, non radicaliter solùm, ut voluit Lugo, sed etiam formaliter ; et ex præscripto Ecclesiæ datur eadem obligatio suscipiendi illam saltem semel quotannis ; ergo à fortiori pluries in vitâ, et fortè etiam pluries quotannis tenemur ex vi præceptorum divinorum ad actus theologales eliciendos Consequentia patet, quia ea sacramenta possunt aliunde suppleri, cùm possit circa horum sacramentorum susceptionem simpliciter salus obtineri ; actus tamen theologales sunt insupplebiles, cùm nequeat adultus salutem per alia media consequi ; siquidem *sine fide impossibile est placere Deo*, ad Hebr. 11, *et qui non diligit manet in morte*, Joan. 3, ut proinde nequeat in præsenti providentiâ ex doctrinâ communi theologorum adultus post usum rationis decedere, antequàm cogitet de obligatione credendi, sperandi, amandi ; ergo potiori jure ad eos actus maximè necessarios obligamur, præsertim quia maximè cedunt in Dei honorem, et longè faciliùs poni possunt, quàm sacramentorum susceptio.

Adde quòd voluntas naturâ suâ ad bonum ordinatur ; proinde debuit naturali lege obligari ad liberè amandum identidem summum ac purum bonum, in quo est omne bonum, à quo bonum omne promanat, et quia per fidem et spem ad actus dilectionis disponimur, ideò ad tres omnes actus theologales identidem eliciendos per se obligamur.

V. Neque dicas sufficere nobis dilectionem Dei virtualem, quæ habetur per observantiam aliorum præceptorum, juxta illud Joan. 4 : *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me*, ut docuerunt Joan. Sancius in sel. d. p., et Bannez apud Mendo in Stat. dissert. 1, q. 13. Nam contra est, quia ob rationes adductas utraque dilectio requiritur ad salutem, virtualis simul, seu interpretativa et formalis, quæ habetur per ipsos actus charitatis, atque adeò effectiva simul et affectiva ; præsertim quia dilectio effectiva per observantiam mandatorum sine dilectione affectivâ et formali vix potest consistere, cùm ex præceptis charitatis pendeat lex universa, ut dic. Matth. 22.

Hinc Alex. VIII, 24 aug. 1690, damnavit ut hæreticam hanc propositionem, denuò post tot propositiones eâ de re proscriptas è Tartari faucibus erumpentem in fidelium perniciem : *Bonitas objectiva consistit in convenientiâ objecti cum naturâ rationali ; formalis verò in conformitate actûs cum regulâ morum. Ad hoc sufficit ut moralis actus tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis ;* quod de amore formali intelligendum est, ut constat tùm ex regulâ universali, quòd verba pontificis loquentis ex cathedrâ, ut verba Scripturæ et conciliorum sumenda sunt in sensu proprio, nisi quid obstet ; tùm ex contextu propositionis et damnationis ; tùm demùm quia frustranea esset hæc nova condemnatio, si hæc etiam propositio intelligi posset de amore virtuali.

VI. Dubitatur tamen hìc, quoties in vitâ ad actus theologales obligemur ? Sufficiat ne singulis quadrienniis, v. g., actum dilectionis elicere, et bis in vitâ actum fidei ?

Ad quod respondendum, arduum esse præfigere tempus hujus obligationis : nihilominùs ferè eadem ratio, quæ falsitatis convincit propositiones 6 et 7 damnatas ab Innoc. XI (quòd scilicet satis sit singulis quinquenniis ponere actum charitatis, et semel in vitâ

actum fidei), evincit pariter neque sufficere, quòd singulis quadriennis, aut bis in vitâ ponantur, proinde utraque assertio est enormiter falsa. Quâ in re à tyronibus theologicæ facultatis diligenter advertendum, quòd universim in lege solùm præceptiva aut prohibitiva attendenda sint verba legis, et ea strictè sint interpretanda ex reg. 15 Juris in 6. *Odia restringi, et favores convenit ampliari;* propterea si quid præcipiatur semel in vitâ ponendum, non tenemur ponere illud bis; et similiter dùm sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ prohibet Innoc. XI, ne quis hanc propositionem defendat, quòd *satis sit actum fidei semel in vitâ elicere,* non prohibet ne defendatur, quòd satis sit bis in vitâ illum elicere. At ubi damnatur aliqua propositio, attendenda est ratio condemnationis, quæ si æquè militet pro propositione affini, hæc pariter implicitè declaratur falsa, et omninò improbabilis : quis autem non videat dissonantiam ferè eamdem contineri, quòd quis semel, ac quòd quis bis tantùm in vitâ actum fidei eliciat? Utrumque ergo irrationabile est et absonum. Quod in similibus proscriptis thesibus est advertendum; dum enim, e. g., damnatur ab Alex. VII, proposit. 34, dicens : *In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto,* malè quis inferret quòd satisfaciat præcepto, qui recitat officium paschale in Dominicâ Passionis, quando ratio condemnationis eadem, aut ferè eadem est pro utroque casu. Esto excommunicationem non incurreret, qui propugnaret satisfieri in Dominicâ Passionis præcepto per recitationem officii paschalis; eò quòd lege positivâ solùm prohibeatur sub pœnâ excommunicationis, ne doceatur satisfieri præcepto in die Palmarum.

VII. Ad rem nostram, inconcussa videtur sententia Thomistarum ex Angelico doctore, quòd quilibet teneatur ad actum amoris Dei in primo instanti usûs rationis, dummodò homo ad hanc obligationem advertat; idemque dicendum cum communissimâ in mortis articulo; sicut enim in introitu vitæ debet homo suum auctorem agnoscere, illumque diligere, cui tenetur ex filiali amore totâ vitâ inservire; ita in exitu vitæ debet suo ultimo fini firmiter adhærere. Quod tamen attinet ad obligationem in vitæ decursu, nonnulli apud Leandrum docent hominem singulis saltem festis ad actus theologales obligari, sicut virtus Religionis, quæ per se obligat ad sæpè Deum colendum, ex determinatione Ecclesiæ obligat singulis festis ad sacrum audiendum : alii cum Ledesmâ putant homines quotannis ad eos actus per se obligari, sicut obligatio orta ex divino præcepto suscipiendi identidem sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ ex præscripto Ecclesiæ obligat quotannis : Palaus autumat quòd per triennum differre actum amoris sit mortale. Equidem cum Suar. d. 2 de Charitate, sect. 5, censco prudentis arbitrio taxam hujus obligationis præfigendam; cùm enim aliquibus, qui negotiis temporalibus detinentur, rariùs Dei amabilitas proponatur, aliis verò crebriùs, idcircò pro diversâ opportunitate, diversa inest hominibus obligatio se convertendi ad Deum per hos actus; nemo tamen potest citra gravem culpam diutissimè eos negligere. Idcircò Palaus docet esse mortale negligere Dei amorem per triennum, quia videtur homo summum bonum contemnere, et in periculo illud offendendi se constituere, si tamdiù careat Dei dilectione; hæc autem ratio, ut advertit P. Illsung, videtur evincere quòd quilibet multò sæpius ac fortè pluries quotannis ad id obligetur, præsertim si sæpè alicui opportunitas occurrat; etenim, ut notat Hurtadus apud Dia. p. 5, tr. 15, r. 19, qui diù exercitium virtutum theologalium negligit, est in gravi periculo amittendi fidem ac reliquos habitus infusos, qui desuetudine videntur senescere. Propterea ad hos præstantissimos actus eliciendos sæpè conari debemus, at citra ullam anxietatem, cùm vix possit accidere, quòd vir timoratus his præceptis non satisfaciat abundè.

VIII. Ex his decidenda est celebris quæstio apud theologos, num scil. præceptum pœnitentiæ obliget peccatorem per se, ratione suî, idque non solùm in articulo mortis, de quo non dubitatur, aliter peccator incurreret æternam damnationem, si pœnitentiam id temporis omitteret, sed etiam in vitâ, et quando. Vasq. q. 86, a. 2, disp. 3, c. 6, Hurtadus, et alii videntur docere quòd solùm in mortis articulo urgeat hæc obligatio per se, quamvis sæpè urgeat per accidens ratione aliorum præceptorum, puta suscipiendi sacramenta, etc. Lugo disp. 7 de Pœn. n. 234, Cont. disp. 3, dub. 3, ex Suar. d. 15, sect. 6, docent quòd licet præceptum pœnitentiæ non obliget peccatorem ad statim pœnitendum, obliget tamen per se non solùm in mortis articulo, sed etiam antea juxta uniuscujusque opportunitates. Horum sententia communis est inter recentiores, teste Lugo, et amplectenda, tum paritate virtutum theologalium, et religionis; nam si irrationabile est usque ad finem vitæ differre actum fidei, qui vitæ spiritualis est fundamentum, spei, qui ad ultimum finem dirigit, charitatis, qui Deo nos conjungit, ac religionis, quo protestamur nos esse Dei servos ac illum colere tanquàm Dominum universorum; ita irrationabilissimum est usque ad mortem differre actum pœnitentiæ post mortale. Quinimò si non vacat gravi culpâ hominem Dei amicum diù differre actum dilectionis, quo Deo arctiùs uniatur, à fortiori non vacat novâ culpâ diù peccatorem differre pœnitentiæ actum, quod Dei inimicitiam exacutiat, tùm etiam quia videtur Dei amicitiam contemnere peccator diù in inimicitiâ perseverans, juxta illud ad Rom. 2 : *An divitias bonitatis, et patientiæ, et longanimitatis contemnis?* quod patet in humanis; irritat enim principis iram, qui post delictum in principem patratum, potens facilè ejus pacem et gratiam obtinere, nihil illam moretur, sed diù differat petitionem veniæ et reconciliationem : tum demùm quia homo à Deo aversus nequit aptè vitam suam ad finem ultimum ordinare; quinimò facilè in alia peccata dilabitur, juxta illud Greg. hom. 11 in Ezech. : *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit in aliud.*

Opponitur quòd fideles de transgressione hujus præcepti ferè nunquàm se accusent, nec soleant à confessariis de hoc interrogari. Primò instantia est mani-

festa; nunquàm enim fideles se accusant de transgressione præceptorum ad actus theologales obligantium, nec solent de hoc à confessariis interrogari; nec proinde sequitur quòd citra gravem culpam possint diù differri actus theologales. Directè deinde respondendum cum Lugo, vel quòd ex statu pœnitentis soleat colligi horum præceptorum violatio, vel quòd pœnitentes ad hanc obligationem non adverterint, et ideò non peccàrint diù differendo exercitium horum actuum, vel quia putârunt non esse longam dilationem unius anni quousque urgeat obligatio confitendi, ut multi doctores docent; esto probabilius sit, quòd pluries quotannis teneamur Deum diligere, atque adeò non possit peccator per annum negligere reconciliationem cum Deo saltem per contritionem citra novam culpam.

IX. Dubitatur ulteriùs, nùm ad satisfaciendum præcepto fidei sufficiat identidem credere universim quidquid tenet mater Ecclesia, et quicquid Deus revelavit?

Respondeo non sufficere, sed explicitè credendum Deum esse, et esse remuneratorem, quorum uterque actus, ut constat ex 22 ab Innoc. XI proscriptâ, est necessarius necessitate medii. Sunt etiam explicitè credenda mysteria Trinitatis et Incarnationis, ut constat ex propositione 65 ab eodem pontifice proscriptâ; quicquid sit, num fides explicita horum mysteriorum in lege Evangelicâ necessaria sit necessitate medii, an solùm præcepti? Quâ in re doctores variant. Probabilius videtur ex Suar. et Lugo esse tantùm necessariam necessitate præcepti, cùm Apostolus solùm dicat ad Hebr. 11 : *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*, nullâ factâ mentione de iis mysteriis; et quamvis in Symbolo D. Athanasii dicatur necessariam esse ad æternam salutem, fidem de Trinitate et de Incarnatione, aptè id explicari potest aut de fide implicitâ, aut de necessitate præcepti; aliter Gentilis, qui ignorantiâ invincibili horum mysteriorum laboraret, et simul observâsset præcepta naturæ, ac Deum ex toto corde diligeret, salvari non posset, sed teneretur Deus providere illi de mediis, quibus ad ea mysteria noscenda perveniret, ut patet : quod tamen videtur gravi fundamento carere. Illud certum est, culpabilem horum mysteriorum ignorantiam, seu negligentiam in iis addiscendis reddere hominem gravis culpæ reum, et absolutionis sacramentalis incapacem, ut fert propositio 64 ejusdem pontificis, de quâ suo loco. Præterea necessitate præcepti credenda sunt explicitè, crasso tamen modo, et quoad substantiam, quæ in Symbolo continentur, nec non sacramenta ad salutem maximè necessaria, nempè Baptismus, Eucharistia, et Pœnitentia, ac Missæ sacrificium. Dicitur autem crasso modo ea scire, qui interrogatus de singulis novit rectè respondere : similiter quisque tenetur etiam scire præcepta Decalogi et Ecclesiæ. Datur quidem Ecclesiæ præceptum de addiscendo memoriter Symbolo, Oratione Dominicâ, Salutatione angelicâ, etc.; hujusmodi tamen præceptum ex Nav. et Lopez contra Barbosam non obligat nisi sub levi, ut exponit consuetudo.

Censeo demùm non dari obligationem repetendi pluries in vitâ actus fidei necessarios tantùm necessitate præcepti cum eâ frequentiâ, quâ tenemur repetere actus fidei necessitate medii necessarios. Actus tamen fidei de credendo universim ea omnia quæ credit sancta mater Ecclesia identidem in vitæ decursu renovandi. Ubi notandum quòd, licet ex vi præceptorum divinorum teneamur ad actus virtutum theologalium identidem in vitâ repetendos, nihilominùs sententia docens sufficere quòd actus fidei, spei et charitatis non semel in vitâ repetantur saltem quando aliis præceptis satisfaciendum, puta quando accedimus ad sacramentum Pœnitentiæ, vel quando conscius peccati mortalis debet administrare sacramentum, nec habet copiam confessarii, vel quando ad superandam aliquam gravem tentationem est necessarius actus fidei, aut spei, aut charitatis, non repugnat propositionibus hactenùs damnatis; ex iis enim solùm constat, dari speciale præceptum fidei, v. g., et non sufficere, quòd semel in vitâ actus fidei eliciatur; non tamen constat, nec videtur necessarium quòd hujusmodi actus exerceantur extra occasionem satisfaciendi aliis præceptis. Similiter nec repugnat propositioni 64 Innoc. XI sententia Sylvii, et Sanch. apud Dian. p. 3, tr. 5, r. 46, docens absolutionis esse capacem, qui mysteria Trinitatis et Incarnationis inculpabiliter ignorat, eò quòd sit adeò hebes, ut ea percipere aut retinere non possit, ut non rarò in rudibus evenit : addit Tannerus 2-2, d. 1, q. 7, n. 49, quòd licèt horum mysteriorum fides explicita esset necessaria necessitate medii, ut docent Valen., Mol., Laym., apud eumdem Dianam, l. c., non esset tamen necessaria rudibus, qui ea percipere non possunt et in hoc infantibus et fatuis æquiparantur; cùm non sit verisimile Deum ab iis majorem cognitionem exigere, quàm per vim intellectûs ipsi consequi possint. Equidem tamen non ausim subscribere, quia idem esset dicendum de fide explicitâ Dei remuneratoris, cùm possit aliquis adeò hebeti ingenio esse præditus, ut ad talem notitiam non pertingat; censeo potiùs ad divinam providentiam spectare, ne hæc contingant in adultis ratione utentibus, et rationis ductum sectantibus.

X. Dubitatur demùm an debeant exerceri actus fidei et spei, antequàm suscipiatur sacramentum Pœnitentiæ, tanquàm præviæ dispositiones ad justificationem, prout habetur in Trid. sess. 6, cap. 6.

Ad quod respondendum cum Haunoldo, Tambur. in opusc. Confessionis l. 3, cap. 5, et aliis, quòd licèt pœnitens teneatur credidisse suo tempore, quæ sunt credenda, sive necessitate medii sive necessitate præcepti, non tenetur tamen elicere actus fidei formales et explicitos de mysteriis credendis præcisè, ut ad sacramentum Pœnitentiæ disponatur. Etenim Tridentinum loco laudato docet ea quæ solent, non ea quæ debent præire justificationem; nemo enim dixerit sine actu timoris de justitiâ divinâ non posse justificationem in sacramento aut extra sacramentum haberi, et tamen Tridentinum ibidem inter actus, quibus peccator disponitur ad justificationem, enumerat timorem, enumerat etiam fiduciam quam habet peccator, quod

Deus per Christum sit futurus propitius; et tamen nemo dixerit quòd si quis tantùm speret in divinâ misericordiâ, et conteratur, non justificetur; et ideò nec est necesse quòd fiat actus fidei explicitus et formalis, sed sufficit fides illa virtualis quam quilibet habet, dùm veniam petit à Deo, et justificationem ex ejus misericordiâ expectat.

XI. Inquirit Cardenas in expositione propositionis 17 Innoc. XI an consimilis fides virtualis (orta scilicet ex habitu fidei infuso, sed sine explicitâ memoriâ de motivo credendi, nempè de divinâ revelatione) sufficiat ad satisfaciendum obligationi eliciendi pluries in vitâ actus fidei? et de resolutione quæsiti est anxius.

Equidem censeo fidem hanc debere esse formalem, ex motivo scil. Dei revelantis (quicquid sit, an semper ac fides est supernaturalis, nitatur huic motivo, saltem languidè attacto). Ratio est, quia semper verba Scripturæ, conciliorum ac pontificum in materiâ doctrinali sumenda sunt in sensu proprio, nisi quid obstet: quare sicut non sufficit, e. g., in sacramento Pœnitentiæ dolor virtualis inclusus in amore Dei super omnia, sed requiritur dolor formalis, quia nomine doloris propriè venit dolor formalis; ita quia nomine actûs fidei propriè venit actus fidei formalis nixus motivo Dei revelantis, idcircò hujusmodi actus debet pluries in vitâ elici, cùm ex propositione 17 Innoc. XI, non sufficiat semel in vitâ illum elicere.

PROPOSITIONES AB INNOCENTIO XI DAMNATÆ.

PROPOSITIO IV. — *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.*

I. Exponitur: Quòd infidelis non teneatur religionem suam falsam relinquere, et fidem catholicam amplecti, si probabile illi sit suam religionem esse veram, esto probabilius esset quòd esset falsa, docuit Jo. Sanch. dis. 19, n. 9, nixus his fundamentis: Primò quidem, quia prudenter operatur quicumque accommodat se opinioni probabili, etiam in conflictu probabilioris oppositæ; atque adeò sicut non peccat in aliis humanis actionibus, qui sequitur opinionem minùs probabilem, ut docent communiùs DD. contra paucos Probabilioristas, ita nec peccat infidelis, si ductus opinione probabili non deserat sectam suam.

II. Prætereà, quia aliter fidelis etiam teneretur fidem catholicam deserere, si per errorem secta falsa, v. gr., Lutherana, aut Calvinistica appareret probabilior; interdùm enim falsa sunt verisimiliora veris; et si deinde alia secta appareret probabilior, deberet iterùm iterùmque religionem mutare, quod in re tam gravi videtur sapere levitatem. Quocirca videtur posse quilibet in suâ religione persistere, quousque apparet probabiliter vera, etiamsi alia videatur probabilior.

III. Videturque in hanc sententiam inclinare Thomas Sanch. lib. 2 sum. cap. 1, num. 6, ubi adversùs Bannez et Ledes. docentes infidelem teneri credere Evangelio, si illud proponatur magis credibile, etiamsi sua secta credibilis etiam videatur, docet id solùm esse verum in articulo mortis, quia tunc debet quilibet tutiorem ac probabiliorem partem amplecti; at extra mortis articulum poterit infidelis in suâ sectâ prudenter perseverare, eò quòd supersit tempus ad rem tanti momenti meliùs examinandam: præsertim quia mysteria fidei sunt adeò sublimia, et Christi leges adeò carnis et sanguinis legibus repugnantes, ut non quælibet major probabilitas sufficiens videatur ad inducendam credendi obligationem.

IV. Videtur etiam favere D. Th. 2-2, q. 1, a. 4, ubi ad obligationem credendi requirit evidentiam credibilitatis, non verò majorem probabilitatem. *Non enim crederet*, inquit, *nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi*, undè Christus Dom. Joan. 15, dixit: *Si signa non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent;* atque adeò à peccato infidelitatis excusandus videtur infidelis, si ductus opinione minùs probabili non credat, donec habeat non probabilitatem solùm majorem, sed etiam evidentiam credibilitatis, quæ expugnet probabilitatem illam, quâ ducitur ad non credendum.

V. Ostenditur falsitas, quia, ut diximus in expositione antecedentium propositionum, nunquàm licet sequi opinionem minùs probabilem, quando datur lex, consuetudo, conventio de sequendâ probabiliori, aut quando periculum gravis damni ad id obliget; eò quòd non pendeat ab opinionis probabilitate illud vitare. Hinc docent communissimè non esse licitum in sacramentis conferendis sequi opinionem minùs probabilem de eorum valore; sicut non licet medico sequi in medendo opinionem hujusmodi minùs tutam, cùm non pendeat ab opinionis probabilitate, quòd sacramentum sit validum, et quòd pharmacum sit curativum. Contra verò, quia in aliis humanis actionibus ab opinionis probabilitate pendet, quòd vitetur peccatum formale, seu imputabile operanti, idcircò licitum est in iis sequi opinionem minùs probabilem in conflictu probabilioris; atqui in casu nostro non pendet ab opinionis probabilitate, quòd secta sit vera; sicut neque, quòd sacramenta, v. gr., quæ fortè falsò creduntur, causent gratiam et ad salutem perducant; vel quòd actus fidei qui elicitur, sit supernaturalis (ad quod requiritur, quòd nitatur revelationi veræ, non putatæ) et disponat ad vitam æternam: ergo ad vitandum periculum sequendi sectam falsam, sicut etiam ad vitandum periculum carendi gratiâ sacramentali, aut fide ad salutem necessariâ, atque adeò ad vitandum periculum æternæ damnationis, illicitum est his in rebus duci ab opinione minùs probabili.

VI. Adde, infidelem non posse habere veram probabilitatem de suâ sectâ inculpabiliter; si enim observet naturæ leges, et oret ad assequendam veritatem, (uti tenetur) quando duplex secta opposita videtur probabilis, Deus volens omnes homines salvos fieri, non deerit suâ illustratione, quo ostendatur vera religio; cùm certum sit, quòd extra veram catholicam fidem nemo salvus esse possit, ut dicitur in formâ professionis fidei apud Tridentinum, et in cap. *Firmiter* de Sum. Trin., et in extravag. *Unam Sanctam* de Major., et Obed.: ergo infidelis non credens ductus opinione minùs probabili, peccat etiam in causâ, non orando, ut veritas patefiat. Sicut enim qui tenetur in-

quirere an hodiè jejunandum sit, sì omittat id inquirere ad quod tenetur, peccabit non jejunando ob culpabilem negligentiam inquirendi veritatem; quinimò excommunicationem, v. gr., latam contra non jejunantes incurreret, si ignorantia graviter culpabilis esset, vel affectata, quæ in jure æquiparatur scientiæ, vel crassa, aut supina, quæ æquiparatur dolo ex cap. *Eos qui* de Tempor. ordin. in 6 et ex cap. Ut *animarum* de constit. in 6 apud Sanch. lib. 9, disp. 31, num. 31, et Cont. dub. 13, (quidquid sit, an possit dari ignorantia graviter culpabilis quæ non pertingat ad crassam, aut supinam quæ à censurâ excuset? Quam laudati DD. admittunt contra Suar.): ita pariter infidelis ductus opinione minùs probabili, si omittat inquirere, prout tenetur, graviter peccat non credendo, ob eam scil. culpabilem negligentiam, et ignorantiam, in quâ ipsa infidelitas est interpretativè volita, ut advertit Vasquez p. 2, disp. 126.

VII. Ad primam rationem in contrarium jam diximus opinionem minùs probabilem in hoc casu esse solùm probabilem speculativè, non tamen practicè; ut non est probabilis practicè opinio minùs probabilis de valore sacramenti in conflictu tutioris ob imminens periculum damni gravis.

VIII. Ad secundam, non est eadem ratio de infideli ac de fideli: infidelis peccat, si non credat ductus opinione minùs probabili, quia opinio minùs probabilis est solùm apparenter probabilis, cùm habeat ontra se evidentiam credibilitatis, quam pariunt signa et notæ omnes, quæ reddunt fidem catholicam evidenter credibilem: cujusmodi sunt ex Bell. lib. 2 contra P. l. 4, sanctitas doctrinæ firmitas, et uniformitas in quovis tempore et loco inter tot persecutiones, Christi auctoris sapientia ac sanctitas infinita, ministrorum virtus, per quos propagata est, modus propagationis per paucos piscatores ac rudes, constantia martyrum, prophetiæ antecedentes tam dilucidè impletæ, gloria tot miraculorum, et aliæ similes, quibus visis infideles sunt inexcusabiles, ut dicitur ad Rom. 1, et fideles cum omni fiduciâ dicere possunt Deo cum Rich. à S. Vict. l. 1 de Trin. c. 2: *Domine, si error est, à te decepti sumus, ista enim nobis sunt tantis signis et prodigiis confirmata, et talibus quæ nonnisi per te fieri potuerint.* Quòd si aliquando infidelis putet suam sectam esse probabiliter veram, et religionem catholicam probabiliùs tantùm veram citra evidentiam credibilitatis, tenetur, ut diximus, sequi sententiam tutiorem ac probabiliorem, et simul tenetur orare Deum, qui, ut dicitur, Joan. 1, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, et paratus semper est ostendere lumine fidei supernæ subobscuro evidentiam credibilitatis mysteriorum nostræ fidei, unde probabilitas falsæ sectæ evanescat. At fidelis secundùm se nequit habere opinionem minùs probabilem de veritate fidei catholicæ, tum quia signa credibilitatis reddentia evidenter credibilem fidem catholicam, atque adeò parientia aliquam moralem evidentiam de ejus veritate, non dant locum prudenti dubitationi, nedùm probabilitati in oppositum; tum etiam quia ad credendum fide supernaturali fidelis indiget evidentiâ istâ credibilitatis, si minùs objectivâ, ortâ scil. ex merito et ex consideratione signorum credibilitatis, saltem subjectivâ, et consentaneâ propriæ capacitati; quatenùs rustici, v. g., vel pueri, qui non possunt notas credibilitatis à parocho, vel parentibus propositas ad trutinam revocare, habere debent evidentiam moralem credibilitatis et credentitatis sibi consonam, adeò ut non dubitent teneri ad credendum; cùm Deus non obliget nos ad exhibendum ipsi cultum intellectualem supremum per fidem, sine certitudine morali de revelatione excludente prudentem formidinem de opposito, ut advertit Lugo. Unde fit, quòd quantùmcumque deinde consurgant motiva in contrarium, non possint fideles prudenter veram fidem deserere, cùm nunquàm dari possit probabilitas, quæ illam evidentiam moralem expugnet, ut constat ex propositione 20 damnatâ ab eodem Innocentio XI quæ habet: *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem:* quæ propositio deducebatur à prævià propositione damnatâ, cujus tenor est: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*; cùm enim ex imperio voluntatis, et ex piâ affectione ad fidem, etiam rustici et pueri teneantur habere assensum subjectivè simul et objectivè firmissimum, magis quàm meretur pondus rationum ad assensum impellentium, ut suo loco explicabimus, sequitur quòd nunquàm possint veram fidem deserere, nec possint motiva in oppositum prudenter suadere repudium veræ fidei. Unde potest quilibet dicere illud Ps. 118: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.*

Quinimò assensus fidei supernaturalis nunquàm potest esse formidolosus et opinativus, sed est firmissimus excludens omnem formidinem, ut constat ex propositione sequenti 21 quæ dicit: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem, stat cum notitiâ solùm probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidet, ne non sit Deus locutus*; et licet Suarius putet in rusticis et pueris evidentiam credibilitatis, quam non possunt habere ex consideratione signorum credibilitatis, suppleri à lumine fidei; hoc tamen communiùs negant, cùm sufficiat, quòd indoctus advertat se teneri ad amplectendum in iis, quæ ad religionem spectant, quod pii ac docti prædicant et docent; ac proinde citra ullam formidinem credunt quod audiunt à parocho, vel à parentibus.

X. Dices: Potest aliquando fidelis inter Lutheranos degens, audiendo eorum errores credere quòd probabilior sit hæresis Lutherana, quàm fides catholica; sicut potest rusticus credere incarnationem Spiritûs S., si à parocho ea proponatur: ergo potest aliquando prudenter fides catholica respui.

Respondeo, quòd fidelis in iis, quæ sunt necessaria ad salutem necessitate medii (ut est fides in Deum remuneratorem, et probabiliter etiam fides de Trinitate et Incarnatione), non possit invincibiliter errare, cùm Deus non desit in necessariis; imò ne ipsis qui-

dem infidelibus permittit Deus horum mysteriorum ignorantiam invincibilem et inculpabilem, ut constat, tum ex illo axiomate: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam suam;* tum ex propositione 5 damnatâ ab Alex. VII, quæ dicit paganos, Judæos, hæreticos nullum accipere à Jesu Christo influxum, et carere gratiâ sufficienti. Possunt tamen etiam fideles aliquando errare invincibiliter in iis articulis quorum fides est solùm necessaria necessitate præcepti, puta in numero sacramentorum, etc.; et in his casibus fidelis non peccat, imò meretur credendo falsum invincibiliter, non secùs, ac meretur qui mentitur, invincibiliter putans se teneri ad mentiendum hìc et nunc, v. gr., ad salvandam vitam innocentis. Quòd si hinc inde habeat opiniones utrinque probabiles, tenetur credere juxta probabiliorem, quando dubium post adhibitas diligentias deponi non potest; in quo casu, si fides esset de articulo falso, esset assensus naturalis, non supernaturalis, eò quòd ex Trid. sess. 6, cap. 9, fidei supernaturali non possit subesse falsum; non secùs, ac si parochus rustico proponat credendam incarnationem tum Verbi, tum Spiritûs sancti, quamvis eodem modo hic conaretur ad credendum firmissimè, ut debet, utrumque articulum duplici actu; sola tamen fides de incarnatione Verbi esset assensus supernaturalis, non verò fides de incarnatione Spiritûs sancti, etiamsi uterque actus imperaretur à piâ affectione ad fidem, quæ esset actus supernaturalis et meritorius. Imò fides ipsa de articulo vero esset pariter assensus naturalis, si imbiberet aliquam formidinem; cùm assensus fidei supernaturalis, ut diximus, formidinem, non secùs ac falsitatem, respuat.

Ex dictis sequitur primò, quòd fidelis fidem suam supernaturalem nunquàm prudenter sit mutaturus, etiam relatè ad articulos, quorum fides est solùm necessaria necessitate præcepti, quamvis teneatur credere quod sibi videtur probabilius. Ratio est, tum quia inquirenti veritatem, et facienti quod in se est, non denegat Deus suam gratiam et illustrationem supernam, ut assequatur, vel retineat fidem veram quæ unicè potest esse supernaturalis; tum etiam quia facilè dignosci potest in his dubiis quid in tali articulo sentiat Ecclesia catholica quæ, ut habet Apost. 1 ad Tim. 3, *columna est, et firmamentum veritatis;* positâ autem Ecclesiæ auctoritate habetur evidentia moralis credibilitatis, quam requirit Angelicus loco laudato, unde evanescit probabilitas in oppositum.

XII. Sequitur secundò, doctrinam adductam Thomæ Sanch., quòd scil. solùm in articulo mortis teneatur infidelis credere quod videtur sibi probabilius, in hoc tantùm sensu debere accipi, quatenùs, nisi instet mors, possit, antequàm firmissimè credat, adhibere diligentiam ad inquirendam veritatem, quâ tamen sufficienter adhibitâ, excusari non potest, si vellet ulteriùs juxta minùs probabilem opinionem credere: diximus enim ex Lugo, quòd Deus non obliget nos ad supremum hunc cultum intellectualem illi per fidem exhibendum, donec certificemur moraliter de credibilitate mysterii credendi; quamvis non debeamus evidentiam de illo, aut de divinâ revelatione expectare. Quare idcircò in articulo mortis debet infidelis statim credere quod sibi videatur probabilius, quia non vacat tunc diligentiam debitam adhibere, non quia in articulo tantùm mortis sequenda sit hâc in re pars probabilior, et tutior; siquidem universim opinionem minùs tutam materialiter, quam possumus sequi in vitâ, possumus etiam in articulo mortis, eò quòd illa debeat esse formaliter tuta. Hinc in articulo mortis, v. gr., licitum est in Sacramento pœnitentiæ adhibere attritionem, omissâ contritione, licet tutiore, ut docent communiùs apud Lugo disp. 7, sect. 13 contra Suarium. Sufficit enim ad vitandum periculum etiam remotum damnationis, quòd moribundus satisfaciat extra sacramentum in articulo mortis præcepto diligendi Deum super omnia.

XIII. Inquiritur anxiè, in quonam sensu verum sit id quod habetur in professione fidei et in symbolo D. Athanasii, quòd scil., *extra fidem catholicam nemo salvus esse possit;* et quod dicitur act. 4: *Non est in alio salus:* cùm enim dictum sit, infidelem salvari posse, dummodò credat fide supernaturali quæ necessariò credenda sunt necessitate medii, vid. Deum esse, et esse remuneratorem, etiamsi invincibiliter ignoret ea quæ credenda sunt necessariò necessitate præcepti, inter quæ juxta, probabilem sententiam, sunt mysteria Trinitatis et Incarnationis; videtur hinc sequi non solùm hæreticos, sed etiam infideles omnes, Hebræos, Mahumetanos, aliosque paganos, dummodò non sint athei, salutem consequi posse, etiamsi ex errore invincibili catholicam fidem ignorent; atque adeò extra fidem catholicam videtur posse salus obtineri, et independenter à fide in Christum Dominum.

Ad hoc dicendum, de fide esse, neminem salvari posse, nisi aliquatenùs Ecclesiam catholicam ingrediatur saltem per votum implicitum Baptismi, inclusum in contritione, aut in dilectione Dei super omnia; nec posse salutem in alio aliquo haberi, nisi in nomine Christi, seu in ejus virtute ac ex ejus meritis; ut proinde essentialiter requiratur fides, si minùs explicita, ut docent quàmplurimi cum Mol., Sanch., saltem implicita de utroque illo mysterio Incarnationis et Trinitatis, ut volunt Laym., Con., Med., Sà apud Dia. p. 3, tr. 5, res. 46, adeò ut culpabilis ignorantia horum mysteriorum sit peccatum grave distinctum ab eo cujus est causa, ut notat Busem., et constat ex propositione 64 Innoc. XI. Hoc posito, verum est neminem extra fidem catholicam in suâ sectâ salvari posse, quatenùs in nullâ aliâ sectâ habentur media ad salutem assequendam; et si desit fides saltem implicita de mysteriis in sectâ catholicâ credendis, deest fundamentum salutis, quandoquidem sine hâc fide impossibile est placere Deo. Quando autem ex invincibili ignorantiâ aliquis sectatur aliam fidem eo animo, ut per contritionem, vel dilectionem Dei super omnia velit præcepta omnia servare, atque adeò implicitè veli credere quicquid credendum est, retractetque idipsum quod explicitè credit, et consequenter velit etiam implicitè baptismum à Christo institutum; tunc si minùs

dicitur esse intra ovile Christi per fidem explicitam in Christum, et baptismum in re, saltem dicitur esse aliquatenùs in eo ovili et veluti ad januam per fidem hanc implicitam, et per baptismum in voto; et sic salutem consequitur, non vi propriæ sectæ, quam credit explicitè, sed vi sectæ catholicæ, quam implicitè credit, retractando quamcumque aliam fidem. Juxta sententiam verò (de quâ dicemus in expositione propositionis 64) docentem in lege gratiæ esse necessariam necessitate medii fidem explicitam Incarnationis et Trinitatis, dicendum cum Angelico, qu. 14 de Ver., art. 11, quòd si quis in aliâ sectâ, aut nutritus in sylvis legem naturalem observet, Deus, qui non deficit nobis in iis quæ necessaria sunt ad salutem, mitteret, aut angelum, aut concionatorem, qui hunc imbueret mysteriis credendis, ut misit Petrum ad Cornelium, Act. 10. Et ita accidere in præsenti providentiâ existimo: congruum enim est, ut nemo salutem assequatur sine explicitâ notitiâ sui Salvatoris, atque adeò etiam mysterii Trinitatis, quo ignorato nequit Verbi incarnatio explicitè cognosci, nedùm credi. Verùm quia citra controversiam necessaria est necessitate medii fides explicita Dei remuneratoris, atque adeò præmii, ac pœnæ æternæ, idcircò, si quis nutritus in sylvis hæc invincibiliter ignoraret, ac cæterò qui legem naturalem servâsset, procul dubio divinitùs esset imbuendus notitiâ ad hos actus fidei eliciendos necessariâ: si tamen legem naturæ violâsset, (ut passim contingit) damnaretur solùm ob eas culpas, non verò propter infidelitatem negativam, hoc est, ex eo quòd non crediderit ea quæ invincibiliter ignoravit.

Propositio XVI. — *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundùm se.*

Propositio XVII. — *Satis est actum fidei semel in vitâ elicere.*

Propositio XVIII. — *Si à potestate publicâ quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

I. Quod attinet ad duas priores theses, satis superque de iis diximus in expositione primæ propositionis Alex. VII. Quod verò spectat ad ultimam, Suar. disp. 4 de Fide, sect. 3, et Lugo, disp. 14, num. 37, inquirentes num Christianus de suâ religione interrogatus teneatur palam fidem suam fateri, varias referunt DD. opiniones; nonnulli enim cum Angelico, Sylv., Angelo, indiscriminatim docent per se teneri à quocumque fiat interrogatio, quoties dissimulatio cederet in contemptum fidei, aut scandalum pareret; alii cum Valent., Sanch., lib. 2, cap. 4, docent dari ad id obligationem, si interrogatio fiat à personâ publicâ, quia tunc publicè agitur de honore fidei; non verò si fiat à personâ privatâ, cui responderi potest cum contemptu personæ, non fidei: Quid ad te? Rursùs alii docent teneri Christi fidelem ad candidè respondendum, si tyrannus interroget publicè, non tamen, si privatim, quia in hoc casu gerit vices personæ privatæ, et de materiali se habet, quòd sit persona publica. Quinimò in ipsâ personâ publicâ publicè interrogante distinguunt inter regem proprium et extraneum; et relatè ad extraneum, docent minorem dari obligationem respondendi. Alii demùm putant respondendum esse etiam personæ privatæ interroganti, si persona sit gravis, quia tunc tergiversatio cedit in gravem Dei ac Religionis injuriam; secùs verò, si persona sit vilis.

II. Id quod in hâc thesi præscribitur, est solùm, non dari per se obligationem ad respondendum, si interrogatio fiat à personâ publicâ habente jurisdictionem et potestatem ad interrogandum: esto per accidens aliquando hujusmodi obligatio esset, e. g., si persona isthæc publica non interroget in odium fidei, sed ut inimicum detegat; tunc enim non dari hanc obligationem, intrepidè fatetur Suarius, l. c. dicens id per se constare: sicut etiam passim nulla datur obligatio respondendi, si interrogatio fiat à personâ privatâ, præsertim vili. Imò non solùm satius est, sed etiam obligatorium occultare fidem suam, quando scilicet id fieri potest sine injuriâ Dei et Religionis, et sine scandalo, et aliunde ex manifestatione propriæ fidei non speratur utilitas proximi; præstat enim tunc non se prodere. Quòd si periclitaretur ex hâc manifestatione vita, quæ ad aliorum commodum utilis esset et necessaria, daretur certè gravis obligatio fidem occultandi, ut notant D. Thom., Sylv., Angelus dicentes apud Suar. l. c., interdùm esse reprehensibile se prodere, cùm non debeat homo vitam suam exponere periculo sine magnâ causâ utilitatis spiritualis propriæ aut proximorum, vel honoris Dei. Præterquàm quod, cùm possit accidere quòd aliquis se prodendo exponat se periculo fidem negandi, non debet tunc facilè se offerre ad fidem confitendam, nisi necessitas et obsequium Deo ac Religioni debitum ad id cogat, ut monet Cyprianus, ep. 83, et Greg. papa in cap. *Scisciteris* 7, q. 1.

III. Thesis hæc profligata, teste Wilhelmo Sandæo in confutatione trium virorum, fol. 161, desumpta est ex quibusdam thesibus Antuerpiæ propugnatis 16 april. 1674, præside P. Arnaldo Marchant Minoritâ; unde etiam desumptæ sunt propositiones sequentes 19 et 20 ab eodem Innocent. XI proscriptæ. Fundamentum hujus propositionis negantis obligationem per se respondendi, si interrogatio fiat à potestate publicâ, videtur esse primò, quia per se loquendo, nemo tenetur fidem suam prodere: ergo neque si à potestate publicâ fiat interrogatio. Consequentia probatur, quia interrogatio nequit obligationem hanc inducere, nisi solùm si fiat à personâ privatâ, sed neque si fiat à personâ publicâ, nempe à magistratu vel principe, præsertim si sit tyrannus; quippe qui auctoritatem non habet præcipiendi confessionem fidei.

IV. Secundò, potest universim verbis ambiguis et artificiosis decipi, qui non interrogat legitimè: ergo, cùm tyrannus non habeat auctoritatem interrogandi de propriâ uniuscujusque religione, potest eludi hujusmodi interrogatio æquivocando. Neque dicas erubescentiam hanc in fide profitendâ esse fidei injuriosam atque adeò peccaminosam: nam posset

saltem aliquis tacere, non ob erubescentiam, sed ob metum acerbissimæ pœnæ à tyranno infligendæ, qui cadit in constantem virum, aut saltem metu, ne se exponat periculo negandi fidem in tormentis.

V. Tertiò, quia sæpè Sancti et ipse Christus Dom. interrogati de hoc tacuerunt : Lucæ num. 23. Herodes interrogabat Christum Dom. multis sermonibus : *At ipse nihil illi respondebat.* Et Jo. 19 : *Pilatus dicit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei :* ergo non datur per se obligatio ista respondendi, si à potestate publicâ fiat interrogatio de fidei professione.

VI. Ostenditur falsitas, quia, ut advertit Angelicus 2-2, q. 3, a. 2, obsequium Deo ac fidei debitum postulat, ut publicè illam profiteamur, quando taciturnitas cederet in ejus contemptum, aut in aliorum scandalum ; quando autem à potestate publicâ procedit interrogatio de propriâ religione, per se loquendo taciturnitas cedit in fidei contemptum et in scandalum : ergo per se loquendo datur obligatio respondendi candidè et fidem profitendi.

VII. Quod autem obligatio ista sit gravis, constat ex verbis Christi Dom. Lucæ 9 : *Qui me erubuerit, et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet cùm venerit in majestate suâ, et Patris, et sanctorum angelorum :* necnon ex cap. *Existimat*, et cap. *Nolite timere* 11, q. 3, ubi dicitur : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, ne fortè propter timorem mortis non liberè dicatis quod audistis* : quò collineant etiam verba Apost. ad Rom. 10 : *Corde creditur ad justitiam ; ore autem confessio fit ad salutem.* Et Augustinus apud Suar. habet : *Qui metu potestatis veritatem occultat, iramDei super se provocat, quia magis timet hominem quàm Deum.*

VIII. Ad primam rationem in contrarium dicendum, obligationem respondendi in casu nostro, non oriri à potestate quam habet tyrannus interrogandi, sed ex eo quòd per talem interrogationem consurgit articulus necessitatis, pro quo obligat præceptum confitendi fidem. Non solùm enim datur præceptum negativum non negandi fidem, quod obligat semper et ad semper, ac affirmativum credendi mysteria fidei interiùs, quod obligat in vitâ non semel ; sed etiam præceptum affirmativum profitendi fidem exteriùs, quod, ut habet D. Thom. l. c., obligat, *quando per dimissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et utilitas proximi impendenda ; puta, si aliquis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide : in hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis.* Hactenùs Angelicus. Quis autem non videat hæc incommoda oriri per se loquendo, si quis à potestate publicâ interrogatus hâc de re taceat ? Ergo, etc.

IX. Ad secundam, esto publica potestas quantumvis sit legitima et non tyrannica, jus non habeat ad interrogandum de lege, sub quâ quisque vivit, in ordine ad vitam auferendam, aut in odium ipsius fidei ; tenetur tamen, ut ostendimus, quilibet secundùm se respondere, etiam tyranno, cùm ex taciturnitate magnus Deo ac fidei honor debitus subtrahatur : hinc nec erubescentia, nec timor mortis excusant ; quia Dei magis ira pertimescenda quàm hominum, et mors potiùs æterna quàm temporalis. Propterea dicitur Matth. 10 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus ;* et ibidem intrepidè confitenti Christum Dom. promittitur merces magna nimis : *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo ;* erubescentes verò pœnam illam subibunt horrendam : *Qui me erubuerit, hunc Filius hominis erubescet.*

X. Ad tertiam, quoties taciturnitas indicat tyranni contemptum et constantiam in fide, tunc ea est virtualis confessio et responsio, ut in exemplis sanctorum et Christi Dom. Idemque dicas, si tyranno interrogante et minante, Christi fidelis, v. g., crucifixum osculetur, aut jugulum ostendat, ostendendo se paratum vitam potiùs quàm fidem perdere.

XI. Ex dictis sequitur primò, quòd sicut per se loquendo tenemur respondere, quando à potestate publicâ de nostrâ religione interrogamur ; ita pariter per accidens teneamur etiam respondere, si à personâ privatâ interrogemur ; quoties per accidens ex taciturnitate pariter honor Deo ac fidei debitus subtrahitur, aut alii à fide avertuntur ; etenim, Augustino teste in lib. de Fide et Symb., *salvi esse non possumus, nisi nos ad salutem proximorum etiam orè profiteamur fidem.* Hujusmodi autem obligatio in tali casu, ut notat, Lugo l. c. num. 62, et Petrus de Tapiato 2 Caren. Moral. l. 1, q. 3, non solùm oritur ex charitate, ne scil. alii in fide vacillent, sed ex ipso fidei præcepto affirmativo, quo obligamur ad illam profitendam, quoties ex taciturnitate per se sequitur aliorum vacillatio.

XII. Sequitur secundò, quòd si quis à potestate publicâ in locis Belgii, v. g., interrogetur, an sit fidelis, non intuitu fidei, sed ad imponendum tributum Catholicis, vel ad alium finem nullatenùs pertinentem ad fidem ; quamvis peccet non respondendo superiori juridicè interroganti, non peccat tamen contra præceptum affirmativum profitendi fidem, si dissimulet ; cò quòd hujusmodi taciturnitas nullatenùs redundet, ut supponitur, in fidei contemptum.

XIII. Sequitur tertiò ex Suar. l. c. Lugo, Con., Palao, quòd si tantùm in generali per edictum proponatur, ut si quis est fidelis, se prodat, cùm multi adsint occulti, nullus per se loquendo teneatur se prodere, cùm nemo propriè interrogetur ; unde non cedit in fidei contemptum isthæc occultatio ; ea enim, ut diximus, sæpè est expediens et aliquando etiam necessaria, ut quando in bonum aliorum necessaria est vita ejus qui vellet se prodere ; unde aliquando tempore persecutionis licitum est fideli fugere, ne interrogetur et fidem confiteri compellatur : quod expressè docuit Christus Dom. tum suo exemplo, qui non solùm infans fugit Herodem, sed etiam factus vir alterum Herodem fugit, Matth. 4, ut notavit Greg. papa in laudato cap. *Sciscitaris ;* tum verbis illis Matth 10 : *Cùm vos persequentur in civitate istâ, fugite in aliam ;* hæc enim fuga est quædam virtualis fidei confessio, et quædam portio martyrii ; siquidem exilium

quando per fugam assumitur, est quædam pœna quæ propter fidem suscipitur. Aliquando verò hujusmodi fuga est etiam præcepta, ut si quis valdè timeat de suâ fragilitate, ne metu mortis sit fidem negaturus; aut si persona sit ad utilitatem fidelium necessaria, ut notat Augustinus de D. Paulo ad hunc finem fugiente, ubi dixit 2 ad Cor. 11 : *Per murum in sportam demissus sum, et sic effugi manus ejus.*

Quòd si fuga alicujus, præsertim pastoris, tempore persecutionis, esset aliis detrimento spirituali, certè esset peccaminosa; tenemur enim magis diligere proximum in spiritualibus, quàm nos in temporalibus; et *bonus pastor*, ut habetur Joan. 10, *animam suam ponit pro ovibus suis*; *mercenarius autem videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit.*

XIV. Dubitatur an licitum sit fidei in terris Turcarum uti pileo turcico et tobaliâ albâ ad vitandum mortis periculum? Negant Cajet., Tolet., Val., Nav., sed probabiliùs affirmant Suar., Sanch., Cont., Tann. apud Dia. p. 3, tr. 5, res. 49, quia hujusmodi vestes non sunt signa religionis protestativa, sed sunt signa indifferentia; et ita se habent, ac verba ambigua, quibus licitè ex rationabili causâ veritas occultatur : propterea vestes illæ Turcicæ, nec mendacium continerent, nec ullam præ se ferrent negationem fidei, sed meram fidei occultationem cum materiali simulatione.

XV. Imò ex Sanch. l. 2, cap. 4, num. 25, neque delinqueret adversùs fidei confessionem, qui ad occultandam religionem et ad evadendum mortis periculum, carnibus, v. g., vesceretur feriâ sextâ in locis hæreticorum, etiamsi ex observantiâ talis legis soleant Catholici ab hæreticis discerni. Ratio est quia carnium esus non est de se signum aut professio hæresis, sed multis de causis adhiberi potest tanquàm aliquid indifferens; quamvis per accidens Hæretici talem esum ad suæ perfidiæ signum trahant. Notat tamen Lugo disp. 14 de Fide num. 106, circa hunc esum carnium, non posse Catholicum carnibus vesci diebus vetitis coram Hæreticis, nec quando ab omnibus præsentibus scitur, quòd sit Catholicus, nec quando solùm timetur periculum irrisionis; quippe quod est levissimum malum, adscribendum potiùs honori à Catholico, quàm ignominiæ; nec quando aliquo prætextu potest ea necessitas declinari, puta prætexendo debilitatem stomachi, aut appetitum piscium vel ovorum : nec demùm quando etiam sine superioris coactione sodales hæretici sese mutuo invitant et hortantur ad esum carnium in contemptum Ecclesiæ. Advertit etiam idem Lugo num. 43 ex Suar. Cont., Sanch., non teneri catholicum cum gravi suo periculo ad utendum veste, vel signo à principe statuto, quo Christianus ab Hæreticis distinguatur; omissio quippe talis signi non censetur virtualis negatio, sed solùm mera occultatio fidei licita ad periculum evadendum. Nunquàm tamen poterit Catholicus uti signo ad protestandam falsam sectam instituto.

PROPOSITIO XIX. — *Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

PROPOSITIO XX. — *Hinc potest quis pruaenier repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem.*

I. Exponuntur. Utraque propositio desumpta est ex iisdem thesibus Antuerpiæ propugnatis à P. Arnaldo Marchant Minoritâ, teste Sandæo, ut diximus in propositione antecedente; et de utràque hâc propositione nonnulla diximus in expositione propositionis IV Innocent. XI, ubi ostendimus infidelem non excusari ab infidelitate, si non credat, ductus opinione non minùs probabili, quam potest habere de suâ falsâ sectâ; fidelem verò non posse habere, aut ignorantiam invincibilem in præsenti providentiâ, aut opinionem minùs probabilem de mysteriis necessariò credendis necessitate medii. Ostendimus pariter fidelem non posse prudenter repudiare assensum fidei supernaturalem, etiam de mysteriis credendis necessitate duntaxat præcepti, eò quòd inquirenti veritatem in his dubiis, et consulenti sensum Ecclesiæ, quæ ut dicitur 1 ad Tim. 3, *columna est, et firmamentum veritatis*, non possit falsus fidei articulus apparere verisimilior : unde nequit prudenter assensus fidei verus ac supernaturalis repudiari; quod ulteriùs hìc prosequendum est.

Verùm circa priorem propositionem advertendum, non negari ab adversariis, quòd requiratur ad actum fidei imperium voluntatis, seu pia affectio supernaturalis ad fidem; aliter quomodo posset actus dici meritorius? Propterea ad Rom. 10 dicitur : *Corde autem creditur ad justitiam*, hoc est, voluntate, liberè fidem imperante; et in Trid. sess. 6, cap. 6, *liberè moventur in Deum credentes.* Neque ab adversariis negatur, quòd possit voluntas imperare assensum firmissimum et constantissimum, ita ut parata sit potiùs vitam quàm fidem desgrere. Quòd ab iis negatur est voluntatem posse efficere, quòd assensus fidei sit in seipso magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad illum impellentium.

In iis thesibus Antuerpiæ propugnatis hæc habentur thesi undecimâ : *Judicium credibilitatis, quo judicamus de honestate fidei ejusque necessitate, voluntati servit, ut firmiter invictèque assensum imperet, non intellectui, ut certiùs firmiùsque assentiatur. Voluntas non potest efficere ut assensus fidei sit in se ipso magis firmus quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat supernaturalem.* Hâc in re, ne terminis implicemur, duplex distinguenda est firmitas in actu fidei : altera dicitur firmitas affectiva, quæ habetur ratione voluntatis imperantis assensum, et obfirmato animo volentis credere; cujusmodi firmitas habetur etiam in iis qui obstinatè et imprudenter volunt aliquid affirmare : altera dicitur firmitas intellectualis, seu firmitas adhæsionis objecto credito, quæ est essentialis ipsi actui fidei supernaturalis, et identificatur cum ejus summâ certitudine, ut constat ex Angelico in 3, dist. 26, art. 1, ubi definiens certitudinem actûs, hæc habet : *Certitudo propriè dicitur firmitas adhæsionis virtutis cognoscitivæ ad suum cognoscibile;* et q. 24 de Verit. art. 1, dicit certitudinem actûs scientifici duo

importare, firmitatem adhæsionis et evidentiam; in primo autem prædicato fidem esse præstantiorem scientiâ, juxta illud 2 Petr. 1 : *Habemus firmiorem propheticum sermonem;* secùs in secundo, cùm fides ex Apostolo sit *argumentum non apparentium*. De hâc itaque firmitate adhæsionis, quam habet actus fidei in se ipso, et ex suis prædicatis essentialibus, loquitur thesis profligata, dicens, non posse voluntatem efficere, quòd actus sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

II. Ubi pariter distinguendum inter motivum intrinsecum actûs fidei, quod est unicè prima veritas revelans, et inter rationes extrinsecas impellentes ad actum fidei, quæ sunt auctoritas humana Ecclesiæ seu parochi, miracula, prophetiæ, sanctitas doctrinæ, consensus doctorum et alia signa credibilitatis : sicut enim relatè ad actum charitatis, aliud est motivum intrinsecum, vid. Dei summa bonitas, aliud motivum extrinsecum impellens ad actum charitatis, quod sæpè est metus naufragii, mortis, gehennæ, etc., adeò ut actus non esset charitatis, nec dolor de peccatis esset perfecta contritio, sed attritio, si moveretur à metu gehennæ; secùs verò, si à metu gehennæ solùm impellatur voluntas ad Deum diligendum, et ad detestando peccata ex motivo divinæ bonitatis offensæ : ita actus non esset fidei divinæ, nec supernaturalis et infallibiliter certus, si moveretur ab auctoritate humanâ Ecclesiæ et à signis credibilitatis; secùs verò si ab his tantùm impellatur ad credendum ex motivo intrinseco primæ veritatis revelantis.

III. His explicatis, perspicuum fit adversarios velle quòd voluntas non possit efficere vi sui imperii, quòd assensus fidei supernaturalis nixus motivo intrinseco fidei habeat majorem firmitatem adhæsionis, seu certitudinem majorem, quàm mereantur rationes istæ extrinsecæ, nempè signa credibilitatis et auctoritas humana Ecclesiæ, quæ ad summum parere possunt evidentiam et certitudinem moralem, compossibilem cum falsitate : unde fieret quòd vel assensus fidei non esset supernaturalis, vel si esset supernaturalis, non esset infallibiliter verus : quod est contra Trid. sess. 6, cap. 9, dicens, actui fidei falsum subesse non posse.

IV. Fundamentum hujus erroris videtur esse, quia ut habetur in thesi Antuerpiæ propugnatâ, judicium credibilitatis ortum ex signis credibilitatis, seu ex rationibus ad assensum fidei impellentibus, solùm deservit, ut voluntas firmiter invictèque assensum imperet, non verò ut intellectus firmiùs ac certiùs assentiatur : ergo actus fidei solùm habet firmitatem affectivam ex imperio voluntatis, non verò firmitatem intellectualem seu adhæsionis, nec certitudinem majorem quàm mereantur rationes illæ extrinsecæ ad assensum impellentes.

V. Confirmatur, quia assensus fidei, v. g., de mysterio Incarnationis, non potest niti soli primæ veritati revelanti hoc mysterium; cùm enim hæc propositio, Deus revelat Incarnationem, sit propositio neutra, non secùs ac ista alia, astra sunt paria, non habens de se motivum ullum, vi cujus affirmetur potiùs quàm negetur, sequitur quòd in tantum possit voluntas imperare assensum fidei de hoc mysterio, in quantum dantur rationes extrinsecæ ad hunc assensum impellentes : ergo actus fidei in se ipso illam firmitatem et certitudinem habet, quam meretur pondus harum rationum, et solùm ab imperio extrinseco voluntatis est firmissimus, firmitate solùm affectivâ, non intellectuali.

VI. Hinc inferunt, quòd si rationes ad assensum fidei impellentes aliquando à rationibus in contrarium superentur, possit prudenter repudiari actus fidei supernaturalis : v. g., si quis à parocho et episcopis Europæis edoceatur, validum esse baptismum ab hæreticis collatum, idque credat fide supernaturali, et deinde in Africam appulsus audiat ab iis episcopis doctrinâ et sanctitate claris, ex mente D. Cypriani, hujusmodi baptismum esse invalidum, poterit prudenter repudiare assensum, quem præhabuit supernaturalem.

Similiter si rusticus à parocho audivit Incarnationem Verbi, et deinde à pluribus parochis indoctis audiret, non Verbum, sed Spiritum S. fuisse incarnatum, prudenter posset, imò et deberet, priorem assensum supernaturalem de Verbi Incarnatione repudiare : sicut enim tenetur credere Spiritûs S. Incarnationem rusticus, si invincibiliter putet illam esse revelatam à Deo; esto solùm crederet illam assensu naturali; ita qui priùs credidit assensu supernaturali Incarnationem Verbi, et deinde habeat rationes præponderantes, quibus invincibiliter putet Incarnationem, non Verbi, sed Spiritûs sancti esse à Deo revelatam, et ab Ecclesiâ doceri, tenebitur hanc credere, et priorem assensum supernaturalem de Verbi Incarnatione repudiare.

VII. Ostenditur falsitas prioris propositionis, quia si voluntas non posset efficere ut intellectus adhæreat assensu fidei in nixo Deo revelanti, ita in se ipso firmo, firmitate intellectuali condistinctâ à firmitate affectivâ, ut superet firmitatem adhæsionis, quam merentur rationes ad assensum impellentes, sequeretur quòd assensus fidei non esset infallibilis, et consequenter nec supernaturalis, quod nemo catholicus dixerit. Sequela probatur, quia infallibilitas in actu fidei non haberetur à prædicatis intrinsecis actûs fidei, quippe qui solùm haberet firmitatem quam merentur rationes illæ extrinsecæ, quæ non est firmitas summa metaphysicè incompossibilis cum falsitate : neque haberetur à firmitate affectivâ, quæ non est apta nata parere infallibilitatem in actu, ut patet; hæretici enim, e. g., firmissimè credunt firmitate affectivâ falsa dogmata, et assensus ille firmissimus est falsus : ergo in actu fidei supernaturali non daretur infallibilitas, si voluntas non posset efficere, quòd actus fidei ita nitatur Deo revelanti, ut hujusmodi actus ex prædicatis intrinsecis majorem firmitatem habeat, et connexionem cum mysterio credito, quàm habeat actus nixus rationibus ad fidem impellentibus. Quare sicut longè præstantior est actus contritionis nixus bonitati Dei offensi, quàm actus nixus metui naufragii et gehennæ ad actum contritionis impellentium; ita

longè præstantior, et in se ipso magis firmus firmitate intellectuali ex imperio voluntatis est actus fidei nixus Deo revelanti, quàm si niteretur signis credibilitatis, et auctoritate humanæ Ecclesiæ ad assensum impellentibus. Ubi vides, quòd sicut posito metu gehennæ liberum est voluntati, vel elicere actum attritionis conceptum ex tali metu, vel usurpare hunc metum tanquàm rationem extrinsecam impellentem ad actum contritionis perfectissimum, qui unicè moveatur à bonitate Dei offensi; ita positis signis credibilitatis, et auctoritate humanâ Ecclesiæ proponentis Incarnationem, liberum est voluntati, vel imperare assensum naturalem et de se infallibilem nixum his motivis humanis, vel usurpare hæc motiva tanquàm rationes extrinsecas impellentes ad actum fideî supernaturalem, qui unicè moveatur à primâ veritate revelanti.

VIII. Confirmatur primò, quia ad assentiendum firmissimè objecto, vel requiritur evidentia objecti, vel imperium voluntatis : atqui relatè ad objectum fide divinâ super omnia credibilia firmissimè credendum, non datur evidentia objecti, cùm fides sit argumentum non apparentium : ergo sola voluntas potest intellectum inclinare ad firmissimè credendum, atque adeò potest voluntas efficere, quòd assensus fidei sit firmior in se ipso, quàm mereatur pondus rationum ad fidem impellentium.

IX. Confirmatur secundò, quia voluntas liberè utitur habitu fidei supernaturali, sicut et aliis habitibus infusis et auxiliis extrinsecis : ergo voluntas potest liberè imperare assensum fidei supernaturalem causatum ab habitu fidei infuso, aut ab auxilio supernaturali positis signis credibilitatis ad assensum impellentibus; sed hujusmodi actus supernaturalis fidei esset in se magis firmus firmitate intellectuali, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium, cùm non possit assensus nixus his rationibus creatis esse theologicus, supernaturalis et infallibilis : ergo potest voluntas efficere, ut assensus fidei sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum impellentium ad fidem.

X. Adde, quòd per adversarias rationes ad assensum impellentes non mereantur nisi assensum opinativum et fallibilem; aliter ineptè inferretur quòd prudenter possit actus fidei supernaturalis repudiari, si consurgant rationes efficaciores in contrarium; sed erroneum est dicere quòd voluntas non possit efficere quominùs actus fidei supernaturalis sit magis in seipso firmus firmitate intellectuali, quàm sit actus opinativus et fallibilis : ergo ut supra.

XI. Altera poposito dicens : *Hinc rectè inferes*, etc., nequit legitimè deduci ex illâ priori, si assensus supernaturalis fidei supponatur habere firmitatem plusquàm fallibilem et opinativam, prout debet ab omnibus supponi; quomodò enim posset prudenter deseri assensus fidei, nisi esset fallibilis et tantùm probabiliter verus, ita ut possit apparere probabilior ejus falsitas? Quòd si esset fallibilis, jam non esset supernaturalis, cùm actus fidei sit supernaturalis essentialiter verus ex Tridentino loco laudato.

Deinde directè ostenditur assensum supernaturalem non posse prudenter repudiari : nam vel nititur rationibus creatis, seu signis credibilitatis ad assensum impellentibus, et hujusmodi assensus non est theologicus et supernaturalis, cùm non nitatur Deo loquenti; vel positis signis credibilitatis nititur Deo loquenti. Et quomodò potest prudenter testimonium divinum ampliùs repudiari? 1 Joan. 5 dicitur : *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se :* atqui tantum testimonium prudenter repelli non potest; ergo nunquàm potest actus fidei supernaturalis præconceptus repudiari.

Confirmatur : Ut actus fidei sit supernaturalis, et cum influxu habitûs fidei infusæ, debet mysterium creditum esse evidenter credibile, quin sufficiat sola probabilitas, quòd Deus sit locutus, admiscens formidinem, ne Deus non sit locutus, ut dicemus in expositione propositionis sequentis : positâ autem evidentiâ credibilitatis, non potest ampliùs probabile esse, quòd Deus non sit locutus, ut patet; ergo actus fidei supernaturalis non potest ampliùs prudenter repudiari.

XII. Ad rationes in contrarium : Judicium evidens credibilitatis ortum ex signis credibilitatis mysterii credendi, deservit ad prudenter imperandum actum firmissimum, tùm firmitate affectivâ, tùm firmitate intellectuali; si enim solùm esset probabiliter verum, quòd Deus revelaverit incarnationem, non daretur motivum sufficiens ad imperandum assensum fidei adeò firmum firmitate affectivâ, ut homo esset paratus potiùs vitam perdere, quàm fidem de tali mysterio, etiamsi angelus evangelizaret oppositum, ut habetur ad Galat. 1. Quando autem datur evidentia credibilitatis, quamvis non detur evidentia veritatis, tunc imprudentissimè non creditur; et injuria irrogaretur primæ veritati, si nollemus illi credere, nisi quando datur evidentia revelationis : sicut injuria irrogaretur principi per suos ministros præcipienti, si nollemus obedire, quoties non præcipit nobis aliquid immediatè, prætendendo excusationem ex eo, quòd non constet evidenter ministros nomine principis præcepta imponere. Propterea, si positâ evidentiâ credibilitatis, quæ reddat doctrinam credibiliorem quâcumque aliâ illi repugnante, voluntas renuat imperare assensum fidei firmissimum, peccat; si verò positâ probabilitate tantùm revelationis divinæ, voluntas imperet assensum fidei firmissimum, talis assensus, etiamsi unicè nitatur Deo revelanti, et revelatio sit vera, non erit assensus supernaturalis, sed naturalis, ut dicemus in expositione propositionis sequentis; et consequenter hujusmodi assensus fidei erit solùm firmissimus firmitate affectivâ, non intellectuali : solus quippe assensus supernaturalis habet hujusmodi firmitatem summam, seu connexionem infallibilem cum objecto credito magis quàm habeat actus scientificus cum objecto scito; adeò ut possit fidelis dicere cum Augustino, 7 Confess. 18 : *Facilius dubitarem me vivere, quàm vera esse quæ audivi.* Denique, si positâ evidentiâ credibilitatis voluntas captivet intellectum in obsequium fidei, et velit ex toto corde credere,

Deus præstò est ad concurrendum, vel cum habitu fidei infuso, vel cum auxilio supernaturali ad actum fidei supernaturalem usquequàque firmissimum; potest ergo voluntas efficere, quod ponatur actus fidei supernaturalis, atque adeò quòd assensus fidei sit in seipso firmissimus, qualis non esset, si meris rationibus extrinsecis ad fidem impellentibus niteretur.

Ad confirmationem, equidem in tractatu de Fide dixi cum Angelico, Suaresio, Con., Valen., contra Ripaldam, Lugo, et alios R.R., fidem niti uni primæ veritati revelanti; quamvis enim hæc propositio: Deus revelat incarnationem, sit neutra; at illustrata motivis credibilitatis, sicut potest in sententiâ adversariorum movere inadæquata ad assensum (aliter assensus non esset theologicus, si ne inadæquatè quidem niteretur primæ veritati revelanti), ita in meâ sententiâ potest movere adæquatè. Verùm dato quòd signa credibilitatis essent motivum immediatum, ut docent Ripal. et Lugo, et prima veritas revelans sit motivum ultimatum, nemo tamen dixerit fidem eam solùm firmitatem habere intellectualem, quam merentur signa credibilitatis, quæ movent immediatè; aliter actus fidei non esset firmissimus et infallibilis, nec supernaturalis.

XIII. Ad id, quod additur pro secundâ thesi dicendum, posse quidem rusticum audientem à parocho quòd Spiritûs S. sit incarnatus, conari ad actum fidei de incarnatione Spiritûs sancti, ita ut actus voluntatis imperans hujusmodi actum sit supernaturalis et meritorius, actus verò fidei, cùm sit falsus, sit solùm naturalis; at si rusticus audiat à parocho incarnationem Verbi, et post sufficientem evidentiam credibilitatis saltem respectivam, seu consentaneam capacitati rusticorum, imperet actum fidei supernaturalem de Verbi Incarnatione, nullatenùs deinde poterit prudenter hujusmodi actum repudiare, etiamsi à sexcentis episcopis, et ab ipsis angelis, si fieri posset, audiret, non Verbum esse incarnatum, sed Spiritum sanctum. Ratio est quia postquàm rusticus positâ evidentiâ credibilitatis semel elicuit actum super omnia credibilia firmissimum et supernaturalem, relucente deinde aliquâ ratione in contrarium, tenetur inquirere de veritate et de sensu Ecclesiæ catholicæ circa tale mysterium: inquirenti autem Deus præstò est suâ illustratione, siquidem *Inquirentes Dominum non deficient omni bono*, ut dicitur Ps. 33, ac propterea nullatenùs poterit prudenter assensum supernaturalem repudiare. Idem dicendum de eo qui in Africâ ab innumeris episcopis audiret baptismum ab hæreticis collatum esse invalidum; hic enim memor actus fidei semel olim eliciti, quòd hujusmodi baptismus sit validus, teneretur inquirere quid pontifex, et Ecclesia catholica, columna et firmamentum veritatis, hâc de re doceat; nec Deus (qui, ut dicitur Joan. 1, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*) permitteret hunc frustrari notitiâ sufficiente ad retinendam veram fidem; unde non posset prudenter à fide supernaturali semel conceptâ recedere.

Dices cum Petro Hurtado q. 14 de Fide, antequàm definiretur ab Ecclesiâ quòd, v. g., baptismus ab Hæreticis collatus sit validus, dùm hinc inde episcopi sanctitate et doctrinâ clarissimi oppositum prædicabant, et in praxim deducebat unusquisque sententiam suam, quare non poterat rusticus priùs elicere fidem supernaturalem de validitate talis baptismi, prout à parocho edocebatur, et deinde hunc actum prudenter repudiare audiendo quòd D. Cyprianus doceret oppositum? —Respondeo, quòd si de aliquo articulo fidei sit controversia apud Catholicos, actus fidei de illo non est supernaturalis, sed naturalis; aliter fides supernaturalis stare posset cum formidine, ne Deus non sit locutus, quod fieri non posse mox ostendemus; quando verò est moraliter evidens ex signis credibilitatis, aut est omninò certum ex definitione Ecclesiæ, quòd Deus revelaverit aliquod mysterium, tunc assensus rustici illud credentis, postquàm fuerit edoctus à parocho, erit supernaturalis; et si eidem rustico superveniant rationes in contrarium, debet Ecclesiæ mentem pervestigare, nec Deus deerit, ut diximus, suâ illustratione, ut in fide supernaturali semel conceptâ perseveret: quod ita accidere in præsenti providentiâ constat, tùm ex hâc propositione jam damnatâ, tùm ex communi DD. sensu apud Suar. d. 4 de Fide, sect. 2, num. 5.

Propositio XXI. *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitiâ solùm probabili revelationis; imò cum formidine quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

I. Exponitur. Acerrimè thesis hæc propugnabatur à Neotericis, qui multis conabantur ostendere possibilitatem actûs fidei theologicæ et supernaturalis, atque adeò utilis ad salutem, nixæ primæ veritati revelanti, quamvis non daretur moralis evidentia, sed solùm notitia probabilis de divinâ revelatione, seu probabiliter tantùm propositio aliqua particularis includeretur in universali revelatâ; exempli gratiâ, quia de fide est in hostiâ consecratâ contineri Christum Dominum, et valdè probabile est hanc hostiam esse consecratam, docebant posse fide divinâ ac supernaturali credi quòd in hâc hostiâ determinatâ Christus contineatur, etiamsi detur aliqua formido, ne Deus in revelatione illâ universali de existentiâ Christi Domini sub hostiâ consecratâ locutus fuerit de hâc numero hostiâ: similiter quia multi valdè probabiliter docent ex Scripturis colligi, v. g., non posse Deum videri oculis corporeis, et ex testimonio etiam Scripturarum Dei existentiam ac immortalitatem animæ posse naturali ratione evidenter demonstrari, idcircò docebant posse hæc omnia de fide credi, cum formidine tamen, ne illa non revelaverit Deus. Ripalda verò, disp. 6 de Fide, sect. 6, n. 76, licet conetur ostendere quòd sufficiat sola probabilitas revelationis ad credendum aliquid fide supernaturali, negat tamen mordicùs posse fidem supernaturalem componi cum formidine, ne Deus non sit locutus; quando enim solùm probabile est dari revelationem, et nullum datur motivum in oppositum, videtur tunc stare probabilitas de existentiâ revelationis absque formidine actuali de oppositio, et in hoc casu putat Ripalda stare posse fidem cum solâ notitiâ probabili revelationis absque formi-

dine ne non sit locutus Deus. Reverà tamen hujusmodi notitia probabilis vocatur communiter evidentia moralis respectiva; verbi gratiâ, quando parochus proponit rustico revelatum esse mysterium incarnationis, auctoritas parochi non dicitur parere rustico notitiam probabilem talis revelationis, sed moralem evidentiam consentaneam rustico, et idcircò potest rusticus tunc fide divinâ utili ad salutem credere incarnationem.

Rationes hujus confixæ thesis videntur esse, primò, quia in aliis virtutibus sufficit quòd probabiliter detur earum objectum, ut possit prudenter voluntas earum actus imperare; verbi gratiâ, ut possit prudenter et honestè exerceri actus misericordiæ supernaturalis erga Petrum, sufficit quòd Petrus probabiliter sit pauper, esto detur de hoc aliqua formido in oppositum; sic etiam, ut possit prudenter et honestè adorari hæc numero hostia adoratione latriæ supernaturali, sufficit quòd probabiliter sit consecrata. Et ratio à priori est, quia aliter rarò virtutum moralium actus exercerentur, si requireretur omnimoda certitudo de earum objecto materiali: verbi gratiâ, multi pauperes carerent subsidio; si ad exercendam misericordiam requireretur certitudo speculativa de eorum indigentiâ; et idcircò sufficit certitudo practica, quòd hic actus misericordiæ sit honestus, quamvis exerceatur erga Petrum solùm probabiliter, et fortè putativè tantùm indigentem; ergo à pari ad imperandum prudenter, et honestè actum fidei supernaturalem, sufficit quòd detur tantùm probabilitas de divinâ revelatione; atque adeò conclusio theologica descendens ex unâ præmissâ revelatâ, et alterâ probabiliter tantùm cognitâ, est objectum materiale fidei; qualis est, v. g., quòd hæc numero hostia probabiliter tantùm consecrata contineat Christum Dominum.

II. Confirmatur, quia cæremoniale, ut notat Lumbier de Fide, num. 402, mandat quòd sacerdos, antequàm ministret Eucharistiam moribundo dicat: *Credis, frater, hoc esse verum corpus Domini, nostri Jesu Christi?* et infirmus respondere: Credo. Præterea sacerdos in orationibus ante sumptionem dicit: *Libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum;* ergo potest fides supernaturalis exerceri erga objectum probabiliter tantùm revelatum.

III. Secundò, quia Scripturæ ipsæ, ut notat Ripalda disp. 2, sect. 11, videntur indicare dari posse fidem supernaturalem infirmam et imperfectam nixam motivo probabili; nam Matth. 14 dicitur: *Modicæ fidei, quare dubitâsti?* et Marci 9, pater energumeni dixit: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam;* ubi Chrysost. addit: *Si credit, quomodò dicit: Adjuva incredulitatem meam? Dicamus igitur quòd multiplex est fides, introductoria scil. et perfecta; hic autem incipiens credere, Salvatorem deprecabatur ut apponeret reliquum ad suam virtutem.*

IV. Tertiò, quamvis charitas supernaturalis debeat amare Deum super omnia, dari tamen potest charitas minùs perfecta, quæ componatur cum amore boni delectabilis oppositi Deo, h. e., cum peccato veniali; ergo quamvis fides supernaturalis debeat credere objectum super omnia, dari tamen potest fides minùs perfecta, quæ componatur cum aliquâ dubietate partis oppositæ.

V. Quartò, rudes et pueri non aliam habent notitiam de existentiâ revelationis, quàm probabilem, nempe illam quæ habetur ex auctoritate parochi; pariter in Ecclesiæ incunabulis, quando deerant plures notæ credibilitatis, vid. consensus populorum, martyria, etc., credebant fideles ob solam Apostolorum auctoritatem. Sic Dionysius Areopagita ad solam Pauli concionem est conversus, Act. 16. Sic eunuchus reginæ Æthyopum Joan. 8, et Samaritani Joan. 4, sine evidentiâ credibilitatis ad fidem conversi sunt.

VI. Denique, quia quamvis evidentia moralis de existentiâ revelationis divinæ metaphysicè sit fallibilis, hoc tamen non impedit quominùs supositâ eâ evidentiâ morali, possit exerceri actus fidei supernaturalis metaphysicè infallibilis: ergo neque obstabit fallibilitas, quæ habetur in probabilitate de existentiâ revelationis, quominùs eâ positâ exerceatur actus fidei supernaturalis infallibilis. Et ratio est, quia potest voluntas efficere ut actus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium, ut supra ostendimus; solùm enim requiritur quòd assensus fidei nixus primæ veritati revelanti prudenter imperetur; quando autem datur probabilitas de existentiâ revelationis, etiamsi cum formidine de opposito, prudenter imperatur; ergo potest stare actus fidei cum notitiâ solùm probabili revelationis, imò cum formidine de opposito.

VII. Ostenditur nunc falsitas, quia assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem debet esse adeò firmus firmitate, tum affectivâ, tum intentionali, ut non possimus prudenter illam repudiare, ut ostendimus in expositione propositionis antecedentis; atqui si sola probabilitas de existentiâ revelationis sufficeret, posset prudenter repudiari, eò quòd possent facilè consurgere rationes validiores in oppositum; ergò sola probabilitas revelationis non sufficit ad eliciendum actum fidei supernaturalem. Et ratio ulterior est, quia fidelis tenetur esse paratus magis vitam quàm fidem deserere; id autem esset irrationabile, si fides supponeret solùm notitiam probabilem revelationis: ergo hæc non sufficit.

VIII. Confirmatur primò ex Lugo, disp. 1, n. 424, quia ex Trid. sess. 6, cap. 9, nemo potest fide supernaturali credere se esse in statu gratiæ; hæc enim sunt verba concilii: « Sicut nemo pius de Dei misericordiâ, de Christi merito, deque sacramentorum « virtute et efficaciâ dubitare debet; sic quilibet, dùm « seipsum suamque infirmitatem et indispositionem « respicit, de suâ gratiâ formidare et timere potest, « cùm nullus scire valeat certitudinem fidei, cui non « potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum; » atqui si sola probabilitas revelationis sufficeret, possemus, post intensos et iteratos actus contritionis, fide supernaturali credere gratiam Dei nos esse consecutos, cùm id probabilissimè eruatur

ex illâ præmissâ revelatâ universali, quòd contritus gratiam assequatur, et ex hâc alterâ probabilissimâ quòd nos sumus verè contriti : ergo non sufficit sola probabilitas revelationis ad actum fidei supernaturalem.

IX. Confirmatur secundò ex Lumbier de Fide, num. 401, quia aliter posset, v. g., actu fidei credi quòd detur, v. g., prædeterminatio physica ; nam de fide est dari auxilium efficax, et probabile est auxilium efficax consistere in prædeterminatione physicâ ad consensum : ergo probabile est dari in consentientibus physicam prædeterminationem ; hujusmodi autem conclusio eruta ex unâ de fide, et alterâ probabili potest esse in hâc sententiâ objectum materiale fidei : ergo posset actu fidei supernaturalis credi quòd detur prædeterminatio physica, quod nemo admiserit.

X. Ex quibus sequitur 1°, assensum fidei supernaturalem non solùm non posse esse formidolosum, ut habetur in thesi profligatâ, sed neque posse stare cum solâ probabilitate revelationis depuratâ ab actuali formidine, prout docent Lumb. de Fide, num. 403, et Rip. l. c., nisi ea reducatur ad evidentiam moralem respectivam, ut supra diximus. Ratio est, quia ea fides, etiamsi careat formidine, adhuc posset prudenter repudiari ; et adhuc irrationabiliter vellet sic credens vitam potiùs quàm fidem deserere ; ac demùm adhuc posset homo fide supernaturali credere se post iteratos actus contritionis gratiam esse consecutum, quæ admitti non possunt.

Sequitur 2°, quòd si infidelis advertens religionem catholicam esse probabiliorem suâ, de illâ tamen non haberet adhuc evidentiam credibilitatis, sed aliquam formidinem ; sed vellet, prout tenetur, religionem catholicam credere, in tali casu hujusmodi assensus fidei non esset supernaturalis, sed naturalis, utpotè formidolosus.

Sequitur 3°, quòd si quis vellet absolutè credere assensu fidei se post contritionem, quam credit supernaturalem, gratiam esse consecutum, aut hanc numero hostiam esse consecratam, vel hunc infantem post baptismum esse in statu gratiæ, neque hujusmodi actus fidei esset supernaturalis, sed naturalis ; ad eum modum quo si parochus doceat rusticum, incarnatum esse Spiritum sanctum, et rusticus eliciat actum fidei de incarnatione Spiritûs sancti, hujusmodi actus esset naturalis. Ratio est, quia fides supernaturalis, sicut abhorret à falsitate, ita etiam abhorret à formidine, sive actuali, sive radicali, ut ostendimus : assensus autem fidei in casibus adductis non potest excludere formidinem saltem radicalem, cùm prudenter dubitari possit, nùm contritio fuerit sufficiens ad gratiam recuperandam, nùm hæc hostia sit à legitimo ministro cum debitâ intentione consecrata, etc. ; cùm enim hæc aliquando accidant, potest intellectus dicere : Fortè hìc et nunc ita se res habent : ergo assensus fidei in his casibus esset solùm naturalis, qui quamvis firmitatem posset habere summam affectivam, non tamen haberet firmitatem summam intentionalem ortam ex intrinsecis prædicatis actûs essentialiter connexi cum veritate mysterii crediti.

Sequitur 4°, quod si rusticus non habeat evidentiam moralem saltem respectivam, seu consentaneam proprio captui, quòd verè Deus revelaverit, et ab Ecclesiâ proponatur credendum mysterium incarnationis, prout parochus docet, sed solùm appareat id sibi tantùm probabile, adeò ut possit dubitare de opposito, tunc non possit actum fidei supernaturalem de hoc mysterio elicere.

Dices : Tam potest accidere quòd qui hostiam consecravit, non sit verè ordinatus, aut baptizatus, unde hostia non sit vere consecrata, quàm potest accidere quòd parochus ex ignorantiâ aut mendacitate non doceat populum vera fidei mysteria : ergo si non potest dari fides supernaturalis quòd in hâc numero hostiâ consecratâ sit Christus Deus, neque poterunt unquàm fide supernaturali pueri et rudes credere mysterium, v. g., incarnationis, quod parochus dicit esse revelatum à Deo, et propositum ab Ecclesiâ ut credatur.

Respondeo Suarium, disp. 4, sect. 5, putare quòd evidentia credibilitatis in pueris et rudibus suppleatur ab illustratione Spiritûs S., et idcircò possint isti fide supernaturali credere quæ parochus docet esse credenda. Equidem cum Lugo et aliis censeo non esse recurrendum ad illustrationem supernaturalem Spiritûs S., ad hoc ut habeatur in pueris et rudibus sufficiens evidentia credibilitatis condistincta à merâ probabilitate relatè ad mysteria fidei credenda, quæ parochus proponit. Et ratio est, quia rudes ac pueri facilè efformant judicium evidens de credibilitate mysterii propositi à parocho, per hoc quòd ita quilibet intra se ratiocinetur : Ego indoctus in rebus à me ignoratis, ac præsertim religionis, stare debeo judicio sapientum et piorum ; sed parochus est sapiens ac pius ; ergo ejus judicio mihi standum est, et illa teneor credere quæ mihi credenda proponit ; sic rusticus erumpit in actum fidei nixum Deo revelanti, non secùs ac doctus positis notis credibilitatis, quæ reddunt mysteria fidei evidenter credibilia. Adde quòd parochus non solùm proponit rustico mysteria credenda, sed etiam proponit signa credibilitatis et miracula à Deo patrata ad illas veritates confirmandas ; unde nisi dubitet de veracitate parochi, habet evidentiam de credibilitate mysteriorum ; contra verò nullum miraculum proponitur patratum à Deo ut credatur quòd hæc numero hostia sit consecrata. Ergo de hoc non habetur, nisi tantùm probabilitas ; ac proinde non potest absolutè credi fide supernaturali quòd in hâc numero hostiâ sit Christus Deus ; sed potest id credi conditionatè, si scilicet sit consecrata ; et absolutè creditur solùm fide supernaturali quòd in quâvis hostiâ consecratâ Christus Deus contineatur.

XI. Ad primam rationem in contrarium dicendum prudenter imperari actum misericordiæ, si probabiliter credatur quòd Petrus sit indigens, et prudenter etiam imperari adorationem hujus numero hostiæ, si probabiliter credatur quòd sit consecrata. At non prudenter imperatur actus fidei supernaturalis et firmissimus de existentiâ corporis Christi in hâc numero hostiâ, si probabiliter tantùm sit consecrata. Dispari-

tas ex Lugo disp. 1, de fide n., 320, est, quia imprudenter imperatus actus fidei super omnia firmissimus, ita ut velit credens potiùs vitam perdere quàm fidem, quando solùm probabile est quòd Deus sit locutus; propterea Deus ad hunc supremum cultum intellectualem nos non obligat, nisi detur evidentia credibilitatis. Contra verò prudenter imperatur actus misericordiæ, quando Petrus est probabiliter indigens, vel actus pietatis erga Caium, qui censetur esse tuus parens, aut actus adorationis hujus numero hostiæ; esto fortè nec Petrus sit indigens, nec Caius sit tuus parens, nec hostia hæc sit consecrata, aut ex defectu intentionis in consecrante, aut ex defectu ordinis sacerdotalis, vel baptismi essentialiter requisiti ad validam consecrationem. Ratio horum omnium est, quia plurimi et ferè omnes pauperes carerent subsidio, plurimi et ferè omnes parentes obsequio debito, ac ferè omnes hostiæ consecratæ carerent debitâ adoratione, si ad eliciendos actus harum virtutum non sufficeret probabilitas consentanea, sed requireretur illa moralis evidentia quæ requiritur ad eliciendum actum fidei firmissimum, et idcircò potest absolutè adorari hæc numero hostia consecrata. Non potest tamen fide supernaturali credi quòd in hâc numero hostiâ contineatur Christus Dom., sed actus fidei debet esse absolutus relatè ad hostiam consecratam ut sic, et relatè ad hanc numero hostiam est saltem implicitè conditionatus, si scilicet sit consecrata. Quòd si adsit prudens formido de ejus consecratione, actus fidei debet esse etiam explicitè conditionatus, necnon actus adorationis ad declinandum periculum idololatriæ.

XII. Ad confirmationem, Lumbier, n. 403, putat quòd possit fides de corpore Christi sub hâc hostiâ esse supernaturalis, si nulla detur formido quòd non sit consecrata; sed dicendum actum fidei esse absolutum relatè ad hostiam consecratam ut sic, et relatè ad hanc hostiam esse implicitè conditionatum. Ratio est, quia actui fidei repugnat non solùm actualis, sed etiam radicalis formido; aliter possemus prudenter repudiare assensum fidei supernaturalem, si consurgant rationes validæ, quæ ostendant hanc hostiam non esse consecratam ex defectu, v. g., ordinis sacerdotalis in consecrante, pout aliquando accidit. Præterquàm quòd imprudenter firmissimè credimus in hâc numero hostiâ contineri corpus Christi, ita ut velimus vitam potiùs quàm fidem hanc deserere, cùm possit facilè accidere quòd ea non sit consecrata; contra verò prudentissimè etiam rudes et pueri fidem, v. g., de Incarnatione Verbi, firmissimum ponunt, etiamsi parochus illam proponens facilè possit aut decipi aut decipere. Et ratio est, quia in hoc casu vel evidentia moralis credibilitatis prærequisita suppletur ab illustratione Spiritûs sancti juxta doctrinam Suarii loco supra laudato, vel habetur ex notis credibilitatis et miraculis quæ proponit parochus, quoties non datur motivum dubitandi de veracitate ac sapientiâ parochi, esto per accidens aliquando possit decipi aut decipere, in quo casu assensus fidei falsus esset naturalis, non verò supernaturalis.

XIII. Ad secundam rationem in contrarium, fides potest esse imperfecta, infirma et introductoria, non per hoc quòd sit formidolosa, sed quia facilè amittitur; sicut propositum non peccandi potest esse imperfectum, non quia admiscet aliquam voluntatem peccandi, sed quia facilè accedente tentatione deseritur. Hujusmodi fuit fides illa modica D. Petri, qui dubitavit non componendo fidem cum dubitatione, sed amittendo illam per dubitationem. Quod notavit Aug. Serm. 14 de Verbis Domini, dicens: *Titubatio Petri quasi mors fidei fuit, sed ubi exclamavit, fides resurrexit; non ambularet, nisi crederet; sed nec mergeretur, nisi dubitaret.* Quare cùm firmitas ista fidei desumatur præcipuè ex piâ voluntatis affectione, et hæc possit in suâ lineâ esse major vel minor, ideò poterit esse fides magis vel minùs perfecta, quin sit formidolosa. Et in hoc sensu dicitur in Scripturâ: *O mulier, magna est fides tua; Domine, adauge fidem;* et à patre energumeni: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Quamvis hæc possint etiam explicari de fide quam habebant solùm naturalem, non supernaturalem; vel de fide mortuâ, non formatâ charitate; aut de voluntate et conatu credendi, qui erat debilis, unde exclamant: *Adauge fidem; adjuva incredulitatem meam.*

XIV. Ad tertiam, paritas retòrquetur; quamvis enim charitas supernaturalis possit cum veniali conjungi, repugnat tamen quòd ipse actus charitatis sit supernaturalis, et diligat Deum super omnia amabilem, ac simul sit venialiter peccaminosum, cùm peccatum non possit esse supernaturale; ergo quamvis aliquis actus supernaturalis fidei firmissimus circa aliquod mysterium possit conjungi cum peccato veniali contra fidem, non poterit ipse actus fidei supernaturalis esse firmissimus, et credere Deo super omnia credibilia, ac simul esse formidolosus.

XV. Ad quartam diximus abundè quomodò non sola probabilitas, sed etiam evidentia credibilitatis in rudibus et pueris habeatur et requiratur, ut possint firmissimè credere. Idemque dicendum de fide illâ firmissimâ Dionysii Areopagitæ, et de illâ eunuchi, Joan. 8, ac Samaritanorum. Hinc D. Th. 2-2, q. 1, num. 4, ad 2, dixit: *Non enim quis crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi;* ubi innuit non semper requiri evidentiam unicè ortam ex signis credibilitatis, sed posse hanc aliunde suppleri; omninò tamen aliquam evidentiam credibilitatis ad fidem supernaturalem prærequiri.

XVI. Ad ultimam negatur consequentia. Et disparitas est, quia si detur evidentia credibilitatis, imprudentissimè non creditur; sicut etiam imprudentissimè fides firmissima et supernaturalis præconcepta repudiatur; secùs verò, si detur solùm probabilitas revelationis, et multò magis, si detur actualis formido, ne Deus non sit locutus.

XVII. Colliges ex dictis primò, quòd non solùm prudens dubium et formido, sed etiam sola possibilitas moralis, quòd hæc hostia, v. g., non sit consecrata, impediat ne prudenter imperetur assensus fidei firmis-

simus, quòd Christus in eâ contineatur. At eadem possibilitas moralis, quòd hæc numero hostia non sit consecrata, non impedit ne prudenter imperetur adoratio latriæ absolutè erga illam ; sicut mera possibilitas moralis, quòd hi non sint sui genitores, non impedit quominùs prudenter absolutè colantur. Quòd si detur prudens motivum dubitandi an hæc hostia sit consecrata, adoratio debet esse conditionata ad declinandum periculum idololatriæ ; contrà verò, si detur prudens motivum dubitandi an isti sint tui genitores, adhuc possunt absolutè coli (imò debent, si dubium superveniat post legitimam possessionem exigendi talem cultum); sicut potest erogari stipes Petro, etiamsi prudenter dubitetur de ejus indigentiâ. Et ratio est quia nullum sequitur inconveniens, si colantur parentes dubii, aut si subsidium erogetur pauperi dubio ; sequitur verò inconveniens adductum exponendi se periculo idololatriæ, si absolutè adoretur hostia dubiè consecrata.

XVIII. Colliges 2° non posse fide supernaturali credi ea quæ probabiliter tantùm dicuntur esse de fide, seu colligi ex Scripturis, v. g., quòd possit naturaliter demonstrari immortalitas animæ, aut quòd ne divinitùs quidem possit oculus corporeus Deum videre, et alia hujusmodi. Ratio illationis est, quia imprudenter imperatur assensus fidei firmissimus super omnia relatè ad objectum, quòd probabiliter tantùm à Deo revelatum.

XIX. Dubitatur an possit fide supernaturali credi Deiparam fuisse sine labe conceptam? Videtur hæc veritas non esse objectum materiale fidei ; quia quamvis ea probabilissimè, imò etiam cum morali certitudine ex Scripturis eruatur, et sit proximè definibilis à pontifice, præsertim post decretum Alex. VII decernentis cultum Conceptioni Virginis exhiberi ab Ecclesiâ secundùm piam sententiam, quam ferè omnes Catholici amplectuntur; nihilominùs opposita sententia videtur aliquam habere probabilitatem, posito quòd ex pontificio decreto non possit hæreseos peccati mortalis aut impietatis damnari. Equidem censeo posse immaculatam Virginis conceptionem fide divinâ credi ab eo cui moraliter constat eam esse implicitè in Scripturis revelatam : etenim juxta doctrinam Suarii, t. 2 in 3 part., disp. 3, sect. 6, prohibitio pontificia ne alicui propositioni censura ulla theologica inuratur, benè cohæret cum summâ probabilitate, necnon cum morali certitudine sententiæ oppositæ ; unde non impedit quominùs sententia quæ censurari non potest, dici possit omninò improbabilis, ut habet Lugo, disp. 20 de Fide, n. 104, ex Hurtado; quod innuimus in quæstione prodromâ, et dicemus etiam in expositione propositionis XV Alexand. VIII, ubi de prohibitione Alex. VII, ne censura illa notetur, aut opinio requirens in attritione aliqualem Dei dilectionem benevolentiæ, ut in sacramento disponat ad gratiam, aut illam non requirens; esto cum morali certitudine unius partis stare possit aliqua saltem tenuissima probabilitas extrinseca partis oppositæ. Quare sicut fide supernaturali credere potest, v. g., incarnationem propositam à parocho ille rusticus, cui moraliter certum est parochum non falli nec fallere ; secùs verò si hoc illi sit tantùm probabile et incertum ; ita potest fide supernaturali credere Deiparam sine maculâ conceptam fuisse is cui moraliter constat id in Scripturis implicitè revelari; secùs verò, si hoc putet esse tantùm probabile et incertum. Idemque dicas de similibus.

PROPOSITIO XXII. — *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

I. Exponitur : Fides Dei remuneratoris dicitur implicita, quando quis in generali credit quidquid Deus revelavit aut Ecclesia proposuit credendum, cùm inter articulos credendos sit etiam retributio danda à Deo meritis ac demeritis ; explicita verò dicitur, quando hic articulus creditur in particulari, cognoscendo Deum ut remuneratorem. De hâc quæritur nùm sit necessaria, non solùm necessitate præcepti, ita scilicet ut si invincibiliter omittatur, adhuc possit justificatio et salus æterna obtineri, sed etiam necessitate medii, tanquàm medium non solùm utile et conducens, sed etiam omninò necessarium ad salutem obtinendam ; non secùs ac baptismus ac pœnitentia lapsis post baptismum dicuntur necessaria necessitate medii ad salutem, eò quòd non solùm ad salutem conducant, sed etiam sint medium usque adeò necessarium, ut etiamsi inculpabiliter omittantur, salus non possit obtineri? Nonnulli cum Arriagâ, d. 12 de Fide, sect. 2, Leandro à SS. Sacr. Caramuele, putárunt esse quidem universim necessariam fidem explicitam Dei remuneratoris, non tamen in omni casu.

II. Ratio videtur esse quia, si quis cognitâ Dei bonitate, illum super omnia diligat, et statim decedat citra fidem aut cognitionem Dei remuneratoris, salus æterna ab ipso videtur consequenda ; plenitudo enim legis est dilectio ; atque adeò in hoc saltem casu dicendum sufficere fidem implicitam Dei remuneratoris.

III. Præterquàm quòd sicut baptismus est necessarius necessitate medii, non tamen semper in re, sed aliquando etiam in voto, adeò ut sufficiat ad salutem dilectio Dei super omnia, quatenùs includens votum baptismi, qui suscipi debeat, si possit; ita videtur fides explicita Dei remuneratoris esse necessaria necessitate medii, non tamen semper in re, sed aliquando etiam in voto, adeò ut satis sit dilectio Dei quatenùs includens votum seu propositum ponendi hujusmodi fidem explicitam, si detur occasio; atque adeò sicut potest homo salvari sine baptismo in re, quamvis baptismus sit institutus à Deo ad gratiam conferendam, ita salvari possit homo cum solâ hâc fide explicitâ in voto, quamvis fides ista de se conducat ad spem et ad charitatem, atque adeò ad justificationem obtinendam.

IV. Confirmatur quia procul dubio Deus potest de potentiâ absolutâ absque hâc fide, imò absque ullo actu adulti, justificationem et salutem conferre ; non secùs ac illam confert de facto infantibus, qui baptizantur et statim moriuntur, non expectato ullo eorum actu ; quare ut fides ista sit necessariò prærequisita in omni

eventu ad justificationem in adultis, oriri debet aut ex ipsâ naturâ rei, aut ex lege extrinsecâ divinâ : atqui id non oritur ex naturâ rei, cùm etiam naturaliter accidere possit quòd catechumenus habitâ tantùm notitiâ ac fide unius Dei summè boni, illum super omnia diligat, et statim moriatur; neque ex lege Dei extrinsecâ, cùm de eâ non constet. Et quamvis Apostolus dicat ad Hebr. 11 : *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator est*, id potest intelligi de fide implicitâ aut de fide explicitâ in voto. Sic passim in Scripturis requiritur fides de mysterio Incarnationis, ut ad Gal. 2 : *Scientes quòd non justificetur homo, nisi per fidem Jesu Christi;* et Act. 16 : *Crede in Dominum Jesum, et salvus eris;* et Joan. 3 : *Qui incredulus est Filio, ira Dei manet super illum;* et tamen communiùs docent, etiam in lege gratiæ sufficere fidem implicitam de mysterio Trinitatis et Incarnationis; explicitam verò solùm esse necessariam necessitate præcepti, ita ut absolutionis sit incapax qui per negligentiam culpabilem ea mysteria ignoraverit, prout suo loco explicatur cùm de propositione 64 Innocent. XI; ergo pariter sufficit fides implicita Dei remuneratoris, ita ut solùm necessaria sit necessitate præcepti fides explicita.

V. Ostenditur falsitas, quia Apostolus l. c. eodem modo loquitur de necessitate fidei unius Dei, ac de necessitate fidei Dei remuneratoris; sed fides unius Dei explicita est necessaria necessitate medii : ergo etiam fides Dei remuneratoris explicita. Hanc necessitatem medii, et non solius præcepti innuit Apostolus præmittendo verba illa : *Sine fide impossibile est placere Deo*, quibus ostendit fidem Dei unius et remuneratoris esse adeò necessariam, ut sine illâ justificatio haberi non possit. Quod etiam expressit definiendo fidem, quòd sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium;* cùm enim speremus bona, præsertim supernaturalia, à Deo remuneratore, quæ ab Apostolo dicuntur non apparere, siquidem *nec oculus vidit, nec auris audivit*, etc., quæ à Deo remuneratore expectantur, fit fidem esse basim ac fundamentum spei nostræ, atque adeò fidem debere esse Dei, etiam remuneratoris, explicitam.

VI. Ratio autem cur Deus fidem explicitam, non quidem in voto, sed in re ipsâ, voluerit esse medium ad salutem necessarium, et quidem in omni eventu, est quia sublatâ hâc fide explicitâ, tollitur etiam spes præmiorum et timor pœnarum; cùm spes in fide Dei remuneratoris et timor in fide Dei ut vindicis nitatur. Tollitur pariter spes veniæ à Deo obtinendæ, et homo nihil cogitat de animæ immortalitate et de vitâ futurâ, nec avertit Deum exaudire orationes, sacrificiis placari, etc. Unde fieret quòd nemo toto corde Deum inquireret, ac nemo vitam suam componeret, prout oportet, ad salutem obtinendam, ut communiter docent SS. PP. Et ipsa experientia docet, deficientibus hisce stimulis, animum in viâ Spiritûs languescere. Quod docuit pariter Angelicus lect. 2, lit. B. dicens : *Non solùm est necessarium credere quòd Deus sit, sed quòd habeat providentiam de rebus; aliter nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso.*

VII. Verum quidem est posse ex naturâ rei voluntatem, cognitâ per fidem bonitate divinâ, immediatè in actum dilectionis erumpere nullo prævio actu spei, et nullatenùs cognito Deo ut remuneratore; verùm licet ex naturâ rei et physicè sit id possibile, moraliter tamen est omninò impossibile; et idcircò Deus ad fidem explicitam Dei remuneratoris voluit nos obligare, illamque voluit indispensabiliter præviam ad justificationem adulti, ut docuit Trid. sess. 6, c. 7, dicens, fidem sine spe et charitate vitam æternam præstare non posse. Quare ex Tridentino illa duntaxat fides præstare potest vitam æternam, quæ cum spe et charitate conjungitur. Cùm autem ad spem requiratur fides explicita Dei remuneratoris, idcircò hæc fides explicita remuneratoris est illa sine quâ salus æterna obtineri non potest.

VIII. Hinc fit juxta leges hujus Providentiæ, quòd si fortè accideret aliquem in sylvis educatum legem naturalem servare, et nihil scire de præmiis in alterâ vitâ conferendis ac de suppliciis infligendis, Deus non permitteret illum mori, antequàm de his omnibus instrueretur, vel ab angelo, vel ab alio prædicante, juxta illud Apostoli, *fides ex auditu : quomodò autem audient sine prædicante?* Permittit quidem Deus catechumenum innocentem post actus fidei, spei et charitatis sine baptismo decedere, quia baptismus in re non est medium ad salutem necessarium, cùm sufficiat baptismus in voto; at non permittit hominem innocentem in sylvis enutritum cum solâ dilectione Dei naturaliter cogniti decedere absque fide supernaturali Dei unius et remuneratoris, ut docet Angelicus, quia fides ista, non in voto, sed in re ipsâ est medium necessarium ut ad spem erigamur, quâ ad charitatem et justificationem disponimur.

IX. Ad rationem in contrarium adductam jam fecimus satis, transmittendo physicè et ex naturâ rei possibilem actum dilectionis Dei supernaturalem immediatè post fidem supernaturalem Dei summè boni, nullatenùs cogniti ut remuneratoris; quia tamen impossibile moraliter est ut id contingat, idcircò nunquàm eveniet quòd citra fidem Dei remuneratoris salus obtineatur. Imò non solùm vix est, ut eveniat ob moralem impossibilitatem, sed nec potest evenire juxta leges præsentis Providentiæ, ut ostendimus. Verum quidem est amorem Dei eò esse puriorem, quò minùs est mercenarius aut servilis, hoc est quò minùs nititur in spe præmii aut timore pœnæ; nihilominùs ut ad illum amorem purissimum perveniatur in naturâ lapsâ, oportet per spem et timorem se disponere; sicut enim notitia beneficiorum non solùm juvat ad gratias agendas, sed etiam ad amandum amore amicitiæ ipsum benefactorem; ita fides explicita Dei remuneratoris et vindicis, non solùm juvat ad spem et timorem, sed etiam ad amorem purissimum Dei remuneratoris. Hinc Augustinus, lib. de Catechizandis Rudibus, dixit : « De timore Dei charitatem esse ædificandam, quia rarissimè accidit, « imò verò nunquàm, ut quispiam veniat volens fieri « Christianus, qui non sit aliquo Dei timore per-

« culsus. Ecclesiastici primò habetur : *Timor Dei* « *expellit peccatum ; nam qui sine timore est, non poterit* « *justificari.* »

X. Ad confirmationem, diximus ex verbis illis apostoli colligi fidem explicitam Dei, etiam ut remuneratoris ex lege Dei extrinsecâ esse in omni eventu necessariam, esto naturaliter accidere posset (quamvis cum summâ difficultate, et cum morali impossibilitate) quòd aliquis divinam bonitatem diligat super omnia circa notitiam Dei ut remuneratoris. Quod attinet verò ad fidem explicitam Trinitatis et Incarnationis, communiùs docent esse solùm necessariam necessitate præcepti, et sufficere ad salutem quòd habeatur hujusmodi fides explicita tantùm in voto; siquidem neque ex ullo Scripturæ textu, neque ex sensu communi Ecclesiæ, neque ratione ullâ apertè colligitur, quòd sit necessitate medii necessaria, ut videre est apud Suar. disp. 12 de Fide, sect. 4, et Lugo, d. 12; aliter, ut notat Bonæ Spei, surdus qui nequit his mysteriis instrui, non posset salvari. Quare, sicut baptismus est ita necessarius ad salutem, ut *nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non possit introire in regnum Dei*, et tamen sufficit ex divinâ misericordiâ etiam baptismus in voto; ita probabilissimè ex Suar., l. c., etiam in lege gratiæ sufficit fides explicita Trinitatis et Incarnationis etiam in voto.

XI. Ubi notandum est celebre discrimen inter observantiam in voto reliquorum præceptorum et istorum : diversimodè enim requiritur, v. g., restitutio in voto ad salutem obtinendam, ac baptismus, seu fides in Christum, in voto; etenim votum seu propositum restituendi, requiritur solùm necessitate præcepti quo tenemur restituere; restitutio autem non est medium, per quod gratia et salus conferatur. At votum, seu propositum suscipiendi baptismum et ponendi fidem explicitam de mysterio Trinitatis et Incarnationis, requiritur necessitate medii, quatenùs baptismus in re susceptus est medium institutum ad gratiam causandam, et fides horum mysteriorum explicita est medium institutum, ut positivè disponamur, et per modum meriti de congruo, ad spem et charitatem et ad salutem obtinendam.

XII. Dubitatur primò, nùm fides explicita Dei remuneratoris necessitate medii ad salutem debeat esse de Deo remuneratore supernaturali, an verò sufficiat credere Deum remunerari merita bonis naturalibus? quamvis propositio confixa ab hoc præscindat, dicendum tamen cum communi, fidem debere esse de Deo remuneratore supernaturali, cùm de tali fide loquatur Apostolus loc. cit., dicens fidem ad salutem necessariam esse argumentum non apparentium, non solùm oculis corporeis, sed etiam investigationi rationis, juxta illud : *Oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Propterea, ut notat Suar. disp. 12 de Fide, sect. 3, num. 8, necessitatem fidei de Deo remuneratore quam docet Paulus, *de remuneratione supernaturali intelligendam esse omnes exponunt, et ex contextu apertè colligitur ut benè ponderavit*, Cano *lib.* 22 *de Locis, cap.* 4.

XIII. Dubitatur secundò utrùm fides ista explicita Dei remuneratoris sit necessaria necessitate medii, solùm ad primam justificationem adulti, an verò ad quamcumque, adeò ut adultus peccator ad gratiam in sacramento consequendam teneatur præmittere fidem explicitam Dei remuneratoris? Putant nonnulli non solùm ad justificationem infidelis, sed etiam ad justificationem impii fidelis, eam prærequiri, quia Tridentinum sess. 6, cap. 6, inter dispositiones adulti ad gratiam consequendam enumerat fidem et spem; cùm autem spes fundetur in fide Dei remuneratoris, videtur hæc omninò requiri. Communis tamen sententia docet à Tridentino ibi enumerari actus qui solent justificationem peccatoris præire, quin sit necesse quòd semper formaliter præcant; sufficit enim quòd olim præierint et virtualiter perseverent; sicut enim qui spargit semen, dicitur spargere cum spe fructûs colligendi, quamvis ea spes non sit semper actualis, sed ferè semper virtualis et moraliter perseverans; ita peccator, dùm dolet de peccato ex motivo supernaturali, dicitur habere spem veniæ et fidem in Deum remuneratorem, per hoc quòd saltem virtualiter hujusmodi actus perseverent. Unde ad primam justificationem adulti necessariò fides et spes præire debent, sed non semper debent iterari, quoties peccator justificatur, dummodò virtualiter perseverent, quamvis hujusmodi actus debeant identidem in vitâ iterari.

Neque dicas in iis quæ spectant ad valorem sacramenti, sequendam esse partem tutiorem, atque adeò præmittendos esse hujusmodi actus ante quamcumque susceptionem sacramenti Pœnitentiæ. Nam fidem hanc explicitam actualem Dei remuneratoris et spem ad validè suspiendum Pœnitentiæ sacramentum non requiri, esse moraliter certum, tùm ex consensu theologorum, videtur tùm etiam quia aliter mutila esset in re tam gravi doctrina Tridentini tradentis in sess. 14 ea quæ ad sacramentum Pœnitentiæ spectant. Quare sicut possumus licitè adhibere in sacramento Pœnitentiæ attritionem, omissâ contritione tutiore, et adhibere intentionem virtualem in quovis sacramento, omissâ actuali tutiore, ita possumus hos actus fidei et spei virtualiter perseverantes adhibere, posito quòd hujusmodi opiniones non sint solùm probabiles, sed etiam moraliter certæ; illicitum namque solùm est, in iis quæ ad valorem sacramenti spectant, sequi opinionem probabilem, non verò sequi moraliter certam, omissâ tutiori : ergo ad validè ac licitè suscipiendum Pœnitentiæ sacramentum non requirentur, quòd hujusmodi actus fidei ac spei iterentur, sed sufficit quòd moraliter perseverent, et in actu doloris virtualiter contineantur, prout explicavimus.

PROPOSITIO XXIII.—*Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.*

I. Exponitur : Fides strictè et antonomasticè dicta nititur divino testimonio; fides verò latè dicta analogiam quamdam habens cum fide strictâ nititur quodam testimonio metaphorico creaturarum ostendentium Dei bonitatem, peccati turpitudinem, aut virtutis honestatem; in quo sensu dicitur in Psalmis : *Cæli enarrant*

gloriam tuam : dies diei eructat verbum; et ab Augustino : *Habent miracula linguam suam.* Fidem istam latè dictam (quæ potiùs est scientia quàm fides) non sufficere ad justificationem, si sit merè naturalis, docent communissimè contra Vegam, lib. 1 in Trid., cap. 20, et Sotum, lib. 2 de Nat. et Grat., cap. 11, qui tamen palinodiam cecinit in 4, dist. 1, q. 2, a. 3; non potest enim per modum meriti de congruo ad gratiam supernaturalem disponere, nisi actus supernaturalis, ut proinde etiam fides strictè dicta, si sit naturalis, in omnium sententiâ ad justificationem non sufficiat; quod constat ex Trid. sess. 6, can. 3, ubi habet : *Si quis dixerit, sine Spiritûs sancti adjutorio hominem credere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

II. Quærendum itaque solùm an sufficiat ad justificationem fides latè dicta supernaturalis? Ita ut si quis credat Deum esse et remuneratorem esse, idque affirmet ex cognitione supernâ, quam habet Dei remuneratoris, ortâ ex cognitione creaturarum ostendentium Deum in aliâ vitâ retribuere præmia justis qui in hâc vitâ cruciantur (siquidem *invisibilia ipsius à creaturâ mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur,* ut dicitur ad Rom. 1), hìc per hujusmodi actum supernaturalem fidei latè dictæ valeat ad justificationem se disponere, non secùs ac de facto disponit se ad justificationem per fidem Dei unius et remuneratoris strictè dictam, nixam testimonio, seu revelationi divinæ.

III. Tribuunt nonnulli thesim hanc proscriptam doctissimo Ripaldæ, qui multis ostendit possibilem esse fidem supernaturalem latè dictam, quæ ad justificationem disponat. Immeritò tamen nota hæc inuritur tanto viro; siquidem dis. 17 de Fide, num. 213, et disp. 20 de Ente supernaturali, num. 123, hæc habet : « Puto quidem, si legem et libitum Dei excludamus, ex naturâ rei in præsenti etiam ordine providentiæ potuisse gentiles ex cognitione supernaturali, quæ non sit ex fide strictâ, Deum super omnia diligere et justificationem obtinere : cæterùm quia communis theologorum assensus videtur intelligere testimonium illud Pauli ad Hebr. 2 : *Sine fide impossibile est placere Deo,* et Trid. sess. 6, c. 7 : *Sine fide nulli unquàm justificationem contigisse, de necessitate strictæ fidei in re exhibitâ ad consequendam justificationem, dicendum est ex lege voluntariâ Dei nunquàm dari auxilium saltem efficax ad dilectionem supernaturalem in Deum absque prævià instructione fidei strictæ.* » Et infra addit ea omnia quæ pro fide latè dictâ proposuerat, solùm disputandi gratiâ, non assertivè proposuisse, cùm non liceat temerè refragari communi sensui theologorum negantium fidem infusam latè acceptam sufficere. Nihilominùs Justinianus apud eumdem Ripaldam num. 215 notat, non deesse theologos qui asserant illud Pauli, *sine fide impossibile est placere Deo,* intelligendum de fide saltem latâ, seu de cognitione supernaturali infusâ à Deo ad excitationem naturæ, quam gentibus sufficientem ad salutem arbitrantur.

IV. Rationes suadentes hanc thesim videntur esse, primò quia D. Th. q. 14 de Verit., art. 11, ad 1, loquens de nutrito in sylvis et ductum naturalis rationis sequente, habet : *Certissimè tenendum est quòd ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt credenda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret;* ubi non requirit D. Th. determinatè instructionem externam, sed docet sufficere etiam inspirationem internam, quâ habeatur cognitio supernaturalis Dei, etiamsi non sit elicita à fide strictâ, ut videre est apud Medinam p. 2, q. 89, a. 6, Alvarez de Auxiliis disp. 56, num. 22.

Deinde Gentiles ad Rom. 1 dicuntur de suâ injustitiâ inexcusabiles, quia cùm cognoverint Deum per creaturas, illum non sicut Deum glorificaverunt. Similiter August., lib. 10 Confess. c. 6, habet : *Cœlum, et terra, et omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles;* ergo ex Apostolo et Augustino potest fides lata Gentiles ad dilectionem Dei et ad justificationem disponere.

V. Demùm, quia Cornelius Centurio Act. 10 erat *vir justus, religiosus, ac timens Deum; faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper,* et tamen fide strictâ carebat, ut constat ex eo, quia ab angelo admonitus fuit ut vocaret Petrum, qui prædicaret ipsi fidem Christi, et sic salvus fieret; ergo stare potest justitia seu justificatio absque fide strictâ.

VI. Confirmatur, quia incredibile est rusticos fideles et alios pios homines, qui ex meditatione creaturarum accenduntur in ardentissimum amorem Dei, propositi ut creatoris, sapientis, benefactoris, etc., absque ullâ memoriâ revelationis, non elicere actum utilem ad salutem : ergo idem dicendum de infidelibus, atque adeò sine fide strictâ stare potest justificatio.

VII. Ostenditur falsitas ex Lugo disp. 12, et aliis passim, primò, quia fides Dei unius et remuneratoris, quæ est necessaria necessitate medii, et sine quâ impossibile est placere Deo, ab Apostolo ad Hebr. 11, dicitur esse *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium,* præsertim visionis beatæ, ut constat ex contextu ; fides autem lata orta ex cognitione creaturarum non potest assurgere ad attingendam beatitudinem supernaturalem, ad quam sperandam fides debet disponere; ergo fides lata non sufficit ad spem prærequisitam ad charitatem, atque adeò nec ad justificationem.

VIII. Secundò, quia ex Trid. fides disponens per modum meriti ad spem, ad charitatem et ad justificationem, est solùm fides stricta nixa Deo revelanti. Hæc sunt verba Concilii, sess. 6, cap. 6 : *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, et adjuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitùs revelata et promissa sunt.* Præterea, sess. 6, cap. 7, dicit baptismum esse *sacramentum fidei, sine quâ nulli unquàm contigit justificatio.* Cùm autem fides protestata in baptismo sit solùm fides stricta, de hâc intelligendum, quòd necessariò ad justificationem prærequiratur.

IX. Tertiò à priori, quia quamvis in aliâ providen-

tiâ potuerit Deus velle justificationem impertiri absque prævio actu fidei disponentis ad illam per modum meriti de congruo, de facto tamen in præsenti providentiâ non solùm decrevit quòd fides justificationem præcedat, testante Apostolo : *Sine fide impossibile est placere Deo*, sed etiam decrevit quòd fides per modum meriti de congruo præcederet (voluit enim fidem esse initium salutis, fundamentum et radicem omnis justificationis, ut habetur in eodem Trid. cap. 8; et nisi fides haberet rationem meriti congrui, sequeretur, quòd non ipsa, sed auxilium supernaturale prævium ad fidem deberet dici salutis initium); atqui sola fides strictè dicta, utpote obscura, potest esse libera, et habere rationem meriti congrui, non verò fides lata, quæ cùm sit evidens, non est libera : ergo in præsenti providentiâ sola fides stricta est necessaria necessitate medii ad salutem; atque adeò fides lata non sufficit ad justificationem, esto in aliâ providentiâ posset sufficere.

X. Ad primam rationem in contrarium, revelatio illa, de quâ loquitur D. Th., facta à Deo per internam inspirationem, non pareret fidem latam, sed strictam, ut notat Lugo, disp. 12, num. 61, ex Soto et Cont.; sicut enim angeli juxta communiorem per fidem strictam se disposuerunt ad gratiam in primo instanti suæ creationis, nec aliam habuerunt revelationem, nisi immediatè à Deo; ita nutritus in silvis potest etiam à Deo immediatè habere revelationem mysteriorum, quæ fide strictâ tenetur credere.

XI. Ad secundam Apostolus dicit gentiles esse inexcusabiles, non per hoc quòd caruerint justitiâ, sed per hæc quòd contraxerint injustitiam, seu per hoc quòd peccaverint, et sic reddiderint se positivè indignos illustratione supernaturali, et indirectè magis indispositos ad credendum et ad justitiam assequendam, ut fusè ostendit Lumbier de Fide, num. 826. Augustinus etiam ibi docet gentiles esse inexcusabiles in hoc quòd non dilexerint Deum amore naturali, quòd redderentur minùs indigni illustratione supernâ, et indirectè fierent magis dispositi ad assentiendum gratiæ, et ad justificationem consequendam. Dixi, gentiles per actus honestos naturales fieri magis dispositos indirectè ad ponendos actus supernaturales, quia actus naturales non possunt directè et positivè disponere ad gratiam, utpote quæ est in altiori ordine; potest tamen habitus acquisitus ex frequentatis actibus honestis naturalibus facilitare potentiam ad consimiles actus supernaturales, quoties datur comprincipium supernaturale; et in hoc sensu actus naturales indirectè reddunt hominem magis dispositum ad justificationem assequendam.

XII. Ad ultimam dupliciter respondet Lugo, num. 99, primò negando Cornelium fuisse justum justitiâ supernaturali, antequàm à D. Petro instrueretur ad credendum, sed solùm erat justus justitiâ morali, quatenùs legi naturali obtemperabat; secundò quòd Cornelius habebat fidem strictam de Deo uno et remuneratore, eratque justus justitiâ supernaturali; nihilominùs quia carebat hue explicitâ Incarnationis, ideò indiguit D. Petro, à quo instrueretur de hoc mysterio; facile enim erat quòd de tanto mysterio haberet ignorantiam vincibilem, et damnaretur, nisi instructus fuisset à D. Petro.

XIII. Ad confirmationem, rustici fideles, qui ex consideratione naturæ accenduntur ad amorem Dei, præhabuerunt fidem strictam de Deo uno et remuneratore; et illa fides virtualiter perseverans satis est ad actum dilectionis supernaturalem ponendum cum auxilio gratiæ, et ad justificationem ac salutem obtinendam. At infideles, qui fide strictâ semper caruerunt, carent auxilio supernaturali ad diligendum Deum amore supernaturali, cùm primum auxilium supernaturale detur in præsenti providentiâ ad credendum fide strictâ quæ sunt necessaria necessitate medii; et ideò non possunt citra fidem strictam præviam justificari.

XIV. Dices : Ante fidem strictam supernaturalem potest infidelis cum comprincipio supernaturali elicere actum, qui dicitur pia affectio ad fidem, nempe actum, quo velit credere; ergo etiam poterit elicere actum dilectionis supernaturalem, et justificari.

Confirmatur quia ex Lugo, disp. 12, num. 24, possunt infideles cum auxilio supernaturali ponere orationem supernaturalem, quâ obtineant illustrationem, ut credant fide strictâ; ergo ut priùs.

Negatur consequentia. Ratio est quia hæc ipsa pia affectio seu voluntas credendi essentialiter spectat ad fidem strictam, in quantum liberam, atque in quantum habet rationem meriti de congruo, et est humanæ salutis initium; unde nullus actus honestus supernaturalis elici potest in præsenti providentiâ in priori ad fidem liberè imperatam.

Ad confirmationem, putat Lugo quòd oratio ista supernaturalis spectet etiam ad fidem, non secùs ac voluntas credendi, et idcircò admittit posse ab infideli poni orationem supernaturalem, quâ de congruo mereatur illustrationem ad credendum, quin proinde possit actum dilectionis Dei, aut alium actum supernaturalem ponere ante actum fidei strictæ. Censeo tamen cum communiori, orationem infidelium ante fidem strictam non esse supernaturalem, sed naturalem, quæ solùm disponit indirectè ad actum fidei supernaturalis et ad justificationem, prout diximus de observantiâ legis naturalis.

XV. Ex dictis sequitur primò, fidem strictam necessariam necessitate medii in re ipsâ esse essentialiter prærequisitam ad justificationem, non quidem ex naturâ rei, sed solùm in præsenti providentiâ; non secùs ac baptismus in re, aut in voto, est essentialiter requisitus ad justificationem, non ex naturâ rei, sed solùm juxta ordinem præsentis providentiæ.

XVI. Sequitur secundò, cum solâ fide latè dictâ supernaturali prævià non posse elici in præsenti providentiâ actum supernaturalem dilectionis Dei super omnia; cùm enim huic actui annectatur justificatio, juxta illud 1 Joan. 4 : *Qui diligit ex Deo natus est;* inde fieret quòd fides lata sufficeret ad justificationem. Utrùm autem cum solâ fide latâ prævià possint elici alii actus honesti supernaturales? Si admittatur,

non est in hâc thesi proscriptum. Sed veriùs negandum, quia sicut fides stricta de facto per modum meriti congrui disponit ad justificationem, ita deberent illi etiam actus supernaturales ad justificationem disponere; unde non esset verum quòd sola fides stricta sit humanæ salutis initium.

XVII. Sequitur tertiò, ad quemlibet actum supernaturalem debere præire fidem strictam in præsenti providentiâ; non quasi verò simul cum aliis actibus supernaturalibus debeat semper credi Deus, unus et remunerator, sed quia debet hæc fides prævia virtualiter perseverare, ut possint elici alii actus supernaturales; sicut in expositione propositionis antecedentis diximus, ad justificationem in sacramento pœnitentiæ obtinendam, sufficere quòd virtualiter perseverent actus fidei strictæ et spei supernaturalis.

PROPOSITIO XI. — *Omne quod non est ex fide christianâ supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

I. Exponitur. In explicatione propositionum antecedentium ostendimus fundamentum hujus thesis esse errorem Baianorum, putantium adeò imbecillem remansisse naturam humanam post lapsum, ut nonnisi ad peccandum valeret, quin posset ullum virtutis actum elicere sine auxilio gratiæ Spiritûs sancti, et sine influxu ipsius charitatis supernaturalis; unde docebant, omnem amorem creaturæ rationalis dividi in vitiosam cupiditatem, quâ mundus diligitur, et in laudabilem charitatem, quæ diffunditur in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum S., ut constat ex propositione 38 Baii dicentis : *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joan. prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.* Errorem hunc hausit Baius à Luthero; adversùs quem à Trident. sess. 6, anathematizatur, *qui dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quâcumque ratione facta sint, esse peccata, vel odium Dei mereri.* In eo autem, ut notat Vasq. p. 2, d. 192, differt error Baii ab errore Lutheri, quòd ille admittebat etiam in peccatore opera facta ex charitate diffusâ in cordibus per Spiritum S., eò quòd crederet charitatem etiam cum peccato consistere posse, ut habetur in ejus 76 propositione ex damnatis, ubi dicitur : *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis;* Lutherus verò negans horum compossibilitatem, negabat à peccatore in statu præsenti ullum bonum opus effici posse.

II. Videtur in speciem thesis isthæc erronea suaderi posse, tùm ex illo Apostoli, 1 ad Cor. 13 : *Si linguis hominum loquar*, etc., *charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens;* tùm ex Aug. l. de Gratiâ et lib. Arb. cap. 18, ubi ait : *Quod non fit ex charitate, non benè fit;* et primo Retract. cap. 15 : *Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas.* Quod etiam videtur innuere Leo papa, serm. 5 de Jejunio, ubi habet : *Animus qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi;* ex quibus Baius dixit sine charitate infusâ opus bonum non posse effici à nobis : Gregorius verò Ariminensis apud Vasq., loco laudato, solùm putat opus bonum effici non posse, saltem sine charitate acquisitâ, seu sine relatione operis ad Deum dilectum.

III. Ostenditur tamen falsitas, tùm ex dictis in propositione 7 et 8, tùm etiam quia si opera quæ non fiunt ex fide supernaturali per charitatem, essent peccata, sequeretur quòd nullum opus peccatoris esset bonum; quod est contra Trid. l. laudato, ubi habet : *Si quis dixerit opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quâcumque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum gravius peccare, anathema sit.* Et sanè, quis neget vacare culpâ et esse laude valdè dignum exercitium virtutum moralium in peccatore et infideli, sicut etiam actus fidei et spei supernaturalis, necnon attritionis supernaturalis qui antecedunt justificationem? Cùm enim isti actus ad justificationem disponant, procul dubio culpâ vacant, cùm nequeat culpa ad gratiam obtinendam disponere. Id apertissimè docuit August. epist. 57, dicens eleemosynas et orationes Cornelii Centurionis ex gratiæ auxilio factas obtinuisse ut ad justificationem perveniret, et in templum Dei superædificaretur *Cornelius* inquit, *Centurio, antequàm regeneratione incorporaretur huic templo, missum ad se angelum videt, auditque dicentem quòd exauditæ sint orationes ejus, et eleemosynæ acceptæ.* Quod etiam docuit, l. 1 ad Simplicianum, q. 2, dicens : *In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum, sicut in Catechumenis et sicut in Cornelio, antequàm sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ.* Idemque testatur Chrysost. in Homil. de Fide et Lege naturæ, apud Vasq. loc. cit.

IV. Confirmatur, quia si carens fide informatâ charitate, et quæ per dilectionem operetur, in quocumque suo morali opere peccaret, sequeretur quòd etiam peccaret observando legem divinam, puta honorando parentes, sanctificando dies festos, necnon vacando jejuniis, orationibus, eleemosynis, etc.; unde ab his operibus teneretur abstinere quousque gratiam recuperaret, et consequenter his operationibus redderetur magis indispositus ad gratiam recuperandam; quo quid absurdius dici aut fingi potest?

V. Ad auctoritatem Apostoli in contrarium adductam respondetur ibi doceri non esse vitæ æternæ meritorium opus, quod fit sine charitate, hoc est, sine gratiâ, cùm sæpè nomine charitatis in Scripturis significetur gratia, ut quando dicitur : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S., qui datus est nobis;* quod disertè docuit D. Prosper explicans illum textum Apostoli : *Si habuero*, etc.; *charitatem autem non habuero, nihil sum*, lib. 1 de Vitâ contempl. cap. 4, ubi habet : *Non ad hoc ista dicit Apostolus, quasi aliqua bona sine charitate habere aliqui non possint; sed quia nihil prosint habentibus ea, si à charitate defecerint.*

VI. Augustinus similiter docet, quod non fit ex charitate non benè fieri, hoc est, sine merito vitæ æternæ; quando verò Augustinus dicit esse peccatum, quod non fit ex charitate, tunc nomine charitatis venit quilibet amor virtutis, vel erga Deum, vel erga proximum, vel erga nos ipsos. Sic, l. de Spir. et Litt. c. 32, ait: *Hæc est fides quæ per dilectionem operatur, non per timorem non formidando pœnam, sed amando justitiam.* Augustino consonat D. Prosper in Epist. ad Demetriadem, ubi habet: *Ab omni contaminatione mens libera est, quæ sive in se, sive in proximo, nihil diligit, nisi quod ex Deo esse novit.* Ex quibus, juxta phrasim Augustini, dicitur fieri ex charitate, et consequenter non esse peccaminosum, sed studiosum ac moraliter bonum, quodcumque opus fit ex amore virtutis, seu honestatis; atque adeò referri in ultimum finem, nempe in Deum ipsum, non ex voluntate aliquâ amoris erga Deum, quæ præcesserit, ut contendit Gregorius Ariminensis, sed ex eo quòd opus virtutis elicitum ob ipsam honestatem, quam continet, sit conforme divinæ voluntati, quæ est prima regula omnis honestatis, et ipsi arrideat; quam relationem erga Deum diximus, in expositione propositionis 8, vocari à doctoribus virtualem, seu habitualem, ac sufficere ad hoc ut opus sit moraliter bonum.

VII. Neque dicas, Augustinum, l. 19 de Civit. c. 25, docere, virtutes censendas esse superbas, cùm propter se appetuntur. Nam solùm ibi Augustinus damnat Stoicos, qui volebant ita virtutem propter se appetere, ut in eâ ultimum finem ac beatitudinem hominis reponerent, non verò in Deo, qui supra virtutem est, et ad quem virtutes omnes saltem virtualiter referri debent; superbas vocat hujusmodi virtutes, quippe quas Stoici ex propriis viribus quærebant, nec putabant à Deo provenire; ac in iis propriam felicitatem requirebant, non autem in Deo, ad quem assequendum virtutes morales debent exerceri.

VIII. Quando autem Leo papa dicit nihil dari in humanis actionibus præter Dei dilectionem aut mundi, intelligendus est in eo sensu in quo explicavimus, in propositione 8, etiam Augustinum dicentem in Enchir. cap. 109: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est charitas*, ita ut nomine *charitatis* veniat amor cujuscumque virtutis, et nomine *cupiditatis*, seu dilectionis mundi, veniat amor creaturæ inordinatus; ubi advertendum cum Vasq. p. 2, d. 52, cap. 6, Augustinum non admisisse possibiles actus morales indifferentes in individuo: nam, l. 2 de peccatorum Meritis, hæc habet: *Mirum, si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona sit, nec mala; aut enim justitiam diligimus, et bona est; et si magis diligimus, magis bona. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Hinc Augustinus passim docuit inter charitatem et cupiditatem, seu inter actus virtutis aut vitii, nihil mediare. Qui tamen juxta opinionem satis probabilem admittunt possibiles actus morales indifferentes, negant divisionem actuum moralium in actus cupiditatis et charitatis, seu in malos et bonos, esse adæquatam; atque adeò putant posse dari amorem liberum, qui nec sit charitatis, seu virtuosus, nec concupiscentiæ, seu vitiosus.

IX. Ex dictis habes primò, in hoc discrepare Baianos et Baianorum sectatores à reliquis theologis, quòd Baiani non distinguant virtutes morales ex objectis formalibus, ut communiter distinguunt illas theologi cum D. Th. p. 2, quæst. 60, et Magistro, in 2, dist. 27, et in 3, dist. 33, sed solùm distinguant illas ex objectis materialibus, quia unam tantùm virtutem agnoscunt, nempe charitatem, eamque infusam, non acquisitam in statu naturæ lapsæ; proinde charitas, prout in varia virtutum officia propter Deum prosequenda incumbit, sortitur variarum virtutum nomina; diciturque, v. g., justitia, quatenùs tribuit unicuique jus suum propter Deum; dicitur misericordia, prout alienæ miseriæ subvenit propter eamdem divinam bonitatem; dicitur patientia, si sustineat mala propter Deum; religio, si ex eodem motivo cultum Deo exhibeat; idemque dicas de reliquis. Hinc docent (ut videre est in Specimine doctrinæ theologicæ per Belgium manantis, p. 2, cap. 3, § 5) unicam esse virtutem in voluntate, nempe charitatem; et quia putant naturæ viribus non posse hominem in statu naturæ lapsæ Deum diligere perfectè ac super omnia, ideò hanc unicam virtutem docent esse infusam ac supernaturalem, ad quam præire debet in intellectu fides etiam supernaturalis et infusa; ac proinde omnem actionem liberam esse peccaminosam, si non procedat ex utràque hâc virtute, seu per fidem, quæ per dilectionem operatur. Unde prodiit etiam propositio 13 ab Alexand. VIII proscripta: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

X. Errant tamen primò, dùm negant possibilem esse amorem Dei naturalem in statu naturæ lapsæ; secundò, dùm negant in voluntate pluralitatem virtutum, tum acquisitarum, tum infusarum; sufficienter enim distinguitur, v. g., justitia à misericordiâ ex objectis formalibus diversis, v. g., quia justitia tribuit unicuique suum jus ob honestatem quæ in hoc reperitur, et quia hoc apparet conforme naturæ rationali atque adeò voluntati divinæ; misericordia verò succurrit miseris, quia hoc pariter honestum est; atque adeò quamvis hæc non referantur actu ad Deum summè dilectum (quod spectat ad charitatem), adhuc sunt operationes virtutum. Quod apertè docuit August., lib. 4 contra Julianum, cap. 3, dicens: *Noveris itaque, non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes; officium est autem, quod faciendum est; finis verò, propter quod faciendum est.* Tertiò errant, dùm negant in voluntate aliam virtutem infusam distinctam à charitate theologicâ; datur enim in voluntate spes theologica, quæ à charitate realiter distinguitur. Sicut enim amissâ gratiâ et charitate non amittitur semper fides ex Trident. sess. 6, cap. 28, sed solùm ea amittitur per peccatum infidelitatis, ita spes habitualis infusa solùm amittitur per peccatum,

quod spei aut etiam fidei opponatur, ut communiter docent theologi apud Rip. d. 128, sec. 5. Præterea, quamvis disputent theologi, num virtutes morales infusæ distinguantur à charitate, an cum illâ identificentur realiter, sicut disputant, utrùm charitas distinguatur realiter à gratiâ, an cum illâ realiter identificetur, nemo tamen negat actus virtutum moralium infusarum distingui ab actibus charitatis infusæ, atque adeò dari posse actus morales supernaturales, qui non sint charitatis; unde falsum est vitio verti quodcumque non procedit ex fide et charitate supernaturali.

XI. Habes secundò, in hoc discrepare errores Lutheri et Baii à sententiâ Gregorii Ariminensis, ut advertit Mæratius, t. 2, disp. 1, sect. 4, quòd Lutherus volebat ab homine peccatore ac proinde extra statum gratiæ existente, nullum bonum opus fieri posse; Baius verò volebat, posse quidem ab homine in statu peccati bonum aliquod opus fieri, hujusmodi autem bonum opus necessariò procedere ex virtute supernaturali theologicâ charitatis strictè dictæ, quâ per Spiritum S. in corde diffusâ Deus ametur; Gregorius tamen in 2, dist. 39, q. 1, art. 2, solùm voluit quòd ut aliquis actus sit bonus, debeat aut esse formalis et expressa Dei dilectio, aut procedere ex formali et expressâ Dei dilectione, ita ut dilectio aliqua, quæ præcessit, habeat rationem intentionis, et opus ex illâ procedens habeat rationem electionis aut medii electi ad placendum Deo per priorem illum dilectionis actum amato; nomine autem dilectionis et charitatis apud Gregorium venit charitas, sive supernaturalis, sive naturalis, et acquisita; apud Baium verò venit sola charitas infusa, ac per Spiritum S. in corde diffusa. Et eodem modo ad actum bonum Gregorius Ariminensis non requirit fidem strictè dictam supernaturalem et infusam, ut requirebat Baius, sed fidem latè dictam, nempe cognitionem unius veri Dei, quæ etiam in hæreticis et Judæis passim habetur, et olim fuit etiam in philosophis gentilibus; unde etiam in his admittit Gregorius possibilem aliquem actum bonum, quem tamen in iis Baius et Lutherus negant; qui tamen refelluntur tùm ex dictis, tum etiam quia, Dan. 4, Nabuchodonosor regi extra statum gratiæ et sine charitate theologicâ existenti dicitur : *Peccata tua eleemosynis redime;* non possunt autem ea redimi, ne quoad pœnam temporalem quidem iis debitam, nisi bonis operibus, non verò malis aut indifferentibus : ergo possunt sine gratiâ et charitate theologicâ bona opera exerceri. Potest etiam peccator conari ut à peccato liberetur, conatu qui sit solùm dispositio ad justificationem : hujusmodi autem conatus procul dubio est bonus, nec procedit à charitate theologicâ, quæ sine gratiâ et justificatione consistere non potest; ergo ut prius; quod etiam constat ex Augustino, qui, l. de Gratiâ Christi, cap. 14, concedit in Assuero rege infideli aliquod opus bonum et veræ virtutis; sicut etiam, in epist. 130, dicit de Polemone infideli, qui temulentus Xenocratis philosophi scholam ingressus, ejus oratione permotus, ad bonam frugem se recepit. Quòd autem nec sit necessarium ad operis bonitatem, quòd procedat ex charitate acquisitâ, et quòd formaliter ad Deum dilectum referatur, satis superque ostendimus contra Ariminensem, quem fusè impugnant Vasq., et Mærat, loco laudato.

DE SPIRITU PHILOSOPHICO
Dissertatio.

AUCTORE P. VALSECCHI (1).

CAPUT PRIMUM.

§ I. *Nota quâ à quibusdam hæc ætas insignitur, quòd in ipsâ ad eminentiam philosophia vigeat.*

Omnia sub sole vertuntur : tum et humanus ipse spiritus æquè ac corpus suis est vicissitudinibus obnoxius. Variam hæ ætatum faciem ac prospectum constituunt; quibus adamussim depingendis, earumque notis ac characteribus exhibendis, omnis est scriptorum laus et sapientiorum solertia. Eo sanè consilio hæc nostra pervestigans tempora perceleber è Gallis quidam hæc habet : *Ætas quælibet, benè vel perperàm ea philosophetur, philosophari tantummodò si se credat, ac philosophetur diversimodè ab anteriori ætate, philosophi se nomine exornat.... Nostra hæc igitur ætas philosophiæ ætas ad eminentiam* est nuncupata (1). Ita sanè, quod verò ut quivis sibi penitùs suadeat, libros tantùm evolvat, aut sermones eorum obaudiat non paucorum profectò, qui sapientiæ quodam, nescio quo genere gloriantur. Nec verò Athenis, circa Socratis Platonisque tempora, nec Romæ, Hadriano

(1) Vide vitam P. Valsecchi, Curs. Theol. tom. 2, col. 868.

(1) M. d'Alembert, *Mélang. de Littérat.*, tom. 4, p. 3 : Tout siècle qui pense, bien ou mal, pourvu qu'il croie penser, et qu'il pense autrement que le siècle qui l'a précédé, se pare du titre de philosophe. . . . . Notre siècle s'est donc appelé par excellence le siècle de la philosophie.

atque Antonino imperatoribus tam altè *philosophismus* resonabat, quantùm hodiernâ hâc luce. *Spiritus philosophicus* seculi hujus è tenebris emersi fax exstitit : *Philosophique* nomen creditur non vulgarium mentium decus atque ornamentum, heroumque character. Nos ergo felices fortunatosque, quibus hoc enasci ævo obtigit. Nam ecquid in terris philosophiâ honestius, quid pulchrius ? *O vitæ*, ita ad eamdem Tullius Tusc. l. 5, n. 2, *ô vitæ philosophia dux, ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum ! Quid non modò nos, sed omninò vita hominum sine te potuisset ? Tu urbes peperisti ; tu dissipatos homines in societatem vitæ convocâsti ; tu eos inter se primò domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum et vocum communione junxisti ; tu inventrix legum ; tu magistra morum et disciplinæ fuisti.* Si nostra igitur ætas ad eminentiam est philosophica, quæ illa beatior ?

Nisi quòd fortassis quorumdam in animo aliquantisper hæret isthæc lætitia, cùm ab eodem præstantissimo Gallico auctore epocha indicetur, seu ortus, ac provectionis triumphantis hujusce philosophiæ dies. Putat is, et lepidè quidem, *trecentis postremis his annis à naturâ præstitutum fuisse ad dimidium cujusque seculi ut revolutionis humani spiritûs epocha ibidem figeretur* (1). « Bizantio capto ad seculum decimum « quintum cum dimidio, Litteræ in Occidente revi- « viscere cœperunt. Ad decimi et sexti medium Reli- « gionem mutari variis in Europæ regionibus vidimus « ab hæresibus eorum, qui se reformatorum jacta- « bant nomine. Cartesianum systema prope mĕdium « seculi decimi septimi evulgatum Mechanicam « Physiologiam in Scholas invexit. *Demùm si attentius paulò*, ait is, *expendatur seculi, in quo degimus, dimidium, facta quæ nos occupant, aut saltem agitant, nostri mores, opera, oblectamenta ipsa, facile patet multiplici de causâ, majorem quam prioribus seculis mutationem nostris in ideis factam esse : quæ sane mutatio vi suæ rapiditatis in aliam quoque majorem abituram se quodammodò pollicetur* (2). Hucusque clariss. Alembertius, qui per hæc vestigia nos ducit quo pervideamus nostro huic ævo *philosophici ad eminentiam* nomen decusque deberi. At si, iidem quos superiùs innui dicunt, si mentis aciem in partes omnes ejus quæ verè *philosophia* appellatur, convertamus, agnoscere utique non licet circa præfatam epocham, seu circa seculi nostri medium mutationem hujusmodi in eâ conspicuam adeò, seu egregium illud perfectionis augmentum. An id fortassè erit, sequuntur ipsi, quantùm ad eam partem nuperrimè à Tullio celebratam, quæ mores efformat ? Societatem, reinque publicam instituit, ac justarum legum freno regit ac fulcit ? Verùm hæc doctrinæ pars post veterum sapientum theoremata, sanctorumque Patrum, præstantissima dogmata, ante etiam seculi hujus ortum perfectionis attigerat culmen operâ ac studio complurium diversis è nationibus scriptorum ; qui prava atque impia morum præcepta confutavêre simul, atque genuinam Ethicen, sanctioremque politicam propugnârunt, sartam tectam reddiderunt, collustràruntque. Exaucta ergo, aut melior præstita erit philosophia, insistunt iidem, quoad physicas, ac mathematicas disciplinas ? At quamvis eximii hoc temporis effloreseant facultatum harum magistri (quos inter Alembertius idem è primoribus, et maximo penes omnes sit in honore), at verendum tamen, quin post seculi nostri dimidium pauci existânt, quos non modò non anteferas, at ne conferas quidem Galileo, Torricellio, Borellio, Boylæo, Cartesio, Newtono, Leibnitio (ut tot alios omittamus, qui, elapso seculo, aut sub hujus initium efflorûere) quique jactare queant tam gravia atque utilia inventa, vel theorias ac methodos felices adeò, ac securas, quæ præteritis longè antecellant. Num verò in metaphysica miranda hæc mutatio ac progressus fuerit ? At etiamsi dissimulare hìc libeat eos, qui scholarum prima lumina effulsêre, et inter cæteros majus quoddam, ac nitidius astrum, in comperto illud est, non multos ad nostra hæc tempora nobis innotescere Arnaldo, Paschalio sublimiores, Clarkio, Leibnitio, Malebranchio, utut singula omnia horum effata probare, atque adoptare nefas sit. Pateat tandem *philosophiæ* nomen ad omne doctrinarum genus, ut et humaniorum litterarum studia, philologiam universam, tum et mechanicas, ac liberales artes complectatur, extra aleam videtur, criticen, eruditionem, omnigenæ antiquitatis scientiam, linguas, poesin, eloquentiam, quodvis demùm sciendi, ac dicendi genus, etsi hâc vigeant ætate, non tamen eò perfectionis fuisse evectas, quo sunt, post hujus seculi medietatem. Neque verò inficiemur usquàm, pergunt ipsi, quotidiana incrementa ea in scientiis, artibusque etiamnum se prodere, quæ naturæ vi contingere debent cùm qui eas excolant non desint, maximè cum iis facta sit via, fontesque reclusi ab aliis verè maximis qui præcessêre. Nam et de puero dicitur, qui è gigantis humero latius ac melius videbat procero suo gestatore. Verùm inventa tamen recentia, atque hodiernâ temporis seu posteritatis ut plurimùm approbatione indigent, quæ eorum genuitatem, atque utilitatem confirmet ; et pauci fortassis ii sunt, qui non viderint magnificè olim exortas hypotheses non unas, inventa, systemata : easdem disertè in litterariâ quâvis ephemeride enuntiari, ac celebrari, ac per virorum ora volitare : at postmodum miserè easdem indeploratas, aut etiam derisas, atque ejuratas à scientioribus in oblivionis barathrum concidisse.

Audax ille, sibique præfidens scribendi stylus, liberior illa vox quâ propria inflatis buccis venditantur inventa, incessus ille quasi in proculcatos vitâ functos

(1) Il semble que depuis environ trois cents ans la nature ait destiné le milieu de chaque siècle à être l'époque d'une révolution dans l'esprit humain. Ibid. p. 1.

(2) Pour peu qu'on considère avec des yeux attentifs le milieu du siècle où nous vivons, les événements qui nous occupent, ou du moins qui nous agitent, nos mœurs, nos ouvrages, et jusqu'à nos entretiens, on aperçoit sans peine qu'il s'est fait à plusieurs égards un changement bien remarquable dans nos idées ; « changement qui, par sa rapidité semble nous en promettre un plus grand encore. Ibid. p. 3.

triumphum agentis, incautos simplicesque irretit animos ; at non utique eorum qui verè sapiunt scientiisque præpollent nunc degentes, multò verò minùs cæterorum qui his succedent. Peractâ itaque philosophiæ, ut ita dicam, analysi, humanæque scientiæ, ubi tandem postremo hoc ævo illa quam jactitant provectio, singularisque scientiarum perfectio atque artium, à quibus nostra ætas præ anteactis omnibus *philosophica ad eminentiam* sit circumferenda ?

§ II. *Veri sapientesque philosophi qui nostræ ætatis sunt ornamentum. Falsus philosophismus, quo per aliquot eadem inficitur.*

Hâc ratione causam istam nonnulli agunt : de quo quidem nil meâ interesse arbitror judicium ferre. Profectò quòd mearum est partium, mirari ipse quidem nunquàm desinam egregia illa ingenia, quæ primùm doctrinarum facem sustulêre, nec illustres eos magni facere ac etiam atque etiam magistros commendare, à quibus utiles mirificique progressus in scientiis, atque artibus ante hæc tempora profluxêre. At credam simul inopem vel effætam adeò naturam non exstitisse, ut iis assimiles procreare postmodùm non valeat, à quibus alia atque alia reperta ignota adhuc in tam vasto ac patenti humanæ philosophiæ regno deinceps pariantur. Addam quoque libens et alacer, nostro hoc in Italiæ solo, tum Galliæ, aliarumque Europæ provinciarum, efflorescere etiamnum sublimes philosophos, sagaces indagatores, scriptores peregregios, spectabilesque quarumvis artium ac scientiarum professores, à quibus, (quin cum anterioribus iidem conferantur) nostra exornatur ætas, litterisque ac societati permulta invehuntur commoda, quique optimo jure, nec sine ingenti laude *philosophorum* nomen merentur, ac ferunt. Horum veneror ipse utilia opera, vasta demiror systemata strenuisque eorum conatibus benè auguror. At dicam tamen, nec à me dissentientur egregii hi ipsi viri qui tanto mihi sunt in honore, nec idem Alembertius prudentissimus æquè ac doctissimus dissentietur, nemo unus dissentietur tandem, ab hujus seculi dimidio doctorum turbâ Europam scatere degenerum porro penitùsque ab iis, quos nuperrimè celebravimus præstantissimos viros, diversorum atque alienorum. Rentur hi quidem, seseque jactant priorum omnium scientiam suâ scientiâ obumbrâsse, veritatis lucem se orbi postremo hocce ævo peperisse, seque unos præ aliis omnibus *philosophorum ad eminentiam* nomen promereri. At quivis vel modicum solers noverit nil eorum *philosophismum*, quem jactitant adeò, esse quàm turpissimam imposturam, fatalem incredulitatem, audacemque æquè ac detestabilem Religionis subversionem. Jam horum intuitu, atque causâ, de quibus solummodò hìc mihi loquendum statuo, ait ætatem hanc nostram, quin philosophiæ ætas sit appellanda, impietatis ætatem malo fato appellandam potiùs.

§ III. *Rapida ejusdem propagatio.*

Nec inficior quidem præteritis annis varias multasque errantum species prodiisse, quorum audacissimi nisus in pietatem, et in Deum ipsum fuerint. At quod proprium est ætatis nostræ, illud est incredulorum genus improbum hodiernè mirificè excrevisse, ac vilia insecta corruptis quibusdam in anni tempestatibus, tum detectam nunc esse atque evolutam funditùs impietatem illam, quam reliquus quidam pudoris sensus elapsis annis involutam adhuc, celatamque servabat.

Quod ad primum attinet, quem lateat nimbus ille librorum, ac libellulorum exitialium, qui à seculi hujus dimidio huc usque Europam omnem infecêre, quos improborum audaci calamo exaratos evulgari ac diffundi dolemus insidiis, fraude, lucri etiam causâ ab iis qui eorum quorum interest vigilantiam fallentes, nec suprema principum mandata veriti, fidem his debitam frangunt, Ecclesiæ obedientiam, Deo obsequium? Nil verò hisce in libris extollitur æquè ac *spiritus philosophicus*, at nil magis indè abest, quàm verax *philosophia*. Cæteroqui liberior ille atque audacissimus, quo blasphemiæ enuntiantur, stylus, vividæ illæ imagines, sub quibus mendacia latent, sophismata eadem sæpè adeò repetita, sarcasmata quæ pro ratione stant, obscena dicta, quæ aures animosque leviorum titillant, falsarum illæ propositionum illecebræ, quæ metu omni abacto impunitatem cuivis sceleri pollicentur, omnia isthæc in unum congesta fascinatam quasi legentium phantasiam disturbârunt, tum mentem animumque corrupêre in eorum plerisque (qui verò ad maleficium apti jampridem erant), et adeò usquè in iisdem ideas evertere ut in totidem *philosophos*, uti vocitantur, indè sint versi. Hinc ad metamorphosin hanc explicandam nil mihi satiùs suppetit quàm insolitus ille casus Abderæ Lisimasci tempore à Luciano descriptus, cujus meminimus lib. 1 Fundam. Euripidis, Andromeda à quâdam solertium actorum manu, quorum princeps Archelaus quidam erat, fervente æstate agebatur. Interim spectatores avidissimi tragicis illis modis longè latèque perfusi atque effluentes, è theatro egressi exoticâ nescio quâ febre correpti repentè in totidem tragicos abibant actores : adeò ut per vias forumque circumacti pallentes macieque confecti, mœstâ voce, scenicisque actibus Andromedam hic, Perseum ille imitabatur, alius verò languido dolenti que sono, ac gestu versum illum iterabat :

Proh hominum ac deûm sævissimum horum Amorem!

Ita ne? An verò fallor, histrionum gregi æquiparans libertinorum scriptorum turbam qui in Europæ urbibus aliquot abhinc annis discurrunt? Atqui non solus est Volterius qui partes hasce peregregiè agat. Omnes isti diversimodè quidem personati irreligionis tragœdiam repræsentant. Ad quam liberè confluentes turmatim juvenes effrenes, femellæ inanes, homines otiosi, elatiores, officiorum nescii ac Religionis expertes, dùm arrectis auribus impia illa animo combibunt dogmata immodicis animi sui cupiditatibus conformia, atque obsequentia, quæ fervida veluti febris eos accendit, atque agit; tum et ipsi ab admissis illis imaginibus perculsi usque adeò ebrios se produnt, ut in liber tinos philosophos tum theoricè tum practicè confes-

tim abeant (1). Hinc in circulis, conviviis, conventibus excepta semel dogmata alacriter repetunt, sibique interdùm honori vertunt voce nunc altisonâ, nunc languidâ, ac patheticâ, carmina aliquot ab *Henriade* referre, *Emilii professionem*, *Spiritûs* theoremata, *Christianæ Religionis detectæ* blasphemias : et ita libertinorum suorum scenas præceptorum renovantes nobis *seculum* venditant suo judicio *ad eminentiam philosophicum* appellatum !

§ IV. *Horrenda ejusdem facinora.*

At non sola est erronum ingens turba, quæ tam illustre decus nostro conciliet ævo. Profectò quod philosophismum hunc nostrum probè distinguit, illud est, quòd deductiones scitè evolverit, limites transilierit omnes, omnem evicerit pudorem, impietatemque suâ jam se facie impudentissimè prodentem ad extremum usque suorum errorum protruderit. Reapsè tamen quòd *nullum æqua ratio medium patiatur Catholicismum inter atque impietatem*, pronuntiatum jampridem novimus à doctissimo quodam Galliæ viro. Id alibi ostendere contendi. At sensi etiam id acriter impugnari ab omnibus ferè incredulis ante hujus seculi medium degentibus : nec pervincere illud mihi licuit, nisi jugiter pugnando, ac paulatim in hostium fines progrediendo. Asserui tum ipse, ac probavi Ecclesiæ auctoritate despectâ, incertum penitùs remanere sensum, vacillantemque Scripturarum canonem, quas si deinde ad arbitrium interpretari pergatur, aut negligere, revelata statim concidet Religio. Asserui ac probavi, desipere esse Religionis naturalis se asseclam profiteri, spretâ Revelatione ; naturalismus hic enim in Deismum incidit, qui paucis ab Atheismo passibus distat. Asserui ac probavi in Athei systemate scientiam ac normam morum penitùs deficere ; cùm atheus aut naturale jus subvertat, aut illud sanctione vacuum asserat ; demùm sublato naturali hoc jure, positivam quamlibet legem, utpote ei innixam, aut iniquam aut inefficacem evadere : sublatis itidem legibus nec fidem ultra cum æqualibus esse, nec principibus submissionem atque obedientiam, nec ulla prorsùs societatis vincula. Eversâ arâ thronus quoque ipse conculcabitur, urbs concidet. Hæc omnia quorum unum ab altero prono cursu fluit alibi arctiori, ac quâ potui accuratâ magis methodo ostendi. Quid inde verò ? Horrebant libertini infandas illas deductiones, qui nondùm laudi sibi tribuebant quòd omni forent humanitate exuti. Heterodoxi de revelatâ se Religione jactabant etiam post ejuratum unicum testem atque interpretem Revelationis, Ecclesiam. Naturalistæ cultum Deo gratum reddere se affirmabant etiam cùm oracula adspernarentur, quibus Deus ipse suum præcipit cultum. Deistæ Deum agnoscere simulabant, eversâ etiam ejus Providentiâ. Athei mores legesque se admittere venditabant post quoque cùm eorum subverterint fundamenta, frenaque omnia laxaverint. *Socinianorum libri*, *Christiana Religio rationabilis*, *Religio essentialis*, aliique ejusdem furfuris, quibus iniquæ illæ defenduntur theses jam innotescunt, uti et Baylæi opera, qui omnes simul easdem complectitur ac tuetur, at illam præcipuè quâ vult Deistam atque Atheum honestatis officia agnoscere, tum et moralia dictamina servare erga æquales ac principes. En epocham igitur seculi *philosophici*. En mentes ad eminentiam collustratas, ac strenua pectora. Ex eo sanè, quia collustratæ sunt mentes, pudoris velo omni seposito, et ambagibus qui eos præcesserunt libertinorum, fatentur liberè illationes illas nostras spontè defluere, agnoscuntque primùm in incredulitatis semitâ gradum ad extremum illud barathrum, impietatisque abyssum ferre : quia verò simul strenua sunt pectora, quin simulent, aut deterreantur, eo impigrè properant, et in illâ se impavidi immittunt. Helvetius in suo *Spiritu*, Boulengerus in suo *Despotismo Orientali*, tum (ut tot alios taceam dialogos, litteras, miscellanea, specimina) *Naturæ systema* sub Mirabaudi nomine postremis hisce diebus evulgatum, meis omni dubio procul dictis fidem conciliant.

§ V. *Hostis ille est sanctuarii, throni, societatis.*

Tenebricosis hisce in operibus eloquentiâ pariter ac felle madentibus legislator antiqui fœderis novique mediator ut impostores differuntur, mysteria pro fabellis habentur, Revelatio pro mendacio. Ecclesia per ipsos est fanaticorum allectio : summi ejusdem pastores hypocritæ : SS. Patres, sophistæ : doctores, indocti : ministri ac monachi, vile pecus. Casus Epicuri, fatalismus Spinosæ, quos jamdiù sana ratio infamiæ, atque oblivioni damnaverat, in lucem iterùm atque in honorem revehuntur à philosophis hisce suo modo philosophantibus. *Supra vulgarium præjudiciorum nubes* perspicaci illi suo se sublevant ingenio, *è densâ se proripiunt atmosphera*, *quæ nos circumcingit*, agnoscuntque verè, *universum*, id est, *immensam illam diversarum substantiarum collectionem, nil aliud nobis nisi materiam*, *ac motum exhibere*. Hæc duo elementa universum sola efformant absque causâ, quæ illa producat, absque principio illo, quod eadem disponat. Deus ergo in eorum opinione est non nisi *rationis ens*, seu melius chymæra à timore genita, quam deinde inscitia peperit. Homo verò, simplex machina, mera materies, qui ex necessariis mechanismi legibus agit ; suum utile, commodum, voluptas, ejus sunt centrum ac finis. Animæ spiritualitas, vox est sine objectivâ sui ideâ : ejusdem immortalitas impostura est figmentum. A tyrannide principes extitêre, et à subditorum imbecillitate : lex est violentum jus : in eas insurgere strenuum. Verax philosophus metiri æquitatem erga alios debet à suo proprio commodo, atque

(1) Baylæus in dic. art. *Abdere*, rem. II. *Luciani* narratione confectâ advertit, *spiritum æquè ac corpus epidemicis ire morbis obnoxium, et cùm disposita materies sit, possit malus impostor suis erroribus atque impietatibus innumeros inficere.* Utinam Pyrrhonista hic agnoscere voluisset libros suos ipsos fermento illo epidemico diffluere, cujus infectione corriperetur magna hominum vis : tum idem ipse flammis eos devovisset antequàm malum virus libertini qui corruptos eos adeunt fontes, ebiberent, suisque libellulis illud effundentes, fatalem hanc spirituum epidemiam crearent, quam contueri ac deplorare cogimur

utilitate, et vitæ amorem æquilibrare cum bonorum aut malorum summâ quæ ipsum circumstant. Si est ex hominibus aliis qui eum perturbet, hunc ille aut prosternat, aut opprimat : si verò *momentum* suarum ærumnarum aut dolorum præponderet, pugione se vitâ exsolvendum. En fundamentalia oracula præceptorum eorum qui pulchrâ luce mundum donavêre *seculi ad eminentiam philosophici.*

§ VI. *Scientiis idem bellum infert atque facultatibus, quarum principia evertit, ac theoremata proculcat.*

Uti verò historia, scientiæ, facultates, principia universa humanæ sapientiæ omnigenæ contra hæc scelera suos attollunt oculos, vocesque, nobisque argumenta suggerunt copiosa æquè atque invicta quibus ea funditùs evertantur : ita philosophi iidem id agnoscentes ad incitas redacti fuêre, ut, convellere ac subruere eniterentur fundamenta rationis, audacter oppugando dogmata quædam, quæ huc usque humanum genus universum avidè complexum ac religiosè secutum est. Adamussim id explicant, ni fallor, eloquentes illæ atque energicæ voces, quibus hujus seculi *philosophici* conatus ac cœpta explicat Alembertius (1). *Inventio*, is ait, *ususque novæ philosophandi methodi, illud enthusiasmi genus quod inventa comitatur, quædam idearum elevatio quam in nobis ipsis universi theatrum creat, causæ hæ omnes in ingeniis hominum vivam excitare fermentationem debuerunt ; ista verò quæ suâ naturâ omnes agit in sensus, quâdam vi irrupit in id omne quod ei occurrit fluminis instar, quod ripas indignatur, aggeresque prostravit. Enimverò hoc correptum enthusiasmo*, et terribili hâc *fermentatione* agitatum, nonne se prodit auctor *Systematis Naturæ?* Is ubi contra tenebrosam illam declamavit inscitiam, quâ miserè involuti mortales delituêre usque ad sui libri ortum, gravi hoc epiphonemate perorat (2) : *Hominum scientia quocumque in genere* (quod maximè notandum) *nil huc usque fuit, nisi mendaciorum collectio, tenebrarum, contradictionum, aliquando exilibus admodùm veri luminibus intexta.* Quænam hercle spiritûs fermentatio, seu, ut veriùs dicam, quinam furor ac phrænesis ad ita loquendum requiritur! Alias ergo docti hujusmodi vias terunt, alia sequuntur systemata adversantia prorsùs ratiocinandi formis per philosophos quoslibet receptis ante illustrem hanc epocham. At leve specimen per primarias facultates discurrendo exhibeamus.

(1) L'invention et l'usage d'une nouvelle méthode de philosopher, l'espèce d'enthousiasme qui accompagne les découvertes, une certaine élévation d'idées, que produit en nous le spectacle de l'univers ; toutes ces causes ont dû exciter dans les esprits une fermentation vive. Cette fermentation, agissant en tous sens par sa nature, s'est portée avec une espèce de violence sur tout ce qui s'est offert à elle, comme un fleuve qui a brisé ses digues. Eléments de philos. n. 1.

(2) La science des hommes en tout genre ne fut qu'un amas de mensonges, d'obscurités, de contradictions, entremêlé quelquefois de faibles lueurs de vérité. Prim. part. cap. 1.

§ VIII. *Exempla ab historiis ex Roussejo, Boulengero, Volterio desumpta.*

Credidêre omnes usque adeò præteritarum rerum historiam præsertim nimis remotarum nec deberi, sed nec creari posse nostrarum speculationum ope, sed eam scriptoribus hauriendam, ac monumentis, aut synchronis, aut vicinioribus enarratis factis : maximè cùm eorum testimonium omni majus exceptione foret. Hoc utique fundamento, cui quivis judicio pollens acquiescit, ostendimus Moysi fidem habendam inter scriptores omnes antiquiori, si mundi originem primævumque humanæ reipublicæ statum probè callere velimus : imò ex universis veracitatis characteribus illum scriptoribus cunctis anteferendum juxta solidioris criticæ canones. At fundamentum illud in recenti philosophismo corruit : præteritarum rerum historia, utut longissimè dissitarum, non ultra à scriptoribus addiscenda, at à solertioris philosophi cerebro attingenda. Roussojus quippe de originariâ humanæ naturæ conditione tractare volens, seu de primitivo hominum statu, sic habet : *En vestram, homines, historiam, non utique ex hominum libris haustam, qui mendaces sanè sunt, at à naturæ contemplatione, quæ nunquàm fallit* (1). Ac reverà hoc criterio is putat statuere se posse illud suum illustre adeò systema, primitivam hominum conditionem brutalem fuisse : unde procul à societate, legibus expertes, imò rationis etiam, loquendique impotes erraverint ii per saltus ac nemora fugitantes, quasi ferarum progenies. Contra quam ratiocinandi methodum (liceat hìc mihi obiter id innuere) in particulari quâdam acroasi hâc super re ita philosophum hunc ingeniosum ex æquo, atque novitatis immodicè studiosum interpellavi : Si vel minimum tibi concesserim humanam naturam sortiri suâ ab origine potuisse brutalem illam quam tutè statuis conditionem, concedere et tu ipse debes illam potuisse aliam sortiri conditionem, socialem videlicet, et rationi consonam, quâ nunc sumus. Utra igitur ex his duabus conditionibus fuerit prima, et originaria hominum, quæstio est, non juris quidem, at facti, quæ propterea decidi nequit ex naturæ speculatione (quæ in suî origine utriusque illius statûs est capax), sed unicè monumentorum et authenticorum testium ope, quæ nobis asserant utrùm habuerit ab ineunte ævo humanum genus. Insanire ergo erit originis humanæ reipublicæ historiam aliorumque contingentium ac præteritorum factorum ducere vellé à proprii ingenii speculationibus, non à testium auctoritate. Sic olim (2) contra Roussojum

(1) O homme, de quelque contrée que tu sois, quelles que soient tes opinions, écoute ; voici ton histoire telle que j'ai cru la lire, non dans les livres de tes semblables, qui sont menteurs, mais dans la nature, qui ne ment jamais. *Discours sur l'inégalité parmi les hommes*, pag. 5.

(2) In acroasi habitâ in Gymnas. Patav. contra Roussojum : Si hominum genus ea bruta primordia quæ ipse confingis, silvas inter et antra belluarum more sine Religione, sine societate, sine rationis usu sortiri potuit, quod ad victoriæ cumulum ipse modò tibi concedam : id tu mihi quoque vel ultrò dabis, vel

disserui : nec sanè quid ad hæc reponeret videbam. At adhuc me tunc latebat lepidam illam methodum historiam præteritarum rerum compingendi à propriâ eam phantasiâ texendo, non verò antiquiores consulendo, singulare decus philosophici in quo vivimus seculi esse.

Et quidem Boulengerus in suo *Despotismo Orientali*, qui liber est sublimioris pretii inter eos qui à felici illâ epochâ ortum habuêre, agere volens de maximis hisce duobus argumentis, id est, de Religionis origine ac regiminis inter homines, basim veluti suarum thesium fundat admirabile hoc theorema : *Historia adhuc infantula est : illa in chaos sepulta remansit, è quo homines solertes fuêre ut artes omnes scientiasque alias educerent* (1). Hoc pronuntiato, affirmare is pergit, quidquid in traditione reperitur aut libris vel remotissimæ antiquitatis qui à nationibus asservantur, quique ut sacri coluntur, ut fabulosum hâc in re habendum (2). Quapropter in archiviis ille propriæ phantasiæ certa reperit monumenta ad remotarum adeò originum historiam texendam. Itaque post factorum catastrophen iis similium quæ in poetis leguntur, et quæ pari admodùm ratione is probat atque suas Ovidius metamorphoses, inde certò ac nil hæsitans deducit, à metu jam primùm Dei ideam in hominibus genitam, à quo ad religionem compulsi iidem fuêre : depressionem verò animorum, tum et tyrannidem regimina statuisse, ac principes. Novam en tibi methodum quâ historia texitur rerum maximè, quotquot sunt, sanctarum ac gravium inter homines ex seculi hujus gustu *philosophici clarissimâque luce perfusi*. Volterius verò non poeta modò, sed et historicus idem est. Is equidem non parvipendit, ut modò dicti libertini duumviri, monumenta, scriptoresque præteritarum rerum, quin et eos consulit ac citat. Quid verò ? Stemma quod suis libris appingi jure potest, pulchrum illud comici dictum est : *Nil est quin malè narrando possit depravarier*. Videtur ille sibi jus esse personis, institutionibus, factis speciem ac pondus ad arbitrium tribuere : ejus verò scopus is videtur, ut Religionem deprimens impietati faveat (3). Nero ab ejus calamo imperator de Christianis optimè meritus apparet, quos ille nedùm insecutus at neutiquàm molestus illis unquàm fuit. Domitianus, Decius, Maximinus, Diocletianus ipse heroes fuêre pacifici, quos sola Christicolarum ignorantia in persecutores mutare valuerit. At Constantinus Magnus, is reapsè imperii injustus usurpator extitit, is perfidus, sanguinarius. Juliani apostatæ ab eodem apotheosis celebratur. Carolo Magno epigraphes inhonora appingitur. Quid plura ? Hi videntur esse ipsissimi veridici nostri hujus historici canones. Si impius aliquis cum idololatrâ comparetur, ille ad sidera extollitur : hic verò quia Religione pollens aliquâ, deprimitur. Si cum Hebræo idololatrâ, mox hic extollitur : at Hebræus idem præ idololatrâ depressus, præ Christiano nobilis et prudens evadet. Solus catholicus malo habet, ejus porrò conditio pejor usquequàque Protestantium conditione, Volterio judice, abjectior semper existit, et omnium hominum conditione miserior. Scriptores ergo ipsi fide nullimodè digni, si contra nos loquantur, gravissimo ipsi sunt testimonio. Solidiores verò, multæque auctoritatis vel videntur, vel negliguntur si nobis faveant. Hi, ut aiebam, sunt canones, quibus suam extendit historiam Volterius. Ipse quidem aliàs dixerat veracem historicum Religionis patriæque expertem esse debere, ne privatâ affectione corrumpi posset. At is idem suo probat exemplo canonis hujuscemodi falsitatem, nam speciosis illis reclamantibus dotibus, veritatem conculcat, et mendacio pariter ac felle suam conspergit historiam. Sic tamen ille scribere debebat, qui in recenti philosophicâ republicâ meruit jure non vulgarem modò consulatum, at perpetuam quoque dictaturam, cuique in terris adhuc agenti statua decreta tanto est cum honore.

§ VIII. *Ex Criticâ ab auctore desumptâ operis, cui titulus : Europæorum in Indis stabilimenta.*

Historiæ, ut nôstis, ars critica adnectitur, fax illa scilicet, quâ verum à falso discernitur, cujus ope non modò genuina scriptorum opera deteguntur, at et veræ doctorum opiniones in luce locantur, de opinionibus ac factis rectè judicatur, dogmata sectarum ac religionum stabiliuntur. Ars isthæc usque hùc suos habuit canones ab eruditis illustratos, et principiis innixos cuivis patentibus ratione vel leviter utenti. At ii qui nostro hoc ævo se ad eminentiam philosophos prædi-

tuis certè dabis ingratiis, alias esse potuisse humanæ gentis origines, eas videlicet quas Moses tradit, et quas paulò ante enarravimus. Utras ergo habuerit homo, non juris quæstio, sed facti est, adeòque non investigatione naturæ quæ utrumlibet habere primordium potuit, sed monumentorum pondere dirimenda. Atqui porrò monumenta universa non à sacris modò, sed et à profanis auctoribus relicta græca, latina, barbara, sive scripto exarata, sive ære sculpta, sive ore tradita sententiam illam meam confirmant et commentum illud explodunt tuum : tuus ergo libellus tot metaphysicis ratiocinationibus scatens, tot eloquentiæ luminibus fulgens toto philosophico turgens spiritu, quo primigeniam belluinam hominum conditionem fuisse ex naturæ vestigatione decernis, labat ruitque funditùs, perversamque tuam ratiocinandi methodum unicè prodit.

(1) L'histoire est encore en enfance ; elle est restée dans le chaos d'où on a eu le courage et l'adresse de retirer tous les arts et toutes les autres sciences. Despotis. Orient. Dans la lettre de l'auteur, pag. 15.

(2) Section III, pag. 57, 38.

(3) Quòd hæ sint critica leges, quibus stetit Vol terius in plurimis libris quibus orbem litterarium ditavit, facilè agnoscet quivis operæ pretium retur eos pervolvere. Videri hæc tamen clariùs disposita, exemplisque confirmata à speciosо illo depromptis historico, confutataque prægregiè à cl. Nonnotio in suo opere Lugduni edito, cui titulus : Les erreurs de Voltaire. Liber hic potis fuit inalterabilem libertini scriptoris patientiam irritare. Respondit hic ergo, at non rationum vi, benè verò contumeliarum, quas ira simul ac mala causa dictabant. Hinc aptissimè Nonnotius alacritate cà quam victoria ac triumphus in eo dissidio ingerebant, ait : *Iidem ipsi qui aliùs Volterium demirantur, quique illi in litterarum regno eumdem faciunt locum ac in cœlis Jovi, agnoscunt quadrare illi posse optimo jure venustissimum Luciani illud : O Jupiter, irascerisne ? Iniquam ergo habes causam.* Réponse aux eclaircis. de M. de Voltaire.

cant, utut aliis fortè in rebus boni esse queant critici, cùm de Religione agitur, sequuntur iidem ejus criticæ canones, quæ cuivis rectæ rationi è diametro adversatur. Celeberrima hodiernâ luce est historia nescio quæ titulo, *Stabilimenta, ac commercium Europæorum in Indis.* Ejus auctori invideat nemo dicendi robur, varietatem cognitionum, subtilitatem ac felicitatem reflexionum. Ipse verò idem tentigine eâdem laboravit (his diebus maximè communi), in opere quod circa politicam ac commercium vertit, Religionem immiscendi. Identidem de hâc verba habet, at amarulenta, et criticæ inserviens venenatæ non minùs atque infirmæ. Id sit instar omnium : celebrem jamdiù is agitat quæstionem de nigredine populorum Africæ littora colentium, et sepositò parùmper historici stylo, hoc, exordio cruentam ingreditur Verrinam (1) : *Theologia quæ humano potiri spiritu gestit, opinionis viâ, quin ignota per notiora explicet, rationis terendo naturalia vestigia, naturæ theoriam superstitionis theoriæ subjecit. Homines ab eorum infantiâ ipsâ corripiens eorum primis est abusa timoribus, ut æternos iisdem ipsa insinuaret : et semel atque eos ipsa est allocuta ipsis que imposuit, oculos iisdem auresque obstruxit, ne quid perciperent quo instrui atque illustrari fortè possent. Philosophia ab effectibus ad causas consurgit : theologia causam est commenta ad effectus explicandos. Hinc universa ab ipsâ sunt corrupta, geographia, astronomia, physica, historia ; omnia speciem formamque per ejusdem manus immutârunt.* En eloquentem simul atque emphaticum proœmium (seu veriùs inurbanum unà ac maledicum) ut nil supra. At quid tanto dignum hiatu ! Prosequitur is : *Postquàm humanum genus omne criminosum atque infelix præstitêre unius ob noxam* (ac si originale peccatum fuerit à theologiâ inventum), *hominum theologi progeniem quamdam constituêre nigrâ facie, ac corpore, ex fratricidio filii protoparentis illius. Ab hoc Caïn prodiêre Mauri. Si fratris sui occisor eorum genitor fuit, fatendum sæviter expiatum ejus peccatum à suis filiis fuisse, et pacifici Abel nepotes ultos egregiæ fuisse innocentem parentis sui sanguinem.* En terribilem criminationem! Vah theologos (audire mihi videor historici hujus nostri amicos) inscitos verè ac vappas ! At audiatur potiùs auctoris ejusdem apostrophe vehementior ac penetrantior illa : *Deus optime, quænam rabies, atrocitas quænam, quænam abominationes atque absurda tuæ sunt attributa naturæ justæ, bonæ, sapientissimæ, sanctissimæ ! At non verò dæmones sunt qui tuum blasphement nomen ; sunt verò hi potiùs qui se tuos ministros audent dicere. In eos, quæso, tuum effunde lumen, quæso, ut per te ii instruantur Mauros quidem à naturâ malè vexatos esse, at non à tuâ maledicto impetitos justitiâ.* Hæc historicus ille, qui ex iis est, à quibus fanaticorum et enthusiastarum nomine nos perpetuò circumferimur. At pronuntiari palmaris error eloquentiùs possit unquàm, aliumque falsitatis notâ differre audentiùs ? Nam abs eo quæram qui et quot ii sint ex theologis qui doceant Africæ Mauros à Caïn progenitos, et in nigro colore genitoris fratricidæ pœnas lucre ? At ipse tacet, et nec unum profert : et meritò quidem, neminem enimverò ipse noverit, quin et in contrariâ omnes ii sunt opinione. Quod indubium : omnes siquidem tum Catholici, tum Protestantes theologi à sacris instructi Scripturis, quarum oracula hâc super re trita admodùm, perspicua ac frequentia sunt, tenent, semperque tenuêre, in diluvio (Noe familiâ exceptâ à Seth prodeuntis) humanum omne genus interiisse (1). Firmiter ergo theologi credunt Afros Mauros non à Caïn descendere, cujus progenies in diluvii undis omninò periit : credunt ergo Maurorum nigredinem non genitoris fra-

(1) La théologie, qui a voulu s'emparer de l'esprit humain par l'opinion, au lieu d'expliquer les choses inconnues par les connues, en suivant la marche naturelle de la raison, a soumis la théorie de la nature à celle de la superstition. Prenant l'homme dans l'enfance, elle a profité de ses premières frayeurs pour lui en inspirer d'éternelles ; et, dès qu'une fois elle s'est fait écouter, elle lui a fermé les yeux et les oreilles sur ce qui pouvait l'instruire et l'éclairer. La philosophie s'élève aux causes par les effets ; la théologie a forgé la cause pour interpréter les effets. C'est ainsi qu'elle a tout dénaturé, géographie, astronomie, physique, histoire, tout a changé de face et de forme en ses mains. Après avoir rendu tous les hommes coupables et malheureux par la faute d'un seul, les théologiens ont fait une race d'hommes noirs pour le fratricide d'un fils de ce premier homme. De ce Caïn sont descendus les nègres. Si leur père était assassin, il faut convenir que son crime est cruellement expié par ses enfants, et que les descendants du pacifique Abel ont bien vengé le sang innocent de leur père. Grand Dieu ! quelle rage, quelles atrocités, quelles abominations, quelles extravagances on accumule sur ton être juste, bon, sage, et saint ! Ce ne sont pas les démons qui blasphèment ton nom : ce sont plutôt les hommes qui osent se dire tes ministres. Prête-leur ta lumière pour leur faire connaître que les noirs sont des êtres peut-être maltraités de la nature, et non maudits de ta justice. Histoire philosoph. et politiq. des établissements et du commerce des Européens dans les deux Indes, tom. 4, lib. 10, p. 166 ; à Amsterd. 1773.

(1) Supervacaneum duco in probando hoc vero immorari. Commentatores SS. Scripturarum, historici, tractatistæ, uti appellantur, quâcumque sint è communione id testantur apertissimè. Verùm quidem est aliquot, ut Isaac Vossius, Joannes Clericus, et aliquis fortassè alius, diluvii universalitatem pernegâsse ; at non quoad integram humani generis peremptionem (Noe, ejusque familiâ exceptâ), sed solùm quoad inundationem omnium nostri globi orarum. Autumant hi homines eò tempore paucas solummodò Asiæ provincias occupâsse, adeòque eos inter fines diluvium consistere debuisse ; quod nihilominùs universale dicitur, eò quia omnes in mundi tum degentes exstinxerit. Falsa equidem opinio à Catholicis atque à Protestantibus invictè prostrata : sed quæ indicat tamen theologos hos ipsos longè ab opinione eâ absistere, quam toti theologorum cœtui criticus iste appingit. Nec ignoro P. Labat in t. 2 Africæ, pag. 257, quemdam P. A. confutare, à quo scriptum ei quoddam fuit communicatum, ubi legebatur signum à Deo in Caïn fronte impressum, nigredinem esse, quæ ab ipso in posteros abiens, in Mauris etiamnùm deprehendatur, qui ex ejus sunt progenie. Hinc contra Scripturas, universalemque traditionem, diluvii universalitatem, quoad humanum quoque genus ille negabat. Confutat, in quam, P. Labat futilem obscuri hujus P. A. opinionem, in quâ, uti nemo credet integram concludi theologorum rempublicam, ita nemo eum credet, qui potis sit ponderi sustinendo Verrinæ aut Philippicæ illius, quam noster instituit criticus censor.

tricidæ pœnam existere. Qui verò tam claram perspicere ratiocinationem non potuit tam clarus et tam acutâ acie scriptor? Scriptor sublimis adeò, ac gravis, ut intima regum ac Religionis penetralia et in Dei ipsius consilia pervadat? At pervidere nequit, aut saltem non suâ in luce res pervidere, quisquis is est, cui « fervens difficili bile tumet jecur », Horat. l. 1, ode 13. Attamen ingenuè fateor incidentem propositionem, quamvis falsam, potuisse et negligi, et eidem donari, nam, ut scimus, *quandoque bonus dormitat Homerus*. At propositio falsa adeò, et simul adeò expensa, nec non procœmiis, exclamationibus, sarcasmis, epiphonematis suffulta præteriri non poterat, nec expressè non notari velut funestum exemplum critices talium scriptorum, cùm suâ vexare censurâ aggrediuntur Religionem, ejusque ministros. Etsi verò persimilia exempla à præclaro illo scriptore excerpta abundè prodere in manu meâ sit, imò et aliquot ex iis deinceps, fortassè proferam.

§ IX. *In morali ab Helvetio.*

Sed progrediamur, et postquàm breviter attigimus quâ ratione juxta *philosophici* spiritûs methodum tractari historia debeat, et ars critica adhiberi, dicamus de methodo, à philosophis illis, recens in alias gravissimas facultates invectâ. In eâ usque modò fuerunt omnes opinione, moralem nempe scientiam, magnam illam humanorum officiorum magistram, vinculum societatis, beatitudinis conciliatricem, fundatam esse in ordinibus æternis atque immutabilibus Deum inter et homines, inter horum quoslibet, suosque coævos, inter primores, ac subditos ex iisdem. Ex hisce fontibus haustæ hucusque sunt infallibiles de honesto ac turpi notiones, ope quarum de actionum pondere ac valore prolatum est tutò judicium. At methodus isthæc ab illustrati seculi epochâ ruit (1). *Credidi quidem ipse* (en Helvetii systema, inauditum priùs, ni fallor, ab orbe condito) *morum scientiam pertractandam esse aliarum omnium scientiarum ritu, et ejus specimen conficiendum veluti experimentalem physiosophiam.* Præclarum sanè inventum! experimentalis physiosophia, ut cuique est planum, phænomena observat, et post sufficientem eorum collectionem suas præfigit leges: sic, exempli causâ, iterùm atque iterùm attentèque observato corporum lapsu lex illa prodiit, gravium descensum accelerari, hanc verò accelerationem procedere juxta imparium numerorum seriem. Non secùs suam modernus philosophus moralem stabilit scientiam. Non ipse quidem à lege actionum valorem metitur, at perpensis humanis actionibus, legem deinde ipse statuit. Undique is interim colligit prostitutiones ac violentias seculorum omnium ab iis patratas, qui perditè secuti fuêre corrupti sui animi impetum. Isthæc sunt phænomena, quæ is suo in libello cynicâ illâ elegantiâ nobis exponit. Inde ad generalia gradum facit theoremata, stabilitque velut fundamenta moralis scientiæ, humanorumque actuum leges, *utile ac voluptatem*, quibus stare debeant homines, si verâ præditi esse velint virtute. Honestum id omne est quod voluptatem fovet : æquum ac justum, quod in propriam redit utilitatem. En leges. Muliebris ergo pudor, firmus inviolatusque thalamus, patria potestas, principibus subjectio, fides erga æquales (quæ habita usque adeò virtuti consona, maximèque necessaria fuêre) fabellæ huic philosopho sunt : tum verò solum laude isthæc sunt digna, cùm propriæ utilitati ac voluptati inserviunt; at si his officiant, vitia sunt : adeò ut pudori impudentia, nuptiis lupanaria, obedientiæ audacia, subjectioni seditio, æquitati vis et oppressio possint et debeant à virtutis studioso philosopho substitui. Hæ sunt ethices ad experimentalis physiosophiæ methodum illationes, quæque jam enascuntur è viis omnibus, quas hâc in facultate stravêre scientissimi hice scriptores. Ipsi verò quin erubescant, eas adoptant, amplificant, inculcant; cùm et audeant deinde scribere, ut post Helvetium auctor systematis naturæ facit (1), *eum non modò nolle per sua principia sacros moralis scientiæ perfringere nodos : at arctiùs eos colligere se intendere, virtutemque illis in aris locare quas impostura, enthusiasmus, timor noxiis priùs phantasmatis sacrârunt.* Ita philosophantur ac scribunt ab novi philosophismi aurorâ post hujus seculi dimidium illius asseclæ.

§ X. *In dialecticâ à Mirabaudo prolatâ.*

Quoniam verò cogitandi magistra, quæque apta suggerit theoremata quibus à verâ ratiocinatione fallax discernatur sophisma, est logica ars, hanc suo arbitrio condere quoque sibi debuerant recentes philosophi, ut societati arma inferrent, Religionemque prosternerent. Ut verò uni præ millenis me restringam exemplo, ecquis nesciat nullum puerile magis sophisma, atque ineptius esse illo, quo ad assertum aliquod probandum assertum ipsum adhibetur, quod in quæstionem cadit, quod idcirco à dialecticis *circulus vitiosus* appellatur? At dialecticam legem, quæ fallaciam hanc detegit ac damnat, auctor *systematis Naturæ* ridet : et hæc super tam pudendo sophismate molem omnem obsceni sui construit atheismi. Quod evidenter ostensum habeto : primo siquidem capitulo postquàm is *extollere supra prœjudiciorum nubes caput nos effecerit, et à densâ quæ nos circumambit atmosphærâ egredi*, nutu, gestu, voce altisonâ atque animosâ pronuntiat (2), *universum, vastam hanc collectionem substantiarum quotquot sunt omnium, nil nobis ob oculos offerre, nisi materiem ac motum. Duplicis hujus*

(1) J'ai cru qu'on devait traiter la morale comme toutes les autres sciences, et faire une morale comme une physique expérimentale. Préf. pag. 2.

(1) Loin de vouloir briser pour lui les nœuds sacrés de la morale, il prétend les resserrer et placer la vertu sur les autels, que jusqu'ici, l'imposture, l'enthousiasme, et la crainte ont élevés à des fantômes dangereux, Préface.

(2) L'univers, ce vaste assemblage de tout ce qui existe, ne nous offre partout que de la matière et du mouvement : son ensemble ne nous montre qu'une chaîne immense et non interrompue de causes et d'effets... dont la somme totale fait ce que nous appelons la nature. Prim. part. cap. 1.

elementi combinationes nil nisi immensam nec interruptam catenam causarum atque effectuum... quorum totalis summa id efformat quod naturam dicimus. Ecce tibi genuinum materialismum atque atheismum tribus verbis. At quâ ratione is probat nil in naturâ esse, nisi materiem ac motum? Nec istiusmodi materiæ ac motûs, quæ nos porrò conspicimus atque agnoscimus, supernum aliquem existere auctorem? gravissimi hujusce theorematis demonstrationem in sequens ipse caput differt : in quo postquàm iterùm atque iterùm enuntiârit is, atque iteraverit, nil in naturâ præter materiam existere, hancque suis in partibus variam, partes has verò in assiduo æternoque motu, sic se ipsum interpellat (1) : *At à nobis exquiret aliquis, unde hæc natura suum duxerit motum. Reponam ipse à seipsâ illum habere;* demonstratur : *Nam ipsa est universum omne, extra quam propterea nil existere potest.* Sic ille, cujus cæteroqui ratiocinatio sub aliis terminis isthæc est : « Nulla externa subest causa motûs materiæ, « nihil enim est præter materiam ac motum : et nil « aliud est præter materiam ac motum, quia præter « materiam ac motum nihil est aliud. » Id est verè et ad evidentiam demonstrare : id est Religioni Deoque bellum moliri *spiritu ad eminentiam philosophico.* Alias ibidem propositiones seu probationes idem affert ejusdem farinæ omnes, quæque in eodem sophismate consistunt, ut alibi ostendam. Scio Spinosam quoque suum Pantheismum in petitione principii fundare. Sed ille saltem quâdam illum æquivocatione palliat, interque geometricæ methodi gyros ac meandros illum involvit ac celat. Sed nostri ævi audacia apertior sanè est, præstigiaque impudentiora. Id tamen confert profectò, ut sentiant vel minùs experti, atheismum et materialismum insolenter adeò hoc in libro propugnatos, primo quidem vel levissimo ictu geometricè integro cum libro ruere, utpote qui tam lubrico levique nitatur fundamento.

§ XI. *In Metaphysicâ ab eodem.*

Eversis ratiocinandi principiis, quid recti, atque æqui à libertinis hisce scriptoribus tibi polliceare, qui verò ratiocinantium titulo adeò gloriantur? Ex eo quod leviter attigi, poterit legens conjicere quàm compactum firmumque sit *naturæ systema.* Attamen operæ pretium erit perspicere methodum, quam in eo ejus auctor tenet in metaphysicæ problematis solvendis, quæ postrema est facultas peculiari modo post epocham novi seculi philosophici reformata. De spiritualitate rationalis animæ cùm, lib. 1 *Fundamentorum Relig.*, agerem, putavi me primo ictu victorem fore, et clarissimè exhibere me posse iis etiam qui metaphysicas disciplinas ne quidem à limine salutaverint, materialistici systematis fœditatem, hoc pacto non minùs vero ac simplici quæstionem proponendo.

(1) Mais, nous dira-t-on, d'où cette nature a-t-elle reçu son mouvement? nous répondrons que c'est d'elle-même, puisqu'elle est le grand tout, hors duquel corséquemment rien ne peut exister. Prim. part. cap. II.

Nos inter ac Materialistas disputatur (Materialistæ quidem vocitantur, qui spiritum negant) num pars materiæ, quæcumque ea sit, conteri, attenuari, configurari, disponi, agitari possit adeò, ut capax evadat hujusmodi attenuationis, configurationis, motûs ope, componendi homericum poema, Euclideos libros, Ciceronianas orationes. Hæc in compendium præcisa est quæstio : Unde quæritur num illud quod in nobis cogitat, materia sit, necne? Vidimus interea veteres Epicureos, posterioresque Materialistas cum suis omnibus conatibus adversùs hanc propositionem, invitos licet, nobis manus victas dare. Lucretius solvendo problemati incumbens fatetur, nec tenuem auram, nec calidum vaporem, nec aerem (quæ tria sunt corporea elementa, quibus suo judicio conflatur anima), cognitionis esse capaces. Confugit idcircò ad quartam substantiam, quam innominatam ipse dicit, sed cujus ignorat ipse naturam, nec explicare scit, quâ ratione ea cogitet. Lokio verò sufficit asserere sibi impossibile non videri id quod extensionis est capax, cogitare per divinam omnipotentiam posse. Hic silet : et Volterius, qui adeò Lokii propositionem celebrat, nil ad hæc addit. At advenit tandem ætas clarissima coruscans luce. Auctor systematis naturæ problemati occurrit iisdem fermè verbis ac proposui, efformato. Is igitur longissimè abactis spiritibus, ac si chymæræ ii forent, contendit vim omnem cogitandi in *moleculis* esse positam, seu materiæ particulis, è quibus nostrum cerebrum conflatur. At qui moleculæ istæ poema efformaverint? Præstò est præclara solutio. Animo concipite (sic ille) Virgilii, aut Homeri caput veluti duas urnas, sive tubos, seu potiùs lusorias geminas pyxides moleculis plenas, veluti talis à naturâ (quo sub nomine aliud nil venit, nisi materia ac motus) affabrè elaboratis ac combinatis. Tali hice, seu materiales hæ moleculæ (attentiùs adverte) sunt hominis cogitationes. Agitat ergo poeticam pyxidem Virgilius, moleculæ illæ, seu tali permoventur atque aguntur, en verò incipitur poema. Pulcherrima illa de Trojæ excidio narratio, funestus ille Nysi atque Euriali casus, patheticæ illæ apostrophes amore succensæ Didonis, cæteris cum aliis tractibus, ornamentis, episodiis epici illius operis, nil sunt, nisi mirus talorum jactus à capite, seu Virgilianâ à pyxide. Quid explicatu facilius ac felicius? Idem de Homero : neque hîc nisi moleculæ, talique in longum, latum, ac profundum extensi, Achillis iræ, ducum alloquia, Chryseidis casus, tot populorum descriptiones, tot sacrorum, tot pugnarum, quas usque adeò miratus est orbis, veluti ingeniosas ideas, sublimia excogitata, felicissimas poeticæ mentis imagines, sunt meræ materiæ particulæ, sunt tali permoti, configurati, combinati, missique à pyxide animatâ non secùs ac cucumis aut cucurbita : at à naturâ (id est, à seipsis) adeò contexti, ut mirandum illud efficiant poema. Et ecce mirabilem problematis, quod proposui, explanationem ! Quibus fortassè legens ægrè acquiescet : nec isti sanè succenseam : id porrò ex maximè absurdis est, quod philosopho unquàm excidat. Afferam idcircò

Gallici auctoris ipsissima verba : *Les molécules de la matière peuvent être comparées à des pipés, c'est-à-dire à des êtres qui produisent toujours certains effets déterminés. Ces molécules, étant essentiellement variées par elles, sont pipées, pour ainsi dire, d'une infinité de façons différentes. La tête d'Homère ou de Virgile n'ont été que des assemblages de molécules, où si l'on veut, des pipés par la nature, c'est-à-dire des êtres combinés et élaborés, de manière à produire l'Iliade ou l'Enéide.* Système de la Nature, Part. II, Chap. V, not. 40. Hucusque singularis noster metaphysicus. Deus optime, quàm benè nôsti tuorum hostium facies ignominiâ implere (1)! Nec verò operæ pretium est, nec mei instituti tam fœdum probrosumque hìc errorem refellere, quod rationem, naturamque ipsam gravissimè lædit. Hypothesin hanc porrò falsam æquè ac pudendam destruit funditùs quod alibi est à me prolatum, ubi Materialistarum errores confutavi. Si verò in re tam gravi lepidus aliquis non dedeceat jocus, interpellare singularem nostrum hunc philosophum, ac monitum vellem, hunc suum metaphysicum cogitandi modum persimilem esse poetico illi nostri Ariosti æstro, quo in lunæ concavum is evectus vidit ibi judicii mentisque substantiam ab aliquibus in terrâ deperditam, ibique in phyalis quibusdam inclusam atque asservatam. Substantiam eam definit Ariostus tenuem mollemque liquorem, qui nisi perquàm diligenter conclusus asservetur, evanescet facilè. Hinc vides, amice, parùm nos à talorum pyxide, seu à materialibus et cubicis moleculis hìc distare. Illud verò pervenustum fuit, poetam probè agnovisse cui sua spectaret phyala, cùm unicuique harum inscriptum in fronte esset ejus nomen cui mens judiciumque abscesserat, Orlandi scilicet, Astolfi, qui postremus verò eam naribus admovens, in judicium, mentemque suam est redditus, et eò usque eadem tenuit, dùm novum in crimen lapsus iisdem perpetuò caruit. Quis scit an tutè ipse, si quemadmodùm theorias, ita et poeticos nostri epici volatus imitarere, agniturus non sis tot phyalas inter in lunæ sinu eam, quæ Mirabaudi mentem judiciumque contineat! O ter quaterque te felicem, si Astolfi exemplo illud recuperare tibi obtigerit! At caveas ne contra Deum ac Religionem calamum ultra moveas, ne de te, quod de Astolfi, dicatur:

Ma che? un error che fece poi fu quello
Ch' un' altra volta gli levò il cervello.

Claudite..... sat prata biberunt.

§ XII. *Ex vario isto specimine integra conficitur idea umbratilis illius figmenti quòd philosophicus spiritus vulgò circumfertur.*

Ex his liquet quæ et quænam sit celebrium hujusmodi philosophorum metaphysice, dialectice, morum doctrina, critice, historia. Eo sunt ipsi consilio, ut Religionem subvertant, ejus fundamenta convellendo; principum regumque sceptra ut destruant, eorum frena solvendo; societatem ut dissipent ejusdem infringendo nodos, homines quosque ut depravent viam sternendo omnigenæ mentis animique corruptioni, eosque ut pugione etiam arment, quo sibi desperantes ac cæci vim inferant. Hæc ut horrenda suffulciant scelera, quæ contra omnes unà voce conclamant facultates, ac scientiæ, scientias ipsas, facultatesque, omnemque ritè cogitandi modum ii subvertunt. Vetustarum rerum historiam non à priscis hauriunt monumentis, at à suâ ipsorum phantasiâ; et si quando historicos in medium proferunt, eos per criticen depravatam suìsque obsequentem studiis probrosè traducunt. Moralem doctrinam statuunt, non mores legum ope ut dirigant; at leges deturpando corruptos supra mores quasi experimentalis physiosophiæ phœnomena assumptos. Eorum dialectica ratiocinandi evertit principia, stabilitque veluti probationes paradoxorum paradoxa ipsa quæ in quæstionem veniunt. Eorum Metaphysica adeò primas subvertit ideas, ut et in moleculas materiales hominum cogitatus convertat, carmina in talos, Homeri, Virgiliique capita, et cujuscumque excogitantis in lusorias pyxides. Verum equidem est, nil hìc me protulisse, nisi paucula ab iisdem illis excerpta; at satis isthuc, etsi enim non omnes easdem erroris formas sequantur : at omnes verò easdem ferè terunt vias abutentes ut libet scientiis artibusque ut eamdem impietatis metam attingant. Præ factis ergo claris adeò ac perspicuis nonne jure dicet auctor libri *Stabilimentorum*, etc., à quo superiùs insigne illud critices hausimus exemplum, jure dicet, inquam, suis unà cum amicis, theologos esse, qui omnia deturpârint, et in eorum manibus facie et formâ artes, scientiasque esse immutatas? Quæ recriminatio ridicula quamvis atque infirma novo nobis validoque esse poterit argumento ingenuitatis, ac ponderis quod in spiritu est philosophico percelebri adeò; nostrique ævi felicitatis, quo sublimes adeò auctores tamque præclaræ prodeunt doctrinæ.

CAPUT II.

§ I. *Diversa ex opposito facies sub quâ recentem philosophismum exhibent alii ejusdem propugnatores.*

Quantùmvis recens Philosophismus ad ea facinora, quæ hùc usque notavi, plus minùsve rapidè feratur : tamen sunt ejus inter patronos, qui agnoscentes humanum genus non penitùs universim Deo favente impietati servire, aut insaniæ, in evulgandis idcircò suis scriptis, *satagunt, ut valent* (phrasi utar cl. Alambertii), *ne aliquem, quisquis is sit, rejiciant, eos præcipuè qui rationem audiré recusent de eo quod opponi posset aliquas ob causas vulgaribus ideis* (1).

Si interim hi interpellentur in quo pretium sit philosophici seculi, quod iidem celebrant adeò, reponent, in eo quòd bellum intulerit superstitioni, ac fanatismo, quòd vexationis spiritui obstiterit, quo tot Christi fidelium correpti fuêre, quòd in ingeniorum libertate reposuerit doctrinas aliquot, quas quidam ad Religionem spectare somniârunt; quòd jura statuerint, ac fixerint limites spiritualium ac temporalium rerum, quòd purgaverint Religionis annales à præjudiciis

(1) *Imple facies eorum ignominiâ.* Psalm. 82.

(1) Mélanges de Littérat. Tom. 5. Avertissem. pag. 6.

ac fabulis, quòd in morum scientiam, in historiam, in theologiam ipsam puriora, ac clariora veritatis diffuderint lumina, præjudicia, atque imposturas dissipando. En uberes et præclaros fructus, quos ætas hæc acceptos referre debeat virtuti modernorum ad eminentiam philosophorum. Hisce reapsè philosophi hujusmodi gloriantur; at sint hæc nec ne introspiciamus.

§ II. *Horrendi colores quibus nostram superstitionem, ac fanatismum iidem depingunt.*

Et ut primò dicam de superstitione, ac fanatismo: indubium est quòd si modernorum philosophorum libri in partes abirent, ubi extraria prorsùs, atque incognita catholica sit Ecclesia, credi ibidem posset à nobis apotheosi cœpas etiam, atque allium donari, et paulò minùs à nobis adoptari fœdum veterem illum cœcorum Ægyptiorum cultum. Credi posset nostros ministros non secùs atque olim Aulide bipennem elevare ad renovandum identidem Iphianassai sacrificium, supremasque nostras Potestates quasi totidem Neroncs, ac Diocletianos semper rogos accendere, carnificesque parare ut in nostræ fidei hostes insæviant. Vix veteres Tragici suggerere valeant scriptoribus hisce (qui porrò eos legit nil me exaggerare novit) imagines quæ sufficiant depingendis barbaris nostræ superstitionis nostræque intolerantiæ excessibus. Idcircò aptissimum duxit Volterius suo ipso uti calamo ad confingendam Tragœdiam quâ nihil magis horrendum Theatra vidêre, ut in Mahumede repræsentaret fanatismum imposturâ ac sevitie magnificè scatentem. Quisnam vero ibi sit operis Protagonista, quod objectum, quod sibi in Mahumede poeta proposuit, facile est adsequi. Ipse idem in alloquio ad R. de P. se satis detegit, ubi postquàm dixerit, *humani generis amorem, horrorcmque in fanatismum suum duxisse stilum*, paulò post subdit, *venenum illud idem durare adhuc et si minùs evolutum*, et obnitente quamvis eâ philosophiâ, quæ hoc ævo *Europam adeò pervasit, absurdius tamen fanatismum adhuc contra illas aras erigere.* Tragœdia igitur, ut benè strenuus ille Gallus (1) animadvertit, nec pro Arabiâ scripta fuit, nec pro Turcis nostri hujus ævi. Illa nostris acta in regionibus est, eòque directa, ut nostros configeret modos, nostramque institutionem, ac ductum. Nihilominùs ac si disertè de se non res ipsa loqueretur, hæc de Tragœdiâ illâ Alembertius habet: *Quidnam legi possit unquàm aptius quo execrabilis fiat fanatismus, et totidem quasi teterrima se prodant monstra qui illum inspirant, horribili* illâ picturâ *in actu 4 Mahumedis, ubi Seidus furenti raptus zelo visitur pugionem sui patris in viscera configens? tu vero velles* (Rousso-jum alloquitur) *Tragœdiam istam nostris è Theatris exulare? Utinam prognata eadem fuisset ducentis ante suum ortum annis! Spiritus philosophicus, qui eam dictavit, eamdem haberet epocham. Si quid sapientioribus Tragœdia hæc displicet, ex eo est, quòd in eâ nullâ appareant nisi à falsæ Religionis zelo patrata facinora: nec verò simul longè deplorabilia mala, ad quæ interdùm cæcus pro verâ Religione zelus homines compellere potest* (1). Sic ipse; attamen est qui sibi jure suadeat, in exaggeratis illis horroribus à superstitione ac fanatismo, quo perculsos se jactant moderni philosophi, deplorabilem saltem latere fanatismum posse.

§ III. *Quàm falsi sint et iniqui. Quò clamores modernorum philosophorum in superstitionem tendant.*

Enimverò ab iis accipere aliquando ipse cuperem, quid superstitionis nomine per ipsos veniat, quam quotidiè nobis tanto cum horrore objiciunt. Novimus porrò eam consistere in cultu vitioso, utpote qui reddatur vel cui non debetur, vel modo quo non debetur (2). Jam verò orthodoxa christiana Ecclesia à sui exordio, uti impietatis, ita et superstitionis acerrima semper hostis extitit. Divina revelatio in sacris Scripturis, et in Traditione exhibita, unicum ejus fundamentum fuit, ex quo ipsa credendi, agendique leges hausit, cultûsque tum interni, tum externi, quem Deo illa præstat. Hâc luce quascumque semper ipsa opiniones dispulit, aut falsæ pietatis, aut pravorum morum, quæ identidem ex imbecillitate aut inscitiâ nos inter exoriri potuerunt puramque et immaculatam servat adhuc Religionem non habentem maculam neque rugam. Nostri pastores, synodi nostræ, nostri ipsi cathechismi de hoc manifestam faciunt fidem. Mentis aciem parumper convertamus in ea ipsa quæ hoc nostro seculo evenêre, in proscriptos, inquam, Sinenses ritus, in vota sanguinaria reprobata, in immodica pietatis officia, in fictitias atque absurdas se Deo jungendi methodos proscriptas, superstitiosas in praxes jam vetitas; at pernegaveris dein hæc exempla esse non minùs recentia atque præclarissima orthodoxæ hâc in re vigilantiæ? Quin et crediderim ipse solam constitutionum ac tractationum quarumdam Benedicti XIV; immortalis memoriæ Pontificis lectionem evidenter id omnibus ostendere. In quo ergo et quænam ea tandem est in catholicâ Ecclesiâ horribilis superstitio, cui abradendæ enatos se dicunt hi ad eminentiam philosophi? Fucum jam ementitumque colorem eluamus, resque suo locetur in lumine. Nostri equidem temporis libertini vestigiis veterum omnium inhærentes libertinorum sub odioso superstitionis nomine Religionem accipiunt, atque impetunt; quæ planè verax una est, orthodoxa scili-

(1) M. l'abbé Sauchat, Lettres Critiq. tom. 3, let. 35.

(1) Quelle leçon plus propre à rendre le fanatisme exécrable, et à faire regarder comme des monstres ceux qui l'inspirent, que cet horrible tableau du quatrième acte de Mahomet, où l'on voit Séide égaré par un zèle affreux, enfoncer le poignard dans le sein de son père? Vous voudriez, Monsieur, bannir cette tragédie de notre théâtre? Plût à Dieu qu'elle y fût plus ancienne de deux cents ans! L'esprit philosophique qui l'a dictée serait de même date parmi nous... Si cette tragédie laisse quelque chose à regretter aux sages, c'est de n'y voir que les forfaits causés par le zèle d'une fausse religion, et non les malheurs encore plus déplorables, où le zèle aveugle pour une religion vraie peut quelquefois entraîner les hommes. Lettre à M. Rousseau.

(2) Superstitio est vitium Religioni oppositum secundùm excessum.... quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet S. Thom. 2-2. q., 92, art. 1.

cet. Hic sui ipsorum veneni scopus; hanc destructam atque obrutam velint si id unquàm suæ obtingant philosophiæ. Sufficiet libros evolvere ab eorum officinâ ab hujus seculi dimidio depromptos, imò sola perspicere Tragici Mahumedani, quem non sine laude nominavimus opera, ut planum id fiat.

§ IV. *Criminationes in theologos congestæ.*

Nisi quòd non me præterit theologorum hostes contendere eos plus æquo fidei dilatâsse fines, Religionis, ac politicæ systema confudisse, historias, fabulosis ineptisque narrationibus onerâsse : quibus è malis recentis philosophiæ lumina nos liberaverint. Alembertii circumfertur dissertatio, cui titulus : *Criticæ artis circa religionis abusus*, in quâ districtè theologos is dijudicat. Eorum ille modos in censurâ de doctrinis ferendâ patefacit, eorum excessus in opinionibus damnandis, eorum *imbecilles*, ut ipse ait, *clamores* in implorando principum pro Ecclesiâ favore, tum contra superstitionis facinora fertur. Ejus gravissimæ disputationis texturam ingrediuntur obsoleta quædam, aut æquivoca facta barbarorum temporum, uti et singularia quædam facta nil concludentia, at acerbè depicta : quæ omnia eò spectant, ut criticæ abusus circa religionem nostro hoc ævo ostendatur, tum simul ut planè constet, quid sibi velit Religio ad rectæ rationis normam, quinam ejus sit spiritus, quænam jura ac fines. Cùm ipse demùm subdere prægestiat, spiritum philosophicum (1), *qui in dies magis magisque diffunditur, jam prudentiorem, et magis sanam theologorum partem subiisse, eosque indulgentiores præstitisse, et æquiores circa res eas, quæ eorum non attingunt jura ;* at credo equidem non omnes æqui bonique facere quæ illustris cæteroqui hic auctor profert.

§ V. *Theologi præclarissimi, primæque notæ litterati moderno philosophico vacantes spiritu.*

Quid verò ? Ante ergo philosophicum lumen illud, *quod in dies magis magisque diffunditur*, cujusque aurora ad hujus seculi medium affulsit, nulli erant apud Christianos theologi, qui suam probè callerent artem, qui jus ab injusto discernerent, pernoscerentque extensionem ac fines Theandrici Regni. Ego quidem fateor ingenuè, quemadmodùm quâcumque in professione, ac cœtu existunt, et existent perpetuò imbecilles, inepti, lusci, ita nunquàm defuisse nec defecturos ejusmodi inter theologos notæ. At dic, quæso, si à solâ Tridentinæ synodi epochâ hucusque theologicas introgrediamur scholas, quisnam et quantus occurret doctorum chorus undequàque præclarissimorum ? Melchior Canus nempe, Petavius, Thomassinus, Walemburgus, de Marca, Bossuetius, Norisius, Natalis ab Alexandro, centenique alii, quos alacriter recensere hic possem, sciebant necne isti quænam esset non sui ipsorum juris materies ; et quos intra limites, et quâ mensurâ se continere in eâ pertractandâ deberent ; quo ipsi deficiebant subsidio, quo lumine, ut optimo jure nomen illud quo decorabantur fulcirent ? Scripturæ, Patres, concilia, eruditio, philosophia, critice, linguæ, eorum supellex erant. Atqui si ad Religionis historiam nos ipsos convertamus, quænam ejus pars ante philosophicam epocham non fuerat ad exactam trutinam revocata, illustrata, vindicata ? Nomina sanè Panvinii, Pagii, Tillemontii, Mabillonis, Balutii, Enschenii, Papebrochii, Fleurii, Blanchinii immortalia semper efflorescent. Jam, quæro, theologi isti, eruditique scriptores erant necne philosophico illo spiritu ditati, qui diffundi quotidiè in litteratos fertur ? Si erant, istud ergo lumen, cujus ope suas theologi atque eruditi provincias dignoscere debent, suosque fines recentis philosophismi neutiquàm est fructus, nam longè pridem orthodoxis effulgebat in scholis. Si verò recentibus hisce vacui ipsi erant luminibus, quidnam ergo lumina isthæc conferant ? quid opus adeò lumina isthæc prædicare ? profectò sine ipsis egregii virî illi suis in facultatibus abundè fuerunt illuminati ac sapientes, magi verò deinde et excellentes, adeò ut præ ipsis moderni philosophi, ii præsertim, qui Religionis censores et Ecclesiæ agere gestiunt, nil nisi exilissimi sint sanè Pygmæi.

Enimverò, ut ad libertinos hos redeam scriptores, etsi negandum non sit in aliquot ex furtivis eorum partubus, qui identidem in lucem prodeunt, discerni ingenium prægrande, maximumque acumen, tum eruditionis vim aliquam, imò et tot inter eorum deliria doctrinas aliquot (nunquàm verò, si rationi consonæ ex sint, originales, et antehàc inauditas) ; at qui aliquo pollet judicio ac philosophiâ, à me non dissentiet, ut negare ausit eorum libros plerùmque nil nisi miscellas sophismatum, satyrarum, imaginationum, absurdorum, horrorum rapsodias esse. Abest illinc critice, ratiocinium, eruditio, honos cultusque Cæsari ac Deo debitus. Credo me alibi id variis confirmâsse exemplis ; sed quot et quanta addere non posset qui chartas inficere vellet ? Indulgeant mihi, quæso, prudentes, religiosique è Christianis leve hoc specimen à lepido dialogo Londini, ut ibidem proditur, typis cuso, quod ob oculos mihi nunc obversatur (1). *Parùm refert*, ait è colloquentibus unus, *Clodoveum suosque similes unctos fuisse : sed fateor ad humani generis ædificationem optandum esse ut flammis donaretur historia omnis civilis et ecclesiastica. Nihil aliud porrò ea exhibet, nisi scelerum Annales.* Et paulò post : *Quoniam Pontificium solium stetit in tam longâ etiam, vastâque scelerum omnium inundatione, quoniam horrorum*

(1) L'esprit de philosophie qui se répand de jour en jour s'est communiqué à la partie la plus saine et la plus sage des théologiens, et les a rendus plus indulgents, ou plus équitables sur les matières qui ne sont pas de leur objet. De l'Abus de la crit. n. 28.

(1) Il m'importe fort peu que Clovis et ses pareils aient été oints ; mais je vous avoue que je souhaiterais pour l'édification du genre humain, qu'on jetât dans le feu toute l'histoire civile et ecclésiastique. Je n'y vois guères que les annales des crimes... et puisque la papauté a subsisté au milieu d'un débordement si long et si vaste de tous les crimes, puisque les archives de ces horreurs n'ont corrigé personne, je conclus que l'histoire n'est bonne à rien. Oui, je conçois que le roman vaudrait mieux. L, A, B, C, Dialogue douzième, entret. pag. 101.

horum Archivii neminem correxêre, concludo igitur historiam inutilem planè esse. Ita sanè, respondet aliter, *ipse quidem in eâ sum sententiâ, ut præstantiores forent romanenses libri*. Quæso hìc quo nomine id appellabimus, impudentiæ, an stultitiæ, an furoris? nec minùs præclarum istud aliud est specimen. Postquàm illorum aliquis impium enuntiaverit theorema æternæ et necessariæ emanationis mundi à supremâ substantiâ, ipsum amicus interrogat : *Per tuam fidem es tune systematis tui securus?* reponit is statim : *Ipse verò? atqui de nullâ re certus ac securus ipse sum. Credo equidem adesse substantiam aliquam mente præditam, creare potentem verbo Deum. At in tenebris tentabundus circa reliqua incedo. Hodiè de ideâ aliquâ affirmio, cras dubito, perendiè nego, et quotidiè decipi possum. Omnes quotcumque mihi bonæ fidei philosophi obvenêre fassi mihi sunt, cùm à vino hilares magis essent, ipsisà summo numine nil magis evidentiæ largitum fuisse quàm mihi.* Tandem epiphonema lepidissimi dialogi hic est, qui verè philosophici spiritûs veluti succum complectitur. *Quid nostrâ interest æternus sitne mundus, an nudiustertius prodierit? Hilares lætique vivamus, Deum colamus, justi ac benefici simus. En quod unum interest : en quò omnis redit disputatio. Sint verò barbari intolerantes humani generis execratio : quisque suo se regat loquaturque modo. Amen*, alter respondet, *potum eamus, solatia nos non deserant, et magni Numinis in nostro sonet ore laus* (1). Ecce quousque delirium, mentisque ac cordis depravatio pertingit.

§ VI. *Funestum alicujus theologi exemplum hoc infecti philosophismo.*

Novi equidem non omnes hanc ad normam conformatos esse saltem in scribendo. Sunt verò magnâ ex parte in systematibus atque effatis, qui cæteroqui theologorum nostrorum magistros creare se vellent, ut moderatiores ac meliores hos reddant. Quod fieret sanè, si illis hi aures præberent. Ut cœperat jam olim celeber ille sorbonicus baccalaureus (2), cujus thesis Parisiis anno salutis 1751, cùm primi apparebant philosophici seculi labores, exposita, tam longè latèque obstrepuit. Nam aliquibus is videbatur vestigiis inhærens recentis philosophismi sibi proposuisse Christianæ religionis fundamenta proculcare et favere (phrasi utar protestantis scriptoris) Libertinorum technis. Nec mihi verò est persuasum hunc spectâsse baccalaureum, aliosve ipsi adhærentes Gallicum, quem innui, scriptorem, cùm asseruit, *philosophiæ lumen in sapientiorem, ac magis sanam theologiæ partem, jam fuisse diffusum*. Si quis verò esset, qui hujusmodi jactarct doctores, me libente ac volente eos quotquot sunt dono is sibi habeat : in theologorum verò classe sapientum verè ac sanæ mentis doctrinæque, referam potiùs magistros illos in divinis, illustres illo præsules, qui in præclaris suis instructionibus, longè ab inani spiritu philosophico illo, religionem ulcisci noverunt, erroresque retundere decepti illius baccalaurei, suorumque fœderatorum.

§ VII. *Ecclesiæ sapientia, ac Germanorum in divinis magistrorum in sartis tectis servandis, non verò prætergrediendis religionis juribus.*

In horum scriptis librisque tot aliorum ejusdem notæ videre poterit quivis æquis oculis pollens præstitutos rationis, ac fidei fines, distincta jura principum, quos orbi Deus ipse præfecit, divisas dogmatum atque opinionum classes, criticen probè adhibitam, fabulas confutatas, impugnatamque superstitionem nil minùs impietate. Sin verò præjudicia, effrenis zelus, imbecillitas, partium studium è theologis aliquem in errorem induxerit circa tam subtiles canones, ut abusi ii sint critices arte quoad religionem attinet : at reliqui omnes firmissimi substitere, pastores suas extulerunt voces, Ecclesia suum protulit oraculum, nec opinandi libertatem concessit, nisi in iis quæ fidei non sunt, damnati ac proscripti fuêre abusus, errores, excessus : et pura unica veritas triumphavit.

§ VIII. *Modernorum philosophorum scopus fines non habet, sed ad anarchiam atque impietatem tendit.*

At rei summa hæc est, quòd quamvis advigilaverint, tum præcavere ac providere sint obnixi theologi omnes, et Ecclesia ipsa, quamvis id magis ac magis, uberius quamvis præstent, nil id satis est, nec unquàm erit philosophorum nostrorum genio, qui ulteriùs quàm longissimè tendunt, sibique in animo est illam quam superstitionem appellant, alio violentiæ genere ab orbe penitùs dispellere. Thrax ille de quo A. Gellius (1) meminit, horum conatus ac studia graphicè depingit. Finitimum hic suum quemdam advertebat hàc illàc studiosissimè in agro adlaborantem, cùmque intellexisset eum adniti ut agrum à noxiis virgultis malisque purgaret herbis : solertius ipse et expeditiori consilio eodem se contulit, arreptaque securi ac falce quercus ac vites divellit atque olivas, segetes messuit, fruges dissipavit, ac radicitùs ad ultimos frutices, ac virgulta undique omnia extirpavit. Quo facto, sublatisque vestigiis ipsis omnique vineæ specie, verè se gloriari potuit, illum meliùs suo finitimo à noxiis omnibus herbis, plantisque campum purgâsse. Istud enimverò est præclarum officium quod orbi terrarum præstare nostri vellent philosophi, perpetui illi declamatores contra superstitionem, cynicique theologo-

(1) En conscience, êtes-vous bien sûr de votre système? Moi! je ne suis sûr de rien. Je crois qu'il y a un être intelligent, une puissance formatrice, un Dieu. Je tâtonne dans l'obscurité sur tout le reste. J'affirme une idée aujourd'hui, j'en doute demain, après demain je la nie, et je puis me tromper tous les jours. Tous les philosophes de bonne foi que j'ai vus m'ont avoué, quand ils étaient un peu en point de vin, que le grand Être ne leur a pas donné une portion d'évidence plus forte que la mienne. 16e Entret., pag. 132. Que nous importe, après tout, que ce monde soit éternel, ou qu'il soit d'avant-hier? Vivons y doucement, adorons Dieu, soyons justes et bienfaisants, voilà l'essentiel, voilà la conclusion de toute dispute. Que les barbares intolérants soient l'exécration du genre humain, et que chacun pense comme il voudra. Amen. Allons boire, nous réjouir, et bénir le grand Être. Ibid. pag. 135.

(2) M. l'abbé de Prades.

(2) Noct. Act., lib. 19, c. 12.

rum, episcoporum, pontificum censores, qui sanè non sunt populis ab eo monstro vindicandis. Illi profectò suorum luminum ope, sublatis Scripturis, Patribus, cœnobiis, templis, æterno vitæ statu, Deo ipso, religionis umbram ipsam à terris longè facessere vellent. Id cùm præstiterint, omnis sanè tunc evanesceret superstitio, ut nec tribuli sunt ubi jam non est ager. Nec minùs isto potens foret aliud illud eorum consilium ad temporales impediendas, ut ipsi loquuntur, usurpationes ecclesiasticæ potestatis, omnemque præcidere finium disceptationem sacerdotium inter atque imperium. Non rarò erat in Europâ atque Asiâ, ut duo populi inter se contendentes de jure aliquo, aut de re ad arma se pararent. Illò Romanorum dux aliquis properabat magnum agens exercitum, ibique fœdere cum alterutro è belligerantibus populis inito, devictus alter concidebat. At paulò post etiam contra victorem arma capessens, eum subdebat sibique faciebat vectigalem. Quo fiebat ut duo illi populi aut sub jugum missi, aut destructi, nil ultra de finibus inter se decertarent. Hæc verò speciosa illa est concordia sacerdotium inter et imperium, quam exequi nostri vellent philosophi; stabilior sanè ac potentior illâ quam Petrus de Marca ac theologi, jurisque consulti omnes excogitavêre. Philosophica eorum quippe lumina, venenatique libri directè jam palamque eò collimant, ut spiritualem omnem subvertant potestatem. Hâc verò destructâ, non per pronas quidem et tacitas illationes, sed per apertissima impudentissimaque effata, ac principia, manifestasque seditiones temporalis potestatis subversionem moliri student. Quo peracto (quod nunquàm Deus siverit) non ultra imperium inter ac sacerdotium lis erit ulla quoàd auctoritatem, nec iniquis se invicem oculis finium ratione adspicient, quemadmodùm nec prælia sunt ulla, ubi arma militesque absunt.

Hæc, ut aiebam, præclara sunt officia quæ ex condicto nobis exhibere contendunt recentes illi philosophi, qui aureâ mundum luce donant, et ob quæ paria grati animi officia ipsi exigunt. Ab omni nos animi morsu vindicare nos ipsi volunt, leges omnes subvertendo; omnem à nobis metum pellere judicii, ac judicii æternæque vitæ sorte omni ideam in nobis delendo; à fabellis nostras historias expurgare, eas comburendo, eisque Romanensium libros substituendo; certamina omnia sacerdotium inter et imperium auferre, regiam templumque subruendo; inscitiam depellere, fidem extirpando; superstitionem exterminare, religionem radicitùs convellendo. Hæc venustissima illa est Europæ facies, quam sibi ipsi mente confingunt, animoque inhiantes avent, cujus ope, *si Europam modò barbaram* (ita ex ipsis quidam scripsit) *modo Paganam dixêre, modo Christianam, quin et forsitan pejus aliquid de eâ dicetur: æquum est ut tandem dicatur Europa rationis præclaro perfusa ac ditata fulgore* (1). Quod idem sonat, atque Europa legum expers, regiminis, æterno post mortem statu. Deoque ipso carens.

(1) On a dit l'Europe sauvage, l'Europe païenne, on a dit l'Europe chrétienne, peut-être dirait-on encore pis; mais il faut qu'on dise enfin l'Europe raisonnable. Despotis. Orient. Lettre de l'aut., pag. 14.

§ IX. *Justissimæ episcoporum querelæ, quas hoc in negotio Gallorum regi humillimè obtulerunt.*

Heus! mihi si pectus illud esset quo meas convertere voces regalem ad thronum possem. Dicerem porrò (sermonem usurpans celebris (1) viri ad aliam rem): Principes regesque quibus populorum regimen Deus credidit ac Religionem præstitit, basim veluti vestræ pariter, atque eorum tum temporalis, tum æternæ felicitatis, vos falsorum philosophorum cohors aggreditur, qui communis boni jurati hostes fatalem totis viribus instituere student politicam pariter ac religiosam anarchiam, unde universalis prodeat corruptio ac ruina. Si alii à vobis expetière, ut vestris in regnis mathematici enascerentur ad superstitionem dissipandam, ipse quidem à vobis non expetam, ut vestris in ditionibus inanes philosophos illos morti detis, ut impietatem ii evomant suam quæ latè jam adeò diffunditur, at solùm ut eorum compescatis audaciam quæ nobis stragem minitatur, eorumque ut productiones elidatis, quæ teterrimâ nos peste inficiunt. Hæc dicerem si ad thronum usque meas levare auderem voces. At quoniam nihil me valere sentio, repetam tantùm verba, quibus illustres Galliarum præsules nuper humillimè augusto illi regi sunt oblocuti in scripturâ quàdam illustriorum Ecclesiæ temporum sanè dignâ. Patieris (2) *tune, princeps æquissime, ut populorum tuorum grex omnis corrumpatur ac pervertatur, ut hæreditas tua in prædam abeat infernorum spirituum, ut ille, cujus vi ac nutu ipse imperas, non ultra tuâ agnoscatur in ditione, ut tuorum majorum fides in corde tuorum subditorum extinguatur, et unà cum eâ sensus omnes amoris, subjectionis, fidelitatis, quam illa in ipsorum corde sacram erga tuam impresserat majestatem? Impietas porrò, rex optime, sua odia suaque consilia non ad Ecclesiæ destructionem solummodò limitat, ipsa in Deum simul*

(1) D'Alembert, de l'Abus de la crit. en mat. de relig., num. 30.

(2) Oh! Sire, souffrirez-vous que la masse entière de votre peuple se corrompe et se pervertisse, que votre héritage devienne la proie de l'esprit des ténèbres; que celui par qui vous régnez ne soit plus connu dans votre empire, et que la foi de vos pères s'éteigne dans le cœur de vos sujets, et avec elle tous les sentiments d'amour, de soumission et de fidélité qu'elle y avait gravés pour votre personne sacrée? L'impiété ne borne pas à l'église sa haine et ses projets de destruction, elle en veut tout à la fois à Dieu et aux hommes, à l'empire et au sanctuaire; elle ne sera satisfaite que lorsqu'elle aura anéanti toute puissance divine et humaine..... Daignez donc, Sire, employer toute l'autorité que le ciel vous a donnée pour réprimer la licence des écrivains irréligieux; daignez soutenir par vos lois les anathèmes que nous avons prononcés au nom de Dieu et de l'église. Ce n'est pas seulement le bien de la religion; c'est encore celui de votre peuple qui le demande; ce n'est pas seulement comme évêques chargés de la défense de la cité sainte que nous vous faisons cette prière, c'est encore comme membres d'un état dont nous avons l'honneur de former le premier ordre, et dont la conservation et la gloire nous sont si chères à tant de titres.

atque homines irrumpit, in imperium æquè ac sanctuarium; nec adquiescet, ni cùm potestatem ipsa omnem divinam humanamque sustulerit. Quæso, rex, igitur auctoritatem omnem divinitùs tibi collatam dignanter adhibe ad reprimendam libertinorum scriptorum licentiam; anathemata tuis suffulcias legibus, quæ in Dei atque Ecclesiæ nomine pronuntiavimus. Non de solâ agitur religionis utilitate, ac de tui etiam populi id ut præstes. Neque id nos precamur ut episcopi tantùm, quibus onus sanctæ tuendæ incumbit Ecclesiæ, at etiam ut aitionis membra cujus maximo non sine honore principem componimus ordinem, cujusque incolumitas ac gloria multiplici de nomine adeò nobis sunt cordi. Ita ipsi : nec *imbecilles*, ut perspicuum fuit, eorum erant *clamores*, nec eorum voces irritæ Christianissimi illius regis ad aures.

§ X. *Ex deprecationibus hisce objicitur Catholicis spiritus intolerantiæ ac vexationis, at immeritò.*

At intolerantia hìc nobis illa occurrit, ac vexationis spiritus, quem nobis perpetuò recentes objiciunt philosophi, et ex quo præcipuè theologi Deique ministri suorum conviciorum, satyrarum, odii et amarulentioris veneni sunt scopus. Nec mirum; planum namque atque obvium maximè istud est, ut Minucii Felicis utar observatione. Lacedæmones porrò Vatiniano oderant odio primores nostros Christi fideles, hi enim eorum detegebant præstigia, eosque à locis ac personis, quas obsederant, ejiciebant. Sacri pastores, divinæque doctrinæ magistri suo in lumine locant effata ac theoremata maligna impiaque philosophorum horum importunè porrò; eorum confutant sophismata, implorant veluti contra communes hostes potestatem illam, quam in terris Deus ipse statuit, ut nos regeret ac tueretur. Id verò est quod eos movet ut in nos irascantur, atque maledictis et conviciis impetant, *naturale est enim et odiisse quem timeas, et quem metueris infestare, si possis* (1). Cæterùm quò sunt venenatæ atque acerbæ, eò injustæ eorum querelæ. Qui sint, et quàm æqui fines catholicæ tolerantiæ à nobis alibi ostensum est. Uti enim nec pacem nec inducias errori concedere nobis licet, ita errantes ferre novimus. Cùm verò his non sufficiat quòd impii, ut libet, sint, at vulgarè sua student deliria, societatem corrumpere, Evangelio insultare, thronum ridere, Deum blasphemare, liceat ne id negligere, et stupidè incendium stragemque conspicere? Quid jam ad hæc historia cruce insignitorum (vulgò *Crociate*) illa quæ ignis tentamina refert, Græcorum controversiæ, Zachariæ epistola circa antipodas, aut Galilæi retractatio (2), aliæque ejusmodi narrationes (crambe ad fastidium repetitâ, quæ verò gravi patheticoque stylo identidem

(1) Minùt. Fel. in Octav., pag. 83, edit. Rigalt. 1643.

(2) Nil tritius perùmque legitur in modernis scriptoribus quàm Virgilius à pontifice Zachariâ damnatus, quòd antipodas admiserit, et in Galilæum sententia ob terræ motum. Celeberrimus Alembertius utrumque est complexus in suo præliminari ad encyclopediam ; *Tribunal quoddam cujus potentia excrevit in Europæ meridie celebrem damnavit astronomum quòd motum terræ asseruerit, eumque hæreticum conclamavit, uti et pontifex Zacharias aliquot sæculis ante episcopum damnârat, quòd non cum S. Augustino circa antipodas senserit, et quia eos existere prædixerit sexcentis annis antequàm eos Christophorus Columbus detegerit.* Objurgationes hæ ipsæ ab eodem philosopho repetitæ leguntur in suis *miscellaneis litterariis*. Et penè dixerim, uti in Arrianorum conciliabulis passim occurunt duæ illæ perridiculæ in S. Athanasium accusationes de *Calice fracto*, *deque Arsenio è vivis sublato*; ita in recentium philosophorum libris nil sæpiùs inscribi quàm *Zacharia antipodas*, *terræque motam Galilæi*. At nonne sic produnt ipsi quàm armorum inopiâ laborent, dùm retusis adeò utuntur telis? Sed de Zachariâ primùm. Doctiores, omnisque partium studii expertes critici, post expensas Bonifacii ad Zachariam epistolas, hujusque ad illum responsiones, quæ prima sunt quibus stare possimus monumenta, quæque de re nos hâc instruunt, fatentur : I. Asseri nullimodè posse doctrinam Virgilii ad pontificem delatam, esse in *stabiliendis præcisè antipodis*. II. Imò credunt, et quidem solidè, accusationem ulteriùs progredi, scilicet, cùm ipse assereret esse deorsùm *alium mundum*, *homines alios*, *alium solem*, *lunamque* (quod nunquàm sanè dixerit, qui simpliciter antipodas admiserit); sic Virgilius Genesi contradiceret admittendo quemadmodùm luminaria alia, ita aliam hominum non ab Adamo progeniem. III. Zachariam nunquàm apertè damnâsse de antipodis opinionem, nec Virgilium ipsum, quod Baylæus idem, etsi pontificis illius contemptor, scitè ostendit. Dict. Crit., Art. Virgile. Rem. A IV. At ex accusationibus quidem ad eum delatis, præcepit Zacharias ut ejus causa in concilio discuteretur. V. Quin et ad Otilonem Bavariæ ducem scripsit ut Virgilius se Romam conferret, *ut nobis præsentatus et subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inventus, canonicis decretis condemnetur.* VI. Quisnam fuerit quæstionis hujusce exitus Velserus, Ker. Boic. lib. 5, aliique scriptores, qui articulum hunc expenderunt, in oblivione sepultum id fatentur. Nec ampliùs hoc, de hâc causâ innotescit. Quænam verò critice, quænam fides in iis philosophis, qui adeò contra Zachariam infremunt, quique assiduè ejus inscitiam nobis objiciunt, quòd antipodas pernegârit, ejusque iniquitatem, quòd veluti hæreticum damnaverit Virgilium, antipodas statuentem? Prudentior sanè ac moderatior est M. Hollandius è Protestantium cœtu, qui, 2 part. cap. 9 suarum super naturæ systemate meditationum, hujus argumenti futilitatem agnoscit atque ostendit.

Quod ad Galilæum spectat, transcribam hìc versiculos aliquot Christiani Wolfii professione Lutherani, celebris philosophi ac mathematici : « Nemo ignorat « usque ad Copernici tempora unanimiter, et postea « à plerisque, ipso quoque Tychone de Brahe, loca « Scripturæ de motu solis ita fuisse accepta, ac si sen« sus litteralis motui solis diurno faveret. Receptâ « igitur Scripturæ interpretatione statuebatur terram « quiescere in centro universi. Galilæus autem cum « Copernico defendebat terram et motu vertiginis « circa proprium axem, et motu translationis circa « solem moveri, consequenter non terram, sed solem « in centro universi quiescere. Patebat igitur contra« dictio inter assertum Galilæi et receptam Scripturæ « sacræ interpretationem. Agnovit tamen curia Ro« mana nondùm inde sequi hypothesin terræ motæ « esse falsam, etenim P. Fabri è Soc. Jesu Pœniten« tiarius Romæ ad S. Petrum rescripto quod legitur « in transactionibus Anglicanis, ann. 1665, mense « junio declaravit, si quando Copernicani motum tel« luris firmiter demonstraverint, illam ei non adver« saturam; cùm propter scandalum tanquàm veritatem « cumdem proponi non permittatur. Nimirum aut à « receptâ Scripturæ interpretatione in gratiam hypo« theseos terræ motæ est recedendum, aut eadem est « retinenda : in utroque casu non evitabitur scanda-

profertur)? Hisce ne probari valeat nostro hoc ævo ineptus cogitandi modus, superstitio, intolerantia theologorum ac pastorum? At iis reverà diebus versamur, quibus litteratorum hujusmodi doctrinæ sunt æquivocæ, et in theologorum censuris, et in secularium potestatum proscriptionibus in eos excedi fortè possit! Verùm omnem extra ironiam : impietas quemadmodùm effrenior esse nequit, conculcat enim jus omne divinum, atque humanum, ita pestilentior esse nequit, undique enim se insinuare ac grassari studet atque conatur. Romanensium ea libros ingreditur, tragœdias, historias, dictionaria, philosophica opera, libros ad criticen, aut legislationem pertinentes. Interdùm seriò loquentis personam induit; interdùm leporem ac risum ementitur, interdùm etiam satyrâ ac veneno se obarmat; ubique rationis expers, at ubique etiam lethalem invehens pestem. Jam tantam adversùs perversitatem, quæ nimium sanè à laqueatis tectis ad vilissimas prolabitur casas, nec verbum proferre liceat, quin è vestigio libertini scriptores pessum veluti dati, atque oppressi *theologicum* querantur *despotismum*, contra orthodoxam clament intolerantiam, principumque implorent præsidium quasi optimè de iis meriti, iniquè verò vexati?

§ XI. *Accusantur hi etiam, quòd spiritus cohibeant viasque sciendi præcludant; at retunditur et in libertinos accusatio hæc ipsa retorquetur.*

Objicitur rursùm, et gravi politicoque stylo iterùm atque iterùm objicitur, hâc nostrâ methodo spiritus coerceri, ne se prodant, progressus scientiarum atque artium impediri, hominesque in inscitiâ ab càdem delitescere. Sed hoc venditari fortè poterit litteris scientiâque penitùs jejuno. Non quidem ipse ostendendam assumam orthodoxam fidem, postquàm suis præscripserit asseclis debitam illam reverentiam, quæ primam et infallibilem decet veritatem, non modò humanæ rationi ad scientias aditum non præcludere, artesque omnes, sed eidem, ut viam illam terat, animos addere, cùm certa ea sit sibi decus semper ac fulcimen præstandum, nunquàm verò jacturam à scientificis cognitionibus, propterea quòd verum vero opponatur nunquàm : nec ostendendum assumam quot miri progressus, quàm utilia reperta prodierint semper à christianis philosophis, litteratisque religioni ac fidei obsequentibus. Hæc prætermitto, unumque adnoto obvium oppidò mæc sententiæ, ac evidens. Neget nemo tot libros hoc *philosophico ad eminentiam seculo* fuisse emanatos, divina quamvis humanaque obstiterint jura, à libertinis scriptoribus quocumque idiomate ac formâ, qui integram uni bibliothecam replere possent. Ergo nostra eos nil omninò impediit intolerantia, quin publicæ mandarent luci suos animi sensus, omnesque attingerent facultates ullo absque limite ac freno. Jam quemvis appello, cui vel minimùm sit cordi honos, ut mihi vel unum is indicet repertum verax ac novum, quod à philosophis manaverit istis (tantæ libertatis in philosophando, quam sibi arrogârunt, ope) in quocumque scientiæ genere. Quid nos Volterius novi speciosique edocuit in tot suis decantatis voluminibus? Quid in suo Spiritu Helvetius? Quid Roussoius in suo Æmilio? Argentius in suâ Philosophiâ (vulgò di *Buon senso*)? Boulengerus in suo Despotismo? Frerctius in suo Apologistarum examine? Mirabaudius in suo Systemate Naturæ? Cæterique omnes suis in speciminibus, epistolis, dialogis, tractationibus, poematis, solutis orationibus? Innuat mihi, si valeat, aliquis critices punctum aliquod ab his aliorum contemptoribus recens illustratum; historiæ locum aliquem elucidatum; physicum phænomenon explicatum; metaphysicum theorema feliciter intimèque resolutum. Sed quid exquiram felices novosque progressus, quos in artibus ac scientiis philosophi isti fecerint, si, ut superiùs ostendi, artes ac scientias fœdarint iidem ac corruperint potiùs, ut absona impiaque sua fulcirent systemata? Sic quò sustineant ipsi Deum non existere, prima metaphysices principia evertere est opus, naturæ universales constantesque leges abnegare, ratiocinii canones subvolvere, communi sensui obstare, millenas absurdas, stultasque propositiones effutire ac sorbere. Idem dic de impietatibus aliis quæ religionis theorematibus in jure, vel facto opponuntur. Ad mendacium defendendum centena adhibenda alia : ad falsum sustinendum systema, audacter sub pedibus terendæ vel evidentiores veritates. At si semel quis malè philosophando assueverit, paulatim mens perturbatur, discurrendique facultas corrumpitur adeò, ut, quævis obveniat materia, non in suâ facie ac lumine objecta percipiuntur, perversæ instituuntur ratiocinationes, verba

« lum judicio Fabriano. Etenim si recepta Scripturæ « interpretatio retinetur, et tamen defendi permittatur « motus telluris tanquàm verus, fieri potest ut hinc « aliqui colligant Scripturam sacram docere quæ ve- « ritati consentanea non sunt... Quòd si à receptâ « Scripturæ auctoritate in gratiam hypotheseos, quæ « nondùm demonstrata est, recedatur, periculum est « non modò ne forsan in posterum hypothesis repe- « riatur falsa, sed et parùm conveniens est in casu « inevidentiæ theologum cedere philosopho; imò in « utroque casu denuò consequentiæ sunt religioni « parùm respondentes... Et ita non absque ratione « scandalum visum fuit pœnitentiario laudato receptæ « Scripturæ interpretationi nuntium mittere in gra- « tiam hypotheseos philosophicæ. Quamvis autem « curia Romana nolit, ne scandalum erectur, ut mo- « tus telluris defendatur tanquàm verus, antequàm « demonstretur, non tamen ideò prohibuit eodem uti « tanquàm hypothesi in computandis motibus cœlesti- « bus, et reddendis phænomenorum rationibus. Etc- « nim ipse Ricciolius eodem motu tanquàm hypothesi « usus est. Imò cùm Cassinus junior astronomus aca- « demiæ regiæ scientiarum Parisinæ in commentariis « istius Academiæ an 1717, adduxerit observationes « de Parallaxi fixarum ad hypothesin istam demon- « strandam, ipso facto patet licere in Ecclesiâ Ro- « manâ inquirere in veritatem hypotheseos quæ « receptæ Scripturæ interpretationi adversatur. » In discursu prælimin. de philos. in gen. cap. 6, § 168, in adnot. videatur pariter adnotatio ad § 164, locum hunc Wolfii prolixum licet adducere volui, quo prudens videat lector quàm moderatè hâc de re loquatur (de quâ clamitant adeò Catholici quidam) Lutheranus quidem religione, at vir decorus apprimè, ac doctus; nec moderatè minùs de eâ loquitur alius è protestantibus M. Hollandius loco citato.

verò nectuntur, tum et excogitatur ut eum decet statum, quò, ut Bayleus ait, non itur nisi per gradum maniaci spiritûs, nec ibi consistitur nisi per gravem phrænesin. Hic verò character est plus minùsve patens certusque, spiritus atque operum, quæ nostri quotidiè ob oculos præstant philosophi, character equidem quem non nostri modò theologi notant, ac quicumque mente consilioque præpollent, at libertini quoque ipsi, qui mutuò sibi sua objiciunt deliria, alternisque errores suos sæviter impugnant. Igitur (quæ prona verissimaque est ab hisce factis illatio) immeritò catholicam libertini intolerantiam conqueruntur, quasi mentium progressus in scientiis atque artibus impediat; immeritò equidem, nam ubi tot nostri egregii viri tam intimè tantâque cum laude in scientiâ omnes artesque hoc non obstante freno sunt introgressi, philosophi inanes illi effrenis suæ libertatis post vestigia, non repertum novum aliquod, non doctrinam, non utile aliquod lumen nobis protulêre : immeritò iterùm; nam quin aliquid nobis commodi atque utilitatis advexerint, hâc effrenatâ suâ licentiâ, non Religionem modò morumque doctrinam subvertunt, sed et artes scientiasque ipsas fœdant et depravant præpostero suo philosophandi stylo.

§ XII. *Exempla utrinque hoc in proposito.*

Obvenit mihi reverà exemplum à clar. Alembertio prolatum, quo ita is exclamare cogitur (1) : *Credentne posteri nostris diebus in unâ è primis Europæ urbibus, typis mandatum fuisse opus, hoc titulo*; Systema Aristotelicum de Formis substantialibus et Accidentibus absolutis, Ulysipponæ 1750? *Qui verò non credant posteri, hunc errorem typographo excidisse, et legendum potius* 1550? *Is interim est, ad medium seculi XVIII, deplorabilis humanæ rationis status in unâ è spectabilioribus orbis regionibus, apud populum cæteroqui ingeniosum ac politum, eo tempore quo scientiæ adeò in Angliâ, Galliâ, câque Germaniæ parte quæ Protestantium est, efflorescunt ac vigent.* Hæc Alembertius, qui deinde videtur ingentem hanc Lusitaniæ ærumnam, cujus ipsi evidens est solus præfati libri titulus exemplum, uni intolerantiæ ac rigori, inferiorum magistratuum, qui ibi dominantur, adscribere. Atqui nequaquàm perillustris hujus philosophi zelum in promovendis scientiis atque artibus damno. Nec meâ refert, nec libet veras vicissitudinum causas perscrutari, quibus illæ obnoxiæ fuêre variis temporibus, diversisque in Europæ regionibus, nec illud exhibere, quod abundè patet, quo pacto in Lusitaniâ diebus hisce, curâ et operâ fidelissimi illius regis feliciter litterarum studia floreant, quamvis nullimodè laxata ibidem sint frena, quo studiis addictos Religio cohibet.

At verò mihi id unum liceat, ut in hanc erumpam exclamationem, iisdem elegantibus verbis, atque illa, quam modò attuli : *Credentne posteri, nostris hisce temporibus, typis excusum fuisse in unâ è primoribus Europæ urbibus opus hocce* (ut millena et millena alia præteream) *hoc titulo :* Système de la nature, ou les Lois du Monde Physique et du Monde Moral, par M. Mirabaud. Londres 1770? *Qui sanè accidat, ut* (cùm primæ hujusce libri pervolvantur paginæ) *non sibi posteri suadeant, typographum errâsse, et legendum,* Atheopoli? *Is ergo est Religionis status, humanæque rationis, in hoc seculo adeò illuminato!* Jam dic, quæso, ex duobus hisce libris, quorum alter creditur rigidæ intolerantiæ fructus, alter verò partus est, sive furtivus, sive legitimus, tolerantiæ, utrum posteri putent miseratione digniorem? Adeòque utra ex hisce querelis iisdem videatur æquior, ac solidior? ego quidem nec Aristoteli adeò sum addictus, nec à repertis adeò abhorrens recentium illustrium Physiosophorum, ut pro veteri systemate pugnare amem. At dico nec ab *substantialibus formis* nec ab *accidentibus absolutis* metuendum unquàm, ut civium corrumpantur mores, patria perturbetur, altaria thronusque subvertantur. E contra *naturæ systema* (uti et infiniti alii huic assimiles libri) effreni illo Atheismo ac Materialismo, quem edocet ac tuetur, directè trahere horribiles illos effectus omnes debet. Nec id satis sit discernendo quale posteritatis futurum sit judicium de nostris querelis? Quid illa sentire debeat de causis quas innui duorum diversorum adeò effectuum? *Heu quam nobis funestum est* (peropportunè celeber ille Parisiensis (1) causidicus) *judicium animo expendere, quod de nostro seculo posteri proferent circa opera, quæ ab illo prodeunt.*

At supponamus posteros (quibus, quantùmvis in deterius orbis hic abeat, sperandum porrò nunquàm aut mentem, aut communem sensum abscessurum) duo hæc opera spectaturos solùm ut litteratos, quod credemus eorum futurum esse judicium? In primo iis quidem occurrent obscura principia, quæstiones sentenciosæ, futiles disquisitiones, naturæque scientia commentitia magis, quàm realis; et hæc eorum censuræ summa forsitan erit. At in altero legent sanè oppugnata vi, non eloquentiæ dicam, at subdolæ loquacitatis, principia omnia Physiosophiæ ac Matheseos, violatas ratiocinationis leges, subversa universalia humani generis axiomata, quibus substituuntur ratiocinandi methodus perversa adeò, paradoxorum farrago absonorum adeò atque intolerabilium, quæ eò tendunt, ut in universum scientiarum theatrum suâ naturâ diffundant pyrrhonismum, confusionem, chaos.

Quæ cùm ita sint, quam optandum, ut celeberrimus, quem modò collaudavi, auctor, tantâ præditus eloquentiâ atque eruditione, et verâ, ut sæpissimè is innuit, in orthodoxam Religionem veneratione cor-

(1) La postérité croira-t-elle que de nos jours on ait imprimé dans une des principales villes de l'Europe l'ouvrage suivant, avec ce titre : *Systema Aristotelicum de formis substantialibus et accidentibus absolutis, Ulysipponæ* 1750? Cette postérité ne jugera-t-elle pas que la date est une faute d'impression, et qu'il faut lire 1550? Tel est cependant au milieu du 18e siècle l'état déplorable de la raison dans une des plus belles régions de la terre, chez une nation d'ailleurs spirituelle et polie, tandis que les sciences font de si grands progrès en Angleterre, en France et dans la partie protestante de l'Allemagne? De l'abus de la critique en matière de Religion, n. XXIX.

(1) M. Seguier.

reptus, aliam tenuisset viam ad demonstrandam tractationis suæ thesim *de Critices abusu circa Religionem!* Abusus, qui seculi character est, hâc in re, non sanè ut patet, theologorum est, at eorum qui philosophos se jactant. *Periculosa isthæc secta* (verbis utar celebris Seguieri ad Parisiense Parlamentum pronuntiatis) *omnes pertentavit vias, et quo corruptelam propagaret publicos infecit fontes. Eloquentia, poesis, historia, romanenses libri, dictionaria ipsa, omnia infecta extitere, nostraque ipsa theatra perniciosas has magis magisque roborârunt opiniones... Demùm hoc ævo, Religio totidem fermè juratos recenset hostes, quot philosophos formâsse se litterarum studia gloriantur. At extimescere publicum debet regimen, suo dùm sinu horribilem illam incredulorum tolerat sectam, quæ nil aliud intendere videtur, nisi ut populos concitet, dùm eos illuminare simulat* (1).

Jam verò ad exitiale adeò incendium, qui non exclamare contra ejus auctores possit? Quin et vexari ii potiùs debeant, qui illos reprimere satagunt? Vani scio equidem, ut postmodùm ex professo ostendam erunt audaces impietatis conatus, atque impetus quantùm ad objectum finale, atque integrum, ad quod illa avidè contendit. Usque ad orbis exitum Religio stabit: stabunt ejus saltem causa, societas, ac regimina. At interim mentis cordisque corruptio in singulis ab impietate effecta, si metum secularibus incutere potestatibus debet, ut scitè sapienterque præfatus aiebat politicus, ita horrori non esse nequit cuicumque, humanitatis qui sensum omnem non exuerit. Speciosa igitur pro eâ epigraphe quam doctus philosophus suo insculpsit operi, quamque à Lucretio est mutuatus,

Quæ caput è cœli regionibus ostendebat.

Cujus loci novimus quis Epicureo vati illi sit sensus; opportunius ab eodem aliam hanc accipere epigraphen poterat:

Religio pedibus subjecta vicissim
Obteritur :

Quæ sanè epigraphe, ipsissimum philosophici ad eminentiam seculi stemma, felici ejus stylo vastissimum aperuisset campum ad abusum demonstrandum, in quem luce hâc vulgò inciditur, circa Criticen, ac philosophiam, cæterasque, quæ ad Religionem pertinent, scientias : tum et ad patefaciendum omnibus, hos fictitios Philosophos quin doctiorum præsidium mereantur, principium benevolentiam, populorum officia; mereri eos potiùs contemptum, aut saltem universi orbis commiserationem.

CAPUT III.

I. *Recens philosophismus, nullam religioni in se ipsâ damnum intulit.*

In quo recens philosophismus consistat, qui sit eorum, qui eo se gloriantur, character, disertè hucusque protuli. « Hominum spiritus in fermentatione « sunt (ait Gallus ille à secretis multoties laude dona-

(1) Requisitorium in Pariensi Parlamento recitatum à clar. Seguiero expresso regis jussu typis mandatum, et Italicè redditum, ac Florentiæ typis recusum 1771, p. 6.

« tus) fermentatio verò violens adeò est, ut in sensus « agat omnes, tum diffluat, atque erumpat in omne « quod sibi obest, flumen veluti quod ripas transiliit, « aggeresque prostravit. » Religio quidem principale objectum est, in quod conatus isti omnes contendunt; et libertinorum libri, qui multimodis impietatem tuentur, sunt qui stragem dilatant. Gemunt ad hæc quippe probi, dolentque in tot malè deceptis, excæcatisque ruinam. Exultant libertini, et malignè Pœana canunt. Deus optime! anne deficiunt unquàm tua promissa? An concidet fides tua ab artibus atque conatibus impiorum? Nunquàm sanè: *Cœlum quidem et terra transibunt, verba autem tua non transibunt* (1). Spirituum depravatio est, quod negari nequeat, maxima. Incredulitas multos hodiè recenset asseclas, (omnes verò jam pridem corruptos, quippe quod bonus nunquàm impius evadat) at stat tamen, et usque stabit inter hostiles impetus omnes Religio; et philosophicus spiritus licet conetur, et quâcumque demùm in fermentatione sit, quin eam vel hilum concutiat, efficiet potiùs, ut firmior ac validior ea semper consistat. Ita sanè liberè repetam, qui se philosophos nominant suis illis acribus adeò certaminibus, apparatu illo millenorum, et ultra, voluminum, supellectili suâ illâ subtilium suorum excogitatuum, calculorum, sophismatum, satyrarum, fabellarum, nil adhuc profecere, nec ab iis Religio vel hilum passa est. Eorum pugnæ quoad primarium scopum umbratiles planè sunt : eorumque in veram Religionem ictus eumdem hùc usque sortiti effectum fuêre, ac radii è pyrio pulvere in firmissimam turrim ad eam collabefactandam missi. Istud verò theorema ad veri honorem, et ad bonorum solamen mihi demonstrandum proposui quo strictiùs ac clariùs potero.

§ II. *Libertini non adhuc in unum convenêre adversùs Religionem systema : eorum hâc in re contradictiones.*

Ac primum æquissimâ ac summâ perfundemur voluptate, cùm hos ipsos philosophos contueamur nobis adeò infestos, invitos quamvis, id apertè testari. Iis igitur hæc duo quæsita solvenda propono :

I. Quod tandem contra Religionem sit ipsorum systema, in quod convenerint, tot post eorum studia, ac volumina?

II. Quæ sint Religionis dogmata, quæ ii reverà decusserint?

Nos ergo hìc eos adesse animo fingamus, non quidem omnes, infiniti enim essent, at celebriores, atque audentiores. Excipient ii primò non sine irrisionibus, atque cachinnis nostras, ut assolent, propositiones. At respondere coacti, hærebunt porrò : quin et funditùs conturbati implicatique erunt : tum ad confusum gradum facient clamorem, universalemque inter eos contradictionem.

Enimverò quoad primum quæsitum nonnullæ obaudiuntur voces Spinosæ consonæ, cum Mirabaudo naturæ systema proponentes. At altioribus cæteri omnes

(1) Lucæ 21, v. 33.

clamoribus illas voces opprimunt, et cum Baylæo (1) hos *amentes*, ac *maniacos* appellantes, declarant *Atheismum* (2) *veluti cæcitatis culmen agnoscendum*. Proponunt alii Dualismum, seu Systema duorum principiorum, et philosophus Roterodami illud validè sustinet. Sed idem ipse nobis deinde asserit, *iis qui vulgò*, spiritui forti *nominatur, tum et iis generatim, qui metaphysicæ studia coluêre, quippe aliquam habent propensionem ut iis abutantur, nihil magis displicere, quàm principiorum multiplicitatem. Depravatus eorum gustus eos suadet potiùs ut perfecti sint unitarii, quàm ut dualistarum sequantur systema* (3). Egregiè quidem : at Unitarii isti, hìc insurgo, qui se Deum agnoscere profitentur, quam de eo nobis exhibent ideam? Deum Tolandus cum visibili hàc confundit mole, et in Spinosismum incidens non Baylæi solùm suffragio, sed aliorum et libertinorum, cæteris hypothesibus monstrosiorem ipse edocet. Hypothesin Unitarii verò alii, qui et Deistæ appellantur (quâ in sententiâ Talliamedus videtur, et auctor *Persarum*, etc.) Deum præscientia ac providentia exspoliant. At improvidus hic Deus, qui Epicuri Deus fuit, aliorum Deistarum voto, substantia est repugnans. Et Roussojus (4) ad Volterium scribens, qui in suo poemate de Ulyssipone providentiam impugnat, ait millena argumenta nunquàm efficere posse, ut de divino hoc attributo addubitet unquàm. Nihil igitur stabile ac firmum huc usque hos penes auctores comperimus. Reapsè aliæ libertinorum classes excultiorum paulò, hos detestantur errores : adeòque præfata isthæc systemata, velut impia damnantes, dicunt se Deum agnoscere, hunc verò unum, materiæ expertem, omnia regentem ac providentem. Hi Naturalistæ appellantur. At conveniunt isti ne inter se in suis thesibus, et nobis uniforme exhibent de Naturali Religione Systema? imò contra. Roussojus post propugnatam adversùs Volterium providentiam, eam universalem solummodò adstruit, quâ se ad generum specierumque conservationem extendat, *quin de modo curet* quo singuli animalium brevem hanc transiliant vitam. *Prudens rex* (en ejus rationem) *qui vult, ut quivis suâ in ditione felix vivat, disquirere ne debet, num in cauponis rectè omnia se habeant?* (5) Quo posito principio, quàm speciosa ac cohærens naturalis ista est Religio! Quisnam enim cultus tribuetur Deo, qui nil curat? Quis Deo fidat, qui nil videt? Quis Deum metuat, qui unumquemvis suis cupiditatibus concedit? Hæc verò omnia rejicit Naturalistarum Moralista, seu auctor *Morum*, ponitque Deo amorem, grati animi officia, cultum deberi. At quem cultum? is (1) Turcæ indulget quòd sit Mahumedanus : at non Christi fideli, qui in Turcam se vertat. *Nam excessus fanatismi est*, ait, *hominum conscientias exturbare ob res, quæ ad Dei gloriam nil conferunt*. Ac si nil Dei gloriam respiciat Religionum diversitas, è quibus quædam horribiles adeò sunt, ac perversæ. Roussojus quippe ipse suo in Emilio docet omnes Religiones salubriter fuisse institutas, vultque ut quivis propriæ regionis Religionem teneat (2). Volterius nulli se cultui subscribit; at omnes reprobat, atque impugnat (3). Baylæus quamvis omnia dicat, et omnia neget, fatetur tamen neutralitatem hujusmodi, seu indifferentiam atque alienationem ab omni Religione contrariam esse universalibus humani spiritûs impressionibus, et horrori esse (4). At progrediamur : Helvetius, et cum eo Materialistæ omnes, fatalismi edocent systema, homini libertatem denegans. Volterius hanc modò adstruit, modò impugnat. Roussojus aliis cum philosophis pro libertate stant, eamque veluti fontem agnoscunt boni et mali moralis. Hæc super vestigia philosophus Genevensis ait, se firmissimè immortalem vitam sperare. Volterius verò, *spem post mortem existendi non fundatam esse, nisi in probabilitate hujus propositionis, quidquid cogitat, cogitabit, nec de eo demonstrationem ullam consistere* (5). Helvetius, omnesque ejus amici, rejiciunt mordicùs spem hanc, et certum habent hominem penitùs in morte interire. Quæ discrepantia! At ulterius : docet auctor *Spiritûs* utile, ac voluptatem unos mundi moralis (6) motores esse debere : nullam actionem suâ naturâ esse honestam, aut turpem : sed ab humano legislatore unicè esse, ut momentum præfiniat, quo virtus in vitium abeat, hoc in virtutem. Conclamant adversùs hoc systema Naturalistæ, quod jam Hobbesii ac Spinosæ fuit, aiuntque agnoscenda principia immutabilia, et æterna juris naturalis. At in sanciendo hoc jure, ac motivis proferendis, quibus homines ad illud observandum inducantur vel tacent, vel ineptissima proferunt, vel inter se decertant, ac invicem sibi contradicunt. *Litteræ de Religione essentiali*, *Principia moralis philosophiæ*, *Systema sociale*, de quibus suo loco, aliique ejusmodi libri, id magnoperè testantur. Istud sanè leve specimen est *formalium* oppositionum, quæ circa summa rerum capita in libertinis philosophis reperiuntur. Tantùm abest quin hactenùs systema aliquod construxerint Religioni contrarium, ut potiùs sese mutuò destruant. Imò hoc eorum certamen non mutuum modò est, at,

(1) Diction. hist. crit., articl. *Charon et des Barreaux*.

(2) Le Marqu. d'Argens, la Philosoph. du bon sens, tom. 2, part. 1, § 1.

(3) Pour ce qui est des esprits forts, ou en général de ceux qui ont cultivé l'étude de la métaphysique et qui ont quelque penchant à en abuser, il n'y a rien qui leur déplaise davantage, que la multiplicité des Principes. La dépravation de leur goût les porte plutôt à être parfaitement Unitaires, qu'à se déclarer pour les Dualistes. Eclaircissem. sur le Manich.

(4) Lettr. de J.-J. Rousseau à M. de Voltaire. Toutes les subtilités de la Métaphysique ne me feront pas douter un moment de l'immortalité de l'âme, et d'une providence bienfaisante.

(5) Videatur locus à me relatus, cap. 6, n. 7. Speciminis contra *Systema Naturæ*.

(1) Les Mœurs, part. 1, chap. 2, art. 1 et 2.

(2) Emil., tom. 3, pag. 169, ejus, verba consuli poterunt. Lib. 3 Fundam. Part. 2, c. 5, n. 12.

(3) Vide : Les Erreurs de Voltaire, tom. 2, chap. 27, art. 3.

(4) Dict. hist. crit. art. Acosta. Rem. H.

(5) Préface du poème sur la destruct. de Lisbonne.

(6) Vide lib. 1 *Fundament. Relig.*, c 7, n. 2, et seq.

dicam ita, personale. Nam quivis se destruit ob apertissimas ac solemnes contradictiones ; utpote qui alibi destruat quod hìc tuetur, suisque ipsissimis theorematis sua theoremata evertat. Volterii scripta (ut vitâ functos omittam) Roussoji, Mirabaudi, hâc merce scatent. Varia quidem de hoc ego retuli exempla, et ab aliis præclaris viris quotidiè alia atque alia colliguntur. Hâc jam assertâ facti veritate quæ, ut liquet innumeris ac certissimis aliis testibus amplificàri à me posset : iterùm ipse ad nostrorum Philosophorum turbam me verto, eosque sic interrogo : Quid ergo nos edocere intenditis per tot libros, scripta, specimina, epistolas, historias contra Religionem, si vos ipsi ignoratis quid opinemini, aut quid vobis velitis ? Vos omnes sequi sperandum non est : porrò mutua inter vos oppositio est tanta. Nec fieri potest, ut unum præ aliis quis sequatur ; nam et cæteri suis abinde hunc clamoribus different : nec verò aliquis ex vobis peculiare suum Systema hactenùs probavit : imò neque stabilivit ; dùm sibi ipsi repugnat. Nil igitur vos adhuc profecistis, nil omninò per istam longè sonantem acerrimamque decertationem : et contra vestros omnes conatus, atque impetus Religio triumphat. Quid ad hæc vos ?

Anne reponetis, sin vobis contigerit adhuc systema Religioni contrarium stabilire, saltem vos Religionis ejusdem fundamenta vestris evertisse libris ? At huc vos adducere avebam altero è duobus quæsitis quæ superiùs institui, quo vos cogerem, ut vestro ore fateremini audacissimam vestram hanc spem, si quæ vobis insit, absurdam maximè, falsamque esse. Et primoquidem objicere ipse possem, cùm Religionis dogmata impietatis systematibus sint opposita, uti Numinis existentia Atheismo, ac Dualismo, animæ spiritualitas Materialismo : cùm vestra hæc Theoremata probatione careant, nec Religionis dogmata esse eversa.

§ III. *Nec aliquod è nostris dogmatibus everterunt quod ex ipso eorum testimonio comprobatur.*

At quo factum hoc in lucem proferam, ut illud quivis sentiat et videat ; alacritate ipse eâ, ac fidentiâ, mihi quam veritas ingerit, omnes hos libertinos philosophos lacesso, ut innuant mihi si habent, vel unum argumentum ab iis contra Religionem tot in libris contortum, quod solutum non fuerit, quodque aliquod è nostris dogmatibus destruat, aut infirmet. Omnem ii porrò lapidem moverunt, omnes exhausêre scientiarum fontes, ac facultatum, ut inde sophismata conficerent ad decertandum. Hobesius, Spinosa, Baylæus, Helvetius, Mirabaudus, aliique se armis metaphysicæ instruxêre quo omnia naturalis Religionis oppugnarent, theoremata. Sed quàm imbecilles fuerint eorum impetus, ostenderunt non modò tot opera immortalia, quæ per strictam, exactissimamque methodum eos retudere ; at iidem ipsi invicem principia fundantes omninò opposita, viàque incedentes non modò diversâ, at præposterâ. Quod non accidisset profectò, si vel evidens aliquod reperissent principium, aut evincens àliquod argumentum. Ac tandem id fassæ sunt aliæ Libertinorum classes, qui inutiles contra impetus illos invicta, et inconcussa agnoscunt naturalis Religionis theoremata. Meliùs igitur hi revelatam Religionem oppugnandam duxerunt : at et ipsi contrariis institerunt viis, nec invicem conformibus nisi in errando ; exorsi sunt alii ab impetendis Moysi epochis, ut mundum facerent vel æternum, vel immodicè vetustiorem. Ob hanc rem è cineribus suscitârunt hic Ægyptias dynastias, hic Chaldaicas observationes, alius Sinenses chronologias (1) : et permulti quin hæc perceperint aut legerint, eadem dixerunt atque commendârunt. Sed publicè dein evulgatâ antiquitatum harum inanitate, ad finem, quem ii intendebant, perrexêre alii ac in montium usque sinus penetrârunt, ac maris fundum aquaticis laternis sunt contemplati, et Mailletus plurimos in hoc opus annos impendit : quo tandem successu ? Eodem planè quo egregii illi Astronomi, qui trans nubes pervasêre, ut ex lapsu cometis in solem præsens efformarent systema, et oppositum Moysi cosmogoniæ systema nobis exhiberent. At tot labores isti, reperta isthæc omnia non modo confutata fuêre egregiâ methodo à veris philosophis, qui ea repugnare (2) ostenderunt : at ludibrio, ac risui libertini ipsis demùm fuêre, qui eadem ut deliria agnoverunt.

Ulterius verò, quantùm adlaboravêre libertini ? ut humanum genus varias in species dividerent, et ita nostram Genesim mendacem accusarent, ubi omnes ab Adam progenitos legimus ! Mitto marinos homines Tellamedis, belluinos, quadrupedes, similesque somniantium philosophorum chymæras. Mauri Afri ex colore visi sunt Freretio (3) et novissimè auctori historiæ *Stabilimentorum* (4), etc., sufficiens argumentum demonstrando ex aliâ eos esse progenie ac nos, adeòque ab alio protoparente, cùm esse ii nequeant albi Adami nepotes. At auctor alius liber æquè et animosus ac duo citati, ostendit (at vestigia premens sapientum valentiumque nostrorum scriptorum) argumentum illud nil probare, cùm à solo colore in animalium regno species non distinguantur, et diversam climatis temperiem diversum parere habitantium colorem (5). Idem probare possem evenisse quoad alia argumenta à fictitiis hisce philosophis instituta contra chronologias, historias, divinæque Scripturæ leges, argumenta non à Patribus solùm ac theologis, at à cujuscumque cœtûs litteratis millies omnia eversa. Quare cùm sagaciores desperarent adhibere tam debilia arma sine dedecore se posse, in nostra mysteria primò ac præcipuè impetum faciunt ; quæ cùm contradictionis accusent, fore inde confidunt ut impietas vel Pyrrhonismus triumphet. Hoc, ut scimus, Baylæo in deliciis thema fuit, et elapsis hisce annis Roussojo ; at

(1) Vide lib. 1 *Fundamentorum*, etc., cap. 3, n. 5.
(2) Videantur *Litteræ Americani*, et cap. 5, n. 6 nostri speciminis contra Systema naturæ.
(3) Exam. crit. des apolog. chap. 11, pag. 222.
(4) Tom. 4, livr. 11, pag. 170.
(5) Recherch. philosoph. sur les Américains, tom. 1, part. 2, sect. 2.

qui vel minimùm articulis hisce sit initiatus, planè novit hos concidisse heroas vel solùm iis proponendo verissimum ac realissimum discrimen quod intercedit theorema inter rationi contrarium, ac theorema rationem captumque omnem superans. Nec verò nisi libens volensque assentior ex hoc secundo genere nostra esse mysteria, nec aliter esse possunt, cùm ad naturam ac concilia infiniti Numinis ea pertineant. Quòd ex primo illa sint genere, quamvis sint conati, nunquàm tamen philosophi demonstrârunt (1). Quare fateri quoque debuerunt vanos hos etiam esse conflictus: unde ex iis quidam, et è licentiosioribus pronunciat, *permittendum quidem esse expendere num verè aliquid fuerit revelatum; at semel constiterit revelatum id esse, non ultra de eo dubitare sinitur, nec illud penetrare velle, et semel agnitâ revelationis authenticitate... non amplius explicare quærendum humanis rationibus divina Mysteria* (2). Omnes igitur athletarum hujusmodi vires ac nisus eò se conferre debebant, ut argumentum conquassarent, quo probatur *Deum fuisse elocutum*. Consurgit illud quidem ex complexione characterum inter se consonantium ac connexorum, quæ facti hujus perfectam exhibent demonstrationem. At adlaboraverint quamvis libertini, non solvendo dicam, at mordendo modo hoc, modo illo similium characterum, contra demonstrationem eam, qui ex eorum complexione atque harmoniâ conflatur, nunquàm irruere sunt ausi. Freretius quidem in hoc pugnæ genere institit magis aliis in suo celebri illo *Examine critico apologistarum christianæ Religionis;* at quàm inutiles ejusdem sint ictus, pernoscet, spero, lector è meis animadversionibus, quas hoc in volumine subdam; et probationem divinæ revelationis hauriet à lib. 2 Fundamentorum, in adversariorum resolutis difficultatibus non propugnatam modò, at et confirmatam. Novi me equidem nil hìc attigisse, nisi præcipuos libertinorum contra nostra dogmata conatus; at noverunt quoque docti viri ac decori, eâdem me facilitate descendere posse ad specialiorem discussionem, ac demonstrare non modò fide apologeticorum nostrorum operum, sed et testimonio authenticarum depositionum ipsorummet adversariorum, parem semper fuisse suarum pugnarum exitum, inutilem nempe atque infortunatum.

Hæc cùm ita sint, iterùm ad litteratorum hujusmodi turbam convertamur, eisque quod paulò ante diximus repetamus. Ecquid huc usque tot ex voluminibus, tot satyris, tot disputationibus contra nos profecistis? Vos non adhuc systema aliquod stabilivistis ut verax Religioni contrarium; vos non adhuc unanimiter statuistis, multò minùs verò probàstis aliquod Religionis theorema falsum esse; vobis non adhuc gloriari licet de argumento vel uno atque unico in nos vibratum, quod invictum restiterit. Si verò ex vobis aliquis præsidens adeò est, ut id asserat, permulti tamen è vestro sunt cœtu, qui illum de mendacio convincant. Nil igitur vos lucrati estis; quin Religio contra omnes vestros nisus atque impetus triumphat.

§ IV. *Id omne confirmatur innuendo dogmaticos nostros et apologeticos libros, quibus Religionis veritas est demonstrata, et hostium conamina repulsa.*

Hæc sanè est præclara illatio quæ ab eorum ipso contra nos decertandi stylo, tum ex analysi omnium suorum simul librorum ipsis invitis ducitur. At prætermittendum hìc mihi non duco quin obiter innuam validissimam illam confirmationem; quam de coactâ adversariorum confessione nobis exhibent strenui illi viri, qui contra eosdem Religionem propugnârunt. Quemvis ego hìc appello è litteratorum cœtu partium studio vacantem. Opponatur nobis, quæso, si verò adsit, impiorum systema aliquod vel sophisma, quod exterminatum ac resolutum non fuerit. Quos lethales Atheismo, Materialismo, Fatalismo ictus non intulêre Fenelonii, Clarkii, Jaqueloti, Niewentitii, Lampi, Polignacii, Gerdilii, Moniliæ? Quæ trophæa veræ fidei non erexêre Grotius in libris de Veritate Christianæ Religionis, Dictonus in Religione christianâ per Christi resurrectionem demonstratâ, Houtevillius in christianâ Religione factis probatâ, Franciscus in probationibus ejusdem Religionis, Bernardus Lamyus in suâ demonstratione de Veritate ac sanctitate christianæ moralis, Fabricyus in titulis primitivis Religionis? Poteritne unquàm cerni scriptor Volterio magis expugnatus è solo Nonnotii opere, libertini hujus poetæ erroribus dicato? Atheus itidem Mirabaudo magis devictus, atque prostatus ex unis Hollandii in impium illum animadversionibus? Quas verò individuas confutationes, et in Atheum eumdem, et in Freretium non evulgavit Bergerus? Quam egregiam censuram in omne simul horum operum virus ac fœcem nobis strictim non exhibet suis in criticis litteris Gauchatius? His verò aliisque in operibus copiosis non minùs ac notis pro Religione omne provocationis genus fuit admissum, semperque in hostes progressum paribus armis. Metaphysicè jus naturæ scientia, astronomia, anatome, sacra ac profana eruditio, nostra et exotica, recens ac vetus, tum et quodvis aliud scientiarum genus quod jactant, quoque malignè libertini abutuntur, adhibitum à nostris præclarè fuit; et à principiis ejusdem ipsius facultatis quâ veritatem opprimere illi conabantur, hæc victrix atque in omnigenos triumphans errores extitit. Ita ut perpenso hinc scribendi stylo incredulorum à me superiùs ad trutinam revocato, inde operum valore, quo sub omnium ora oculosque eorum repulsi sunt impetus, hæc firmissima sequitur illatio, recentem philosophismum, permultos licet corruperit, nunquàm Religionem in seipsâ tentâsse; quæ imò firmior ac solidior ex acribus hisce impugnationibus evasit.

§ V. *Confirmatur itidem ex novâ methodo, quâ libertini dùm contra nos scribunt, utuntur.*

Id sanè pernoscunt, utpote qui nimiùm mentis acie

(1) Adesis l. 2 *Fundamentorum*, c. 6.

(2) Scriptor Litterarum Judaicarum, seu Argentius, litt. 138, consuli potest ejusdem locus Gallico idiomate ipso relatus lib. 3 *Fundamentorum*, part. 2, cap. 5, n. 4.

pollent, nostri philosophi. Vident certissimè, et non evidens minùs, atque iterata eis ostendit experientia, neutiquàm confidere eos posse se victuros, aut non casuros saltem, in conflictu nobiscum methodico atque ordinato. Prostratos ii vident fortiores è suis commilitonibus, tum confusione et opprobrio diffluentes eorum libros, qui inexpugnabiles credebantur. Quare jamdiu in arenam ii non descendunt apertâ fronte systematica præ se ferentes opera, quæ nostrorum dogmatum impugnationem ostentent, aut impietatis defensionem. Postremus fortassè qui ita decertaverit, Mirabaudus fuit suo in Systemate naturæ, qui liber, ut proditum est à Volterio ipso, *Philippica contra Deum* nominatur, fortassis quia aliud ibi non monstratur nisi mala mens animusque, quin et amens scriptoris furor. Præsentium ergo philosophorum tenor est, ut *insidias clam instruant, ut leo in specu.* Libros ii exarant historiæ, itinerum, physices, ethices, politices, commercii; tragœdias scribunt, comœdias, cantus, romanenses libros, polyantheas : in hisce verò operibus, quæ nil sanè ad Religionem, hæc tamen clam in ea intruditur, impietatisque diffunditur venenum. Fausta iis hæc nova scribendi methodus est; nam præterquàm quòd horrori non sint primo intuitu libri hice, quod vulgò est cùm apertè Religionem Deumque quis lacessat, ibidem ii neque ad methodum, neque ad argumentationem, nec ad responsiones tenentur. Modo errorem promptè pronuntiant, at probatione vacuum, modo objectionem innuunt, at ejus dissimulant solutionem. Interdùm lepidè augustioribus super nostris nugantur mysteriis, interdùm sarcasmo ac satyra nostros theologos ac ministros feriunt. Religio nunquàm hisce in libris apparet, nisi sub superstitionis nomine atque insignibus principatûs despotismi personam induit; nunquàm nostra dogmata, nisi ementitâ facie innuuntur; nostra morum doctrina, nisi fœdata. Sub zeli pro hominum cœtu colore effata scruntur effrenis contra pudorem libertatis, sensusque evulgantur seditionis contra principes. Interim pronuntiandi audax ac firmus tenor, quod argumentis deest, supplet; et styli rapiditas objectiones præfocat, aut pro defensione est. Hìc mos est scribendi nostris philosophis, quo maximoperè iidem gaudent; sed quo propalam manifestèque significant malam, quam quæ maximè, eos causam tueri. Hic siquidem scribendi modus imbecillibus quidem et incautis imponere, non verò solertioribus valet.

§ VI. *Hujus methodi exempla ab Historiâ politicâ et œconomicâ stabilimentorum, etc.*

Enimverò (liceat de hoc hìc mihi specimen exhibere aliquod) erit fortassis falsum Evangelium, quo cæliba tus insinuatur, ac commendatur ex eo; quin philosophus hoc ævo celeberrimus lepidè castorum gregem è novâ Franciâ cum Cartusianorum cœnobio conferens, postquàm varia et indecentia effutiverit, ad Deum conversus sic concludit : *Uter tuas meliùs laudes concinit, solitarius (monachus scilicet) qui noctis rumpit silentia ut inter cœmeteria te celebret, aut felix ille populus* (sic belluas illas vocat), *qui non quidem te cognoscenai instinctum jactans tibi gloriam suis in amoribus suam in perpetuando speciem, tribuit, et in eo mirum opus tuarum viventium facturarum* (1)? Quænam herclè obscenitas! Anne et probata solidè voluptas extstierit, juxta Epicurum, quòd sit ipsa summa nostra felicitas ex eo quòd præfatus philosophus licentioso stylo fabulosam, ad Boccatii normam, narrationem serat, quâ angelos describit, qui *circa thalamum stantes, alis facies tegunt ne invidiâ in homines flagrent ex bono quod Paradisus* nescit (2)? Quæ horrenda! hic verò scriptor, qui persæpè hoc se cæno volutare prægestit è philosophis est, qui dicuntur *in subsidium enati ethices humanæque rationis* (3). Insuper, dogmane concidet realis Christi præsentiæ in Eucharistiâ, ex prolixâ elaboratâque historiâ quam philosophus idem exorditur de simulacro è farinâ subactâ ab idolorum sacerdotibus in Mexico composito quod altari impositum in Deum, ut ipsi credunt, evadit : *inde confractum* circumstantibus dividitur, qui se sanctimoniâ affectos rentur quòd suum Deum manducaverint (4)? Hæc verò fabella solidumne erit contra Eucharistiam argumentum? Quid verò? Corruetne invictum momentum illud quod pro christianâ pugnat Religione, martyrum scilicet nostrorum factum omnibus suis suffultum circumstantiis, quòd Libertinus idem eo consilio nobis Canadensem barbarum describit, qui *emoritur quin ferrum, aut ignis ab eo lacrymam aut suspirium extorqueant* (5)? Aptissimam sanè comparationem! Ejusdem verò generis sunt ictus alii, quos passim et inopinatò in Religionem molitur. Nunc in scenam pertrahit Americanos barbaros, qui stultè somniis credentes se futurorum præscios jactant : unde deducit hunc fontem esse *penès populos omnes excultos quoque revelationum et communicationum cum Deo. Nemo* (ipse addit) *propheta evadit quin somnia sit passus. Hìc primus est ministerii hujusce gradus : qui non somniat, futura non prædicit* (6). Quid ultra expetas, ut clarè pateat nostros Prophetas somniantes esse? nunc stupenda exaggerat opera castorum ac formicarum : eosque cum homine æquiparans concludit bestiis hunc antecellere, quia flexilii pollet manu. *Ideòque huic se unicè debere suæ organisationis præcellenti formæ, quòd sua species animalium cæteras superet* (7). Demonstratio sanè isthæc originalis non est, ab Helvetio enim prius fuerat prolata; at cæteroqui stupendissima semper. Mirandæ quoque sunt probationes aliæ, quibus philosophus idem utitur ad catholicam deturpandam Ecclesiam, et ad eam suo judicio obruendam funditùs. Sunt illæ in nunquàm de nostris legibus, ritibus, magistris, summisque pastoribus loquendo, nisi irrisoriis ac contu-

(1) Hist. philos. et politiq. des établissem. des Européens dans les Indes. A Amsterdam, 1773, tom. 6, livr. 15, pag. 97.
(2) Tom. 3, liv. 8, pag. 333.
(3) Tom. 1, liv. 1, pag. 27.
(4) Tom. 3, liv. 6, pag. 40.
(5) Tom. 6, liv. 15, pag. 56.
(6) Tom. 6, liv. 15, pag. 42.
(7) Tom. 6, liv. 15, pag. 103.

meliosis verbis. Quod omne egregiè sanè probat. Omnia, si ipsi fidem dare velimus, nos penès nil sunt, nisi fanatismus, lucri amor, sævities, depravatio. Si in Italiâ, si Romæ barbaris seculis excrevit ignorantia (quæ, ut patet, orbem occupaverat universum), instrumentum illa pontificibus erat ad superstitionem fovendam (1). Si ibidem ignorantiâ dissipatâ refloruêre artes ac scientiæ, repertum istud pontificum est quo politicæ, atque utilitati (2) servirent. Si Constantinus primus Christianorum imperator legem condit quæ servitutem abrogat, noster eam philosophus damnat ut perniciosam, miraturque Montesquieum eam non recensere inter causas ruinæ Romani imperii. At decem post paginas in legem eam offendens ab aliis principibus servatam, hanc ipse ut partum suspicit politicæ solidioris, imperioque perutilis; tum verò Montesquieus taxatur, *quia Christianæ Religioni honorem ab servitutis abolitione conciliat* (3). Anne ictus hisce sunt, quò concordes eò contra Religionem terribiles?

At nequibat verò noster philosophus (liceat mihi adhuc modicum in hisce immorari) cùm Romam tetigerit, in sui argumenti probationem Galilæum præterire. Galilæanum hocce factum cui accedit Antipodarum damnatio à papa Zachariâ, ut alibi vidimus, format hodiernè nervosius argumentum Libertinorum adversùs Religionem. At quàm præposterè, ibidem observatum est. Nihilominùs attingam hic obiter, quâ ratione retuso hoc ense utatur scriptor *Stabilimentorum*. Is ut Romæ obtrectet, Galilæum ipsum acriter accusat; et quo Religionem infamet, philosophum hunc ut impium describit. *Humaniores litteræ* (1) *Religionis ædificium exornant; philosophia illud destruit. Ita Romana Ecclesia humanioribus litteris pulchrisque artibus favens, exactis eadem infesta scientiis exstitit* (2). *Coronâ donati tum poetæ fuêre: at exagitati philosophi. Galilæus suo è carcere Tassum vidisset ad capitolium evectum, si egregia hæc ingenia coæva fuissent.* Felicissimum porrò excogitandi ac loquendi genus! illud brevissimè contemplemur. Hic primùm ore ipso rei confessi absque alio ænigmate comprehendimus quid illa significet philosophia, quam Philosophi profitentur isti, et ex quâ adeò nostro hoc ævo obstrepunt. Ipsa scilicet *Religionem destruit*. An non optimo ipse jure asserui, seculum hocce, quod *philosophiæ ad eminentiam seculum* dicitur, dicendum potiùs *impietatis seculum* ex tot perversæ scientiæ professoribus? Secundò, hanc philosophiam adeò Religioni infestam exornare velle *exactæ scientiæ* charactere, ridiculum tam est idemque falsum, quàm certum est, et supra à nobis probatum, modernis philosophis ut religioni bellum inferant eruenda primum scientiarum omnium principia ac theoremata. Tertiò, si Romana Ecclesia huic philosophiæ quæ Religionem subvertere molitur, adversata semper est, quinam ejus tenorem damnare poterit, nisi cujusvis societatis hostes, omnisque boni, cujus fundamentum ac basis est Religio? Quartò, hoc in cœtu Galilæum locare non indecorum modò tanti viri nomini esset; at apertissimum quoque mendacium, quod ab ejusdem scriptis et factis liquidò falsitatis convincitur. Ipse quidem orthodoxâ in communione vixit atque obiit. Tandem Galilæus non modò carceribus non detinebatur cùm Capitolium Tassus ascendit, at carceres nusquàm est ingressus, multò verò minùs catenis innodatus, ut alius (3) dixit. Ipse nil nisi detentus fuit in *delicioso Trinitatis montium Palatio:* præcisa Viviani verba in ejus vitâ (4). Judicet prudens lector an sint necne meæ

(1) Tom. 1, liv. 1, pag. 25.
(2) Tom. 1, liv. 1, pag. 27.
(3) Afferam hìc duplicem nostri historici locum, quò possit eos lector à se ipso conferre ac ponderare. Tom. 1, pag. 6 : La barbarie s'étendit aux conquérants eux-mêmes, après deux lois absurdes de Constantin, qu'il est bien étonnant que Montesquieu n'ait pas osé placer parmi les causes de la décadence de l'empire. La première donnait la liberté à tous les esclaves qui se feraient chrétiens. Les grands, privés par cet arrangement, de toutes leurs richesses, réduits à l'indigence, et, pour ainsi dire, à l'aumône de ces prosélytes, n'eurent plus aucun intérêt à soutenir l'État, dont ils étaient l'appui. Pag. 16 : Le président de Montesquieu fait l'honneur à la Religion chrétienne de l'abolition de l'esclavage : nous oserons n'être pas de son avis. C'est quand il y eut de l'industrie et des richesses dans le peuple, que les princes le comptèrent pour quelque chose. C'est quand les richesses du peuple purent être utiles aux rois contre les barons, que les lois rendirent meilleure la condition du peuple. Ce fut une saine politique que le commerce amène toujours, et non l'esprit de la Religion chrétienne, qui engagea les rois à déclarer libres les esclaves de leurs vassaux, parce que les esclaves, en cessant de l'être, devenaient des sujets.

A nostro igitur historico habemus legem quâ servitus est abacta, à christiano imperatore Constantino latam, causam fuisse ut imperium concideret : latam verò ab aliis regibus (non quidem christiano spiritu), sagacioris politicæ inventum fuisse. Collaudatur secundo casu hæc politica, quòd servitute amotâ, servi evaderent subditi imperii. At nonne id ipsum Constantini lex præstabat? quare ergo hæc ut absurda et ruinæ imperii causa taxatur? Damnatur in Constantino lex ista ut imperio perniciosa; nam optimates, sublatis servis, suarum divitiarum expertes, non ampliùs suffulciendo imperio erant. At eumdem planè effectum ducebat lex eadem aliis à regibus lata. Qui ergo in ipsis extollitur, velut prudentioris politicæ fructus? Tandem si fateamur Constantinum Christianum et pro christianâ Religione legem eam condidisse, quare Montesquieus reprobatur quòd honorem christianæ conciliet Religioni à servitutis abolitione? Non ergo ab re erit historico huic appingere sapiens illud Hollandi dictum adversùs Mirabaudum : Il semble donc que vos sentiments n'ont qu'une existence locale, et que vous en changez suivant la matière que vous traitez. Reflex., tom. 2, pag. 69.

(1) Tom. 1, liv. 1, p. 27.
(2) Quàm Romana Ecclesia summique pontifices temporibus inscitiæ enixè juvârint non humaniores modò litteras, pulchrasque artes, at veraces etiam tum profanas scientias, ostendit præ aliis per copiosa et authentica monumenta Hieronymus Tiraboscus eruditissimus scriptor Historiæ litterariæ Italicæ, tom. 4. lib. 1, cap. 2, num. 17 et seq., et lib. 2, cap. 2, num. 5.
(3) Le respectable vieillard.... fut chargé de fers, traîné dans les prisons. M. Holland., Réflex. philosop. part. 2, cap. 9.
(4) Factum hoc docti Pisani litteratorum Annalium scriptores clarissimo locarunt in lumine, tom. 12 et 13 adversùs Florentinos, qui dicere non dubitârant Vivianum errâsse seu ex rerum inscitiâ, sive ex religionis scrupulis, asserendo quod ipsi retulimus; tum

hæ animadversiones æquiores ac veriores lepidis illis antithesibus Galli anonymi. At ad rem redeo.

§ VII. *Quàm futilis sit modus hic scribendi contra religionem.*

Multi ad fastidium sunt moderni philosophici libri, è quibus exempla ducere potuissem noyæ in Religionem arguendi methodi : at immoratus ipse sum in eâ quæ ab auctore historiæ *Stabilimentorum* est ; tum quòd mihi ob oculos venit liber ille hæc cùm scriberem, tum quòd ipse à vulgo modernorum philosophorum secernitur elegantiâ styli, et cognitionum copiâ, quæ commercium spectant, historiamque tum politicam, tum naturalem. Verùm profectò est, ut obiter id quoque dicam, non omnes bono consulere, quòd nullam ipse de eo quod asserit probationem exhibeat, præter solam suam assertionem, quamvis res dicat loco ac tempore remotissimas, tum à scriptoribus aliis non rarò confutatas, demùm quæ fabulæ potiùs quàm historiæ interdùm videntur. Verum itidem est à multis notari audaciam illam unumquemvis lædendi (solis Quakeris, alioque nescio quo cœtu exceptis) suamque censuram ad reges usque extendendi. At quid mirum quòd homines parvipendat, qui nec Deo obsequitur ? At verò, quod nostri est instituti, sedulò animadvertat lector modum subdolum æquè ac infelicem, quo ipse in opere quod de commercio est ac politicâ, satagit Religionem furtim impetere, cujus se hostem prodit. Quam tamen vim habeant injuriæ, philippicæ, pudendæ fabellæ, contumeliæ, ad demonstrationes collabefactandas, quibus nostra inititur fides ? Patescit ab iis quidem mala ad suam opinionem confirmandam, videlicet quòd reverà inquisitionis carceribus inclusus Galilæus fuerit, loca aliquot proferebant litterarum Galilæi ejusdem, aliorumque. Hæ verò à Pisanis discussæ ad rem inutiles planè ostenduntur, nulliusque ad Vivianum confutandum vis ; cujus assertio confirmatur præterea decisivo ineditæ Galilæi epistolæ ad Ciolium loco, quæ sic habet : *Sanctissimus Pontifex contentus fuit, ut pro S. Officii carceribus Mediceum mihi palatium ac viridarium assignaretur ad montium Trinitatem.* Adesis laudatum tom. 13, pag. 302. Qui verò (ut obiter id quoque attingam) Galilæi infortuniis Romæ adsciscetur litterariâ suorum adversariorum invidiâ, tum et ejus directio ipsa, innuit Petrus Guicciardinus magno Etruriæ duci à secretis epistolâ ad eumdem principem sub die 4 martii 1616, nuper in lucem à Cl. Fabrono editâ inter litteras ineditas illustrium virorum.

mens animusque scribentis ; at patescit quoque ejus imbecillitas, atque amentia, qui ita scribendo decertat. Argumentis opus est, non verbis, rationibus, non irrisionibus, factis veracibus et ad rem facientibus, non importunis declamationibus ac sensu expertibus. Tribus verbis enuntiatur fanaticos nostros martyres esse, prophetas somniantes, nostra miracula imposturas ; at isthæc mendacia utut concitato stylo, oraculique ritu pronuntiata, vel hilum non quatiunt factorum certitudinem, nec divinæ dexteræ claritatem, quæ illa est operata. Nam quodnam vel evidentissimum theorema ab amente negari nequeat ? quænam vel nitidissima virtus à maledico deturpari ? qualis vel augustus character ab audaci irrideri ? At in quonam tribunali, nisi fortè amentium, maledicorum, perversorum, hujusmodi valebunt argumenta ad veritatem deprimendam ? Jam hujus generis, ut summatim attigimus, sunt argumenta, quæ identidem contra nos adhibet in sex voluminibus suæ historiæ philosophicæ ac politicæ laudatus auctor, ejusque etiam furfuris sunt habendæ speciosæ demonstrationes, quibus intextæ sunt tot infaustæ productiones, quæ in diem prodeunt ; quæ si modo citatâ inferiores sunt, eruditionis, eloquentiæque ornatu, non verò ei concedunt quoad intentum diffundendi contectam atque obvelatam impietatem.

§ VIII. *Ex his omnibus liquet eos qui sè modernorum philosophorum nomine jactant, nil evicisse, Religionemque de iis plenè semper triumphâsse.*

Quæ ita cùm se habeant, dissertationis jam fila colligamus. Probandum mihi in tertiâ hâc parte proposui Philosophismum acerrimo suo longoque prælio contra christianam Religionem nil penitùs evicisse, nec Religioni in seipsâ nocuisse. Propositionis demonstratio petitur ab eo quòd nullum stabiliverint Philosophi illi adhuc Systema christianæ Religioni contrarium, nec unum straverint è dogmatibus, ad eamdem spectantibus. Fidem de utroque hoc facto præter invicta argumenta à nostris apologeticis libris deprompta, quibus nulla adhuc reddita responsio est, faciunt libertini suis mutuis decertationibus, personalibus contradictionibus, novissimâque contra nos scribendi methodo non ampliùs systematicâ, at satyricâ, non argumentis, at fabellis ; non theoriis, at figuris, mendaciis, maledictis. Ergo contra tot pugnas philosophicosque impetus triumphat Religio ; quod erat demonstrandum. Qui ergo à perlectis libertinorum libris, manus iisdem dat : is se vel cæcum declarat, vel corruptum ; aut utrumque simul, quod à demonstratis colligitur.

INDEX RERUM.

MONITUM. 9
NATALIS ALEXANDRI VITA. *Ibid.*
DE SYMBOLO FIDEI. 11
Articulus primus. Quid et quotuplex sit Symbolum fidei, et quot ejus articuli. *Ibid.*
Art. II. Quo primus Apostolici Symboli articulus explicatur : *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ.* 14
§ 1. Quæ sit vis istius verbi : *Credo.* *Ibid.*
§ 2. *In Deum.* 18
§ 3. Quid sit discriminis inter *credere Deo*, *credere Deum*, *et credere in Deum.* 20
§ 4. Unus tantùm Deus credendus est. 21
§ 5. Quid de divinis perfectionibus doceat fides. 23
Dei simplicitas. *Ibid.*
